Digitized by Google

M

M. V. 49
52.

Sal. Scf 2-d-3

13-12 A. 11

M.IV.48

Digitized by Google

APOLECTA
VTRIVSQVE IVRIS
ALPHONSI PEREZ PACHECI
LVSITANI.

Digitized by Google

APOLECTA VTRIVSQVE IVRIS

PER ALPHABETICVM ORDINEM;

AVTHORE

ALPHONSO PEREZ PACHECO

Presbytero Lusitano, Iurisconsultò olim Elborensi, in Romana Curia nunc commorante.

VTILISSIMVM QVIDEM OMNIBVS

Tàm tyronibus, quàm veteranis Iurium Professoribus.

EMINENTISS. PRINCIPI D.

D. IVLIO S. R. E. CARD. SACCHETTO.



RONCILIONE, MDCLVII.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Domus S. M. Magdalenæ Vrbis

Digitized by Google

EMINENTISS. PRINCIPI

D. D. IVLIO

EPISCOPO TVSCVLAN.

S. ROM. ECCL.

CARD. SACCHETTO

IVSTITIÆ PRÆTORIO IN VRBE

PRAEFECTO.

ALPHONSVS PEREZ PACHECVS D. D. D.

T fontem riuuli; & ſolem ſydera obſeruant ſuum. Aequum enim eſt, vt ijs obſtringantur, à quibus vitam lucis hauriunt, & aquarum; ne ſibi, quæ ab alijs collata fuerint beneficia, inaniter arrogare videantur. Noui benè, EMINENTISSIME PRINCEPS, meum hunc Iuris Libellum, à tuæ Iuris prudentiæ fonte riuulum diriuari: à tuæ ſapientiæ ſole lucere meum hoc aſteriſcum. Tibi ergo reddo, quod tuum eſt;

tel-

vellem cum fœnore; sed quid fœnoris à me habere poteris, cum ingens à te recipiam, dum meum suscipis munusculum? Itaq; duplici me beas munere; & quo luceam dum tribuis; & quo defendar dum suscipis. Iniurius profecto mihi essem, si alium, quàm perfectum Iuris Præfectum quærerē, qui meum hoc tueretur Iuris opusculum. In te enim omnia contemplor, quæ à detractorum inuidia me poterunt vindicare: Sapientiæ apices, Religionis præstantiam; Generis splendorem, aliasq; innumeras virtutes, quibus meruisti magna, quæ obtines, & maxima, quæ non obtines; obtinere sæpè fortunæ est; virtutis semper meruisse. Princeps ergo humanissime, inter alia, quæ geris iuris magna hunc libellum benignis oculis intuere, & tuere.

— Paruis etiam distinguitur astris
Cœlum, & in Oceanum riui fluere minores.

Vale, ac toti Ecclesiæ felicissimè, & diutissimè viue.

LE-

LECTORI.

CVM in omnibus fermè fatua sint nostri sæculi iudicia, in ijs maximè reperiuntur, quæ ad iudicium spectant. Inde est, quod scioli quidam, & minimæ eruditionis homines, inanes quasdam subtilitates denuò inuentas, suo ingeniolo amplectentes, solidiora antiquiorum fundamenta respuant stomacho nauseabundo. Solent .n. hi in conuentu illiteratorum hominum iactitare: sæcula in melius adolescere, & quæ prius rudiora, & exilia à primis scientiarum authoribus exiere, politiora, & ingentia fieri à quibusdam nostri temporis scriptoribus. Sed quàm falsa opinione istiusmodi scioli intumescant, facilè videre est ex inani multorum doctrina, qui fontes limpidissimos deserentes, insectantur riuulos, qui vel lutulenti fluunt, vel torrentis more solo strepitu animosi in bullas, & ampullas euanescunt. Non ita illa totius Europæ lumina, viri scilicet in omni scientiarum genere exculti, qui vt egregia volumina Typis in lucem ederent, & ad culmina eruditionis peruenirent, præclaris maiorum normis adhærentes, solidiorem doctrinam suis scriptis in futura sæcula diuulgarunt. Hi sunt, qui in Philosophia, Aristotelem; in Theologia, Augustinum, & Thomam; in iuris prudentia Bartolum, & Baldum, & in alijs facultatibus alios primarios viros, in sua quemque, consuluere. Est diuinum oraculum de hac re monens Deuteron. 32. num. 7. Interroga maiores tuos, & dicent tibi. Quis enim miles non audito duce, prælium commisit, qui victoriam gloriosè reportauerit? Quis nauclerus non obseruato sydere nauigauit, qui portum feliciter tenuerit? Quis redemptor non iacto prius stabiliori cæmento ædificauit, qui ædificium securè erexerit? Quod militi dux; quod nauclero sydus; quod redemptori cæmentum, sunt primæ illæ primorum hominum in scientijs regulæ, bonas litteras, vel docenti, vel edisceuti. Sine duce profligatus euadet exercitus; sine nauclero nauis ad scopulos ællisa miserè naufragabitur; sine cæmento in terram corruent ædificia. Quapropter operæ pretium facturum duxi, si ex optimis, quæ olim Principes in scientijs viri scripsere, selectiora colligerem in hoc opusculo, & ea eo alphabetico ordine digererem, vt tibi in inquirendo fastidium, & vmbras in legendo tollerem. Apolecta vtriusq; iuris placuit nominare hunc libellum, meas aliquot annorum lucubrationes, quas non solum ad cathedræ theorema, sed etiam ad praxim fori perutiles fore existimo. Et quando meo hoc sudore non alia consequi possim, sors mihi erit, si meis, multorumq; votis satisfaciam, qui egregia maiorum dogmata, tanquam quædam oracula venerantur; dolentes quod tantum indoctorum hominum vitium, in quibusdam nuperis scholis, more gangrenæ in dies serpat, graui ediscentium iactura. Vide *Socin. iun. cons. 43. volum. 1.* Et vale.

Qui legitis nostri formam, normasque libelli,
Parcite dente, precor, non tamen vngue, notis.

Imprimatur.

Victorius Alatinus Vic. For. & Dep. ab Illustriss. & Reuerendiss. D. Episc. Anania Sutr. & Nep.

Imprimatur.

Fr. Petrus Adami Ord. Carm. Sac. Theol. Mag. & Reuerendiss. P. M. Sac. Pal. Apost. Vic.

PRIVILEGIVM.

ALEXANDER PP. VII.

D FVTVRAM REI MEMORIAM. Cùm sicut Nobis exponi nuper fecit dilectus filius Alphósus Perez Pacheco Presb. Elboren. Diœc. ipse quendam librum à se compositum, ac ininscriptum *Apolecta vtriusque Iuris* in Terra Roncilionis Sutrin. Diœc. Typis mandari curauerit, seu mandare intendat: vereatur autem ne alij, qui ex alieno labore lucrum quærunt, eundem librum imprimi facere curent in ipsius Alphonsi præiudicium: Nos eius indemnitati ne ex impressione huiusmodi aliquod dispendium patiatur, prouidere, illumque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicat. suspen. & interd. alijsque ecclesiasticis senten. cen. & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequen. harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes supplicationibus d. Alphonsi nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Alphonso vt decem annis proximis durantibus à primæua d. libri, dummodo tamen antea ille ab Ordinario Sutrin. approbatus sit, impressione computandis nemo tam in vrbe, & in reliquo statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè subiecto, quàm extra illum vbique locorum librum sine speciali d. Alphonsi, aut eius hæredum, vel successorum, vel ab eis causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs impressum vendere, seu venalem habere, seu præponere possit, & valeat Apostolica auctoritate ten. præsen. concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus præsertim librorum Impressoribus sub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & typorum omnium pro vna Cam. nostræ Apost. ac pro alia eidem Alphonso, & pro reliqua tertijs partibus accusatori, & Iudici exequenti irremissibiliter applicandis, & quoad personas extra Statum nostrum degentes sub excommunicat. latæ sent. eo ipso absque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne dd. decem annis durantibus librum prędictum, aut aliquam eius partem, tam in Vrbe, quàm in reliquo statu Ecclesiastico. ac aliàs vbiuis locorum sine huiusmodi licentia imprimere, aut alibi ab alio, vel ab alijs impressum vendere, aut venalem habere, seu proponere quoquo modo audeant, seu præsumant. Mádantes propterea venerab. fratr. Patriarch. Archiep. & Episc. necnon dilectis filijs nostris, & Apost. Sedis Legatis, seu Viceleg. aut Præsid. Gubern. Prætor. & alijs iustitiæ Ministris Prouinciar. Ciuit. Terrar. Locor. Status nostri Eccles. quatenus eidem Alphonso, eiusq. hh. & success. seu ab eis causam haben. huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten. quandocumq; ab eod. Alphonso, seu alijs prædictis fuerint requisiti pœnas prædictas contra quoscunque inobedien. irremissibiliter exequantur. Non obstan. Constit. & Ordin. Apost. ac quibusuis Statutis, & cósuetud. etiá iuramẽto confirmatione Apostol. vel alia quauis firmitate roboratis, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apost. in contrarium premissor. quomodolib. cócess. confirm. & approb. cæterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, & in quolibet libro huiusmodi impressis manu alicuius Not. pub. subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Eccles. constit. munit. eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentib. adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Petrú sub Annulo Piscatoris Die 17. Februarij 1657. Pontificatus Nostri Anno secundo.

G. Gualterius.

ADM. R. P. MAGIS. F. PETRI ADAMI CARM. LVGEN.

AD AVTHOREM ELOGIVM.

ALPHONSVS LVSITANVS I.C. CLARISSIMVS

APOLECTAM edit in lucem viridibus coloratam pigmentis, amœnis

refectam delicijs, herbis indutam virentibus, floribus ornatam

candidulis, fontibus irriguam conspicuis, pomiferis

arboribus consitam, nemoribus coronatam

opacis, felicissimis distinctam

areolis.

Omnibusque Naturæ donis

accumulatam.

PICTOR HIC COVS

ASTREÆ Imperium floridissimum scribendo delineans

Legum obscuritatem dispellit, veritatis lucem præsefert,

Litigij impetus retundit,

Quæque iusta, Quæque æqua

tuetur conscribens.

Exigua haberetur APOLECTA,

nisi in magnis Legum limitibus contineretur;

nisi Leges in angusta APOLECTA efflorerent.

Milesij hic tondent, pectunt hic Seres,

hic Phryges suunt, hic Babilonij texunt,

Hic

Tyrij colorant.

Vide, & saturabere,

perflorida adumbrata

A P O L E C T A

Elegantissima.

ADM. R. P. PETRI ADAMI CARM. LVCEN. SAC. THEOL. MAG.

AD APOLECTÆ AVTHOREM

EPIGRAMMA.

EXanimis scriptis animantur Nomina clari
ALPHONSI, causas cessat in Orbe Forum.
Vtraque Iura docens auratis tollitur Astris,
Quæ dant mitæ decus, dant animata Polum.

Ejusdem ad eumdem.

TV Iuris nexus perstrictè, ALPHONSE, resoluis,
Dum Legis strictos dant tua scripta modos.
Virtutem tantam nostræ admirabitur Aetas:
Quicquid habent Leges, vna APOLECTA tenet.

Eiusdem ad eumdem.

SI Leges omnes cupias conuertere in vnum,
Omnibus hoc vnum Legibus est sat Opus.
Nam breuis ALPHONSO laudes APOLECTA perennes
Dat: breuè, qui scribit, dignior ille docet.

Eiusdem in Authoris Librum.

HIc Liber ALPHONSI partus ditissimus Orbem
Edocet ignarum Iura adhibenda viris.
Qui Iuris radijs, qui Iuris luce decorus
Ingenij tenebras perfugat ore rudis.
Perbreue formæ Opus virtute sub auspice fulget
Iuris: quòd virtus auspice Lege, nitet.

IN AVTHOREM ELOGIVM.

* * * * * *

Alter Pacheccus Lusitanus
Hic est.
Primus Orientis MARS.
Secundus Occidentis MERCVRIVS.
Ille armorum FVLMEN:
Hic iuris prudentiæ FLVMEN:
Ille sago: hic toga maximus.
CEDANT ARMA TOGÆ.
Ille armorum TERROR:
Hic Scientiarum DELICIVM.
Ille potens GLADIO: hic CALAMO.
Ille PATRIÆ decor: hic decus.
Ille bello præclare gestis grandia, Lusitaniæ
Peperit.
Hic Legum scriptis parta conseruauit.
Quid gloriosius; quid reipublicæ vtilius?
Vtraque virtus magna;
Maior tamen, quæ chartam minio, quam quę
hostium gladios ciuium tinxit sanguine.
Ille ingentes edidit barbarorum strages:
Hic obliuione deleta ad vitam lucis
Reddidit.
Ille Lusitanum nomen in Asia formidabile;
Hic in Europa fecit amabile.
Formido cedat amori
Ille triumphis barbarorum NOBILIS
Hic Sapientum NOBILIOR
Ille Ferro trophæa sibi erexit magnifica:
Hic exegit monumentum ære perennius.

INgenij huic acies, acies illi edita ferri est:
Ingenium; pariterque ensis acumen habent.
Quantum igitur ferrum superat pretiosius auro
Ingenium tantum est maior hic; ille minor.

DOCTOR GREGORIVS DE PINA
VLYSSIPONENSIS.
Quæ animo de Authore vigentia con-
ceperat, hoc breui Elogio
non potuit exprimere.

Clarissimo, & Amplissimo Viro

ALPHONSO PEREZ PACIECO

Iurisconsulto Authori.

ADM. R. P. F. FRANCISCI DE MACEDO LVSITANI
Ordinis Minorum S. Francisci

EPIGRAMMA.

QVæ fuerant sparsa per vasta volumina leges
Colligis, & summa das breuiore legi.
Quot Leges Orbi fulsere, tot Astra micarunt:
Perque Orbem Doctum fuderat illa manus.
Verum vti non vincunt vaga sydera nocte tenebras
Sic nox dispersis Legibus alta fuit.
Nunc tamen in summam sparsas dum colligis author,
Inque vnam redigis lumina multa facem.
Instituis solem, noctemque è Legibus aufers.
Iusque suum per te cœpit habere diem.

SEDVLO LECTORI

IN LAVDEM OPERIS, ET AVTHORIS

D. ANTONII RODERICI
PEDROZO I. V. D.

EPIGRAMMA.

ET speculum, & Legis faciem lege, candide Lector;
Legem in vtroque leges, nec potes eligere.
Legem Author speculo sic reddit; sicque figuram
Authoris speculum reddit apertè sui.
Quòd speculo impressit priùs in se expressit: ad vnguem
Quanta legis Legis dogmata, tanta vides.

Eius-

Einſdem

DOCTOR ALPHONSVS

Tanti Operis Author, legis edens ſummam,
ſumma famæ luce renidet.

EPIGRAMMA.

VELATVR Moyſi facies vallata nitore,
Dum datur è montis vertice Legis apex:
Sic Legis viuis animata figura figuris
Vt tot defficerent lumina luminibus?
Quòd via Lex pateat, lucet obuia gloria vultu?
Vel quia mortales quæque negata petunt?
Vel quia Lex iubeat proprium obuelare nitorem?
An velo Legis vela, vel ala patent?
Vel quia, quæ vultu radiabat solis imago
Cedit ad oppoſitæ lumina Legis erit.
Legifer Alfonſus nunc fama luce renidet?
Non velo ad Legis lumina vela legit.
Eſt quia [illegible] populus [illegible], amice
Cereus ad Legis dogmata luce liquet?
Vel quia Lex [illegible] [illegible] [illegible] ab astris?
Vel quia de Quercus [illegible] vigore viget?
Vel quia te moderante micat, tua Maxime ab omni
Lucida parte, [illegible] dogmata ſignat? erit.
Legifer ecce tuo ſeno exit vertice: velum
Exudet hinc Quercus ſi fauet umbra tuo.

AD LECTOREM

D. FERDINANDI NVNES LVSITANI

EPIGRAMMA.

QVI cupis obſcuros nexu diſſoluere nodos,
Et benè conſultus non ſine lege loqui,
Perlege iuridicos inter viridaria flores
Florea tam miros quos Apolecta dabit;
Extrahit Alphonſus cunctarum nuclea Legum,
Quas Pandectarum continet Oceanus;
Nec non Pontificum quot ſunt decreta piorum
Explicat, & gloſas ingenioſè notat;
Ergo ſi gratus fragrantia munera libas
Tam tibi, quàm multis mellificabis apis.

AD AVTHOREM

Eiusdem.

OMNES Pachecos Orbis dignatur honore,
Fama sed ex cunctis tollat ad astra duos;
Ille Asiam intrauit primus victricia signa
Cuius adhuc memorans Indica terra timet:
Fecit in Europa, si non tam mira secundus,
Iura tamen florent culta labore suo:
Bellum alter gessit; pacem complectitur alter,
Splenduit hic ferro, fulget & ille toga.
Sic Iunioris erit maior nunc gloria, namque
Cedere iam paci horrida bella solent.

AD LIBRVM, ET LIBRI AVTHOREM

D. HORTENSII BVBALARII RONCILIONENSIS

EPIGRAMMA.

IVS quod tota iubet, lex quæ per sæcula splendet,
His gaudent folijs, hìc dare iussa volunt.
Docta manus penna, famâ quam vulsit ab alis;
Hùc vasto molles ex Mare duxit aquas.
Hìc solium tenet Astræa, & monimenta Lycurgus,
Quæ sunt à Christi clarificata fide.
Si noua iura tibi, ò Latium, sit iura videndi,
Legifer ecce PEREZ, Romulus alter adest.

IN

INDEX VERBORUM.



De-

In-

Ob-

Res

APO-

APOLECTA VTRIVSQVE IVRIS.

Abbas, Abbatissa.



ABBATVM electio debet fieri de illis, qui optimi fuerint Monachorum, non verò per ordinem eorum, qui primi sunt; sic disponente *tex. in Auth. de Monach. §. vlt. coll.* 1. in hæc formalia, & expressa verba. Abbatem non per ordinem Reuerendissimorum fieri Monachorum, nec omnino eum, qui post primum est, mox Abbatum fieri, nec qui post illum est secundus, neque tertium, aut reliquos &c. Sed Deo amabilem &c. percurrere quidem consequenter per omnes, (non enim exhonorandum est omnino tempus, & ex eo ordo) & eum, qui apparuerit prius optimus inter Monachos constitutus, & dignus præsulatu eorum, hunc eligere: Eo quòd natura humana talis est, quòd nec omnes per ordinem inter summos, nec rursus omnes inter nouissimos constituti quidem sint &c. qui verò prior mox inter numeratos optimus apparuerit, is Abbas fit.

Si quis Abbas cautus in regimine, humilis, castus, misericors, discretus, sobriusq; non fuerit, ac diuina præcepta verbis, & exemplis non ostenderit &c. à suo arceatur honore; sic disponit *tex. in capit. Si quis 18. quæstione 2.*

Abbas venit appellatione Monachorum, sicut & Capituli Decanus &c. *Glos. in Apostil. ad cap. vlt. de Simon.*

Abbas imperabit Monacho, vt ferat testimonium pro Collegio, *glos. in leg. idonei ff. de test.*

Vnde videtur, quòd sit nomen honoris, & nihilominus oneris, & laboris: Vnde dicit Gregor. Omne enim, quod hic eminet, plus afficitur mœroribus, quàm honoribus gaudet; *glos. vlt. in cap. penult. de corpor. vit.*

Vnde cum locum ipsum obtinere non possit in generali Concilio, nec in prouinciali: Quoniam absonum esset, vt Abbas primus post illum super alios Episcopos resideret, *cap. ex ore 17. de priuil*

Correctio enim Monachorum primo loco pertinet ad Abbatem &c. *glos. sal-*

 ua

na sua regula in capit. vlt. de offic. Archid.

Sic & Abbas potest excommunicare, & habet Iurisdictionem &c. & hoc omnes concedunt, nisi consuetudo faceret contra tales &c. Et quia hoc non est Ordinis, sed iurisdictionis &c. Et illud generaliter traditur, quòd quilibet Prælatus Collegiatæ Ecclesiæ, licet subsit Episcopo, est tamen iudex ordinarius in plebe sua, & habet Iurisdictionem cognoscendi, & excommunicandi *Gloss. verb. Ecclesiastica in cap. 3. de offic. Ordin.*

Quòd Abbati tenentur obedire Monachi, lite pendente, vide *verb. Prælatus .n.*

Sic & Abbas debet recolligere Monachum suum, ne damnabiliter euagetur, ne pereat &c. quòd si non fecerit, & ille in sæculo remanens acquirat aliqua; & sic moriatur; Monasterium, quòd neglexerit illum, ab ipsius bonis maneat segregatum &c. Quod crederem, si Monasterium ipsum expulit, vel etiam si redire voluit, salua ordinis disciplina, & non fuit admissus, quia sic impiè alimenta negauit, *Glos. pen. in cap. vnico de infant expos.*

Ad quæstionem Monachi fugitiui,& Syndici quondam accipientis mutuam pecuniam, quòd Abbas teneatur &c. Sic *glos. in l. Si non sortem 26. §. qui filio ff. de condit. indeb.*

Abbate, & Priore nomine suo, & in animas Conuentuum eorumdem, vel maioris, & Sanioris partis ipsorum, recepto iuramento de veritate dicenda &c. Sic inquit *cap. 2. de test. lib. 6. vbi gloss. verb. Conuentuum ita dicit*; Nota ius nouum, vt prælatus iuret in animam suam, & fratrum, vel maioris partis; Olim solus Prælatus præstabat hoc iuramentum.

Sic Abbas potest præscribere iura Episcopalia contra Episcopum, vt &c. *Gloss. verb. Munitum in cap. Cum olim 18. de præscript.*

Abbas negligens potest priuari *Glos. in Apostilla per tex.* ibi. *in l. 3. C. de offic. præfec. præt. Aphric.*

Dicas, quòd Abbatissa habet iurisdictionem talem, qualem: Non ità plenam, sicut vir habet. Dicas ergo, quòd potest suspendere ab officio, & beneficio Monachas suas, & Clericos suæ Iurisdictioni subiectos &c. habet enim administrationem temporalium & Spiritualium &c. Et potest dici, quòd nec ab officio potest suspendere, nec interdicere; quia & hoc pertinet ad Claues &c. quia non fæmineo sexui sed virili traditæ sunt Claues Regni Cælorum, *Glos. 1. in cap. Dilecta 12. de maior. & obed.* Et licet habeat Clericos subiectos,non facit vnum corpus *vt infra in verbo corpus.*

Corrupta non potest in Abbatissam eligi, &c. Non enim posset corrupta virginitatem hortari &c. Ergo non præsit virginibus *glos. Rationalibus in Clem. 2. de stat. Monach.*

Absens, Absentia, & Abesse.

G*loss. in l. Præsens 5. ff. de procur.* Sic ait, Nota, quòd multis modis dicitur quis absens secundum diuersos tractatus. Vno, vt hic, & infra *de verbor. signif. l. Absentem*. Secundò, qui à iudicio abest, vt infra &c. item Tertio, qui in alia est prouincia, &c. Quarto,qui vocem alterius non potest exaudire.

Et *gloss. vlt. in l. vlt. ff. de restit. in integr.* Ita Dic quinque esse genera absentiæ. Prima probabilis, & necessaria, vt Militiæ; Secunda probabilis tantùm, vt Studiorum. Tertia necessaria tantùm,vt in Relegato. Quarta voluntaria sine contumacia, vt Mer-

Mercator, vel alius non Contumax. Quinta vt per Contumaciam.

Nota qualiter, quis dicatur præsens, vel absens ratione prouinciæ. Aliàs est absens, qui extrà iudicium est &c. Aliàs, qui audiri non potest &c. Quarto. Qui est extrà hortos &c. ità ponit glos. *verb. Inter absentes in l. vlt. C. de præscrip. long. temp. Et in Auth. de fideiuss. §. 1. verb Præsens coll.* 1. Cuius verba expressa habes infrà *verb. Præsentia.*

Dici etiam potest absentia probabilis, & necessaria illa, de qua loquitur *Conc. Trident. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. in illis verbis. Nam cum Christiana charitas, vrgens necessitas, debita reuerentia, & euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas aliquos non nunquam abesse postulent. Et etiam illa, de qua loquitur *cap. vnico de cler. non residen. in 6.* ibi. Exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta, & rationabilis corporalis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret.

De probabili autem tantùm sic ait *gloss. verb. Responsalem in cap. Cum dilecti 6. de dol. & contum.* Et si ex causa probabili absens est, non proceditur contra eum diffinitiuè.

Si verò fuerit causa probabilis, & necessaria, quoad aliquos iuris effectus pro præsente habetur, qui abest, ità disponente *tex. in cap. Ad audientiam* 15. *de cleric. non resid.* ibi. Cum absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, & ipsius Ecclesiæ seruitio commorantur, & *Gloss. verb. Deductione per tex. ibi in l. hac lege C. de proxim. Sacr. scrin. lib.* 12. ibi. Videtur adesse, qui abest licito commeatu quoad prębendam, & sic facit pro Clericis absentibus.

Ex iusta causa abesse eos demum dicendum est, qui non habent iniustam causam absentiæ: Cum sufficiat, quòd non in fraudem libertatis absint; quò magis videantur ex iusta causa abesse. Cæterum non est necesse, vt Reipublicæ causa absint, sic prædictis expressis verbis inquit *Iurec. in l. Si eum §. si quis ff. de fideicom. libertat.*

Nec est necesse, quòd à Principe impetretur restitutio, quando datur absentia probabilis, & necessaria, cum de iure remedium ordinarium detur. Et ità in terminis constituerunt Imperatores *in l.* 2. *C. quib. non obijc. long. temp. præscrip.* ibi. Non necessariò autem petis &c. quando iustæ absentiæ ratio, & necessitatis publicæ obsequium ab huiusmodi prȩiudicio te defendat.

Nec enim minus abesse Reipublicæ causa intelligendus est, qui adit negotium, vel ab eo reuertitur *l. tempus* 4 *ff. de vac. muner.*

Nec enim æquum visum est absentes Reipublicæ causa inter reos referri, dum Reipublicæ operantur *l. si maritus* 15. *§. legis Iuliæ ff. de adulter.* Nec potest videri deterior fieri conditio eius, qui Reipublicæ causa abfuerit *l. Sepulchri* 6. *ff. de Sepulchr. viol.*

Cæterum, si quis euitandi criminis sui causa id egerit, vt Reipublicæ causa abesset, nihil illi commentum hoc proficiat *l. Si maritus* 15. *§. legis Iuliæ ff. ad l. Iul. de adult.*

Cum quasi absente decretum fuisset interpositum iusta ex causa eum abesse, is autem mortuus iam esset. Imperator noster rescripsit in hæredis personam transferendum decretum: Eoq; loco ius eius esse: Quasi hunc ipsum ex eadem causa abesse pronunciasset ità *l. Cum quasi* 30. *ff. de fide comm. libert. & ibi glos. Sic*; Et sic sententia, vel decretum vna parte mortua tenet.

Cum non voluntatis tuæ arbitrio, sed necessitate profectus sis quicquid contra te absentem statutum fuerit, quando absentiæ causa necessaria fuit officere

sibi ratio iuris non permittit, sic disponit *l. penult. C. quomodo, & quand. Iud. Et est reg. in l. 1. ff. de requir. re.* ibi. Ne absentes damnentur. Nec enim inaudita parte, quenquam damnari æquitatis ratio patitur. *Et cap. Omnia 3. quæst. 9.* Sic. Omnia, quæ aduersus absentes in omni negotio, aut loco aguntur, aut iudicantur omnino euacuentur, quoniam absentem nullus addicit, nec vlla lex damnat.

Eorum, qui bona fide absunt, ius non corrumpitur, inquit *l. In noxalibus 30. ff. de nox. action.*

Sed cum proponas eum abfuisse, iniquum est auferri ei electionem, sicut pignus, aut priuilegium, qui potuit præsens id ipsum proclamare *l. Si præcedente 58. §. vnic. ff. mandat.*

Absens dissentiens esse dicitur, vt &c. & ità dicit Glos. *verb. Creditorum in l. rescriptum ff. de pact.*

Magis enim propter absentiam euictus videtur, quàm quod malam causam habuerit *l. si ideo 55 ff. de euict.*

Sola absentia non est causa priuilegij, sed absentia cum læsione. Præscribens ergo licet sit absens, non læditur, & sic non est priuilegiatus, & etiam non restituitur, ità *Glos. vlt. in addit. in leg. vlt. ff. ex quib. cau. maior.*

Excusationes absentium ex Senatusconsulto iudicibus allegantur, & si iustam rationem habent, sententia differtur. *l. Accusatore 13. §. ad crimen ff. de publ. iud.*

Pro absente potest Iudex supplere de facto, vide *verb. Iudex.*

Non præiudicatur per præsentes plures, absentibus paucioribus. &c. dicit *Glos. verb. Aliqui in Auth. vt sponsl. larg. §. ad hac coll. 9.*

Vbi præsentia necessariò desideratur, absentia annullat, quod actum est: Vbi verò propter honestatem, vel vtilitatem tunc non vitiat, vt inquit *Gloss. verb. solummodo in cap. Causam matrimonij 16. de offic. deleg.* cuius textus verba ponuntur in *verb. Præsentia.*

Euocandi scilicet de prouincia &c. in his autem vocationibus, de quàm longinquo fiant, statur consuetudini, vt &c. Et nota ex hac littera, quòd in alijs contractibus Ecclesiarum, quàm electionibus non debent vocari absentes *Gloss. Euocandi in cap. Quamuis 8. de offic. Ordin. in 6.* In causa verò Pupilli, Tutore absente, dicit *l. vlt. ff. vbi pupil. educ.* hæc verba, Euocatis affinibus, ac amicis tutoris, prætor edicto proposito, causa cognita, etiam absente tutore &c. decernet, vbi *Glos.* sic nota, vocandos amicos absentis, cum aliquid debet fieri in eius præiudicium.

Et potuit præsentia eius trahere eos in alienam sententiam inquit *l. si in tres 20. ff. de recept. arbitr. vbi Gloss. vlt.* Sic ait; Nota hic, quòd plus facit absentia, quàm præsentia cum contradictione, vide *l. 2 ff. solut. matr. &c.* Et sunt omnes isti casus speciales. Alias autem, quòd potest fieri, te inuito, multò magis te absente, vel ignorante, vt infra &c.

Id ei abesse videtur, in quo obligatus est, inquit *l. si quis 29. in fin.* & ibi notat *Gloss. ff. de negos. gest.* idem *Gloss. in l. vlt. ff. de contract & vt act. tut & Gloss. in l. Socius 15. ff. comm. diuid.* Nam hactenus mihi abesse res videtur, quatenus sum præstaturus. dixit *Iurec. in l. Plane 34. §. quod si rem ff. delegat.* 1. Abesse res videntur etiam, quando earum corpus manet, sed forma mutata, habes *verb. Res.*

De Prælato absente electo, quòd expectetur, sic dicit *cap. Quoniam frequenter 5. §. Porrò vers. Si verò vt lit. non contest.* Si verò aliter absens fuerit, & agatur de spirituali coniugio &c. Volumus obseruari, quod super expectatione talium personarum in Sacris est Canonibus diffinitum, vbi *Glos. verb.* Cano-

Canonicus hæc. De hac absentia variè loquuntur Canones, quidam dicunt de duobus mensibus &c. quidam de tribus septimanis &c. Quidam de quinque annis &c. Quidam de tribus &c. quidam de quinque mensibus &c. quidam de vna hora.

Si autem de carnali coniugio (inquit idem tex.) sit agendum, tamdiu alteruter coniugum expectetur, donec de ipsius obitu verosimiliter præsumatur. Et ibi *Gloss. verb.* Præsumatur, sic, per famam, quia senex erat, vel etiam quia in acie fuit, nec rediit, præsumitur, quòd his casibus sit mortuus &c.

Ex longa absentia, præsumitur prouenire obliuio, dixit *Gloss. in verbo vel longo l. furtum 37. ff. de vsucap.*

Absentis possessio, quando turbetur, vide *verb. possessio*.

Absentis potest etiam dolus malus esse, *l. 4. §. Hoc autem edicto ff. de vi bon. rapt. & ibi Glos. Absentis, ità, & absenti fieri, &c.*

Nec alterius absentia alteri nocere debet, dicit *Glos. verb. Noceat in l. Electio 26. §. Si absente ff. de nox. act.*

Et ei, licet absenti cum de subreptione liquido constet &c. perpetuum silentium imponentes *cap. cum olim 12. de re iud. vbi Glos. ità*. Quia Papæ constitit de subreptione, ergo ei, absenti licet non citato imponit silentium, propter fraudem suam, quia decepit Papam.

Absens legitimè citatus præsumitur contumax, si non venerit &c. Sed talis præsumptio potest elidi per aliam præsumptionem &c. Et inde est, quòd per præsumptiuam probationem, & minus plenam eliditur præsumptio contumaciæ; Vnde per Sacramentum vnius potest probare se non contumacé: Nam violenta præsumptio eliditur per iuramentũ &c. tamen hoc iuramẽtum non facit plenam probationẽ, *glos. Plenum in c. Ex litteris 4. de integ. rest.*

Abrasio.

Dicimus, quòd propter abrasionem illam iudicari falsę non possunt, nec etiam haberi suspectæ &c. & litteræ in narratione facti (Si erratum est) possunt incunctanter abradi *cap. 3. de fide instrum.*

Consumptio, vel abrasio in nominibus Iudicum in data, in remotione appellationis obest &c. *Glos. Consumptum in cap. Inter dilectos de fid. instrum.*

Abrasio ædificij quando fiat, vide ibi *ædific.*

Absolutio.

CVM promptiora sint iura ad absoluendum, quàm ad condemnandum, præter quàm in liberali causa, inquit Papa *in cap. 3. de probat. & Imperator in cap. Ad hoc bis finit. l. in vsib. feud.* sic ait; Et promptiores sumus ad absoluendum, quàm ad condemnandum, vbi Glos. notat sic; Nisi pro libertate, & pro re priuilegiata &c. tunc enim magis condemnare, quàm absoluere debemus.

Non possunt ab alio absolui, quàm à Papa. Et si hoc non expressisset, perpetuò potuisset Ordinarius ipsum absoluere &c. *Glos. vlt. in cap. Præsenti 10. de sent. excomm. in 6.* Nam (vt inquit *Gloss. vlt. in Clem. 2. de stat. monach.*) absoluit Ordinarius, ex quo Papa non reseruat.

Nota hìc, quòd eo ipso, quòd quis petit absolutionem, per consequens se confitetur excommunicatum, nisi ad cautelam fiat *Gloss. verb. Postulauit in c. venerabilem 34. de elect.*

Hodie verò statim debet absolui; & postea cognosci de causa excommunicationis, nisi in casibus &c. Et nisi, quis excommunicatus sit pro manifesta

sta offensione *Gloss. verb. Donec in cap. 1. de iudic* & ità etiam dicit *Gloss. verb. Satisfactum in cap. ex litteris 29. de offic. deleg.* in hæc verba. Hoc obtinet, vbi, quis excommunicatur pro crimine, siuè pro manifesta offensa, vt prius satisfaciat, quàm absoluatur &c. Si verò pro contumacia, vel occulto delicto, statim debet absolui præstito Iuramento, quod stabit mandato Ecclesiæ. Sic ergo, vbi non proceditur ob crimen manifestum, vel notoriam offensam debet ante omnia absolui, vt in expresso, inquit *Glos. verb. Donec in cap. 1. de iudic. in his verbis.* Hodie verò statim debet absolui, & postea cognosci de causa excommunicationis, vt suprà. *Et in cap. Cum contingat 36. de offic. deleg.* per hæc optima verba inquit Papa. Cum etsi pro certo constaret rationabiliter in illum excommunicationis sententiam promulgatam, nihilominus esset ei absolutio impendenda humiliter postulanti.

Qui potest ligare, & absoluere potest, & è conuerso &c. item est hic argumentum, quòd si Papa mandat alicui, vt excommunicet aliquem, potest absoluere illum: quia excommunicatio, & absolutio pari conditione censentur, vt cui vnum committitur, & reliquum &c. Sed hoc non credo, si hoc sibi tantùm, quasi executori committatur, cum ad certum articulum datus sit executor ità dicit *Glos. verb. ligare in cap. Cum inferior de maior. & obed.*

Absoluendi potestas an deuoluatur ad Capitulum, Sede vacante? Vide in verbo *Capitulum*.

Nec dicitur absolutus, qui causam absolutionis supprimit &c. ità *Glos. 2. in c. non est 5. de vot.*

Absolutione facta, & finito iudicio, amplius agens exceptione rei iudicatæ summouebitur. Quia res in superius iudicium deducta, & finita est, dixit Iureconsultus *in l. 4. §. Si detracta ff. de nox. action.*

Pro complemento notabis hunc optimum textum Vlpiani *in l. Denunciasse §. vlt. ff. de adult.* vbi inquit; Si absolutus fuerit, mulier per eum vincet, nec vltra accusari potest. Si condemnatus fuerit: mulier per eum non est condemnata, sed aget causam suam: vt fortassis obtinere, vel gratia, vel iustitia, vel legis auxilio possit. Quid enim, si adulter inimicitijs oppressus est, vel falsis argumentis, testibusque subornatis apud Præsidem grauatus, qui aut noluit, aut non potuit prouocare: Mulier verò Iudicem Religiosum sortita pudicitiam suam defendat.

Abstinentia.

ABSTINENTIA habes verbo *Cibus*.

Absurdum.

ABsurdum est, illum commoda hæreditatis habere, alium onera substinere in præstando legato, *l. is qui 15. §. vlt ff. de præst. legat.*

Cum sit absurdum eiusdem hæreditatis partem quidem agnoscere, partem verò respuere *l. unic. §. his ita C. de caduc. toll.*

Tu tamen nota, quòd aliquando minus absurdum admittitur, vt maius euitetur, prout aliàs dicit *Iureconf. in l. Si ita 52. ff. ad l. Aquil.* per hæc verba, Quòd si quis absurdè à nobis hæc constitui putauerit, cogitet longè absurdius constitui neutrum *l. Aquilia* teneri, aut alterum potius, cum nec impunita maleficia esse oporteat &c. Multa autem iure Ciuili contrà strictam rationem disputandi pro vtilitate communi recepta esse.

Abu-

Abusus, & Abutens.

DVodecim sunt abusiones Claustri, quibus tota Religionis massa corrumpitur. Prælatus negligens, discipulus inobediens, Iuuenis otiosus, Senex obstinatus, Monachus Curialis, Monachus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in Claustro, lis in Capitulo, dissolutio in Choro, irreuerentia circa Altare. Ita *Glos. verb. Curias in Clem.* 1. *§. Quia verò de stat. Monach.* Et certè his nostris temporibus magnopere viget abusus ille, scilicet Monachus Curialis, & causidicus, plena etenim est Curia istis Monachis, quod quidem ægrè ferendum est, de hoc vide etiam verb. *Monachus*. Et eadem Glos. ità subnectitur dicens. Scire debet, quòd Ciprianus librum fecit de duodecim abusionibus sæculi dicens, quòd sunt hæ. Sapiens sine operibus, Senex sine religione, adolescens sine obedientia, diues sine eleemosyna, fœmina sine pudicitia, Dominus sine virtute, Christianus contentiosus, pauper superbus, Rex iniquus, Episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege.

Vnde talis vsus sine aliquo iure dici non meretur vsus, sed abusus &c. *Glos. verb. Non iuxta in Etrauag.* Cum inter de *verb. signific.* vbi portat hos versus.

Tempus longæuum te non excusat in æuum.
Cum malè sis vsus, quia non perscribit abusus.

Quòd autem abutens amittat priuilegium, gratiam, seu facultatem, probant iura sequentia. *Primo in cap. vbi ista 74. dist.* ibi. Nam priuilegium dignitatis meretur amittere, qui permissa sibi abutitur facultate. *Et in cap. Sic decet 25. quæst. 2.* ibi. Vt, quod habuit, amittat, qui improbabili temeritate, quod non accepit, assumpsit, & in *l. Qui sine 40. ff. de negot. gest.* sic ait Iureconsult. Nam illi de quibus constitutum est, cum gratuitam certè integram, & abstinentem omni lucro præstare fidem deberent: Licentia, qua videntur abuti, maximis vsuris vice cuiusdam pœnæ subijciuntur, *vbi Gloss penult.* sic, Item nota, quòd punitur, qui illicitè vtitur præmissis.

Accessorium.

CVM sit accessio, extincto principali, & accessorium &c. Sic ait *Gloss verb. Ad vtrosque per tex.* ibi. *in l. Ex parte 40. §. vlt. ff. famil. hercisc.* & ità cassato principali, cassatur & accessorium &c. inquit *Gloss* verbo ob eos *in cap. Auditis 8. de procur.* & hinc dicit *tex. in l. Eos 26. C. de vsur.* hæc, principali enim actione non subsistente, satis super vacuum est, super vsuris, vel fructibus adhuc Iudicem cognoscere. Nàm quæ accessionum loco obtinent, extinguuntur: Cum principales res peremptæ fuerint, dicit *l. 2. ff. de priuil. l.* vt accessio cedat principali &c. Quoniam hoc expectamus, quæ res, cuius rei ornandæ causa fuerit adhibita, non quæ sit pretiosior *l. Et si 21. §. Perueniamus ff. de aur. & arg. l.* Nec refert (inquit *tex. in l. si in emptione 34. ff. de contrah. empt.*) Quanti sit accessio, siue plus in ea sit, quàm in ipsa re, cui accedit, siue minus. Pleraśq; enim res aliquando eminus propter accessiones, & ibi Apostil. sic *Bald.* notat istum textum, quòd inspicitur id, quod est principale, licet accessorium sit maioris valoris.

Limita tamen prædicta in homine, inquit enim *tex. in l. Iustissimè 44. de ædilit. ædic.*

ædic. Noluerunt hominem ei rei, quæ minoris esset accedere &c. vt ait Pedius, propter dignitatem hominem &c. ridiculum enim esset tunicæ fundum accedere.

Eo ipso, quòd Dominus seruo peculium constituit, etiam Vicarijs constituisse existimandus est. *l. Diffinitionem 6 ff. de pecul.*

Quòd liquidæ materiæ est (quia per se esse non potest, rapit secum in accessionis locum id, sine quo esse non potest dicit *l. 4. ff. de pen leg.*

Vnum accessorium trahit ad se alterum accessorium, inquit *Bald. per tex.* ibi *in l. Qui fundum 40. §. 1. ff. de contrab. empt.*

Quasi generale quid tenendum est, vt vbi ei obligationi, quæ sequelæ locum obtinet, principalis succedit, confusa fit obligatio: Quoties verò sunt duæ principales, altera alteri potius adijciatur ad actionem, quàm confusionem pariat, dicit *Iureconf. in l Si duo 93. ff. de solut.*

Glos. verbo, benedictionibus in cap. Cum in Ecclesia 9. de Simon. inquit sic. Argumentum, quod non idem est in accessorio, quod in principali: Nàm in eo textu disponitur, quòd si aliquid detur pro benedictionibus Matrimonij, est Simoniacum, cum si pro matrimonio ipso detur, non sic. Vt ibidem prædicta *Glos.* notat per iura, quæ tradit. Insuper altera *glos. in verb. Datur l. Sed Iulianus §. interdum ff. ad Maced.* sic dicit. Nota, quòd vbi principale non tenet, tenet tamen accessorium, vt *C. de prad. minor. l. Et si is.*

Accessus.

Quòd tempore treguæ non est tutus accessus, dixit *Glos. verbo vassalli in cap. Vassalli de pac. Constant.*

Accipere.

Accipere, & recipere sunt diuersa, vt habes verb. *recipere.*

Percepisse enim aliquid à muliere videtur hoc ità, si mortis causa donatura mulier, marito fecit acceptum, dicit Iureconf. *in l. si mulier 3. ff. de leg. 3.* Sunt enim paria dare, & accepto ferre &c. vt per *Gloss verb. Potest in l. Si fundum 83 ff de legat. 3.*

Cum accipiendum iudicauerimus hilares, accipiamus profitentes gaudium &c. Qui gratè beneficium accepit primam eius pensionem soluit, dixit *Senec. lib. 2. de benefic. cap 22.* Sunt namque plures, & aliquos ego noui, qui reputant sibi iniuriam fieri, quando aliquod beneficium sibi confertur, quod quidem, vel à superbia procedere videtur, vel ob auaritiam, ne teneantur referre. Non nego tamen, quòd ab omnibus non sit accipiendum, vt dixit idem Philosophus *d. lib. 2. cap. 18.* Sed reprobo modum prædictum in accipiendo.

Quisquis autem de accipiendo cogitat, oblitus accepti est. Nec vllum habet malum cupiditas, quàm quòd ingrata est, dixit idem *Senec. epist. 74.*

Acquirere.

Species acquirendi est liberare Dominum de obligatione sic *l. 11. ff. de acceptil.*

Nota, quem teneri ad acquirendum, & recuperandum. Sic in Domino, qui tributoria conuenitur, vt &c. Et in possessore malæ fidei, vt &c. Similiter etiam imputatur captiuo, si non redeat, cum possit, vt ei ius postliminij denegetur, vt &c. Aliud autem in eo, qui in fraudem creditorum non acquirit &c. *Gloss. Adipisci in l. 2. § Sed*

Digitized by Google

& si quid dolo *ff. de hered. vel act. vend.*

Et sic nec quæsitus videtur, cum parum sit duraturus, vt &c. *Gloss. verb. Manere in Auth. de nupt. §. Si verò solum vsumfruct. coll. 4.*

Actio.

NOta, quòd actio significat ad vtilitatem partis priuatæ, & ciuiliter; alias dicitur accusatio *Gloss. 1. in addit. §. 1. de pub. iudic. in Iust.*

Actiones, & earum Iura, vt in corporales constitutæ posśint, vbicumque ius suum, & effectum corporalem extendere, inquit *l. vlt. C. de præscript. long. temp.*

Personalem actionem contra debitores hæreditarios tibi decerni frustra postulas *l. 3. C. de hered. act.*

Eligere quis debet, qua actione experiatur *l. Quod in herede 9. §. 1. ff. de tribut. act. & in l. 5. §. 1. eod. tit.* Sic; Eligere tamen debere agentem, qua potius actione experiatur.

Quam actionem semel ex stipulatu habere cœpit, eam neq; euictione, neq; morte, neque fuga serui, nec vlla simili causa amitti *l. euicta 16. §. 1. ff. de euict.*

Actiones loco immobilium computantur dixit *Glos. in l. Sancimus 3. C. In quib. cau. in integ. restit.*

Potest quis agere sine actione, cum speratur oriri in contestatione, ponitur pro summario *l. Si Titius 9. ff. de verbor.*

Per libelli oblationem perpetuatur actio *Gloss. verb. Contestata in cap. Relatum 19. de offic. iud. deleg.*

Actiones pœnales litis contestatione transmittuntur ab vtraque parte, & temporales perpetuantur, habes *verb. litis contestatio.*

Actiones non dicuntur bonæ fidei, quia in eis tantùm seruari debeat bona fides: quia in contractu stricti Iuris seruari debet bona fides, & in quocumq; contractu bona fides interuenire debet &c. Ideo dicuntur stricti Iuris, quia non venit in eis, nisi quòd strictè exigit actionis natura. Vnde non veniunt vsuræ ex mora in contractibus stricti iuris, nisi specialiter sint promissæ &c. Sed in contractibus bonæ fidei veniunt vsuræ &c. In actionibus bonæ fidei multum exuberat officium Iudicium, & pinguius, quàm in actionibus stricti iuris, & istis rationibus dicuntur bonæ fidei, & aliæ dicuntur stricti Iuris. Numerus actionum bonæ fidæi, quæ sunt 17. patet ex his versibus.

Empti, conducti, mandati, depositiq;
Pignora cifcunda, communi pro socioque.
Dotis, & heredis, tutela, commoda gestor.
Præscriptis verbis, si mutat, siue dicetur.
Ista bonæ fidei sunt, stricti cætera iuris.

Et aduerte, quòd in primo versu per (empti) intelligitur, venditi, quia nunquam vnum est sine altero, & per (conducti) subauditur, locati, ità ponit *Gloss. verb. Bonæ fidei in cap. Cum venerabilis 6. de except.*

Si vna actio in alterius locum succedit, eius naturam assummit, ità summat *Bart. in l. 1. §.* Si sub conditione, vt legatorum nomine caueatur, per tex. ibi. Et huic stipulationi easdem causas, & conditiones inesse sciendum est.

Duas actiones dictamus protestati, ex altera nos velle consequi, quod nos contingit *l. 1. §. Quia autem ff. quorum legat.* in quo textu dicitur, quòd quando dubitatur, qua actione sit agendum conceduntur tunc duæ, Si verò certum sit plures competere ex eodem facto, & idem persequendo actione vna non

omnibus esse vtendum, vt hic per *Gloss. verb. Dictamus*. Hoc tamen erat de iure antiquo, vt dicitur *in l. 3. §. vlt ff. naut. caup.* ibi Sed magis est, vt vel officio Iudicis, vel doli exceptione, alterutra contentus esse debeat, *Et in l. 6. §. Possumus eod. tit.* ibi Sed vna contenti esse debemus. Idem *in l. 46. ff. locat. ibi* Sed alterutra contentus actor esse debet, & *l. pro socio 38 ff pro soc.* ità, Et altera actione alteram tolli. Proculus ait, & *Gloss. verbo contentus dicto §. vlt.* ità inquit. Vnde si altera, quæ de iure communi competit, intentatur, vt furti, beneficium prætoris æstimatur neglectum, vt infrà &c. Item, si beneficium proponatur communis, videtur esse via præclusa, vtpotè cum ad aliud eius auxilium transferre necesse habet &c. Sciendum ergo est, quòd, vbi plures competunt actiones pænales ex diuersis factis, neutra alteram impedit, vt &c. nisi tales sint, quæ sese non patiantur. Et iuxtà hanc distinctionem loquitur *Gloss. 1. in l. si seruus 27. ff ad l. Aquil. ibi*. Nec vna per alteram tollitur, cum sit diuersa &c. Secus, si ex vno facto, vel delicto competant plures: quia tunc tolluntur, nisi in id, quod excedit, cui consonat altera *Gloss. in eadem l. §. Et si puerum verb in quadruplum*. Et in hunc sensum intelligendus est *tex. in l. Rei communis 45 ff. pro soc.* vbi dicitur sic. Nec altera actio alteram tollit, vbi etiam latè *Gloss. vlt. omninò videnda l. Si actum sit comm. diuidun. non tollitur pro socio actio &c.* Sed si postea pro socio agatur hoc minus ex ea actione consequetur, quàm ex prima actione consequutus est. *In l. autem bouem §. Si sub conditione ff. de ædil. edict.* Sic dicitur. Et ideo si redhibitoria antea actum fuerit expletâ conditione, iterum agi potest, *vbi Gloss. vlt.* sic, Notat iterum agi, si primo fuit incompetens actio proposita. Hodie verò vtitur illa salubri clausula omni meliori modo, qua tolluntur omnia supradicta dubia, & actor videtur vti illa actione, qua melius de iure competere ei potest. Quãdo verò actionem inneptam, & quomodo teneatur Iudex respuere, habes verbo *Iudex*, & denique *Gloss. verb superest l. Sed & si is §. pen. ff. de inst. act.* Sic. Collige ergo, quòd si quis inneptam actionem proponit, amittit intentionem, sed aliam debet proponere meliorem.

Cui damus actionem, eidem exceptionem competere multò magis, quis dixerit *l. 1. ff. de superfic.* In casu autem, quo Abbatissa electa, & confirmata est contra eam non admittitur exceptio ad impediendum eius possessionem, & tamen permittitur contra eam agi, vt notauit *Gloss. in cap. Indemnitatibus §. sanè de elect. lib. 6. vbi ità dicit*, Nota, quòd datur actio, cui denegatur exceptio, & *Gloss fortius in cap. Quemadmodum de iur. iur.* sic, Quandoque quædam consequimur agendo, quæ non consequimur excipiendo:

Re integra non esse permittendum actori diuidere actionem, vt simul cum emptore experiatur, *l. Quoties 48. §. Si creditor ff. de pecul.*

Is, qui de peculio egit, cum posset, quod iussu: in ea causa est, ne possit, quod iussu postea agere &c. Et si errore deceptus egit &c. succurrendum ei *l. 4. §. vlt ff. quod cum eo*.

Nemo improbitate sua consequitur actionem, & ideo soli bonæ fidei possessori, non etiam malæ fidei furti actio datur. *itaq; 12 ff. de furt cõiunct. l. Eum qui 14. in fin. eod. tit ibi.* Sed non debet de dolo suo furti quærere actionem.

Est enim absurdum ei, cui alienatio interdicitur permitti actiones exercere *l. Ait prætor 7 ff de iur delib.*

Nec enim æris alieni personalis actio fundum sequitur, sed eum, cui hæreditas

tas ex Trebelleano Senatus consulto restituta est. *l. 1. §. Si hæres percepto ff. ad Trebell.*

Actio, & passio in eodem non concurrunt, *vt in l. Hæres à debitore 22. §. quod si stipulator ff. de fideiuss.* ibi. Quoniam quidem nemo potest apud eundem pro se ipso obligatus esse. *Et in l. Si quis pro eo 57. eod. tit.* ibi. Quia non potest pro eodem eidem esse obligatus.

Nec postea parte alienata reuocari actionem, semel extinctam inquit *l. Mæuius 68. §. Duobus ff. de legat. 2. Gloss. verò vlt. in l. 2. §. vlt. ff. de hæred. vel. act. vend.* sic, Item nota hic., quòd actio semel extincta resuscitatur. Sic supra &c. regulariter tamen contrà &c. *Et in l. eius qui 29. in fin ff. de iur. fisc.* Sic obligationes confusas non resuscitari, *vbi Gloss. verb. Dixit, intelligit in casibus, de quibus ibi & alijs, quos affert. Et in l. 7. C. de pact.* Sic dicitur. Debitori tuo si hæres extitisti actio, quàm contra eum habuisti, adita hæreditate confusa est. Contra tamen *in l. Si vxor. C. de bon. auct. iud. possid.* Sic dicitur. Cum vltra eam portionem, qua successit, actio non confundatur, sed hoc potius probat dictam conclusionem, quia si actio, quàm creditor, qui successit debitori, habebat, non confunditur in illis partibus, in quibus alij cohæredes successerunt, confunditur tamen pro ea parte, qua creditor successit, vt planè dicit *tex. & ibi verbo creditor.*

Quoniam innanis est actio, quàm inopia debitoris excludit, dicitur *in cap. olim de rest. spol.* circa quod vide in alia verbo, *Inopia, seu paupertas.*

Si primo actio eius rei sibi competebat, & permisit sequentem agere, præiudicium sibi fecit &c. quia hoc ipso tacitè renunciare videtur iuri suo &c. quàm cito sciuit causam illam tractari, statim debuit contradicere, & se opponere, quod cum non fecerit, præsumitur consentire &c. secus, si nesciuisset, causam agi, *Gloss. verb. vtraque pars in cap. veniens 38. de test.*

Amittat Actionem is, qui diffidentia iustæ sententiæ in pecuniæ corruptelam spem negotij reposuerit. *l. 1. C. de pen. iudic. qui male iudic.*

Interdicitur actio, quia in eum casum deducta sit, in quo consistere non potuit, *§. si Seruus Domino de noxal. act. in Inst. vbi notat Glos. penult.* Et principali actione non subsistente, satis superuacuum est super vsuris, vel fructibus adhuc Iudicem cognoscere dixit *l. eos 26. C. de vsur.*

Aperta enim credentium videtur esse voracitas, qui alios actionum suarum redimunt exactores, loquens de actione cessa dicit *tex. in l. 2. C. ne liceat potent. de quo etiam dicit Glos. verbo afficiant in c. 2. de alien. iudic.* hæc verba. Huiusmodi cessione odiosæ sunt, quia de vitio cupiditatis procedunt &c. Et ità eas detestatur Princeps adeò vt si ipse institutus sit, ob eam causam non acceptet talem hæreditatem, vt dic is in verbo, *Hæres.*

Nullam actionem eum propter suam calliditatem habere, quia mercede pacta accesserat ad talem redemptionem, inquit *l. si remunerandi 6. §. vlt. ff. mandat.* quæ loquitur de pacto super quota litis.

Actio non transit ad hæredes extraneos in his duobus casibus. Primo cum agitur ad operas contra libertum, & moritur patronus extraneo hærede relicto, ad quem non transeunt operæ etiam lite contestata &c. Secundo in patre repetente dotem filiæ, quæ à viro diuerterat, si decedat pater extraneo hærede instituto etiam lite contestata, vt &c. *Gloss. verb. dantur in §. penult. de perpet. & temp. act. in Instit. & ibi additio sic*, Nam eo ipso, quòd pater moritur, vel aliter filia sui Iuris

efficitur, statim actio consolidatur in filiam, vt, &c. licet pater fuerit litem contestatus, Et sic propter hoc non facit transitum in suum hæredem, & sic est specialiter in dote, quia est proprium patrimonium filiæ &c.

In personali actione dantur quatuor menses ad soluendum &c. Et si minus tempus detur, suppletur à lege &c. argum. in contrarium &c. vbi dicitur, quòd tempus illud potest arctari, & elongari à Iudice, sed illud intelligitur, cum causæ cognitione, & iusta de causa, aliàs non debet arctari &c. In reali verò actione statim si dixerit reus se velle parere sententiæ, aliàs post decem dies, si non fuit appellatum: Et in criminali statim mandanda est executioni. Sed si confessus fuerit de crimine non statim mandabitur executioni &c. Et supra dicta clarè habentur per hos versus

In personali post menses quatuor: in re.
Protinus est omnis sententia perficienda,
Sic in criminibus, sed casus excipe quinque
Confessus, pregnans, iratus, & insula seruus

Ità tradit *Gloss. verb. quadrimestre in cap. Querenti de offic deleg.*

Actor.

Actor autem dicitur in vna causa tantùm; licet Syndicus ad omnes &c. Item actor etiam ab vno constituitur, quandoq; & quandoq; ab vniuersitate, vt hic, ità *Gloss. verbo Syndicum in l.1. §. Quibus ff.* quod cuiusq; vniuersitatis, & ibidem, in quo differat ab Oeconomo, & Syndico, & sub vtroque vocabulo inuenies.

Et quidem non esse actorem, vel Syndicum, tunc quoque intelligimus, cum is absit, aut valetudine impediatur, aut inhabilis sit ad agendum *l.1.§. quod si nemo ff. quod cuiusque vniuersitatis.*

Actor dicitur Reus, cum replicat, & Reus agere, cum excipit, vt &c. *Gloss. verbo quod multum l. vlt. C. de edend.*

Magis placuit eum videri actorem qui, ad Iudicium peruocasset *l. 13. ff. de iudic. idem in l.2. in fin. ff comm. diuid. & in l. 14.* dicitur sic, Sed cum ambo ad iudicium prouocant; sorte res discerni solet, idem probat per hunc *tex. gloss. verbo vti possidetis in cap. licet causam 9. de probat.* & sic in iudicijs sors admittitur, licet non in electionibus, vt notas verbo *sors*.

Actores, quando sunt plures in publica causa fit de vno electio, & quomodo? *Videas verb. Electio.*

Circa initium iudicij accipimus id, quod vtilius est actori &c. & id, quod nocet Reo &c. In medio litis æqualiter pro vtroque præsumitur, & in fine magis præsumo pro Reo &c. *Gloss. verbo, & pertinentijs in cap. Cum ad Sedem de rest. spol.* Actori tamen potiùs, quàm reo super expensis defertur Iuramentum, vt habes *in verb. Iuramentum vers.* Et nota dari potius &c. Sicut etiam Iuramento suo probat interesse & quando? *habes in verb. interesse.*

Iudicium autem etiam in inuitum redditur, & ideo potius actori credendum est, alioquin semper negabit reus se consensisse inquit *l. Inter stipulantem 83. §. Si Stichum ff. de verbor.*

Nec enim oportet per singula momenta onerari actorem &c. dixit *Gloss. vlt. in cap. Pastoralis 4. de except. Inquit enim tex. in Auth. de exhiben. re. §. si verò semel coll. 5.* sic. Sicut enim eius (scilicet Rei) curam habemus, sic etiam per dilationem agi aliquid aduersus actorem modis omnibus aduersamur.

Sanè si actor omnino in probatione defecerit Reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere. Præsumptione verò facen-

Digitized by Google

facientc pro illo, Reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam, Iuramentum: nisi Iudex (inspectis personarum, & causæ circumstantijs) illud actori videat deferendum *cap. vlt. §. vlt. de iur. iur. vbi Gloss. penult.* Sic ait; Vt quandoque deferatur Reo, quandoque Actori: Quia non distinguitur ibi, & quandoque actori defertur Iuramentum in defectum probationis, putà, quando habet vnam bonam præsumptionem, siue vnum bonum, & honestum testem, tunc habitu respectu ad quantitatem causæ, & ad qualitatem personæ, vt non sit præsumptio, quòd prò tanto debeat deierare, defertur iuramentum ipsi actori.

Esse iniquissimus ex conditione Actorum obligationes Reorum extendi, per quos nihil factum erit, quominus cum his agi possit, *l. si Seruus 4. ff. de diuers. & temp.*

Actori minus dilationem conceditur, quàm Reo, vide, *Dilatio*.

Nota, quòd, qui semel voluit, prosequi, cogitur, dixit, *Glos. verbo exercere per tex. in Auth. de litigios §. omnem vero in illis verbis.* Actorem ceptũ negocium vsque ad finem litis exercere, *coll.* 8. ex ratione, de qua in eodem tex. paulo supra ibi. Iniustè enim agere recusat, qui paratus aduersarium suum ad iudicium vocauit, cum excusatio hæc pulsato magis, quam actori conueniat. Nam planè, qui agit certus esse debet, cum sit in potestate eius, quando velit experiri, & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere *l. Qui in alterius 43. ff. de reg. iur. Gloss. verb. æstimamus in cap. 1. de restit. spol in 6. in additione ponit* 17. casus, in quibus, quis compellitur ad agendum.

Cuius in agendo, quis obseruat arbitrium, cum habere etiam contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur, *cap. Accusatores 3. quest.* 8. idem per eadem verba, dicitur in *l. consum. C. de sent. & interlocut.*

Neç enim deteriorem causam nostram facimus actionem exercentes, sed meliorem, *l. Aliam 29. ff. de nouat.* & sic dixit, *Paul. Iureconsult. in l. si Socius, ff. comm. diuid.* Aget etiam antequam præstet.

Agentes, & consentientes pari pæna (Scripturæ testimonio) puniuntur, *cap. 1. de offic. deleg. & ibi glos. verb. pari pæna*, sic. Patet, quod facientes, & consentientes pari pæna constringuntur &c. Argumentum contra, quod magis puniuntur consentientes, quam agentes, sed de hoc vide, quæ notas verbo, *consensus*.

Non debent esse melioris conditionis malè agentes, quàm bene agentes, vt &c. *Glos. in l. 1. C. cred. euict. pig.*

Nota hìc, quòd non agit, qui fecit, ne vincere posset, *Glos. in l. si ideo 55. ff. de euict.*

Ea, quæ sunt annua ad agendum sunt perpetua ad excipiendum, *Glos. verbo excusari in cap. Si autem de rescript.* licet quandoque quædam consequimur agendo, quæ non consequimur excipiendo, vt dixit *Gloss. verb. Fortius in cap. Quemadmodum de iur. iur.* & tu iam supra notas.

Actum, & Actus.

Actorum interitu veritas conuelli non solet, *l. Emancipatione 11. C. de fid. instrum.*

Nihil actum credimus, dum aliquid superest addendum *l pen. in fin. C. de his quib. vt indig.*

Per vnum actum contrarium receditur à priuilegio, sic sumatur *l. 2. C de iur. domin. impetr.* & habes verbo, *Priuilegium*.

Primum, quòd appareret actum esse, sequendum esse, inquit *l. Cum manu sata* 80 *ff.*

80. *ff. de contrah. empt.* Interdum tamen plus valet scriptura, quàm quod actum sit, vt in expresso dicit *l. Si alij 39. de vsufruct. l. quod ibi Gloss. verb. Actum* declarat sic, Id est actum dicitur, non tamen est certum aliàs prævalet actum.

Impossibile est, actum humanum extrinsecum esse iustum, Si exercens actum ipsum, nullum ius habeat exercendi, immò non iustus, sed iniustus necessariò conuincetur, *Extrauag. propè fin. de verb. Signif.*

Quidem actus sunt publici, vt tutela &c. quidam Ciuiles, vt iudicare &c. quidam communes, vt officium procuratorum &c. *Gloss. verb. Communibus in cap. 1. de except. in 6.*

Actus valet, licet in eo inueniantur non necessaria, & si minus ritè sint, ità deducitur *ex tex. in l. 7. ff. de bonor. poss. secundum tab.* per hæc verba. Cum tabulæ testamenti plurium signis signatæ sunt, & quædam ex his non cōparent, septem tamen signa manent sufficit &c. Septem testium signa parere, licet non omnium, qui signauerunt, signa maneant; Et ibi *Gloss. in Apostilla* sic; Facit ista lex multum pro *Gloss. in §. 2. de satisd. tut.* ad hoc, quòd si admittantur non necessaria ad solemnitatem actus, & minus ritè adhibeantur, quod nihilominus non vitiatur actus.

Aliquis actus antequam completus sit esse completus dici non potest, inquit *Gloss. verb. potest dici in Extrauag. 3. de verb. sign.* Ac ità, si deueniat ad eum casum, à quo incipere non potest vitiatur talis actus, cum non esset perfectus, prout dixit *Bart. in sumario l. pro parte 11. ff. de seruit.* vbi hæc verba. Corrumpit stipulationem in eum casum deducendo, à quo stipulatio incipere non potest.

Vbi est inhabilitas personæ, à principio actus non potest confirmari, licet conferatur in tempus permissum *Bald. in summario l. Si minor 4. ff. de ser. expor.*

Ex nouissimo actu etiam superiores confirmentur; periodeque fit, ac si eodem tempore omnes cessissent &c. cū enim postremus cedit, non retro acquiri seruitus videtur. Sed perinde habetur, ac si cum postremus cedit; omnes cessissent, inquit *l. vlt. ff. comm. prad.*

Actus vbi sunt diuisi, secundus non nocet, primo, vt in casu dixit *Gloss. verb. Ad eam in cap. Cum M. de Constit. in addit.*

Per actus sequentes præsumitur de præteritis, & è conuerso dicit *Gloss. verb. Actibus in cap. 1. de cleric. peregrin.*

Nota, quod qui remotus est à quolibet actu legitimo, tamen excipere potest, *Gloss. verbo Defensio in c. Cum inter 5. de except.* Nec in publicis iudicijs permittatur amplius agi, postquam semel actum est, ait *l. 3. ad fin. ff. de liber. hom. exhib.*

Accusatio, & Accusator.

PRæcedere debet subscriptio, quæ res ad id inuenta est, ne facilè quis prosiliat ad accusationem, cum sciat inultam sibi accusationem non futuram. Caueant igitur singuli, quòd crimen objiciant, Et propterea perseueraturos se in crimine vsque ad sententiam *l. Si cui crimen 7. ff. de accusat.* Nostris verò temporibus non practicatur hæc subscriptio, & quod peius est, non apparet accusator, & solus fiscus accusat in graue damnum reorum innocentium per calumniam accusatorum, qui absoluti, poterant expensas, & damna exigere ab accusatore calumniante, & licet *in Auth. de non alien. §. vlt. coll. 2.* dicatur sic; Laudabilis enim huiusmodi est, & calumniatoris effugiet nomen

Digitized by Google

men, qui causam contra leges factam redarguit, vbi *Gloss.* Notat laudabile, & vtile esse accusare, id tamen procedit in casu particulari, de quo ibi loquitur, quia aliàs odiosum est. Licet *Cicer. in Orat. pro Roscio Amerino* dicat, accusatores multos in ciuitate esse, vt metu, audacia contineatur vnde apud iudices (vt idem inquit *lib. 2. de inuentione*) de præmio semper accusatorum agitur.

Si ergo datur præmium vbi delictum probatur, è conuerso puniri debet accusator non probans, vt in *l. vlt. C. de calumn. ibi*.

Quisquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij quæ omnino ad *vnguem obseruari* debebat, prout iussit Sanctissimus Damasus Papa.

Non temere ad accusationem esse admittendam, nisi prius matrem se esse monstrauerit inquit *l. Non ignorat. C. de ijs, qui accusar. non poss.*

Accusationem &c. contra filium tuum (si pietas, & ratio naturalis animi tui non reuocat intentionem constituere potes, *l. Propter insidias* 14. *C. de ijs qui accus. non poss.*

Nota, inferiorem debere accusare superiorem, dixit *Gloss. vlt. in l. In Prouincijs* 4. *C. de numer. act. lib.* 12.

Is demum videtur capite accusasse, qui tali iudicio appetit, cuius pæna, aut supplicium habuit, aut exilium, quod fit vice deportationis, vbi ciuitas amittitur, *l. Qui cum natu* 14. *ff. de bon. libert.*

Qui nomen detulit accusasse, intelligendus est, *l. Eum patronum* 10. *ff. de iur. patr.*

Si plures ad collusionem detegendam pariter accedant: causa cognita, quis debeat admitti comparatis omnium moribus, & ætatibus, & cuius magis interest statui opportet, ait *l. Sententiam* 5. *ff. de collus. deteg.*

Quid contineri debeat in libello accusationis, notatur his versibus.

Consule, mense, die, coram prætore professus.
Se deferre reum, crimen, loca, pone sodalem;
Et licet hora, dies, non mensis prætereatur.

ponit *Gloss. verbo, In lege ciuili c. tua* 5. *de procur. In l. autem, libellorum* 3. *ff. de accus.* ita dicebatur. Nec autem diem, nec horam inuitus comprehendet; quod quidem hodie non procedet, quando reus habet suam defensionem in negatiua coarctata, tunc enim necesse est, vt dies, & hora in libello declaretur maximè, quando locus, vbi reus accusatus dicit, se fuisse tempore commissi delicti parum distat à loco, vbi commissum fuit: Si verò locus multum distaret à loco, vbi reus de tempore illo fuerat, tunc necesse non erit declarare diem, nec horam, & ità est praxis Hispaniæ, de qua testatur *Paz. in prax.* 5. *part. tom.* 1. *cap.* 3. *§.* 6. *nu.* 68. 69. 70. Sed quia nostræ intentionis non est de doctrinis disputare amplius non immorandum

Cum inter accusationem voluntariam, & officij necessitatem multum intersit ait *l. 2. in fin. C. de calumn.* Pone exemplum in aduocato fisci, vt notas infrà *verb. Aduocatus*.

Accusatoribus inimicis, vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis morantur, aut suspecti sunt, non credatur: ne irati nocere cupiant, ne læsi vlcisci velint, dicitur *in cap. Accusatoribus* 3. *quæst.* 5.

Olim obtinebat secundum iura antiqua, quòd accusatus, seu denunciatus suspectus de dilapidatione remouebatur, pendente lite, ab administratione, &c. hodie verò secus, quia non remouetur ab administratione, nisi primò probetur suspectus de dilapidatione malè

admi-

administrando, & hoc probato præsumitur de cætero, quod male administrabit &c. nec admittendus est, si vellet satisdare, quia satisdatio non immutat maleuolum animum tutoris, ità *Gloss. verbo suspectus in cap. venerabili 37. de offic. deleg.*

Ad accusandum suspectus tutorem mulier admittitur, vide verbo *Mulier vers. Sed & si qua.*

Accusator non probans calumniari videtur, habes in verbo *Calumnia*. Dicitur tamen in *l. 3. C. de calumn.* sic Non enim, si reus absolutus est, ex eo solo etiam accusator, qui potest iustam habuisse veniendi ad crimen rationem, calumniator credendus est.

Si postea, quàm accusator destitit, reus decesserit, non ideo magis delictum accusatoris releuatur, ait *l. in Senat. consil. 15. §. Si propter mortem ff. ad Turpil.*

Quid si delato iuramento se purgauit? Respon. prodesse ità *Gloss. Accusari in l. Si cui 7. §. Eisdem criminibus ff. de accus.* Et est, ac si diceret, quòd accusatio finita per Iuramentum Rei, non reiteratur.

Non obseruantibus tamen aduersarij pactorum fidem instaurare accusationem minimè potes, à qua ipse destitisti *l. 3. C. ad Turpil.*

Intra viginti annos; tanto enim tempore tollitur accusatio criminalis, vt *C. de fals. l. Querela & c.* ità *Gloss. verbo Quadam causa in l. 3. §. Si accusator ff. de accusat.*

Adminiculum.

ADminicula ergo, & si per se non probant, tamen adiuuant &c. & sic est argumentum; quod quæ non prosunt singula, collecta iuuant *Gloss. vlt. cap. Cum causam 13. de probat.* Et habes in casu *cap. Præterea 27.* ibi. Et præsumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia legitima adminicula suffragentur standum est testimonio iuratorum. Etenim circumspectus Iudex, ac discretus motum animi sui ex argumentis, & testimonijs, quæ rei aptiora esse comperterit confirmabit.

Administrator.

NOta esse honorem administrare, & dedecus remoueri dicit *Gloss. vlt. in l. Testamento 51. ff de manumiss. testam.* Et inde est, quod priuatus, aut remotus ab aliquo officio non potest iterum ad illud assumi, vt est, *tex. in l. 2. C. de diuers. offic. lib. 12.*

Iniquum videbatur ingenuis hominibus non esse liberum vsum, & administrationem rerum suarum, ait *Gloss. verb. Rationalibus in Extrauag. vnica de torneament.*

Ità Pedius ait, & adijcit, quibus administratio rerum permissa est, eos culpa abesse præstare non iniquè Dominum cogi, *l Quod si nolit 31. §. Si plures ff. de adil. ed.* Et ideo dixit *Gloss. in verbo oculos in Extrauag. vn. de prab.* sic Aliquando verò certæ personæ administrandæ rei præpositæ dicuntur oculi, qui peruigiles, & prouidi debent esse in agedilibus.

Deformari hæc est probatio malæ administrationis &c. scripsit *Gloss. verbo Deformari in Clem. 2. de relig dom.* Nam vt inquit *Iurec. in l. Filius familias 7. ff. de don.* non ad hoc ei cõceditur libera peculij administratio, vt perdat, licet paulò infrà sic dicat; Pone cum filium Senatoris, vel cuiusuis alterius dignitatis: Quare non dicas videri patrem (nisi ei specialiter donandi facultatem ademerit) hoc quoque concessisse, dum ei dat liberam peculij administrationem?

Ad-

Aduerbium.

HOC aduerbium, sicutissimum id est non dicit omnimodam similitudinem &c. *Gloss verb. Se ipsum in cap. 1. ad fin. de sacr. vnct.*

Sic illud aduerbium, maximè ponitur pro tantùm, tunc legitimi possunt institui, vt supra &c. Si intelligas propriè tunc, nec legitimè sunt instituendi in Ecclesijs, in quibus sunt instituti patres eorum, multo minus, & Spurij, quòd satis videtur &c. *Gloss verbo Maximè in cap. Ad abolendam 16. de fil. presb. & in Gloss seq vltrà alia sic*; Sed verius credo, quòd de omnibus filijs intelligatur, aliàs nihil adderet, nisi hoc solú, quod tantum pœnam imponit Ordinatoribus, Sed *contrarium est verum*, quia ponitur pro, tantum, Sed à propria verbi significatione non est recedendum, si res aliter salua esse potest. De alijs aduerbijs habes sub verbo. *Dicto.*

Aduocatus.

ESse Aduocatum honor est, dicit *Gloss. in leg. 1. §. Ait prætor verbo, Certis personis, ff. de postul. per tex. in l. Laudabile 1. respons. C. de aduoc. diuer. iudic.* Et tamen aduocati procuratores dici possunt, vt inquit *gloss. vlt. in l. 1. C. mandat.*

Quisquis vult esse causidicus, non idem in eodem negotio sit aduocatus, & Iudex: quoniam aliquem inter arbitrios, & patronos oportet esse delictum. Ante omnia autem vniuersi aduocati ità præbeant patrocinia iurgantibus, vt non vlterà, quàm litium poscit vtilitas in licentiam conuiciandi, & maledicendi temeritatem prorumpant. Agant, quod causa desiderat: temperent se ab iniuria. Nam, si quis adeò procax fuerit, vt non ratione, sed probris putet esse certandum opinionis suæ imminutionem, patietur &c. Præterea nullum cum eo litigatore contractum, quem in propriam receperit fidem, ineat aduocatus: nullam conferat pactionem. Nemo ex ijs, quos licebit accipere, vel decebit aspernanter habeat, quod sibi semel officij gratia libero arbitrio obtulerit litigator. Nemo ex industria protrahat litem &c. Nec putet quisquam honori suo aliquid esse detractum, cum ipse necessitatem elegerit standi, & contempserit ius sedendi *l. Quisquis 6 C. de postul. & ferè per omnia cap. infames §. si quis 3 quæst. 7.* Nam qui iudex fuit non inhonoratur, si postea aduocationis munere fungatur, quinimmo si rectè gessit officium iudicis, potest ad aduocati remeare officium, vt dicit *l. Si quis de togatis C. de aduoc. diuers. iudic.* Quem textum fortè non legit quidam, quem ego noui, qui deposito officio iudicandi noluit ad patrocinandi officium remeare existimans sui honoris imminutionem pati.

Aduocati, qui dirimunt ambigua facta causarum, suæq; defensionis viribus sæpè publicis in rebus, ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant: Non minus prouident humano generi, quàm si prælijs, ac vulneribus patriam parentesq; saluarent. Nec enim solos nostro Imperio militare credimus illos, qui gladijs clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam aduocatos. Militant namque causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem, vitam, & posteros defendunt. Sic elegans *tex. in l. Aduocati 14. C. de aduoc. diuers. iudic.*

Nemo &c. audeat in vno, eodemq; tempore, tàm aduocatione vti, quàm Consiliarij cuiuscumq; magistratus, &c. curam arripere. Cum satis, ab-

 ũndãq;

vndèq; sufficiat, vel per aduocationem causis perfectissimè patrocinari, vel assessoris officio fungi: Ne cum ad vtrumque festinat, neutrum peragat &c. ità tamen, vt post consiliarij sollicitudinem depositam liceat ei ad munus aduocationis reuerti &c. nec enim facilè credendum est duabus necessarijs rebus vnum sufficere: Nam cum vni iudicio adsuerit, alteri abstrahi necesse est, ità *l. vlt. C. de assess.* Potestas tamen potest compellere iurisperitos, & aduocatos, vt dent sibi consilium in causis etiam criminalibus ex *l. Custodias, ff. de custod. reor. sic tenet Platea per tex. ibi in l. 2. C. de proxim. sacr. scri. lib* 12.

Si verò in eodem auditorio duo tantum, vel plures præceteris fuerint, quorum forma sit hilarior in iudicantis officio fit, vt par causidicorum distributio fiat & exequetur pro partibus auxilium singulorum, vt dixit *tex. in cap. Infames, § Si quis 3. quæst.* 7. Nam si vna pars ex litigantibus voluerit omnes aduocatos præminentes habere, videtur hoc dolo facere, vt aduersario subtraheret copiam aduocati periti, vt notauit *Glos. verbo Recusastis in cap. Dilecto* 40. *de test.* Et dicitur *in cap. Perueniet* 4. *de test. cogen.* Quòd tàm ille, qui subripit instrumenta, quàm qui aduersario parem aduocationis copiam subtrahit, iniqua ostēdit à se litem foueri, & experiri debet in se Iudicis authoritatem clusam. Ex his ergo patet, quod licet tuæ causæ secreta mihi mandaueris, nihilominus tamē contrà te aduocationis munere fungi potero etiā in eadē causa, alioquin iam nulli hominum consilium esset dandū, & sic de facto fuit iudicatum &c. inquit *Glos verb. fuisset in l. vlt. ff. de postul.*

Aduocatum fisci, qui intentionē delatoris exequitur in omnibus officij necessitas satis excusat, *l. Post legatum 5. §. qui accusauit ff de his, quibus vt indig.* In alijs verò aduocatis, & procuratoribus officia non sunt necessitatis, sed spontanea, vt dixit, *Glos. verbo Si tutor, in §. Si tutor de inoffic. testam. in Instit.* Non ideò tamen in vllo negotio fisci nomine priuatis audeat calumnias commouere, prout dicit *l. Fisci aduocatus* 3. *C. de aduoc fisc.* Considera tamen, an prædictus §. qui accusauit, limitetur *ex l. humanitatis* 23. *C. de excus. tut.* in illis verbis. Humanitatis, ac religionis ratio non permittit, vt aduersus sororē, vel filios sororis actionum necessitates tutelæ occasione suscipias, & ibi *Gloss. Suscipias* dixit, quòd ex hac littera decidatur quæstio illa, an quis posit cōpelli postulare contra fratres, vel sorores. Nec quando illos remordet cōsciētia, quòd habeant malam causam tenentur iuuare clientulum suum inquit *Glos. vlt. in cap. Breui* 17. *de iur. iuran.*

Aduocati non debent exercere officium tabellionis, licet Mediolani indifferenter fiat contra, vt dixit *Gloss. in l. vniuersos* 15. *C. de decur. lib.* 10.

Iudicem debere sedere cum iudicat; Aduocatos verò stare dixit *glos. verbo, Sedere in Auth. vt ab illustr. coll.* 5.

Idem in patrono causę, vt cogatur soluere in quantum facere potest, cum & ipse miles sit &c. *glos.* 2. *in l Miles* 6. *ff. de re iudic.* Quæ quidem Glos. non mihi displicet stante *textu in l. Aduocati C. de aduoc. diuer. iudic.* ibi militant namq; causarū patroni, vt supra notaui. Et *gl. verb. Potuerit in addit. l. 2. C. de don. inter vir.* ibi, Idem in aduocato, quia hi tres æquiparātur .s. Clericus, Aduocatus, & miles armatæ militiæ. Verumtamē adhuc dubito, stantibus verbis, dictę *Miles* 6. limitatiuè, namq; dicit, ibi, Miles, qui sub armata militia, Aduocatus verò nō armatę, sed inermis est militię miles.

Et filios aduocatorum &c. extraneis ad idē officiū accedentibus anteponi, ait, *l. Iubemus 3. C. de aduoc. diuers. iud. cum l. Petrones 5. eod. tit. et glos. sumptib. in d. l.* 3.

l. 3. sic dicit, Nota argumentum, quòd filij doctorum non debent aliquid dare pro sumptibus, cum legunt ordinariè, vel extraordinariè, vel examinantur, & quòd alijs æquè bonis præferantur.

Et propter aduocatum datur dilatio &c. inquit *Gloss. verbo Continenti in l. 3. §. Eum igitur ff. de vi, & vi armat.* vbi Apostilla sic; Tu limita hoc dictum, nisi esset aduocatus diu moraturus, quia tunc non daretur dilatio: immò quærat pars alium aduocatum per ea, quæ ibi allegat.

Aduocatus minor in causa Clientuli non restituitur, quia sibi imputet, qui tali committit, vt dixit *Gloss. verbo Postulare in §. vlt. quib. excaus. man. non licet in Inst.*

Aduocati error, quando possit reuocari, habes verbo, *Error*.

Sic aduocatus habet palmam, cum vincit causam *Gloss. 1. in l. 1. C. de princ. agen. in reb. lib. 12.* Sicut à contrario, si per imperitiam perdit, tenetur resarcire damnum, vt tenet *Abb.* per iura, quæ tradit in *cap. Pastoralis 14. num. 8. de iud.* & in casu euictionis est notabilis *Gloss. in l. Quod si nolit §. Si plures verbo adhibuit ff. de adil. ed.* sic dicens. Hoc est optimum argumentum contra illos emptores, qui de euictione agunt, vt repellantur, si malos habuerunt aduocatos, maximè cum medicus mortale vulnus sanare non possit: patronus verò pessimam causam potest facere videri bonam.

De aduocati salario vide verbo, *Salarium*.

Adulator.

NEc eos sanè à periculo pudoris haberi volumus immunes, qui in adulandi studio, aut metu inconstantis inauiæ transire, quæ sunt interdicta tentauerint dicitur *in l. 1. C. de stat. & imag.* ex quo notat *Paul.* ibi, quòd adulari est species proditionis.

Sicut amici adulantes peruertunt, sic inimici litigantes plerumq; corrigunt, dixit *Augustin. lib. 9. Confess. cap. 8. n. 5.*

Melius est pro veritate pati supplicium, quàm pro adulatione idem *Augustin. in cap. Nemo 11. quæst. 3.*

Adulterium.

NOta ergo adulterium non fieri sine dolo, & mala conscientia &c. & sic prosunt, & sunt argumenta ad quæstionem, qua quęritur de eo, qui cognouit coniugatam &c. *Gloss. violata in l. vxor C. de repud.*

Cum famula cauponæ adulterium, quod sit punibile non sit, vide, *famulus*; secus, cum Domina.

Adulterium potest prosequi filius familias sine patris voluntate, vide, *Filius §.* Quia sine colloquio illo adulterium non committeretur, dicitur *in l. Et si 9. ff. ad l. Iuliam de adult.*

Ideo autem patri non marito mulierem, & omnem adulterium permissum est occidere, quod plerumq; pietas paterni nominis consilium pro liberis capit: Cæterum mariti, & calor, & impetus facile sæuientis fuit refrenandus, dicit *Iureconsult. in l. Nec in ea 22. ff. ad l. Iul. de adult.*

Qui patitur vxorem suam delinquere, matrimoniumque suum contemnit, quiq; contaminatione non indignatur, pæna adulterij in eum infligitur *l. 2. ff. ad l. Iul. de adult. Et in §. 1.* sic; Nam Claudius Gorgonius vir clarissimus vxorem accusans; cum detectus esset, vxorem depræhensam in adulterio retinuisse, etiam sine accusatore lenocinij damnatus est à Diuo Seuero.

Aduersarius.

SI plures nauem exerceant, cum quolibet eorum in solidum agi potest, ne in plures aduersarios distringatur, qui cum vno contraxerit, *l. 1 §. vlt. cum l. sequenti ff de exercit act. & in l. Et ancillarum* 28. *§. vlt ff de pecul.* sic. Est enim iniquum in plures aduersarios distringi eum, qui cum vno contraxit.

Ne liceat quoquo modo duriorem aduersarij conditionem facere, sed duplum, vtrum fisco, an aduersario præstandum sit, nihil exprimitur. Fortassis autem magis aduersario præstandum sit, vt id vel vti solatium habeat pro eo, quod aduersario potentiori traditus est *l. 1. ff. de litig.*

Prospera in aduersis desidero, aduersa in prosperis timeo. Quis medius locus, vbi non sit humanæ vitæ tentatio? &c. Et quia aduersitas dura est, & naufragat tollerantia, nunquid non tentatio vitæ humana super terram sine vllo interstitio? *Augustin. lib.* 10. *confess. cap.* 28. *num.* 2. Tamen aduersa & asperitates maturant hominum mentes iuxtà illud poeticum.

Vtitur ignarè dulci non vsus amaro;
Namque per oppositum nascitur omne bonum.
Aspera ferre docet, maturatur aspera mentem.
Immundus Mundus, quæ tibi munda dabit.

AEdificium.

QVod enim tam firmum ædificium est, vt fluminis, aut maris, aut tempestatis, aut ruinæ, aut incendij, aut terremotus vim sustinere possit? *l. fluminum* 24. *§. Vitium ff de damn. infect.* Et ideo dixit *Iureconsultus in l. Damni* 43. *ff. eod. tit.* sic. Non videri ibi ruere, quod aut vento, aut omnino aliqua vi extrinsecus admota cadere, sed quod ipsum de per se concideret. Si verò fuerit dissolutum, eius materia ad pristinum Dominum redit, siue bona fide, siue mala ædificium extructum sit *l. 2. C. de reiuendic.*

Et tamen *Gloss. verbo, Bonæ fidei in §. Certè de rer. diuis. in Instit.* sic dixit. Nam si antequam ædificet, si bonæ fidei, & cum ædificat, malæ fidei eligitur quædam media via, ità vt nec vt malæ fidei puniatur, nec vt bone fidei expensas conseruet, qui permittitur abratio, vt &c.

Non est credendus sic ædificare, vt cum incommodo alicuius id fiat, nec sic concedatur, dicitur *in l. 2. §. Si quis à principe impetrauerit ff. Ne quid. in loc. pub.* Si tamen cum incommodo alterius fuit ædificatum, & permissum inquit *eadem l. 2. §. Si quis nemine*, non esse cogendum eum tollere, ne vrbs ruinis deformetur.

Et in l. 2. C. de ædific. priuat. ità. Sed ne Dominis ita transferre licet, vt integris ædificijs depositis publicus deformetur aspectus, & *in §. cum in suo solo de rer. diuis. in Inst.* sic. Quòd ideo prouisū est, ne ædificia rescindi necesse sit.

In reficiendo communi pariete, ei potius facultas ædificandi præstatur, qui magis idoneè reficere parietem velit, sic ait *l. 41. ff. de dam. infect.* Et in isto casu inquit *Iureconsultus in d. l. Damni* 43. *§ Vlt. ff. de damn. infect.* ita. Non opportuisse eos, qui communem parietem ædificarent inter se repromittere, Nec vllo modo alterum ab altero cogi potuisse &c. Sed quoniam iam in totum repromisisset, omne detrimentum, quod ex mercede vicinus fecisset præstaturum.

Cessare hoc interdictum, cum tu quoq; illicitè ædificaueris, ait *l. 2. §. Idem ait, ff. ne quid in loc. pub.* in cuius sum-

summario affertur illud *Iuuenal. Nil Iudæus Iudæo, Nil Catilina Cethego*. Dolo enim feci, quia passus sum eum ædificare, & non reddo impensas, dixit *Iureconsultus in l. Purè 5. ff. de dol. except.*

Aemulatio.

Hæc magis inter fratres, & amicos, & propinquos est, quàm inter extraneos, vt deducitur in *l. Cum opportet C. de bon. quæ lib.* ibi, Filij non lugebunt, quæ ex suis laboribus sibi possessa sunt, ad alios transferenda aspicientes, &c. vel ad fratres suos, quod etiam grauius multis videtur esse, & clarius probat *Gloss. verbo Adducunt in Auth. de triem. & sem. §. Et quod sæpè coll. 3. per tex.* ibi, Substantiam diuidere in fraterno certamine &c. Cuius Glossæ verba sunt. Nam magis dolet, si fratri aliquid vltra patrem datur, quàm etiam si extraneo vt &c. idem *Gloss. verbo Secundis in Auth. de nupt. §. Nec illud coll. 4.* ibi, Item propter inuidiam tollendam quæ maximè oritur inter fratres, Vnde *Chrisost. super Ioann. 7.* dixit; Consanguinitas enim solet quodam modo inuidiæ haberi. Et *Augustin. lib. 13. confess. cap. 21. num. 4.* sic: Quoniam æmulatio viri ab amico est, & *Ioseph. lib. 6. de antiq. cap. 3. fol. mihi 174. lit. E.* sic; Maior solet esse æmulatio inter eos, qui aliqua sanguinis propinquitate sunt coniuncti, quàm inter extraneos, & satis probat *Sac. pag. Genes. 13. 4.*

Aequalitas, Aequitas, & Aequum.

Quoniam in controuersijs, quas in iudicio moueri contigerit, æqualitatem litigatoribus volumus seruari, & aduersarijs eorum dixit: *Imperator in l. In sacris 12. C. de prox. sac. scrin. lib. 12.* Æqualitatis enim, & iustitiæ sumus amatores, quam in omnibus alijs, & in consortijs volumus obtinere dicitur *in Auth. de non elig. secun. nub. §. vlt. coll. 1.* Hæc tamen æqualitas fieri debet per modum legitimum, & agnitum nostris legibus: non per inæqualitatem redigendo ad æqualitatem lucrum maius, vt dixit *Imperator in Auth. de æqual. dot. §. 1. coll. 7.* Nam vt dixit etiam *Imperator in Auth. de immens. donat. in princ. coll. 7.* Quod enim nimis inæquale est, non valdè placet nobis, sed opportere quidem præponi filios, quos pater voluerit, non tamen in tantum minus alijs, vt importabilis sit eis imminutio.

Æquitas est rerum conuenientia, quæ in paribus causis paria iura desiderat, scilicet de æquitate scripta dixit *Glos. penult. in l. Placuit 8. C. de iudic. & in cap. vlt. de elod. à quò deduxit d. Glos.* sic, Vt autem æquitas quæ in paribus causis, paria iura desiderat per vniuersitatem totius Imperij seruetur. Et in *l. 1. C. de leg.* Sic, Inter æquitatem, iusque interpositam interpretationem nobis solis opportet, & licet inspicere, vbi *Gloss.* Diuidit æquitatem in scriptam, & non scriptam, verùm Apostilla ibidem sic inquit. Aequitatis diuisio in scriptam, & non scriptam à Doctoribus non satis recepta est, cùm sic æquitas scripto contineatur, transeat in aliquam speciem, & nomen Iuris. Porrò æquitas nihil aliud est, quàm perfecta quædam ratio, quæ leges, & omne scriptum, dictumque interpretatur emendat, supplet, distinguit, ex quà ius emanat, quod æquum, & bonum dicitur &c. Pro prima tamen Glossa facit *d. l. 8. C. de iudic.* his verbis. Placuit in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ, æquitatisq; scriptæ, quàm stricti Iuris rationem. Bene verum est,

est, quod in quibusdam scriptis exemplaribus deest, illa vox, scriptæ, quod si ita est, quod dicit prędicta Apostilla, vtpote magis rationabile. Si verò verum est, quòd vox, scriptæ, adest in dicto textu, textui adhæreo, & facit pro hoc *tex in cap. vlt. de transact.* ibi, In his verò, super quibus ius non inuenitur expressum, procedas æquitate seruata &c. vbi *Gloss. verb. Aequitate* sic. Quam Iudex præoculis semper habere debet &c. Et ita videtur ex eo, quod dicit, in quibus Ius non inuenitur expressum, procedas æquitate &c. quod ius semper sit præferendum æquitati, argum. contra &c. Sed potes intelligere illud de æquitate scripta, quæ debet præferri rigori iuris, hic de æquitate non scripta, quæ tunc sola seruanda est, cum ius deficit, vide tamen, quòd, etiam in his, quæ de iure inueniuntur, detrahendum est seueritati, vt noto verbo, *Seueritas, & in cap. Suscitata 6. de rest. in integr.* Sic Pontifex dixit. Nos æquitate pensata iure dicimus prouidendum, & ibi, *Gloss. pensata* sic, Hic præfertur æquitas iuri &c. Sed contrà &c. vbi dicitur quòd ius seruandum est: vbi verò ius deficit, æquitas seruanda est, & vide etiam infrà proximè.

Conditores legum ęquitatis conuenit esse fautores dicitur *in l. hac lege 8. C. de pact. conuen.* Et sicut ipse legislator æquitatem sequitur, ità & Iudicem sequi oportet: licet quandoque non ita sequatur oculo iudicis caligante, dixit *Gloss. verb. Aequo iure in l. Inter filios C. famil. hercisc.* Nos ergo sequimur æquitatem, in qua lex deficit &c. inquit *Gloss. verbo vtimur in l. Sicut 21. ff. de re iudic. Et sic in l. 3. §. Si quis quasi ff de condict. cau. dat. dicitur.* Sed ipse Celsus naturali æquitate motus &c. per quem *tex. Gloss. in Apostilla* sic ait. Nota secundum *Bald.* quòd æquitas naturalis inspicitur penes effectum, & causam finalem hoc etiam addito, quòd æquitas est potius attendere sensum, quàm verba. Et in *l. Si seruum 91 §. Sequitur ff. de verbor. oblig. Iureconsultus Paulus* sic ait; Esse enim hanc quæstionem de bono, & æquo: quo in genere plerumq; sub authoritate iuris scientiæ perniciosè, inquit; Erratur, quod est, ac si diceret, quòd sæpè errant, qui contra bonum, & æquum iudicant, sequendo iuris rigorem.

Vnde Papa dixit *in cap. vlt. de mut. petit.* sic: Nos verò ita sentimus, quòd cum actoris, & Rei eadem sit conditio, & vno, eodemque iure circa appellationis remedium, debeat vterque censeri, sicut desiderat actor, vt sibi iuxtà mandatoris rescriptum iustitia fiat appellatione remota eodem modo reconuenienti debet in sua iustitia respondere: Nam eiusdem æquitatis similitudine prouocatur, vt dixit *in cap Cum dilecta 4. de confir. vtil. vbi Gloss.* sic. Similis enim æquitatis ratio similia iura suadere videtur. Non enim ferendum est eos, qui prærogatiuas &c. prætendunt, aliquid plus ab aduersarijs suis quærere concedi, quam ipsi ab alijs pulsatis facere patiantur, vt dicitur *in l. vlt. C. de fruct. & lit. expen.*

Denique non obstantibus his, quæ supra contra æquitatem iuris rigori præferendam dicta sunt, ego plures textus, & *Glosas* inuenio pro æquitate contrà Iuris rigorem. Nam *in cap. vnic. de rer. permut. in 6. dixit Papa* sic. Aequitatem in hac parte præferentes rigori: Et *in Clem. 2. de appell.* ita; Et æquitatem rigori præferri volentes, & in *cap. penult. 12. quæst. 2.* sic. Vt hac temperamentum ęquitate seruata, & cui tribuit competens subsidium cōferat, & cui tollat, damna grauia non infligat, & in *l. Diuus 8. ff. de rest. in integr. dicit Iureconsultus*. Et si nihil facilè mutandum est ex solemnitatibus,

bus, tamen vbi æquitas euidens poscit subueniendum est. Et in *l. Cum res C. si alien. res pign.* Ità, sed tamen æquitatem facere, vt facile vtilis persecutio exemplo pignoratitiæ detur, qui tex. notabilis est contra rigorem iuris aliud suadens, vt notas *verbo, Pignus, & in l. In summa §. Item Varus ff. de aqua pluu.* ibi, Quod factum quidem mihi prodesse potest, ipsi autem nihil nociturum est, hoc æquitas suggerit, etiam si Iure deficiamus, vbi *Glos. verbo, Etiam si iure ait*, ita; Præfertur ergo æquitas rigori. Et eadem verba ponit *Glos. vlt. in cap. In litteris 5. de restit. spol. Glos. etiam in verbo Damno in l. Si seruus communis 63. ff. de furt. Et in l. 4. ff. de seruitut.* ibi, Aliud est de æquitate, quæ præualet, & pro complemento inquit *Imperator in Auth. de mandatis princ. §. 1. in fin. coll. 3.* Dum æquitas etiam hinc nostris subiectis seruatur, & nec lucri, nec passionis alicuius causa ad aliquam partium declinatur: pacem esse Dei Ciuitatibus. Per omnia igitur æquitatem honoremus, vt idem *Imperator dixit in Auth. de immens. donat. §. 1. coll. 7.* Non verò taliter, quòd sit simulata æquitas, quia tunc est duplex iniquitas; nam dupliciter peccat, qui tale facit; quia abutitur bono, & committit malum, vt dicit *Gloss. vlt. in addi. in cap. Auaritia 5. de elect. in 6.* Et ex Diuo Gregorio tradit etiam *Glos. verbo Sanctitatis in Clem. 1. de relig. dom. vbi etiã Apostilla ex Diuo August.* sic, Simulata humilitas est maior superbia. Simulata ergo æquitas maior est iniquitas, à qua, & ab omni iniquitate Deus nos liberet.

Aliud est bonum, & aliud est æquum, & est quoddam bonum, & æquum, & bonum, & non æquum, & æquum, & non bonum, vt tradit *Glos. Ius in l. 1. ff. de Iust. & iur.*

Æquum autem accipitur ex dignitate eius, qui funeratus est, ex causa, ex tempore, ex bona fide, vt neque plus imputetur sumptus nomine, quàm factum est, neque tantum, quantum factum est; Si immodicè factum est, debet enim haberi ratio facultatum eius, in quem factum est, & ipsius rei, quæ vltrà modum sine causa consumitur *l. At si quis 14. ff. de relig. & sumpt. fun.*

Aequiuocum.

Qvod pluribus modis exponi potest, est æquiuocum, vt &c. *Glos. 1. in §. Die de pac. Const.*

Aestimatio.

Aestimatio triplex est; Communis, conuenta, & singularis, vt dixit *Glos. in l. Libertas 107. ff. de regul. iur. Gloss. tamen verbo, Aestimatus in l. Ex conuentione 11. C. de pact.* Sic dicit, Dupliciter enim fit æstimatio, vna, quæ facit emptionem, vt hic, alia, quæ determinationem, & ibidem *Apost illa* sic; Et illa in dubio præsumitur, scilicet emptio, nisi modicitas prætij aliud suaderet, Iason hic. Fit etiam æstimatio per arbitros iuxtà *l. Hac edictali §. His illud C. de secund. nupt.* ibi; Mobilium verò rerum iustis prætijs æstimatione habita, per eos, quos vtraque pars elegerit iudicaturos interposito Sacramento.

Omnia æstimantur pecunia, sed non è contra, inquit *Glos. in l. Libertas, ff. de regul. iur.* Sed ipsa libertas est inæstimabilis, vt in eadem *l. & in l. 1. §. 1. vers. Sed cum liber homo, ff. de*

ff. de his, qui deiec. ibi, Quia in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest; Et in *l. ult. eod. tit.* sic, Quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.

In his rebus, quarum nomine conferendum est, æstimatio debet haberi, non quanti emptæ sunt, sed quantum venire possunt, inquit *l. 2. §. Si nauis. ff. ad l. Rhodeam de iact.* Et suprà sic. Portio autem pro æstimatione rerum, quæ saluæ sunt, & earum, quæ amissæ sunt, præstari solet; Nec ad rem pertinet, si eæ, quæ amissæ sunt, plùris venire poterant; Quoniam detrimenti, non lucri sit præstatio, vbi *Glos. verbo, non lucri* sic dicit. Aestimantur enim, quanti emptæ sunt, non quantum valent nunc.

Si æstimator malè æstimat, tenetur, inquit *Bart. in summ. per tex. ibi in l. 1. C. de discuss. lib.* 10.

Aetas in genere.

AEtates sunt septem. Infantia durat ad septimum annum; Pupillaris ætas ad decimum quartum in mare. Pueritia, seu pubertas ad decimum octauum. Adolescentia, seu plena pubertas ad vigesimum quintum. Iuuentus seu virilis ætas ad quinquagesimum, & quandoque sexagesimum. Senectus ad octagesimum. Decrepitas ad centesimum, ità ponit Apostilla *ad Gloss. Octodecim annis in §. Minorem natu de adopt. in Instit.* De quibus singulatim infrà dicitur Aliqua ex prædictis ponit *Gloss.* verbo *Compleuit ad medium in l. 1. ff. de postul.* ibi, Nota, quod ætas quandoque terminum sumit in septimo anno, vt Infantia &c. Quandoq; in duodecimo, vel decimo quarto, vt in tutela finienda &c. & contrahendo matrimonio &c. quandoque in decimo septimo, vt hic; Quandoque in decimo octauo, vt in alimentis pueris, & puellis relictis &c. Item in venia ætatis in fæmina, sed in Masculo in vigesimo anno: *Gloss.* verò verbo *Perfectus in proem. 6. Decretal. §.* Nos ad apicem dicit, Sex ætatibus mundi generationem, & hominis statum finiri, & vult concludere, quòd numerus Senarius sit perfectus, de quo hic non agimus, & si vis, vide ibidem *Glos. Senarium.*

Pronior est ad malum, quàm ad bonum omnis ætas, inquit *Glos. in cap. cum iuuentute 12. de purgat. Canonic.* Non nunquam tamen, quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiori perficitur. Vt dicit *tex. in cap. Nemo de pœnit. dist. 7. Et in cap. Ancillam 32. quæst. 2.* sic. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est. Quia non nunquam quod diffidentia ætatis differtur &c. Nos verò in ætate nostra similes sumus amphoræ; Nam sicut illa primum, quod est sincerissimum effluit, grauissimum quoque, turbidumque subsidit: Sic in ætate nostra quod est optimum, primum est. Id exhauriri in alijs potius patimur, vt nobis fecem reseruemus, vt dixit *Senec. Epist.* 109.

Aetas suppletur à malitia, vt habes verbo *Malitia*, & sic dicit *Imperator l. 3. C. si minor. se maior. dix.* Cum malitia suppleat ætatem restitutionis auxilium tàm Sacris Constitutionibus, quam rescriptorum authoritate denegari statutum est;

Nota, quòd propter mutationem ætatum fit renouatio fidelitatis, quia ætas naturaliter variatur, vt &c. *Gloss. verbo Renouabunt in §. Sententia de pac. const.* Et ita ætas ad eruditionem, multam haberi facit differentiam, vt dicit *cap. Hoc sit 26. quæst. 7.* licet ad discendum nulla ætas sera sit vsque ad octoagesimum octauum annum, vt per *Gloss. verb. Senex in cap. Si habes*

num ff. de fideicomm. libert. Et tex. in cap. *hoc fit* 26. *quaest.* 7. sic; Ætas ad eruditionem multam facit differentiam pænæ.

In ætate aspectus transfert onus probationis, vt &c. *Gloss. vlt. in l.* 4. *C. in integr. restit.* Probatur autem ętas, aut ex scriptura natiuitatis, aut alijs demonstrationibus legitimis, vt dixit Iureconsultus *in l.* 2. *ff. de excusat. tutor.* & *in l.* 1. *C. Si minor se maiorem dix.* per tabulas, quibus pater scribit filium natum de tali tempore in illis verbis ibi, Si cum minor ann. viginti quinque esses tabulis, quæ sunt tuarum professionum oblatis, vbi *Gloss. verbo Professionum* explicat, idest in quibus fessus fuerat pater, & mater tali tempore te natum. Vnde in hoc casu parentes probant, vt dixit *Glos. verbo Parentes*, in *l. Parentes C. de test.* ibi; Et hoc, quia melius nouit ætatem, & ibi *Apostilla* limitat sic, in ea tamen probanda non facit tantam fidem, sicut extraneus.

Quem ignarum ætatis tuæ non fuisse, eam officium tutelæ, quam sanguinis proximitas arguit *l. de tutela auunculi* 7. *C. de in integr. rest.*

Sic se absolutè dixerit perfectæ ætatis, illam tantummodò ætatem intellectam esse videri volumus, quæ & viginti quinque annorum curriculis completur, non, quæ ab imperiali beneficio suppletur, *l. vlt. C. de ijs, qui ven. ætat.* Et *glos. verbo Perfecta in §. vnic. de fiduc. tutel. in Instit.* sic, Nam quoties fit mentio de ætate perfecta, vel de maiore annis intelligitur de viginti quinque, vt &c. *Glos.* verò in verbo, *à decimo octauo anno in §.* 1. *de pac. temen. inter subdit.* Magistraliter sic dixit distinguendo. De iure autem Rom. dicitur legitima ætas viginti quinque annorum ad contrahendum, vt &c. aliàs 18. ann. quantum ad hoc, vt quis posit postulare pro alio, vt &c. Aliàs dicitur legitima ætas pubertas, scilicet ad testamenta facienda, & ad nuptias contrahendas, & quantum ad hoc, vt possit, quis testimonium ferre, & ad contractus faciendos cum iuramento, & circa alia latè in materia tractat, quam videas, si placuerit.

Defectus autem legitimæ ætatis in iudicijs, & rerum suarum administratione non suppletur ex numero liberorum, vt dicitur in summario, *l. de ijs* 12. *C. de administrat. tut.* cuius verba habes alibi.

Ex causa etiam lite contestata tibi succurrendum vtiq; Si ætas tua ea sit, vt ignosci tibi debeat, *l. Electio* 26. *§. Nec haredi in fin ff. de nox. act.* Aetas enim (vt ait Iureconsultus) excusationem meretur *l.* 1. *§. Impubes seruus ff. ad syllanian.* Et *in l. ex libero* 15. *vers. De minore quoque quatuordecim annorum ff. de quaest.* Sic, Nam ætas, inquit, quæ aduersus asperitatem quæstionis, eos interim tueri videtur; suspectionem quoque eosdem facit ad mentiendi facilitatem.

Possunt ad tempus, vt cuiusque patiatur ætas relegari, idest, si iunior in longius, Si senior in recisius, idest breuius, inquit *l.* 2. *ff. de term. mot.*

Impunitas delicti propter ætatem non datur, Si modo in ea, quis sit, in quam crimen, quod intenditur, cadere potest *l.* 8. *C. de pæn.* & *ibi Glos. verb. cadere* sic, dicit, Quia sit proximus pubertati &c. aliàs secus &c.

Aetas minor, & grandis non sunt aptæ ad decurionatum, vt dicis verbo *Decurio*, & sic *Glos. verbo vicesimum quintum in l.* 1. *C. qui ætat. vel profess. se excus. lib.* 10. dicit. Quod est tenera ætas, & prouecta, quæ excusat, vt &c. sed primi volentes etiam non admittuntur. Secundi sic, vt &c.

Et deniq; *Gloss. vlt. in l.* 3. *C. qui ætat. vel profes. se excus. lib.* 10. dicit. Aetati deferendum esse.

D In-

Infantia.

INfantiæ proximus, ideſt vſque ad decem annos, & dimidium, & ſic proximus reſpicit infra &c. *Gloſſ. verbo Infanti in §. Pupillus de inutil. ſtipul. in Inſtitut. & gloſ. vlt. in §. penul. de oblig. quæ ex delic. naſc.*

Infantem tuetur innocentia conſilij furioſum infelicitas fati dixit *Gloſ. in l. Quod infans 60. ff. de rei vendic. Et deduxit ex l. Infans 12. ff. ad l. Cornel. de Siccar.*

Iudicium infantis ſuppletur authoritate tutoris: vtilitatis enim cauſa hoc receptum eſt: nàm alioqui nullus ſenſus infantis eſt accipiendi poſſeſſionem *l. Quamuis 32. ff. de acquir. poſſ.*

Infantis nullæ ſunt operæ &c. Sed pupilli maioris infante ſic &c. *Gloſſ. in l. Arboribus 13. verbo Infantis, ff. de vſufruct.*

Vulgare dictum eſt, quod infans nutritus vino vix perueniet ad bonum finem, dixit *Apoſtilla ad Gloſ. verb. Inſtitueretur in l. Qui filium 4. ff. vbi pupil. educ.* Quod dictum debet intelligi, vbi qualitas Prouinciæ contrarium non ſuaſerit.

Nec enim opportet, eos, qui ab initio infantes abiecerunt, & mortis forte ſpecie circa eos habuerunt incertos Conſtitutos, ſi qui eos ſuſceperint, eos iterum ad ſe reuocandos conari, & ſeruili neceſsitati ſubiugare. Nec ijs, qui eos pietatis ratione ſuadente ſuſtulerint ferendi ſunt, denuo ſuam mutantes ſententiam, & in ſeruitutem eos contrahentes, licet ab initio huiuſmodi cogitationem habentes ad hoc proſiluerint, ne videantur quaſi mercimonio contracto, ità pietatis officium gerere, inquit *l. 3. C. de infant. expoſ.* Cuius diſpoſitio videtur nō habere locum in expoſitis ad Hoſpitale Sancti Spiritus Almæ vrbis, ibi enim ceſſat ratio *d. legis & l. 4. ff. de libe. agnoſc.* Dum dicitur ibi, Necare videtur &c. qui publicis locis exponit miſericordiæ cauſa, quam ipſe non habet; Nam expoſiti ad dictum hoſpitale miſericorditer, & piè recipiuntur, aluntur, & viuunt, ac poſtea multi ex eis traduntur illis, qui eos doceant artificia.

Mulier naufragio cum annieulo filio periſt: quia veriſimile videbatur antè matrem infantem periſſe inquit *l. Inter 26. ff. de pact. dotal.* Et ibi, *Gloſ.* dicit contrarium in pubere.

Pueritia.

PVeritiam dum minor eſt annis 17. &c. quia moderatam hanc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum dicitur *in l. 1. ff. de poſtul. Gloſ. verò verbo Pueris in cap. 2. de ætat. & qualit.* ſic dicit. Puer dicitur à ſeptennio vſque ad decimum quartum annum, & *Gloſſ. Pueri in cap. ſuper 55. de prab.* ſic; Sed quos dicimus pueros? vſque ad decimum quartum annum &c. Dicas, quòd pueri hìc appellantur, vſque ad ſeptimum annum: quia tunc ſeruire non poſſunt; Quia nec diſcretionem habent, nec reputantur idonei; Poſt ſeptimum annum bene reputantur idonei ad ordines minores, quoniam ſunt doli capaces, & *Gloſſ. verbo Plenum in cap 1. de regular. in 6.* ſic, Maior ſeptennio impubes intellectum habet, ſed non plenum &c. Minor autem ſeptennio ignorat, quid videat, & ſic ibi dicit tex. eorum, quæ tunc agit plenum non habet intellectum; Et *in §. Præterea quib. non eſt permiſſ. fac. teſt. in Inſtitut.* Nullum eorum animi iudicium eſt; in tantum, vt dicat *Hieronym. ad Gaudent.* vt enim aqua in areola digitum ſequitur præcedentem, ita ætas mollis, & tenera

tenera in vtramque partem flexibilis est, & quocumque flexeris trahitur: ideo impuberibus dignitas dari non debet, ait *Glos. verbo Pietate in cap. 2. de ætat. & qual.* Non enim ætas illa scit, quid videat, *glos. in verbo Iudicium in cap. 3. de corp. vit. Et in l. vlt. Consult.* dicit; Per absurdum est in eligendo tutore firmum videri esse iudicium pupilli, cuius in omnibus rebus, vt infirmum iudicium actore tutore regitur. Dicitur tamen in *l. seruum 6. ff. rem. pup. sal.* sic, Nam si præsens sit, & fari possit, etiam si eius ætatis erit, vt non intelligat, quid agat, tamen propter vtilitatem receptum est, rectè eum stipulari, & agere. *Et in l. is qui 4. §. 1. vers. Sed & si ff. de manumiss.* Nam & si pupillus emat, æquum est eum fidem adimplere cum sine damno eius hoc sit futurum. Et plus dicitur *in l. 3. in fin. ff. quib. ex caus. in poss.* ibi, Etenim videtur impubes contrahere, cum adit hæreditatem; Et *in l. 4. eod. tit.* ibi, Sed & is, qui immiscuit se contrahere videtur. Id tamen cum temperamento erit, de quo *in l. Sancimus 7. C. ad Trebel.* ibi. Ne dum nimia subtilitate vtimur circa res pupillares, ipsa subtilitas ad perniciem eorum reuertatur, & in *l. 1. C. de fals. mon.* ibi; Impuberes verò etiam si conscij fuerint, nullum substineant detrimentum, quia ætas eorum, quid videat, ignorat. Non intelligas tamen, quando à contrario locupletior factus sit, quia tunc exceptione submouebitur iuxtà *l. vlt. Cod. de vsucap. pro empt.* in hæc verba. Sed, si locupletior emptoris pecunia factus, post pubertatem occasionem Iuris ad iniquum trahat compendium doli mali exceptione submouetur. Et ibi *Glos.* locupletior declarat sic. Quod tribus modis euenit, vel quòd habet pecuniam, vel quòd aliud emptum ex ea, vel quòd talem rem emit, quàm de suo emisset necessario, licet modo perijt, vt &c.

Pupillo verò agente, qui non ipse contraxit, sed in tutorem incidit, & ignorat omnia, beneficium diuidendæ actionis iniuriam habere visum est, ne ex vna tutela causæ plures, variæque quæstiones apud diuersos iudices constituerentur, ait *l. vlt. ff. rem pup. salu.* loquens de fideiussoribus petentibus diuisionem, quæ in pupillo locum non habet, vt notas verbo *fideiussor*.

Etiam impuberis aliquæ operæ esse possunt dixit Iureconsultus *in l. Ceterum 32. ff. de reiuendicat.*

Et si quidem pupilli status in dubium deducatur differri quæstio in tempus pubertatis debet, cum metus esse posit, ne minus idoneè defendatur. Cum verò mater rea postulator vtique integra fide, & maiore constantia causam defensuram recenti tempore dubium non est, cognitionemque fieri oportet, & post euentum cognitio, si suppositum partum apparuerit actiones hæreditariæ puero deneganda sunt, *l. 1. §. vltimo ad fin. ff. de Carb. edict.*

Doli pupillos, qui propè pubertatem sunt, capaces esse, inquit *l. Apud 4. §. Item quæritur versic. Denique ff. de dol. excep. Et in l. Excipiuntur 14. ff. ad Syllan.* sic. Qui verò ministri, vel participes cædis fuissent, & eius ætatis (quamquam nondum puberis) vt rei intellectum capere possent: ijs non magis in cæde Domini, quàm in nulla alia causa parci oportere. Et paulò suprà dicit. Nam is puer neque multum à pubertate aberat, vbi *Glossa vltim. limitat.* Nisi quatenus miseratio ætatis aliud inducat. Et ibidem

Apostilla intelligit, in delictis, quæ sunt in committendo excepto carnis delicto per *tex. in cap.1. de delict. puer.* Pupillo verò facta fraus non inducit falsitatem, sicut in fisco, qui in hoc fauorabilior inuenitur, vt notas in verbo, *Fiscus*.

Quæri consueuit, an impubes factus pubes possit reddere testimonium de his, quæ vidit in pupillari ætate? Et videtur, quod non, vt &c, Sed tu dic contrà; Nam non prohibetur, ergò admittitur &c. Sic tenuit, *Glos. verbo impuberes in l. 3. §. 1. vers. lex Iulia, ff de test.* vbi probat à simili de seruo, qui potest ferre testimonium iam liber factus, de his, quæ vidit in seruitute; verùm non mihi placet talis argumentatio; Nam impedimentum impuberis, vt non possit ferre testimonium est à natura, quæ non dum ei iudicium concessit, cum in illa ætate, nec quod videt intelligat, vt suprà dicitur. Impedimentum verò serui, ne testificetur, prouenit à iure ciuili, & sic valdè diuersum est, ab illo, quod datur in impubere; Tu verò sequere, quod tibi melius videbitur. Non displicet tamen, quòd dicit Apostilla *ad Gloss. verbo, Nec impubes in §. Testes de testam. in Institut. ex Fab & Ang.* Scilicet verum esse, quod dixit *Gloss.* Sed id intelligendum esse de impubere proximo pubertati, non infantiæ. Ceterum, an talis obligetur Iuramento? habes verbo, *Iuramento*.

Pupillus est vir, & senex vt &c. Sed quidam dicunt pupillum non esse virum, nec nimium senem, sed contrà est. Ità inquit, *Glos. verbo Ostendas in Auth. de nupt. §. distrahuntur itaq; coll. 4.*

Pupillo præstari debent alimenta, & cætera necessaria; vide verbo, *Alimenta*. Et vsque ad quam ætatem ea præstantur quando pueris debentur est *tex. in l. Mela 14. ff. de alim. legat.* Sic dicens. Sciat Adrianum constituisse, vt pueri vsque ad 18. ann. & puellæ vsq; ad 14. an. aluntur, sed & si generaliter non sic definiatur; tamen pietatis intuitu in sola specie alimentorum hoc tempus ætatis esse obseruandum, non est in Ciuile.

Si vis scire multas differentias inter pupillum, & adultum vide *Glos. verbo Necessaria in l. 1. §. Fuit quæsitum ff. ad Trebel.*

Pubertas, & adolescentia.

NOta; pluribus modis dici pubertatem; Nam interdum quatuordecim annos &c. aliàs quindecim annos, vt &c. aliàs 17. vt &c. interdum 18. ità *Glos. verbo Octodecim in §. Minorem de adopt in Instit. & ibi, Apostilla* sic. Sed hæc *Gloss.* aut malè loquitur, aut improbe &c. Quia nullum tempus plenam pubertatem constituit, nisi 18. annorum *& Ang.* & ità clarè dicit *prædictus §. Minorem*, ibi Plena pubertate, idest 18. annorum Incipit verò in masculis post decimum quartum annum, vt *in §. 1. quib. mod. tutel finiat*, ibi, Pubertatem in masculis post decimumquartum annum completum initium illico accipere disposuimus.

Iam autem minor non est, qui diem supremum agit anni vicesimi ait *l. 1. ff. de manumiss. Et in cap. Cum vigesimum 41. de offic. deleg.* sic, Et quia in minori ætate est, minoris discretionis esse præsumitur, vnde annus vigesimus debet esse completus.

Iuuenis dicitur, qui præcedit adolescentiam, & durat quousq; poterit inter senes computari *Glos. verbo Pueri in cap. super 35. de preb.*

Nihil incertius, quàm vita adolescentium, ait *cap. Omnis ætas 11. quæst. 1. & Quintilian. declamat. 322.* sic, Omnis impetus in hac ætate facilius conualescunt sanè nulla ætas floridior, sed

nulla fluidior, & maximè in incontinentia, cum labes huiusmodi nonnunquam in iuuenibus contrahatur, vt dixit Pontifex *in cap. Cum in iuuentute* 15. *de præsumpt. & ibi Gloss.* frequentius affert hos versus

Militat in teneris annis amor hospes amanus.
Est in canicie ridiculosa venus.
Exultat leuitate puer, grauitate senectus,
Inter vtrumque manens stat iuuenile decus.

Alia vide verbo, *Amor*. Tum etiam in cupidine, vt dixit Imperator in *l. Cum non solum* 8. *§. Ipsum autem in fin. C. de bon. quæ liber.* ibi, Melius est iuueniles calores coarctare, ne cupidini deditì tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium. Non obstantibus tamen ijs Imperator *in l. vnica C. de stud. liber. vrb. lib.* 11. vocat adolescentiam gloriosam, vt ibi, Et quoniam non his artibus tantum adolescentiam gloriosam optamus institui profundioris, quoq; scientiæ, ac doctrinæ memoratis Magistris sociamus actores, vbi notat *Glos.* & dicit illas artes in adolescentia addisci: Nam quantò iuniores, quantò perspicaciores, ex *Prisc. tradit. Glos. verbo, Si filius in l. Gallus ff. de liber. & posthum.* Quod quidem laudo, sed procedere tantùm dico in addiscendo, non verò in loquendo, quia adolescens debet tacens audire,& adhuc in propria causa vix loqui,adeo vt si bis interrogatus fuerit debeat habere caput responsum suum, & in multis esse, quasi inscius,vt in expressis verbis dicitur *Ecclesiastic. c.* 32. 11. Sunt autem multi adolescentes, qui perspicacitatem monstrare volunt,sed loquacitate stultitiam demonstrant,& factis in ipsa puniuntur.

Senectus.

IS est senex, qui est septuaginta annorum suprà, vt de iure *immun. l. Maiores, & de excusat. tutor. §. Item maior in Instit.* Item maior quandoque sexaginta annorum, vt &c. Quandoq; quinquaginta annorum &c.hoc secundum leges,sed secundum vulgares Prouinciarum mores, & ipsarum varietates, verborum significationem sæpè mutant, dixit *Gloss. vlt. in l. Non aliter* 67. *§.* 1. *ff. de legat.* 3. *& Glos.* 1. *in l.* 2. *C. de ijs qui non imple. stip. Sacram. solu. sunt. lib.* 10. dicit. Senex est, qui sexaginta annos habet, vel septuaginta, quoad munera; Et licet *in l.* 3 *ff. de iur. immun.* dicatur, quòd non videtur maior esse septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum, *Glos.* ibi, verbo, *Maior*, intelligit id in honoribus vitandis, secus in honoribus adipiscendis; Nàm sicut in vno adest fauor, itá in altero odium.

Semper in Ciuitate nostra senectus venerabilis fuit: Nāmque maiores nostri penè eundem honorem senibus, quem Magistratibus tribuebant, circà munera, quoque Municipalia subeunda, idem honor senectuti tributus est, inquit *l.* 5. *ff. de iur. immun.* Et veneranda vetustatis authoritas dicitur in *Auth. de appellat. §. Illud etiam coll.* 4. *Vnde Glos. verbo Nouum in l.* 3. *ff. si cert. pet.* inquit. Et potest hic sumi argumentum, quale quale ad testes seniores, & quod eligantur ad dignitates Seniores &c. Vide *l. vlt. ff. de fid. instrum.* ibi, Semper seniorem &c. præferemus. Et interest non nunquam à Sene potius manumitti, quam à iuuene, dicitur in *l. Is, qui* 15. *ff. de fideicommiss. libert.*

Danda est Senectuti venia, Senex enim, & pueri eundem habent animum, respondit quidam Ptolomeo Regi Conque-

querenti de Onia, vt testatur *Ioseph. de antiquit. lib.* 12. *cap.* 4. Hinc dixit Pontifex *in cap. Tanta nequitia 86. dist.* sic; Et quia adhuc tuis canis parcimus hortamur, vt aliquando resipiscas miser Senex, ac à tanta leuitate morum, & operum peruersitate compescere, & quantò morti vicinior efficeris, tantò solicitior esse debes, & in *cap. Tanta* 1. *quaest.* 7. ità, Sed quia simplicitatem tuam cum Senectute cognouimus, interim tacemus. Et in pœnitentia infligenda non solum habetur respectus Senectuti, sed etiam ad intuitum ætatis Senilis, vt dicitur *in cap. Tempora pœnitudinis 26. qu.* 7.

Senioribus propinquis datur potestas corrigendi minores, vt habes verbo, *Correctio*. Non tamen ægrè ferre debent Seniores, si à iuuenibus, qui subtilius inuestigant, repræhendantur vt dicitur in Apostilla *ad l. Si quis ex argentarijs §. vlt. ff. de eden. Secundum Paul. loquentem de Doctore, & Scholari*. Nec ob id desinet fieri seniorum conuersatio, iuuentutis educatio perfecta, vt dicitur *in Auth. de Monach. §.* 1. *in fin. & ibi Glos. Perfecta* sic inquit. Vnde illud maiores à conuincto formantur. Tamen hoc intelligendum erit de Senibus, qui verè Senes sunt, non verò de illis, qui mores habent pueriles, & sibi videntur incipientes viuere, quia tunc mala eorum conuersatio malum iuuenibus præbebunt exemplum. Quid est enim turpius, quàm Senex viuere incipiens? dixit *Senec. lib.* 2. *Epist.* 13. *alias* 1.

Senectus ad donationem faciendam sola non est impedimentum, dicitur *in l.* 16. *C. de donat. vbi Glos.* sic. Contra videbatur, quia Senex puerilem sensum habet.

An nimia Senectus repellat à promotione? vide verbo, *Potens, seu Impotens*.

Denique nota ratione Senectutis aliqua fieri, quæ alias non fierent; vt notat *Glos per tex. ibi in § Item maior de excusat. tutor. in Instit. verbo Septuaginta &c.* Item nota in alimentis præsumi citius mori Senem, quàm iuuenem, vt dixit *Glos. verbo, Vlpianus ait in l. Hæreditatum 68. ff. ad l. Falcid.*

Affectatio.

Affectare quis non debet, in quo vel intelligi, vel intelligere debet infirmitatem suam, alij periculosam futuram dicit *Iureconsult. in l. Idem* 8. *§.* 1. *ff. ad l. Aquil.* Vnde procedit illa conclusio, quòd qui non habet scientiam sufficientem ad id, quod affectat, peccat; Et tamen hodie paruipenditur hoc peccatum; videmus enim affectare plus inscios, quàm, scientissimos, sed fortè non peccabunt, quia sibi videntur sapientes, & hoc est primum insipientiæ vitium.

Causa affectata non proficit affectanti, vt dicitur *in l.* 2. *§. vlt. ff. Si quis caution.* ibi. Nam si ipse hoc affectauit, vel causam præstit non proderit ei exceptio, & *in l. Si maritus* 15. *§. Legis Iuliæ, ff. de adulter.* ibi; Ceterum, si quis euitandi criminis sui causa id egerit, vt Reipublicæ causa abesset, nihil ei commentum hoc proficiet, Et in §. Item tria onera tutelæ non affectatæ, vel curæ præstant vacationem *de excusat. tut. in Instit* Vnde ex ipso, quòd quis affectat, suspectus esse videtur, vt dicitur *in l. vxori* 18. *ff. ad l. Cornel. de fals.* Et præsumitur tutelam affectasse, qui pauper est factus, vt *in l. spadone* 17. *§. Est autem ff. de excusat. tut.* ibi. Iam autem & tutor, qui modici patrimonij factus est, affectasse videtur.

Non videtur affectasse, quis eo tempore, quo Iudicium animi non habebat, dicit Pontifex in *cap.* 3. *de corp. vitiat.*

Affectio.

Affectio.

EX Affectione cuiusque capit interpretationem, quod factum est, si obscurum sit *l. Capienda* 126. *ff. de reg. iur.* & ibi ponit *Glos.* exemplum in legato rei alienæ, quod testator præsumitur sciuisse alienam ex affectione circa legatarium. Affectio enim operi tuo nomen imponit, vt dicit *Gloss. verbo, & alteri in §. vlt. proem. Instit.*

Propinquitatis, & familiaritatis, ac dominationis affectio veritatem impedire solet, dicitur in *cap. Accusatores* 3. *quæst.* 5. Et infestationes, affectio solet amicitiæ, vel inimicitiæ incitare *cap. Repellantur* 7. *de accusat.*

Affectio nulla est maior ad vnam, quàm ad aliam pecuniam, ob quam affectionem in litem consueuit iurari, vt &c. *Gloss. verbo, Aestimatio in l.* 3 *ff. de in lit. iur.* Tamen in bonæ fidei iudicijs affectionis ratio habetur dicit *Glos. in l.* 1. *ff. de seru. export.* & considerandam esse tenuit *Gloss. in l. Seruus* 7. *verbo Affici ff. eod. tit.* Dicitur tamen in *l. vlt. ff. de oper. ser.* sic. Item voluptatis, vel affectionis æstimatio non habebitur, vbi *Glos. verbo, non habebitur*, ita declarat, vt ratione affectionis possessoris condemnetur in plus, licet ratione affectionis actoris, quandoque Reus condemnetur.

Affectio circa rem nascitur, vel ex opportunitate, vel vicinitate, vel cœlo, vel ex educatione, vel ob sepulchrum, *vt in l.* 1. *ad med. ff. Si quid in frau. patr.*

Vbi in actione non habetur ratio lucri, nec affectionis debet haberi ratio, dixit *Gloss. in verbo Palam est l. eum, qui* 14 *§. Pater ff. de furt.*

Affectionem parentelæ augere consuetudinem dicit *Gloss. verbo, Non nihil per tex. in l. Cum allegas C. de castrens. pecul. lib.* 12. *in illis verbis*. Consortium affectioni fraternæ non nihil addidisse, vnde propinqui æqualiter conuersantes non possunt suspicionem adinuicem proponere, quia tunc par affectionis causa suspicionem remouet, vt dixit *Gloss.* 1. *in cap. Postremo* 56. *de appell. & deduxit ex l. Non solum* 67. *ff. ff. de rit. nupt.*

Affectus.

NVllus affectus vincit paternum, inquit *Gloss. in l. Non solum §. vlt. in Glos. penult. ff. de procur. per tex. in l. vlt. C. de curator. fur.* ibi, quis enim talis affectus extraneus inueniatur, vt vincat paternum? idem *Glos. in l.* 4. *ff. de in lit. iur. & in cap. Per tuas* 10. *verbo, Infirmare de probat.* ibi, Præterea paternus affectus omnem vincit affectum, & dicitur in *l. Aurelius* 29. *ff. de liber. legat.* sic, Præsumptio enim propter naturalem affectum facit omnia patri videri concessa. Hic tamen non extenditur ad extraneos hæredes, vt dicit *Iureconsult. in l. penult. ff. de seru. legat.* ibi, Ne quod affectu filiæ datum est hic, & ad extraneos eius hæredes transire videatur, & adeò viget iste paternus affectus, vt pater magis eo, quàm dolo fecisse videatur ad ipsum excusandum, vt *in l. Falsus* 11. *§. vlt. ff. quod fals. tut.* ibi, Et magis probat patri ignoscendum &c. affectu enim propensiore magis, quàm dolo videri fecisse. Nostrum tamen affectum sine simulatione præbere debemus, vt dicit *Isidor. lib.* 2. *soliloq.*

In omnibus rebus, quæ dominium transferunt concurrat affectus ex vtraque parte &c. Nisi animus vtriusque consentiat perduci ad effectum id, quod inchoatur, non potest. ait *l.* 54. *ff. de action.* Tamen sufficit ad retinendum

vsum fructum volentis retinere affectum *l. Arboribus 13. §. de illo in fin. ff. de vsufruct.*

Placuit prudentioribus affectus rationem in bonæ fidei iudicijs habendam, ait *l. Cum seruus 34. ff. mandat.* Affectus tamen perducendus est, ad effectum, vt dicitur *in l. Sicut 8. §. Si voluntate ff. quib. mod. pign. vel hypot. solu.* ibi, Si voluntate creditoris fundus alienatus est &c. Si tamen effectus sit sequutus venditionis. Nam si non venierit non est satis ad repellendum creditorem, quod voluerit venire. Et *Vlpian. in l. 1. §. vlt. in fin.* dicit. Quid enim obsuit conatus, idest affectus cum iniuria nullum habuerit effectum? *Gloss. tamen in cap. Nuper 4. de bigam.* inquit sic, Quandoque magis consideratur affectus, quàm effectus, vel factum ipsum, vt in terminis *l. ijs C. qui milit. poss. lib. 12.* ibi, Pro temeritate quamuis infructuosa plectantur, vbi *Glos. verbo, infructuosa,* sic, Nota puniri affectum &c. Et verbo, *Extendatur in l. Si quis seruo 20. C. de furt. & seru. corrupt.* ibi, Punitur ergo affectus &c. *per tex.* ibi, Actio propter suum vitium extendatur; vt sit ei pœnalis actio imposita tamquam re ipsa fuisset corruptus, Ne ex huiusmodi impunitate, & in alium seruum, qui facile possit corrumpi, hoc facere pertentet, Et *in l. Quisquis 5. C. ad l. Iuliam Maiest.* ibi, Eadem enim seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura voluerunt, à qua deductum fuit *cap. penult. 6. qu. est. 1.* Offendisse enim quantum in eo fuit, licet conatus non habuerit effectum. Non tamen fuit voluntas suis terminis contenta, & ideo punienda, dixit *Gloss. verbo, Offendisse in cap. Si Compromissarius 37. de elect. in 6. Et in cap. 1. de diuort.* ibi, Argumentum, quod conatus sine effectu punitur qui tex. loquitur de vxore insidiatrice mortis mariti, quæ non fuit sequuta, & tamen, si vidua remanserit, sic debet esse absq; spe coniugij, & alijs quamplurimis legibus, quæ semper loquuntur, & intelligi debent in atrocioribus, vt *in l. Si quis non dicam rapere, sed attentare C. de Episc. & cler. & declarauit Glos. verbo Eadem in dicta l. Quisquis 5. C. ad l. Iul. Maiest.* ibi nota cogitatum puniri, quod intellige in atrocissimis, vt est crimen læsæ Maiestatis, de quo ibi, Et similibus; aliàs enim regulariter non punitur tantùm secundum affectum, sed secundum effectum iuxta *Glos. verb. Consilium in l. 4. §. Si quis ff. de vi bon. rapt.*

Afflictio.

NOn enim debet addi afflicto, afflictio, inquit *Glos. verbo Duplici in l. 4. §. Cum autem ff. ad l. Rhod. per tex.* ibi. Quia non debet duplici damno onerari &c. Et ibi indubitate vtrumque damnum pati non debet, idem *Glos. vlt. in l. Tam dementis 2. C. Episc. aud. per tex.* ibi. Ne tale hominum infortunium etiam expensarum detrimento prægrauetur, & *Glos. in l. Quod si nolit 31. §. Si plures ff. de adil. ed.* ibi; Duabus afflictionibus non debent Clerici affligi, Et est *tex. in l. Iure succursum ff. de iur. dot.* ibi, Ne & filiæ amissæ, & pecuniæ damnum sentiret; Nec etiam afflictus debet diù relinqui in afflictione, vt dicitur in *cap. Hi, qui 30. dist.* ibi, Maneat in potestate Pontificis, quod veraciter afflictos non diu suspendere &c. In casu tamen *l. Si seruus 21. ff. de euict.* dicit *Glos. vlt.* sic; Nota ergo eum habere duas afflictiones, scilicet vnam propter culpam, quia scilicet prestat, litis æstimationem, aliam propter serui absentiam, quia scilicet non agit.

Ager.

Ager.

IN *l. 1. §. vlt. ff. de aqua plu. arc.* Sic inuenies. Si tamen lex non sit agro dicta, agri naturam esse seruandam, & semper inferiorem superiori seruire: Atque hoc incommodum naturaliter pati inferiorem agrum à Superiore, compensareque debere cum alio incommodo. Sicut enim omnis pinguedo terræ ad eum decurrit, ità etiam aquæ incommodum ad eum defluere. Si tamen agri lex non inueniatur, vetustatem vicem legis tenere; Sanè enim, & in seruitutibus hoc idem sequimur, vt vbi seruitus non inuenitur imposita, qui diù vsus est seruitute, nec vi, nec clam, nec precario habuisse longa consuetudine, velut iure impositam seruitutem videatur vetustas, quæ semper pro lege habetur minuendarum litium causa.

Neque ibi, aut bonitatis agri, aut vsus eius aquæ habenda est ratio, itaut eam solam partem fundi, quæ pretiosissima est, aut, quæ maximè vsum eius aquæ desyderet, ius eius ducendæ sequatur *l. Si partem 25. ff. de seru. rust.* *vbi Gloss. verbo, Bonitatis*. Sic alias inspicitur bonitas &c. vide verbo, *Boni*.

Sic enim diligenti cultura pretia prædiorum ampliantur ità, si negligentius habita sint, minui ea necesse est, ait *l. 3. §. si quis palam ad fin. ff. de iur. fisc.* Insuper desyderant tàm villæ, quàm agri custodiam illic, ne quid vicini, aut agri, aut fructuum occupent: hic ne quid ceterarum rerum, quæ in villa continentur *l. Si ita 15. §. Mulier ff. de fund. instr.* Cum hoc tamen stat, quod cæteri agri mutuantur, veluti ab hoc agro, vt inquit *l. Quæsitum 12. vers. Si quis eod. tit. de fund. instr.*

Ruri tamen positi agrorum culturæ liberè licenterq; inseruiant: quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta sulcis, aut viniæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cęlesti promissione concessa, inquit *l. 3. C. de fer.* & ideo nunquam sationibus, vel colligendis frugibus insistentes agricolæ ad extraordinaria onera trahantur: Cum prouidentia sit opportuno tempore his necessitatibus satisfacere, vt inquit *l. 1. C. de agric. & censit. lib. 11. & Glos. verbo, In omnes in Auth. null. creden. agricol. coll. 4.* sic, In agricolis quorum causa, & alia statuuntur specialia; Nam tempore sationis non trahuntur ad munera &c. Item & circa testamenta &c. Item, & circà iuris ignorantiam &c. & quia eis parcitur &c. vnde dicitur in *Auth. quib. mod. nat. §. vlt. vers. Quisquis autem coll. 6.* ibi; Sed nec agricolas &c. non prærcrutamur, quibus Ciuilium causarum ignorantia est, & solius circà terram operationis &c. causa est studiosa, & iusta, & laudabilis. Nam in agris vbi multa simplicitas est &c. ait *Auth. de instr. caut. §. vlt. coll. 6.*

Agricultores, & circa rusticitatem occupati, dum villis incident dum agros colunt; securi sine quacumque parte terrarum, ita, vt nullus inueniatur tàm audax, qui personas, vel boues, agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit, quod ad operam rusticalem pertinet, inuadere, capere, aut violenter auferre præsumat, ait Constitutio, *Nos Federicus propè fin. de stat. & consuet. post. vs. feud.*

Qui fundos patrimoniales &c. hanc omnes sine vllius exceptione intelligantur sibi propositam opinionem, vt aut ea loca, quibus minor est soli fertilitas, cum ijs, quibus fructus vberes capiunt suscipere, & tenere non abnuant, aut si, eorum frugum sterilitatem

opimioribus cedant, ait *l. 9. C. omn. agr. deser. lib. 11.*

Per colonum præiudicium possessor inuito vel inscio Domino imponi non posse & iure, & legū authoritate declaratur, inquit *l. 17. C. de agric. & censit. lib. 11.*

Agricolarum negotia citius inciduntur, vide, *lis in vers. Citius incidi.*

Alchimista.

Contra istos sic insurgit *Ioann. Papa X X I I. in Extrauag. Vnica de crimin. fals. inter comm.* Spondent, quas non exhibent diuitias, pauperes alchimistæ, pariter, qui se sapientes existimant, in foueam incidunt, quam fecerunt. Nam haud dubiè huius artis Alchimiæ alterutrum se professores ludificant, cum suæ ignorantiæ conscij eos, qui suprà ipsos aliquid huiusmodi dixerint, admirentur: Quibus cum veritas quæsita non suppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt, ijdemque verbis dissimulant falsitatem, vt tandem, quod non est, in rerum natura esse verum aurum, vel argentum sophistica transmutatione confingant; eoq; interdum eorum temeritas damnata, & damnanda progreditur, vt fidis metallis cudant publicæ monetæ characteres, fidis oculis, & non aliàs alchimitum fornacis ignem vulgum ignorantem illudant. Hæc itaque perpetuis volentes exulare temporibus hac edictali constitutione sancimus, vt quicumque huiusmodi aurum, & argentum fecerint, vel fieri sequuto facto mandauerint, vel ad hoc scienter, dum id fieret facientibus ministrauerint, aut scienter, vel auro, vel argento vsi fuerint vendendo, vel dando in solutum, verum tanti ponderis aurum, vel argentum pænæ nomine inferre cogantur in publicum pauperibus erogandum quanti alchimitum existat, circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitimè constiterit, deliquisse, facientibus nihilominus aurum, vel argentum alchimitum, aut ipso (vt præmittatur) scienter vtentibus perpetuæ infamiæ nota respersis &c. Quid igitur amplius volunt argumentari Alchimistæ, & eorum sequaces, asserentes posse fieri transmutationem de inferioribus metallis ad superiora? Si verò adhuc pertinaciter in suis sophisticis rationibus subsistunt Respondeo, quòd aliàs dixit Imperator *in l. vlt. vers. quid si? C. de leg.* ibi: Quis enim tantæ superbiæ fastidio tumidus est, vt Papalem sensum, & Constitutionem regat, & contemnat?

Allegatio.

Qvia ipse nobilis hanc allegationem contra aduersarios allegabat, ergo contra se illam recipere tenebatur, dixit *Gloss verbo. Non valere in cap. Ex parte 33. de rescript.*

Vulgare est, quod allegans contraria non auditur, sed in casu, quo vertitur periculum animæ, vel aliud simile allegans contrari a, & propriam turpitudinem auditur, vt tenuit *Gloss. verbo Tunc viuentem in cap. Ex tenore 35. de testib. Glos. in cap. Inter dilectos 8. de donat. verbo. Turpitudinem*, ibi: Generale est illud, quod allegans turpitudinem suam non auditur &c. nisi, vbi vertitur periculum animæ, vt &c. vel nisi propter fauorem Ecclesiæ &c. vel fauore libertatis.

Alienatio.

EST enim alienatio omnis actus, per quem Dominium transfertur, inquit *l. 1. C. de fund. dot.* Et plus dixit *Gloss. verbo Idem iudicium in cap. 2.* de

de postul. sic. Et verbum alienationis ad alios contractus extenditur, per quos etiam dominium non transfertur. Nam licet pignoris obligatio dicatur alienatio, tamen dominium non transfertur, quia in bonis debitoris permanet, dixit *Glos. verbo, De libello in cap. vnico de alien. feud.* ibi; Sed cum alienationis appellatione pignoris obligatio cõtinetur, Numquid pignori obligari poterit? & videtur, quòd non vt &c. Et in verbo, *Indè* ait; Quoniam licet pignoris obligatio contineatur alienationis appellatione, non tamen est alienatio. Nimirum pignus in bonis debitoris permanet.

Et per iudicium quædam alienatio fit; in iudicio enim contrahitur *Glos. vlt. in cap. 1. de procur.* Est enim quædam alienatio per diuisionem, & adiudicationem, vt dixit *Glos. verbo, Distrahi in l. penult. C. de præd. & al. reb.* Adhuc etiam verè alienat qui in alium iure institutionis, vel simili modo sua bona transmittit, vt &c. *Gloss. verbo, Non ob hoc in Auth. de nupt. §. soluto igitur coll. 4.* vnde, quando agitur de alienatione, alienationem omnem accipere debemus, vt dixit *Iureconsultus in l. Sed si maritus 14 in fin. ff. qui, & à quib.* Verùm, quãdo res litigiosæ per successionem ad hæredes perueniunt, non debet alienatio intelligi earum inter hæredes diuisio, vt dicitur *in Auth. de litig. in princ. coll. 8.* licet alienatio fiat hæredem instituendo, vel legando, vt dicitur *in l. Ex hoc edicto §. 1. vers. Alienare intelligitur* ibi; Sed & hæredem instituendo, vel legando, si quis alienet: huic edicto locus non erit, *ff. de alien. iud.*

Alienari possunt res minoris ob famem, vt notas verbo, *Fames*; Et ipse minor, si habeat decem, & octo annos, potest alienare res ad redemptionem captiuorum, vt dicitur *in Auth. vt cum de appell. cognosc. §. Si vnum de prædictis coll. 8. ibi*, In huiusmodi verò caussis, quando pro captiuorum redemptione necessarium fuerit dare pecunias, si quis proprias non habuerit, licentia erit, si memoratæ sit ætatis (scilicet 18. annorum) mutuandi pecunias, & res mobiles, vel immobiles supponendi, siue propriæ ipsius sint, siue illius, qui in captiuitate detinetur: Quoniam in prædictis omnibus, quæ pro captiuorum redemptione data, vel expensa probabuntur; Contractus huiusmodi, tamquam à persona suæ potestatis, & legitimæ ætatis factos, ità firmos esse decernimus.

Iniquum est ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem *l. 2. ff. Si à paren. quis fuer. Manumiss.* Tamen absurdum erit ei, cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere dixit *Consult. in l. Ait prætor 7. ff. de iur. delib.*

Qui in testamento vetant, quid alienari, nec causam exprimunt propter quam id fieri velint, nisi inueniatur persona, cuius respectu hoc à Testatore dispositum sit, nullius esse momenti scripturam, quasi nudum præceptum reliquerint. Quia talem legem testamento non possunt dicere; Quod si liberis, aut posteris &c. consulentes eiusmodi voluntatem significarent, seruandam eam esse dixit *Iureconsult. in l. Filius familias 117. §. Diui Seuerus il 2. ff de legat. 1. & in l. Pater filium 36. §. Iulius de legat. 3.* ibi Cum hoc nudũ præceptum esset, nihil proponi contrà voluntatem defuncti factum, vbi *Bart.* sic summat; Nudum præceptum, vel prohibitio alienationis sine causa, alienationem non impedit. Quandò verò tenet prohibitio alienationis, solum admittuntur, qui obedierunt testatoris prohibitioni, non verò inobediẽtes, vt dicitur *in l. Cũ pater 79. §. Libertis ff. de legat.*

legat. 2. ibi; Eos enim ad fideicommissum inuitasse videtur, qui iudicio paruerunt. Alioqui per absurdum erit vice mutua petitionem induci, scilicet, vt ab altero partem alienatam, quis petat, Cum partem suam alienando perdiderit.

Nec prohibitio extenditur ad aliam rem, vel partem, quam quis habet ex alio titulo, sed de ea tantum intelligitur, quam quis consequitur, ex eo titulo, in quo alienationis prohibitio facta fuit, vt ita deducitur *ex textu in l. Pater filium* 36. *§. quindecim ff. de legat.* 3. ibi; Quia non possidentis persona, qui nunc extraneus est, recipienda est: Sed emptorum, qui secundum voluntatem defunctæ ex illis fuerunt, quibus permiserat testatrix venũdari.

Alienatione prohibita sub pæna non prodest redemptio rei ad excusandam pænam, vt dicitur *in l. Quidam* 10 *ff. de fideic. libert.* ibi; Nec quominus præstet libertatem proderit hæredi, si eum redemerit, quia semel extitit conditio & *in*, *l. Rogo* 21. *eod. tit.* ibi; Nec prosit ad impediendam libertatis petitionem, si redemerit eum, cuius semel conditio extitit.

Ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit. Nihil ex bonis suis alienare, aut mutare eum posse, inquit *l. Ex iudiciorum* 20. *ff. de accusat. Tamen in l. post contractum* 15. *ff. de donat.* contrarium dicitur, & ad hoc, vt prohibita censeatur bonorum alienatio, requiritur sententia condemnatoria, sed hic textus procedit regulariter; *dicta verò, l. Ex iudiciorum specialiter in casu, & ibidem Glos. verbo, Maiestatis*, refert alios, in quibus non potest delinquens alienare post crimen commissum.

Res restitutioni subiectæ alienari non possunt, quia satis absurdum est, & irrationabile rem, quam in suis bonis quis purè non possidet, eam ad alios posse transferre, vel hypothecæ pignoris vè nomine obligare, vel manumittere, & aliorum spem decipere, inquit *l. 3. §. Sed quia C. comm. de legat.* Sed vbi alienatio non est voluntaria, sed necessitas alienandi ex causa testatoris pendet: propè est, vt non dum debeat præstari fideicommissum, quod potest videri, defunctum nihil sensisse de huiusmodi causa alienationis inquit *l. Cum fidei 9. ff. de fideicom. libert. coniuncta, l. 13. ff. famil. herc.* vbi *Papinian.* Sic dicit; Alienationes enim post iudicium acceptum interdictæ sunt dumtaxat voluntariæ, non quæ vetustiorem causam, & originem Iuris habent necessariam. Et licet contrà dicat *d. l. Rogo eod. tit.* ibi; Idem probandum est, & si non voluntaria alienatio facta est; Soluit tamen *Glos. in d. l. Cum fidei, quam videre potes*.

Videtur, quod de bonis non alienat, qui veterem facit inuestituram, & meritò, quia in bonis Ius feudi computatur, vt inquit *Glos. verbo suorum in cap. 1. per quos fiat inuest.* Nec enim noua emphiteuticatio, seu emphæudatio dicitur, sed vetus renouatur.

Non etiam dicitur alienatio, si fiat cessio commoditatis, vt *in §. Sed cui de vsu, & hab. in Instit.* ibi, Permittimus non solùm in ea degere, sed etiam alijs locare, quod etiam fuit dictum *in l. Si vsus fructus 67. ff. de iur. dot.* ibi. Vel locet hunc vsum fructum &c. nisi per talem actum ius rei alteri quæratur; vt in, *l. vlt. C. de reb. alien. non alienan.*

Alienatio facta per patrem ad secundas conuolantem nuptias est nulla, vel in toto, aut etiam valida eodem modo iuxtà successum mortis filiorum primi matrimonij, vt est notabilis *text. in Auth. de nupt. §. Quoniam infirmas coll. 4. vbi ad fin.* Sic, Vnde alienatione facta manet causa in suspenso, sequentibus committenda fortunis, & aut

aut perfectè ab initio infirmanda alienatione, aut perfectè valente, aut particulatim quidem infirmanda alienatione, particulatim verò constante.

Item hic est argumentum, quòd si rem meam vendo, eo pacto, ne alienes; quòd si alienata sit, possim apprehendere, inquit *Glos. verbo Licentiam in Auth. vt de cater. commut. Eccl. rer. coll. 5. per tex.* ibi; Licentiam damus Reuerendiss. Oeconomis res huiusmodi apprehendere.

Bona dotalia nec consentiente muliere possunt alienari, vt dicitur *in §. 1. Quibus alienare licet in Instit.* ibi. Interdicta sit alienatio &c. Vt nec consentientibus mulieribus procedat, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum conuertatur, vbi *Glos. vlt.* ponit hos versus, in quibus ipsi domini prohibentur alienare.

Coniux, Ecclesia, furiosus, menteq; captus,
Prodigus, atque minor existens sub patre natus,
Aduersans fidei, maiestati reus, isti
Res alienare proprias de iure vetantur.

E contra verò casus, in quibus non domini possunt alienare, ponit *Glos verbo, Alienare in §. contra eod. tit. Quib. alien.* licet *in Instit.* sic.

Princeps, Augusta, Iudex, ac officialis,
Tutor, Curator, procurator, fluuiusq;
Creditor, exactor, Prælatus, seruus habentur
Hi numero bis sex, alienantes aliena.

Alienum æs.

AES enim alienum, patrimonium totum minuere constat, non certi loci facultates, inquit, *l Si fideicommissum* 50. *§. 1. ff. de iudic. Cui consonat, l. Cogi* 16. *iuxtà fin. ff. ad Trebel.* ibi; Nec enim recipit fundus æris alieni, vel legati minutionem.

Nihil perire credimus Ecclesiasticis vtilitatibus, si quæ sunt, aliena reddantur, inquit *cap. Generalis ad fin.* 54. *dist.*

Aeris pretia, quæ à Prouincialibus postulantur, ità exigi volumus, vt pro viginti libris æris, vnus auri solidus à possessore reddatur, idest vnus aureus dicitur *in l. vnic. C. de coll. ær. lib.* 10.

Alimenta.

NEcare videtur &c. Et qui alimoniam denegat, dicitur *in l* 4. *ff. de liber. agnosc.* Et ideo cura maior adhiberi debet, ne fame pereat filius quàm ne minor hæreditas ad petitionem perueniat, si apparuerit filium non esse. Respondit *Vlpian. in l. Sed & si* 5. *vers.* Nec mirum videri debet hæreditatem propter alimenta minui, eius, quem fortasse iudicabitur filium non esse *ff. de Carbonian. edict. Et in l.* 1. *§. Sed & si incertum, ff. de ventr. in poss. mitt.* sic. Aequius enim est, vel frustrà nonnunquam impendia fieri, quàm denegari aliquando alimenta ei, qui dominus bonorum aliquo casu futurus est &c. Satius est enim sub incerto eius, qui edetur ali etiam eum, qui exhæredatus sit, quàm eum, qui non sit exhæredatus fame necari. Et in hanc rem curator constituendus est, qui cibum, & potum, & vestitum, & tectum mulieri præstet pro

sa-

facultatibus defuncti, & dignitate eius; ac mulieris.

Non tamen totum patrimonij redditum consumi debet in dictis alimonijs, sed modum patrimonij expectare debet Iudex, & statuere tàm moderatè, vt quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum alimentis decernat, & semper sic, vt aliquod ex redditu supersit, dicit optimus *tex. in l. Ius alimentorum 3. ff. vbi pupill. educ. deb.*

Et quando alimenta relicta sunt simpliciter, & antea præstita fuerant, præstabitur, ea quantitas, quæ nouissima inuenitur, vt dicitur *in l. Mela 14. ad fin. ff. de aliment. legat.* ibi; Ad hoc erit dicendum eam præstationem sequendam, quæ nouissima fuit, Si verò antea præstita non fuerant, præstabuntur iuxtà formam *l. penult. ff. eod. tit. de alimen. legat.* ibi: Cum alimenta per fideicommissa relicta sunt, non adiecta quantitate: ante omnia inspiciendum est, quæ defunctus solitus fuerat ei præstare: deinde, quid ceteris eiusdem ordinis reliquerit: Si neutrum appareat: tunc ex facultatibus defuncti, & charitate eius, cui fideicommissum datum erit, modus statui debet. Nam sufficienter alere, & vestire debet secundum ordinem, & dignitatem personæ, dixit, *l. Sed & si 19 ff. de vsufruct.* Nec solum alimenta præstari debent, pupillo, sed & in studia, & ceteras necessarias impensas pro modo facultatum ait *l. De bonis 6. §. qui pupillo ff. de Carbon. edict.* Sed & propter familiæ cibaria, necessaria erit diminutio, & res tempore perituras permittere debet prætor distrahere, *l. Diuus 5. in fin. ff. de pet. hered.*

Curator ventris alimenta mulieri statuere debet, nec ad rem pertinet, an dotem habeat, vnde se sustentare possit: quia videntur, quæ ità præstantur, ipsi prestari, qui in vtero est, *l. 5. ff. de ventr. in poss. mitt.* Alendus namq; est partus, & hanc curã non priuatam, sed publicam esse, dicis in verbo, *Partus*.

Nota, quòd qui de suo non potest ali, quandoque de alieno est alendus, ità notauit *Glos. verbo Decerni per tex.* ibi *In l. Decurionibus facultatibus lapsis alimenta decerni permissum est, maxime si ob munificentiam in patriam patrimonium exhauserint ff. de decur.* Et licet ad fiscum bona fuerint deuoluta, ex quibus alimenta debeantur, præstanda sunt, sicuti si ad quemlibet successorem transissent *l. 2. ff. de alimen. legat.*

Si quis exemplo alimentorum, quæ dudum pueris, & puellis dantur, velit sequi: Sciat Adrianum constituisse, vt pueri vsque ad decimum octauum annum, & puellæ vsq; ad decimum quartum annum alantur &c. pietatis intuitu in sola specie alimentorum hoc tempus ætatis esse obseruandum *d. l. Mela 14. ff de alim. leg.*

Quemadmodum locupletes filij matrem alere coguntur egentem; ità iustum decernimus, & à matre filios pasci *Auth. si pater, C. diuis. fac. apud quem &c.* Quod de matre, & filio indigentibus dicendum est, hoc quoque in omnibus ascendentibus, & descendentibus personis vtriusque sexus decernimus obseruari, inquit *idem text.* An autem frater fratrem teneatur alere? videtur, quòd sic. Respondet *Gloss. verbo Parentum in l. 1: C. de alend. lib* *Quod videtur probari ex l. Qui filium 4. ff. vbi pupil. educ. deb.* ibi: Et si citrà Magistratuum decretum tutor Sororem pupilli sui aluerit, & liberalibus artibus instituerit, cum hoc aliter contingere ei non posset, nihil eo nomine tutelæ iudicio pupillo Præstare debere. Quod autem à filio, patri licet incestuoso alimenta præstari debeant, vide verbo, *Pater, in vers. Pater incestuosus*

sui. Et vltrà dicta circà matrem, vide verbo, *Mater*, *vers. Si autem contigerit*.

Quibus minuta alimenta sunt relicta &c. decem aureorum dicuntur minuta, vsque ad decem aureos, dixit *Gloss. in l. 3. §. quamuis autem ff. Si cui plusquam per l. Falc.*

Dicas pro alimentis pauperum fieri alienationem: Quia Animæ hominum quibuscumque vasis, vel vestimentis præferri debent, dixit *Gloss. penult. per tex ibi, in l. Sancimus 16. C. de sacros. Eccles.* Vnde etiam; qui bonis cessit, non est fraudandus alimentis quotidianis, ait *l. Qui bonis ff. de cess. bon.*

Alimentatus à tenera ætate alimentatorem suum non accusat, inquit *Bald. in summ. l. Iniquum 17. C. de ijs, qui accusar. non poss. & ibi Gloss. verbo Cum Symacho* sic, Et hoc casu dicam repetere expensas, quamquam causa pietatis factas; Nam aliter hæc repeti non possunt iuxtà *l. Nesenius 36. ff. de negot. gest.* ibi; Non posset alimenta, quæ pietate cogente de suo præstitisset repetere, vbi *Gloss. verbo Pietate* sic; Quæ pietas præsumitur, vt &c. Casus verò, in quibus etiam cessat alimentorum repetitio, vide alios *in Gloss. vlt. d. l. Nesenius*. Casus tamen, in quibus repetuntur, ponuntur *in l. 1. in fin. ff. si mulier ventr. nom.* ibi. Nec enim alias hæc repetuntur, nisi per calumniam in possessionem venerit &c. & *in l. Patrem 16. C. de nupt. & in Gloss. verbo, Repetere, in l. 7. ff. de calumniator.*

Item nota in alimentis præsumi citius mori senem, quàm Iuuenem *Glos. verbo Vlpian. ait in l. Hæreditatum 68. ff. ad l. Falc.*

Alius.

VVlgare est, quod implicat similia, vt notat *Gloss. verbo, Alia ibi simili in l. Si fugitiui C. de seru. fugit.* Verùm nec nomen illud, Alij, semper facit positionem, dixit *Glos. verbo, Maiores in cap. Sedes 15. de rescript. vbi iura allegat.*

Quis potest per alium habere, quod per se non potest; vt notat *Gloss. verbo, Nec quia in l. Pœnales 32. §. vlt. ff. ad l. Falc.*

Alternatiua.

NOta alternationem facere incertitudinem, &c. & nocet &c. quandoq; non nocet, inquit *Glos. in verbo Alternatione l. Prætor edixit §. Quod autem ff. de iniur.*

In vera alternatiua altero mortuo, qui superest, dandus est, vt &c. *Gloss. verbo, Decesserit in l. Quidam 99. §. Si tibi seruus ff. de legat. 1. Et est tex. in l. 3. ff. de eo quod cert. loc. ibi*: Et ideò, qui Stichum, aut Pamphilum promisit eligere posse, quem soluat, quandiu ambo viuunt ceterum, vbi alter decessit extingui eius electionem: Ne sit in arbitrio eius, an debeat, dum non vult viuum præstare, quem solum debet.

Cum autem semel dixerit hæres, verum dare velit, mutare sententiam non poterit *l. Statuliber 11. §. vlt. in fin. ff. de legat. 2. Qui tex.* loquitur in hærede, à quo legatum alternatiuè relictum est; Et in legatario, cui alternatiuè relictum est, *l. Si is cui 19. ff. de legat. 2.* sic ait. Amplius ius mutandæ vendicationis non habet, quod procedit etiam si legatarius ignoret legatum sibi fuisse per alternatiuam relictum.

In eo, qui debet soluere Romæ, aut Vlyſipone non habet locum alternatiua, vbi ab eo petatur, ſed tantùm, vbi ab eo ſoluatur, ex ratione, *tex. in d. l. 3. ff. de eo, quod cert. loc.* qui poſt verba relata ſupra ſic dicit; Quare & in propoſito eum, qui promiſit Epheſi, aut Capuę: Si fuerit in ipſius arbitrio, vbi ab eo petatur, conueniri non potuiſſe: Semper enim alium locum eſe&turum, ſic euenire, vt ſit in eius arbitrio, an debeat. Quare putat poſſe ab eo peti altero loco, & ſine loci adiectione. Damus igitur actori electionem petitionis, & generaliter definit Scæuola petitorem electionem, vbi petat habere, reum, vbi ſoluat, &c. Alioquin tollis ei actionem, dum vis ſeruare reo optionem.

Ambiguitas.

ISTA contingit, cum dubitatur circà orationem, obſcuritas verò circa dictionem aliquam, vt dixit, *Gloſ. verbo, Obſcuram in l. 40. ff. de pact.* ibi; Tu dic, quòd vertitur obſcuritas circà dictionem aliquam, ex eo, quòd multipliciter intelligi poteſt, vt, &c. & ità ex generalitate ſit; ſit etiam ex alternatione, vt &c. Sed ambiguitas eſt circà, orationem, &c. Et ità, *l. Quoties 13. ff. de rebus dub.* dicit. Quoties in actionibus, vel exceptionibus ambigua oratio eſt, commodiſsimum eſt id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat. Vnde dicitur *in l. Cum 25. ff. eod. tit.* Sic. Cum in teſtamento ambiguè, aut perperam ſcriptum eſt, benignè interpretari, & ſecundum id, quod credibile eſt cogitatum, credendum eſt, & *in l. Si ità 11. §. vlt. eod. tit.* Sic. Sin autem hoc incertum eſt, nec poteſt per ſubtilitatem iudicialem manifeſtari in ambiguis rebus humaniorem ſequi ſententiam! oportet. Tamen ambiguitas contrà ſtipulatorem eſt, inquit *l. Cum quæritur 27. eod. tit. de reb. dub.*

Ambiguitatem euitat Sedes Apoſtolica in ſuis actibus, vt habes infrà verbo, *Apoſtolica Sedes*.

Ambitio.

EXecrabilis &c. ambitio, quæ ſemper plus ambiens, eò magis ſit inſatiabilis, quò ſibi amplius indulgetur, & improbitas importuna petentium à nobis, & prædeceſſoribus noſtris Rom. Pont. non tàm obtinuiſſe, quàm extorſiſſe noſcuntur; *Extrauag. Vnica de praben.* Idem dicitur in *Extrauag. Execrabilis 4. de preb. int. comm. & ibi Gloſ. verbo, Inſatiabilis*, Sic; Quia nunquam vacat amori anima amantis, immò quantumuis, ibi delectationibus magis abundat, magis accenditur, & cremat, &c. Et ideò dixit *Senec.* Cum cætera vitia homine ſeneſcente ſeneſcant, ſola auaritia, ſeù ambitio iuueneſcit, maximè cum de rebus mundanis non poſsit anima, quæ ſpiritualis eſt ſatiari; Et ſatis nos experientia quotidiana docet in Curia Almæ Vrbis, vbi iſti inſatiabiles, tam Senes, quàm Iuuenes crebrò videntur, quorum ambitio non patitur, quempiam in ea menſura conquieſcere, qua quondam fuit eius impudens votum. Cupiditas enim ſe porrigit, & felicitatem ſuam non intelligit, quia non vndè venerit reſpicit, ſed quo tendat dixit *Senec 2. de benefic. cap. 27. & paulò ſuprà*. Sic. Non patitur auiditas quenquam eſſe. Nunquam enim improbæ ſpei, quod datur ſatis eſt; & maiora cupimus, quò maiora venerunt.

Mens etiam potentiæ, ideſt, dignitatis auida, nec abſtinere nouit a vetitis, nec gaudere conceſsis, nec pietati adhiberi

hibere consensum, vt &c. & alibi legitur, quos amor dominationis inuasit, iugũ disciplinæ fecit respuere, vt dixit *Gloss. verbo Religiosorum in Extrauag. vlt. de præb.* Etiam si cum detrimento proprij iuris, & authoritatis non ne vides ità in Absolon. qui cum esset filius Regis ambitione regnandi amplexabatur, & deosculabatur homines, etiam si viles, vt 2. *Reg. cap.* 15. 5. Lasciuis hæderis ambitiosior, vt dixit *Horat. lib.* 1. *Od.* 36. Hædera namque omnes amplexatur arbores, & ab ea sumpta est metaphora, & nomen, ambire.

Quorundam oculos sic vitium ambitionis excæcat: quòd quasi suæ professionis immemores, qua contemptis honoribus abiectisque diuitijs arbitrium proprium subiugarunt alterius ditioni, retrò respiciunt ad aratrum manu missa, dum præcipitanter ruunt in litigiorum anfractus causarum stipitibus se inuoluunt, inquit *cap. Quorundam* 24. *de elect. in* 6. *& facit Glossa verbo, Perpetuos in Extrauag. Execrabilis* 4. *de præb. int. comm.* ibi; Ambitio Monachorum, quæ tanto damnabilior est, quanto ipsi mittendo manum ad aratrum, respiciendoque retro in ipsis accenditur appetitus, & in *Clem. vlt. verbo, Ambitionis de elect. & alia habes verbo Religio, & verbo, Monachus*. Et quia in ipsis discordiarum, & Schismatum productiua est reprimenda, inquit *Clement.* 1. *de Regular.*

Omnia virtutis præmia ambitio possidet, dixit *ex Marc. Coton. Augustin. lib.* 5. *de Ciuit. Dei*; vnde bene dixit *Gloss. vlt. in cap. vlt. de translat. Episc.* Quod ex eo, quòd aliquid contrà ius obtinetur, præsumitur ambitiosè obtentum, vnde etiam *Ioseph. de antiq. lib.* 7. *cap.* 1. *lin.* 30. hæc optima verba dicit. Hinc sanè videre licet, quàm nihil non audeant homines ambitioni dediti, dum nemini cedere volunt; nam & dum cupitis potiri, properant, non dubitant quoduis perpetrare facinus, & ne quod semel nacti sunt, amittant maiora etiam non reformidant, sic existimantes leuius incommodum esse ad summum fastigium non peruenire, quam ab assuetis iam bonis excidere: Ideoq; plus illis semper audaciæ superest, dum timent, ne pristina fælicitate priuentur.

O Ambitio ambientium Crux, idest pœna, quomodo omnes torquens omnibus places? *ex Diu. Bernar. tradit Glos. verbo, ambitio in d. Extrauag. vnica de præben. & August. lib.* 1. *de Ciuit. Dei cap.* 1. Sic Dum dominari appetunt, ipsa ei dominandi libido dominatur, quod desumpsit *ex Cicer. lib.* 5. *paradox. & facit illud Abacub. cap.* 1. *in fin.* qui loquens de Habucho de Nosor valdè ambitioso, sic ait. Propterea immolabit Sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo, ambitioni videlicet.

Relinque igitur ambitum tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum: tam sollicita est, ne quem ante se videat, quàm ne se post alium, laborat inuidia, & quidem duplici dixit *Senec. Epist.* 85. & vltrà prædicta, eo ipso, quòd quis ambit, indignus efficitur, *vt in cap. vltim. prima quæstione* 6. ibi. Sicut is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris Altaribus est admonendus: Sic, qui vltrò ambit, vel importune se ingerit, est proculdubio repellendus, vnde dixit *Glossa verbo, Ingerere in capite Per nostras* 26. *de iure patronatus*. Hoc ipso tamquam ambitiosus debet repelli &c. quia non ambitione, sed labore vnumquemque ad honorem conuenit peruenire idem *Glossa penultima*

in cap. officij 38. de elect. & latius habes verbo, *Honor*.

Denique non ambitiosum est pauperem Clericum sibi beneficium impetrare, dixit *Glos. verbo, Distinctio propè fin. in cap. vlt. de concess. preb. in 6.* Nec cum principe ambitio potest committi, inquit *Glossa verbo, Dolus, l. probatorias Cod. de diuers. offic. lib. 12.*

Committitur tamen ambitio, cum officia semel habita iterum prætenduntur haberi, vt dicitur *in l. 1. C. ad l. Iul. de ambit.* ibi; Vel cætera officia repetere audeat, cum publicæ disciplinæ semel gesta sufficiant. Et etiam dicta contrà ambitionem sufficiant.

Amicitia, & Amicus.

HÆC est diuinarum, ac humanarum rerum coniunctio, cum beneuolentia, & charitate, dixit *Cicer. in lib. de amicit.* vbi etiam hæc, Ego vos hortari possum tantum, vt amicitiam humanis rebus anteponatis. Nihil enim est tàm naturæ aptum, tàm conueniens ad res vel secundas, vel aduersas; Et *Quintil. in lib. declam.* Non reperio, quid in rebus humanis excogitauerit natura præstantius amicitiæ. Quæ perfecta dicitur, si virorum bonorum est, & in se virtute similium, vt dixit *Aristot. lib. 8. Ethic. cap. 2. & Gloss. verbo, Rationibus in l. lata culpa 223. ff. de verbor. sign.* Amicitia est idem velle in licitis, & honestis. vnde nulla excusatio peccati est, si amici causa peccaueris; Lex enim in amicitia scripta est, vt, Nec rogemus res turpes, nec rogati faciamus, vt idem *Cicer. dixit, vbi supra.* Hæ tamen amicitiæ raræ sunt, quia, qui tales sint, pauci admodum reperiuntur; Sed tales permanent quamdiù sunt boni; virtus namque permanens est, *idem Arist. dict. cap. 2.* à quo Cicer. omnia extraxit.

Amicitiæ verò, quæ aut propter vtilitatem, aut propter voluptatem sunt, non propriæ dicuntur, quia tales amici non se diligunt, sed quia ex ipsis aliquid prouenit boni, vel iucunditatis, quibus cessantibus, soluitur amicitia, vt dixit *Aristot. vbi supra*, subijciens, quòd cum ista non permaneant, facilè soluuntur tales amicitiæ, & *Senec. lib. 1. Epist. 9.* Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit malè cogitat, quemadmodum cepit, sic desinet &c. Hæ sunt amicitiæ, quas temporaneas appellat populus, qui causa vtilitatis assumptus est, tandiù placebit, quandiù vtilis fuerit. Vnde refert *Laert. ex Arist.* Veram amicitiam inter homines interijsse, cum hodie non detur nisi ob interesse.

Ratione amicitiæ Iudex potest pœnam remittere, licet pretio non posset, vt dixit *Glos. verbo, Specialis per tex. ibi in cap. 3. de offic. leg.* Nam amicitia est magna incercetrix cum intellectu, & sæpè facit illum intelligere esse probabile, quod penitus est sine ratione. Non tamen omnis amicitia repellit iudicem, sed maxima, vt dixit *Glossa verbo, Nimis in capitulo Accedens 4. vt lit. non contest.*

Qui amicus est, amat, qui amat, non vtique amicus est; itaque amicitia semper prodest; Amor etiam aliquando nocet, dixit *Senec. Epist. 35.* Omni tempore diligit, qui amicus est, dicitur *Prouerb. 17. cap. num. 17.*

Amicorum omnia sunt communia, in omnibus autem sunt sine dubio, & coniuges, & sicut non potest diuidi aer, nec splendor solis, ità nec reliqua, quæ com-

communiter omnibus data sunt ad habendum diuidi non debent, sed habenda sunt communia, vt dicitur *in cap. Dilectissimis 12. q. 1.*

Sine amicis nullus eligeret viuere, licet cuncta alia bona possideret. Nam & locupletes, & in dignitate, & in summa potentia constituti plurimum amicis indigere videntur: Quomodo enim custodirentur, seruarenturque sine amicis? Cum quanto plura sunt illa tantò magis periculo subiacent. In paupertate quoque ac reliquis calamitatibus vnicum est in amicos refugium, & Iuuenibus ad compescendos errores, & senibus ad curam, & obseruationem, auxiliaque illarum rerum, quæ illis desunt propter inbecillitatem dixit *Arist. lib. 8. Ethic.* vnde, & si sapienti nihil necesse sit, & se ipso contentus sit, amicis tamen illi opus est, & illos cupit habere quamplures, vt ait *Senec. lib. 1. Epist. 9.*

Adeo magna est potentia amicitiæ, vt præsentia amicorum faciat cessare præsumptionem metus in quocumque actu, vt deducit *Baldus ex l. Transactionem 35. C. de transact. per tex.* ibi; Cum ea amicis etiam interuenientibus re vera ostenditur processisse metus velamento rescindi postulantis professio detegit improbitatem, & quod magis est, præfertatur parentelæ, & consanguinitati, vt notatur ex *textu in l. Cum allegas C. de Castr. pec.* ibi Etenim peregrinationis laborem sociatum commilitij eius, & obeundorum munerum consortium affectioni fraternæ non nihil addidisse, quinimmo vice mutua chariores inuicem sibi eos reddidisse credendum est; Vnde etiam excusationem amici nomine proponendo amicus absque mandato, de æquitate admittendus est, vt dixit *Glossa verbo, Quindecim in addit. cap. Cupientes 16. de elect. in 6.*

Semper imbecillo amico plus debemus, vt dixit *Senec. lib. 7. de benefic. cap. 16. ad fin. & Iob. cap. 6.* 14. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Dei derelinquit, & eo maximè, si fuerit æger; Cum hoc tamen quod si ei assidet hæreditatis causa, vultur est, cadauer expectat; vt dixit *Senec. Ep. 96.*

Integris amicitijs officium prætermissum imprudentiæ, vel (vt grauius interpretemur) negligentiæ excusatione defenditur. Post reditum in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet, inquit *Cicer. pro Tito Gabineo approbatus à Diuo Hieronymo lib. 1. contra Rufin. in princ.*

Sed perfidus est, solo nomine amicus & hic non ne tristitia est vsque ad mortem? vt dicit *Ecclesiastic. 37. & ibi Glos. interlini.* sic; Magnum malum est, & dolendum, vbi speratur fides inueniri malitiam, & vbi amicitia speratur reperiri peruersitatem; nulla enim pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus, & sic non est deterior hostis, quàm fictus amicus. Non odium grauius, quàm simulatus amor, ponit *Gloss. verbo, Hostis in cap. Si inimic. 93. dist. & ibi in tex. ex Beat. Petr.* ità dicitur. Et est multo nequior hostis hic, quàm illi, qui foris sunt: hic enim per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt, gerit. Contra prædictos *ex Caton.* consulit *Glos. verbo, Arte in Auth. de exhiben. reis §. Illud quoque coll. 5. in hunc modum.*

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus:
Tu quoque fac simile, Sic ars diluditur arte.

Nec putet quisquam, quod amicos faciat, quando ipse non est; nam hinc inquit *Senec. lib 2. Epist. 18. ad fin.* sic,

Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis suis obsessus, quam quòd amicos sibi putat, quibus ipse non est, quod beneficia sua efficacia iudicat; ad conciliandos amicos, cum quidam quod plus debent, magis oderint; leue æs alienum debitorem facit; graue inimicum. Quid ergo beneficia non parant amicitias? parant, si accepturos licuit eligere, si collocata non sparsa sunt.

Denique non reputet amicus, quòd amicitia offendatur quando alter amicus in confectione scripturæ vtitur multis cautelis, & solemnitatibus, cum Imperator *in Auth. de instrum. caut. §. 1. in fin. coll. 6.* dicat sic; Huiusmodi subtilitatem causæ addimus, non vt credentes priuemus fide sua circà amicos sed vt quantum possibile est, & perfidiam, & negationem multis reconuincamus modis.

Amico negligenti tradens rem custodiendam sibi imputet, habes verbo, *negligentia*. Si vis plura alia de amico, vide omnino *Ecclesiastic. cap. 6. 7. 9. e 12.*

Amittere.

CVM multæ, & innumerabiles causæ rebus incidant mortalium, per quas homines iugiter retinere, quod habent, non possunt, & est satis durum per huiusmodi difficultates amittere, quod semel possessum est, dicitur *in l. Corruptionem 16. C. de vsufruct.*

Placet enim nobis ei, qui amittit vsum fructum ex eo, quod amittit nihil accrescere *l. 3. §. penult. ff. quib. mod. vsusfruct. amitt.* Sed & si non dolo malo, sed lata culpa amiserit aliquid vtique tenebitur, ait *l. 2. §. Sed & si quid ff. de act. vel hered. vend. & ibi Glos.* sic, Item de leui &c. cum vtriusque gratia hic contractus celebretur.

Quod non est; amitti non debet dixit *Glos. verbo, Non amitti in l. 1. ff. quib. mod. vsusfruct. amitt. Et facit Gloss. in l. Itinere ff. de seruit rust.* ibi; Quod non est, deperire non potest.

Amor.

AMorem honestum solis animis æstimantes dixit *Iureconsult. in l. 3. ff. de donat. inter vir.* qui non solum nobilibus, sed etiam ignobilibus à natura insitus est, vnde dixit etiam *Iureconsult. in l. Si vxor 13. ff. ad l. Iul. de adult.* Nec enim soli, inquit, Atridę vxores suas amant, & *ibi Glos. verbo; Atrida* dicit, idest nobilissimi sic dicti à genere, vel idest legitimi viri, vnde *Virgil.*

Coniuge prærepta, nec solos tangit Atridas
Iste dolor &c.

Amor iste inuitat ad matrimonium, vt dicis in verbo, *Matrimonium vers.* Quæ inuitant, & post contractum tantum sibi coniuges derelinquant, quantum superstitis amor exegerit, vt inquit *l. vlt C. de infirmandi pen. celibat.* Non tamen debet esse valdè ardens, quia, vt inquit *Hieron. contrà Iouenian. lib. 1. relatus in cap. Origo 32. quæst. 4.* Adulter est in suam vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis est: in sua nimius. Sapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu &c. Nihil est fœdius, quàm amare vxorem quasi adulteram &c. Nec amatores se vxoribus præbeant, sed maritos.

Sed nihil est furore amoris vehementius: quem retinere Philosophia est perfectè monentis, & insistentem, atque inhærentem concupiscentiam refrænantis.

Dici-

Digitized by Google

Dicitur *in Auth. quib. mod. nat. effic. §. Illud quoque coll. 6. Et ibi Glos. verbo, Vehementius*, sic. Nota, amorem appellari furorem vehementem, vt sicut furiosus se non sentit, sic nec amorosus. Vnde versus.

Non frater fratri, cum furor ille venit.
Igneus ille furor nescit habere modum.

Est etiam similis ebrio, vt enim vino quis capitur, vel Baccho, ità, & amore, vt inquit *Glos. verbo, Bacchata, in §. vlt. de success. quæ fieb. per bon. vend. sublat. in Institut. per tex.* ibi. Cum libera mulier seruili amore bacchata, & alia portat *Glos. verbo, Capta, in l. 1. C. de Senatusc. Claud. toll. per tex.* ibi. Ne ea, quæ libera constituta est semel decepta, vel infelici cupidine capta &c. Et denique facit illud vulgarissimum. Omnia vincit amor, super quo lege Epigramma à quodam ex nostris Poetis sic compositum.

Victrici Veneri committit prælia Cæsar,
Inuictum Alcidem Magnus ad arma vocat:
Pugnatur, vincit Cæsar, venus Alma triumphat,
Corruit Alcides, omnia vincit amor.

Homines non sunt amandi, nisi quia iusti sunt, vel vt iusti sint, & sic se ipsum quisque amare debet, dixit *Augustin. lib. 8. de Trinit. cap. 8.* Qui verò vult amari, amet, vt dixit *Senec. lib. 1. Epist. 9.* ibi Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllæ veneficæ carmine, si vis amari, ama; Et nunquam vacat amor in anima amantis &c. vt suprà habes in verbo, *Ambitio, & ex Glos. verbo, Insatiabilis, in Extrauag. Execrabilis 4. de præb. inter commun.* Et cum hæc ità sint, nihil facilius, quàm amor recrudescit, vt dixit *Senec. Epist. 70.*

Amor carnalis, & timor &c. plerumque sensus hebetant humanos, & peruertunt opiniones: vt quæstum pietatem putent &c. *cap. Accusatore 3. quæst. 5.* Hinc pater, vel mater non admittitur ad iurandum pro filio, quia creditur, quòd amore eius in infinitum iurent, vt dixit *Glos. in l. 4. ff. de in lit. iur.*

Nec putent parentes, quòd amor amittitur filiorum, si eos castigent; Nam in corripiendo filium, quantumuis asperè, nunquam paternus amor amittitur, vt dicitur *in cap. Non vos post medium 23. quæst. 5.* Quin potius cum castigatur, plus diligitur, vt dixit *Ambros. relat. in cap. Non osculatur 5. quæst. 5.* ibi. Quando castigatur, qui diligitur tunc circa eum pietas exercetur: habet enim amor plagas suas, quæ dulciores sunt, cum amatis amarissimè inferuntur. Dulcior enim est religiosa castigatio, quàm blanda remissio. Vnde *Augustin. in c. Nimium 23. quæst. 4.* ait, Melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Et à contrario dicitur *in cap Non putes te tunc amare seruum tuum, quando eum non cadis 23. quæst. 5.*

Anima.

Tria reperiuntur in ea, Intellectus, qui præconcipit, ratio, quæ discernit, & memoria, quæ conseruat. Intellectus præconcipiens, patri primo operanti comparatur. Ratio discernens comparatur filio, qui est sapientia patris disponens omnia in Cælo, & in terra. Memoria conseruans comparatur Spiritui Sancto, qui omnia corroborat, & confirmat. Sicut ista tria,

tria, idem sunt in substantia cum anima, sic & tres personæ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus idem sunt in substantia, ita *Glos. verbo. simplex in cap. 1. sum. Trinit.*

Animarum cura est ars artium, vt dixit *Glos. verbo, Examinandi, in cap. 1. de verbor. signific. in 6. & in cap. Cum in illis 16. de præb. eod. lib.* & ideo, qui tale regimen habent maiorem idoneitatem habere debent, vt *in dicto cap. Cum in illis dicitur*, ibi. Quibus beneficia curam animarum habentia committuntur maior, quàm in his, qui ad alia promouentur idoneitas requiratur. Quapropter valdè attendi debet, vt animarum cura nullatenus negligatur, & beneficia ipsa debitis obsequijs non defraudentur, vt dicitur *in Trid. sess. 7. cap. 5. & 8. de reform.* adeò, vt etiam periculum animarum euitari debeat iuxta *cap. Romana 5. ad fin. de sent. excom. in 6.* Quapropter attendant, qui talia beneficia prouident, vt assumant dignos, & idoneos, cum iuxtà Canonicas Sanctiones nihil sit, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur ad regimen Ecclesiarum, vt in expresso dicitur in *Extrauag. 3. de præb. inter comm.* Et arbitror conuenire verbum Dei de venditoribus eis, qui tradunt, Ecclesias auaris, tyrannis, & indisciplinatis, inquit *cap. Hæc diximus 16. q. 7.* Conferantur igitur dignis, & inter dignos, dignior præferatur ad vitandos graues remorsus conscientiæ, & quæstiones, an teneatur conferens digno, relicto digniori ad restitutionem, quia in ijs, quæ animæ salutem respiciunt pars securior est tenenda vt *in Clement. exiui vers. Nos itaque de verb. Signif.* Et si Sæcularis potestas dicit in *Auth. vt cum de appell. cognoscitur. §. Si quis de prædictis coll. 8. bac* Si enim pro causis corporalibus cogitamus, quantò magis pro animarum salute prouidentia est nostræ solicitudinis adhibenda: multò magis potestas Ecclesiastica ad illam attendere debet, cum primò, & principaliter id sit officium suum, & vt animæ hominum quibuslibet rebus præponantur, inquit *Glos. verbo. Excepta in §. Sacra de rer. diuis. in Inst. per tex. in cap. Præcipimus 12. q. 1.*

Animus.

REX noster est animus, hoc incolumi cętera manent, in officio parent, & obtemperant; Cum ille paululum vacillauit, simul dubitant. Cum verò cessit voluptati, artes quoque eius actusque marcent, & omnis ex languido, fluxoque conatus est &c. Animus noster modò Rex est, modò tyrannus. Rex, cum honestas intuetur &c. Et nihil imperat, turpè, nihil sordidum, vbi verò impotens, cupidus, delicatus est transit in nocentem, detestabilem, ac dirum, & fit tyrannus, dixit *Senec. epist. 115. propè fin.*

Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus, ac degener, qui abluctatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mauit Deos, quàm se, dixit *idem Senec. Epist. 108. ad fin.* & si vis plura alia circà animi generositatem vide eundem *Epist. 39.* Circa nobilitatem *Epist. 44.* Circa magnitudinem *Epist. 88. & Epist. 103.* Cuius verba non refero, quia nostræ inspectionis est potius verba legum, & Canonum referre.

Animi infirmitas, malorum mores non excusat dicitur *in l. 1. C. si aduers. delict.*

Animus gaudens ætatem floridam facit *Prouerb. cap. 17. 22.*

Nisi animus vtriusque consentiat, perduci ad effectum id, quod inchoatur, non

non potest. *l. In omnibus 54 ff. de action.* Nec tantum attendenda sunt, quæ fiunt, quantum quo animo fiant. Amplius enim respicit Deus ad cogitationes, & spontaneas voluntates, quàm ad actus, qui per simplicitatem, aut necessitatem fiunt, vt *in cap. Si quandoque ad fin. 15. quæst. 6.* Cum sæpè se aliter habet species facti, & aliter facientis animus, vt inquit *Augustin. lib. 3. confess. cap. 9. & Glos. vlt. in l. Arboribus 13. §. De illo ff. de vsufruct.* sic, Item nota mentem, & propositum aliquid facientis esse seruandum.

Sed qualiter sciam, quòd sic, vel sic voluerit, cum mens & animus hominis non mihi notus sit? Ex verbis, quæ præcesserunt respondit *Glos. in l. 1. §. Eum qui verbo ff. de constit. pecun. & in l. Apud Celsum 4. verbo Causa, ff. de dol. excep.* sic. Sed quomodo scire poterimus, vtrum iste demandasset, aut non? Respondetur per præfationes, suasiones, & admonitiones, quas fortè iam ei fecerat, &c. vbi Apostilla ita dicit. *Angel. in l. 1. ff. de eo per quem fact. dicit hanc Glosam de iure meliorem ad hoc, quod quis ex his, quæ ante dixerit probatur animus eius, & quo animo quis fecerit aliquid, adde alterã Glos. in l. Fulcinius 7. §. 1. qui loquitur de latitante, cuius animus attenditur, si fraude latitat, ff. quib. ex caus. in poss. eat.* Nam exteriora indicant animi secreta interiora, vt dixit, *Glos. verbo, Desierunt in §. Pauonum de rer. diuis. in instit.* vbi ponit illum vulgare versum.

Intima per mores cognoscimus exteriores.

Animo vis fieri non potest dixit *Glos. verbo Ministret, in cap. Per tuas 35. de Simon.* Potest tamen ex animo, quòd licitum est fieri illicitum; *vulgar. Glos. verbo, Per ipsos, in Clement. Vnica de excess. prælat.*

Antecedens, & consequens.

Quia ex transacta in te vita dedicicimus, quid de consequenti conuersatione tua præsumamus, inquit *Pontif. in cap. Mandata 6 de præsumpt. & Glos. verbo, Fidem Christi, in cap. Eam te 7. de rescript. ibi;* Ex antecedenti præsumitur pro consequenti.

Prima enim ratio authoritatis est, vt hæres fiat per consequentias contingit, vt debitum subeat, *l. 1. ff. de autbor. tutor. & in l. Quod dicimus 7. eod. tit.* sic. Cæterum negotium ei per consequentias geri (vt dictum est) nihil prohibet. Ex quibus deducitur illa vulgaris regula, quòd non attenditur id, quod in consequentiam venit, sed quod principaliter agitur, de qua si vis plures casus, videas omnino, *Ias. in l. Si quis nec causam à num. 4. ff. si cert. pet.*

Antiquitas.

Apud nos enim in conuulsis radicibus viuat antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerentiam, ait *Cap. Contrà statuta 25. quæst. 1.*

Antiquiores, non ætate, sed tempore; quo in Ecclesia militauere, quod idem, si esset consuetudo de antiquioribus ætate, &c. dixit *Gloss. verbo, Antiquiores, in cap. Cum in tua 4. de consuetud. in 6. Et in Extrauag. 1. de verb. signif. Glos. verbo, Antiquorum,* dixit ita; Hic non curatur de antiquitate ætatis, sed temporis, quo isti sunt ingressi. Et quod antiquior in possessione, & receptione debeat alios præcedere, in loco, voce, optione, & honore, est textus, per quem notant omnes in *cap. 1. de maior. & obed.* ibi, vt ipse prior, & maior habeatur, qui

prius communitatis consilio, & concordi fuerit actione ordinatus.

Annus.

DE stylo Romanæ Curiæ, quando incipiat, & de stylo Franciæ, & Angliæ, vide *Glos. vlt. in Extrauag. vnica de cens. inter comm. & Glos. verbo. Per annos, in l. Per hanc C. de aduoc. diuers. iudic.* dicit, quòd incipiebant anni singuli secundum antiquos in Kal. Aprilis alias Kal. Martij. hodie Ianuarij, vide verbo, *Mensis*.

Annus autem copulatorum dierum scrutabitur, ex quo quis reuersus est viam rectam dirigens, vel dirigere debens non eam, quæ est ex circuitibus, dicitur *in l. Non solum 12. §. Annus ff. de excus. tutor. Et in l. Anniculus 134. ff. de verbor. sig.* sic; Incipiente planè die non exacto, quia annum ciuiliter non ad momenta temporis, sed ad dies numeramus. Et si latius cupis de hoc scire, vide ibi *Glos.*

Tam & si totus annus non fuisset expletus, tamen deberi, inquit, *l. Filia 22. ff. de ann. legat. Et in l. si ità 41. ff. de manu testam. ità, Consult.* dixit. Stichus seruus meus duodecimo anno postquam ego mortuus ero, liber esto. Verisimile est in principio 12. anni eum esse liberum, &c. Nam mortuum hoc sensisse: Et inter eos sermones, duodecimo anno, & post 12. annos multũ interest, & ità loqui solemus Duodecimus annus est, cum quantumlibet ex 12. anno venisset, aut præterijsset 12. anno liber esse iubetur omnibus diebus anni liber esse iussus est. *Et in l. Qui filium 74. §. vlt.* Sic inquit notabilis *tex.* Et recitabant Diui Adriani constitutionem in qua (quantum ad munera municipalia) insserat eum annum, quem quis ingressus esset, pro completo nunciari Imperator autem noster motus, & æquitate rei, & verbis testamenti, scilicet ad annum vicesimum ætatis, quamuis scire se diceret a Diuo Marco. Non excusatum à tutela, eum qui septuagesimum annum ætatis ingressus fuisset, contra petitricem pronunciauit, & facit, *l. 3. ff. de iur. imm.* ibi; Quia non videtur maior esse septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum, *& Glos. ibi verbo maior*, intelligit sic. In honoribus vitandis; secus in honoribus adipiscendis; nam sicut ibi fauor, ità hic odium, *& Glos. verbo 25. in l. 1. C. qui ætat. vel profess. se excus. lib. 10. ibi.* Qui ceptus, habetur pro completo fauore honoris. In fideicommissi verò commodo, & emolumento non ceptum annum, sed impletum expectandum esse, Iuris prudentibus placuit dicitur *in l. Ex his in fin. C. quando dies legat. ced.*

Si tamen, cui legetur cum quatuordécim annorum erit, certo Iure vtimur, vt tunc sit quatuordecim annorum, cum eos impleuerit, dicit *Vlpian. in l. 51. ff. de legat. 1.* Et sic videtur, quòd non sufficit annus inceptus, sic &c. Argumentum contra &c. ait *Glos. peregerit in cap. Cum vigesimum per tex.* ibi: Vnde annus vigesimus debet esse cõpletus *de offic. de legat.* Idem in Episcopo, vt tenet *Glos. verb. antè consummationem* ibi; Nota ex verbo hoc, quòd in casu isto annus inceptus pro completo non habetur *in cap. Ad nostram 8. de regular. Glos. verò verbo vicesimum in Clem. 1. §. Cæterum de stat. Monach.* dicit sic; Quòd autem hic requiratur annus perfectus, & supra sufficit inchoatus; Est de arbitrarijs, quæ pendent ex Principis voluntate.

Annus vtilis computabitur. Et ideo si conditionalis sit obligatio Iulian. scripsit non ex eo computandum annum &c. Sed ex quo peti potuit conditione.

tione existente *l. 1. ff quand. act. de peccul.*

Transcursus anni priuat aliquem stipendio suo, si tanto tempore steterit excommunicatus &c. Rursus & transcursus anni constituit aliquem hæreticum &c. *Glos. vlt. in princ. in cap. Contingit 9. de dol. & contum.*

Centum annis homo ad plus viuere præsumitur, vt *in l. Inter 19. C. de sacros. Eccles.* ibi, Longissimum vitæ hominum tempus eligimus, & non aliter &c. nisi centum annorum hæc enim est longissima hominũ vita, dicit ibi *Glos.*

Annosum maiorem scilicet quinquaginta quinque annorum *Glos. vlt. in l. 3. C. de decur. lib. 10. & ibi Apostilla* sic, Glos. procedit, quando munus est publicum, authoritate, & vtilitate, non quando est vtilitate priuatum, vt tutela, quia tunc requiritur ætas septuaginta annorum *l. 10. eod. tit.* in hæc verba. Si vltrà 70. annum ætatis patrem tuum esse præses prouinciæ perspexerit eum personalium munerum vacatione perfrui prouidebit.

Annua si debes, tunc inspicias caput anni,

Anno si debes in fine teneberis anni;

Affert *Glos. in verbo, Ab initio in l. 1. C. quand. dies leg. ced. & Glos. verbo Annuos in §. Omnis de verbor. in Instit & verbo Præteritis in §. Qui hoc anno de inutil. stipul.*

Anulus.

SIcuti anulus est signum inuestituræ &c. Item anulus est signum matrimonij, inquit *Glos. vlt. in cap. 2. de consuet;* Fuit autem eius inuentor, vt refert *Alberic. de Rosa in suo dictionario in verbo, Anulus Tubalcbain Ferrarius,* & dedit filio vt desponsaret vxorem illo anulo, & erat de ferro gemma diamantis, & dicit, quòd hunc anulum fecit de consilio Adæ primi parentis adhuc viuentis volens significare, quod ferrum fortius est omnibus rebus, quia omnia incidit, scindit, & domat; Et tamen, licet sit tantæ fortitudinis, trahitur à magnete, idest chalamita, vnde versus.

Vt ferrum magnes sic ad se nos trahit Agens.

Adamas autem retrahit ferrum ab ipso magnete, sicut multi experti dicunt, ità sponsa, & iuuencula debet esse Siluestris, quasi ab omni persona, exceptis parentibus, & ad solum amorem parentum debet trahi, nihilominus adamas idest sponsus, qui significatur per diamantem, qui est in anulo sponsam trahit, & retrahere debet ab amore parentum ad ipsius sponsi amorem, Sicut ferrum retrahitur à magnete per diamantem, & hoc voluit significare anulus sponsalitius, & multi hodie seruant, & ponunt adamantem in ipso anulo sponsalitio, & vide *Hostiens. in summ. de matrim. §. Qualiter trahitur, vers. Illud etiam. Sed in cap. fœmina 30. quæst. 5. ad fin.* sic dicitur. Item quod in primis nuptijs anulus à sponso spõsæ datur, fit nimirum vel propter mutuæ dilectionis signum, vel propter id magis, vt eodem pignore eorum corda iungantur. Vnde & quarto anulus digito inseritur, ideo quia in eo vena quædam (vt fertur) sanguinis ad cor, vsque perueniat.

Apellatio.

APpellandi vsus, quàm sit vetus &c. quippe cum iniquitatem iudicantium, vel imperitiam corrigat, licet nõ nunquam etiam benè latas sententias in peius reformet. Nec enim vtique melius pronunciat, qui nouissimus sententiam laturus est, ita optimè dicit *Iureconsult. in l. 1. ff. de appell.*

in qua fundatus quidam ex aduocatis nostris olim Collegis (verè quidem Iurisconsultus) dicebat, quòd superiores iudices maiorem potestatem habere fatebatur, sed maiorem iuris peritiam negabat, sed hoc non semper dicebat, verùm, quando contra eius consilium proferebatur sententia.

Cum non oporteat ad compares Iudices appellationes referri, sed a minore iudice ad maius tribunal ascendere, dicitur *in Auth. de appell. §. vlt. coll.* 4.

Ipso facto appellamus dicit *Gloss. verbo, Confessus, in cap. Cum super* 23. *de offic. delegat.* & probatur in *cap. Cum olim propè fin. de dol. & contum.* ibi; Ex quo ad nos, & si non verbo, facto tamen intelligitur prouocasse (à recto itinere ad Sedē Apostolicam veniendi.

Cum plus sit Roman. Pontificem ad se aliquod reuocare negotium, quam quemquam ad eum super aliquo negotio prouocare *cap. vt nostrum* 16. *de appell.* Idem si causam committat, vt *in cap. Pastoralis* 28. *§. Præterea de offic. delegat.* ibi. Quod cum appellationis causam ex certa scientia iudicibus alijs committimus cognoscendam appellationem, videmur recipere ac Iurisdictionem priorum iudicum reuocare.

Cum enim in appellationibus impositis ad Apostolicam Sedem teneamini humiliter, & deuotè deferre, cum & leges etiam sæculares post sententiam beneficium appellationis non denegent aggrauatis, dicitur *in cap. Venientes* 19. *de iur. iur. & ibi notat Glos. verbo, possessionem*, Sic. Cum appellatur à sententia diffinitiua, si appellatione pendente fuit mandata executioni, iudex appellationis debet reuocare in irritum quidquid factum est post appellationem, & antequam cognoscat, an appellatio sit iusta, vel iniusta, sed secus est cum appellatur à grauamine, quia prius debet cognosci de meritis appellationis quàm reuocare quod factum est post appellationem. Sed in *c. Cum super* 17. *de re iudic.* sic dicitur; Si constiterit appellationem pro Ecclesia Oueten̄ rationabiliter interpositam &c. executio differatur, vbi *Gloss. verbo, Interposita*, declarat sic. Dicas quod non cogitur plenè probare causam appellandi, sed sufficit probare, quòd aliquo modo sua intersit, loquitur enim tex. de tertio, qui non erat anteà in causa, & ad eam venit appellans.

In causa excommunicationis, si appellant ante conditionem extantem suspensa erit excommunicatio ait *Gloss. verbo, Si eidem, in cap.* 1. *de appell.*

Cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ constitutum dicitur *in c. Cum speciali* 61. *§. Porrò de appell.* Et fuit deductum ex *l. Præfectis* 18 *ff de minor.* ibi; Quia appellatio quidem iniquitatis sententiæ querelam &c. continet. Non verò debet appellatio tueri appellantes in sua iniquitate, quominus eorum excessus censura Canonica puniantur, vt dixit *cap. Præterea* 22. *de appell.*

Appellatio non confirmat sententiam nullam ipso Iure, nisi tantum in casu, quo dicis in verbo, *Sententia.* Nam prouocationis remedio condēmationis extinguitur pronunciatum, vt dicitur *in l.* 1. *§. vlt. ff. ad Turpilian.*

Quod appellans ante sententiam, qui posteà appellat à sententia, per hoc non renunciet primæ appellationi, tenet *Glos. verbo, Appellare, in Clem. vnica de dol. & contum.* Gemminatio enim appellationum non submittit, sed subtrahit appellantē à Iudicis potestate.

Secundum Canones omissis omnibus medijs potest appellari ad Papam dixit *Gloss. verbo, Absque rationabili. in cap. vt debitus* 59. *post princ. de appell.* Et ibidem notat, quòd secus ad alium

iuxtà

iuxtà *cap. Dilecti 66.* ibi; Quod cum ommisso Diœcesano Episcopo fuisse ad Archiepiscopum appellatum, ad quem gradatim fuerat appellandum in causa ipsa procedere non debebat &c. *de appellat. & ibi Glossa vlt.* sic. Dicas, quòd gradatim est appellandum de iure: Secundnm Canones tamen, si omittatur medius, & non opponatur exceptio coram illo superiore, benet valet, quod per ipsum fit &c. & dixit *Glossa in verbo, Si causa, in cap. Super eo 27. §. Porrò de offic. deleg.* ibi; Sic potest appellari ad Papam ab alijs Iudicibus quolibet medio ommisso. Sed contrarium est secundum leges, quia non appellatur ad Imperatorem, vel Regem, ommisso medio, vt dicit *Glos. verbo, Durante, in cap. Si is, cui de offic. deleg. lib. 6.*

Appellari, an posit ad Episcopum, an verò ad Superiorem, quando Episcopus interfuit, vt Prælatus, vel vt Canonicus habes verbo, *Episcopus*.

Ità potest appellari in Inquisitione, sicut in correctione à grauamine, scilicet, cum modus exceditur, inquit *Glossa vlt. in cap. licet 12. de offic. ordin. & cap. Irrefragabili 13. eodem tit.* dicit ità; Nisi formam in talibus excesserint &c.

Cum secundum iura ei licuerit in eadem causa bis appellare se à Iurisdictione tua fecit exemptam, dicitur *in cap. Directè 39. de appell.*

Aduertas, quòd, appellans potest pœnitere, in quantum appellatio facit pro se; Sed in quantum appellatio facit pro aduersario, ista pœnitentia non admittitur, sic dicit *Gloss. verbo, commutandi, in l. Si quis 28. C. de appell. in addit.*

Appellare potest nominatus ad dignitatem, vel officium publicum authoritate, & vtilitate; sed in tutela non appellatur, quod intellige, vt notas in verbo, *Tutor*.

Supplicare potest quilibet, quantumcũq; remota sit appellatio &c. Sed in hoc differt appellatio à supplicatione, quia appellatione interposita, nihil est innouandum. Sed pendente supplicatione, mandatur sententia executioni præstita cautione, quod omnia restituat, si sententia fuerit reuocata, ità est *Glos. in verbo, Supplicauit, in cap. 4. de in integr. restit. Et verbo, Supplicatio in eod. cap. 4.* sic. Item in hoc differt appellatio à Supplicatione, quia appellatur vsque ad decem dies; Supplicari autem potest vsque ad biennium, quod verum est, Cum supplicatio porrigitur Superiori &c. Si verò porrigitur Iudici, tunc vsque ad decem dies.

Nota procuratorem necesse habere appellare &c. dixit *Glos. verb. prouocandi in l. Si procuratorem 8. §. Si ignorantes ff. mandat.*

Eum, qui à tua interlocutoria, vel grauamine, quod per te sibi proponit illatum à tua præsentia recedit appellans protestari videatur, hoc ipso se nolle coram te de cætero litigare, inquit *cap. vlt. de dol. & contum. in 6.*

Potest quis appellationi suæ statuere terminum ad ipsam prosequendam &c. Et nota, quòd terminus statutus ad prosequendam appellationem à iudice, vel ab aduersario vicem habet peremptorij dixit *Glos. vlt. in cap. Nicolao 64. de appell. & in cap. Ad aures 33. eod. tit.* sic dixit Pontifex. Appellationis terminus congruus præfigatur, intrà quem, si appellans non fuerit prosecutus, ex tunc compellatur stare iudicio delegati.

Non obstante contradictione alterius partis, potest appellans redire ad priorem iudicem, dixit *Glos. vlt. in cap. Accepta 35. de appell.*

Quibus appellationes suas prosequi non cu-

curantibus post terminum appellationi prosequendæ præfixum, rata manet sententia, quæ fuerat appellatione suspensa dicitur *in cap. Sepè 44. vers. Saluis de appell. Et ibi Gloss. verbo, Sententia*, ità, Qui enim non prosequitur appellationem fingitur non appellasse &c. Sed hoc non est verum in sententia excommunicationis.

Appellatus an possit præuenire appellantem, vide verbo, *Terminus*.

Appellationi quando possit, vel non renunciari, habes verbo, *Renunciatio*.

Licet eamus ad arbitros in causa appellationis, propterea non renuncio appellationi, immò postea possum prosequi appellationem, nec mihi currit tempus interim *Glos. verbo, commisisse, in cap. veniens 13. de renunc.*

Sed ne pendente appellatione omnia debent esse in suo statu? Respondetur hoc verùm, quoad ipsos litigantes. At hic alius conuenitur, dixit *Gloss. verbo, Posse, in l. Creditor 60. ff. mandat.* vbi additio sic; Ex hac Glossa nota optimam limitationem secundum *Bald.* hic, quod illa regula nil nouari appellatione pendente, habet locum inter eosdem, non respectu eius, ad quem porrigitur appellatio.

Quod si pars appellans aliquid illicitum attentat, eo ipso se indignam facit appellationis beneficio, & procedit Iudex, à quo appellatum est, perinde ac si non fuisset appellatum, ponit *Glos. verbo reducendum post medium, in cap. Non solum de appell. lib. 6*

Causa probabili appellationis exposita; tali videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari, dicit *cap. vt debitus 59. de appell. Et in cap Cum speciali 61. §. Excessum in fin.* sic. Sed si appellans in eius probatione defecerit? vbi *Gloss.* ità in verbo, *Defecerit*, & sic videtur, quod appellans teneatur probare se iustè appellasse, quod est verum, si appellatio recipitur, aliàs non non &c. Tamen *in l. Hi, qui C. de appell.* hæc iuenies, cum igitur &c. appellaueris &c. iustè te appellasse ostende, vbi *Gloss. vlt.* sic, explicat, quòd ergo hic dicitur, ostende, dic, quòd ostenditur eo ipso, quod contrarium non monstratur, idem *Glos. verbo, Monstrauerit, in l. 1. C. de tempor. & repar. appell.*

Dicitur *in cap. Cum causam 62. in fin. de appell.* ità; Dummodo hæc in ipsa appellatione expressa fuerint, & *Gloss. vlt.* sic. Super hoc distingue, aut appellatur à grauamine ante sententiam diffinitiuam, aut à sententia diffinitiua; Si à grauamine ante sententiam, tunc necesse est allegare coram iudice appellationis causam sui grauaminis talem, quæ si esset, probata esset legitima, vel quæ esset expressa in iure; & tunc in causa appellationis non potest aliam allegare &c. Et est ratio, quia non appellatur, nisi à grauamine, sed propter hanc causam, quam vult de nouo proponere coram iudice appellationis non grauabatur, nec propter hoc appellauit: Et Iudex appellationis cognoscere debet tantum super eo, pro quo appellauit. Et Papa ità rescribit semper in appellationibus antè sententiam, Si est ità &c. Si verò aliquis appellat à diffinitiua; tunc non est necesse aliquam causam allegare, cum appellat, sed sufficit dicere, appello ab iniqua sententia, & tunc in causa appellationis potest opponere nouam causam, & noua Instrumenta &c. Vide *Glos. verbo, Et personam, in Auth. de ijs, qui ingred. ad appell. dicit in princ.* Et sic est pro opinione nostra, qui dicimus causam appellationis esse aliam, à prima; Nàm & testes de nouo inducuntur, & ob id ibidem ait, nouam satisdationem dari debere in appellatione, & làtius habes verbo, *Satisdatio*, & verbo, *Testis*.

Qui non appellat à sententia iudicantis acquie-

aequieuisse, videtur, & sententia etiam interlocutoria, à qua non appellatur, transit in rem iudicatam, dixit *Gloss. vlt. in cap. 2. de procur. Et est tex. in cap. Quo ad consultationem de re iudic.* ibi, Quod cum post decem dierum spatium sententia in authoritatem rei transeat iudicatæ, qui ad prouocationis subsidium intrà id temporis non recurrit appellandi sibi aditum denegauit, cum per hoc videatur per interpretationem Iuris latæ sententiæ paruisse, & *in l. vlt. ff quand. appellat.* sit, ita; Quia, qui tunc non appellauit vera esse, quæ scripta sunt, consensisse videtur. Quis enim ferendus est ad appellationis veniens auxilium, quæ ipse facienda procurauit? inquit *l. Generaliter §. Sed iuramento C. de reb. cred.*

Videtur ab appellatione recessum, si secundum ea, quæ præmissa sunt, eum, qui appellauerit, constiterit processisse ait *cap. Gratum in fin. de offic. deleg. & ibi Glos. verbo, Recessum,* sic dicit, Nota præsumptionem iuris, quòd iuri suo renunciare præsumitur, qui iuri suo contrarium facit.

Ex quo aliquis non prosequitur appellationem intrà terminum sibi præfixum, ex tunc Iudex potest procedere, tamquam citatus peremptoriè non venisset &c. quia perinde est, ac si non appellasset, inquit *Glos. verbo, Arripueras, in cap. Cum causa 8. de re iudic. & Glos. in cap. Ex parte 12. de rescript. verbo, Cum biennium,* sic; Qui enim non prosequitur appellationem intrà annum, aut ex iusta causa intrà biennium, fingitur non appellasse, & rata manet sententia &c.

Quando inhibetur appellatio in rescripto &c. respondemus, quòd quælibet prouocatio intelligitur remoueri, quæ à iure non indulgetur, expressè inquit *cap. Pastoralis 53. de appell. & ibi Glos.* enumerat plures casus, in quibus expressè appellatio conceditur. Et solus Princeps potest remittere causam, appellatione remota, vt dicit *Glossa verbo, Reseruata, in cap. Quod translationem 4. de offic. deleg.*

Remotio appellationis repetita intelligitur in reconuentione, inquit *Glos. 2. in cap. vlt. de mut. petit.* Non verò inter alias partes, vt dicitur *in cap. Super eo 15. de offic. deleg.* ibi; Quia non illis, sed partibus, inter quas causa commissa est, appellationis remedium est sublatum, & ibi *Glos.* notat sic. Nihilominus possunt appellare omnes, quorum causa interest &c. Item nota, quòd omnes possunt se opponere, quos negotium tangit, licet de illis non fiat mentio, & sunt admittendi, aliàs non teneret appellatio, & *Glos. Tenebitur ibidem* sic; Et ità debet differri executio sententiæ, si per eam alicui præiudicium generatur &c. Et verum est, nisi præsumptio sit in contrarium, quod malitiosè appellatur, sicut contingit in restitutione.

Nota, & scias istud, quod remota appellatione, non intelligitur vnquam remota, quando sententia est euidenter nulla, & iniqua, vt *in cap. Inter cæteras de re iud. & ibi plenè Canonista, & in cap. Ex conquæstione de restit. spol.* ità tenet Apostilla *in l. 1. §. 1. ff. à quib. appell. non licet.*

Qui appellationi deferre neglexit, se beneficio reddit appellationis indignum, inquit *cap. An sit 42. de appell.* hoc est Aduersarius, qui neglexit appellationem sui aduersarij contrà eam faciendo, si appellat eius appellatio non admittatur.

Ita patet, quòd non admittitur appellatio contra confessionem, vel si excessus sit manifestus euidentia rei, vel alio legitimo modo, inquit *Glos. verbo, Confessione, in cap. Cum speciali 61. §. Porrò de appell.* Et ideo non admittitur appellatio à correctione, quia fit ad pœnitentiam, & extrà formam iudicij.

dicij, vt dixit *Gloss. vlt. in cap. 3. de appell.* & paulo suprà sic, Nisi excedat modum in corrigendo &c.& in fin. ità Hæc procedunt in omnibus regularibus, vide etiam verbo, *Correctio*. An autem posśit appellare confessus,& condemnatus, habes verbo, *Confessio*, vbi latius de hoc.

Appellatio in causa redditæ rationis, non suspendit *Auth. de Sanctiss. Episc. §. Aeconomos coll. 9.* ibi. Non enim concedimus prædictis personis pro memoratis causis ante examinationem, & exactionem debiti proprios Episcopos declinare, & ad alia venire iudicia.

Item propter periculum mortis non admittitur appellatio, nec in his, quæ dilationem non capiunt, dixit *Glossa verbo, Decedat, in cap. Qua fronte 25. de appellat.*

Appellatione non recepta pendente, dum Princeps non rescribit sententia, An posśit exequi? habes verbo, *Sententia*.

Quod dico appellari à secunda, intellige, quando fuit lata intra tempus, quo potuit appellari a prima, alias non quia cum sit executio primæ, non debet appellari, ait *glos. verbo, Datam, in l. Si cum 14. §. Hæc actio ff. quod met. caus.*

Illos non potuisse de Iure tertio appellare. Dicitur *in cap. sua nobis 65. de appell.*

Est notabile,quòd in causa appellationis, ideo non habet locum prorogatio Iurisdictionis,quia causæ appellationum sunt mixti imperij, & pertinent ad authoritatem superioris, vnde, & vtraq; parte consentiente non possunt ventilari apud Iudices incompetentes, vt dixit *Glos. verbo, Secundum mores. in cap. In causis de pac. Const.*

Sunt & adhuc septem iudicantes, à quorum sententijs non appellatur, vt Imperator, item Senatus, Item & quando hoc actum fuit inter partes, vt &c. item Arbiter compromissarius, vt &c. Item Præfectus Augustalis,vt &c.Item & alij quidam, qui nominantur infrà eodem &c. *glos. in Auth. de appellat. §. 1. verbo, siue magni*.

Appellatio per errorem facta ad minorem iudicem, cum deberet ad maiorem fieri non tenet, licet vice versa teneat, vt habes in verbo, *Error*.

Appellandi necessitas propter paupertatem remittitur, vide verbo, *Paupertas*.

Appellare etiam dicitur,quando blanda ratione alterius pudicitia attentatur, vt inquit *tex. in l. Item apud Labeonem 15. §. Si quis virgines appellasset ff. de iniur.*

Approbare, & contra.

CVM ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat, ait *cap. Ad hæc 7. de offic. Archid. & l. veterem 5. in fin. C. de author. præst.*

Qui non improbat, probat, inquit *glos. penult. in l. vnica ff. furt. aduers. naut. per tex.* ibi; Ipse quodammodo eligit qui non reijcit, idem *glos. in l. 1. ff. de liber. agnoscen.*

Qui autem agnouit iudicium defuncti,eo quòd debitum paternum pro hæreditaria parte persoluit, vel alio legitimo modo satisfecit &c. accusare patris voluntatem, quam probauit, non potest inquit *l. Parentibus 8. C. de inoffic. testam.* Agnouisse enim videtur, qui quale iudicium defuncti approbauit *l. vlt. ff. de inoffic. testam.*

Nota variare non licet reprobando probata, nec è contrà sic, infra locati *l. ea lege in fin.* ita inquit *glos. in l. Pomponius 10 verbo, Semel, ff. de negot. gest.* vbi additio sic; Sed è contra est in medico semel probato, qui potest reprobari, vt infra *de muner. & honor. l. vt*

gradatim 5. Reprobari &c. Idem est de Grammaticis, & Oratoribus vt *C. de profiss. l. Grammaticos lib. 10, idem dicit Glos. in verbo, liceat, cap. Cum secundum 16. de praeben.* ibi. Et ita semel approbatus, iterum probatur, & reprobatur, Sicut Medicus &c. Et virgo semel probata, iterum probatur, *& in l. 2. C. de profiss. & medic. d. lib. 10* ibi; Grammaticos, seu Oratores decreto Ordinis probatos si non se vtiles studentibus praebeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse incognitum non est.

Comprobat, qui malum scienter eligit, dicit *Glos. verbo Comprobauit, in l. Si venditor 17. ff. de in diem addit. & facit l. 3. ff. vt in possess. legat.* ibi; Ipsam enim facilitatis suae expensum ferre debere, quae minus idoneos fideiussores acceperit.

Quod quis in se approbat, non debet in alio reprobare, dicitur *in l. In arenam C. de inoffic. testam.* ibi; Nam talem filium meritò quis sua successione iudicat indignum, nisi & ipse similis conditionis sit, idem probatur *in cap. Cum Ecclesiastica 3. de except.* ibi. Cum exceptionem illam, quòd praefatus Iacob. in alia Ecclesia beneficium possidet, ei non possint opponere, quos constat varia beneficia in diuersis Ecclesijs obtinere, & ibi notat *Glos. verbo, Opponere;* Sic enim iustissimum est, quòd quis in se approbat, in alijs reprobare non potest.

Debet pater, si actum improbat, continuò testationem interponere contrariae voluntatis, inquit *l. Si filius 18. ff. ad Macedonian.* alias ius suum amittit, & sibi praeiudicat, vt ponit *Glos. verbo, Admiserunt, in c. Cum vintonien. 25. de elect.*

Apostata.

De his, sic loquitur *l. 3. C. eod. tit.* Quos etiam praeciperemus procul abijci, ac longius mandari, nisi poenae visum fuisse maioris versari inter homines, & hominum carere suffragijs.

Vel dic, quòd non est apostata, qui ad saeculum redit &c. Quandoque dicuntur apostatae retro abeuntes &c. Item is apostata dicitur, qui recedit à fide, inquit *Glos. 1. in cap. Ex parte 10. de tempor. ordin.*

Apostolica Sedes.

Sedes Apostolica consueuit exhibere se petentibus liberalem inquit *c. 15. de rescrips. & ibi, Glos. verbo Liberalem,* sic; vtpotè, quae non claudit gremium redeunti: Sed in quo est liberalis; siuè gratiam facit? Quia ad hoc tenetur &c. immò quasi praeceptum Euangelij est. Totum dici potest gratia quidquid facit; Quia vniuersae viae Domini misericordia, & veritas, quia vbi Iustitia seruatur, ibi misericordia exhibetur. Et quod Apostolica Sedes &c. Non tam ex iustitiae, quàm ex gratia moueatur postulationem ipsius non duximus admittendum, dixit *Pontif. in cap. Bona 3. de postul. praelat.*

Sedes Apostolica in suis actibus veritatem prosequens lucem amans, libenter euitat nodosae ambiguitatis inuolucrum; illamque sibi semper in suis ordinationibus reseruare cautelam intendit, vt de illis ità proueniat commodum, quòd alijs non emineat detrimentum, inquit *Pontif. in Extrauag. 1. de concess. preb. Et in Extrauag. vnica de offic. deleg. inter comm.* Quoniam Apostolica Sedes intendit pro-

uidere

uidere negotijs, & non personis, vt dicitur *in cap. Quoniam 43. de offic. delegat.*

Quoniam si oporteat, vt nos, vel tu ex hoc negotio confundamur, eligemus potius te confundi, quàm lædamus, Sedis Apostolicæ dignitatem, ait *cap. 3. in fin. de author. & vs. pal.* Et sic cum iudex sit Ordinarius omnium Christianorum, & Mater omnium Ecclesiarum, & si etiam aliquid graue præcipiat, faciendum est, dixit *Glos. verbo, adstringit, in cap. vlt. de Constitut.* Vnde mandatum Apostolicum etiam ad Abbates extendi dicit *cap. vlt. de simon.*

Romanæ Sedis Sententiam, cum aliquid fuerit subreptum posse in melius commutari, dicit *cap. Cum olim 12. de sent. & re iudic. & in cap. Tum litteris 5. ad medium de in integr. rest.* idem, in hæc verba. Præsertim, quia sententia Romanæ Sedis non negatur posse in melius commutari, Cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, & temporum, seu grauium necessitatum dispensatiuè quicquam ordinare decreuit; Discant igitur tàm inferiores, quàm superiores à Sanctissima Matre, vt emendent in melius, quod non sat benè decreuerunt, & ne erubescant à tali discere Magistra.

In priuilegijs Sedis Apostolicæ, si quæstio oriatur, non vult Papa de ipsis per alios iudicari, dixit *Glos. verbo, Declaramus, in cap. vlt. de Constit.*

Quædam sunt, quæ Sedes Apostolica sibi specialiter reseruauit, vt est quæstio fidei &c. Item maiores Ecclesiæ caussas, translationes Episcoporum, Sedium mutationes, & Item depositiones Episcoporum, cessiones eorundem, & translationes electorum &c. Item Congregatio Concilij Generalis &c. Depositio, & restitutio Episcoporum, & summa negotia Ecclesiæ &c. Item exemptio Episcoporum. Item quædam vota solus Papa commutat &c. Item solus Papa dispensat in maioribus criminibus, & cum filijs Præsbyterorum, & cæteris illegitimis natis, vt promoueantur ad dignitates &c. Item ad ipsum solum omissis medijs appellatur, hæc ità tradit *Glossa verbo, reseruata, in cap. Quod translationem 4. de offic. delegat.* & ibi ponit versus sequentes

Restituit Papa solus, deponit & ipse.
Articulos soluit: Synodumque facit Generalem;
Transfert, & mutat, appellat nullus ab ipso:
Diuidit, ac vnit, eximit, ac probat.

Nota reputari onus, in Apostolica Sede seruire &c. cum, & secundum Hieronym. non sit facile stare in loco Petri, & Pauli &c. Nihilominus tamen honor est summus, cum dicatur apex dignitatis, omnes, qui ad eam eriguntur illustrans dixit *Glos. 1. in Extrauag. Ad onus de elect.*

Aqua.

DVctus aquæ, cuius origo memoriam excesserit iure Constituti loco habetur, inquit *l. 3. §. 1. ff. de aqua quotid. & in l. vlt. eod. tit.* sic, Tueri aquæ ductus, quibus authoritate vetustas daret, tàm & si ius non probaretur, *& in l. 1. §. Caput eod. tit.* sic, Sed & si iure aqua non debetur alicui, si tamen iure ducere se putabit; Cum non in iure, sed in facto errauerit, dicendum est, eoque iure vtimur, vt interdicto hoc vti possit.

Attamen *in l. vsus aquæ C. de fund. rei priu. lib. 11.* sic inuenies. Quia igitur satis iniustum est statum forensis ante patrimonij aridæ sitis molestia fatigari:

gari, ad meatus pristinos vniuersum aquæ motum temporis præscriptione submota præcipimus reuocare.

Non enim consuetudinis est, vt qui aquã habet per lapidem stratum ducat: illa autem, quæ ferè in consuetudine esse solet, vt per fistulas aqua ducatur, inquit *l. si prius* 17. *§. Placuit, ff. de aqu. pluu. arcend.*

Non enim tam necessariam refectionem itinerum, quàm riuorum esse: quoniã non refectis riuis, omnis vsus aquæ auferretur, & homines siti necarentur, & sanè aqua peruenire, nisi refecto riuo non potest, at non refecto itinere difficultas tantùm eundi, agendique fieret, quæ temporibus æstiuis leuior est, inquit *l. vlt. ff. de riu.*

In domo mea puteum aperio, quo aperto, venæ putei tui præcisæ sunt, an teneat? Et ait Trebatius, non teneri me damni infecti; Nec enim existimari operis mei vitio damnum tibi dari in ea re, in qua iure meo vsus sum. dicit *l. fluminum* 24. *§. vlt. ff. de damn. infect.*

Execrabile videtur domos huius Almæ Vrbis aquam habere venalem dicitur, *in l. Ad reparationem* 7. *C. de aqu. duct. lib.* 11. Abigatur ergo prouerbium vulgare dicens. Romæ omnia esse venalia.

Portio agri videtur aqua viua, *l. Qui in puteum* 11. *ff. quod vi, aut clam.*

Arbiter, & *Arbitrium*.

ALiud est arbitrium, quod refertur ad arbitrium boni viri, vt, &c. Aliud voluntas, quæ refertur ad proprium motum, inquit, *Glos. verbo, Nollent, in Extrauag.* 2. *de sepult. inter comm.* Et arbitrium etiam dicitur stricti iuris; eo, quòd nihil in arbitrio venit præter verba expressa in conuentione, siuè in compromissione, dixit *Glos. in §. vnic. in casus positione vers. Item in his de oblig. ex consen. in Instit.*

Illa verba arbitratu Lucij Titij fieri, ius significant. Ità *l.* 68. *ff. de verb. signif.*

De libero arbitrio, seu voluntate sic ait, *tex. in l. Fideicommissa* 11. *§. Si fideicommissum, ff. de legat.* 3. Ideoque post primam voluntatem non erit arbitrium hæredi dicendi se noluisse.

De arbitrio vero boni viri idem *tex.* Sic Si fueris arbitratus, &c. debebitur. Non enim plenum arbitrium voluntatis hæredi dedit, sed quasi viro bono fideicommissum relictum. Et in *l. Fideicommissaria* 46. *vers. Si tibi ff. de fideicomm. libert. ibi*. Ità enim hoc accipiendum est, si tibi quasi viro bono videbitur, & in *l. Si in lege* 27. *ff. locat.* ità, Si in lege locationis comprehensum est, vt arbitratu domini opus approbetur perinde habetur, ac si viri boni arbitrium comprehensum esset. Idemque seruatur, si alterius cuiuslibet arbitrium comprehensum sit, nam fides bona exigit, vt arbitrium tale præstetur, quale viro bono conuenit.

Arbitrium boni viri inesse credidit Diu. Marcus, quando residuum hæreditatis iubetur restitui, vt latè habes verbo, *Residuum*, & verbo, *Fideicommissum*.

Dare si tot operas, quot patronus arbitratus sit; non aliter ratum est arbitrium patroni, quàm si æquum arbitratus sit, dicit *l. Si libertus* 30. *ff. de oper. libert.*

De eo, qui cum aliquo morari iubetur; quod non semper tenebitur, sed viri boni arbitrio, inquit *l. Mauia* 13. *§. vxore, ff. de ann. legat.* in hæc verba. Non absolutè responderi: Cum multa oriri possunt, quæ pro bono sint æstimanda, ideoque huiusmodi varietatem viri boni arbitrio dirimendam.

Cæterum si arbitrium illi, quasi bono viro dederit non dubitamus, quin libertas debeatur. Nam & eam libertatem deberi placuit, Si tibi videbitur, peto vt manumittas. Ita enim hoc accipiendum est, si tibi quasi bono viro videtur, vt in *d. l. Fideicommissaria 46. ff. de fideicom. libert.*

Plurimum enim interest, vtrum in potestate eius, quem testator obligare cogitat, faciat, si velit dare, an imposita necessitate dandi; soli ei distribuendi liberum arbitrium concedat, inquit *l. Vtrum 8. §. Cum quidam de reb. dub.*

Et puto eas deberi (nisi testator specialiter electionem hæredi dederit) quas vir bonus fuerit arbitratus, vt pro facultatibus defuncti, & positione patrimonij debeantur. Sed & si fuerit adiectum boni viri arbitratu: hoc sequemur, vt pro portione patrimonij sine vexatione, & incommodo hæredis fiat, inquit *l. Si legatum 3. ff. de ann. legat.*

Argumentum est hic, quòd cum aliquid generaliter committitur arbitrio alicuius, non valet, nisi legitimè factum sit &c. Argumentum contrà &c. Solue si arbiter est compromissarius, eius arbitrio standum est; siuè æquum, siuè iniquum sit &c. nisi contrà ius scriptũ, vel contrà formam compromissi sit latum, quia tunc non tenet &c. Si verò tamquam vir bonus arbitrari debet, tunc non valet dictum suum, nisi sit æquum &c. ità ponit *Glos. verbo, Si tamen, in cap. Causam quæ 8. de elect.* Et ita videtur comprobare *tex. in cap. vnaquæque ad fin. 13. quæst. 2. in illis verbis*. Quæ autem legibus expressa non sunt, arbitrium sequuntur humanæ voluntatis.

Et puto tale arbitrium non valere, in quo libera facultas arbitri sententiæ futura non est, inquit *l. item 19. §. Pomponius ff. de recep. arbitr.* Quia cum arbitrium, vel inordinatus captiuat affectus, vel acceptum aliquem obligationis cuiusque necessitas adigit, Cessat electio, dum libertas adimitur eligendi dixit in materia electionis *cap. vbi periculum 3. §. Cæterum de elect. in 6.*

In honorabilibus, appellatione iudicum venient arbitri, vt dixit *Glosa in Apostil. ad cap. 1. de sent. & re iudic. in 6.*

Et an excommunicatus possit esse arbiter? Responde, quòd non propter legem Dei, in qua dicitur habendus est, tamquam Ethnicus; & publicanus; Item partes non possunt secum participare &c. inter hæreticos potest &c. Item excommunicatus non potest esse arbiter; *vt extrà de re iudic. c. Ad probandum*; Et argumento huius litteræ, quia seruus non potest esse arbiter, & excommunicatus est seruus Diaboli, vt *de sent. excom cap. Nouerit* &c. ità ponit *Glos. in l. Pedius ff. de recept. arb.*

Vbi semel quis in se receperit arbitrium ad solicitudinem suam hanc rem pertinere Prætor putat, Non tantum, quòd studeat lites finiri; Verùm, quoniam non debeant decipi, qui eum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt inquit *l. 3. §. 1. ff. de recept. arbitr.* Si tamen eligerentur aliqui, vt arbitri Iuris ad cognoscendum de causis suspicionis possunt compelli suscipere arbitrium, vt dixit *Glos. in Apostil. ad l. 3. §. 1. ff. eod. tit. & probat Glos. optima in cap. Suspicionis 39. verbo, Ad quos*, ibi, Dico, quòd tenentur accipere tale arbitrium &c. *de offic. & potes. iudic. deleg.*

Arbiter incertus esse non debet, inquit *Glos. verbo, Elegerint, in cap. Ad hæc 40. de rescript.* Nec laicus in Spiritualibus arbiter esse potest; inquit *Glos. verbo, veri contrariam, in cap. Sacrosancta 51. de elect.*

Co-

Coram arbitris reconuenire non potest, cum arbitri iudicare non valeant, nisi de his tantùm, super quibus in eos exiterit compromissum *cap. Cum dilectus 6. de arbitr.*

De arbitrarijs, de quibus non cogimur reddere rationem, dixit *Glos. verbo, Restringere in Clemen. Dispendiosam de iudic. & probat Glos. verbo, Cumrationibus, in §. Peculium de legat. in Instit.* ibi; Quod facit ad quæstionem de eo, cui concessum est liberum arbitrium ità, quòd non possit syndicari.

Non potuisse arbitrum inter alios iudicando alterius ius mutare inquit *l. Is, qui fundum ff. de vsu fruct. legat.*

Ex compromisso arbiter infamiam non facit: quia non per omnia sententia est, inquit *l. Quid ergo §. Cum autem ff. de his, qui notan. infam.*

Sed etiam arbitrio, quis stare non cogitur pœna soluta, nisi id expresè dicatur, vt inquit *Glos. 1. in cap. 1. de pæn.* & ideò cautela est, vt ponatur in compromisso, quod pæna soluta, vel non semper stabitur arbitrio.

In arbitrio iudicis, vbi est pæna, potest extendi vsque ad Capitalem, vt habes in verbo, *Pæna*, & dixit *Glos. in Apostil. l. 1. ff. de effract.* sic. Nota, & tenementi iustum textum &c. ad hoc, quòd quando pæna non est limitata in Iure remanet imponenda officio iudicis per *tex. ibi*. Idcirco causa cognita, liberum erit arbitrium statuendi ei, qui cognoscit; cui addo *tex. in cap. de causis de offic. deleg. & l. Hodie ff. de pæn.*

Sic arbitrium prorogatur &c. Et si arbiter fuit in mora compellitur iterum finito tempore arbitrium suscipere *Glos. verbo, Prorogatio, in cap. Petro 40. de offic. deleg. & Glos. vlt. in l. In creditore 38. ff. de euict.*

Licet eamus ad arbitros in causa appellationis, propterea non renuncio appellationi, immò postea possum prosequi appellationem, nec mihi currit tempus, interim inquit *Glos. verbo, Commisisse, in c. veniens 13. de renunc.*

Si compromisero, & contra me fuerit data sententia, nulla mihi de euictione actio danda est &c. Nulla enim necessitate cogente id fieri, ait *l. Si dictum 56. §. 1. ff. de euict.*

Inter extrema recurrendum est ad arbitrium boni viri, idest iudicis, qui debet esse medius inter ea, vt dixit *Glos. verbo, Exigit, in Extrauag. 2. de Sepult. inter comm.*

In assignando tempore, quando non fuit expressum, intrat arbitrium, vt habes verbo, *Tempus*.

In mobilium rerum iustis pretijs, æstimatione habita per eos, quos vtraque pars elegerit arbitros iudicaturos interposito Sacramento, iubet *l. Hac edictali §. His illud C. de secund. nup.*

Et pro complemento nota verba *l. Quis 52. C. de decurion.* Inquit enim, quis tam inueniri iniquus arbiter rerum potest, qui in vrbibus magnifico statu præditis, ac votiua Curialium numerositate locupletibus ad iterationem quempiam transacti oneris compellat.

Argentum.

POst aurum est nobilius metallum, vt dicitur *in Auth. de consul. ad med. coll. 4.* ibi; Soli enim aurum spargere damus imperio, cui soli etiam aurum contemnere præstat fortunæ fastigium, argentum verò, quòd mox post aurum prociosissimum fiet, & ibi *Glos. verbo, Post aurum*, sic dicit; Nota aurum pretiosius metallum, & post aurum argentum. Hodiè verò non videmus, quòd aurum spargatur, & argentum rarissimè; & sic cessat prohibitio, de qua dictus tex. loquitur vnde dicit *Glos. verbo, Missilia, in l. Quæ ratione 9. §. Item si quis ff. de acquir. rer. domin.* hæc

Sed hodie deleta est illa Constitutio per disuetudinem, quæ permittebat, Prætores, vel Consules, vel Magistratus aurum proijcere, vt &c. Soli enim Principi licet aurum spargere, & sic iactare, sed Consulibus licet de argento hoc facere, non tamen coguntur.

Cur argenti appellatione etiam factum argentatum comprehendatur? cum si marmor legatum esset, nihil præter rudem materiam demonstratum videri posset. Cuius hæc ratio traditur, quippè ea, quæ talis naturæ sunt, vt sæpius in sua posint redigi initia, ea materię potentia victa, numquam eius vires effugiunt, ità inquit, *l. Quæsitum 76. §. Illud ff. de legat. 3.*

Non facilè quisquam argenti numero nũmos computat, inquit, *l. Quintus 29. ff. de aur. & arg. leg.*

Argento cedit, quod ad speciem argenti iunctum est, quemadmodum claui aurei, & purpuræ pars sunt vestimentorum, *l. Cum aurum 20. ff. eod. tit. de aur. & arg.*

Argumentum.

De contractibus ad vltimas voluntates fit, vt est vulgaris regula, & deducitur *ex §. vnic. de l. Fus. Caniel. in Inst.* ibi. Cum satis fuerat inhumanum viuos quidem licentiam habere totam suam familiam libertate honare &c. Morientibus autem huiusmodi licentiam Adimere, & ibi *Glossa in Apostil.* sic. Hoc verum, si contractus, & vltima voluntas conueniunt in rationis identitate.

De specie ad genus valet argumentum affirmatiuè habes verbo, *Species.*

Est etiam bonum argumentum ex rubrica, vt inquit *Glos. vlt. in l. 1. C. Ne fideiussores dot. dent.*

Et sume hic argumentum, quòd ex legibus antiquis non debeant sumi argumenta in causis, inquit *Glossa verbo, Imaginem in l. 1. C. de latin. liber. tol. & ibidem Apostil.* sic. Tamen bene ex earum ratione *Glos. in cap. Nouit de iudic.*

Nec semper valet argumentum à contrario sensu, dixit *Glos. verbo, Onera in l. 1. C. de agric. & censit. lib. 11. & verbo, Clerici. in cap. Significasti 18. de for. comp.* sic. Sed ibi non habet locum argumentum à contrario sensu, cum alia iura contradicant. Et *in Clem. 1. de sent. excom. verbo, Obseruare,* ità; Et argumentum à contrario sensu cessat, vbi illius argumenti contrarium reperitur in Iure &c. Item contrariorum non est eadem disciplina, vbi verba, & mens resistant. Si vis alia plura argumenta scire, quibus leges vtuntur, lege *Bal. in l. Conuenticulam à num. 5. C. de Episc. & cler.*

Arma.

Dupliciter possunt considerari; aut enim sunt, quæ ad bellum, offensionem, & defensionem pertinent, aut quæ ad insignia, & nobilitatem generis; & de primis, licet vulgariter dicatur, quòd silent arma inter leges, non sileant leges de armis, & sic aliqua dicamus.

Quia per arma, sustentatur Respublica, vt inquit *Glos. per tex.* ibi; Et ad ipsius Reipublicæ, sustentationem *in l. vnic. in princ. C. de nou. Cod. fac.* Istorum etenim alterum alterius auxilio semper eguit: Et tam militaris res legibus in tuto collocata est, quàm ipsæ leges armorum præsidio seruatæ sunt, vt ibi altera *Glos. verbo, Auxilio,* sic. Nam leges indigent armis &c. & in additione ponitur remisiuè, an arma sint digniora legibus, & vtrum Reipublicæ plus prosit Iureconsultus, quàm miles vide Ciceronem *lib. 1. de offic. in Oratione*

tione pro Muren. Vnum scio, quòd leges vtrumque tempus, & bellorum; & pacis rectè gubernant, vt inquit *Imperator in princ. proœm. Instit.* ibi: Legibus oportet esse armatam, vt vtrumq. tempus, & bellorum, & pacis rectè posit gubernari.

Pulchritudo armorum tempore belli, vt inquit *Glos. in rubric. C. de fabricen. lib.* 11.

Arma autem magis, quàm Iura scire milites Sacratissimus Legislator existimauit, inquit *l. Scimus* 22. *ad fin princip. C. de iur. deliber.*

Nec armis, nec militibus, nec alijs debet Princeps confidere, sed soli Deo, vt habes in verbo, *Imperator*; vnde oportet Deum propitium habere, vitia respuere, & virtutem amplecti, vt dixit *Marc. Cato relatus à Diuo Augustino lib.* 5. *de Ciuit. Dei*, ità. Nolite existimare maiores nostros armis Rempublicam ex parua magnam fecisse, quia si ità esset, nos multò pulchriorem haberemus, quippe sociorum atq; Ciuium, preterea armorum, atque equorum nobis maior, quàm illis copia est. Sed alia habent, quæ nobis nulla insunt; domi industriam, foris iustum imperium, animum in consulendo liberum, nec delicto, nec libidini obnoxium. Pro his nos habemus luxuriam, atque auaritiam, publicè egestatem, priuatim opulentiam. Laudamus diuitias, sequimur inertiam inter bonos, & malos, discrimen nullum facimus: Omnia virtutis præmia ambitio possidet.

Arma alienasse graue crimen est, inquit *l. Qui commeatus* 14. *ff. de re milit.*

Arma postliminio reuerti negantur, quòd turpiter amittuntur *l.* 2. *ff. de capt. & postlimin reuers.*

Armis pugnare non debent clerici, nec contrà Sarracenos habes verbo, *Clericus*, Nec debent portare rustici, vt dicis verbo, *Rusticus*. Nec armis vti non militantem permittas aliquem, inquit *Imperator in Auth. de mandat. princ.* §. *vlt. coll.* 3. *vbi Glos. verbo, Siquidem*, ità; & est notabile, quod, qui non est miles, non militet.

Additio *ad Glos. in verbo, Pergentes iam armati l. licet* 19. *C. de pact.* hæc ponit. Ista Glosa est notabilis &c. ad hoc, vt ille, qui stat armatus, iuxtà delinquentem videtur sibi præstare opem, & de rixa cogitasse.

Arma contrà se ipsum nemo præstare tenetur, deducitur *ex cap.* 1. *de probat.* ibi; Quia nulli dicendum est ea, quæ contrà se sunt, apud te metipsum debes documenta requirere, in mediumq; proferre.

De armis, quatenus sunt insignia, sciendum est, quòd olim apud antiquos Romanos nobilitas non ex genere, sed ex imaginum multitudine ducebatur, quia nobiles illi soli censebantur, quorum maiores Magistratum ceperant; vnde ius imagines ponendi ex magistratu deferebatur, vt tradit *Alciatus lib.* 4. *parerg. cap.* 30. *Tiraq. de nobil. cap.* 2. *num.* 15. *& alij*; & colligitur ex *Tito Liu. lib.* 1. *ibi*; *Ancus Marcus nobilis vna imagine &c. valer. Max. lib.* 3. *cap.* 15. ibi. Sine vllis imaginibus nobilem animum. Et *Horat. lib.* 1. *sermon. sat.* 6. ibi Et famæ seruit ineptus, qui stupet in titulis, & imaginibus, & *ex Sueton. in Vespas.* ibi; Gens Flauia obscura, illa quidem, & sine vllis maiorum imaginibus, & *ex illo Ezechiel. cap.* 26. ibi. Statuæ tuæ nobiles in terra corruent. Nam huiusmodi imagines ad dignitatem, & splendorem familiæ referebantur, vt apparet *ex Ciceron. in orat.* 2. *pro l. Agraria* ibi; Vt hi, qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consequuti sunt, prædictisque imaginibus omnes de familia nobilitari apparet *ex eodem Cicer. lib.* 5. *in Verr.* ibi; Imagines ad memoriam, posteritatemq;

temque prodendum, & ex *Ouid. lib. 7. Metamorf.* ibi.

Cum pater in capulo gladij cognouit eburno
Signa sui generis.

Et omnium de familia morientium funus honorabatur, vt tradit *Plin. lib. 35. cap. 2.* ibi; Vt essent imagines, quæ committerentur gentilitia funera. Ex quo pendet ratio *tex. in l. lex qua tutor. C. de administr. tutor.* ibi, In qua maiorum imagines, aut non videre fixas, aut reuulsas videre satis est lugubrè.

In locum autem imaginum prædictarum vsus armorum esse cœpit, quæ cuique generi insignia peculiaria essent, & cuiusque familiæ propria, vt post *Bart. in l. Bonum qui ff. de pæn. & Bald.* tradit *Tiraq. de nobil. cap. 6. num. 16.* Nam sicut olim veteres stegmata, imagines, seu Statuas, tamquam nobilitatis tantùm insignia vsurpabant, vt *per eundem Tiraq. vbi proximè supra n. 14. & agnouit Acurs. in l. penult ff. de grad. affin.* Eodem modo armorum insignia sunt recepta; vt enim ad homines cognoscendos nomina sunt inuenta iuxtà *l. ad recognoscendos C. de ingen. & §. Si quis in nomine de legat. in Instit.* Armorum insignia ad familiarum nobilium cognitionem, & distinctionem admissa fuerunt secundum *Bart. in tract. de insign. num. 13.* vbi dicit, quòd à Principe concedi debent, & latè prosequitur *Tiraq. d. cap. 6. ex num. 1.* Nunc tamen omnes sumunt arma, & insignia, quæ volunt cum aliàs, ea proueniant ab ascendentibus, & transeant in descendentes, quamuis non sint hæredes, vt *per Bart. supra nu. 10. argum. tex. in l. familiaria cum seq ff. de religios & sumpt. fun. l. Ius Sepulchri C. eod. tit.* & hæc sufficiant pro intelligentia armorum, & insignium, cum alias multa dici possent, sed nostræ inspectionis est ad verba notabiliora vtriusque Iuris.

Arma, & insignia non possunt abradi, vt inquit *l. 2. ff. de oper. pub.* ibi; Ne eius nomine, cuius liberalitate opus extructum est, eraso, aliorum nomina, scribantur, & propterea reuocentur similes ciuium in patriam liberalitates.

Vnde ex dicta ratione non possunt abradi de sepulchris arma, nec inscriptiones, cum talia pro familiæ splendore apponantur, ex traditis à *Diuo Gregorio relato in cap. Animæ 13. quæst. 2.* ibi; Curatio verò funeris, conditio sepulturæ &c. Magis sunt viuorum solatio, cum sepulchra, & monumenta memoriæ conseruandæ causa fiant, vt *per tex. in l. legatam 4. ff. de admin. rer. ad Ciuit. pert.* ibi. Vt in eo munificentia eius, qui legauit inscriptione notetur. Et *in l. Quintus Mutius ff. de ann. legat.* ibi. Ad authoritatem scribentis hoc quoque pertinet, cum quis iussit in Municipio imagines poni *l. Cum filius 76. §. Pater ff. de legat. 2.* ibi; Cempronio Nepoti meo plus tribui in honorem nominis mei, & *l. Basilicam C. de oper. publ. l. 1. C. vt nomin. lit. fin. iudic. auth fig. reb. imp.*

Ars, & Artifex.

INter prudentiam, & artem hoc solum interest, quia prudētia in agendo ars in faciendo versatur, vt inquit *Arist. 6. Ethic. c. 3.* vbi etiam sic. Actio enim respicit effectus animi, qui regulantur ex prudentia; Ars verò respicit actus exteriores, qui ex ipsa arte moderantur, vt teneant medium inter excessum, & defectum, & ità nulla moralium virtutum absque prudentia, & arte consistere potest.

Omnis ars imitatio est naturæ dixit *Senec. epist. 66. in princ.* & sic adoptio fuit ars inuenta à Iure; quia naturam imitatur, vt dixit *Imperator in princ.*

de adopt. in Instit. ità. Incertum est tamen, & inæquale quicquid ars tradit: æquo venit, quod natura distribuit, vt ait *Senec. lib.22. Epist.122. ad fin.* vndè dicit *Pontifex in Extrauag. 1. de verb. sig.* sic. Non ars, non regula circunstantias singulas, accidentiaq; cuncta complectitur.

Omnes istæ artes, quibus aut exercitatur ciuitas, aut strepit, corporis negotium gerunt, cui omnia olim, tamquam seruo præstabantur, nunc tamquam Domino parantur dixit *Senec. Epist.91. post princ.* & dicuntur mechanicæ, & sunt scientiæ adulterinæ, siuè non liberales, vt pelliparìorum, fabrorum, & similium, inde mechanici, idest magistri illarum artium. Sed Architectus magister tectorum, vel domuum tantummodo dicitur, & maior ab archos, quod est princeps, & tectum, quasi dicat princeps magistrorum tectorum, vt tenet *Glos. verbo Mechanicus in Auth. de non alienan. §. Quod autem coll. 2.*

De arte verò, seu scientia legali sic inquit *Imperator Iustinian. in proœm. ff. §. Et quod iam primis*. Et quod penè in alia nulla arte euenit, cum & si villissima, omnes infinitæ tamen sint. Hæc sola scientia finem habet mirabilem. Et licet aliæ artes viles sint, nemo debet verecundari facere artem suam, vt inquit *Glos. verbo, Hoc agere, in Auth. de tabell. §. 1. per tex.* ibi: Quoniam quidem ille dedignatus est hoc agere, & qui verecundantur de sua arte perpetua egestate, cum maiori erubescentia laborant.

De eo, cui relinquitur, vt artem discat, sic inquit *tex. in l. Stichus 12. ff. de legat. 3.* Sed prætor, aut arbiter ex voluntate defuncti, & ætate, & conditione, & natura, ingenioque eius, cui relictum erit statuet, quod potissimum artificum hæres docere eum sumptibus suis debeat.

Deponentes de peritia artis debent prius iurare, inquit *Salicet. per tex. ibi in l. hac edictali 6. §. His illud ibi; arbitros iudicaturos interposito sacramento C. de secund. nupt.*

Inter artifices longa differentia est, & ingenij, & naturæ, & doctrinæ, & institutionis; Et ideo si nauim à se fabricandam, vel &c. Et hoc specialiter actum est, vt suis operis id perficiat, fideiussor ipse ædificans &c. non consentiente stipulatore, non liberabit reum, sic disponit *l.31. ff. de solut.* Cum omne artificium incrementum recipiat, quod magis obtinere debet: Quia humanæ naturæ congruum est, vt dicit *l. Legatis 63. §. Ornatricibus ff. de legat. 3.*

Nota, quod excellenti in arte sua decapitando parcendum est, si reus mortis, sit optimus artifex, & valde vtilis Reipublicæ, vt dicit *Glos. in Apostil. l. Ad bestias 31. ff. de pæn. per tex.* ibi: Sed si eius roboris, & artificij sint, vt dignè Populo Romano exhiberi possint Principem consulere debet.

Nota, quod artifex semper à periculo contingenti vitio materiæ est excusatus, vt ponit *Glos. in verbo Tollit in l. Si seruus §. Si calicem ff. ad l. Aquil. per tex.* ibi. Potest esse excusatus, & ideo plerumque artifices conuenire solent cum huiusmodi materiæ dantur non periculo suo se facere.

Artifices numerati *in l.1. C. de excus. artif. lib.10.* sunt immunes à muneribus personalibus, vt, ibi. Et arcentur ab honoribus, & dignitatibus, atque officijs Prouincialibus, vt habes infrà in verbo, *Dignitas, vers. Sed nec ad aliam.*

Si ex officio quis ad artificium transierit, quidam rectè putant legatũ extingui: Quia officium artefìcio mutetur: Non idem à contrario, cum lecticarius cocus postea factus est, inquit *l. Legatis seruis 63. §.1. ff. de legat. 3.*

Arti-

Articulus.

Articulus color est breue membrum, dictio graeca.
Articulus numerus, per denos multiplicatus,
Momentum articulus, pressuraque dicitur esse.

Ità ponit, *Glos. verbo, Articulis in addition e cap. 2. de test. lib. 6.* vbi nota, quòd dictio illa Græca sonat indiuisionem.

Articuli de facto sunt illi, qui a partibus proponuntur in causis, & super quibus probationes dantur; Articuli verò iuris dicuntur illi, super quibus sine probationibus facti statim potest pronunciari, &c. Sed super factum non potest pronunciari, nisi examinetur factum, vt dixit, *Glos. in verbo Criminalibus, in fin. in cap. Nos Romanorum de pac. Const.*

Asseueratio.

Nota falsam asseuerationem esse in culpa, vt &c. dixit *Glos. in l. Si vina 15. ff. de peric. & commod. rei vend.* Quid tamen si ignorauit quidem furem esse, asseuerauit autem bonæ frugi, & fidum, & caro etiam vendidit? &c. Et puto, teneri. At qui ignorauit, sed non debuit facile, quæ ignorabat asseuerare. Inter hunc igitur, & eum, qui scit interest, quoniam qui scit, præmonere debuit furem esse, hic non debuit facilem esse ad temerariam indicationem. Sic optimus *tex. in l. Iulianus 14. ad fin. ff. de act. empt.* Vnde hi, qui, quod asseuerant, non præstant, aduersus dictũ, promissumue facere videntur; ità *l. Quis sit fugitiuus 17. in fin. ff. de adil. Ed.*

Auaritia.

Si infidelitas fornicatio est, & idolatria infidelitas, & auaritia idolatria est: non est dubitandum, & auaritiam fornicationem esse dixit, *August. relatus in cap. Idolatria 28. quest. 1.* Non ergo glorientur auari, etiam si caute viuant.

Auaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi a iure interdicta nouerint exquisitis fraudibus vsurpare conentur, inquit *Pontif. in cap. 5. de elect. lib. 6. vbi Glos. verbo; Cacitas* sic. Excæcant enim ista animos, vt agenda non videant, & a prohibitione declinent, & ibi additio ità *Ioann. Mon. auarum dicit esse cæcum*, & hoc probat tali ratione, secundum Philosophum. Possessio diuitiarum est in distribuendo; Auarus autem hoc non faciendo non videtur frui diuitiijs, & sic est cæcus. *Et Glos. verbo Excæcauit in Extrauag. vnica de praben.* Auarum dici cæcum, qui non habet oculos interioris intentionis ad Deum; Vnde dicit *Glos. in cap. Quorundam verbo, Immemores, de elect. lib. 6.* Mens auida pecuniæ nec abstinere nouit à vetitis, nec gaudere concessis, nec adhibere pietati consensum.

Duæ res sunt, quæ possunt hominem ad turpe compendium commouere, inopia, ac auaritia dixit, *Cicer. lib. 6. Rhet. & in 2. Rhet. ar. nou.* Sic. Auaritia hominem ad quoddam maleficium impellit, & *Senec. Epist. 109.* Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia. In nullum auarus bonus est in se pessimus, & *Ecclesiastic. 14.* Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? Et ideo fuit consilium, *Scipionis Roman. Consul.* Nec auaros, nec inopes rebus publi-

publicis dedicari. Sed auaro nihil est scelestius, dixit *Ecclesiastic. cap.* 10. *A.* 8.

Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida pro exiguo perire non metuit, nullumque est in eo corde iustititiæ vestigium, in quo auaritia fecit habitaculum, dixit *Sanct. Leo serm. 9. de pass. Dom. & faciunt, quæ Lucan. lib. 3. Pharsal.*

Pereunt discrimine nullo
Amica leges, ac pars vilissima rerum
Certamen nouistis opes.

Cum cetera vitia homine sepescente, senescant, sola auaritia iuuenescit: maximè, cum de rebus mundanis non possit naturaliter anima, quæ spiritualis est, satiari; sed tunc dumtaxat, cum apparuerit gloria Domini, dixit *Glos. verbo, insatiabilis, in extrauag. Execrabilis 4. de præb. int. comm.*

Sicut ij, qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed fantasias passionis suæ vident, ità etiam mens auari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum vidiet: semper redditus cōputat, gratius intuetur aurum, quàm Solem. Ipsa eius oratio ad Deum aurum quærit, &c. Interdum etiam vsuræ arte nequissima ipso auro, aurum nascitur, sed nec satietas vnquam, nec finis aderit cupiditati, &c. Sed ait aliquis. Quid iniustum est, si cum aliena non inuadam propria diligentius seruo? O impudens, dic tu: Quid propria dicis? quæ ex quibus recondis, in hunc mundum detulisti? quando ingressus es in hanc lucem. quando de matris ventre existi, quibus facultatibus quæso, quibus subsidijs stipatus ingressus es? &c. Proprium nemo dicat, quod est commune: Quod plusquam sufficeret sumptui, etiam violenter obtentum est, &c. nunquid iniquus est Deus, vt nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia? vt tu quidem esses affluens, & abundans, alijs verò deesset, & egerent? An idcircò magis, quia et tibi voluit benignitatis suæ experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare? Tu verò, susceptis Dei muneribus, & in sinum tuum redactis, nihil te reputas agere iniquum, si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tam iniustus, tàm auarus, quàm, qui multorum alimenta non suum vsum, sed abundantiam, & delitias facit? Nec enim minus est criminis habenti tollere, quam cum possis, & abundans sis, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: Nudorum indumentum est, quod tu recludis; E miserorum redemptio est, & absolutio, pecunia, quam tu in terra defodis. Tantorum te ergò inuadere scias, quantis possis præstare, quod velis. Ex *Diu. Ambros. refertur in cap. Sicut* 47. *dist. & ideo dixit Glos. verbo, Prodigus, in §. Item Prodigus, quibus non est permissum fac. test. in Instit.* Quod auarus tenet tenenda, & non tenenda, & inter alios versus ponit hunc.

Qui retinet dandum cupidè censetur auarus.

Sed, quæ erit pæna tantæ nequitiæ? ipsamet auaritia, vt respondit *Senec. Epist.* 116. *propè fin. ibi.* Nulla enim auaritia sine pæna est. Quamuis satis sit ipsa pænarum, cui consonat, *l. Si quis testamento* 33. *C. de inoffic. testam. ibi;* vt auaritia eius legitimis retibus feriatur; Nam ipsi auari nunquam potiuntur ijs, quæ possident, vt dixit *Glos. verbo, malè, in cap. ius* 12. *de verb. sig.* & vltra hanc pænam repelluntur à promotione, vt dixit

Glos. verbo, Auaritia, in cap. Cum iam dudum 18. *de præb.* Et impedit præsidere, vt habes in verbo, *Præsidere*; Nam cum natura omnis magistratus ad auaritiam sit pronior, vt dicit *Ioseph. de antiquit. lib.* 18. *cap.* 8. Si auarus ad præsidendum eligatur, quid faciet?

Fuge ergo talem pestem, prout eam ita vocauit, *Bernard. relat. per Glos. in l. Si stipulatus, ff. de donat. inter vir.* Et maximè, si vis appellari Philosophus, aut Ecclesiasticæ militiæ adscribi, quoniam ab Ecclesiastico ordine etiam omnis auaritiæ suspicio abesse debet, vt dixit *Trid. sess.* 21. *cap.* 1. *de refor.* Vnde miror sanè, quare *Glos. verbo, Animum, in l.* 4. *ff. de vsucap.* ausa sit dicere. *Et auaritia caput, Roma.*

Audacia.

IN malum dixit *Glos. verbo, Audax, in Auth. Habita C. ne fili. pro patr.* Et probat *ex l. Si quis in tantam furoris audaciam C. vnd. vi* vbi etiam, *Glos. verbo, Audaciam*, sic. In mala parte ponitur audacia, adde, *l. omnes* 31. *§. Præterea ibi;* Calumniantium refrænetur audacia *C. de Episc. & Cler.* alias in bona, vt in *d. Glos.* Quod probat *Arist. lib.* 2. *Ethic. cap.* 2. *ibi* Qui nihil omnino timet, sed ad omnia vadit, audax est.

Augmentum.

QVÆ inducta sunt ad augmentum, non debent operari diminutionem deducitur ex *l. Mancipia* 19. *ff. de fund. instruct. per tex. ibi.* Quamuis enim ea mancipia testator demonstrasset, quæ tunc ibi essent, cum legaret: tamen non minuendi causa mancipiorum, quoque fecit mentionem, & concordat *l. Quæsitum* 12. *§. vlt. eod. tit. ibi;* Non videri minutum, sed potius ex abundantia adiectum. Sicut à contrario inducta ad diminutionem augmentum non possunt operari, prout etiam deducitur ex *l. legata inutiliter* 14. *ff. de adimen. legat.* Quomodo enim augetur, vbi amplius est, &c. sic vbi minus est, deducitur, vt inquit *l. vlt. ff. de legat.* 3.

Autor, & Authoritas.

GLos. verbo Tractatus in cap. 1 de reb. Eccl. in 6. Sic inquit. Distinxerunt autem hic *Innocent. & Host.* inter decretum authoritatem, & consensum, siue collaudationem. Decretum est sententia, qua Iudex contractum futurum iustum fore decernit, authoritatem suam interponendo, vel aliquem in possessionem mittendo, seu mittendum declarando, &c. Authoritas autem est authorizabilis consensus, qui competit sibi ex publico officio, vel legitima administratione, vt sunt Tutores, & Curatores, &c. Consensus autem, siue collaudatio est multorum voluntas, ad quos res pertinet simul iuncta, &c.

Authoritas autem debet adhiberi in ipso actu in continenti ante, vel post, vt dixit *glos. in Clem. vnica de for. comp. verbo, Ante omnia, in addit.* Nec interponenda est conditionaliter, sed purè, vt dixit *l. Et si conditionalis,* 8. *ff. de author. tutor.*

Dignitas, & authoritas seruanda est, quantum ad mundum, vt ait *Glos. verbo, Dignitatis, in l.* 1. *ff. de postul.* & inter authoritatem illa potior erit, quæ

quæ antiquior, vt dicitur *in cap. hoc ipsum ad med.* 33. *quæstione* 2. ibi. Quotiescumque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius sententia magis teneatur, cuius antiquior, & potior extat authoritas.

Quod fit authoritate Papæ, dicitur fieri authoritate Dei, & est verum, si iusta causa hoc faciat, vt inquit *Glos. verbo Diuina, in cap.* 2. *de transl. Episc.* Multoties ex causa etiam toleratur, quod authoritate iudicis iussum est, vt dicit *Pontifex in cap. Nisi* 21. *de præb.* ibi; Propter causas prædictas non quidem ex pactione partium, sed ex iussione iudicum, nos eam toleramus, & *in l.* 5. ibi. Si à prætore compulsus, & *l. Nouissimè* 7. *ff. quod fals. tu.* ibi; Quid enim si compulsus &c. authoritatem accommodauerit, non ne debebit excusari? Et ibi *Glos.* respondit certè sic. Licet aliquando authoritas superioris non excuset, vt ponit *Glos. in cap. dilectus* 15. *de tempor. ordin. per tex.* ibi. Ipsi obtemperare non debuit.

Cum quis adminiculo auctoris vtitur, vti debet cum sua causa, suisque vitijs ait *l. Pomponius* 13. *§.* 1. *ff. de acquir. poss.* An autem auctoris culpa, vel vitium noceat successori habes *verbo, Culpa, vers. Sed videtur.*

Si plures sunt, qui auctores fuerunt perceptione ab vno facta, & cæteri liberantur, non electione, vt ait *d. l. Nouissimè* 7. *in fin. ff. quod fals. tutor.*

In rem patris auctor filius esse non potest dicit *l. quod dicimus §. vlt ff. de auth. tutor. Et in l.* 1. *§. Fuit quæsitum ff. ad Trebell.* sic; Et est decretum à Diuo Seuero, Non posse tutori se auctore restitui hæreditatem, quia in rem suam auctor esse non posit. Secus verò erit in Collegio, quia nemo eorum videtur sibi authorare, vt *in ead. l.* 1. *§. Si autem.* In casu etiam notat *Glos. verbo, In possessionem, l. Fistulas* 78. *§.* 1. *per tex. ibi ff. de contrah. empt.* vbi sic. Item nota hic, quem authorari in re sua.

Quando auctores reprobantur, & eorum dicta reprobata censentur, dicitur *in cap. Fraternitatis* 4. *de haret.* ibi. Quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnantur authores, vbi *Glos.* sic. Tamen, quòd ratione bonæ sententiæ recipi posint &c. Et ibi; Tamen ratione bonæ sententiæ scripta originis approbata fuerunt &c. qui damnatus fuit post mortem, & in hoc sensu debet intelligi *Glos penult. in cap. vlt. de summ. Trin.* dum sic dicit; Nota, quod si auctor reprobatur, eius scripta sunt reprobanda &c. vbi *Glos. in Apostil. contraria adducit*; tu tamen sequere illa, quæ tibi magis placuerit.

Non ad multitudinem auctorum, sed ad id, quod melius, & æquius est, attendendum est, vt dicit *Imperator in l.* 1. *C. de vet. iur. enuel.* ibi; Quia non omnes in omnia, sed certi per certa, vel meliores, vel deteriores inueniuntur, sed nec ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius est, iudicatore: Cum posit vnius forsan, & deterioris sententia multos, & maiores aliqua in parte superare, & qui subtiliter factum emendat laudabilior est eo, qui primus inuenit, dicit ibidem *d. leg.* 1.

Auxilium.

EA, quæ postea emergunt, auxilio indigent, dicitur *in l. de ætate §. Ex causa ff de interrogat. act.* Et ità vbicumque deficit Ecclesiastica potestas, recurrendum est ad auxilium sæculare &c. & sic vna potestas per aliam iuuatur, dixit *Glos. vlt. in cap. Quoniam 14. de offic. ordin. vbi tex. in fin.* sic, Adhibito (si necesse fuerit) brachio sæculari ad tantam insolentiam repellendam.

Nota, & hoc, quod vbi quis est tutus ipso Iure non egeat auxilio extraordinario inquit *Glos. vlt. in l. 3. ff. quod fals. tutor. & Bart. in summario l. Damni infecti*, sic. Ordinarium auxilium excludit extraordinarium: Nisi esset plenius per extraordinarium.

Non debet quis eius, in quem deliquit auxilium implorare, dicit *Glos. verbo, despexerunt, in Auth. vt lic. matr. & aut §. vlt. coll.* 8. vbi Ecclesia non defendit delinquentem in eadem.

Tulisse auxiliũ non tantũ is videtur, qui seruauit dominum, hoc est, qui potuit ità opem ferre, vt saluus esset Dominus verum is quoque, qui quicquid potuit, fecit, tam. & si dominus interfectus est: veluti si quis exclamauit, inquit *l. 1. §. vlt. ff. ad Syllanian.*

Auxiliũ, quod teneatur præstare vassallus Domino feudi, vide, *in verbo, vassallus, vers. sed consueuit.*

DE LITTERA B.

Balneum.

BAlneorum vsus licitus, & vtilis est, cum sit tantum lauandi gratia, & moderatè, ne nimius debilitet stomachum, & maiorem, refectionem poscens erumpat incruditatem, quæ parens libidinum est, vt dicit *Diuus Hieronymus ad rusticum*. Nec audiendi sunt, qui nimia verecundia, aut vera, aut falsa abhorrent balnea, cum licet verum sit, quod hæc non debent fieri, vbi nudatus publicos oculos infestet; Sed procul à cunctorum obtutibus hoc faciat, vt in expressis verbis dixit *Imperator in l. Cum suprà 12. C. de re militar. lib. 12. & ibidem glos.* sic. Nota curialem legem contrà eos, qui more bestiarum se inuerecundè balneant, vel in domibus ad id deputatis, prout extant, in Alma vrbe; Nam verecundissimus, & castissimus erat Virgo Ioannes Euangelista, & talis inæuum permansit. Et testatur de eo *Beatus Policarpus*, quòd ingrediebatur balnea lauandi gratia, vt dicitur in *cap. omnis qui recidit 24. quæst. 1. vbi Glos. verbo, Balneas*, sic inquit. Et ità etiam Religiosi possunt intrare balnea. Si verò cum fœminis vir, vel viceuersa libidinis causa balnea ingrediantur, tunc abhorrenda, & execranda erunt, & sufficiens causa ad diuortium erit, vt *in l. Iubemus §. Eodem modo C. de repud.* ibi; Vel ità luxuriosa est, vt commune lauacrum cum viris libidinis causa habere valeat, & idem *in Auth. de nupt. §. has itaq. coll.* 4.

Barba.

MIrum est, quantum ratio barbæ conferat ad cognoscendum corporum maturitatem, & sexus discernicula

nicula, aut decorem etiam. Num virilitatis, aut roboris, vt inquit *Celi. lib. 2. antiq. lect. cap. 24.* & subdit, si qua visatur barba insignis; inquit contingere, quod illi additum sit peculiarius aliquid roboris, & caloris. Et *Diu. August. super Psalmo* 132. dicit; Barbam significare fortes iuuenes strenuos, impigros, & alacres; vnde, quando tales describimus, dicimus homo barbatus est; & *Hilar. super eodem Psalmo*, inquit; Barbam significare virtutes, vt puta fortitudinem, sapientiam, iudicium, & discretionem boni, & mali, quæ solent in homine reperiri, cum iam incipit adolescere, & ratione vti, quemadmodum barba nascitur in homine, cum iam ratio incipit in eo, vim habere. Et cum hæc ità sint, hodie videmus aliquos barbam radentes taliter, quòd vix videantur homines, sed capros imitantur, vt quidam dixit. *Et male barbatos ore referre Capros.* Non attendentes, quod sibi ipsis, & virtutibus prædictis iniuriam faciunt, & olim quidem magna contumelia erat apud antiquos barbam taliter radere, vt apparet 2. *Reg. cap.* 10. 4. vbi; Hanon rasit seruis Dauid dimidiam partem barbæ, & ibi hæc iuuenes. Erant enim viri confusi turpiter valdè, & 1 *Paralipom. cap.* 19. *ibi*. Decaluauit, & rasit, & ibi; Grandem enim contumeliam sustinuerant. Et quemadmodum prædicti tales debent reprobari; Sic debent excusari, qui amore barbæ illam desiderantes, & anhelantes medicamenta applicant, vt barbati fiant. Et tamen plus leues apparent.

Quæro in proposito de extractione capillorum, quæ pæna sit aliquem capillis expilare, vel barbam alicui extrahere, non tamen sanguis exiuerit? Et ideo addendo de nouo, quòd pæna est quadraginta librarum parti applicandarum, & viginti fisco, iste est, *tex. aureus in cap.* 1. *§. Si quis aliquem de pac. tenen. in vsib. fœud. quem singularem dicit, & per consequens vnicum in iure Roman. singul.* 562.

Beatus.

BEatum eum non esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit (nam dicitur, bona ideo dici, quia beant homines) sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum, & mirabilia calcantem, qui neminem videt, cum quo commutatum se velit, qui hominem, & à sola parte æstimat, qua homo est, qui natura magistra vtitur ad illius leges componitur, sic viuit quomodo illa præscripsit, qui mala in bonum vertit certus iudicij inconcussus, intrepidus, quem aliqua vis mouet, nulla perturbat, quem fortuna cum in eum, quod habuit telum nocentissimum vi maxima intersit, pungit, non vulnerat, & hoc raro inquit *Senec. Epist.* 45. *post med. & in Epist.* 72. sic. Vt sis beatus & te alicui stultum videri sine. Quisquis volet tibi contumeliam facere, faciat, & iniuriam, tu tamen nihil patiens si modò erit tecum virtus. Si vis inquit, Beatus esse si fide bona vir bonus sine contemnat te aliquis.

Bellum.

SEX causas ponit *Glos. in verbo*, *pacem, cap.* 2. *de sent. & re iudic. lib.* 6. Ex quibus bella oriuntur in hæc verba. Prima. Quia non puniuntur maleficia Ecclesiastes 8. Quia non profertur cito, contrà malos sententia &c. Secunda Abundantia temporalium *Hierem.* 9. *& Genes.* 13. ibi, Acta est rixa inter pastores Abraham, &

Loth

Loth. Tertia quia non occupamur in pugna contrà Dœmones *ad Ephes.* 5. ibi; Non est nobis coluctatio aduersus carnem &c. Quarta. Quia non consideramus damna guerræ, in qua diuitias, corpus, & animas perdimus *Hierem.* 46. ibi. Fortis impetit fortem, & ambo pariter ceciderunt (& satis nostris temporibus videmus) Sexta, Quia non consideramus dubium euentum Belli 3. *Reg.* 12. *ibi. varius euentus belli &c.* Sexta. Quia non seruamus præcepta Dei. Potest addi, & Septima. Scilicet paupertas in domo indigente, ibi, Enim omnes bellantur absque Iure, & ratione.

Est tempus belli, & pacis, vt *in proœm. Institut.* Pulchritudo vestium tempore pacis, vt &c. Pulchritudo armorum tempore belli inquit *Glos. in rubric. C. de fabricen. lib.* 11. Et est bellum iustum, & iniustum. Iusta enim sunt bella, quæ sunt pro patria defendenda, vt &c. inquit *Glos. verbo, non amittant in cap. Vassali de pac. Constan.*

Si bona fuerit causa pugnandi, pugnæ exitus malus esse non potest, vt inquit *Diu. Bernard.* cum quo bene consonat illud Propert.

Frangit, & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Sic enim iustè bellabunt se defendendo &c. & sic obedire debent, ex quo constat iustum esse bellum: Sed & idem cum dubitatur, an sit iustum; nec ne &c. Cum autem certum est bellum iniustum secus &c. dixit *Glos. verbo, violentos in cap. Grandi il* 2. *de supplend. neglig. prælat. in* 6. *cum qua concordat cap.* 1. *Hic finitur l. in vsib. feud.* ibi. Domino guerram faciente alicui, si sciatur, quod iustè, aut cum dubitatur vassallus eum adiuuare tenetur, sed cum palam est, quod irrationabiliter eam facit, adiuuat eum ad defensionem ad offendendum, eum non adiuuet.

Pacem habere voluntatis est: Bellum autem debet esse necessitatis, vt liberet Deus à necessitate, & conseruet in pace. Non enim pax quæritur, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Sto ergo bellando pacificus: vt eos, quos expugnas ad pacis vnitatem vincendo perducas &c. Itaque hostem pugnantem necessitas deprimat non voluntas, sicut bellanti, & resistenti violentia redditur: ità victorijs capto misericordia iam debetur, vt refert, *ex Augustin. cap. Noli existimare* 23. *q.* 1.

Fere impossibile est, quòd exercitus damna non ferat, vt inquit *Glos. verbo, Moram, in cap. Vassalli de pac. Constan.* cui consonat *Auth. de arm. in princ. coll.* 6. *ibi; Et inhibere bella &c.* Duplex ex hoc contrà se supplicium inferentes tàm quod sibi met inferuut, tàm quòd ex legibus vesaniam eorum punientibus patiuntur, vbi *Glos.* 2. sic. Nota bellum, duplex malum inferre, vt hic, & etiam tertiùm, quia facit homines pauperes, & probat etiam *Glos.* 1. *in l. vnica C. public. latit. lib.* 12. ibi; Cum bellum perditionem animæ, & corporis, & substantiæ inducat.

Sed deperditione corporis parùm, aut nihil curat *Augustin. contrà Manich. relatus in cap. Quid.* 23. *quæst.* 1. Quid (inquit) culpatur bello? An, quia moriuntur, quandoque morituri in pace victuri? hoc reprehendisse timidorum est; Non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus, ac implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur.

Ordo autem ille naturalis Mortalium paci acommodatus hoc poscit, vt susci-

piendi

piendi belli authoritas; ac consilium penes Principes sit. Sed si humana cupiditate bellum geritur, non nocet Sanctis &c. Non enim est potestas, nisi à Deo, siuè iubente, siuè sinente. Ergo vir iustus, si fortè etiam sub rege homine sacrilego militet, rectè potest, illo iubente, bellare, si vice pacis ordinem seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contrà Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est, dicit ibidem *Augustin. vbi supra proximè.*

Sed certè, si ad regnum Celeste seriò mortales cogitarent; erubescerent vtique bella gerere pro angustissimis portiunculis terræ. Offert tibi Deus, ò homo, societatem immensi, ac æterni Regni sui, & tu pro vnius Oppidioli defensione, vel acquisitione bellum geris, vbi multæ committuntur rapinæ, & cædes, & alia peccata innumerabilia, quibus Rex Regum instilsimè prouocatur ad iram? vbi est prudentia? vbi consilium tuum, dixit *Eminentissimus Belarm. de atern. felic. lib. 1. cap. 1.*

In bello, qui rem a Duce prohibitam fecit, aut mandata non seruauit capite punitur, etiam si res bene cesserit, inquit *l. Desertorem 3. ff. de re milit.*

Ignaui verò minimè admiscendi, nè dum res armis geritur in fugam auersi, hostium conditionem potiorem faciant, inquit *Ioseph. lib. 4. antiq. cap. 8.*

Ij, qui alios excitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant de rigore canonico eos credimus deponendos ait *cap. Quod in dubijs 5. de pan. vbi Glos.* sic; incitant; in bello iniusto &c. Secus, si esset iustum, quia tunc licitum est hortari.

Bello mortui pro viuis reputantur *§. 1. de excus. tutor. in Instit.* ibi; Et constat eos solos prodesse, qui in acie amittuntur. Ij enim, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur, & ibi *Glos. in Apostil. ex Tull.* dicit sic; Omnibus, qui patriam seruarunt, iuuerunt, auxerunt, certum esse in Cælo, & diffinitum locum, vbi Beati sempiterno æuo fruuntur.

Nota, quòd treuga magis accedit guerræ, quàm paci, & quod de guerra, & treuga idem est iudicium; item quod tempore treuguæ non est tutus accessus, ponit *Glos. verbo, Vassalli, in d. cap. vassalli de pac. Constan.*

Benefacere.

NEmo cogitur. Nam *in cap. ad fidem 23. quæst. 5.* Sic dicitur. Igitur, quòd aduersus vos leges constitutæ sunt non eis benefacere cogimini; sed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera voluntate, & comprobatur *ex cap. Quiescamus 42. dist.* ibi. Non enim ex vita eorum, quos accipis, mercedem tibi retributurus est Deus; Sed ex voluntate, & honorificentia multa, & misericordia, & bonitate.

Constantia rerum bene gestarum, & plurimorum benefactorum res iocundissima est. inquit *Cicer. in lib. de Senect.*

Beneficium.

DIcitur beneuola actio tribuens gaudium capientibus, capiensque tribuendo in id, quod facit prona, & sponte sua parata, vt inquit *Senec. lib. 1. de benefic. & refertur in cap. 1. in quibus cau. feud. amitt. & prosequitur idem Senec.* Itaque non quid fiat, aut quid detur, refert, sed qua mente, Quia beneficium non in eo, quod fit, aut datur consistit, sed in ipso dantis, aut facientis animo.

Non est autem beneficium, nisi quod ra-

tione

ratione datur; vt dixit *idem Senec. lib.* 4. *cap.* 10. Nec negligenter est dandum, vt habes verbo, *Ingratus*. Et si beneficium dedit mihi, sed non libenter, sed dedisse se, quæstus est, sed superbius me, quàm solebat aspexit, sed tardè dedit, vt plus præstaturus fuerit, si citò negasset &c. Cum sermo, & dubitatio, & vultus gratiam destruant, *idem lib.* 3. *cap.* 8. *de benefic.* & *lib.* 1. *cap.* 1. sic. Nec tardè quidem, quia cum in omni officio magni æstimatur dantis voluntas, qui tardè fecit, diu noluit; vtique non contumeliosè. Nam cum ità natura comparatum sit, vt altius iniuriæ, quàm merita descendant, & illa citò defluunt, has tenax memoria custodiat, quid expectat, qui offendit, dum obligat &c. Demus beneficia, non fœneremus, dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, dum daret, & in fine sic. Dicam quod sentio, qui beneficium non reddit, non magis peccat, quam qui non dat citius. Et *Prouerb.* 3. *dicitur* ità. Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare; quod autem non debeat dari contumeliosè dicit *Ecclesiastic.* 18. 15. ibi; In bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali &c. Sit & verbum melius, quàm datum, & *c.* 41. *ad fin.* ibi; Cum dederis, ne improperes.

Beneficia non parant amicitias? parant: si accepturos licuit eligere, si collocata non sparsa sunt: Itaq; dum incipis esse mentis tuæ, interim hoc consilio vtere sapientum, vt magis ad rem existimes pertinere, quis, quàm quid acceperit, *idem Senec. Epist.* 18. *ad fin.*

Properet, licet, sero beneficium dedit, qui roganti dedit *idem Senec. de benefic. cap.* 2. *ex ratione de qua*, ibi Molestum verbum est, onerosum, & dimisso vultu dicendum, rogo, huius facienda est gratia amico; *Et in cap.* 4. sic. Nihil autem est acerbius, quam vbi, quod impetrasti rogandum est; Et tamen nihil charius æstimamus, quàm beneficium quamdiù petimus, Nihil vilius, cum accepimus, vt dicit *idem Epist.* 82.

Qui dedit beneficium, taceat, narret, qui accepit, *idem Senec. d. lib.* 2. *de benefic. cap.* 11. & *in lib.* 7 *cap.* 22. *ad fin.* sic Cum dicimus meminisse non debet, nec iactare, nec grauis esse: Quidam enim beneficium, quod dederunt omnibus circulis narrant.

Cum beneficio adfici hominem, intersit hominis, inquit *l. Seruus in fin. ff. de seru. exportan.* & ibi *Glos.* verbo, *Affici*, dicit; Nota, Affici, in bonam partem, & ità est *in l. Si filia, ibi. Lucro dotis afficiat ff. de diuor.*

Species lucri est ex alieno largiri, & beneficij debitorem sibi acquirere, ait *l. Si pignore* 56 *ff. de furt.* Et quidem diligentius quærendus est beneficij, quàm pecuniæ creditor; huic enim reddendum est, quantum accepi, & si reddidi, solutus sum, ac liber, at illi plus soluendum est, & nihilominus relata gratia cohæremus. Vnde dixit & benè *Glos. verbo, à quibus, in cap. Dominus noster* 93. *dist.* Quod nemo se opponere debet, illi, à quo receperit beneficium, & allegat *tex. optimum in cap. de forma* 22. *quæst.* 5.

Qui gratè beneficium accepit primam eius pensionem soluit, dixit *Senec. lib.* 2. *cap.* 22. *de benefic.* & *lib.* 3. *cap.* 9. ait. Cum aliter beneficium detur, aliter reddatur, paria facere difficile est.

In beneficijs plenissima sit interpretatio adhibenda, inquit *cap. Quia circa* 22. *de priuileg.* Nec enim beneficium Iuris est coangustandum. Nec decipi nos beneficio oportet, sed iuuari, inquit *cap. vlt. de commodat.* à quo deduxit *Glos. penult. in cap. Cum inter* 18. *de elect.* vnde, quæ nocitura sunt impetran-

ed by Google

transeuntibus non dare, sed negare beneficium est, vt dixit *Senec. de benefic. lib. 2. cap. 14.* Vide etiam alia in verbo, *Petitor*.

Beneficium aliquis nesciens accepit, nemo à nesciente &c. & beneficium ab iniuria destinguit, non euentus, sed animus, vt dixit *Senec. lib. 6. de benefic. cap. 8. & in cap. 15.* Sic voluntas est, quæ apud nos ponit officium, &c. parùm est illi velle, nisi profuit, parùm est profuisse, nisi voluit. Et hinc dixit *Glos. vlt. in l. verbis 5. ff. ad l. Falc.* ità; Item nota, quòd non vitiatur beneficium ex superueniente casu, & ibi etiam notat *Glos. in Apostil. & facit quod dicit Glos. vlt. in l. Si seruum 70. §. vlt. ff de acquiren. hæred.* Quod non tollit indultum beneficium, quod impedit indulgendum. Tu autem noli prohibere benefacere eum, qui potest, si vales, & ipse benefac, vt dicitur *prouerb. cap. 3.*

Nec deteriorem causam per beneficium haberi oportet, dixit, *l. Si is qui 42. ff. ad l. Iul. de adult.* Nec in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere moris est nostri, dixit *Imperator in l. Nec auus C. de emancip. liber.* ne alias videatur quis principali authoritate circunscriptus, vt dixit *Glos. verbo, Consensum, in Extrauag. vnica de priuil.*

Beneficium affert gaudium recipienti, & inuitus nemo gaudebit, vt &c. ait *Glos. in l. Inuito 70. ff. de reg. iur.* tamen in causa libertatis, inuito beneficium confertur vt dicitur *in l. 3. ff. de liberal. caus.* ibi; vt causa cognita etiam ei inuito succurratur. Et in casu *cap. Clericis 7. de vit. & hon. cler. dicit Glos. verbo, Inuiti*, sic argumentum, quod beneficia conferuntur in inuitos.

Et hæc sufficiant de beneficijs, circa corporalia, nunc verò aliqua de illis, quæ circa spiritualia, idest Ecclesiasticis, attinet. Et in primis graue nimis est, & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros benemeritos ad Ecclesiastica beneficia promouere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, vt dicitur *in cap. Graue 29. de præb.* Non enim ex affectu carnali, sed discreto iudicio debent Ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare, vt dicitur *in cap. vnico, vt eccles. benef. & in d. cap. Graue*, ibi; Carnalitatis sequentes affectum non iudicium rationis.

Circa litteratas personas, quæ maioribus beneficijs sunt honorandæ; cum ratio postulauerit, inquit *cap. de multa eod. tit. de præb.* maximè si fuerint beneficia Curam animarum habentia, cum hæc maiorem requirant idoneitatem in prouiso, vt dixisti suprà verbo, *Anima*, & infrà verbo, *Idoneus*.

Quod autem in beneficijs magis prouidendum sit nobilitati habes verbo, *Nobilitas*. Est ergo argumentum, quòd secundum qualitatem personarum beneficia sunt conferenda, vt inquit *Glos. in d. cap. de multa 28. de præb.*

Quos à te vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret, eo præsertim quo ad obtinendum beneficium debes idoneos reputare, quos ad Ordines suscepisti, ait *Pontifex in cap. Accepimus de ætat. & qualit. & Glos. vlt. in cap. Cum adeo 17. de rescript.* ità ait; Sic patet, quòd qui habet sufficiens beneficium, ad aliud beneficium reputatur indignus, & verba textus sunt hæc. Sufficientem sibi præbendam adeptus &c. vbi *Glos. verbo, sufficientem*, declarat ità. Debet enim talis esse, quæ sufficiat sibi, & suis &c. Et quod aduenientes possit recipere &c. in tali sufficientia debet haberi ratio nobilitatis &c. & dignitatis, quia minus sufficit pauperi, quàm diuiti, vt inquit *Glos. eadem afferens in cap. Extirpanda 30. de præb. verbo sufficiens. Glos.*

etiam verbo, Sufficientia, in cap. Conquerente 6. de cler. non resid. sic ait; In hac sufficiencia considerantur plura, Nobilitas, scientia, quia tales personæ maioribus redditibus sunt honorandæ.

De pluralitate beneficiorum inquit *Glos. in c. 3. de offic ordin. lib. 6. verbo, Plures.* sic. Hæc pluralitas, quia Canonibus inimica &c. Ideo odiosa,& restringenda.

Litteræ super obtinendis beneficijs impetratæ debent (cum sint ambitiosæ) restringi, inquit *cap. Quamuis 4. de prab in 6.*

Cum verò tibi (non obstante, quòd aliud beneficium obtinere noscaris) à Sede prædicta de aliquo beneficio prouideri contingit, per hoc tecum (vt primum beneficium cum secundo retinere valeas) non intelligitur dispensatum; Hoc enim solum prædicta operatur expresio, quòd facta tibi gratia, nequeat subrepticia iudicari, *cap. non potest 21. de prab. lib. 6. & Glos. verbo, vel alteri, in Clem. 1. de prab.* sic, Cum ergo per expresionem nulla fit dispensatio, sed solum vitatur subreptio &c. Nos verò videmus in Curia contrarium practicari; Nec enim dispensationem similem impetrari audimus,& an per tollerantiam contra dictum *tex.* expressum valeat prædicta cõsuetudo? non disputo, sed scio, quod *Eminentiss. Tolet.* tenet omnino deberi impetrari dictam dispensationem, vt tuti sint in conscientia, qui habent pluralitatem beneficiorum.

Nota insuper, quod qui habet modicum beneficium, nihilominus tenetur inde facere mentionem, & multæ aliæ conditiones intelliguntur, sine quibus litteræ non valent, vt inquit *Glos. verbo, Mentionem, in cap. penult. de rescript.* Conditiones autem sunt in his versibus contentæ.

Clericus, indigena, dignus, pauper residensque. (*notanda.*
Redditus vt pateant scriptis sunt ista

Cum scribitur alicui de aliquo beneficio in Ecclesia prouideri, si non sit ibi, nisi vnicum, vel scribitur ad collationem alicuius, qui non confert, nisi vnicum, de illo prouideri non poterit, cum illud, in aliquo, sit relatiuum supponens diuersitatem, inquit *Glos. verbo, Incerta in Clem. 1. de prab.*

Ex quo collatio beneficiorum incipit pertinere ad Ecclesiasticam personam, statim res sortitur naturam aliorum beneficiorum, quia res Ecclesiastica non debet duplici Iure censeri, inquit *Glos. verbo, Regis, in cap. Dilectis 34. de prab.*

Beneficium non potest posideri tamquam proprietas, quia nullus dicitur habere dominium sui beneficij, cum quasi vsuario clerici comparantur, Sed Ecclesia benè potest posideri ab alia Ecclesia, tamquam proprietas &c. ait *Glos. vlt. in c. Cum olim 7. de rer. permut.*

Vnde cum in titulis beneficiorum, qui omnino sunt singulares possessio vnius non iuuat alium, cum in talibus non cadat successio iuris, vel facti, licet in casu cadat succesio litis, vel causæ, dicit *Glos. verbo, Quæ alias iuxtà fin. in Extrauag. Execrabile 4. de prab. int. comm.*

Sola .n. possesio non sufficit in beneficijs Ecclesiasticis, nisi adsit Canonica Institutio &c. Sicut nec sola possesio facit aliquem decurionem, sed iusta electio *Glos. vlt in c. ex insinuatione 3. de procur. & Glos. verbo, Patientia in cap. litteras 4. de suppl. negl. præl.* ità dicit; Et sic nota, quòd sola patientia dat hoc Ius talibus institutis non ex illa institutione ex tunc, sed ex nunc, ex tali patientia per *tex.* ibi, Eas de patientia permittatis ab ipsis pacificè posideri.

Si Capitulũ per se confert beneficia, vel quandoq; Episcop. de per se, illud tantum

rum sit de consuetudine singulari &c. Sicut vides in quibusdam locis eligit Episcopus, & in quibusdam Capitulum. Vnde soli consuetudini adscribendum est: Et talis consuetudo rationabilis est, & ideò potest præscribi, inquit *Glos. verbo, Communiter in cap. vlt. de suppl negl. præl. vbi in princ.* Sic aio. De iure communi electio spectat simul ad Episcopum, & Capitulum.

Suspensis beneficia non possunt conferri, vt inquit *Glos. verbo, Suspensi in cap. Cum bonæ* 8. *de ætat. & qual.* ibi; Nec beneficia eis tempore suspensionis conferri possunt. Et in verbo, *postmodum*, sic ait. Talia beneficia tenere nonpossunt, etiam si posteà fuerint absoluti, quia tunc tempore obtenti beneficij inhabiles erant, & indigni, quia in talibus principium considerandum est.

Idem de personatibus, quod & de beneficijs curam animarum habentibus iudicium est habendum, inquit *Pontifex in cap. Dudum* 54. *vers. licet autem de elect.*

Nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet agere officium, inquit *cap. vnic. de vassal. mil. qui arm. depos. & Glos. verbo, Amittit, in cap. Si quis de feud. defunct.* Nam beneficia non debent suis debitis obsequijs defraudari, inquit *Conc. Trid. cap. 5. sess. 7. de reform. & in cap. 8. Et in Extrauag. Execrabilis* 4. *de præb. int. comm.* ibi. Diuini cultus minuuntur, hospitalitas in ipsis beneficijs debita non seruatur &c.

Benignitas.

Omnis benignitas citò properat, & proprium est libenter facientis citò facere: Qui tardè dedit, & diem extrahens profuit non ex animo fecit, sed duas res maximas perdidit, & tempus, & amicæ voluntatis: tardè velle nolentis est dixit *Senec. lib. 2. de benefic. cap. 5.* alia circà dilationem dandi vide in verbo, *Dare*.

Benignitas præfertur subtilitati, vt deducitur *ex l. Si tibi* 20. *ff. Si certum pet.* ibi. Sed hæc intelligenda sunt propter subtilitatem verborum, Benignius tamen est vtrumque valere.

Bibere.

Vinum sibi temperent, & se vino, Nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis prouocet incentinum dicitur *in cap. à crapula* 14. *de vit. & honest. cleric. & ibi Glos.* sic dicit. Crapula dicitur, quasi cruda epula, ebrietas quantum ad potum crapula quantum ad superfluitatem ciborum, Vnde ebrius est, qui sine mensura bibit, inquit *Horat.*

Fæcundi calices, quem non fecere disertum?
Tunc surgunt rixæ, tunc pauper cornua sumit.

Ebrietas autem aliquando est mortale: aliquando est veniale, & quando est mentis obliuio, non est peccatum, sed pæna peccati multæ aliæ species sunt ebrietatum. Nam per metaphoram, quando quis est repletus furore; vel insania, aut etiam malitia, vt faciat, quæ non conueniunt, dicitur ebrius, vt apud *Dauid Psalm.* 106. ibi. Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Alia est etiam ebrietas, quæ est longè maior, cum quis tàm æterna, quàm temporali pæna afficitur, & affligitur, vt nulla sit spes requiei, & consolationis, sed continuus mæror, dolor, & tristi-

gia, de qua loquitur, *Esai. cap. 16. ibi.* Inebriabo te lachryma, &c. Dantur etiam aliæ ebrietates metaphoricè prædictis omnino contrariæ, & hæc vna est, quando quis Dei gratia præuentus, loquitur, & facit, quæ sunt magnalia quæque minus fieri solent à communi hominum statu, qua ebrietate legimus fuisse notatos Apostolos, *Act. 2. ibi.* Non enim sicut vos æstimatis, ij ebrij sunt, de hac etiam ebrietate loquitur *Cant. 5. ibi.* Bibite, & inebriamini clarissimi, & *David Psal. 22. ibi.* Calix meus inebrians, Hanc igitur ebrietatem, quæ infundit lætitiam non affert confusionem sobriæ mentis, stabilem reddit incessum, amplectamur, maximè Ecclesiastici, quia magis, quam alij illam sequi tenemur. Sed ego de ea plura non dicam, quia falcem in alienam segetem non mihi licet mittere.

Et maximè vltra tertiam vicem poculum non contingant *cap. Quando presbyteri in fin. 44. dist.* Sed quomodo obseruatur? nil minus, & ridentes, bibentesque referunt illud.

Si de iure nouo ter bibitur super quolibet ouo:
Cur super sardina non erit bibitio quinta?

Nec prior poscas bibere, inquit *Ecclesiastic. cap. 31. 6. 22.*

Bis.

BIS vtique non committitur stipulatio, vt rem, & pretium debeat, inquit *l. Venditor 21. ff. de hered. vel act. vend.* Idem dicendum in vltimis voluntatibus. Nam incredibile videtur id egisse hæredem, vt eadem petitio bis eidem debeatur. Sed verosimile est, de altera parte eum cogitasse, ait *l. Mauius 68. ff. de legat. 2. & l. si seruus 111. §. Sic Stichum, ff. de legat. 1. ibi.* Quia nec absit quicquam, nec bis eadem res præstari possit, & *in l. Qui dotem 17. ff. de dot. praleg.* Hæc dicuntur. Non deberi nisi manifestè vxor docuisset eam testantis voluntatem fuisse, vt onerare hæredes duplici præstatione dotis vellet, & in *l. 2. alias est l. 1. §. vlt. eod. tit. ibi.* Ego puto, quoniam non hoc voluit socer, vt bis dotem hæres præstaret.

Ne propter malitiæ ignorantiam bis eãdem pecuniam consequatur, inquit *l. Apud 4. §. Item quæritur vers. Denique ff. de dol. excep. Et in l. Quod si nolit 31. §. Si plures, ff. de ædilit. edict. ibi.* Id agendum esse, ne lucrum emptor faciat, & bis eiusdem rei æstimationem consequatur.

Dubitationis tamẽ tollendæ causa potest idem repeti, vt dicitur in *l. 1. §. Sciendum ff. de ædilit. edict. ibi.* Ego puto ædiles tollendæ dubitationis gratia, bis id dixisse, ne qua dubitatio superesset.

Non est nouum, vt duæ obligationes in eiusdem persona de eadem re concurrant, sunt verba, *tex. in l. 10. ff. de act. empt.* Vnde dixit *Glos. verbo Mandati, in l. Si mandato 45. §. vlt. ff. mandat. Sic.* Bis quem obligari pro eadem re non est prohibitum, vt hic &c. Sed bis soluere.

Bona.

BOnorum autem appellatione eæ res comprehensæ videbuntur, quarum proprietas ad hæredem pertinet, inquit *l. 5. §. bonorum ff. vt in possess. legatorum.*

Bona autem hic (vt plerumque solemus dicere) ita accipienda sunt vniuersitatis cuiusque successio, qua succedit vt in ius mortui, suscipitur eius rei commodum

modum, & incommodum, ait, *l. 3. ff. de bon. possess. & ibi. Glos. verbo, in hoc loco*, Sic. Alias non, sed ea tantum, quæ sunt sine incommodo, & fundatur in vulgari regula, quæ dicit Bona non dicuntur, nisi deducto ære alieno; Et in eo, quod bona dicuntur, quia beant possidentes. Et qui est debitor, non est beatus, sed infelix. Id enim bonorum cuiusque esse intelligatur, quod æri alieno superest, vt inquit *l. Non possunt 11. ff. de iur. fisc. & in l. Mulier 73. ff. de iur. dot. ibi*; Sed non plus esse in promissione bonorum, quàm quod super esset deducto ære alieno, & ibi. *Glos.* Sic. Quia bona intelliguntur, quæ supersunt deducto ære alieno idem *l. 2. ff. de coll. bon.* ibi; Illud autem intelligendum est, filium in bonis habere, quod deducto ære alieno superest, & in *l. Cum non solum 8. §. Sin autem C. de bon. quæ liber.* ibi. Cum etiam apud veteres hoc esse substantia intelligatur, quæ post detractum æs alienum supersederit.

Nota differentiam esse inter possessionem bonorum, vt hic, & bonorum possessionem, vt, &c. ità dixit *Glos. verbo, Bonorum, in l. Cum proponas 9. C. de bon. author. iudic.*

Bona autem omni carere culpa decet; pura sunt, non corrumpunt animos; non solicitant, extollunt quidem, & dilatant, sed sine tumore: quæ bona sunt magnitudinem animi dant; diuitiæ insolentiam. *Senec. Epist. 88. ad fin.*

Sunt animi bona, sunt corporis, sunt fortunæ. Illa animi bona à stulto, & malo submomento, ad hæc admittitur, qui accipere potest, & debet reddere, & si non reddit ingratus est; idem *Senec. lib. 5. de benefic. cap. 13. in princ.* Et ab his prohibentur alienare multipliciter, tàm propter prohibitionem ab homine, quàm etiam à lege factam, vt habes in verbo, *Alienatio.*

Quando à lege bona damnati propter crimen commissum fisco applicantur, magnifici, & benigni Principis est ea concedere filijs damnati, vt *Adrian. Imperator* rescribens dixit in *l. vnica, ff. de port. quæ liber. damnat. ibi*; Ideoque illis paterna sua concedi volo, quæ manifestabunt tot possessores; etiam si acceperint vniuersa; & sic eodem modo olim bonis priuabantur, etiam relegati, quod Clementia Traiani abstulit, vt refertur in *l. 1. ff. de interdict. & releg. ibi*; Scio relegatorum bona auaritia superiorum temporum fisco vendicata: sed aliud Clementiæ meæ conuenit.

In eum autem, cui bona sunt ablata non dabitur actio, vt dicitur in *l. vlt. §. vlt. ff. quæ in fraud. cred. ibi*. Et iniquum esset actionem dari, in eum, cui bona ablata essent. Si verò, quæ de his disperdidisset, sic vt nulla ratione recuperari possent, nihilominus actio in eum dabitur; & prætor non tàm emolumentorum actionis intueri videtur in eo, qui exutus est bonis, quam pœnam.

Et licet ad fiscum bona fuerint deuoluta, ex quibus alimenta debeantur, præstanda sunt, sicuti, si ad quemlibet successorem transissent, inquit *l. 2. ff. de alim. leg.*

Quæ verò non à patre, sed à genere, à Ciuitate, à rerum natura, ea manere eis incolumia. Non enim hæc patrem, sed maiores eius eis dedisse, inquit *l. 3. ff. de interd. & releg.*

Et hoc scilicet, quòd, qui cessit bonis, potest iterum conueniri, si perueniat ad pinguiorem fortunam. Verum est, nisi pro eo iam sustinuisset pœnas corporales, vel cessionem fecisset ano nudo super lapidem, est *Glos. notabilis in §. vult. verbo, ex integro, de action. in Instit.* vbi allegat alias Glosas de iure Canonico. Non tamen vnquam vidi exequi talem pœnam, nisi forsan

fuisset

ſuiſſet mutata in galerum viridem, quem coguntur portare, qui bonis cedunt in hac Alma vrbe. Inhumanum enim erat ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum damnari, inquit *d. §. vlt.*

Cum & ſi nihil in ſuo cenſu ij, qui in poteſtate parentum ſunt, habeant tamen ne patiantur iniuriam, debet bonorum ceſſio admitti, inquit *l. Cum & filij 7. C. qui bon. ced. poſſ. vbi Gloſ. verbo, Et ſi*, dicit ità. Sed videtur nugatio, vt cedat bonis, qui nulla bona habeat, ſed propter quærenda dicit ſic, & Petrus omne dimiſit, qui nihil præter nauiculam habebat.

Item ſi vnus ex litigatoribus ex bonis ſuis cedat &c. cum nec agere, nec conuenire poſsit, inquit *l. 19. ff. de recep. arbitr. idem in l. Is qui ff. de ceſſ. bonor.*

Bona, qui ampliauit in ſuo teſtamento, non ob id creſcunt, vel diminuuntur, vt habes in verbo, *Teſtator*. Scribunt itaque homines, & horum, quæ habent amplius: ſcribunt autem, & minus, euenientes autem fortunæ contrarios euentus ſæpius operantur, inquit, *Imperator in Auth. de nupt. §. Quia verò voli.* 4. Et ſæpè de facultatibus ſuis, quam in ius eſt, ſperant homines *in §. In fraudem quib. ex cauſ. man. non licen. Inſtit.*

Nota, quòd plus fingitur in bonis eſſe, & minus, quàm ſit &c. vel plus dici in bonis, quàm in hæreditate, & è contra &c. inquit *Gloſ. vlt. in l. penalis 32. ff. ad l. Falc.*

Bonorum filij, pater habet vſumfructum ex ratione, quam habes verbo, *vſuſfructus*. Quid ſi dubitetur, vnde acquiſierit? & c. hoc præſumi ex qualitate perſonarum. Quid enim, ſi filius nihil ſcit operari, & negligens ſit, & pater diues ſit? præſumam ex re patris tunc eſſe: Et è contrà ſi ſtudioſus filius, & pater pauper præſumam ex aduentitia cauſa quæſitum &c. Sed in vxore præſumitur ſemper ex bonis viri habere; ita optima *Gloſ. verbo, Ex eius ſubſtantia, in l. Cum oportet C. de bon. quæ lib.*

Caſtrentia eſſe mutatione perſonæ deſierunt, inquit *Paul. in l. per procuratorem 89. ff. de acquir. hæred.*

Separatione impetrata, ſi bona patroni non attingat idest non incæperit adminiſtrare, vt &c. alias, ſi incæpit adminiſtrare non poterit poſteà ſeparationem impetrare, niſi ſit minor &c. *Gloſ. vlt. in §. Neceſſarius de hæred. qualit. in Inſtit.*

Valde enim iniquum, & ingens ſacrilegium eſt, vt quæcumque vel pro remedio peccatorum, vel pro ſalute, ac requie animarum ſuarum, vnuſquiſque venerabili Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit ab ijs, quibus maximè ſeruari conuenit, idest Chriſtianis, & Deum timentibus hominibus in aliud transferri, vel conuerti permittatur, inquit *cap. indignè ad Altare 12. q. 2. & in cap. In canonibus 16. quæſt. 1.* Et tamen nos crebrò videmus contrarium fieri, quod quidem maximè dolendum.

Non liceat Epiſcopo fraudare quicquam ex illis vel cognatis proprijs dare, quæ Dei ſunt, quod ſi pauperes fuerint, vt pauperibus largiatur: Sed non ſub horum occaſione, quæ ſunt Eccleſiæ defraudentur, proclamat *cap. Quiſquis 12. quæſt. 2. & ibi Gloſ.* dicit: Quod tantum victum, & veſtitum illis dare debent, verùm ſi ità ſit; vos videtis. Et ſi illi, qui nulla ex rebus ſuis pauperibus Chriſti deſtribuunt æterni Iudicis voce condemnabuntur in futuro, quantò magis ij, qui auferunt pauperibus, inquit *cap. Et ſi 12. quæſt. 2.*

Bonorum qualitatem ſcire quis præſumitur, & eo maximè in re propria, ita probat *l. Quiſquis maior. 13. C. de reſcind. vend.* ibi; Nec enim inanibus immorari ſinatur obiectis, vt vires locorum ſibimet cauſetur incognitas; qui

qui familiaris rei scire vires, vel merita, atque emolumenta ante debuerat.

Bona immobilia dicuntur annonæ Ciuiles, aut rusticum mancipium, vt dicitur *in Auth. de alien. & emph.* §. 1. *coll.* 9. ibi; Alienare rem immobilem, aut rusticum mancipium &c. aliàs dicuntur panes ciuiles, vt inquit *Glos. verbo, Immobilia, in cap. vnico de feud. cog.* ibi. Immobilia, vt sunt panes Ciuiles.

Immobilia, vtpote periculo continuo non subiacentia vilia reputari non consueuerunt, *Glos. verbo Mobilibus in Extrauag.* 3. *de verbor. sign.*

Mobilia etiam prætiosa æstimantur quasi immobilia, si sunt de Ecclesia, quia in illis requiritur etiam solemnitas ad illa vendenda, prout in immobilibus, vt inquit *Glos. in verbo, tractare, cap. Tua* 8. *de ijs quæ fiu. à præl.*

Bona hæreditaria habes verbo, *hæreditas*.

Bonis carens corpore soluit, vide verbo, *Pæna*.

Bonitas, et Boni.

NVllus est bonus, qui non gaudet bonis operationibus, inquit *Arist.* 1. *Ethic. cap.* 4.

Melius est paucos habere bonos, quàm multos malos, dixit *Glos. verbo, Nimiam in cap.* 1. *de relig. dom.* & ità secuta est Beata Theresia in fundandis Monasterijs, & commendat sæpe in suis libris.

Pars magna bonitatis est velle fieri bonum: Scis, quem dicam bonum? perfectum, absolutum, quem malum facere, nulla vis, nulla necessitas possit, *Senec. Epist.* 34. Nec bonitas est pessimis esse meliorem idem *Senec. Epist.* 80. *ad medium*.

Maius malum in separatione bonorum committimus, quàm in coniunctione malorum fugimus. Tali non imputat Deus, sua peccata, quia non fecit: non aliena, quia non approbauit: non negligentiam, quia non tacuit: Non superbiam, qui in vnitate permansit, vt inquit *Augustin. relat. in cap. penult. prope fin.* 7. *quæst.* 1. *vbi Glos. in verbo, Abel,* ità. Quisquis malos non tolerat ipse sibi per intolerantiam, testis est, quòd bonus non est.

Non enim, qui bonus permanet, polluitur si societur malo, sed qui malus est in bonum conuertitur, si bona exempla sectetur, vt dicit *Hieronym. Super Osee in cap. vlt.* 32. *quæst.* 1. Sanctius est enim prodesse etiam malis propter bonos, quàm bonis deesse propter malos, vt dixit *Senec. lib.* 4. *de benefic. cap.* 28. & *Augustin. lib. Enchirid. cap* 27. ibi, Melius enim iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.

Bonus nec temporalibus bonis extollitur, nec malis frangitur *Augustin. in Epigram. Proper.*

Quid aliud animorum salus videtur esse, quam bonitas? Quid aliud ægritudo, quàm vitia? dixit *Boeth. de consol.*

Curia præscribit bonos, non malos, vt sit electio de bono, non de malo dixit *Glos. verbo, Consequantur, in l. eum, qui* 58. *C. de decur. vbi tex.* sic. Vt hoc bene cogniti priuilegium consequantur, nec eo passim fruantur indigni.

Quando itaque videmus malignum ditescere, non subruamur, & quando videmus bonos mala pati, non turbemur, illic Corona, illic supplicia, Est & alia ratio, quia non potest vel malus in omnibus malus esse, sed habet aliqua peccata. Cum ergo prosperitatem malus habet malo capitis sui est, inquit *Chrisost. relat. in c. Quid ergo* 2. *dist. de pænit.* Vis tamen Deum propitiare? bonus esto, satis illum coluit, quisquis imitatus est, dixit *Senec. Epist.* 96.

Quæ

Quæ eſt iſta iuſtitiæ inimica bonitas, palpare criminoſos, & vulnera eorum vſque in diem iudicij incurata ſeruare dicitur *in cap. Si quis diaconus poſt 50 diſt. med.*

Inſpicitur bonitas rei, &c. dixit *Gloſ. verbo, Bonitatis in l. Si partem 25. ff. de ſeruit. ruſt.* & addit, quòd quando vna res non poteſt accedere duobus, accedet pretioſiori, &c.

Exorari in perniciem rogantium ſæua bonitas eſt, dixit *Senec. lib. 2. de beneſic. cap. 14.*

Bonum.

Aliud eſt bonum, & aliud eſt æquum, & eſt quoddam bonum, & æquum, & bonum, & non æquum, & æquum, & non bonum, vt ponit *Gloſ. verbo, Ius, in l. 1. ff. de iuſt. & iur.* Æquum eſt, vt ſi habes bonum propter me, & ego habeam propter te, dixit *Gloſ. verbo, opera in l. metum 9. §. Sed licet vim, ff. quod met. cauſ.*

Quod eſt honeſtum vtique bonum eſt, vt Zeno, & cæteri Philoſophi Stoici aiunt: Sic nihil bonum præter honeſtum, vnde dixit *Cic. in ſuis Paradox.* Quod rectum, & honeſtum, ac cum virtute eſt, id ſolum opinor bonum; *& Senec. Epiſt. 119.* Quod bonum eſt, malum eſſe potuit, quod honeſtum eſt, niſi bonum eſſe non potuit *& Epiſt. 72* Vnum bonum eſt, quod honeſtum eſt, quia nec bonum ſine honeſto eſt.

Quod bonum eſt bonos facit, &c fortuita bonum non faciunt, ergo non ſunt bona, *Senec. Epiſt. 88.* Nullum ergo bonum niſi voluntarium, inquit *cap. præſens 20. quæſt. 3.*

Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum dicitur *in cap. Non mediocriter de conſecr. diſt. 5.*

Plura bona ſunt paucioribus anteponenda, & pauciora mala pluribus malis: & diuturniora bona anteponenda breuibus, &c. vt dixit *Cicer. in Topic. cap. 22.*

Si bonum, ad quod mali coguntur ſemper inuiti tolerarent, & nunquam voluntarij ſeruirent inutiliter cogerentur ad illud; Sed quia humanæ naturæ eſt & ea, quæ in deſuetudinem ducuntur abhorrere, & conſueta magna cuſtodia diligere, flagellis tribulationum mali ſunt cohibendi à malo, & prouocandi ad bonum, vt dum timore pænæ, malum in deſuetudinem ducitur abhorreatur. Bonum verò ex conſuetudine dulceſcat, *cap. vlt. propè fin. 23. quæſt. 6. & Gloſ. verbo, Bonum, in l. hac lege C. de pact.* Sic, Nota hic non cogi, quem ad bonum, & in *cap. Clericis 7. de vit. & boneſ. Cler. Verbo Inuiti*, ità dicit: Argumentum, quod aliquis cogendus eſt ad bonum, & ad id præcipuè, quod iam ſuſcepit, &c. alias nemo debet compelli ad bonum.

De quolibet præſumendum eſt bonum, niſi probetur contrarium, &c. *Gloſ. vnic. in cap. vnic. de Scrutin. in ord. fac.*

Nemo bonum faciens, alteri verbo, aut facto nocere vult *cap. Oues 6. quæſt. 1.* Sed qui facit, quod ad ipſum non pertinet, etiam ſi bonum ſit improbatur, vt inquit *Gloſ. verbo, Irritum, in cap. Dilectis 55. de appellat. & Gloſ. in l. Si ſeruus 27. §. & ſi puerum ff. ad l. Aquil.* ità; Sic ergo Nota, quod etiam quis mihi bonum faciendo facit mihi iniuriam per *tex.* ibi. Et ſi puerum quis caſtrauerit, & fecerit pretioſiorem, &c.

Non eſt inconueniens, aut impoſſibile, vt bonum male acceptum producat malum, quemadmodum quandoque malum bene acceptum producat bonum, dixit *Auguſtin. in Euang. Ioann.* Nunquam enim creditur fuiſſe malum

quod

quod factum est bonum, vt dixit *Glos. verbo, Credatur, per tex.* ibi, Vt in ea nunquam fuisse credatur, *in cap. vides 23. quæst.6.*

Absit, vt ea, quæ propter bonum, ac licitum facimus, aut habemus, si aliquid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam malum acciderit, nobis imputetur, dicitur in *cap. de occidendis 23. quæst. 5. & ponit Glos. vlt. in cap. Ioannes 13. de homic.*

Non sufficit se abstinere à malo, nisi fiat, quod bonum est: ponit *Bart. in summ. in l. Illa 50. per tex. ibi ff. de verbor. & dixit Pontifex in Clem. 3. de pæn.* ibi; Et quia nisi fiat, quod bonum est à malo abstinere non sufficit.

Sub obtentu boni, malum non est faciendum, vt dixit *Glos. 1. in cap. 3. ne cleric. vel monach.*

Vnum est argumentum, quod bonum non est faciendum sine licentia Prælati &c. & hoc ideo est, ne obedientia contemnatur, quia propter obedientiam etiam bonum debet intermitti *Glos. 1. in cap. inter 10. de cler. non residen.* Nam non sufficit bonum facere, si benè non fiat; Deus enim non est remunerator nominum, sed aduerbiorum, hoc est, non remunerat Deus bonum, quod fit, sed quod bene fit, inquit *vltim. Glos. in cap. 1. verbo, Qualitas de colus. deteg.* & sic cum non bene fiat, bonum, quod fit contrà obedientiam, non dici potest bonum, & dixit *Glos. in reg. ea, quæ 26. de reg. iur. in 6* ibi; Generale enim est, quod non sufficit bonum facere, nisi & benè id fiat.

Cum hoc tamen stat, quod dixit *Glosa in verbo, Damnosum, l. Si seruus communis 63. vers. Quod verò ff. de furt.* ibi. Et aliquid esse bonum cuius contrarium melius est. Et *l. vbi autem ff. de verbor.* ita; Quia bono melius inueniri potest, quo fit, vt boni appellatio non sit certæ rei significatiua, cum id, quod bono melius sit, ipsum quoque bonum sit. At cum optimum quisque stipulatur: id stipulari intelligitur, cuius bonitas principalem gradum bonitatis habet.

Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus. Quin potius faciendum est bonum, vt declinemus à malo, inquit *Hieronym. ad Rustic.*

Prodest hactenus fuisse bonum, vt inquit *Glos. verbo, Laboribus, per tex. ibi in l. 1. C. de præpos. agen. in reb. lib. 12.*

Omne, quod est nimium vertitur in vitium, licet aliàs sit bonum, vt dicit *Glosa verbo, Bonum, in Auth. vt determ. sit num. cler. §. 1. in illis verbis.* Quia enim pene nihil immensum bonum est, & *Hipocr. lib. 1. aphor.* Omne nimium inimicum naturæ,

Sicut maius bonum minori bono præponitur: ità communis vtilitas speciali vtilitati præfertur &c. inquit *cap. licet quibusdam de regul.* Adeò, vt propter maius bonum priuetur quis Iure suo, & etiam sine culpa puniatur, vt ait *Glos. verbo, Ereximus in Extrauag. vnica de officio delegat: int. comm.*

Vltimo tandem (vt quamplurima alia prætermittam quicquid nobis bono futurum est, Deus & parens noster in proximo posuit non expectauit inquisitionem nostram &c. Nihil nisi de nobis queri possumus, dixit *Senec. Epist. 111. & Imperat. in Auth. Constitutio quæ de dig. §. Illud quoque coll. 6.* ibi; Quoniam omne bonum à Deo acquiritur hominibus, siuè ab imperio sequente Deum, decet esse mansurum, & omnis malitiæ, ac diminutionis extraneum Adhæreamus,

L ergo

ergo Deo, vt bonum operemur, cum ab eo cuncta bona procedant.

Bona fides.

DVplex est, vna, quæ est contraria dolo, & fraudi, & hoc modo omnes contractus bonæ fidei sunt: in omnibus enim debet abesse dolus, & fraus. Est alia bona fides, quæ antonomaticè vocatur bona fides propter exuberantem fidem, quæ est in ea ex hoc, quod multa eueniunt ex bono, & æquo, de quibus non fuit actum inter partes; In contractibus autem stricti Iuris, solum veniunt eà, de quibus actum est inter partes, vt venirent &c. ità ponit *Glos. in casus positione §. Actionũ de act. in Instit.* & ibi. numerantur, qui sunt contractus bonæ fidei, & his versibus continentur.

Empti, conducti, mandati depositiq; &c. vt habes supra verbo, *actio*.

Bona fides intelligitur, cum aliquis credit tradentem esse Dominum, vel habere Ius distrahendi, licet erret in facto &c. & hæc bona fides semper præsumitur, nisi probetur contrarium &c. Quandoque tamen præsumitur contrarium propter denunciationis vigorem &c. vel, quia mercatur aliquid contrà leges &c. vel, quia emit à procuratore meo per collusionem, vel, quia emit à prodigo, vel luxurioso, cui bonis interdictum est &c. Quandoque tamen quis habet conscientiam rei alienæ, & tamen vsucapit, vt si decretum Iudicis interuenit &c. Illud tamen scias, quod non obstat accipienti mala fides tradentis &c. Item dicitur bona fides, licet quis erret in Iure &c. Sed illud intelligitur aliter &c. Item si habeat conscientiam dubiam bona fides dicitur, ità ponit *Glos. verbo, Bona fides, in cap. Si diligenti 17 de præscript. Et Glos. vlt. in cap. vlt. eod. titulo*, hic. Item quid si dubitat, an res sit sua, & habeat iustam causam dubitationis adhuc dicitur bonæ fidei possessor, & vtitur fructibus. Illud autem, quod dicitur, si habeat conscientiam dubiam, bona fides dicitur, inquit *Glos. in Apostil. d. cap.* Si diligenti verum esse secundum leges, secus secundum Canones, secundum quos sequendum est, quod vtilius animæ fuerit.

Exigitur bona fides in principio possessionis, & continua in libero homine, quo ad aliquid acquirendum per eum, non in vsucapione, quia non vsucapitur, vt &c. Sed in seruo sufficit, & quo ad fructus in initio bonam fidem habere vt &c. *Glos. bona fide in §. 1. per quas person. in Instit. & ibi additio*, sic. Sed de iure Canonico requiritur bona fides continuata vsq; ad perfectionem præscriptionis *cap. vlt. cum ibi notatis de præscript.*

Bona fide, quæ in initio exigitur, scilicet vt credat sibi dantem habere Ius distrahendi, vt &c. *Glosa bona fide in §. Si quis à non domino de rer. diuis. in Instit. & ibi, Apostil.* Dic hoc verum in alijs contractibus, præter quam in emptionibus, quia in illis requiritur, quod duobus temporibus habeat bonam fidem tempore contractus, & tempore traditionis *l. 2. ff. pro emptor.* Et quæ sit ratio differentiæ, ibi notat *Angel.*

Bona fides sufficit ab initio ad vsucapiendum *ex l. vnica ad fin. C. de vsucap. transfer.* ibi; Vt in his omnibus casibus ab initio eam capiat &c. antecessoris detentio iusta non interrumpatur ex posteriore forsan alienæ rei scientia, licet ex titulo lucratiuo.

Bona fide. Ad quod exigitur, quod à principio inquirat, inquit *Glos. verbo, Bona fide, in l. Cum satis 22. §. Nemini C. de agric. & censit. lib. 11.*

Bona

Bona fides præsumitur, nisi probetur mala, vt inquit *Glos. in l. non ex eo 30. C. de euict.* Et probatur eo ipso, quod non probatur contrarium. Cum quilibet præsumatur ignorare rem alienam, vt inquit *Glos. verbo, Probetur, in l. Super 11. C. de præscript. long. temp. & Glos. penult. in cap. 3. de præscript.* ibi. Sincere idest bona fide, quod præsumitur eo ipso, quòd non probatur contrarium &c. Qui malam fidem allegat, eam probare debet, nisi clam fuisset contractum, quia tunc scientia præsumitur, & perconsequens mala fides, si verò palam bona fides præsumitur; vt in terminis ponit *Glos. verbo, Errore. in l. 4. C. de incest. nupt.*

Bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis saluis existentibus amisisti, inquit *cap. 2. de deposit. & ibi Glos. 1.* sic. Et ita, si bona fides abest dolus adesse præsumitur; Et *Glos. vlt. in l. Quod Nerua ff. deposit.* & ad propositum dixit *tex. in cap. 1. de præscript. lib. 6.* sic. Nam licet ei, qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium ius commune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides: vbi tamen est Ius commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit. Nam cum lex inhibeat vsucapionem, nihil protuit bona fides, vt inquit *Glos. in l. Si fundum 16. ff. de fund. dotal. per tex. in l. vbi lex ff. de vsucap.* Licet alias, quod bona fide fit, bene fieri censeatur, vt dicit, *Glos. verbo, Idonei, in cap. Nos de pace constant.*

Non igitur omnis emptio proderit, sed ea, quæ bonam fidem habet. Proinde hoc sufficit me bonæ fidei emptorem fuisse, quamuis à non domino emerim, & ille callido consilio vendiderit; Nec enim dolus venditoris mihi nocebit. In hac actione non oberit mihi, si successor sim, & dolo feci; cum is, in cuius locum successi bona fide emisset: nec proderit cum emptori, cui successi dolo fecisset, inquit *l. eum, qui 8. §. Prætor ait ff. de Publ. in rem act.*

Bona fides, quæ in contractibus requiritur, facit, vt quod ego non possum, possim, vt alius: summat, *Bart. in l. Si mandato 59. §. 1. in fin. ff. mandat.*

Bonæ fidei iudicio exceptiones pacti insunt, inquit *l. 3. ff. de rescind. vend.* & officium iudicis tantumdem valet, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio, *l. Quia 7. ff. de negot. gest.*

Nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est: quod si nihil conuenit, tunc ea præstabuntur, quæ naturaliter insunt, huius iudicij potestate, inquit *l. empto 11. ff. de act. empt.*

In bonæ fidei iudicijs veniunt ea, de quibus nec est actum, nec cogitatum, vt &c. *Glos. in verbo, Actionem in l. vlt. ff. de cond. ob turp. caus.*

Bonæ fidei emptor, quo ad percipiendos fructus intelligi debet quandiù euictus fundus non fuerit, ait *l. Qui scit 25. in fin. ff. de vsur. & ibi Glos. verbo, Percipiendos,* sic; nota ergo, quòd bonæ fidei possessor post litem contestatam, quo ad quædam remanet bonæ fidei possessor, scilicet, vt faciat fructus suos, vt hic; item, vt compleat vsus capionem, vt, &c. item, vt non præstet interitum, si tamen iustam causam litigandi habeat; vt &c. fit autem malæ fidei possessor, vt teneatur de fructibus. Item, vt interrumpatur præscriptio, Item in quodam alio, nec omnino censetur bonæ fidei, nec malæ fidei, vide dictam *Glos.* ad concilianda contraria.

Et in casu etiam ante litem contestatam dicitur malæ fidei possessor; qui habet

hæreditatem, & non vendicauit necem defuncti, cui aufertur hæreditas, tanquam ab indigno etiam cum fructibus ante litem, motam vt est *tex. in l. 1. C. de ijs, quib. vt. indig.* ibi. Nec enim bonæ fidei possessores ante controuersiam illatam videntur esse, qui debitum officium pietatis scientes omiserunt.

Porrò bonæ fidei possessor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis prædiorum tributum est. Præterea cum ad fructuarium pertineant fructus à quolibet sati, quanto Magis hoc in bonæ fidei possessore accipiendum est, qui plus Iuris in percipiendis fructibus habet: Cum fructuarij quidem non fiant antequam ab eo percipiantur; ad bonæ autem fidei possessorem pertineant, si quoquomodo à solo separati fuerint.

Nec enim bonæ fidei contractum hanc pati conuentionem, vt emptor rem amitteret, & pretium venditor retineret, ait, *l. Emptorem 12. §. vlt. ff. de act. empt.*

Cum initio rectè emptio sit contracta, vix bonæ fidei conuenire eo pacto stari quod alteri captiosum sit, & maximè, si iusto errore sit deceptus, dicit *l. si id quod 7. in fin. ff. de rescind. vend.*

Cum de bona fide agitur, ei non congruit de apicibus iuris disputare sed de hoc tantum, debitor fuerit, necne, inquit *Glos. verbo Procuratoriam, in l. si fideiussor 29. §. quadam tamen ff. mandat.*

Sume argumentum, quòd inspiciatur bona fides Procuratoris, & non Domini, filij, & non patris, & est ratio, quia titulus fundatur in persona ipsius contrahentis, ergo acquirens habet vti adminiculo ex persona eius, ità ait *Glos. verbo, contrà, in l. 8. §. Prætor ait per tex.* ibi. Sed enim si seruus meus emerit, dolus eius spectandus erit, non meus, vel e contra *ff. de Publician. in in rem act.*

Bonæ fidei possessor an appellatione Domini contineatur? vide, verbo *Dominus*.

DE LITTERA C.

Cæcus.

SI ea cæcitate pater tuus oppressus est, vt vtriusque oculi aciem prorsus amiserit, leuamentum personalium munerum sentiet, inquit *l. 1. C. qui morbo se excusant lib. 10. & in l. 1. §. casum de postul.* sic. Melius est, vt retinere quidem dicamus, iam acceptum magistratum posse: Aspirare autem ad nouum pænitus prohiberi. Et eodem modo excusatur ab oneribus personalibus, vt dicitur *in cap. licet 4. de censib.* ibi. Quia eum, quem cæcitas sua grauat inhumanum est nimis in collectis affigere, cui debuerat ex collectis, si necessitas esset, misereri.

Mutus, Surdus, Cæcus, bonorum possessionem admittere possunt, si quod agatur intelligant, inquit *l. 2. ff. de bon. possess. furios.*

Cæci sumus, & vitia nostra non videmus, vide tu verbo, *vitia*.

Calliditas.

GLos. in l. Iurisgentium §. Pactorum *verbo, calliditate*, sic ait. Calliditas

ditas est in tacendo, vt infra *de act emp. l.* 1. *§ fin. & Glos. in l.* 1. *§.* 1. *ff. de dol.* sic; Omnem calliditatem, quæ fit tacendo, & sic in animo &c. fallaciam, quæ fit in mentiendo, & sic in verbo. Vt &c. Machinationem, quæ fit arte verborum &c. Machinatio etiam dicitur cum aliquid dolosè ordinatur, sed minus propriè, vt inquit *Bart. in Extrau. qui sint rebelles verbo, Machinantur, facit l.* 2. *C. de cens. & censit. lib.* 11. ibi. Et mentiantur callidæ paupertatis ingenium.

Ista Calliditas legislatoribus displicet, vt dicitur *in l.* 3. *C. de repud.* ibi Certum est enim operam moderatorem Prouinciæ daturum; vt quæ contra fas gesta sunt fructum calliditatis obtinere non possint, cum nobis huiusmodi commenta displiceant.

Calculus.

HIC Multipliciter sumitur, vt his versibus continetur.

Calculus est ratio, numerus, sententia, carbo.
Calculus est pondus, nummus, lapis, ensis acutus.

Ponit *Glos. verbo, sententia calculo in cap. prudentiam* 21. *de offic. deleg.*

Calumnia.

VT impudens calumniantium refrænetur audacia iubemus &c. omnes eis legitimas expensas sumptusq; quos ab exordio captæ controuersiæ ipsorum vitio tolerasse eos constiterit, reddere cogantur. Vt hac saltem censuræ iustissimæ formidine reuocati, qui improbis assiduè conflictationibus occupantur acquiescant: Iamq; sopitis clamoribus iurgiorum magistratus deinceps necessitate continere se assuescant, Inquit *Imperat. l. omnes* 32. *§. Praterea ne cui temeritas lucratiua. C. de Episc. & Cler.*

Sed si per calumniam, & sæpius idem aduersarius vexandi gratia eius, quem scit, perpetua vacatione subnixum id facere probatus erit, sumptus litis &c. præstare iubeatur ei, quem sine causa sæpius inquietauerit, inquit *l.* 1. *ff. de vacat. muner.* Aliam etiam pœnam ponit *l. vlt. C. de accusat.* ibi. Cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij.

Qui accusatorem submittit, aut qui instigat, aut qui mandat &c. Nam diffidendo crimini, quod mouet, & eximendo se periculo calumniæ, vel desertionis, meritò calumniantis, & desistentis pœnæ subiici debuit, inquit *l.* 1. *§. incidit ff. ad Turpil.* Nunquam enim calumniatores defore, dum cui persuadetur, extabit. dixit *Ioseph. lib.* 1. *de bell. Iudaic. cap.* 17. *& in cap.* 3. sic. Omnem beneuolentiam, suique naturæ calumnijs cedere.

Nec enim calumniæ facultatem ex principali maiestate capi oportet, inquit *l. penult. ff. de hared. inst.* Sed delatores nostri temporis eam capiunt, & magnam, & fiunt potentes, seu vt melius dicam, insolentes, de quo latius infrà suo loco.

Calumniari præsumitur, qui non probat, vt inquit *Glos.* 1. *in l. Criminis* 15. *C. de ijs qui accus. non poss.* ibi Calumniæ, quæ præsumitur eo ipso, quòd non probat, quod intendit, non quod de calumnia semper debeat condemnari, sed potest, nisi aliqua iusta causa impulerit eum ad accusandum. Non enim, si Reus absolutus est ex eo solo etiam accusator, qui potest iustam habuisse tenendi ad crimen rationem calumniator credendus est, vt inquit *l.* 3. *C. de Calumn.*

Nec

Nec calumniator dici potest, si errore deceptus accusationem prosequatur. Nam inquit *l. Senatus 15. ff. de iur. fisc.* sic; si errasse videbitur, det imprudentiæ veniam; si autem calumniæ, hoc ipsum vendicet.

Calumniæ de iuramento vide verbo, *iuramentum*.

Campana.

NOta Campanæ vsum ad multa valere, vt inquit *Glos. verbo, Campanam, in Extrauag. vnic. de offic. custod. inter comm.* Et affert. hos versus, in quibus ipsa campana loqui inducitur.

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum.
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

Sed eius pulsatio non est de solemnitate Missarum, vt dicit *Abb. in cap. Permittimus 57. not. 1. de sent. excom.*

Cancellare.

INquit *Glos. verbo, Inductum, in l. Inductum 22. C. de solut.* ita Nota, quod hic pro eodem ponitur, Inductum, & Cancellatum, cum proprium sit inducere per Medias litteras pennam ducere, cancellare, per modum Crucis ducere *in l. autem 2. ff. de ijs quæ in testa. del.* inductum, & cancellatum in idem recidit, vt ibi Cancellauerat quis testamentum, vel induxerat. Et ex *eo tex.* summat *Bart.* sic. In dubio cancellatio restringitur ad rationem ipsi Cancellationi adiectam. Reliqua de Materia cancellationis, an vitietur instrumentum vide *per Bart. in l. in fraudem §. sicut ff. de mil. testa.*

Canones.

DEcreta Sanctorum Canonum, neminem magis, quàm Apostolicum seruare oportet, dicitur *in cap. 1. 25. quæst. 1.* Et insuper in actionibus, vel iudicijs Ecclesiasticis nemo suo sensu, sed canonum authoritate ducatur *c. 1. de constit. & in cap. cum nobis prope fin. de elect.* ibi tàm rationes, quàm Canones obseruare.

Sacri Canones non dedignantur iura ciuilia imitari, nec è conuerso, vt dicitur *in cap. vlt. de secund. nupt.* ibi. Cum in his præsertim sæculares leges non dedignentur Sacros Canones imitari; & *in cap. 1. de nou. oper. nunciat.* ibi, Sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari; ità & sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adiuuantur.

Quid dices, vbi Ecclesia habet vtramq; Iurisdictionem, nunquid iudicabit super laicos, secundum Canones? &c. videtur, quòd sic &c. Sed certè contrarium credo, cum habeat iurisdictionem ab Imperatore &c. ità inquit *Glosa verbo, tàm Canonica, ad fin. in cap. vlt. de præscript.* Sed *Glosa verbo, Ambitionis, in l. Priuilegia 12. C. de Sacros. Eccles.* sic dicit. Succumbit ergo lex Canoni, vbi est ei contraria, vt hic &c. Nota has *Glosas*, quomodo vnaquæque ad inuicem vrbaniter se se tractarunt; nàm quælibet contra se alteri cessit.

Non debet reprehensibile iudicare Canonum conditor, Canones ipse, vel suis prædecessoribus editos, vel aliqua in eisdem Canonibus contenta reuocare, modificare, vel suspendere studeat, si ea obesse potius viderit, quàm prodesse, inquit *Extrauag. 2. de verbor. sign.*

Domini Canonistæ abhorrent allegantias, dixit *Glos. 1. & Magna ad finem in* Cle-

Clement. 1. *de sepult.* ibi. Sed omnia ista scripsi pro Dominis Canonistis &c. quia ipsi quamplures allegantias abhorrent.

Canonicus.

ET Regulares Canonici æquiparantur Monachis, nisi quia regulæ inseruiunt laxiori, inquit *Glos. verbo, Idem iudicium, in fin. in cap.* 2. *de postul & Glos. vlt. in cap. Cum in Magistrum* 49. *de elect.* ibi. Et in hoc casu idem iudicium est habendum de Monachis, & Canonicis Regularibus, quia non differunt, nisi quia deseruiunt regulæ laxiori.

Canonici, & alij regulares, cum deberent potius in claustro iuxtà regularia constituta diuinis obsequijs vigilare &c. claustrum abhorrentes per Curiam principum, & potentum discurrere non verentur, inquit *cap. Quanto de offic. ord.* Non est ergo nouum, si ità videmus nostris temporibus, quia iam de illis ista pestis grassabatur.

Episcopus, & Canonici vnum corpus, & vnum Collegium sunt ità, quòd ipse caput, & ipsi Canonici membrum, inquit *Glos. verbo Consensu, in cap. Cum consuetudinis* 9. *de consuetud.*

Et dicuntur Canonici ad inuicem socij, vt *in cap. Cum R.* 35. *de offic. deleg.* ibi. exceptis Canonicis, quos cum sint socij eius, meritò habet pars aduersa suspectos, & ibi *Glos. verbo, socij*, sic. Habes, quòd Canonicus non potest esse Iudex Canonici sui propter familiaritatem, quæ veritatem aliquando impedire solet &c. Testis enim potest esse Canonicus pro Canonico, cum etiam frater pro fratre possit testificari &c. etiam ea ratione, quia facilius inueniuntur iudices, quàm testes, vnde facilius repellitur Iudex, quàm testis, iudex enim recusatur pro modica causa, vt si esset oriundus de terra imperrantis &c.

Ex eo, quod dicit sine consensu Archiepiscopi, videtur, quòd de consensu ipsius hoc facere possint Canonici, & diminuere, & Parochias diuidere, quod verum est iusta de causa. Inquit *Glos. vlt. in cap. Auaritiæ* 10. *de præb.* qui *tex.* loquitur de Canonicis Regularibus, & ibi *Apostil.* sic. Hoc verum est consentiente Prælato, & Clericis, aliàs non &c. si nollent consentire, & iusta causa subesset, compellentur per superiorem, ad quem recurrendum est.

Si Episcopus consentit, tanquam Canonicus, potest postea tanquam Episcopus reuocare, quia quasi ante aditam hæreditatem consensit &c. nàm quædam facit aliquis, tanquam alius, ità dicit *Glos. vlt. in cap. sicut* 27. *de iur. iur.*

Canonicum non facit patientia, sed tantum Canonica electio dixit *Glos. verbo, recepisti, in cap. dilecto* 25. *de præb. vbi Apostil.* sic. Nec etiam expressus consensus secundum *Innoc.*

Absentes Canonici (si commodè fieri valeat) sunt vocandi, nisi consuetudo habeat, eos ad talia non vocari, ait *Pontif. in cap. cum in Ecclesiis* 33. *de præb. in* 6.

Cantus.

NON potest negari, quod cantus omni laudatione dignus est; de eo enim ait *Augustin. in prolog. Psalmorum*, ità: Vt modulatione quadam, & delectabili canore humanum animum ad pudicitiam prouocaret. Quoniam quidem Spiritus Sanctus videns obnutantem, ac resistentem ad virtutis viam, humani generis animum, & ad delectationem huius vitæ magis inclinari, quàm ad virtutis rectum

iter

iter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ vim suæ doctrinæ permiscuit, vt dum suauitate carminis mulcetur auditus, diuini Sermonis pariter vtilitas inferatur.

Et *idem Augustin. lib.* 17. *de Ciuit. Dei cap.* 14. Sic inquit; hac ratione Dauid, quia erat vir in Canticis eruditus, armoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexit &c. Diuersorum enim sonorum, rationabilis moderatusq; concentus concordi varietate compactum bene ordinatæ Ciuitatis insinuat vnitatem.

Et *Diu. Thom.* 2. 2. *quæst.* 91. *art.* 2. dicit. Laus vocalis necessaria est, vt affectus hominis prouocetur in Deum, & secundum diuersas Melodias sonorum animi hominum diuersimodè disponuntur. Ideo fuit institutum, vt in diuinas laudes cantus assumerentur ad deuotionem.

Vnde *Augustin lib.* 10. *confess. cap.* 33. dicebat. Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis assurgat. Omnis namq; anima musicis sonis capitur, Musica capitur omne, quod viuit, vt dicit *Macrob. de somnio Scipionis.*

Musica namque tristitiam noxiam iocundat, tumulos furores attenuat, cruentam sæuitiam efficit blandam, excitat ignauiam, & soporantem languorem reddit saluberrimum, quietem vitiatam turpi amore ad honestum studium reuocat castitatem, sanat mentis tædium, bonis cogitationibus perniciosa odia conuertit ad auxiliatricem gratiam; & quod beatum genus beationis est per dulcissimas voluptates expellit animi passiones; Nihil efficatius inuentum est ad promouendos animos quàm cum cantu citharæ blanda resultatio, dixit *Casiodor. Epist. lib.* 2. *Epist.* 40.

Sed heu mihi bone Deus? quomodo mutatum est aurum in schoriam? nam id, quod fuit inuentum ad vtilitatem animi, & animæ, nunc ad ruinam videmus esse in vsu, non loquor de illis canticis, & cantilenis, quibus Mundus vtitur, mundus, inquàm, de quo in Euangelio dicit, & mundus eum non cognouit; Sed de canticis motectis, & alijs, quibus hodie Musici in Ecclesijs vtuntur, quia non iam cantus, sed saltus dici possunt, non ad prouocandos animos in Deum, nec ad honestum studium, & castitatem, sed ad turpium cogitationum incentiuum excitant, taliter, quòd potest de istis talibus dici, quod alias de alijs Apostolus ait adulterantes verbum Dei; carmina namque Dei nostri, & cantica adulterantes confundunt, & ne videatur ex meo Marte hæc fabricare iam Multo de tempore antea conqueritur Pontifex de prædictis cantibus in *Extrau. vnic. de vita, & honest. Cleric.* in hæc verba. Sed nonnulli nouellæ scholæ discipuli, dum temporibus Mensurandis inuigilant nouis notis intendunt fingere suas, quàm antiquas cantare malunt in semibreues, & minimas Ecclesiastica cantantur. Notulis percutiuntur, nam melodias loquentis intersecant, discantibus lubricant, triplis, & motectis vulgaribus nonnunquam inculcant, adeò, vt interdum antiphonarij, & gradualis fundamenta despiciant: Ignorent, super quo ædificant, tonos nesciant, quos non discernunt, immò confundunt, cum ex earum multitudine notarum ascensionespudicæ, discensionesque temperatæ, plani cantus, quibus toni ipsi secernuntur ab inuicem obfuscentur; currunt enim, & non quiescunt, aures inebriant, & non medentur gestibus, simulant, quod deprimunt, quibus deuotio quærenda contemnitur, Vitanda lasciuia, propalatur. Non enim frustrà

trà inquit *ipse Boetius*, lasciuius animus vel lasciuioribus delectatur modis vel eosdem sæpe audiens emollitur, & frangitur, Et si tunc de eo tempore hæc dicebantur, quid hodie dicendum putas?

Capitulum.

DVæ partes vicem totius capituli obtinent &c. quia si duæ partes capituli non sunt in Ecclesia, non videtur capitulum esse, dixit *Glos. verbo, Aliam, in cap. cum inter 21. de elect.*

Licet dissentio sit inter Canonicos, & quidam agant contrà alios, ibi dicitur esse capitulum, vbi est maior pars, & possunt constituere procuratorem: Et ille dicitur Capituli procurator; Et in constituendo procuratore non requiruntur singuli de capitulo, sed tantum illi, qui sunt maior pars. *glossa verbo, Capituli, in d. cap. Cum inter de elect.*

Et si forte capitulum agit non sufficit subsequens consensus Prælati, sicut nec sufficit subsequens authoritas tutoris &c. Sed hoc non credo, sufficit enim si postea accedat consensus Prælati, vel è conuerso &c. Et dicit *l. qua confirmat prædicta*, quod qui non potest alienare, non potest rem in iudicium deducere, de iure deliberand. ait prætor ità *glos. verbo, debeant, in cap. edoceri 21. de rescrip.*

Si Capitulum per se confert beneficia, vel quandoque Episcopus per se, illud tantum fit, de consuetudine singulari &c. sicut vides, in quibusdam locis elegit capitulum, in quibusdam eligit Episcopus vnde soli consuetudini adscribendum est, & talis consuetudo rationabilis est, & ideo potest præscribi &c. ita *glos. verbo, communiter, in cap. vlt. de supplend. neglig. prælat* quæ in principio sic dicit de iure communi electio spectat simul ad Capitulum, & Episcopum, sic, & eodem modo Prælatus sine assensu Capituli conuenire, vel conueniri non potest, vt inquit *glos. in cap. causam, quæ 9. de iudic.*

Quod Ecclesia vacante potestas Episcopi ad Capitulum deuoluatur, vide, *verbo, Ecclesia*, & quibus casibus non, ibidem remisiuè.

An potestas absoluendi deuoluatur ad capitulum sede vacante? Dubitari consueuit. *Arg.* quod non, quia hoc facit sucessor &c. *Hu.* dixit, quod sic, propter periculum animæ. *Arg.* quod potest &c. quia capitulum, Sede vacante, condemnat de hæresi, & ità si potest condemnare, multò fortius absoluere, inquit *glos. penult. in cap. 2. ne Sede vac.* & sic est diffinitum *per tex. in cap. vnico de Maior. & obed. lib. 6.*

Capituli litteris bene creditur, vt inquit *glos. verbo, Præpositus, cap. cum inter 16. de elect.*

Appellatione Capituli venit Decanus; sicut alias appellatione Monachorum venit Abbas, vt dicit, *Apostil. in cap. vlt. de Simon.*

Caput.

PRæcipuum est membrum, & eo cognoscimur, & ideo illud præcipue attenditur, & ità inuenies *in §. Religiosum de rerum diuis. in glos. verbo, mortuum*, ibi. Scilicet totum, vel saltem caput cuius imagine cognoscimus, vt &c. si partialiter caput est diuersis locis, illum esse Religiosum locum, vbi est maior pars, vbi additio sic. Et nota, quòd si pars anterior appareat, illa tanquam nobilior inspicitur.

A Capite est reddenda ratio, vt dicitur *in glos. verbo, Prius, in cap. 1. de censib. lib. 6. per tex.* ibi Prius Ecclesiæ Capitulum, atq; Ciuitatem propriam

visitare procuret, & *Glos. verbo, Praiudicat, in Auth. de hared. & Falc. §. vlt. coll.1. & in cap. Sedes 5. verbo, & vtilioris, de rescript.*

Læsio capitis grauior est, quàm membrorum inquit *Glos.vlt. in addit.in cap. vlt.de offic.ordin. lib.6.* Et cum hoc stat quod caput offenditur in membris suis offenditur enim pater in filio &c. Dominus in seruo &c. Iudex in subdito, vt inquit *Glos. in cap. 2. de sent. & re iudic. lib. 6. per tex.* ibi. Ac Romanam Ecclesiam (cuius sunt homines, & Vassalli) offendere.

Totius familiæ domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inuenitur in capite, inquit *cap. Miramur 61. dist.* Nam sicut laudabile, discretumque est reuerentiam, & honorem exhibere prioribus: ità rectitudinis, & Dei timoris est, si qua in eis sunt, quæ indigent correctione, nulla dissimulatione postponere, ne totum (quod absit) Corpus morbus inuadat, si langor non fuerit curatus in capite, vt inquit *cap.sicut 2. qu.7.*

Caput mulieris est vir, optima, & curiosa habes infrà in *verbo,vir,vers.quis viuens.*

Carcer.

PÆnalium, Carcer hominum noxiorum est, inquit *Imperator Constantin. in l. 2. C. de exactoribus tribut. lib. 10. vbi Glos. verbo, Pænalium,* sic; idest hominum pæna dignorum &c. ego verò dicerem scilicet omnium pænalium, seu omnium pænarum, antonomaticè, prout dicitur, omnium terribilium mors, quod enim non patitur miserandus carceratus? & probat *tex. in l. omnes quos C. de pæn.* vbi de talibus dicit ità. Sit satis immensorum cruciatuum semel luisse supplicia: Ne ij, qui diù priuati sunt auræ communis haustu, & lucis aspectu, non intra breue spacium catænarum ponderibus prægrauati etiam exilij pænam sustinere iterum compellantur, per quem *tex. notat. ibi Bald.* quòd damnati in exilium computant tempus carceris, & verba *tex.* sunt Omnes, quos damnationis conditio diuersis exilijs destinatos metas temporis præstituti in carceris implesse custodia deprehenderit, solutos pæna, vinculisque laxatos custodia liberare præcipimus. Nec formidare miserias vllas exilij.

Ne pænis carcerum perimatur, quod innocentibus miserum, noxijs non satis seuerum esse dignoscitur. inquit *l. 1. C. de Custod. reor.* vbi habes tex. optimum qualiter carcerati sunt tractandi.

Carcer ad continendos homines non ad puniendos haberi debet, dicit *l. Aut damnum 8. vers. solent ff. de pæn.* Quia vincula ad custodiam non ad pænam sunt inducta, vt inquit *Glos. verbo, ei, qui in fin. in l. Si tamen 48. ff. de ædili. ed.* licet *Glos. penult. in cap. Cum Episcopus 6. de offic. ordin. lib.6.* dicat. Quod carcer licet institutus fuerit ad reorum custodiam, interdum est pæna &c. vt proxime infrà de iure Canonico.

Non distat à seruo, qui vinctus detinetur, dixit *Glos. verbo, vinctus, in l. 1. §. non alij ff. de vi, & vi arm. vnde scriptum est in l. 6. C. de pæn.* sic. Incredibile est, quod alleges, liberum hominem, vt vinculis perpetuis contineretur esse damnatum: hoc enim in sola seruili conditione procedere potest. Sed hoc de iure ciuili intelligas, & non de Iure Canonico, vt ibi *dicit Glos.* reddens rationem, quia Deus nonuult mortem peccatoris, & probat *Glos. in Apostil. ad dicta l. 1. C. de cust. reor.* dicens sic. Quia hoc iure carcer non erat ad pænam &c. secus de iure Canonico *cap. Quamuis de pæn. lib.6.* vbi notatur:

Non

Non potest tamen usque ad mortem dari sub pæna irregularitatis. *Panormit. in cap. Nouimus de sent. excomm.* Nam multi carcerum tædio consumpti sunt, & pro Christo ab Ecclesia martyres declarati, & Canonizati.

De custodia reorum Consul æstimare solet, vtrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fideiussoribus committenda; hoc autem vel propter criminis (quod obijcitur) qualitatem, vel propter honorem, vel propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate eius, qui accusatur facere solet, dicitur *in l. 1. ff. de custod. reor. & ibi Glos. vlt.* sic. Nota hoc procedere, quando delictum, seu scelus non est graue, vt *in l. 3. hoc tit.*

Carcerati iubentur relaxari in diebus Paschalibus iuxtà *l. 3. C. de Episc. audien. exceptis casibus* ibi. Expressis in hunc modum. Quis enim sacrilego diebus sanctis indulgeat? Quis adultero, vel stupri, vel incesti reo tempore castitatis ignoscat? Nullam accipiat vinculorum requiem, qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non finit; Nec in eos liberalitatis Augustæ referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi non emendationi potius, quàm consuetudini deputauerunt.

Feriatis diebus custodias audiri posse rescriptum est, ità vt innoxios dimittat, & nocentes, qui duriore animaduersione indigent, differat. *l. Custodias 12. ff. de pub. iudic.* Intellige custodias, idest carcere detentos.

Glos. vlt. in l. succurritur 9. ff. ex quibus causis maiores, ita dicit. De custodia carceris &c. ex quo non debet quis exire, si potest, vt &c. *Bald. dicit. hanc Glos. notabilem* ad hoc, quod ille, qui est in carcere, publica authoritate non debet exire, licet possit, puta, quia ostium est apertum, secus in priuato carcere. Sed quæro, an habeatur pro confesso, si frangerit carcerem? sentit *Guil.* quod non secundum *Bald.* hic, sed si libera ei detur recedendi facultas liber, & solutus est, vt inquit *Glos. vlt. in l. qui neque 48. de verb. sign.* quod ergo interim permisit, dum dicta facultas ei non datur, quasi in carcere sit non tenet, vt inquit *prædicta Glos.*

Cardinalis.

Nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quàm vt Beatissimus Romanus Pontifex, quàm solicitudinem vniuersæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eàm hic potissimum impendat, vt lectissimos tantum Cardinales asciscat, & bonos maximè, ac idoneos pastores singulis Ecclesijs præficeat, inquit *Sacros. Concil. Trident. sessione 24. cap. 1. de refor. in fin.*

Decet namque ipsi Romano Pontifici per fratres suos sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales (qui sibi in executione officij Sacerdotalis coadiutores assistunt) libera prouenire consilia. Decet ipsius nullo modo vacillare iudicia: vt fratres ipsos nullus potestatis sæcularis metus exterreat nullus temporalis fauor absorbeat, nullus eis terror immineat, nihil eos à veri consilij soliditate remoueat; Quin (cum per ipsum Romanum Pontificem in quibuscumque negotijs contingeret, eorum peti consilia in consulendo) per omnia liberi eidem Romano Pontifici in omnibus, quæ pro tempore imminent liberè consulant, & assistant: Ipsaque Romani Pontificis Vicarij Dei quæ suis temporibus occurrerit electio, & eorundem Cardinalium, cum

expedierit, facienda promotio, in omni libertate procedant, ità inquit *cap. fundamenta 17. de elect. lib. 6.*

Ad instar Senatorum lateri principis assistentium, de quibus, & eadem ratione de Dominis Cardinalibus potest dici, quod censentur pars corporis principis, vnde sicut in illis, ita in istis crimen læsæ committi dicitur Maiestatis, dicit *Glos. verb. circa nos in extrauag. vnic. de prab. & ibidem Glos. verb. sublimitatem*, enumerat prerogatiuas Dominorum Cardinalium.

Cardinales enim sunt liberi primi gradus, & sunt membra capitis alij autem sunt liberi non primi gradus, ità dicit *Glos. verbo, bona, in extrauag. vlt. de haret. inter comm.*

Cardinalibus tamen S. Romanæ Ecclesiæ, qui circa nos vniuersali Ecclesiæ seruiendo singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendunt &c. sunt potioris prærogatiua gratiæ attollendi dumtaxat exceptis *Extrauag. Execrabelis 4. de prab. inter comm. & in cap. 1. in fin. de offic. legat. lib. 6.* sic. Quod in Fratribus nostris legatione fungentibus noluimus obseruari, quia sicut honoris prærogatiua lætantur sic eos authoritate volumus fungi ampliori.

Quæ de Episcopis dicta sunt ad Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales pertinere decreuit *Trid sess. 15. cap. 1. de reform.* Alia, quæ de DD. Cardinalibus dicuntur vide per *Paris. de resign. lib. 7. quæst. 12. per tot. & quos* ibi. Quia nos non agimus de Doctoribus, sed de textibus, & Glos.

Castitas.

ETiam dicitur ille pudor, qui castitatem tuetur, dixit *Glos. verbo Pudor, in l. ità* nobis cordi pudor est, vt remoueamus prisci iuris ambages &c. Indignum est enim, vt vitionem pudoris prestigia versuti iuris excludant *C. ad l. Iul. de adult.*

Hæc est fundamentum aliarum virtutum, quæ in ordinando requiruntur, quæ multa sunt, vt ait *Glos. verbo, Constitutam, in Auth. quomod. oport. Episc. §. Hac autem coll. 1. & Apostil. ad Glos. vlt. in cap. 3. de Maior. & obed.* sic; Hæc est necessaria promissio continentiæ, cum ad eam obligetur ordinem sumendo.

Hæc est sola, quæ cum fiducia possibilis est Deo animas Præsentare, vt dixit *Imperator. Iustin. in Auth. de lenonib. coll. 3. §. 1. ad med. à quo deduxit Glosa verbo, Pudicos, in Proem. Decretal. & Glosa verbo Castitatem in l. 2. §. Initium de orig. iur.*

Ex quo textu notatur, castitatem propriæ vitæ esse præferendam, & satis probant verba ibi. Et Castitatem filiæ vitæ quoque eius præferendam putaret. Non enim solum apud Deum, sed apud homines nota est, & æstimatur, vt *sap. 4.* Et inquit *Senec. lib. 3. declamat. vlt.* Quendam Mercatorem instituisse hæredem vicini vxorem, cum hoc elogio, quia castam reperi.

Nouimus etenim, & castitatis sumus amatores, & hoc nostris sancimus subiectis, inquit *Imperator in Auth. quib. mod. nat. effic. leg §. illud quoq; & in Auth. de trient. & sem. §. consideremus alias §. & hac dicimus prope fin. ibi, & nos* non præbemus luxuriantibus, sed caste viuentibus legem *coll. 3.* Et ideò castitatis violatores, tanquam fures puniuntur, per eundem Imperatorem *in Auth. de lenonibus §. 1. post med. coll. 2.* ibi. Si enim pecuniarum eos furtorum, & latrociniorum emendatores elegimus, quomodo non multò magis castitatis furtum, & latrocinium eos coercere permittimus, & *in fin.* sic, Propterea hac sacratissima prædicatione

d by Google

tione vtimur, vt sciatis nostrum circa nos studium circa castitatem, & pietatem labores nostros, per quos in omnibus bonis custodire nostram Rempublicam speramus.

Vnde etiam propter castitatem, quemadmodum in fœminis fuit sublata illa inspectio, quæ per habitudinem corporis fiebat, an pubescerent; fuerit & sublata in masculis, vt inquit *Imperator in §. 1. quib. mod. tut. finiat. in Instit. vt* ibi. Nostra autem Maiestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimantes benè putauit, quod in fœminis etiam antiquis impudicum esse visum est idest inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere.

Castitatis obseruatio in mulieribus ingenuis, & illustribus præcipuum debitum est, vt inquit *l. si qua Illustris C. ad Senatus Cons. orfic.* Et castè, ac honestè dicitur viuere, quæ virum accepit, vt inquit *Glos. pen. in add. l. vlt. C. in dic. vidui. toll.* Et si casta est vxor exasperatur ex luxuria mariti, vt habes verbo, *Maritus*. Et si ille vult castam vxorem, castè viuat, vt notas verbo, *vir*.

Nec enim plus castitate debet habere luxuria, inquit *Glos. vlt. in l. his solis 7. C. de reuoc. donat. & glos. verbo, volumus, in cap. statutum 15. de haret. lib. 6.* ibi. Et hoc æquum ne plus habeat luxuria, quàm castitas, *Glos. tamen in cap. Quia circa 6. per tex. ibi de bigam.* sic inquit Nota mirabile, quod plus habet luxuria, quàm castitas; nam *tex.* disponit, quòd qui habuit plures concubinas, non incurrit irregularitatem bigamiæ, & tamen eam incurrit, qui duas habuit vxores.

Castitas Religione, non ferro quærenda est, dixit *Glos. verbo, abscindere, in c. 3. de corp. vitiat.* de quo infrà contra castratos statim dicemus.

Castratus.

Iste etiam Eunuchus appellatur, & non loquor de illis eunuchis, quibus Reges Israelitarum custodibus Reginarum vtebantur, morè etiam Persarum Aegiptiorum, & aliarum gentium, vt satis probatur varijs in locis sacri eloquij, quia illi non re ipsa veri Eunuchi, sed nomine tantum, & munere custodiendi, & claudendi Regium latus dicebantur, vt *Genes. cap. 39. & Esther. cap. 6. & sæpè alibi*; Sed loquor de illis Eunuchis, qui verè Eunuchi sunt, & castrati. Nam isti dicuntur effæminati, olim enim quidam idolorum cultores se castrabant, vt maiori cultu sacrificarent Dijs, & ideo effæminati dicebantur, de quibus aliqui Doctores super *Isaiam c. 3.* aiunt, loqui, & cum vaticinatur Propheta de grauissimis supplicijs, quæ erant superuentura genti Hierosolymitanæ, vnum ex his ponit, quod maximum est, vt castrati dominentur, vt ibi. Et effæminati dominabuntur eis, dicitur etiam spado, vt infrà notabis.

Prædicti tales, qui sani se abscindunt ordinari prohibentur, quia quasi homicidæ sui ipsius iudicantur, & Dei conditionis inimici, & quia præsumitur, quòd omne turpe in alium faceret, qui hoc in se ipso ausus est attentare; religione enim, non ferro quærenda est castitas, vt hæc omnia, ità dicit *Glos. in verbo, abscinderint, in cap. 3. de corp. vit.* Sed nota, quòd non faciunt amore castitatis, sed auaritiæ causa propter lucrum captandum de cantu, auari sunt ergo, & ambitiosi, vt dominentur, & æstimentur ab hominibus propter quod debent etiam arceri à ministerio Ecclesiæ, vt iam probasti in verbo, *Ambitio, & auaritia §. Et olim*. Apud

Hæ-

Hebræos abominabiles erant, vt apparet *ex Iosepho de antiq. lib. 4. cap. 8.* ibi. Spadones abominare, & auersare, qui virilitate, & genitura se ipsi priuauerunt, quam nobis Deus ad incrementum, & multiplicationem addidit. Procul arcendum est hoc genus, quod non modo posteritatem quantum in se est, sed multò ante propriam innocentiam, ac puritatem perdiderit. Satis enim constat, quòd effæminato primum animo etiam corpora habent muliebria, similiter abhorrere opportet quicquid inter portenta ducitur Castrare, nec hominem licet, nec vllum aliud animal.

Prohibentur militare iuxtà *l. 4. ff. de re milit.* dum dicit, qui cum vno testiculo natus est, qui ve amisit iure militabit, secundum Diui Traiani rescriptum. Ergo à contrario sensu non militabit, qui castratus est, quia ambobus caret.

Est notabilis *Glos. in l. vnic. C. de his, qui paren. occid. verbo, Gallinaceo*, quæ dicit sic. Idest castrato, & sic vili. Vnde, qui Eunuchos, seu Castratos faciebat, pœna capitis puniebatur *l. 1. C. de Eunuch.* ibi. Si quis post hanc sanctionem in orbe Romano Eunuchos fecerit, capite puniatur, & *in l. lege Cornelia 4 ff. de Siccar.* ibi. Nemo enim liberum seruumue inuitum sinentemue castrare debet: neq; quisquam se sponte castrandum præbere debet. At si quis aduersus edictum meum fecerit medico quidem, qui exciderit, capitale erit; Item ipse, qui se excidendum sponte præbuerit.

Adhuc etiam iniuria fiebat Domino, cuius seruus castrabatur, vt notat *Glos. per tex. ibi in l. Si seruus 27. §. Et si puerum quis castrauerit, & pratiorem fecerit &c.* iniuriarum erit agendum, &c. sic ergo, inquit, *Glos.* Nota, quòd etiam quis bonum mihi faciendo facit mihi iniuriam, nam talis dicitur morbosus, vt inquit *Glos. penult. in dicto §. Et si puerum*, & probat etiam *l. Aediles 38. ff. de ædil. ed.* ibi. Sed enim sunt quædam, quæ in hominibus morbum faciunt in iumentis non adeò, vt putà, si mulus castratus est, nec morbi, nec vitij quid habere videtur; quia neque de fortitudine quid eius detrahitur neque de vtilitate cum ad generandum nunquam sit habilis. Cælius scribit non omnia animalia castrata ob id ipsum vitiosa esse, nisi propter ipsam castrationem facta sint imbecilliora &c. equum castratum sanum esse, sicuti Spado quoque sanus est.

Collige igitur ex proximè dictis, quòd Castratus, & spado differunt; hic enim non morbosus est, & generare potest, ille verò morbosus, & nec generare potest, & probat *Glos. vlt. in l. Si serua 10. §. vnico ff. de iur. dot.* ibi. Qui castratus idest castè natus sed Spado dicitur hic, quia vnum saltem de testiculis habet &c. quidam tamen dicunt in Spadone matrimonium esse etiam, si generare non possit, quia vitium est accidentale, non naturale, & facit *§. Sed, & illud de adopt. in Instit.* ibi. Et ij, qui generare non possunt, quales sunt Spadones, adoptare possunt castrati autem non possunt & ibi notat *Glos.* & prædictam differentiam facit.

Sed si mea esset legislandi potestas in terminis prædictis contrarium deciderem; nam eis, qui castè nati sunt concederem posse adoptare, vt solatium haberent suæ infelicitatis à natura, non ab eorum culpa prouenientis, illis verò, qui sponte se castrarent, denegarem ad punitionem sui flagitij, nam ipsi contrà ipsam naturam, peccauerunt, & se per se ipsos indignos fecerunt, & effæminatos,

quòd

quòd limitarem; nisi necessitate cogente id eis accedisset.

Miror sanè, cur prædicti castrati, si serui sunt, plus æstimentur, quàm alij, vt *in l. 1. C. de comm. ser. manu. & in l. Si duobus. C. comm. de legat.* Sed mihi videtur has leges procedere in Eunuchis, de quibus supra diximus, qui non nomine, sed officio dicuntur, vt inseruiant Regibus; nam isti non sunt castrati, & illis priuilegia conceduntur; nam manent liberi, habiles ad testandum, & Illustres, vt *in l. Iubemus C. de præpos. sac. cubic. lib.* 12. ibi. Quis dederit Eunuchum sacri cubiculi ministerijs adhæsurum.

Casus.

EST inopinatæ rei euentus ex diuersis causis proueniens ob aliud, & aliud inceptis, inquit *Glos. verbo, fortuito, in §. Thesauros de rer. diuis. in instit.* Casus, exitus, & euentus in idem ferè recidunt, sed pro maiori commoditate legentis diuisi casum, de quo hic tantum loquor ab euentu, & exitu, de quibus infra verbo, *Euentus*, vbi alia inuenies.

Fortuitos casus nullum hominum consilium præuidere potest. inquit *l. 2. ff. de administr. rer. ad ciuit. pert. & cap. vlt. de homic. cum Glos. ibidem*. Nec aduentitij casus considerandi sunt, ait *l. Iulianus 6. ff. qui, & à quib.* Vndè quod fato contigit cuiuis patri familias (quamuis diligentissimo) posse contingere; dicitur in *l. verum 12. §. sciendum ad fin. ff. de minor.* vbi etiam hæc inuenies; Ità non restituetur, qui sobriè rem suam administrans, occasione damni non inconsultè accidentis, sed fato velit restitui. Nec enim euentus, damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas.

Si præter culpam suam casus fortuitus contingit, ei non imputatur &c. casus enim fortuiti præuideri non possunt &c. & absit, vt nobis imputetur, quod præter voluntatem nostram contingit, inquit *Glos. verbo, cum diligentia, in cap. ad aures 7. de ætat. & qual.* vbi loquitur de medico, & affert vulgarem versum.

> *Non est in medico semper releuetur, vt æger.*

Nota tamen quod vbicumque quis non tenetur de casu, ibidem, si culpa præcedat casum, de casu tenetur, vt probat *Glos. per iura, quæ ibi verbo, in hoc, in l. Si vt certo §. Nunc videndum vers. sed interdum ff. commod. & verb. Præstare, in l. In rebus ibi quia culpa casum præcessit, & in l. ad eos verbo, proculdubio, ibi. Nisi culpa casum præcessit eodem tit. notat etiam Glosa verbo Casu in l. 1. §. 1. ff. ad l. Cornel. de Sicear.* ibi. Casu culpa tamen præcedente, & ideo punitur casus &c. vel casu, idest negligentia &c. alias casus non esset puniendus.

Repentini casus iniquitas per coniecturam pietatis maternæ emendanda est, dicit *l. 3. C. de in offic. testam.*

Licet casus aduentitij, non sint considerandi, vt suprà dicis, & probat *Glos. verbo, sicut datio, in l. si seruo 26. ff. de adimen. legat.* ibi. Quia in ciuile est casum liberi hominis spectare. Tamen in casu *l. Diuortio 37. ff. de negot. gest. Notat Glos. verbo, sed hic*, ibi. Et sic nota hic, quòd aduentitij casus spectantur &c.

Qui suscipit in se casum fortuitum tenetur tantum de casibus fortuitis communiter contingentibus, vt inquit *Bart. per tex. ibi in l. fistulas 78. §. vlt. ff. de contrah. empt. ibi niues &c.* Si immoderatæ fuerunt, & contrà consuetudinem tempestatis agi tecum poterit.

Furtum non computatur inter casus fortuitos,

tuitos, sed latrocinium, vt tenet *Glos. verbo, & sine, in l. 3. ff. naut. caup.*

Nota, quòd qui casum dicit, eum probat *Glos. verbo, qui probatur per tex. ibi, Casu, qui probatur in l. Publicati 2. C. de testam. & Glos. verbo, probari potest, in l. Si quis fundum 10. §. Imperator ff. locat.*

Perinde ea, quæ contingunt rarò non impedimentum faciant vniuersis, eo, quòd nihil inter homines sic est indubitatum, vt non possit (licet aliquid sit valde iustissimum) tamen suscipere quandam sollicitam dubitationem, dixit *Imperator in Auth. de tabellion. §. 1. prope fin. coll. 4. & in l. vlt. in princ. C. de præscrip. trig.* ibi. Vel alios quoscumque casus (cum sortes humanæ multæ sint) qui nec dici, nec numerari possunt. Vnde de similibus expressis adsimiles non expressos contingentes procedendum est, vt dixit *Glos. verbo, Emancipatus, in l. Gallus §. & quid si tantum ff. de liber. & posth. per tex.* ibi. Et hæc omnia admittenda sunt, vt ad similitudinem mortis cæteri casus admittendi sint. Quapropter sufficiat de casibus dicere.

Causa.

DVpliciter potest considerari; aut quatenus est controuersia in Iudicio deducta, aut quatenus est, causa alicuius causam esse. De prima dicit *Glos. verbo litibus in l. 1. ff. de test.* itâ. Est enim causa res, quæ habet in se controuersiam indicendo positam cum certarum personarum interpositione, sed lis est ante litem contestatam, & post.

Dicuntur autem hæ causæ, aut paruæ, seu minimæ, aut Magnæ, & graues. Vnde in causæ cognitione spectatur quantitas, tempus, & persona, vt ponit *Glos. vlt. in l. 2. C. de dol.*

Minima causa potest dici duorum aureorum, quia pro ea non datur actio de dolo, vel etiam decem aureorum, vel illa dicitur minima, quæ ad sumptus iudiciales non sufficit, & ita prò qualibet causa appellatur, quia itâ potest quis grauari in paruo, sicut in Magno, & quantitas causæ non facit; quare introducta sit appellatio, sed iniquum grauamen, itâ ponit *Glos. vlt. in cap. De appellationibus 11. de appell.*

Causæ breues multipliciter dicuntur, vt per *Glos. in Authent. nisi breues C. de sent. ex breuil. rec.* ibi vsque ad quinquaginta aureos olim &c. hodie vsque ad trecentos, vt &c. vel secundum H. Est in arbitrio iudicis &c. vel vsq; ad decem libras auri, vt &c. vel vsque ad duos aureos; vt &c. vel vsque ad quinque &c. vel vsq; ad decem.

In Auth. de iudicibus §. Si quis autem coll. 6. Sic dicitur Hoc autem dicimus in litibus transcendentibus quantitatem aureorum centum &c. qui enim itâ paruæ quantitatis exactionem facit prò maxima parte victoria pauperem facit.

Et in Auth. de appellationibus §. illud etiam 3. coll. 4. sic euenit, vt super minimis causis maximi nostri iudices inquietentur: & homines propter minimas causas magnis fatigentur dispendijs; vt forsitan totius litis æstimatio ad sumptus iudiciales non sufficeret, *& ibi Glos. verbo Minimis*, notat sic; Nota hic, quòd dicitur minima causa, quæ est minor decem lib. aur. &c. aliâs autem aliter dicitur.

Et nota ratione mediocritatis negotij, & longinquitatis loci committi causam ad partes, vt inquit *Glos. vlt. per tex. ibi. Et in summario l. cum post 26. C. de appell.*

Causa verò maior, seu grauis dicitur, quando agitur de capitali pæna, vel de statu personæ, quæ mortis assimilatur accusationi, item si de bonis omni-

omnibus, vel maiori eorum parte agitetur, vt ponit *Glos. per iura, quæ ibi verb. Quæstiones in Auth. de test. §. Si vero coll. 7.*

Commissio causæ facta cum clausula (rebus alijs) non extenditur ad maiora, vt inquit *Glos. verbo rebus alijs, in cap. 2. de test. lib. 6.*

Per minorem causam maiori cognitioni præiudicium fieri non oportet. Maior enim quæstio minorem causam ad se trahit, inquit *l. 54. ff. de iudic.*

Sic, qui causam committit simpliciter, omnia videtur committere, quæ ad causam pertinere noscuntur, inquit *Glos. pen. in cap. venerabili 37. de offic. deleg. Et Glos. etiam penult. in cap. Si quis contrà 4. de for. compet. &* est *tex. in cap. Præterea 5. de offic. deleg.* ibi Quia ex eo, quòd causa sibi committitur super omnibus, quæ causam ipsam spectare, noscuntur, plenariam recipit potestatem, & *in cap. 1. de sequestr. poss.* ibi. Quod tam causa possessionis, quam proprietatis fuerat iudici delegata, cum absolutè, & indistinctè commissa fuerat.

Et eo ipso, quòd Papa scienter committit causam, eam transfert à potestate ordinarij, vt inquit *Glos. verbo, si dicat, in cap. vt debitus 59. de appell.*

Causarum, quarum cognitio nobis frequenter committitur: aliæ dirimuntur iure Rom. aliæ verò iure Longobardo: aliæ secundum Regni consuetudinem, quæ quanquam sunt variæ secundum diuersorum locorum, aut Curiarum mores, sint diuersæ &c. In iudicio autem, quod de feudis agitur, illud legibus nostris contrarium dici solet. Legum autem Romanorum, non est vilis authoritas, sed non adeò vim suam extendunt, vt vsum vincant, aut mores, ità inquit *cap. vnico de feud. cogn.*

Dic, quòd propria est causa, quæ ad eius commodum, & damnum pertinet, inquit *Glos. verbo Conditione, in l. Eos §. sin autem C. de appell & probat l. 1. §. Dies autem propè fin. ff quand. appell. sit*, ibi. Et palam est eam propriam causam esse, cuius emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet idem *Glos. verbo, rem suam, in l. qui stipendia 9. C. de procur.*

Eandem causam facit etiam origo petitionis, inquit *l. si Mater 11. §. Eandem ff. de except. rei iudic.* & cum sunt eædem personæ eadem res, quæ petitur, & eadem causa, vel ratio petendi *l. Cum quæritur 12. ibi. Idem corpus, & l. sequent. ibi. Quantitas, quæ eadem, idemque Ius, & in l. sequen. eadem causa petendi, & eadem conditio personarum ff. eod. tit. de excep rei iudic. à quibus deduxit Glos. in l. 4. §. vlt. ff. quod cum eo.* Quæ omnia, si non concurrant alia causa est, vt dicit *d. l. Et an eadem, & probat l. Si maritus 10. C. de donat. inter vir.* ibi. Nec enim quasi maleficijs eius sit maritus extinctus, crimen intendens sub prætextu accusationis, quæ donata sunt auferre debuit; cum causa liberalitatis à criminatione separata sit.

Causæ breuiter terminandæ sunt modis omnibus, vt dicis *in verbo, Iudex, in vers. Admonet.*

Causarum merita partium assertionibus panduntur, inquit *l. vlt. C. si per vim vel. al. mod.* à qua deductus fuit *tex. in cap. Tum litteris 5. de in integ. rest.*

Nec processus causæ friuolis occasionibus retardari debet, vt inquit *cap. Cum cessante 60. in fin. de appell.* Cum hoc tamen stat, quod ibi diligentius examinetur, vbi contrà hominis salutem &c. oppressa putatur esse iustitia, vt dicit *l. Addictos 29. C. de appell.*

Causa non debet manere in suspen-

so, vt dicitur *in Auth. de nupt. §. qua vero vers. vnde sancimus coll.* 4. ibi. Sed vt non causa suspensa sit &c. propterea nobis benè visum est huius rei determinare causam. Tamen aliquando ex causa in suspenso potest manere, vt in *d. Auth. §. quoniam infirmas* ibi. Vnde alienatione facta manet causa in suspenso sequentibus committenda fortunis.

Regulariter de omni causa plenariè cognoscitur. Fallitur in casibus *l. 3. §. Heredum infrà ad exhibendum inquit Glos. verbo, Qui ad in additione l. in lege* 41. *ff. ad l. falc.*

Nec enim deteriorem causam nostram facimus actionem exercentes, sed meliorem dixit *l. Aliam* 29. *ff. de nouat.* Idem si recenti tempore nostram defensionem agitemus, vt dicit *Vlpian. in l. 1. §. Pomponius vers. Si mater ff. de Carbon. ed.* ibi. Cum verò mater rea postulatur vtique integra fide, & maiore constantia causam defensuram recenti tempore dubium non est.

Omnis causa ratione peccati saltem indirectè pertinet ad Ecclesiam, inquit *Glos. verbo, Tam Canonica, in cap. vlt. de praescript.*

Causa Episcopi debet sententiari per omnes concordes, vt habes in verbo, *Pars maior.*

Causarum varietas facit legum varietatem, vt habes in verbo, *variatio, vers. volubile hoc.*

Si finita esset causa per sententiam, à qua non esset appellatum, posteà non teneret transactio, ait *Glos. verbo, dato, in cap. super eo* 7. *de transact.*

Præsumo semper malam causam, ex quo semel est damnatus, vndè appellare non tenetur maximè præsente venditore, sicut hic ità tenuit *Glos. vlt. per tex. ibi in l. Herennius* 63. *de euict.*

Quatenus verò causa dicitur alicuius causam esse multiplex est; aut enim naturalis, aut accidentalis formalis, aut materialis, efficiens, aut finalis, vel impulsiua, mediata, vel immediata, sed nos hic non tractabimus, nisi tantùm de illis, de quibus nostra iura loquuntur. Et nec de ijs omnibus, sed tantùm de notabilioribus, prout est nostræ inspectionis. Innumerabiles enim sunt causæ, quæ humanis necessitatibus imminent, vt dixit *Imperator in §. sed. & vnum de testam. in Instit.*

Quemadmodum conditio fit per, si modus per vt, ità etiam causa per, quia, vt inquit *Glos. verbo, sub conditione, in l. Cum ab, eo* 41. *ff. de contrah. empt.*

Nota causam addendam, quoties fit aliquid, inquit *Glos. per tex. ibi in l. 2. §. Ignominia causa verbo. Cur miles ff. de his qui not. infam.*

Vniuscuiusque contractus, & initium spectandum esse, & causam dixit *Iureconf. in l. Si procuratorem* 8 *ff. mandat. & ibi Glos. Alia iura.*

Defectus causæ inducit hanc actionem, scilicet expressæ, & finalis, vt infra *de condic. ob turp. cau. l. 1. §. 1. &c.* Secus si impulsiua &c. Idem in tacita, hinc indè tacitè intellecta, ità inquit *Glos. verbo, Pænitere, in l. Si pecuniam* 5. *ff. de cond. cau. dat.*

Causa, ex qua debeatur præcedere semper debet, inquit *l. buiusmodi legatum* 13. *ff. quand. dies legat. ced. de quo vide Glos. 2. ante medium in cap. Dilecti filij de iudic. cap. vlt. de libell. oblat.*

Namque causa in præteritum, pæna in futurum confertur, inquit *l. Si legatum* 12. *ff. de condit. & ibi Glos. vlt.* sic; iudicium autem confertur in præteritum non in futurum.

Ex qualitate præfationis colligitur causa finalis ipsius dispositionis, & tunc ab ea licitum est arguere, inquit *Glos. Expressum est in addit. § Sed si quis priore quib. mod. testam. infirm. in Instit.*

In

In dubio autem præsumam non finalem, inquit *Glos. verbo, causa, in l. 2. §. vlt. ff. de donat.* quam ibi approbat altera *Glos. in Apostil.*

Causa impulsiua falsa non vitiat obligationem, vt habes in verbo, *Falsum*.

Quandoque causa naturalis, & accidentalis sunt inuicem repugnantes, & tunc præualet accidentalis, cum natura alteretur &c. quandoque causa naturalis, & accidentalis non repugnant, sed repugnat effectus earum, vt &c. & tunc præualet causa naturalis, vt &c. quandoque causa naturalis, & etiam accidentalis possunt simul concurrere, & etiam effectus earum se compatiuntur, & tunc vna non præualet alteri, itá *Glos. Magistra in l. 3. verbo. Cum magis ff. de tutel. vbi Bart.* summat. sic. Quando concurrunt duæ causæ, vna naturalis, & alia accidentalis præualet naturalis, quod intelligendum est iuxtà prædictam *Glos.*

Causa falsa in sententia ipsam reddit nullam, vt per *tex. in l. qui testamento 40. ff. de excusat. tutor.* ibi. Quamuis iustam causam habere, non tamen excusatum esse propter vitium pronunciationis, scilicet falsæ.

Regulariter traditur duas causas lucratiuas, in eadem re, & eadem persona concurrere non posse &c. (super quo etiam habes in verbo, *Lucrum*.) Hoc autem est verum si itá sit mea, vt mihi auelli non possit &c. itá dicit *Glos. in verbo, Non quocumque in l. non quocumque 84. per tex. ibi ff. de legat. 1. Et sic probat tex. quem eadem Glos.* allegat, & etiam altera *Glos. in l. Meuius 68. §. duorum ff. de legat 2. Tex autem in l. si seruus 111. §. Stichũ ff. de legat. 1.* sic dixit. Si quidem non ex lucratiua causa &c. sin ex duabus tunc magis inutile legatum esse, quia nec absit, quicquam nec bis eadem res præstari possit.

Persecutionis, vel ægritudinis impedimento cessante ad Episcopalem poterit resurgere dignitatem *c. post translationem 11. de renunc. & ibi Glos. verbo, cessante*, sic. Argumentum est hic, quod cessante causa cessat effectus &c. argumentum contra &c. solue. Si per causam fiat dispensatio, vel aliquid consimile, cessante causa, cessat, quod factum est ex causa, vt in primis capitulis: Si verò ius commune statuitur ex ea licet causa cesset, tamen remanet ius quod statutum fuit ex illa causa &c. vt in contrarijs. Vel sic, licet causa impulsiua cesset remanet ius, quod ex ea statutum est, contrà &c. si finalis est causa, quandiù durat causa, durat, quod ex ea statututum est, vel quod ex illa causa fit: ea verò cessante, cessat constitutum ex illa causa &c.

Cautela.

Abundans non operatur aliquid, vt addat, vel diminuat, vel vitiet &c. sic dicit *Glos. verbo, sed non mutat, in l. Pediculis 35. §. Labeo ff. de aur. & arg. leg. & l. Testamentum 17. C. de testam.* itá. Namq; necessaria prætermissa imminuunt contractus, & testatoris officiunt voluntati, non abundans cautela; & *in l. non ex eo 30. C. de euict.* sic. Abundans cautela non nocet.

Nec debet quisquam conqueri, licet amicus sit, de amico, eo quod in instrumentis apponantur quamplurimę cautelæ; nam ob hoc fiducia nemo priuatur, sed perfidia conuincitur, vt dixit *Imperator in Auth. de instrum. caut. §. Si tamen quisquam coll. 6.* ibi huiusmodi subtilitatem addidimus, non vt credentes priuemus fiducia sua circa amicos, sed vt quantum possibile est, & perfidiam; & negotia multis conuincamus modis.

Ruina præcedentium solet esse doctrina, & cautela sequentium ex *Senec. tradit. Glos. verbo, lapsum, in cap. Citius de pænit. dist.* 2. vbi ponit versum

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Cautio.

SAncimus cautionis nomine non esse fideiussoris dationem interpretandam, sed nullam promissionem significare, inquit *l* 3.*C. de verb. sig. Glosa verbo, vt caueat, in §. Cum autem de adopt. in Instit.* ibi. Vt cautionem promittat sine fideiussore tamen, & *Glos. penult. in leg. penult. ff. de petit. hæred.* sic. Quod dicit cautio, scilicet sine fideiussore, vt &c. Satisdatio cum fideiussore, vt &c. & prima præstatur, vbi non est persona suspecta secunda, vbi est, & *Glos. verb. sufficienti in cap. ad nostram* 7. *de iur. iur.* ibi. Nomine cautionis simplex promissio intelligitur. Si autem dicatur idonea, vel sufficiens, vt hic de pignoratitia, vel fideiussoria &c. & *Glos. verb. remotis in cap. cum nullus* 3. *de tempor. ordinand. lib.* 6. ibi. Aliud est dicere cautio, quia tunc intelligitur nuda cautio, vt &c. & aliud est sufficiens cautio, & tunc intelligitur pignora, vel fideiussores.

Adhuc etiam plus dicit *cap. Per uestras uers. Mandamus de donat. inter uir.* ibi. Sub ea, quam potest cautione præstare, vbi *glos. penult.* sic, Iuratoriam scilicet *glos. tamen verbo, Cautione, in cap. qua fronte* 25. *de appell.* inquit sic. Ergo non iuratoria, quia nomine cautionis simplex promissio intelligitur &c. ergo non cum iuramento, sed ibi agitur de absolutione, in qua forma Ecclesiæ generaliter constituta est, vt præstetur iuratoria cautio, prædicta *glos. ibidem* dicit.

Cautio aliquando ponitur impropriè pro satisdatione, vt in *l. si finita §. penult. ff. de damn. infect.* & ibi ita notat *glos. verbo, cautio*; propriè verò plena cautio dicitur cum fideiussoribus, & plenior cum pignoribus, simpliciter verò prolata ab homine intelligitur sine fideiussoribus, secus si à lege, vel prætore, nisi præcederet vltra declarando nudam cautionem sufficere, ità ponit *glos. Magistra verbo, cautum, in additione §.*1. *de fideiuss. in Instit.*

Cautione idonea, cum fideiussoribus, vel pignore, vt hic inquit *glos. uerbo, Cautione, in l.* 3. *C. omni agro deser. lib.* 11. *& probat l. ergo* 4. *§. addici ff. de fideic. libert.* ibi. Si idoneè creditoribus cautum fuerit de solido, quod cuique debetur. Ergo cauendum est idoneè. Quid est idoneè? satisdatione vtique, an pignoribus datis? Respondi, Et si fides ei habita fuerit permittenti sine satisdatione idonee cautum videbitur, & *in l. quamuis* 6 *ff. de pign. act.* ibi prius idonea cautela a debitore pro indemnitate ei præstanda, vbi *glos. verbo, Idonea,* inquit, quæ est cum fideiussore, vel pignore &c.

Non videri mandati conditioni paritum cum in mandato adiectum sit, vt idonea cautio à debitore exigeretur, si nec fideiussor, nec pignora accepta sint, ait *l. Si mandati §. vlt. ff. mandat. vbi Bart. summat.* cautio idonea intelligitur cum fideiussore vel pignore.

In l. 1. *§. Iubet autem ff. de coll. bonor.* sic inquit *Iureconf.* Caueri autem per satisdationem oportere *Pompon.* ait. An & pignoribus caueri possit, Pomponius scripsit, & rerum, & pignoribus rectè de collatione caueri &c. Quod si per contumaciam actiones denegatæ sint, oblata posteà cautione recipiet pristinum Ius.

Si quis aliquid contrà leges à quibusdam sibi existimet perpetrari: liceat ei adire iudicem, & legitimum postulare præsi-

præsidium; itá inquit *l. 4. C. de ijs qui ad Eccles. confug. vbi glos. in Apostil.* sic, Nota bene hunc *tex.* & ad hoc sæpè allegatur, quod si aliquis habeat inimicum, & dubitet defendi ab illo, possit adire judicem, & implorare officium eius, vt illum compellat ad præstandum ei securitatem de non offendendo, Idem dicitur, quando sæuitia viri in mulierem est grauis, vt teneatur vir dare sufficientem cautionem de eam non offendendo, vt *in cap. ex transmiss. 8. de restit. spol.* ibi. Recepta tamen sufficienti cautione, quòd ei non debeat aliquod malum inferre. Sed in hoc casu, quid si mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas dari? vide *cap. litteras de restit. spol.* vbi non data sufficienti cautione á marito vxor sæparata ab eo remanet.

In alijs tamen casibus, si cautio sufficiens non poterit præstari sufficiet iuratoria, vt *in Auth. generaliter autem C. de Episc. & cler.* ibi. Aut si fideiussorem dare non valeat, super ijsdem iuratoriam exponat cautionem, & *in Auth. de nupt. §. Quæ verò coll. 4.* ibi: Si autem non valuerit fideiussorem dare, tunc sub iuratoria cautione &c. Et *in Auth. de litigios. coll. 8.* ibi. Si autem dixerit non valere fideiussorem dare: tunc apud Iudicem, á quo causa examinanda est, Sanctis propositis Euangelijs, per sacramentum hoc ipsum affirmet, & sic iuratoriam cautionem exponat, & *in Auth. vt nulli iud. §. necessarium coll. 9.* ibi. Si verò iurauerit non posse se dare fideiussorem, iuratoriam cautionem faciat de iudicis obseruatione, & *in l. 1. §. super C. de assertion. toll.* ibi. Si quidem possunt fideiussorem dare, eum exigi: Si verò datio eius impossibilis sit hoc quoque iudici manifestè ostendatur: Iuratoriæ cautioni committi.

Cum non facile satisdationem offerre legatarius, vel fideicommissarius possit &c. adiuuari rescripto D. comodi in hæc verba. Is, cuius de ea re notio est si compererit, ideò cautionem á te exigi, vt á fideicommissi petitione auertaris, onus satisdationis remitti curabit dicitur *in l. Cum non 6. ff. si cui plusq. per l. Falc. & ibi Glos. verbo, Ideo*, ait. Item nota hac lege remitti satisdationem pauperi.

De futuro quoque opere cauere debeat, inquit *l. Egi 12. ff. si seru. vendic. vbi Glos.* itá; Cauetur ergo pro futuro, & *ibidem Apostil.* sic. Nota, quòd ad cautelam futurorum, propter ius de præsenti præstatur cautio, concordat, & bene facit *tex. in cap. licet de elect. & in cap. 5. de seru. non ordin.*

Ideo datur cautio de rato á procuratore, quia oportet ne falsus procurator absenti noceat: cum sit indignum quolibet interueniente beneficium prætoris amitti, vt dicit *l. Cum procurator 13. §. vlt. in fin. ff. de non oper. nunc.* Cæterum semel lite contestata non compelletur ad cautionem, ait *l. Pomponius §. ratihabitionis ff. de procur.*

Depositarius, si sine cautione rem depositatam (super qua lis pendet) præstet dolo facere videtur, vt itá dixit *Glos. verbo, Defendere, in l. 1. §. Apud Iulianum, ff. deposit. per tex. in l. Dolo carere, ff. ad l. Falc.*

Quid in prædictis terminis, si vterque litigans paratus sit cauere? respondetur ille auditur, qui præuenit. Sed quid si ambo simul veniunt? Respondetur, locus erit gratificationi, vt inquit *prædicta Glos. verbo, Defendere*, per Iura, quæ ibidem allegat.

Superuacua cautio non præstatur, dixit *Glos. verbo Iniquum, in l. hac autem 4. ff. si cui plusquam per l. falc. per tex.* ibi. Nam iniquum erat omnimodo caueri nondum illata controuersia litis, cum possint illusoriæ minæ fieri, & *Glos. verbo, ex familia, in l. Peto 71.*

l. Fra-

l. Fratres ff. delegat. 2. ibi. Et sic superuacua exponitur cautio &c. secundum quosdam, sed Io. contra, vt nunquam superuacua interponatur, & habes verbo, *superflua*.

Ex consuetudine eius regionis, in qua negotium gestum est pro euictione caueri oportet, ait *l. Si fundus 6. ff. de euict.*

In l. si finita 15. ff. de damn. infec. sic inuenies; Magis est illud dicendum finito die, in quem aliquando caueri solet; Quod idem est, ac si dicat. Quod cautio durat (quando non declaratur tempus) per illud, quod consuetudo disponit.

Eum, à quo res fideicommissæ petebantur cauere, vel si non caueat, ad aduersarium possessionem transferre debere; Rectè placuit principi post prouocationem cautionem interponi &c. inquit *l. Postquam hares 5. §. Imperator ff. vt legat. nom. cau. vbi Apostil.* sic dicit. Hoc regulare est, vbicumq; aliquis in dubio admittitur, debet præstare cautionem, vt habetur *in cap. Suscitata cum Glos. vlt. de rest. in integ.*

Offerre, ac præstare &c. poterit cautionem; inquit *cap. Pastoralis §. vnico de offic ordin. vbi Glos. vlt.* sic; Et nota, quòd dicit offerre, ac præstare: Quia oblatio sola non sufficit, nisi factum sequatur &c. sicut non sufficit offerre pecuniam ad interumpendum cursum vsurarum, nisi deponatur in æde sacra, Idem dicit *Glos. in verbo neglexerit in cap. Quoniam frequenter §. in alijs vers. Quod si cautionem, vt lit. non contest.* ibi Nec sufficit offerre, nisi eam præstet, & probat *cap. 1. de eo, qui mittit. in poss. rei ser.* ibi. Tamen altera pars non præstitit cautionem, licet voluntatem præstandi habuerit.

Sed, quid si per eum non stetit, quominus præstitisset, sed per iudicem, vel partem aduersam? Respondeo cum *Glos. Verbo, voluntatem, in d. cap.* 1. ei non imputaretur. Vt si iudicem habere non potest coràm publicis, & honestis personis, debet cautionem offerre, ac præstare, & *Glos. verbo, Parati, in dicto cap.* 1. sic ait, Item habes hìc, quòd parti præstanda est cautio ista, & ideo si non potest iudex haberi, præstetur parti, & iudici potest præstari parte absente &c. Si autem neuter potest inueniri, præstabitur alicui honestæ personæ, quæ recipiat nomine aduersarij.

Cautionis præstandæ necessitas solutionem moratur, non indebitum facit, quod fuit debitum, ità dicitur in *l. Prater dotem 8. iuxtà fin. ff. de dot. praleg. vbi Apostil. super illis verbis* ibi. Si forte per errorem cautio defensionis omissa sit, inquit sic. Singulatiter nota, quod cautio quando dicitur præstari, intelligitur petenti &c.

Non tamen, vt satisdetur, nisi specialiter id, actum proponatur, inquit *l. Emptori 35. ff. de euict. & in l. si dictum 56. eod. tit.* ibi Non tamen, vt vulgus opinatur, etiam satisdare debet, qui duplam promisit, sed sufficit nuda repromissio &c. nisi aliud conuenerit.

Sin autem cautio indebitè exposita esse dicatur, & indiscretè loquatur, tunc eum, inquem cautio exposita est compelli debitum ostendere, quod in cautionem deduxit, nisi ipse specialiter, qui cautionem exposuit causas explanauit, pro quibus eandem conscripsit. Tunc enim stare eum oportet suæ confessioni, nisi euidentissimis probationibus in scriptis habitis ostendere paratus sit, se se hoc indebitè promisisse, ait *l. Cum de indebito 25. ff. de probat.*

Ad alia non extendi cautionem dicitur *in l. Cum pater 79. §. Pater certam ff. de legat.* 2. ibi. Cæterum, si postea nuberet ad secundas nuptias cautionem extendi non oportere.

Non

Non esse locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur, inquit *l. Titio centum 70. §. 2. ff. de condit. & demonst.*

Denique vbi quis satisdare cogitur, semper satisdare tenetur cuiuscumque sit dignitatis, vel quarumcumque facultatum ita scriptum est *in l. 1. ff. vt legat. nom. cau.* Solus autem. Fiscus satisdare non tenetur, vt in verbo, fiscus habes.

Charitas.

EST recta voluntas, & ab omnibus terrenis, ac præsentibus prorsus auersa, iuncta verò Deo inseparabiliter, & ignita igne quodam Spiritus Sancti, à quo est, & ad quem refertur incensa, inquinamenti Omnis extranea, corruptionis nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia; Super omnia, quæ carnaliter diliguntur excelsa: Affectionum omnium potentissima: diuinæ contemplationis auida; In omnibus semper inuicta: summa actionum bonarum: Salus morum, finis cælestium præceptorum; Mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, Palma victorum; Anima sanctarum mentium; causa meritorum bonorum; Præmium perfectorum, sine qua nullus Deo placuit, cum qua aliquis peccare non poterit: fructuosa in pænitentibus: læta inproficientibus: gloriosa in perseuerantibus: victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus, ex qua quicquid est boni operis viuit. Ità diffinit *Prosper in lib. de contempl. vita. Relatus in cap. Charitas de pænit. dist. 2. & ibi dicit Glos. 1.* sic. Hæc diffinitio est causatiua, hoc est, hæc omnia procedunt ex charitate, cum aliàs charitas sit habitus mentis, qui voluntas non est.

Perfecta autem charitas est, quando non solum pro Deo, sed etiam pro fratribus, quis paratus est, mori, vt inquit *August. in cap. Qui vult de pænit. dist. 2.* ibi. Si quis tantam habuerit charitatem, vt paratus sit etiam pro fratribus mori, perfecta est charitas.

Diligere etiam proximum, quem in se Dominus censuit diligendum: In ipso amore reseruare legitimum modum, neque peruertere dilectionis ordinem constitutum. Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est diligunt, aut corpora sua minus diligenda, plus diligunt, aut proximos, non sicut se ipsos, aut Deum plusquam se ipsos fortè non diligunt.

Corpus nostri, quia pars nostri est, ad hoc nobis diligendum est, vt saluti eius, ac fragilitati naturaliter consulamus, & agamus, quatenus Spiritui ordinatè subiectum ad æternam salutem accepta immortalitate, & incorruptione peruenias. Proximos autem tunc diligimus, sicut nos, si non propter aliquas vtilitates nostras, non propter sperenda beneficia, vel accepta, non propter affinitates, aut consanguinitates, sed propter hoc tantum, quod naturæ nostræ sunt participes, diligamus. Omnia prædicta inuenies *in d. cap. Charitas de pænit. dist. 2.*

Ordinata charitas prius debet incipere à se ipso &c. Vnde primò quis debet facere eleemosynam sibi, deindè proximo, vt inquit *Glos. verbo, se ipsum, in cap. 1. ad fin. de sac. vnct.* Et *Glos. vlt in cap. Petitio 31. de iur. iur.* sic. Nemo tenetur alium plus diligere, quam se ipsum; quia charitas bene ordinata incipit a se ipso. Idem dicitur in Summario *l. Præses C. de seru. & aqu. cuius tex.* verba sunt. Cum sit durum, & crudelitati proximum ex tuis prædijs aquæ agmen ortum sitientibus agris tuis ad aliorum vsum vi-

cino-

cinorum iniuria propagari, & ibi *Glos. vlt.* affert hoc carmen:

Alpibus ille perit, qui se plus diligit illum.

Quod verò ad nostros proximos charitatem teneamur primo impertiri illis, à quibus beneficia accepimus probat *cap. 7. de testam. incipit*. Cum in officijs charitatis primo loco illis teneamur obnoxij, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse.

Potentior est Charitas ad bonum operandum, quam odium, vt dixit *Hieronymus in Esdram in praefactione ad fin.* ibi. Magis vestra charitate prouocabor ad studium, quàm illorum detrectatione, & odio deterrebor. Maioribus enim malis debet syncera charitas subuenire, vt probat *Glos. verbo. Declaramus, iuxtà fin. in cap. Praesenti 10. de sent. excomm lib. 6 per tex. quem allegat in cap. vt constituetur 50. dist.*

Si in dando (quod maius est) facilis fuit charitas, fit facilius in concedendo, quod minus est, Sancta largitas *cap. 1. ad med. 16 quaest. 2.*

Multa sunt facienda non iubente lege, sed libera charitate, & ea sunt in nostris officijs gratiora, quae cum liceret nobis etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus, *Augustin. in cap. Iam nunc 28. quaest. 1. & confirmatur ex Apostol 1 ad Corinth. 9.*

Imperfectum scientię potest supplere perfectio charitatis, inquit *cap. nisi cum pridem de renunt.*

Omnis, qui non diligit, odit. *Augustin. in cap. folle de paenit. quaest. 2* Reliqua de charitate habes *verbo, Dilectio.*

Certum.

EST, quod ex ipsa pronunciatione apparet, quid, quale quantumq; sit dicit *l. Stipulationum 74. ff. de verbor.* Si autem non apparet, quid, quale, quantumque sit, incertum esse dicitur *in l. Vbi autem 65. ff. eod. tit. vbi optimus tex. in materia*. Certum etiam dicitur, quod fit per relationem, ad quid certum etiam in his, quae requirunt specialem expressionem, vt *in d. l. vbi autem §. Illud ibi*; sed qui vinum aut oleum, vel triticum, quod in horreo est, stipulatur: Certum stipulari intelligitur obligatio. Et certum dicitur, siue proprio nomine, siue demonstratione, quae vicem proprij nominis obtinet, designetur, aut etiam digito ostendatur, vt inquit *Glos. in cap. significante 34. de rescript. & in l. Praetor edixit §. quod autem ff. de iniur.* Inquit Iureconsultus, Certum eum dicere Labeo ait; qui dicat nomen iniuriae, nec subalternatione, puta illud, aut illud.

Certum denique etiam dicitur, quod ex actis constat vt *probat l. 3. C. de sentent. quae sine cert. quantit. in fin.* ibi; Si parte aliqua actorum certa sit quantitas comprahensa.

Aliud est certum, aliud certum, & expressum, dixit *Glos. verb. Certas in cap. Si Episcopus 37. de praeb. lib. 6.*

Melius est expectari oportere, quo ad certum esse caeperit successorem non extiturum, inquit *l. Cum quasi 30. §. idem dicendum est ff. de fideicommiss. libertat. qui tex* loquitur in casu, quando dubitatur, an extet, vel non extet haeres; nam non debet quis se incertis si potest, certis, committere: *Glos. in l. Cogi §. Si pater ff. ad Trebel. per tex. in fin.* ibi. Non oportere sub incerto cautionis committere se aditioni haereditatis.

Non omne probabile esse certum, dixit *Glos. in Apostil. ad cap. Personas 20. de testib. per tex.* ibi. Si certum sit, aut legitimè super hoc; possint conuinci.

Vbi,

Vbi, quis certus esse debet, dicere non debet, Ne dubitare, inquit *Glos. verbo, Certiores, in cap. Si beneficia 20. de preb. lib. 6.*

Si sciuit certiorari non debuit, dixit *Glos. verbo, Cognouerunt, in cap. Cum inter de elect. & Glos. verb. vtilibus in addit. l. Nomen 4. Cod. quares pignori*, itá dicit. Aduertas, quòd *Bartolus* hic reprehendit finem istius Glosæ dicens, Denunciationem non esse necessariam scienti, & probat *l. Quatro 50. ff. de act. empt.* ibi. Quoniam hæc generalis exceptio, non ad ea pertinere debeat, quæ venditor nouit, quæque specialiter excipere potuit, & debuit, sed ad ea, quæ ignorauit, & de quibus emptorem certiorare nequiuit.

Idem melius probatur *in l. 1. §. vlt ff. eodem tit. de act. empt.* ibi. Quia non videtur esse celatus, qui scit, nec certiorari debuit, qui non ignorauit, & ibi *Glos. in addid.* sic explicat. Quandoque denunciatio fit solum ad certificandum aliquem, non ad alium finem. Et sic tunc ille, qui certus est, certiorari non debet, vt hic &c. Quandoque denunciatio fit ad alium finem, scilicet, vt incitetur ille, cui fit denunciatio ad aliquid faciendum. Vt si volo denunciare venditori, quod mihi mouetur lis, vt veniat ad me defendendum; tunc dico quod etiam si certus est, nihilominus debet ei denunciari, quod defendat *l. Qui absentem ff. de procur. l. denunciasse ff. de adult.*

Nota elegantem *tex. in l. 1. ff. quod iussu* vbi sic; Sed ego quæro, an reuocare hoc iussum, antequam credatur possit? Et puto posse, quemadmodum, si mandasset, & posteà ante contractum contraria voluntate mandatum reuocasset, & me certiorasset, vbi *Glos. verbo, Quemadmodum propè fin.* sic addit. Item in eo, quod hoc dicit de certioratione; est argumentum contra &c. sed certè hoc dicitur, vt per hoc magis appareat aliquis transgressor mandati. Nam & sine ea certioratione, quod factum est, non tenet, nisi in iuditio, vt *C. de satisdat. l. vnica & est tex. expressus in cap. vlt. de procur. lib. 6. ad fin.* ibi. Sanè si procurator, antequam contraxerit à Domino fuerit reuocatus; contractum post modum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea cum qua contraxit reuocationem huiusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit.

Cessio.

Modestinus respondit, si post solutionem sine vllo pacto in omne, quod ex causa tutelæ debebatur, actiones post aliquod interuallum cessæ sint, nihil ea cessione actum est, Cum nulla actio superfuerit. Quod si ante solutionem hoc factum est; vel cum conuenisset, vt mandarentur actiones, tunc solutio facta est, & mandatum subsequutum est saluas esse mandatas actiones cum nouissimo, quoque casu, pretium magis mandatarum actionum solutum, quàm actio, quæ fuerit perempta videatur, itá in expresso est *tex. in l. Modertinus 76. ff. de solution.* cum quo concordat *l. Cum is, qui 37. ff. de fideiussor.* Cum is, qui, inquit, & reum, & fideiussores habet ab vno ex fideiussoribus accepta pecunia præstat actiones, poterit, quidem dici nullas iam esse, cum suum perceperit, & perceptione omnes liberati sint, sed non est itá. Non enim in solutum accepit, sed quodamonomen debitoris vendidit, & ideo ha-

bet actiones, quia tenetur adhoc ipsum, vt præstet actiones.

Notabis, quod priuilegium fori inhærens iuri cesso in cessionarium transit sed non si hæreat cedenti vt notauit *Apostil. ad Glos. vlt. in l. pen. C. mandat.*

Notat etiam *Apostil. ad Glos. vlt. in cap. 1. de immun. Eccles. in 6.* Quod aliquis cedendo rei, propter quam obligatur, liberetur ab obligatione, & allegat *Bart. in l. is, cum quo ff. de aqu. plu. arcen.*

Christianus.

A Christo dictus, & Christus continet tria, scilicet, qui, & à quo, & de quo, id est tres personæ. Pater vngens, Filius, vnctus, Spiritus Sanctus vnctio, vt *in cap. à quodam de consec. dist. 4. & ab eo tradit Glosa verbo, Christum in Auth. ius iurandum, quod præst. coll. 2.*

Quod Christiani sumus propter nos est, quod præpositi sumus, propter vos est. dixit *Augustin. lib. 1. de pastor. cap. 1.*

Non licet homini Christiano post mortem Christi floribus tempora redimita portare, ait *Tertul. de Coron. Mil.*

Inquit *tex. in cap. Iudæi 21. de testib.* loquens de Iudæis hæc veba, Cum eos Christianis subiacere oporteat, & ab eis pro sola humanitate foueri.

Quod Christianis prohibetur ad Iudæorum conuiuia accedere habes infrà proximè verbo, *Cibus*.

Notabile est, quod tenent. Domini Canonistæ in tit. de Baptismo, quòd perfectè non natus potest fieri Christianus, si aliquod eius membrum baptizetur: Cum aliàs de iure Ciuili perfectè non natus non rumpat testamentum, vt est expressum *in l. quod certatum C. de posth. here. instit.* ibi. Si viuus perfectè natus est, & ibi, si viuus ad orbem totus processit.

Cibus.

Nihil sic iucundum est, sicut cibus, bene digestus, aut decoctus, nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio, sufficientia quippe cum nutrimento, & sospitatem simul procreat, & voluptatem Abundantia verò morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat. Quod enim fames facit, hoc etiam plenitudo, ciborum; magis autem, & multò peiora, fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat eum de hac vita pænali; excessus verò ciborum consumit, & computrescere facit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tunc cum morte crudeli consumit *ex Grisost. refertur in cap. Nihil de consecr. distinct. 5. & sic dixit Hieronym. ad Rustic.* Modicus, & moderatus cibus, & carni, & animæ vtilis est.

Cibi simplices sunt cibi sobrietatis, & parsimoniæ, reliqui verò sunt cibi diuitiarum, ac luxuriæ. Cibi simplices sunt communes omnibus animantibus, illi verò paucorum. Quare debemus esse contenti victus simplicis herbæ, olerisque vilis, aut poni, quæ natura obtulit, quæ liberalitas Dei prima donauit. Iste salubris, iste vtilis cibus, qui morbos depellit, qui resecat cruditates, nullo hominum paratus labore, sed diuino effusus munere, sine satione fruges, fructus sine semine, tàm dulcis, tàm gratus, vt etiam

reple-

repletis voluptati: fit ac vsui, inquit *Ambros. super cap. 9. Genes.*

Idem Ambros. de Helia, & ieiunio. sic. Vbi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi; ibi cæpit sua incrementa nescire, vbi cæperunt diuina circa eum opera feriari Quo indicio declaratum est, quod per cibos mundus habet imminui, per quos desit augeri. Nemo ante cibum delictum sciebat, nemo pœnam timebat, nemo nouerat mortem, eo introducto omnia hæc mala prodierunt.

Fastidientis stomachi est plura degustare, quæ procul dubio coinquinant, & conturbant stomachum, quam nutriant, & reficiant, *Senec. Epist.* 2. & sic apud medicos vulgaris regula est, quod eduliorum varietas reprobatur, & si vis videre optima contrà ciborum varietatem lege eundem *Senec. Epist. 96. paulò post princ.* & circa obiectamenta, quæ aliàs cibi non dicuntur, vide *eund. Senec. Epist.* 109. *Ecclesiast. cap.* 37. *ad fin.* sic In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit, vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam.

Non vtitur familia rustica pullis, vel alijs delicatis cibarijs, sed caseo, cepis, & fabis, inquit *Glosa verbo, Cibarijs, in l. seruis Vrbanis* 97. *ff de leg.* 3. licet aliàs diceret quidam ethnicus, quod esus carnium magis congruit rudioribus, & grauioribus viris, & hebitioribus, quàm viris ingenuis, & nobilibus. Vnum verum est, quòd abstinentia continentiæ nutrix est, quæ facilius frænos patitur, si non deliciarum calcaribus incitetur, vt dixit *Glos. verbo, Cibis, in Clem.* 1. *de stat. Monach.*

Familiaritas maior est in cibo sumendo, quàm in colloquio, & facilius quis decipitur inter epulas, vt inquit *glos. verbo, Iudæorum. in cap. omnes deinceps* 28. *quæst.* 1. Vbi propterea Christianis prohibetur ad conuiuia Iudæorum accedere.

Circuitus.

EVitetur circuitus, inquit *Pontifex in Clem. Auditor.* 3. *de rescript. & Iurecons. in l. Videamus* 5. *ff. Si cui plusquam per l. Falc.* ibi. Nisi fortè malit Legatarius circuitu sublato hæredi caueri. *Et in l.* 1. *C. delegat.* ibi. Posteritas optimis rationibus vsa, nec facilè suscepit, nec inextricabiles circuitus laudauit. Et notat *glos. in l. Dominus* 53. *ff. de condict. indeb.* ibi. Nota hic &c. de circuitu tollendo per *tex.* ibi. Sed tàm benignius quàm vtilius est recta via &c. quæ verba assumpsit *glos. verbo, Agere, in l.* 2. *ff. ad l. Rhod. de iact.* ibi. Melius tamen esset, vt via recta ageret damnum passus sublato circuitu, & *glosa verbo, detrimenta, in l. vnica Codice de sumpt. iniunct. Mun. lib.* 11. *ibi propter vitandum circuitum.*

Ciuitas.

MVro finitur, vt inquit *l.* 4. *§ fiità ff. de pen. leg.* ibi. Et quidem verbes ferè omnes muro tenus finiri, Romam continentibus.

Duæ partes ordinis in Vrbe posita totius Curiæ instar exhibent, inquit *glosa verbo, duæ partes, per tex. ibi in l.* 3. *ff quod cuiusque vniuers.* Et Nota non exigi, quod duæ partes consentiant in decurionem, sed vt duæ partes adfuerint, sed an consentientes

debeant esse tot, scilicet vt sit maior pars totius ordinis, an sufficiat, quod maior pars consentiat præsentium, *ead. Glos.* ibidem dicit esse verius, quod sufficit maior pars præsentium.

In Ciuitatibus præsumuntur esse periti, sic Episcopi in solis Ciuitatibus statuendi sunt, &c. & leges, & artes in regijs Ciuitatibus sunt docendæ, vt inquit *Glos. verbo, Ciuitatibus, in cap. statutum* 11. *de rescript. lib.* 6. De materia autem Ciuitatis, & quæ dicatur, vide *Bart. in Extrauag. Qui sint rebelles super Glos. Lombardia*.

Etenim pertinet ad decus vrbium ædificia non derelinqui, ait *l. Prator* 20. *§. hoc interdictum prohibitorium, ff. de nou. oper. nunc.* Vnde non esse cogendum, quem ædificium tollere, ne Vrbs ruinis deformetur, inquit *l.* 2. *§. Si quis nemine, ff. ne quis in loc. pub.*

Ampliandam enim magis Ciuitatem nostram, quam minuendam esse censemus, dixit *l. penult. C. Comm. de manum.* *Scilicet cum liberis hominibus, & in l. Si duas* 6. *ff. de excus. tutor.* sic. Decet autem maximo quidem numero vti Metropoles gentium.

Indiget enim Ciuitas pluribus vtiq; rusticis. & alijs conductoribus, ait *l.* 2. *ad fin. ff. de nundin.*

Æquissimum est huiusmodi voluntates in Ciuitates collatas, pænitentia non reuocari, dixit *l.* 3. *ff. de pollicit.* Ideo Ciuitati relictum perpetuo censetur, *l. cum quidam* 23. *ff. de ann. legat.* ibi. Non esse verisimile testatorem de vno anno sensisse, sed de perpetuo legato; Idem in relicto Ecclesiæ, vt habes verbo, *Ecclesia*.

Ciuitas mutui datione obligari potest, si ad vtilitatem eius pecuniæ versæ sunt. Alioquin ipsi soli, qui contraxerunt non Ciuitas, tenebuntur, ità ait *l.* 27. *ff. Si cert. pet. vbi Glos.* sic, Idem dici debet in quibuslibet omnino Collegijs, sed & ipse, qui accepit, tenebitur.

Nota hic, quòd Ciuitas sit minus priuilegiata, quàm minor, vt supra *de minor, l. verum §. fin.* & quia loco priuati maioris est, vt de *verbor. signif. l. cum qui*, nec potest tamen dici eam restituendam, &c. ità hæc ponit *Glos. in l. nihil* 17. *ad Macedon.* Minus tamen priuilegiata est Ciuitas. quàm fiscus, vt habes verbo, *Fiscus*.

Ciuitatis Ius publicum non fit priuatum, nec præscribitur, vide, *Ius publicum*.

Ciuitas, & Diœcesis diuersa sunt, licet sub vna iurisdictione, siue sub vno Episcopo, vt inquit *Glos. in cap. Rodulphus* 35. *per tex.* ibi. *de rescript. sed Apostil. ibidem*, sic ait. Qui enim est de Diœcesi de Ciuitate intelligitur. Vt ergo hoc dubium euitetur, est bona cautela in omnibus rescriptis apponi illam clausolam, *Ciuitatis, seu Diœcesis*.

Vnde, qui in territorio nascitur, nasci dicitur in Ciuitate, vt dicit *Glos.* 1. *in l. filios C. de municip. & orig. lib.* 10. *per tex. in l. Qui ex Vico, ff. ad municip.* Quod quidem ignorans vnus ex nostris olim Collegis post finitum terminum probatorium in Ciuitate, petebat sibi assignari terminum de nouo ad probandum in territorio, sed derisus fuit.

Nota Villas, & Castra sub Ciuitate facere collectam inquit *Glos. verbo, persoluit, in Auth. quibus mod. naturales effician. sui coll.* 7. ibi. Sub qua Ciuitate, Villa, aut Vicu tributa persoluit.

Ciuitas destruitur à plaustris, & oportet, quòd quotidie reficiantur viæ (& maxime in hac Alma Vrbe, quæ talibus, & curribus plurimum abundat) vide verbo, *Iter*.

Ciuitas potest viam publicam facere, vt inquit *Glos. verbo, habuit, in l.* 2. *§. Viam publicam per tex.* ibi. *Princeps, vel Senatus, ff. ne quid in loc. pub. & in l. quo minus, ff. de flum.* ibi. *Imperator, vel Senatus, & addit. Bart.*

in

in d. §. Viam publicam, quod potest viam publicam in priuatam reducere; quando autem posſit eam vendere, vide *eundem in l. continuus § cum quis num. 5. ff. de verb. oblig.*

Qui impedit filium ſuum decurionem fieri ciuem patriæ vtilitatibus, quatenus poteſt, aufert, inquit *l. 3. §. 1 ff. de mun. & hon.*

Melius eſt eſſe Ciuem mediocrem vnius nobilis Ciuitatis, quàm eſſe maiorem Ciuem mediocris Ciuitatis notat. *Bart. in l. vnic. C. de Alexan. primat. lib. 11. per gloſ. 1.* ibi. Qui omnes ſunt primates reſpectu aliarum ciuitatum, & fundatur in illo vulgari Philoſophorum Axiomate, Supremum infimi vix attingit infimum ſupremi.

Ciues poſiti ſuper eleemoſynis non debent illas extraneis ab illa Ciuitate dare. Notat *Bart. in l. 2. C. de annon. ciuil. lib. 11. per tex. ibi Ciuibus noſtris.*

Citatio.

DE ea inquit *Gloſ. magna, & magiſtra verb. ſed, in cap. vnico de mil. vaſſal. qui cont. eſt in vſibus feu.* ſic; Modo cum de citatione quis pleniſsimè deſiderat ſcire hæc inquirat; ſcilicet, qui iudices poſſunt citare, & qui non: & qui citari poſſunt, & quando; etiam quot ſufficiant citationes, & quod interuallum debeat eſſe inter vnam citationem, & aliam: Quid olim, quid hodiè, de hoc interuallo obſeruetur, & quis ſit citationis effectus, & citare poſſunt, iudices ordinarijs &c Vide, ſi vis, quia eſt valde prolixa, & non conuenit eam hìc transſcribi.

Si non poteſt inueniri citandus ad domum illius mitti debet, & citandus eſt edictis, vel litteris &c. Deinde denunciationibus, vel ſi non habet domicilium, vbi habitare conſueuit, vel apud Eccleſiam ſuam &c. inquit *Gloſ. verbo, in Hibernia, in cap. Cum olim 7. de dol. & contum. & probat cap. vlt. eod. tit.* ibi. Vel ſi non poterit inueniri faciant, vt citationis edictum per ipſos, vel alios apud Eccleſiam tuam publicè proponatur.

Ante citationem res integra dicitur, per eam autem, & non per præſentationem Iuriſdictio perpetuatur, vt dixit *Gloſ. verbo, aſſignata, in cap. vt debitus 59. de appell.* ibi. Rem intelligo integram ante citationem, per quam Iuriſdictio perpetuata eſt, & non per præſentationem.

Sufficit ſola citatio ante mortem mandatoris ad perpetuandum reſcriptum: vnde Citatione præmiſſa non finitur mandatum per mortem mandatoris &c. Sed ſi citatio non præcedat mortem, ſtatim expirat mandatum &c. eodem modo perpetuatur iuriſdictio delegati per ſolam citationem, ità dicit *Gloſ. verbo, conteſtata, in cap. Relatum 19. de offic. deleg & eſt tex. in cap. gratum 20 eodem tit.* ibi. Citatione facta negotium ſit quaſi cæptum &c. poteſt, & debet in cauſa procedi tenebitque quod iuſtitia fuerit præuia diffinitum.

Nota ſecundum *Bald.* quòd citatio poteſt incipere à procuratore, & etiam iudicium, vt inquit *Apoſtilla per tex. ibi in l. Item ait 21. ff ex quibus cauſis maiores in illis verbis.* Nam ſi fuit procurator, cum habueris, quem conueníes &c.

Terminus præfixus loco peremptoriæ citationis habetur dixit *Gloſ. in verbo, Abſentia, in cap. 1. de elect. lib. 6.*

Qui latitat, ne ad eum citatio perueniat, non eſt expectandus, vt dixit *Gloſa in verbo, cognouerunt, in cap. cum inter de elect.*

Generale eſt, quod ad citationem, quæ repro-

reprobatur à iure, non tenetur venire citatus etiam, vt alleget priuilegium, ità *Glos. vlt. in cap. Bonæ 36. de elect.*

Extra Prouinciarum terminos non est facienda citatio, nisi ex speciali principis iussione, vt inquit *Glos. pen. in cap. ex parte 47. de appell.*

Citatio dicitur de processu, vt per *Glos. verbo, vel processus in Extrauag. vlt. de pen.*

Denique inquit *Imperator in Auth. de litigios. in § Omnem verò vers. Si verò coll.* 8. loquens de citatione per præconium, & per edicta, hæc verba. Vocem enim præconum pauci possunt, (qui præsentes inueniuntur) audire; Edicta verò per multos dies sic posita possunt penè omnes agnoscere. Vnde rectius fit in Regno Lusitaniæ, siquidem citandus, qui non inuenitur, & per edicta ei debet fieri citatio priusquam edicta affixa sint præconizatur taliter, quòd & per præconium, & per edicta fit citatio.

Clausula.

Generalis non porrigitur ad ea, de quibus specialiter comprehenditur, vt inquit *Glos verbo, De eo, in l. Sed & si 26. §. Clausula ff. ex quib. cau. maior.* per iura, quæ ibi allegat.

Vbi verò est clausula specialis non indigemus generali, vt dixit *Glos. verbo, Cauetur in l. Quis sit fugitiuus 17. ff. de æd. edic.*

Quandoque clausula sequens determinat præcedentia, & quandoque præcedens sequentia prout iuris ordo requirit &c. quandoque sequens clausula respicit terminum proximè positum &c. & præcedentia quandoque repetita intelliguntur *Glos. verbo, præcedat, in cap. Causam, quæ 18. de rescript.* Et ità fortius vna clausula debet extendi ad aliam, vt dixit *Glos. verbo, Patriarchæ, in Extrauag. vnica de cens. inter comm.*

De clausula illa, si ità esset, respondit *Pontifex in cap. olim 25. de rescript.* sic. Nos igitur respondemus, quod clausula illa ad omnia superiora debet referri.

Et de illa clausula, si persona fuerit idonea, quæ in rescripto reperitur inserta, inquit *tex. in cap. vlt. de præsumpt.* sic. Eidem scholari probandi se idoneum nulla necessitas imponatur, cum prima facie præsumatur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur.

Nota, quòd vbi ponitur ista clausula, *decernimus* irritum, & inane, quod sic postea ipso iure non tenet, vt dixit *Glos. post casus positionem in cap. inter cætera 17. de præben.*

De clausula, & cætera, inquit *Glos. verbo & cætera, in Extrauag. vlt. de verborum signif.* Hæc; comprehensiua est multorum verborum &c. vnde facit argumentum pro more tabellionum, qui habent in aliquibus regionibus, quod recipientes notam in protocollo de aliquo facto vel contractu vtuntur frequenter ista clausula, & postea redigendo instrumentum in mundum apponunt multa verba, quæ non apposuerunt in nota, vel protocollo, & illa subintellecta fore dicuntur sub tali clausula, & cætera. De iure tamen scripto nihil plus, vel minus in mundo, quàm in protocollo debet reperiri, vt eis falsitas, & suspicio euitetur. Et ità omnino debebat obseruari, quinimmo, nec in immundo protocollo; nec in mundo instrumento debebat apponi talis clausula, sed contrahentes sibi consulere debebant, & apponi facere omnia ad longum, vt est de stilo, & lege in nostra Luzitania.

Clausula derogatoria est necessaria in rescripto, vel priuilegio contra ius, vide, verbo, *rescriptum, seu priuilegium.*

Cle-

Clementia.

EST pars modestiæ: modestia enim conuenit superioribus, & inferioribus, sed proprium est superioribus erga inferiores exercere clementiam inquit *Glos. verbo, Clementia in l.1. C. de summ. Trin.*

Clementia, quæ alieno sanguini, tanquam suo parcit, & scit homini non esse homine prodigè vtendum, dixit *Senec. Epist.89.*

In sola clementia possumus esse pares Deo, dixit *Glos. verbo. Benignitatem, in Auth. vt iudices sine quoquo suffragio §. illud videlicet vers. oportet propè fin. per tex.* ibi. Quos nobis tradidit Deus, vt eis per omnia parcamus, eius sequentes benignitatem, & *Glos. verbo, In suis actibus, in Extrauag.1.de concess.preb.* ibi; Precipuè per virtutem humanitatis, & Clementiæ, per quam sola Dei seruatur imitatio, & quæ sola Deo nos æquat.

Et *Imperator in l. Imperialis 23. C. de nupt.* ità dicit. Nàm ità credimus Dei beneuolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam (quantum nostræ naturæ possibile est) imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pænitentiam suscipere nostram, & ad meliorem eam statum deducere vbi *Glosa verbo, Imitari*, sic. Nota, quod dicit imitari, alias diuinam clementiam, idest Dei, quia in sola pietate possumus esse Deo pares, sicut dicitur.

Sola Deos æquat Clementia nobis.

Decet enim Clementia, & humanitas eum, cui fata Regnum destinauerunt, dixit *Iosepb.in lib.6.antiq.cap.14.nu.40.* & *Imperator in l. vlt. §. vlt. C. de cad. toll.* ità; Tantum enim nobis superest clementia, quod scientes etiam fiscum nostrum vltimum ad caducorum vendicationem vocari, tamen nec illi pepercimus, neque Augustum priuilegium exercemus, sed quod communiter omnibus prodest, hoc rei priuatæ nostræ vtilitati præferendum esse censemus, nostrum esse proprium subiectorum commodum imperialiter existimantes, quod didicit à Traiano eius prædecessore, qui dicebat. Scio relegatorum bona auaritia superiorum temporum fisco vendicata, sed aliud clementiæ meæ conuenit, vt refert *Iureconsult. in l. 1. ff. de interdict. & releg.*

Et in Auth. de trien. & sem. §. Nec illo coll 3. sic. Considerамus autem aliquid ad solam naturam Clemens; Multi namque molesti sunt nobis semper, precesque crebræ, & flentes filij, & semper equidem clemens aliquid diffinimus. Quoniam ad clementiam omnis à nobis aperta est lex, vt *idem Imperator dixit in Auth. de exhiben. re. §. Si verò semel ad medium coll. 5.* & Regis clementia roboratur thronus eius *Prou.20.28.*

Et non solum principi, sed etiam cuilibet priuato clementia necessaria est; nonnunquam enim amplius prodest Clementia tibi ad patientiam, quàm lapso ad correctionem, vindicta, seu disciplina vt optimè dixit *Glos.in cap. Quod Christus 23 quæst. 4.*

Nec enim aut seueritatis, aut Clementiæ gloria affectanda est, inquit *l. recipiendum 11. ff. de pæn.*

Clementia legis non debet verti in calumniarum occasionem, vt habes in verbo, *lex vers. nunc autem.*

Clericus.

A Cleros, quod est sors, vel hæreditas clerici appellantur, inquit *Pontifex in cap. Cum secundum de preb.*

Nota, quòd clericatus est dignitas, vt inquit

inquit *Glos. verbo, Dignitati, per tex.* ibi. Clerici, qui clericalis ordinis dignitati, &c. *in cap. 1. de vit. & hon. cler. in 6.* & idem probat, *Glos. 1. in l. Officiales 4. C. de Episc. & cleric.* ibi. Nota ex hoc textu, quod clericatus est dignitas, & honor, & patet *ex tex.* ibi. Ad Clericatus honorem idem *Glos. verbo. Maiores, in cap. Sedes 15. de rescript.* ibi. Inuenio, quod quilibet Clericus dicitur habere dignitatem: &c. & per generalem clausulam non potest conueniri Sacerdos, vel clericus, cum ipse sit maior quolibet Laico, probat etiam *Apostil. ad glos. verbo, Dignitas, in Auth. de hared. & Falc. coll. 1.* ibi. Idem dicas de clericis quibuscunq; qui largè dicuntur habere dignitatem, vbi allegat *Glos. & Doctores in cap. vnico de vit. & honest. cler.*

Appellatione clericorum superiores, vel maiores intelliguntur, inquit *Glos. verbo, Sacerdotum in cap. 2. de cohabit. cleric.* & nomine Sacerdotis intelliguntur inferiores clerici, vt ibidem.

Et nomine rerum Ecclesiasticarum intelliguntur clerici dicit *Glos. penult. in cap. Peruenit 13. de appell.*

Clerici ideò dicuntur sæculares, quia admodum etiam laicorum, qui verè sæculares dicuntur, possunt proprium habere, & inde facere, pro sua voluntate, inquit *Glos. verbo sæculares in cap. licet 12. de offic. ordin.*

Cum hoc tamen stat, quod quilibet Monachus Clericus est, sed non conuertitur: propterea quilibet Monachus in clericali officio videtur instructus, sed Clericus sæcularis non in monachali, vt dicit *Glos. penult. in cap. Cum ad nostram 37. de elect.* Sunt ergo diuersæ professionis, ideoque non bene conueniunt, nec mireris; nam vt inquit *tex. in cap. Cum causam 27. de elect.* quod secundum legem diuinam non sit in boue arandum, & asino, nec quicquam debet, vestem induere de lana, linoque contextam, quem explicat *ibidem Glos. penult.* idest homines diuersæ professionis in vno officio non sociabis. Vide verbo, *Monachus.*

Debent autem ad clericatum admitti idonei, vt inquit *cap. Accepimus 13. de ætat. & qualit.* ibi. Licet igitur in ordinationibus clericorum illam tu, ac prædecessores tui diligentiam debueritis adhibere, vt minus idonei non ordinarentur à vobis, ac ideo post promotionem illorum exceptionem non poteris prætendere contrà illos nisi forte, postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos. Et *in Auth. quomodo oport. Episc. §. Hæc autem coll. 1.* sic. Litteras enim ignorantes omnino nolumus, ne vnum ordinem suscipere Clericorum. Si verò cogniti non sunt, explorandum est, cuius fidei, & innocentiæ sint, ait *Glos. verbo, Incogniti in cap 1. de cleric. pereg.*

Sed neque Curialem, aut officialem clericum fieri permittimus, vt non ex hoc venerabili Clero iniuria fiat, *Auth. de sanct. Episc. §. Sed neque coll. 9.* Sed ex quo resultat talis iniuria? videtur quia officiales sunt adstricti ad redden rationes, & si fuerint clerici traherentur ad forum sæculare causa reddendæ rationis, & ità procedit *tex. in cap. vnico de obliga. ad ratiocin.* vbi non ordinantur ante redditas rationes, posteà verò sic; vt etiam dicitur *in l. officiales C. de Episc. & cler.*

Neque sine titulo promoueri debent, quod si promoueantur Episcopus eis debet prouidere, vt dicit *Glos. in cap. 1. de postul.* Sed nunquid teneantur soluere decimas de tali patrimonio, ad quod sunt promoti, quasi ad titulum? pro vtraque dicit *Glos. vlt. in cap. Tuis 13 de preben. quam videas.*

Clerici ab indignis quæstibus nouerint absti-

abstinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum, inquit *c.Clerici 14.q.4.vbi glos.* sic; intelligit licitas enim negotiationes possunt clerici facere &c. Et hoc cū eis sua non sufficiant; sed in *cap. Canonum statutis eadem causa, & quæst.* sic dicitur. Quicumq; in clero esse voluerit emendi vilius, & vendendi carius studio, non vtatur. Nescio ergo, quomodo potest substinere, quod dicit prædicta *Glos.* non enim possunt fieri negotiationes absq; studio emendi vilius, & vendendi carius. Et in *c.Consequens est 88. dist.* dicitur. Nemo militās Deo implicat se negotijs sæcularibus, & *in c.Cum ad verum in fin.96.dist.* Abstineat à negotijs sæcularibus, nisi causa necessitatis, quæ debet apparere, aliàs causa cupiditatis intelligitur, vt dicit *Glosa verbo, Conducere, in cap. decreuit 88. dist.*

L. Placet 17.C.de Episc.& cleric. dicit; Vt nihil commune clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, (cuius corpori nō sunt annexi) habeāt. Absurdum etenim clericis est, immo etiam opprobriosum, si peritos se vellint ostendere disceptationum esse forencū, inquit *l.Repetita 36.C.de Episc. & Cleric. A qua deduxit Glos vlt.in c.1. de postul.* Ego verò nihil aliud his nostris temporibus video, nisi similes, qui volunt se peritos ostendere in disceptationibus, quas omnino ignorāt, cum aliàs absurdum etiam sit promiscuis actibus rerum turbari officia, & alij creditum subtrahant, vt inquit *tex.in l. Consulta Diualia 23. C.de testam.* ibi; Absurdum namq; est si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & alij creditum, alius subtrahat.

Et reddit rationem de prædictis *tex. in cap. Ioannes 7. de cler. coniu.* ibi; Quia cum oporteat sæcularibus negotijs immisceri tonsura ipsius sæcularia exercentis, profectò in ministerij nostri vituperium reddundare.

Clerici debent incedere ornati vestibus, dum tamen non ad iactantiam (vt ad præsens fit) quia à planta pedis, vsq; ad caput non est in eis sanitas ex luxu, & iactantia vestium sericarum varij coloris, vt similes stellioni appareant, & vti tales dissoluti, & fracti imcompositiq; corporis indicantes, qualitatem etiam incompositam mentis, vt alias dixit *Glos.vlt.in c.vlt.de custod. Euchar.* vbi *textus* sic dicit. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere; quæ dedecerent etiam in prophanis, & facit *Trid. sess. 14. c.6. de reform.* ibi; Oportet tamē Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant &c.

Mores, & vita clericorum exemplares esse debent, vt *in Clem. 2. post princip. de sepult.* dicitur, ibi. Cæterasq; personas, quas ordo clericalis includit, pacis tranquillitas vigeat, feruor charitatis exæstuet, inualescat concordiæ vnitas, animorum identitas perseueret. Nam, vt inquit *Trid. sess.12. c.1. de reform.* Nihil est, quod magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Et *sess.25. cap.14. de reform.* ibi, vt igitur ad eam, quam decet continentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ reuocentur, populusque hinc magis discat reuereri, quod illos vita honestiores cognouerit.

Si ergo vita, & moribus, ac habitu, clericus laici more procedat, & incedat, & verberatus fuerit, non ideo dicitur contemni argumento eius, quod de Domina dicitur more meretricio incedente, cui si quis fuerit iniuriatus non tenetur, vt de iniurijs *l. Item apud §.Si quis virginem*; ità ait *Glos. in l. Si ignorans 52. ff. locat. per tex.* ibi; Non enim

enim contemnit disciplinam, qui ignorauit militem.

Item tenentur clerici ad illam hospitalitatem, quæ continet officium pietatis non ad illam, quæ fit ex debito seruitutis vt inquit *Glos. ver. o, Hospitalitatem, in cap. 2. de supplend. neglig. prælat.* Nam clericorum res pauperum sunt, ex his quæ *Glosa verbo, Pauperum, in l. vlt §. vlt. ad fin. per tex.* ibi, Per incommodum Ecclesiæ egentium, & pauperum alantur expensis *C. de ijs, qui ad Eccles. confug. idem Glosa in cap. de monachis 12. de præb.* ibi, Hospitalitatem, ad quam Clerici tenentur &c. quia quicquid habent Clerici, pauperum est &c.

Sed hæc hospitalitas non est in vsu, quia, & si quamplurima bona habeant clerici, omnia dicunt opus habere nepotes, & propinquos, & sic talis hospitalitas exiliata est, vnde potest dici illud.

Cum factor rerum priuaret semine clerum
Ad Satanæ votum successit turba nepotum.

Quando autem in hospitium recepti fuerint, vel vocati ad agapem non oportet eos tollere partes propter iniuriam quæ ex hac occasione Ecclesiastico Ordini poterit deputari, vt inquit *cap. non oportet ministros Altaris, vel quoslibet clericos 42. dist.* Sed quid si non sibi, sed alicui propinquo partem tollat? Considera, & resolue, prout melius tibi videbitur, ego autem noui quendam alias bonum virum, & virtute præditum, qui semper inuitatus tollebat partem ad portandum propinquo, sed in hoc non eum laudabam.

Insuper inuitatus, seu hospitio receptus clericus vltrà tertiam vicem poculum non contingat, vt inquit *cap. Quando præsbyteri in fin. 44. dist.*

Clerici in iudicem non suum (nisi fortè sit persona Ecclesiastica, & Episcopi diœcesani voluntas accedat) consentire non possunt, præcipit *tex. in cap. significasti 18. de for. compet. & in cap. Qualiter 17. de iudic.* ibi. Ne pro defectu iustitiæ Clerici trahantur à laicis ad iudicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus, vbi *Glosa vlt.* sic. Immò, & si velint non possunt laicum suum iudicem constituere &c. etiam si de consensu Episcopi &c. Sed econuerso laici trahuntur ad forum Ecclesiasticum propter desidiam iudicis sæcularis.

Et si Episcopus esset negligens &c. sæcularis Iudex posteà procederet, sicut econuerso &c. sed contra videtur potius, quod sæcularis Iudex non possit supplere negligentiam Episcopi, sed per Papam tunc supplenda est illa negligentia, inquit *Glos. penult. in cap. verum quoniam 7. de for. comp.*

Et non solum inuiti Clerici, sed etiam voluntarij pacisci non possunt, vt sæcularia iudicia subeant, Cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui priuatorum pactio derogare non potest, vt *in cap. Si diligenti de for. compet.*

Clericus cum armis pugnare non debet, etiam contrà Sarracenos, vt dicit *glos. 2. in cap. suscepimus 10. de homic.* Et satis probatur ex *textu in fin.* ibi; Constat enim eos contrà mansuetudinem Ecclesiasticam &c. adeo, vt Clericus pro homicida habeatur, qui pugnantibus arma ministrat, si ibi fiant homicidia, vt ait *Glos. verbo, subministrant, in cap. ita 6. de iudic.*

Si verò clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti, si in continenti vim vi repellat. Cum vim vi repellere omnes leges, omniaque Iura permittant, inquit *cap. 3. de sent. excomm.*

Eodem

Digitized by Google

Eodem modo, si quis clericum percusserit; ipsum esse Clericum ignorauerit iuxtà *cap. 4. de sent. excommun.* vbi *glosa* sic; ità quod ignorantia probabilis fuerit, alias non excusabitur.

Si clerici inter puberes annos se adinuicem, aut vnus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat, inquit *cap. 1. de sent. excomm. & ibi Glosa verbo, Excusat*; ponit argumentum contra &c. & deindè dicit. Potest Episcopus absolutionis beneficium impertiri, cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus rigor sit mansuetudine temperandus, vt inquit *cap. vlt. eod. tit. de sent. excomm.*

Nota Clericos se debere opponere pro iuribus Ecclesiæ defendendis, inquit *Glos. verbo, Opponunt, in cap. Generali 15. de elect. lib. 6. per tex.* ibi; Illos verò Clericos qui se, vt deberent, talia facientibus non opponunt, & additio ad dictam glosam, sic. Et si vacant milites ad defendendum etiam mors indè proueniens eis non imputatur. Nam genus clericorum audax debet esse cum defendatur lege Dei, quæ dicit. Nolite tangere Christos meos, idest Sacerdotes, vnde securi sunt, vt inquit *Glos. verbo, degeneri in Auth. de non alienan. in princ. coll. 2.* Non tamen intelligas de audacia in malam partem, sed in bonam, vt nihil timeat iuxtà *Aristot. supra in verbo, Audacia*, relatum, & iuxtà illud, Ne timeas à facie eorum quia ego tecum sum, dicit Dominus Huic tamen resolutioni obstat dictum Sancti Thomæ Cantuareñ *Episcopi* ità suos exhortantis. Non est Dei Ecclesia custodienda more castrorum.

Clericis etiam prohibetur ludus, vt *in Auth. Interdicimus C. de Episc. & cler. Interdicimus (ait tex.) Sanctisis Episcopis, & præsbyteris &c. ad tabulas ludere vbi Glos. ad tabulas* sic. Sed quid ad scacos? Responde fortè secus, quia in ingenio naturalis consistit, nec committitur viribus fortunæ.

Alias erit in culpa maximè, si cum laico luderit, vt inquit *Glosa in cap. Continebatur 8. de homicid.* ibi; In hoc similiter fuit Clericus in culpa, quod ludum miscuit cum laico &c Cum ludus perniciosus non debeat esse impunitus.

Clerici pauperes debent ab Ecclesia sustentari. *Cap. quoniam vers. Clericos 16. quæst. 1.* ibi; Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, quibus parentum, & amicorum nulla suffragantur stipendia. Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & eadem fermè verba *ex Hieronymo ad Damasum* relata inuenies, *in cap. Clericos 1. quæstione 1.*

Et Iudicium sibi manducant, & bibunt, qui de suo habent, & alienum recipiunt, dixit *Glos. penult. de clericis diuitibus*, qui beneficia ambiunt, & recipiunt *in cap. pro illorum 22. de præb.*

Pauperem verò Clericum sibi beneficiunt imperrare, non est ambitiosum, ait *Glosa verbo, Distinctio, propè fin. in cap. vlt. de concess. præb. lib. 6.*

Item nota, quod clericus, qui habet beneficium ab Ecclesia ab onere sibi iniuncto se excusare non debet, cum, & ipsa loco pupillæ sit, vt ait *Glosa verbo, Administrauerunt in l. Libertos 5. Codice de excusat. tutor.* Et contrà Clericos, qui non deséruiunt in diuinis, quod tamquam indigni teneantur ad restitutionem omnium fructuum est

est *Glos. verbo officium in l. 1. C. de ijs quib. vt indig. vbi tex.* dicit hæreditatem auferri ab eo, qui omisit vendicare necem defuncti. & illam tenetur restituere cum fructibus etiam ante litem motam perceptis.

Clericatus non eximit filium à patria potestate, vt dixit *Glos. in casus positione ad fin. in cap. 3. de iudic.* ibi. Nota vlterius illud, ad quod allegatur iste textus. Quod clericus etiam sacerdos, & beneficiatus non liberatur à patria potestate: Nam nos non legimus, quod clericatus sit modus tollendi patriam potestatem, legimus tamen de dignitate Episcopali.

Clerici dicuntur milites Cælestis militiæ. & quod dicitur de milite terrestris militiæ, idem in Clerico, ait *Glos 2. in l. Miles 6. ff. de iudic. vbi tex. inquit* sic. Miles, qui sub armata militia stipendium meruerit condemnatus, eatenus, quatenus facere potest, cogitur soluere, vbi prædicta *Glosa* sic. Quid in milite cælestis militiæ? Respondeo idem multo magis &c. cum per eum summi numinis veniam speremus idem dicit *Glos. in addit. verbo, Potuerit, in l. 2. C. de donat. inter vir.* ibi; Idem in clerico, quod hic de milite dicitur, quod sequitur *Bart.* hic vt &c. & addit idem in aduocato, quia hi tres scilicet clericus, aduocatus, & miles armatæ militiæ æquiparantur. Et sic clericus non torquetur, sicut miles, & Doctor, vt habes in verbo, *Miles*.

Tribus casibus relinquitur Clericus Curiæ seculari statim post depositionem in crimine hæresis &c. Item in crimine falsi &c. Et alio cum propter calumniam, vel contumeliam, quam contulit Episcopo suo aliquis est depositus &c. Alias autem, licet Clericus sit depositus, non traditur statim Curiæ sæculari, immo adhuc tenetur viuere clericaliter, & Ecclesia eum tuebitur. Et gaudet priuilegio clericali, vt inquit *Glosa verbo, relinquatur in cap. ad abolendam 9. de hæretic.*

Coactio.

Licet coacte, & fuit hæres: quia coacta voluntas est voluntas dixit *Glos. in l. Apud Iulianum 11. ff. ad Trebel. per tex ibi adijt enim.*

Nota, quod coactio Magistratus excusat, dixit *Glos. verbo, Excusatus, per tex. in l. Nouissime 7. ff. quod fals. tut.* ibi? Quid enim si compulsus, aut metuens, ne compelleretur, authoritatem accommodauerit, non ne debebit esse excusatus? Et prædicta *Glosa* respondit, ibi; Tamen restitutio facienda erit, si à prætore compulsus est, ad iudicium accipiendum.

Iudex verò ipse se cogere non poterit: quia triplici officio fungi non potest, suspectum dicentis, Et coacti, & cogentis &c. inquit *l. Ille à quo 13. §. tempestiuum ff. eod. tit. ad Trebel.*

Si quis filius familias sit, & magistratum gerat patrem suum, in cuius est potestate, cogere potest suspectam dicentem hæreditatem adire, & restituere ait *d. l. Ille à quo in §. vlt. ff. ad Trebel.*

Etiam ex tempore præsumitur aliquam non esse coactam dixit *glosa verbo, Ex tempore, in cap. Si quis 33 quæst. 1. per tex. in cap. Ad id de spons. & cap. Constat. 1. quæst. 1.*

Cocus.

Nomen officij cum erat vsitatorum ciborum cocus, secus si subtilia præparet cibaria, inquit *glos. verbo, Cocus, in l. legatis 63. § 1. ff. de leg 1. vbi Apostilla* sic. Ampliabis hanc *glos.* vt cocus, qui delicata cibaria præparat, & officium habeat, & artificium

ficium secundum *Ioann. Andr. in cap. 1. de sagitta &c.* Sed aduerte, quod fallit hoc in coco Imperatoris, vel Papæ, qui habet dignitatem per *Bald. in c. 1. Quis dicat mar. in vsib. feud.*

Cogitatum.

PLanè si in tantum pretium excessisse proponas, vt non sit cogitatum à venditore de tanta summa, &c. qui minimo pretio venijt, iniquum videtur in magnam quantitatem obligari venditorem. ità ait *l. Titius 44. in fin. ff. de act. empt. & l. seq.* sic. Cum & forte idem mediocrum facultatum sit; non vltrà duplum periculum subire eum oporteat.

Item nota hic, quod dicit cogitatum, non docetur, idest de quibus docetur non cogitatum. Docetur autem eo ipso quod non probatur contrarium; ità dicit *Glos. pen. in l. Qui cum 9. §. vlt. ff. de transact. per tex. in l. Dotis §. fin. ff. de iur. dot.*

Cognitio

NOta de summaria cognitione eam habere locum in actione ad exhibendum. Item in eo, qui negatur filius, vel pater, cum de alendis eis agitur, vt infrà *de liber. agnos. l. Si quis §. Si vel parens*. Item in possessione Carboniana danda, qua summatim quæritur, sit filius, vel non, vt infrà *de Carbonian. edict. l. 3. §. causa in fin.* Item in ea, quæ se petit nomine ventris mitti in possessionem fuerit vxor, nurus, vel non, vt infrà *de ventr. in possess. mitt. l. 3. §. Si ea*. Item in cautione pro legato dando præstanda, an calumniosè legatarius petat, vt infrà, vt *in possess. legat. l. Si is à quo §. 1.* Item in cautione duplæ sit præstanda, vel non vt infrà *de prætor. stipul. l. 1. §. fin.* Item res, in qua sit executio, sit de bonis condemnati, cum inde inferatur quæstio, vt infrà *de re iudic. l. à Diuo Pio §. Si super rebus*. Item, an sit in possessionem mittendus actor post litem contestatam, vt *C. vbi in rem act. l. 2. in fin.* Item actio de testamento causæ liberali sit præponenda, vt suprà *pet. hæred. l. Si quis §. Planè*. Item & infrà *de appell. recip. l. 1.* Item *l. Aquilia*, vt suprà *ad l. Aquil. l. in lege*. Regulariter autem contra. Quia semper plenariè est cognoscendum vt *C. de iudic. l. Iudices*. Hæc omnia ita ponit *Glos. verbo, Summatim, in l. 3. §. Sciendum ff. ad exhiben.*

Collatio.

TOties collationi locus est, quoties aliquo incommodo affectus est, is, qui in potestate est interuentu emancipati, ità dicit *l. 1. §. Pater ff. de collat. bon.*

Præmatura est enim hæc species collationis, cum adhuc viuat is, de cuius bonis quarta debetur, ait *l. 1. §. Si Impuberi ff. de collat. bon.*

Vir autem bonus non sit arbitraturus conferendum id, quod nec habet, nec dolo, nec culpa desijt habere *l. 2. ff. eod. tit. de coll. bon. vbi Glos. verbo, Culpa* sic, Sed quæ culpa præstabitur? puta leuis.

Collecta.

NOta villas, & Castra sub Ciuitate facere collectas, vt hic &c. ità *glos. verbo, Persoluit in Auth. quib. mod. natur. effic. sui §. Si quis igitur coll. 7. per tex.* ibi Sub qua Ciuitate villa, aut vicus tributa persoluit.

Sed quid, si nihil habent commune. quid faciet

faciet Creditor? Responde compellentur facere collectam, vt aliquid habeant commune, sic dixit *Glos. verbo, Proconsul in l. 1. §. Quod si nemo ff. quod cuius vniuers.*

Et nota æqualiter pauperes, & diuites secundum quãtitatem patrimonij pati collectas, non secundum munus personarum, inquit *glos. verbo, Inopes, in l. 1. C. de apoch. publ. lib.* 10.

Eum, quem cæcitas sua grauat inhumanum est nimis in collectis affligere, cui d ebuerat ex collectis, si esset necessitas misereri. Ita inquit *cap. licet 4. de censib.*

Collegium.

DVO faciunt Congregationem, vt hic, tres Collegium &c. retinetur tamen Ius Collegij in vno &c. Et decem homines faciunt populum &c. Et plures, quàm decem, vel quindecim turbam &c. & quatuor, vel quinque porci, & decem oues faciunt gregem ità *glos. in c.* 1. *de elect.* & habes etiam verbo, *Homo*.

Nemo potest esse in duobus Collegijs simul, vt inquit *Glos. verbo, maluerit in cap. Præterea 14. de preb.*

Facta quidem, quæ singulorum sunt personam veram exigunt, & requiruot: Ordo autem vera persona non est, sed repræsentata, & imaginaria potius est censenda. Quare, quæ sunt facti, sibi verè conuenire nequeunt, licet ei possit congruere, quæ sunt Iuris, ità ait *Extrauag. vlt. ad medium de verbor. signific.*

Vnde, quod Collegio datur, nemini datur &c. & nullus suo nomine, inde capit emolumentum dicit *Glosa verbo, Tenebat, in cap. Cum venissent 9. de restit. spoliat.*

Sine consensu Prælati Collegium, nec conuenit, nec conuenitur &c. Et prælatus sine assensu Capituli conuenire, vel conueniri non potest, *glos. in cap. Causam, qua 9. de iud.* Et *in cap. Edoceri 25. de rescript. verbo, Debeant*, sic dicit. Dico tamen, quod nullum Collegium conuenit, nec conuenitur sine authoritate prælati, & è conuerso prælatus sine authoritate Capituli, nec conuenit, nec conuenitur, sed per Syndicum actorem, vel procuratorem ab ipso prælato de consensu Capituli constitutum, & hoc, cum negotium principaliter tangit prælatum infra *de procur. cap.* 1. Et si negotium principaliter tangit Capitulum ab ipso Capitulo constituatur de authoritate prælati &c. Et hæc locum habent, quando negotia Capituli, & prælati sunt discreta: Si verò sint communia prælatus de consensu Capituli constitu t Syndicum, & *Glos. vlt. ibidem sic.* Et licet sint omnino discreta, tamen nec prælatus sine Capitulo, nec Capitulum sine prælati consensu hæc facere possunt: Sed quid si lis oriatur inter Capitulum, & prælatum? vide verbo, *Lis*.

Collegio, quod non dum est, non datur priuilegium inquit, *Glos. verbo, ad futuras, in cap. vlt. de rescript.*

Commendare.

ALiud est personam commendare, aliud voluntatem suam fidei committentis hæredibus insinuare, ait *l. fideicommissa 11. ff. de legat.* 3.

Nihil facias commendandi tui causa, quod minor alius fiat, nec si quid boni operis habeas id ad deformationem alterius, & vituperationem exerceas ex *Ambros. in lib. de offit. refertur in cap. Si quis verò non obediat 11. q. 3.*

Quod venditor, vt commendet, dicit: Sic habendum est, quasi, nec dictum, nec promissum sit, dixit *Vlpian. in l. 38. ff. de dol.*

Non

Non obligabitur mandati, quia commendandi magis hominis, quàm mandandi causa scripta est, inquit *l. Si verò 12. §. Cum quidam ff. mandat.* Tamen si cum scires eum facultatibus labi lucri tui gratia affirmasti mihi idoneum esse, meritò aduersus te cum mei decipiendi gratia alium falso laudasti de dolo iudicium dandum est, scripsit *Caius in l. 8 ff. de dol.*

Planè si affirmauerit mihi rectè me credere operarijs suis non institutoria, sed ex locato tenebitur ait *l. Quicunq; in fin. ff. de instit. act. & ibi Apostil.* sic. Iste est tex. optimus, & notabilis, & semper mente tenendus secundum *Bald.* hìc, & facit ad materiam litterarum credentiæ, de quo per *Bart. & Bald. hic; Bart. plenè l. Lucius ff. de fideiuss.*

Nec essem daturus &c. accipienti, accesserit, qui diceret non accipere contrà Senatus consultum, & periculo meo dicat, crede, vel bene credis arbitror locum esse mandato, & mandati eum teneri dicitur *in d. l. Si verò 12. §. Si quis mandauerit ff. mandat. & l. In causa 14. § in summa ff. de minor.* ità dicit. *Iureconsultus*. Facilius in mandatore dicendum erit non debere subueniri ei. Hic enim, velut affirmator fuit. & suasor, vt cum minore contraheretur.

Commodatum.

SIcut autem voluntatis, & officij magis, quàm necessitatis est commodare, ità modum commodati, finemq; præscribere eius est, qui beneficium tribuit. Cum autem id fecit, idest postquam commodauit, tunc finem præscribere, & retro agere, ac intempestiue vsum commodatæ rei auferre, non officium tantum impedit, sed & suscepta est obligatio inter dantem, accipientemque. Geritur enim negotium inuicem, & ideo præpositæ sunt inuicem actiones, vt appareat, quod in principio beneficij, ac nudæ voluntatis fuerat, conuerti in mutuas præstationes &c. ità dcit *l. in commodato 17. §. Sicut ff commodat. cum qua concordat cap. vnicum eod. tit.*

In commodato talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus pater familias suis rebus adhibet, ità vt eos casus non præstet quibus resisti non potest, ait *l. In rebus ff. commodati & addit l. Ad eos, in fin. eod. tit.* sic. Qua enim cura, & diligentia consequi possumus, ne quis damnum nobis iniuria det? Et respondet ibi *Glosa ita; Nulla &c.*

Sed & si dum refertur perijt, si quidem ego mandaueram, per quem remitteret periculum meum erit. Si vero ipse, cui voluit commisit æque mihi culpam præstabit, si sua causa accepit; qui non tàm idoneum hominem elegit, vt rectè id perferri posset, ità inquit *l. cum qui 10. §. vlt. cum l. Sequenti ff. commodat.*

Sed si tam idoneo seruo meo tradidissem ad te perferendum, vt non debuerit, quis existimare futurum, vt a quibusdam malis hominibus deciperetur tuum non meum detrimentum erit, si id mali homines intercepissent, ità est optimus *tex. in l. argentum ff. commodat.*

Commodum.

AD priuatum commodum trahi non debent, quæ ad communem vtilitatem præfixa sunt, inquit *Glos. verbo, nituntur, in cap. 2. de supplen. negl. prał. & deduxit ex cap. Quæ ad perpetuum 25. q. 1.* ibi; Nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa.

Et

Et adhuc hoc verum est, vt in rebus suis dicat Imperator *in l. vnica §. vlt. C. de cad. tol.* Sed quod communiter omnibus prodest hoc rei priuatæ nostræ vtilitatis præferendum esse censemus: Nostrum esse proprium subiectorum commodum, imperialiter existimantes. O si omnes principes ità fecissent!

Neminem diuini timoris contemnendo Ius iurandum arbitramur immemorem, vt saluti propriæ commodum anteponat, inquit *Imperator in l. vlt. C. ad l. Iul. pecul.*

Idem dicendum est in causa honoris proprij, quæ præferri debet omni commodo, vt dicit *tex. in l. Miles 12. §. socer ff. ad l. Iul. de adult*, ibi. Quare non inique repellitur, qui commodum dotis, vindictæ domus suę præponere non erubuit.

Non debent plura commoda in vnum concurrere alijs neglectis, vt *in l. hac parte 16. C. de prox. sacr. scrin. lib. 12.* ibi. Vt non occupentur plura in vnum se commoda collaturi, nihilque reliquis relicturi. Sed ò tempora, ò mores! Plura commoda, & officia, ex quibus commoda proueniunt videmus in vnum concurrere, qui & vnius incapax est, multosque capaces plurimis, & vno carere.

Commodum cum incommodo compensari debet, vt optimè inquit *l. 1. §. vlt. ff. de aqua pluu. arcen.* ibi; Atque hoc incommodum naturaliter pati inferiorem agrum à superiore, compensareque debere cum alio incommodo. Sicut enim omnis pinguedo terræ ad eum decurrit, ità etiam aquæ incommodum ad eum defluere.

Quia absurdum est commoda hæreditatis habere, alium onera sustinere in præstando legato, *l. is qui 15. §. vlt. ff. de præst. legat.* Et sic, qui alieno periculo adierit hæreditatem, meritò omni commodo arcebitur, vt dicitur *in l. Quia poterat 4. ff. ad Trebel.*

Commodorum commoda, & vsuræ vsurarum non debent incrementum facere, dixit *l. 2. ff. de administr. rer. ad ciu. pert.*

Nota ratione incommoditatis id permitti, quod alias non permitteretur &c. Item causa incommoditatis alienantur res Ecclesiæ, vt inquit *Glos. verbo, Commodè in cap. vlt. de sepult. lib. 6.*

Ratione commoditatis etiam permittitur, quod non permitteretur, vt *in l. 3. C. de fer.* vbi causa vrgente potest agricultura exerceri etiam die festo ibi; Ne occasione momenti pereat commoditas cælesti prouisione concessa.

Non debet, quis damnum sentire priusquam commodum maximè, si sit ignorans, vt inquit *tex. in l. vlt. C. si pendente appellatione* ibi; Ne ignorantes &c. priusquam aliquod commodum sentiant damnis affici compellantur.

Compensatio.

FIT de quantitate ad quantitatem, sed non ad speciem, vt supra *de cond. indeb. l. Si non sortem §. fin.* ità dicit *Glos. verbo, loco, in l. Si conuenerit ff. de pignor. act. & Glos. in l. Qui inuicem 30. ff. de condic. indeb. sic in verbo, non habet.* Et cum vna ex parte species debetur, ex alia quantitas: Item in frumento, vino, vel oleo publico. Item in vectigalibus, tributis, & alimentis fideicommissis, vel pecunia, quæ statutis sumptibus seruit &c. Sed idem videtur in omnibus, vbi non fit compensatio ipso Iure. Si autem ipso iure fiat compensatio, vt de negligentia ad negligentiam aliud est.

Qui compensat petit *l. Amplius 15. ff. rem rat. hab.* ibi. Nam & si quis aduersus petentem compensatione, deductione ve vsus sit rectè dicendum est petijsse eum videri.

Qui

Qui compensat, soluit, vt *in l. 4. ff. qui potiores in pig.* ibi. Nec enim interest soluerit, an pensauerit, & *Glos. verb. condemnandus in l. si semel 27. ff. de peçul.* ibi; Quia & hoc præstitit interpretatione, admissa hinc inde compensatione.

Non compensatur diligentia in acquirendo cum negligentia in damnificando, vt inquit *l. Non ob 25. ff. pro soc.* ibi; Non ob eam rem minus ad periculum socij pertinet, quod negligentia eius perijsset, quod in plerisque alijs industria eius societas aucta fuisset; & *l. Sequen. 26.* Sic. Et ideo, si socius quædam negligenter in societate egisset, in plerisque autem societatem auxisset, non compensatur compendium cum negligentia.

Non admittitur lucrum in compensatione damni turpiter dati, est *tex. optimus in cap. 5. de conuers. infidel.* Qui loquens de vxore machinante mortem viro suo cum Sarraceno, cui posteà iam conuerso nubere vult, ità dicit. Cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.

In quibus compensatio locum non habet, si quis soluit, non habet condictionem, dicit *l. Qui inuicem 30. ff. de condict. indeb. & ibi Glos. verbo, Non habet*, sic, vt in deposito, vt *C. de compens. l. fin.*

Doli ad culpam non est bona compensatio, vt &c. Quamuis culpa cum culpa, dolus cum dolo compensetur. Vt inquit *Glos. in l. 1. ff. de eo, per quem factum erit, & in l. 3. §. penult. verbo, Dolo, eod. tit.* sic. Nota dolum dolo compensari, vt &c item delictum cum delicto vt &c. Item negligentiam cum negligentia &c. Item pœna cum pœna &c.

Vbi Iudex non admittit compensationem, post sententiam, potest opponi, sed si expressè eam reprobat, posteà non potest opponi, vt inquit *Glos. verbi Reprobasse, in cap. suborta 21. de re iud.* Satis enim miserabile est post multa forte, variaque certamina cum res fuerit approbata, tunc ex altera parte, quæ iam penè conuicta est opponi compensationem iam certo, & indubitato debito, & moratorijs ambagibus spem condemnationis excludi. Hoc itaque Iudices obseruent, & non procliuiores ad admittendas compensationes existant: Nec molli animo eas suscipiant: Sed iure stricto vtentes, si inuenerint eas maiorem, & ampliorem exposcere indaginem, eas quidem alij iudicio reseruent. Litem autem pristinam iam penè expeditam sententia terminali componant, inquit *Imperator in l. vlt. C. de compens.*

Sed nunquid excommunicatus potest compensare? Dico, quod non: Quia, qui compensat quodammodo agit; Sed si ageret repelleretur per exceptionem ergo &c. ità ait *Glos. penult. in cap. Cum inter 5. de except.*

Eius quantitatis, cuius petitionem ratio compensationis excludit vsuras non posse reposci, manifestum est, ait *l. 7. C. de solut.*

Compositio.

Multiplex est. Est enim propriè compositio partis ad partes, vt in rebus corporalibus. Item est compositio proprietatis ad subiectum, vt rationabilitas in anima. Item formæ ad substantiam, & substantiæ ad formam, & nulla istarum compositionum cadit in Deum, & ideo dicitur simplex omnino, idest in quolibet sensu compositionis. Et pene quasi simile in anima; cuius substantia simplex est, & tamen tria reperiuntur in anima &c. ità ponit *Glos. verbo, Simplex, in cap. 1. de Summ. Trin.*

Commune.

MAgis sollicitus est vnusquisque ad procurandum aliquid, quod sibi soli competit, quàm id, quod est commune omnium, vel multorum, inquit *Diu. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 2. & idem* sic. Ordinatius res humanæ tractantur, si singulis immineat propria cura alicuius rei procurandæ; esset enim confusio, si quilibet quamlibet procuraret.

Naturale quippe vitium est negligi, quod communiter possidetur, vtque se nihil habere, qui non totum habeat arbitretur, denique suam quoque partem corrumpi patitur, dum inuidet alienæ, inquit *Imperator in l. 2. C. quando & quib. quar. pars li. 10. & glos. Verbo, in communi, in Extrauag. vlt. de verbor. signific.* ibi. Et in illis naturaliter vitio euenit, negligi, quod communiter possidetur.

Quis quis id, quod tu omnibus ad fruendum proponis sibi propriè vindicat, & suum vult esse, quod omnium est, à communi propellitur ad sua, inquit *Augustin. lib. 12. confess. cap. 25. §. 2.*

Nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa, dicitur *in cap. Quæ ad perpetuam 25. qu. 1.*

Omnes, qui eiusdem sunt corporis, vnius etiam debent esse voluntatis, & sicut fratres adinuicem vinculo charitatis adstringi *Clem. vnica §. Non nulli de excess. prœl.*

Ratione communionis priuilegium Ecclesiæ transit ad laicum ad instar eius, qui commune habet rem cum pupillo &c. ità, quod per Ecclesiam consequitur, quod per se consequi non posset, ità inquit *Glos. vlt. in cap. vnico §. vlt. de iur. patron. lib. 6.*

Nota; quod commune est; meum est, dixit *Glos. in l. Illud. 46. per tex.* ibi. Quia libertam eius esse negari non potest, licet alterius quoque sit liberta *ff. de rit. nupt. & Glosa per textum ibi in l. Serui electione verbo, Communis ff. de legat. 1.* ibi; Quod Commune est meum dicere possum, & *in l. Cætera 43. §. Item quæritur verbo, vtriusque eodem tit. de legat. 1.* ibi. Et nota dici Dominum, qui est Dominus partis, & probat *tex. in l. Si plures sint Domini 41. ff. de religios. & sumpt. funer.* ibi: Nam ex ipsis Dominis, quemlibet rectè ibi sepelliri constat etiam sine cæterorum consensu.

Contrarium tamen regulariter statuitur *in l. 18. ff. comm. diuid.* vbi hæc *Sabinus* ait, In re communi neminem Dominorum iure facere quicquam inuito altero posse; vnde manifestum est prohibendi Ius esse. In re enim pari potiorem esse causam prohibentis constat, quam regulam ibi limitat *Glos.* quinque modis.

Et addit idem *tex.* Sed & si in re communi socius à socio nequid faciat, potest, vt tamen factum opus tollat, cogi non potest, si cum prohibere poterat hoc prætermisit.

Et Glos. verbo, Eosdem, in cap. Cum aliquibus 4. de rescript. lib. 6. ità dicit; Et de communi nullus rectè dicit hoc est meum, quasi per hoc innui videatur, quod commune non sit proprium, sed hoc verum de illo quod commune est pluribus, vt vniuersis, sed commune pluribus, vt singulis singulorum dici potest, ità conciliauit *Glosa verbo, In communi, in Extrauag. Cum inter de verbor. sig.*

Commune, quod est, solet discordias excitare, vt inquit *tex. in l. Cum pater 79. §. Dulcissimis ff de legat. 2.* ibi; Cum discordijs propinquorũ sedandis prof-

prospexerit, quas materia communionis solet excitare. Et *in l. 3. C. de Iur. domin. impetr.* ibi: Ne ex communione fiat aliqua difficultas, vbi *Glos.* sic. Communio enim mater est discordiæ. Vnde dixit *Imperator in l. Sancimus 34. §. Ne autem C. de donat.* hæc. Ne autem communione inducta donatori, & ei qui liberalitatem suscepit aliqua oriatur contentio, electionem damus ei, qui ampliorem summam in re donata habuerit, reliquam æstimationis quantitatem offerre ei, qui minorem causam habuit, & totum possidere.

Itaque propter immensas contentiones plerumque res ad diuisionem peruenit, *l. In re 25. ff. de seruit. vrban.* Nemo enim inuitus compellitur ad communionem, vt inquit *l. Si non sortem §. Si centum ff. de condic. indeb. vbi Glosa* inquit. Et hoc non fallit, nisi propter impossibilitatem; Nam, & alias detinetur, quis inuitus in communione vt &c. Inquit *Glos. verbo, Coharedi in l. 1. ff. famil. hercisc.*

Sed propter vtilitatem, & difficilem discretionem est receptum, vt condicat rem communem in solidum pro dimidia parte, inquit *Glos. vlt. in l. Nam & si 13. §. vlt. ff. si cert. petat.*

Aequissimum est commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consequuti sunt, vt merces suas saluas haberent, ait *l. 2. ff. ad l. Rhod. de iact. & ibi Apostil.* sic. Iste textus est menti tenendus secundum *Bald.* hic, prò quo concordat, & facit *tex. in l. 1. supra eodem*. Et faciunt optimè in argumentum, vt domus vicini destructa ne ignis alterius extenderetur, reparetur communiter, & *Glos. vlt,* sic notat. Quod si quid pro communi vtilitate, seu alterius damni patior, quod mihi est restitutio facienda.

Et eo magis, quod si quando ea deficerent in nauigatione, quod quisque haberet in commune conferret, inquit *prædicta l. 2. §. Cum in eadem in fin. ad l. Rhod. vbi Glosa verbo, Conferret,* ita dicit. Ad comedendum ex consuetudine fortè etiam cogi posset ex hac l. Et sic forte illud diuinum intelligitur, omnia sunt communia, idest communicanda tempore necessitatis, & in *Apostil. ibidem* ità dicitur. Nota secundum *Bald.* Quod si tempore caristiæ aliquis est furatus panem causa comedendi non est culpandus de furto, concordat *textu in cap. Si quis propter necessitatem de furt. cap. Discipulos de consecr. distinct. 5. &c.*

An obligari communia possunt quæritur? Et non puto sine decreto obliganda: Nam quod excipit oratio ad hoc tamen pertinet, vt perimatur communio, non vt augeatur difficultas communionis, inquit *l. Qui nec in fin. ff. de reb. cor.*

Concessio.

SOlius vsus concessionem non dominij translationem notare videtur &c. Nam verbum concedo est generale, & accipitur secundum naturam contractus, cui adijcitur, inquit *Glosa verbo, Titulo, in cap. 1. de vsur. lib. 6.*

In generali concessione nequaquam illa veniunt, quæ non esset, quis verosimiliter concessurus, nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa, ità dicit *cap. vlt. de offic. vic. lib. 6. & cap. penult. §. vltimo de pænit. & remiss. eod. lib.*

Tacitè tamen videntur concedi ea, sine quibus expressim' concessum non potest exerceri, *Glos. verbo, Quominus, in l. Veteres ff. de itin. actuque priu. &*

in l. 1. verbo, nihil egit. C. Si à non compet. iudic. Et probat *l. 1. §. 1. ff. si vsufruct. pet.* ibi. Adminiculis eget, sine quibus vti frui quis non potest, &c. Et ibi puto eis solas præstare compellendum, quibus omninò vti non potest.

Eodem modo, cui aliquid conceditur, & ea, quæ ex eo sequuntur concedi videntur, vt inquit *Glos. in l. Cuicumq; §. penult. ff. de instit. act. per tex.* ibi; Institutoria competit; eius enim rei sequela est.

Qua ratione vnum alicui conceditur, & omnia, quæ sunt eiusdem censuræ sunt concedenda, vt dicit *Glosa verbo, legitima, in cap. Cum inter 5. de except.*

Hic potest notari, quod ratione adiuncti præsumitur quid ademptum, nisi probetur concessum, ità inquit *Glos. verbo, Ratam habere, in cap. vnico qui success. feu. dar.*

Infuriosi quoq; curatorem dicimus dandam esse de peculio actionem; Nam & huius seruus peculium habere potest, non si fuerit concessum, vt habeat, sed si non fuerit prohibitum, ne habeat, inquit *l. 3. §. Parui ff. de peeul.*

Ex quo enim Capitulum nihil excipit in illa potestate omnia intelliguntur concessa, per quæ perueniuntur ad illud, & quicquid possint ipsi facere, inquit *Glos. verbo, Postulatio, in cap in causis 30. de elect.*

Nonnunquam intelligitur prohibitum, quod non inuenitur concessum, inquit *cap. 2. de translat. Episc.* vbi videas *Glosa* Quomoodo hoc procedat, & argumentum à contrario, scilicet, omnia concessa intelliguntur, quæ non sunt expressè prohibita.

Nota ergò ex hac lege argumentum, quod aliquid conceditur secundariò, quod principaliter non conceditur; nam principaliter seruus non est testis, vt &c. in defectū tamen siue secundario est, vt hic ait *Glos. vlt. in l. Cum probatio 7. ff. de probat.*

Per importunitatem nimiam, per quam non concedenda multoties conceduntur, dicit *tex. in cap. 2. de conceß. preb. lib. 6. & Glos. 1. in cap. tua 20. de preb.* dicit, quod etiam Imperator ait; Et per importunitatem non concedenda sæpe concedimus.

Cuius prohibetur petitio eiusdem facta concesɔio non valet &c. nisi ex certa scientia dicendo. Non obstante hac lege. *Glos. verbo, relinquatur, in l. 1. C. de petit. bon subla. lib. 10.*

Ne per vnam viam concedatur ijsdem iudicibus, quod per aliam denegatur, inquit *Pontifex in cap. vnico de cleric. coniug. lib. 6.* Et tamen dixit *Glos. in rubric. C. quæ sit longa consuetud.* ità sic conceditur aliquid per obliquum, quod directo non conceditur. Et casus, de quo loquitur dicta *Glosa* est, quod licet directo non iudicetur exemplis, (vt dicitur *in l. Nemo Iudex C. de sent. & interloc.*) iudicatur tamen ex consuetudine, quæ exemplis probatur.

Quod iure communi conceditur, precibus non debet impetrari, deducitur *ex l. 2. C. quib. non obst. long. temp. præscrip.* ibi; Non necessario autem petis ex longi temporis diuturnitate, præscriptionem tibi non opponi, quando iustæ absentiæ ratio, & necessitatis publicæ obsequium ab huiusmodi præiudicio te defendat.

Concesɔionem (quæ specialem gratiam continet) decet esse mansuram, nec expirat etiam re integra per obitum concedentis, inquit *cap. Si cui nulla 36. de preb. lib. 6.*

Denique dicitur *in cap. 1. ad medium 16. q. 2.* Si in dando, quod maius est, facilis fuit charitas: sit facilior in concedendo, quod minus est sancta largitas.

Con-

Concilium.

Differt à iudicio, cum hoc inter consentientes, iudicium non, sed in innitum, vt &c.ait *Glos.verbo,Concilium, in l. 1. C. vindict. libert. toll.*

Cum maius sit Prouinciale Concilium, quàm singularis prælati Prouinciæ; inquit *Clem.1. de sent. excommun.* Dicitur autem Concilium Prouinciale, quia repræsentat Ecclesiam prouinciç, & ideo Episcopi eius prouinciæ in eo interesse debent, vt 48. *dist. per tot. dicitur*; & illud facit Archiepiscopus vocando omnes Episcopos illius Prouinciæ. Concilium verò generale facit Papa,nec sine eo celebrari potest, vt *in cap.1.*ibi; Authoritas verò aggregandorum Conciliorum penes Apostolicam Sedem est. Et *cap.Multis ibi; non debere absque sententia Rom. Pont. Concilia celebrari 17 dist.* Celebrabitur tamen, quando duo inter se contendunt de Papatu, vt disponitur *in cap.si duo 79. dist.*

Concilia generalia non sunt supra Papam, immò in omnibus intelligitur excepta authoritas Papæ, vt *in cap.Significasti 4. de elect.* ibi; Cum omnia concilia per Rom. Ecclesiæ authoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas. Nisi in concernentibus fidem, vt *in cap. Anastasius, & seq. 19. dist.* & ibi notat *Glosa verbo, Concilio*, sic. Vbi de fide agitur, & tunc Synodus maior est Papa &c.

Concubina.

Dicitur, Si vnica, & domi retenta fuerit, *in Auth. de trient. & sem §. Consideremus vers.* Et hæc dicimus, si vni concubinæ cohabitauerit *coll. 3. & Glosa verbo, Connubium, in l. 1. ff. de concub.*ibi; Quando non habet aliam. Ob hoc retinent quidam concubinas, vt experiantur, an ex eis possint filios habere, vt posteà accipiant eas in vxores, vel repellant, quod scilicet, vt repellantur in vxore prohibitum est, *Glos. verbo, Prætiterunt, in §.Quibus de hared.qua abint. defe.in Instit.&* ibi; Additio sic. Nota cautelam Glosæ, quæ vult habere filios, sed dicta cautela non est bona, quo ad animam, quia omnis fornicatio est prohibita, & eo maximè, quando est concubinaria, cum denotet obstinationem in peccato.

Concubinæ non potest donare miles, vt inquit *l.2.C.de donat. inter vir.& vxor.* ibi; Milites tamen meos à focarijs suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo; Quem tex.ampliant Doctores in clerico, qui miles dicitur cælestis militiæ, in Doctore, & aduocato, sed de Doctoribus non ago, ideo non refero magnam illorum caternam.

Condemnare.

Condemnatum accipere debemus eum, qui rite condemnatus est, vt sententia valeat. Cæterum, si aliqua ratione sententia nullius momenti sit, dicendum est condemnatio nis verbum non tenere, ità ait *l. 4. §. Condemnatum ff. de re iudic. Et in l. 2. §. Constat ff.de pan.* sic. Eum accipimus damnatum, qui non prouocauit: Cæterum si prouocauit, non dum damnatus videtur.

Neque enim inaudita parte quenquam damnari æquitatis ratio patitur, ait *l. 1. ff. de requir. re.* Et de se idem dixit *Pontifex in cap.1. de caus. poss. & prop.* ibi. Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.

Tamen sunt multi, qui indiscussos potestate

tate tyrannica, non authoritate Canonica damnant. Et ficut non nullos gratiæ fauoris sublimant, ità quosdam odio, inuidiaque humiliant, & leui opinionis aura condemnant, vt inquit *tex. in cap. Sexta actione* 15. *qu*.7.

Neque putent factu facile esse, vt aut præcipiti persuasione condemnent, quem culpa non grauat, aut erubescenda varietate iudicij pro arbitrio immutandum esse, quod iusserint. Nisi paupertas condemnati hoc persuaserit, ait *l. vlt. C. de mod. mulct.*

Condemnatio non debet fieri, nisi quatenus petitum est, vt vulgarissimum est, & tradit *Glosa verbo, Cum integritate, in cap. Cum M.* 9. *de Constit.* Et tamen in casu notat *Glos. verbo, Officio, in l. Bouem §. aliquando ff. de ædilit. edict.* ibi. Hæc nota, quod aliud petitur, & aliud in condemnatione deducitur, & prædictum tex. tamquam singularem portat *Romanus sing.* 648.

Qualitas, per quam augetur, vel minuitur condemnatio, potest pendente iudicio addi, vel detrahi de libello, vt notat *Bald. per tex. ibi in l.* 4. *§. Si detracta ff. de noxal. act.*

Condemnatio crescit in duplum propter inficiationem, vt habes verbo, *Negare*.

Certè vbicumque societatis actio, vel communi diuidundo cessat, quemq; pro parte sua condemnari oportere constat &c. Nam hæredum quisq; pro sua parte conueniendus est, quia cessat inter eos, communi diuidundo iudicium, inquit *l. Idem* 14. *ff. de Instit. act.*

Quando agitur de libertate, & re priuilegiata, tunc magis condemnare, quàm absoluere debemus. dixit *Glos. in cap. ad hoc hic fin. l. in feu. per iura qua* ibi.

Qui simpliciter deponitur, perpetuo deponitur, ait *Glos. verbo, Inhabiles, in extrau. execrabile* 4. *de preb. inter comm.*

Si quis fuerit capite damnatus &c. testamentum eius irritum fiet, & non tunc, cum consumptus est, sed cum sententiam passus est. Nam pœnæ seruus efficitur decidit *l. Si quis filio* 6. *§. Irritum ff. de iniust. rup. Et ibi Glos. verbo, Passus, sic dicit*. Nam trahit hæc sententia statim ad se executionem &c. vt dicunt Decretistæ *de sent. excomm.* Circa id autem, quod prædicta lex dicit. Condemnatum seruum pœnæ effici est *tex.* in contrarium *in Auth. de nupt. §. Quod autem coll.* 4. de iure nouo sic disponens. Nos autem hoc curauimus, & nullum ab initio bene natorum ex supplicio permittimus fieri seruum: Nec enim mutamus nos fortunam liberam in seruilem statum, qui etiam dudum seruientium manumissores esse festinamus, ex quo tex. deducta fuit Authentica. Sed hodie nemo bene natus à principio ex supplicio fit seruus *C. de donat. inter. vir. & vxor.*

Conditio.

DVpliciter considerari potest, aut quatenus opponitur ad actum pure relictum tàm in contractibus, quàm in vltimis voluntatibus, aut quatenus tangit ad qualitatem personarum, vel rerum, vt quando dicimus mutari conditionem personæ, vel rei in melius, vel deterius.

Quod attinet ad primum. Conditio per si, modus per, vt, causa, per, quia, ponitur, quandoque tamen, vt, pro conditione ponitur, ità tradit *Glosa verbo, sub conditione, in l. Cum ab eo* 4. *ff. de contrah. empt.* vbi allegat Iura. Et *Glos. in l. Qui promisit* 48. *ff. de condic. indeb.* ibi: Et nota inter hæc verba, si, &, Cum, non esse vim, quia vtrumque facit conditionem, vt hic, & infrà *de verbor. oblig. l. huiusmodi in fin.*

fin. &c. Quandoque tamen refert, vt ibi, si volueris, & ibi, cum volueris, Nam prima inutilis est. Secunda vtilis, vt infrà *de verbor. l. Centesimis §. fin. & de legat. 3. l. fideicommissa §. Si fideicommissum.*

Nam hæc monosyllaba (cum) est tantum, quantum, si, vt &c. ait *Glosa verbo, Cum mihi, in l. Ex parte 58. ff. de acquir. hæred.* Quomodo autem differant, cum, &, si, *Bart. in l. Qui promisit ff. de condit. & demonſ. Alciat. in l. Quodcumque §. 1. in fin. ff. de verbor. oblig.* Et quomodo ponitur, cum, notatur *in l. Titiæ textores §. Nihil in fin. ff. de legat.* 1.

Nec interest, vtrum scribatur, si annis quatuordecim factus erit, an cum annis quatuordecim factus erit; Nam priore scriptura per conditionem tempus demonstratur, sequente per tempus conditio, ait *l. Si Titio 22. ff. quando dies legat. ced.*

Dies incertus appellatur conditio, dicit *l. Talis scriptura 30. ff. de legat.* 1.

Inter falsam demonstrationem, & falsam conditionem, siue causam multum interest, dicitur *in l. Si sic 78. §. Si mihi ff. de legat.* 1.

Nec placuit instar habere conditionis sermonem, qui non ad futurum, sed ad præsens tempus refertur, & si contrahentes rei veritatem ignorent, ait *l. Si ità 120. ff. de verbor. oblig.*

Si tamen in præteritum collata sit, conditio, vel ad præsens non videtur sub conditione institutus; aut enim impleta est, & pure institutus est: aut non est, & nec hæres institutus est, ità dicit *l. 3. §. Toties ad fin. ff. de bon. libert. & Glos. in l. Cum ad præsens tempus conditio confertur stipulatio non suspenditur &c. ff. Si cert. pet.* sic. Non est ergo conditio, quæ in præteritum vel præsens confertur, vt hic, & additur *in d. l. Cum ad præsens* ità. Eadem sunt, & cum in præteritum conditio confertur, & *in l. 39. eod. tit.* concluditur sic. Itaque tunc potestatem conditionis obtinet, cum in futurum confertur.

Tacita conditio non facit rem conditionalem vt *in l. Conditiones extrinsecus ff. de condit.* ità ponit *Glos. verbo, Conditione, in l. Ita demum 36. ff. de recept. arbitr. per tex.* ibi. Sub hac enim conditione committitur stipulatio, ne quis doli sui præmium ferat.

Quod autem in stipulationibus conditio non inest, habes verbo, *Stipulatio.*

Inest tamen in rescriptis, etiam si non apponatur hæc conditio. Si preces veritate nitantur, vt dicitur *in cap. 2. de rescript. & Glos. verbo, Conditio*, ibi. In rescriptis semper subintelligitur hæc conditio. Si preces veritate nitantur; Si ità est, etiam si non apponatur, vt hic in iuramentis, & alijs huiusmodi pactionibus subaudiuntur generales conditiones, vt puta; Si Deus voluerit &c. Si res in eodem statu permanserit, & similia &c.

In conditionibus testatoris voluntas potius, quàm verba considerari oportet, inquit *l. Pater Seuerinam 100. ff. de cond. & demonstr.*

Si in diem sit, vel sub conditione obligatio, ante diem, vel conditionem non potero agere, inquit *l. Certi 9 ff. Si cert. pet. Et l. Grege 13. §. Si sub conditione ff. de pign.* ibi. Dicendum est ante conditionem non recte agi, cum nihil interim debeatur. Limita tamen in conditione, cuius euentus nihil operatur; frustrà enim tunc expectatur conditio, vt summat *Bart. per tex. ibi in l. Aliquando 13. §. Si sub conditione ff. ad Vellean. & ibi Glos.* sic. Nota non expectari conditionem.

Vt paruisse quis conditioni videatur, etiam scire debet conditionem insertam. Nam si fato fecerit non videtur obtemperasse voluntati, ait *l. 2. ff. de cond. & demonstr. & Glos. verbo, Cætera,*

tera, in l. 5. in fin. ff. si pars hered. pet. ibi; Quod sit purè, vel sub conditione, vbi alia iura.

Conditioni satisfit, si volens quis adimplere, prohibetur *l. 3. §. vlt ff. de condict. cau. dat.* ibi; Quasi impleta conditione, cui parere prohibitus est, vbi *Glos.* sic. Nota conditionem haberi pro impleta, ex quo non remanet per eum, qui eam vult adimplere, & *in l. Qua sub conditione ff. de condit. Instit.* ibi. Non videtur enim defectus conditionis, si parere conditioni non possit, implenda est enim voluntas, si potest. Et in *l. Mutiana in fin. ff. de condit. & demonstr.* ibi; Quoniam non est, cui caueat non impediri eum, quominus habeat hæreditatem. Nam iure ipso videtur impleta conditio, eo, quòd non est, quem posit conuenire.

Etiam tunc pro impleta habetur conditio, cum per eum stat, qui si impleta esset, debiturus erat, vt ait *l. Iulius 80. in fin. ff. de cond. & demons. & Glos. verbo, Expectamus. in l. 3. §. Si ita sit libertas ff. de statulib.* ibi; Nota ergò conditionem pro impleta haberi, ex quo stat per eum, cui debet impleri vt &c. vbi *Apostil.* sic. Amplia hanc Glosam, vt procedat quamuis pæniteat *is*, cui debet impleri ità notat *Bald. &c.* Est etiam *tex. optimus in l. Si quis ita 8. ff. de condit. & demonst.* ibi. Quia non omne momentum exigendum sit, vt cum liberis sit. Sed, vt eam mentem habeat, ne filium à se dimittat, ne ve per eam stet, quominus cum ea filius educetur.

Conditio non videtur repetita, si eius repetitio vitiaret, vt summat *Bart. in l. vlt. ff. de fideicomm. libert. per tex.* ibi. Conditionem, quæ libertati eorum, de quibus quæreretur &c. repetitam non videri, & ibi *Glos. vlt.* sic: Nota non esse subintellectum, quod vitiet; Aliàs verò generaliter conditionem videri repetitam placet, vt inquit *l. Auia 76. ff. de cond. & demonstr.*

Semel impleri conditionem sufficit *l. Si ità 13. ff. de manumiss. testam.* ibi; Non enim amplius conditioni parere potest, cum semel expleta sit, & *in l. Quidam 10. ff. de fideicomm. libert.* ibi; Quia semel extitit conditio, & *in l. Potior 11. ff. qui potior. in pign.* ibi. Cum enim semel conditio extitit, per inde habetur ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est sine conditione facta esset.

Conditio si sine liberis, quando dicatur extitisse patre, & filio insimul mortuis vide *verbo, Filius*. In terminis huius conditionis notabis *tex. in l. Hæredibus 77. §. 1. ff. ad Trebell.* sic dicentem, Nam & si matrimonium cum furiosa non fuit, satis tamen factum est huiusmodi conditioni.

Si decem sub conditione alicui fuerint relicta, eaq; conditio post decennium extiterit, non videntur decem huic legata, sed minus decem. Quia interuallum temporis, & interusurium huius spatij minorem faciunt quantitatem decem, ità ait *l. Circa 66. ff. ad l. Falc.*

Deficiente conditione actum deficere sub ea factum, inquit *l. Multum 19. ff. de hæred. vel. act. vend.* ibi. Deficiente conditione nullam esse venditionem.

Conditio, quæ fraudis causa adscripta est, ac si non esset scripta habenda est, inquit *l. Seius 27. ff. ad l. Falc.*

Quamuis summa vniuersæ conditionis sit adscripta, enumeratione tamen personarum potest videri esse diuisa; In eo verò, quòd vni sub conditione legatum est scindi ex accidenti conditio non debet. Et omnis numerus eorum, qui in locum eius substituuntur pro singulari persona est habendus, ità inquit *l. Cui fundus 55. ff. de cond. & demonst.*

Quod

Quod attinet verò ad conditionem personarum, vel rerum de se dixit *Pontifex in cap. Dudum §. Nos igitur de præb. lib. 6.* sic. Propter quod nostra, qui tandem præoccupauimus potestatem, potior debet esse conditio *idem in c. Si plures §. Porrò de offic. deleg. eod. lib. & in cap. Si à Sede de præb. in antiq.*

Cum personæ conditio non mutatur, nec rei quidem statum conuenit immutari, ait *l. 1. C. imponen. lucr. discript. lib. 10.*

Inter eos, quibus ex eadem causa debetur occupantis melior est conditio, inquit *l. 19. ff. de re iudic. & ibi Glos.* sic. Occupare dicitur, qui primo ad Sententiam peruenit.

Et si quidem sint creditores &c. occupantis meliorem esse conditionem, nisi si quis priuilegiarius veniat; huius enim non sine ratione prioris ratio habebitur, inquit *l. 3 ff. quod cum eo.*

Inter ipsos autem si quæstio moueatur possidentis melior est conditio, ait *l. Si debitor 10. ff. de pignor. & in l. Si quis ita 14. ff. de noxal. act.* sic. Et verius est occupantis meliorem esse conditionem, &c. non qui prior egit, sed qui prior ad sententiam peruenit.

Cuilibet licet conditionem suam deteriorare, vt dicitur *in l. pactum 47.* ibi; Cum liceat sui iuris persecutionem, aut spem futuræ perceptionis deteriorem constituere *ff. de pact.*

Non verò alienam conditionem facere deteriorem, quis potest licet meliorem possit. Naturalis enim simul, & Ciuilis ratio suadet alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis, & inuiti nos facere posse; deteriorem non posse inquit *l. Soluendo 41. ff. de negot. gest.* Et ratio ponitur *in l. 2. ff. quod vi aut clam.* ibi. Ne in aliena potestate sit conditionem meam nihil delinquentis deteriorem facere.

Cōditio absentis causa Reipublicę nō potest esse deterior habes verbo, *Absens.*

Emptor non erit melioris conditionis, quàm venditor, vt dicitur *in l. Si mulier 32. §. Si mulier ff. ad velleam.*

Neq; diligens facit deteriorem suam conditionem *l. In compensat. 8. ff. de compēs.*

In re vendenda melior conditio afferri videtur, si pretio sit additum. Sed & si nihil pretio addatur, solutio tamen efferatur facilior pretij, vel maturior, melior conditio afferri videtur. Præterea si locus opportunior soluendo pretio adijciatur, æquè melior conditio allata videtur &c. Et si persona idoneior accedat ad emptionem, æquè videri meliorem conditionem. Proinde si quis accedat eiusdem pretij emptor, sed qui leuioribus conditionibus, vel qui satisdationem nullam exigat, melior conditio allata videbitur. Ità est *textus optimus in l. Eum qui 7. §. vlt. ff. de in diem addict.*

Conductor.

Congruit æquitati, vt veteres possessores fundorum publicorum nouis conductoribus præferantur, inquit *Imperator in l. 4. C. de locat. fund. Ciu. li. 11.* Quod etiam obseruatur in priuatis domibus locatis huius Almæ vrbis.

Cum domini prædiorum, insularumque desiderant (diù non apparentibus, nec eius temporis pensionem exoluentibus conductoribus; aperire, & ea, quæ ibi sunt describere: à publicis personis, quorum interest, audiendi sunt. Tempus autem in huiusmodi re biennij debet obseruari, ità inquit *l. Cum domini 58. ff. loca. quem notabilem dicit Bart.* ibi; In eo autem, quod biennium expectetur intelligendum puto, quando pensio domus locatæ soluatur integra ad annum; Si verò de trimestri in trimestre, vt solitum est in hac Alma vrbe, videtur posse aperiri transacto semestri, hoc tamen intelligendum, quando conductor se absentauit; Si verò visus

R fuit

fuit ingredi domum de sero, & de mane non reperitur tunc extrà modicum tempus debet aperiri, & semper de mandato iudicis, vt notat *Bart. supra nu. 2. & 3.*

Connexum.

TVnc enim dicuntur res separatæ, quando circa diuersa omnino officium suum gestor adhibuit, tunc verò dicitur inseparabilis, quando circa eandem rem tantum gestoris perseuerat officium, inquit *Glos. verb. Non possit, in l. Eum actum ff. de negot. gest. vbi tex.* sic ait. Plane si quid cnexum fuerit, vt separari ratio eius &c. nō possit, constat venire in iudicium. Alia circa connexitatem, vide etiam verbo, *coniungere*.

Confessio.

VEL est pænitentialis, vel Iudicialis, aut extraiudicialis, & quo ad primam in primis, Confessor, seu confessarius, qualis esse debeat, vide *cap. Qui vult de pœnit. dist. 6.* vbi vltra alia sic dicitur. Caueat spiritualis Iudex, vt sicut non commisit crimen nequitiæ ità non careat munere scientiæ. Oportet, vt sciat cognoscere quidquid debeat iudicare. Iudiciaria potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare, discernat. Diligens igitur, & subtilis inuestigator sapienter, & quasi astutè interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito itaq; crimine varietatis eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus, & cætera, quæ suprà diximus in exponenda eorum qualitate, quibus cognitis adsit beneuolus paratus erigere, & secum onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate, adiuuet confitentem orando, eleemosynas, & cætera bona faciendo pro eo, semper eum iuuet, leniendo, consolando, spem promittendo, & cum fuerit opus etiam increpando, doleat loquendo, instruat operādo, sit particeps laboris, qui vult fieri gaudij &c. Sed quam rari similes inueniuntur, & quāplurimi in contrarium, qui assimilantur mercenarijs tonsoribus, absque vllo prorsus requisito de supradictis.

Additur etiam in *Concilio Trident. cap. 8. iuxtà fin. de reform. sess. 13.* sic. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.

Nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam, confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere, vel ligare, ità ait *cap. penult. §. vlt. de pænit. & remiss. lib. 6.*

Licentia data Confessoribus Regularibus ad audiendas confessiones non potest reuocari ab Episcopo sine causa, vt tenet *Glos. verbo, Concesserint, in Clem. 2. de sepult.* ibi. Quam sine causa reuocare non possent.

Sed quid si à principio Episcopus noluerit concedere licentiam prædictam ad confessiones audiendas? dicta *Clem. 2. ad medium* sic respondet. Si verò ijdem Prælati præfatis fratribus ad Confessiones, vt præmittitur, audiendas, electis huiusmodi exhibere licentiam recusauerint. Nos ex nunc ipsis, vt Confessiones sibi confiteri volentium liberè, licitèq; audire valeant, & ijsdem pœnitentias exponere salutares, ac eisdem beneficium absolutionis impertiri gratiosè concedimus de plenitudine Apostolicæ potestatis, vbi *Glos. verbo, Recusauerint*, sic. Si non recusat expressè, sed non dat, vel

vel negligit, videtur quod locum haberet hoc priuilegium post trinam monitionem, vel requisitionem.

Super confessione autem facta fratribus memoratis cum de confitentis solius præiudicio (si falsum dicat) agatur in iudicio animæ, seu pænitentiæ foro, stabitur simplici verbo illius, qui sacra petit prædicta, & dicit fratribus se confessum, ità disponit. *Extrauag.*1. *de priuil. inter comm.* In Regno autem Lusitaniæ pænitens, qui sacram petit communionem ad satisfaciendum pręcepto Ecclesiæ offert fidem confessoris qua constat eius confessionē audiuisse.

Sed quare recusant multi confiteri peccata frequenter cum frequenter incidamus? Respondet *Senec. Epist.* 54. *post med.* ità; Quia etiam nunc in illis sunt; somnium narrare vigilantis est, & vitia sua confiteri sanitatis indicium est. Cui consonat illud *Ecclesiastic.*4. Medicina omnium in festinatione nebulæ. Ideo melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio, vt inquit *cap. Iniustum* 11. *q.* 3.

Cum malus sum nihil est aliud confiteri tibi, quam displicere mihi: Cum verò pius nihil est aliud confiteri tibi, quàm hoc non tribuere mihi, dixit *Augustin. lib.*10. *confess. cap.* 2. *nu.*2.

Morituris succurritur etiam à laicis, si præsbyteri desunt &c. Si secundum *Augustin.* Qui agens in extremis confitetur socio turpitudinem criminis, fit dignus veniæ ex desiderio Sacerdotis, Cur non similiter fit dignus reconciliatione ex desiderio Episcopi, dicitur *in cap. Si aliquis post med.*26. *q.*6.

In iudicio autem tripliciter dicitur, quis confiteri ore, rei euidentia, contumacia, vt dixit *Glos. vlt. in cap. Nullus* 4. *de præsumpt.* Et qui iudicium subterfugit, vt idem *tex.* ait, ibi. Confitetur enim de omnibus quis quis se subterfugere iudicium dilationibus putat.

Ad hoc, vt confessio præiudicet alicui exiguntur plura, quod sit maior viginti quinque annorum, quia minor potest restitui contrà confessionem &c. Item, quod sponte, & non coactus &c. Item, quod ex certa scientia; quia si errat in confitendo, & potest probare se errasse, non nocet &c. Item, quod contra se confiteatur, quia pro se non prodest &c. Item in iudicio, & coram suo iudice, aliàs non preiudicat &c. Quandoque tamen confessio extra Ius valet &c. Item, quod aduersarius sit præsens, aliàs non nocet &c. Item, quod non sit contrà rerum naturam. Item, quod non sit contra Ius &c. Vnde versus.

Maior, sponte, sciens, contra se, vbi ius sit, & hostis.
Certum, lisque fauor, ius nec natura repugnet.

Ità ponit *Glos. penult. cap. vlt. de confess. & Glos. verbo, Relatis, ad fin. in l. vnica C. de confess.*

Confessus, & coram iudice suo &c. alicuius ergo confessio non pręiudicat, quātum ad pænam, vel condemnationem: præiudicat tamen, quantum ad suspicionem, dixit *Glos. in cap.* 2. *de confess.*

Sicut sententia à non suo iudice lata non tenet, ità nec facta confessio coram ipso, dicit *cap. At si clerici* 4. *de iudic.*

Attamen eum, qui in iure confessus est suam confessionem infirmare non posse, dicit *l. Quidam* 30. *ff. de donat.* nisi per errorem facti, inquit ibi *Glos.* Post litem contestatam; si vero ante nullo modo potest. Vide tu, & considera.

Cum nimis indignum sit (iuxtà legitimas sanctiones, vt quod sua quisq; voce dilucidè protestatus est in eūdem casum proprio valeat testimonio infirmare, ait *c. Per tuas* 10. *de prob:* quod fuit deductum ex *l. Generaliter C. de non numer. pecun.* Et in fortioribus terminis in eo, qui cum posset falcidiam retinere, dixit se daturum, & voluntatem testatoris impleturum, disponit *l. Si pa-*

tronus 20. *ff. de donat.* ibi; Sed magis est, vt non possit suæ confessioni obuiare.

Statur confessioni alicuius, licet non veræ contra se: sic summat *Bart. in l. De ætate §. 1. ff. de interrog. act. per tex.* ibi; fides enim ei contra se habebitur.

Falsæ confessiones naturalibus conueniri debent, vt dicit *l. Confessionibus falsis* 14. *ff. de interrogat. act. & ibi.* Sic summat *Bart.* Confessionibus est standum, quibus Ius, vel natura non repugnat, quod etiam dicit *Glos. iam supra allegata in cap. vlt. de confess.*

Item nota hic non audiri probantem contrà confessionem suam erroneam, dixit *Glos. vlt. in l. Inde Neratius §. vlt. per tex. ibi ff. ad l. Aquil.*

Tantummodo ad probationes litigatoribus sufficiunt ea, quæ ab aduersa parte expressa fuerunt apud Iudices inquit *l. 1. ff. de interrog. act. & ibi Glos. verbo, Apud iudices*, sic. Ergo si non apud Iudicem facta fuerit confessio non præiudicat confitenti, nec est aduersario probatio &c. nisi in casibus &c.

Etiam facto, confessio fit, vt per *Glosam verbo. Confessus, in cap. Cum super* 23. *de offic. deleg.* ibi; ipso enim facto confessus est.

Aequè præiudicat confessio de credulitate, sicut de veritate, inquit *Glos. vlt. in cap. Ex litteris* 32. *de iur. patr.*

Si prælatus constitutus à Collegio ad defendendum, confitetur tamquam Syndicus in iudicio, benè præiudicabitur Ecclesiæ, quia tunc sustinet personam totius Capituli: Aliàs non credo, quòd confessio prælati præiudicet Ecclesiæ, nisi forte confiteretur de eo, quod ipsemet fecisset, ità inquit *Glos. vlt. ad fin. in cap. vlt. de præscript.*

Ex dictis testium, & confessione aduocati alterius partis non reuocata postmodum apparet euidenter, dicitur *in cap. Olim* 20. *de censib.* vbi *Glos. verbo, Non reuocata*, hæc dicit. Sic patet, quòd confessio aduocati, sicut etiam propria confessio præiudicat, nisi fuerit reuocata, & quomodo hæc reuocatio fieri debeat, ibi videas, & vide *Glos. verbo, Reuocatam, in cap. scriptum* 40. *de elect.* ibi. Per confessionem procuratoris aduersæ partis in Iudicio factam, sed postea reuocatam, & prædicta *Glosa* declarat sic. Sine aliquo interuallo sicut testis, qui potest corrigere dictum suum in continenti &c.

Excusationes suas audire curetis &c. Cum excusationes huiusmodi, confessiones non perimant, sed exponant, quæ tales sunt, vt ad bonum, & malum valeant retorqueri, inquit *cap. Cum dilecti de accusat.*

Sed nunquid confessus, & condemnatus appellare potest? Responde, quod sic, nisi in casibus &c. Potest enim esse, quod errauit in facto confitendo &c. ità dixit *Glosa in l. vlt. §. 1. ff. de appell.*

In l. Certum 6. sic scriptum reperies; vrgeri debet, vt certum confiteatur. Item is, qui rem confessus est, vt certam quantitatem confiteatur, vbi *Glosa in verbo, Confiteatur*, sic dixit. Idem si obscurè respondeat.

Si defensor in iudicio interrogatus, an is, qui defendit hæres, vel quota ex parte sit? falso quidem responderit, ipse quidem defensor aduersario tenebitur, ipsi autem, quem defendit, nullum facit præiudicium, ità inquit *l. 10. ff. de interrog. act.* vbi *Glos. verbo, Præiudicium*, sic intelligit; nisi ratum habeat &c. Item loquitur hic in eo, qui sine mandato defendit: Si verò procurator defendens conueniatur, an Domino præiudicet quæritur? videtur, quòd non, vt infra *de confess. l. Certum §. Sed an*, sed fortè non præiudicat si à domino contra probetur.

Nota-

Notabilis est *Glos. vlt. in l. Si filius* 13. §. *vlt. ff. de interrog. act.* dum hæc dicit. Cum interrogatus habeat interrogatum loco hæredis pro se: Ergo & contra se debet habere, ne sibi ipsi sit contrarius, & sic repellatur, vt &c. & sic nota, quòd confesio mea mihi prodest per quandam consequentiam.

Dum aliquis dubitatur, an hæres sit, & in Iudicio super hoc interrogatus non cogitur confiteri, vel negare, si petit tempus ad deliberandum ex ratione *l.6.ff.de interrog. act.* ibi; Et quia hoc defunctorum interest, vt successores habeant: Interest & viuentium, ne præcipitentur quandiù iustè deliberant non cogitur respondere &c. Ne negando se hæredem præiudicet sibi, aut dicendo se hæredem illigetur, vbi *Glosa verbo, Praiudicet*, ità inquit; Quantum ad præsumptionem; non quantum ad legitimam probationem, cum res inter alios acta sit &c. Quantum ad probationem plenam respectu interrogati, & interrogantis: non aliorum.

Nullæ sunt partes Iudicis in confitentes, ait *l. Proinde* 25. §. *vlt. ff. ad l. Aquil.* Dabit tamen Iudex confesso tempus ad restituendum, vt inquit *l. Certum* 6. *ff. de confess.*

Nulli de se confesso aduersus alium in eodem crimine sit credendum, ità ait *cap. veniens* 10. *ad fin. de testib. & est l.*1. §. *Si quis ff. de quæst.* ibi; Si quis vltro de maleficio confiteatur non semper fides ei habenda est. Nonnunquam enim, aut motu, aut alia de causa in se confitentur. Et *in cap.*1. *de confess.* ibi; De se confesi super aliorum conscientijs interrogari non debent, & (crimine Læsæ Maiestatis excepto) de reatu proprio confitentis periculosa confesio, non est aduersus quemlibet admittenda, vbi *Glos. verbo, Confessi*, sic. Nulli ergo de se confesso super crimine aliorum creditur.

Item, auditur confesio vnius latronis contrà alium &c. non quantum ad conuincendum, sed quantum ad præsumptionem.

Confesio facta in tortura etiam perseuerata sine inditijs non nocet confesso, vt inquit *Apostil. ad Glos. verbo, non esse, in l.* 1. *ff. de quæst. ex Alexandro cons.* 94 *volum.* 1. Pesimum enim est de suspicione, aut extorta confesione quenquam iudicare. Cum magis sit inspector cordis Dominus, quàm operis, vt inquit *cap. Si quandoq;* 15. *q.*6.

Nemo tamen sibi blandiatur &c. de se in quæstione confessus veniam sperans propter flagitia adiuncti, vel per commune criminis consortium personæ superioris optans &c. Cum veteris Iuris authoritas de se confessos, nec interrogari quidem de aliorum conscientia finat. Nemo igitur de proprio criminè confitentem super conscientia scrutetur aliena *l. vlt.* §. *vlt. C. de accusat. vbi Glos. vlt.* excipit propter immanitatem criminis, & in alijs casibus &c. Tamen criminalistæ crudeles indistinctè interrogant.

Manifestum est confiteri cum de crimine qui indulto, & toties delegato iudicio purgandi se occasione non vtitur, inquit *cap. Decernimus* 3.*q.*9.

Confesio verò extraiudicialis, vel fit in scriptura publica, vel priuata, vel præsentibus testibus. De ea, quæ per publicam scripturam, ità dicit *l.Cum te* 5.*C.de transact.* Tamen si de fide contractus confesione tua constet, scriptura, quæ probationem rei gestæ continere solet necessaria non est.

Pecuniæ solutæ profesio collocata instrumento maiorem rei gestæ probationem continet quàm si chirographum acceptæ pecuniæ mutuæ fuisset redditum, ità ait *l.*14.*C.de solut. & ibi Glos. verbo, Maiorem, reddit rationem* sic. Quia redditio chartæ etiam ob aliam causam fieri, potest quam vt libere-

beretur debitor &c. Et quia etiam contra voluntatem creditoris potuit chirographum debiti ad manus debitoris peruenire, vt *in l. Quod debitori tuo 15. eod. tit.*

Aliquid vbicumque dixerit ad maiorem quantitatem eam reducens siue pro vtilitate pupilli, vel adulti, siue per suam simplicitatem, siue per aliam quamcumque causam, nihil veritati præiudicare &c. Sin autem inuentario publicè facto &c. Et ipse per huiusmodi scripturam confessus fuerit ampliorem quantitatem substantiæ: Non esse aliud inspiciendum; nisi hoc, quod inscripserit &c. Nec enim sic homo simplex (immò magis stultus) inuenitur, vt in publico Inuentario scribi contrà se aliquid patiatur, ità inquit *optima l. vlt. C. arbitr. tutel.*

Sin autem cautio indebitè exposita esse dicatur, & indiscretè loquatur, tunc eum, in quem cautio exposita est compelli debitum ostendere, quod in cautionem deduxit, nisi ipse specialiter, qui cautionem exposuit causas explanauit, pro quibus eam conscripsit. Tunc enim stare eum oportet suæ confessioni, nisi euidentissimis probationibus in scriptis habitis ostendere paratus sit se se hoc indebitè promisisse, ità dicit *celebris l. Cum de indebito 25. ff. de probat. Et ibi Glos. vlt.* quam vide de hac confessione. Et *l. Qui testamento eod. tit. cuius verba ad fin. sunt.* Videtur enim eo, quod plus capere non poterat in fraudem legis, hæc in testamento adijcisse.

An autem, is quoque, qui deberi sibi canit eadem epistola decem, probare possit, hoc, quod descripsit iudicem æstimaturum, ait *l. Publia 26. §. vlt. ff. depos. & ibi Glos.* in casus positione sic; Quod Iudex æstimabit scilicet si Sempronius consensit ijs, quæ scripta sunt contrà se, vt sic stetur epistolæ in totum alias non puto, quia dicit huic scripturæ; quæ dicit me debere Titio non consentio, sed ijs, quæ pro me faciunt consentio.

Confessio sola, vel alia scriptura non probat sola seruitutem in persona, vide *verbo, seruus vers. Cum scimus.*

Si voluntate dotantis in dotali instrumento plura tibi tradita scripsisti, quam suscepisti; Intelligis de ijs, quæ desunt petendis pactum esse consequutum, inquit *l. 4. C. de dot. promiss. vbi Glos. verbo, Petendis*, ità. Nisi animo simulandi hæc facta sunt, vt faciunt ignobiles, cum nobiles accipiunt, & ibidem additio sic. Adde tamen, quod nobilis præsumitur donare, Quia donare procedit ex nobilitate *cap. 1. de donat.* quod ego intelligo (ni fallor) de nobilitate animi, non personæ cum experientia acceperim, hodie nobiles præsumere omnia sibi deberi, & nihil donare debere, sed falluntur certè, homines enim sunt, & vtinam scirent, quoniam homines sunt.

Confessio in testamento facta non probat maximè in fraudem legis, vt dicitur *in l. Cum quis decedens 35. §. Titia ff. de legat.* 3. ibi; Non ideirco, quod scriptum sit exigi posse in fraudem legis relictum, & ibi *Glos. verbo, In fraudem*, sic ait. Quod semper præsumitur, nisi contrarium probetur.

Sed tantum receptam ex eadem causa debitam quantitatem falso scripsisti figmento veritatis, non potest extingui obligatio, ità ait *l. Si obligatum 13. C. de solut.*

Cum profitearis in fraudem te alterius donasse, professionem inhonestam continere intelligis. Itaque &c. eam reuocare non poteris dicit *l. 4. C. de reuocand. don.*

In matrimonio carnali non statur confessioni vxoris, & viri, si contrà matrimonium confiteantur: Quia sæpe ad inuicem colluderent, vt separarentur, vide *Glos. verbo, Mulieres, in cap.*

Cum

Cum causa 6. de raptor. cuius verba habes in verbo, *Matrimonium*.

Nota hic confessionem absente aduersario factam non valere, vt infrà *de confess. l. Certum §. Si quis*. Hæc ponit *Glos. vlt. in l. vlt. ff. de interrogat. act. per tex.* ibi; Respondi ab ijs, qui in iure non interrogassent, eum ex responso suo conueniri non posse.

Talis recognitio, siue confessio, licet fieret extrà ius prçiudicat confitenti, maximè si publicè fiat, ita ponit *Glos. verbo, Recognouit, in cap. Per inquisitionem 26. de elect. & sic*.

Videtur, quòd confessio extrà iudicium valeat, sed hoc est ad liberandum, aliud ad obligandum, itá optimè dixit *Glos. verbo, Confessioni, per tex.* ibi. Idem est, si post solutionem rogati intersint confessioni creditoris dicentis pecuniam sibi debitam solutam fuisse *in Auth. Rogati C. de testib.*

Confessio patris, an filio præiudicet, vide, verbo, *Pater*.

Confitenti hæredi dabitur breue tempus vide verbo; *Hæres*.

Etiam si Reus confiteatur aduersarium fuisse dominum non sufficit, si actor non ponit esse de præsenti, vide verbo, *Dominus*.

Parcitur confitenti, dixit *Glos. verbo, In euentu, in Auth. vt litig. iur. §. Si quis autem coll. 9.*

Confirmatio.

QVod confirmatur, datur, inquit *Glos. verbo, Confirmatam, in cap. Veniens 8. de transact. & Glos. vlt. in cap. Si Apostolica 22. de prab. lib. 6. & Glos. verbo, defertur, in l. lege obuenire 130. ff. de verbor. sig. & Glos. verbo, Non possit, in cap. 1. de Instit. lib. 6.* sic dicit. Est falsum, quod confirmare sit plus, quia, qui confirmat, non donat &c. sed qui confert, potest dici, quod vtrúq; verum sit. Nam, qui confirmat, nihil de nouo dat, itá optimè dicit *Glos. verbo, Percipientibus, per tex. ibi in Auth. quibus mod. natur. §. Si quis sane coll. 6.*

Superior confirmat, quod facit inferior, dixit *Glos. vlt. in l. Si quos C. de decur. lib. 10.*

Ea, quæ iuxtà Ecclesiasticum morem iustè, & rationabiliter fuerint diffinita, nostra quoque sententia roborentur, ait *cap. 4. de sent. & re iudic.* vbi *Glos.* itá ait; Et hæc quidem confirmatio, si facta fuerit ex certa scientia, & cum causæ cognitione, non poterit postea inferior Iudex de ea iudicare.

Confirmatio autem, causæ cognitionem desiderat &c. Et ideo de plano expediri non potest, vt inquit *Glos. verbo, contrà debitum, in cap. Qua fronte 25. de appellat.* Nam vbi princeps confirmat idem est, ac si ferat sententiam, vt dixit *Glos. verbo, Clausula, in cap. Dilecto 25. de praben.*

Nota, quod confirmatio in forma communi, siuè etiam innouatio, nihil noui Iuris tribuit, sed solummodo vetus conseruat &c. vnde per talem confirmationem non impeditur petitio alterius partis, vel Iudicis cognitio, vt inquit *Glos. verbo, Confirmationem, in cap. 1. de confir. vtil.*

Et itá patet, quod confirmatio nihil modicum operatur, quia si aliquid inuenit, confirmat illud, alias nihil operatur &c. & sic patet, quod confirmatio in forma communi non impedit petitionem alterius partis, nec cognitionem Iudicis &c. *Glos. verbo, Confirmatione, in cap. Examinata 7. de confirm. vtil.*

Sed hoc intelligitur cum Papa confirmat ea, quæ non videt, & ideo dicit in confirmationibus (sicut sine prauitate) sed quando cognoscit de compositione & videt ea, quæ confirmat, tunc licet

illa

illa verba ponantur in confirmatione non intelliguntur conditionaliter, sed causatiue. Et sic intelligitur (sicut sine prauitate) idest, quia sine prauitate, ità optimè declarauit *Glos. penult. in cap. Venerabilis 8. de confirm. vtil.*

Confirmatio nihil confert Iuris vbi electio canonica non fuit &c. Tamen si possessionem fuerit adeptus, & postmodum spolietur, debet restitui, quamuis non fuerit electio Canonica, ità dicit *Glos. verbo, Confirmatus, in cap. Cum super 4. de caus. possess.*

Vnde si quod confirmatur, non valuit nec confirmatio valebit, vt in expresso probat *tex. in cap. Cum inter 13. de sent. & re iud.* ibi; Quamuis forte dicto Instrumento donationis non sit plurimum innitendum, nec confirmationibus, nec priuilegijs, quæ de ipso caussam, & originem acceperunt, vbi *Glos. verbo, Donationis rationem reddens dixit* sic. Quia donatio non valebat, quæ non fuit facta secundum formam iuris &c. Et ideo confirmationes, vel priuilegia, quæ illam donationem confirmabant, non valebant, quia si principale non tenet, nec accessorium, & facit *l. Legata inutiliter 19. ff. de legat. 1.* ibi. Non enim hoc egisse testatorem, vt confirmaret, quæ inutilia essent, sed vt diem vtilioribus prorogaret.

Si seruo alieno libertas, non consentiente Domino, data est, valere ex authoritate iuris non potest, quamuis postea manumissor Domino hæres extiterit &c. Nam licet ei iure cognitionis ille, qui manumisit, hæres extiterit: Non ideò aditione hæreditatis libertatis datio confirmatur; ità est *l. 20. ff. qui & à quib.*

Nota, quod confirmatio non trahitur ad id tempus, quo facere, vel confirmare non potest, ità dixit *Glos. verbo, Habere desierit, in l. Quædam 7. ff. de iur. codic.*

Confusio.

INordinatum verò nihil, nec confusum in his fieri volumus, dixit *Imperator in Auth. de hæred. & Falc. §. Si quis autem vers. Inordinatum coll. 1.* Aliaq tamen confusio admittitur in actionibus, quando creditor debitori suo succedit, vt iam dictum est verbo, *Actio.* & verbo, *Creditor.*

Confusio etiam ex mala cõsuetudine nascitur, propterea non esse admittendam, dicis infra verbo, *Consuetudo, per tot. in cap. licet in regulis 16. q. 3.* ibi: Ne per consuetudinem pessimam exemplis mali temeritate crescente vniuersalis confusio nasceretur.

Hæc certè, & nominum, & rerum fœda confusio est *l. vlt. C. leg. tut.* Scilicet, vt sit tutor, & sub tutela sit, vel Curator, & sub cura sit, & infrà habes verbo, *Curator.*

Congregatio.

NOta, quod duo faciunt Congregationem, dixit *Glos. in cap. 1. de elect. per tex.* ibi. Duo, vel tres in Congregatione fuerint, & *Glos. verbo Gregis in §. Sed si gregis de rer. diuis. in Instit. in Apostil.*

Sed talis Congregatio debet esse vnanimis, quia spiritus Sanctus non venit, nisi super Congregatos in vnum, vt dicit *cap. Cum Ecclesia 3. de caus. possess.* Nam vbicumque duo, vel tres congregati fuerint in nomine meô, ibi sum ego in medio eorum, dixit *Dominus Matth. 18.* Sed verò non videmus, quod adsit hæc vnanimitas in hodiernis Congregationibus propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem. Consentire enim in vnum difficile est, vt dicitur *in l. Item 19. §. Principaliter ff. de recept. arbitr.* verum

quod

quod hoc ità sit, non miremur, si fuerit Congregatio sæcularium. In Congregatione vero Presbyterorum, qui Dij, & non homines vocantur, quod dissentiones inueniantur, hoc certè mirandum, abhorrendum, & abominandum, nemo dubitabit.

Coniectura.

EST, quando sensus tacitè ex littera elicitur, & non est in littera expressum, vt dixit *Glos. in l. Apud antiquos 21. verbo, Coniecturam C. de furt. & seru. corrup.*

De præteritis sumimus coniecturam in futurum, & quandoque occultam coniecturam sumimus ad præteritum, vt inquit *Glos. verbo, Quorum, §. Cumque hoc in proam. Instit.*

Etenim in causa fideicommissi (vt cumq; precaria voluntas quæreretur) coniectura potest admitti *l. Cum proponebatur 66. ff. de legat. 2.* vbi notat *Glos. vlt.* quod in eo textu coniectura sumitur pro probatione.

Facilem iudici voluntatis coniecturam fore cæteris patris facultatibus æstimatis, ait *l. Quæsitum 12. §. Denique vers. Sed & ipse Papinianus ff. de fund. instruct.*

Iniquitas aduersi casus tollitur per coniecturam pietatis *l. 3. vbi tex. optimus C. de inoffic. testam.* ibi, Repentini casus iniquitas per coniecturam maternæ pietatis emendanda est. Nam posthumus in eo textu à matre præteritus (qui poterat querelam de inofficioso intentare) videtur tacitè per dictam coniecturam vnà cum alijs liberis viriliter institutus.

Coniunctio.

QVælibet potest poni pro alia dixit *Glos. verbo, Eas verò, in l. Eas causas 79. ff. de condit.* Et ibi; additio sic; Nota ex hac *Glos. secundum Bart.* hic; quòd vna coniunctio ponitur pro alia, quando expedit.

Quamuis, &, Syllaba coniunctionem faciat, in casu tamen non tàm coniunxisse, quàm celerius dixisse quis videtur, vt *in l. Si ità 66. ff. de hæred. instit.*

Coniuncti vnius potestate personæ funguntur, inquit *l. Planè 34. ff. de legat. 1.*

Disiuncta etiam pro coniuncta ponitur, vt notat *Glos. vlt. in l. Si quis rem 22. ff. de aur. & argen. legat.*

Et coniunctionem non ad coniungendam conditionem, sed ad necessitudinem demonstrandam pertinere, dicitur *in l. Iulius 80. propè fin. ff. de condit. & demons.*

Ex diuersis testamentis Ius coniunctionis non contingit, dicit *l. Si sub conditione 16. in fin. ff. quib. mod. vsus fruct. amitt.*

Coniux.

SApiens iudicio debet amare coniugem non affectu, cum in eo non debeat voluptatis impetus regnare, vt inquit *Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum relatus in cap. Origo 32. quæst. 4.*

Coniuges, quando in vita fuerunt concordes, etiam in morte nolunt separari, vt dixit *Augustin. lib. 9. confess. cap. 11. num. 2. ad fin.* ibi. Quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat, vt est animus humanus

minus capax diuinorum adiungi ad illam felicitatem, & commemorari ab hominibus.

Si de carnali coniugio agitur, & vnus ex coniugibus abest tam diu expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur, inquit *cap. Quoniam frequenter 5. §. Porrò vers. Si autem vt lite non contes. vbi Glos. verbo, Præsumatur*, sic. Per famam, quia senex erat, vel etiam, quia in acie fuit, nec redijt præsumitur, quod in his casibus sit mortuus.

Coniugis restitutio, quando non debeat fieri, & reliqua de materia huius verbi inuenies verbo, *vxor*.

Consanguinitas.

NOta ratione consanguinitatis aliqua fieri, quæ aliàs non fierent, dixit *Glos. in l. Si tutor 9. per tex. ibi. ff. de suspect. tutor.* Nam ignoscendum consueuerunt ei, qui sanguinem suum qualitercumque redemptum voluerit, dixit *l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent. & Glos verbo, Probibitum, in l. transigere 18. C. de transact.* ibi. Licet qualitercumque redimere sanguinem suum idem *Glos. verbo, quicquam in l. 1. C. de iur. iur. propt. calumn.* & addit, quia licet permittatur redimere transigendo, non tamen calumniando.

Licet enim cuilibet liceat redimere sanguinem suum, verum est, vt non habeatur pro confesso, non ad hoc, vt non possit ab alio accusari, quod est in alijs publicis iudicijs, vbi non de sanguine agitur, inquit *Glos. verbo, Arguere, in l. Si quis 11. C. de accusat.* In quibus terminis nota, quod si iniustè quis opprimitur, & pro redimenda sua vexatione iniusta, dedit aliquid potest repetere. Si verò iustè opprimebatur, non repetet, & vtroque casu, qui accepit punitur, vt inquit *Glos. verbo, Is, autem, in l. serui C. de adult. vbi Apostill.* dicit sic. Vexatio iniusta potest redimi.

Consanguinitas solet quodam modo inuidiæ haberi, vt dicit *Chrysost. super Ioann. 7.* & latius habes, *verbo Frater*.

Præsumitur aliquid ratione sanguinis, vt *in cap. litteras cum sua Glos. de præsumpt.* vt dixit *Apostil. in l. vnica §. Taceat C. de rei vxor. act.* Tollit etiam suspicionem, vt inquit *Glos. verbo A. Sobrinis in l. 1. ff. ad l. Iul. repet. & glos. verbo, Affectu, in l. Humanitatis 23. C. de excusat. tutor.* ità; Hic consanguinitas inducit suspicionem, quandoque remouet.

Consensus.

EST multorum voluntas, ad quos res pertinet simul iuncta, vt inquit *Glos. verbo, Tractatus, in cap. 1. de reb. Eccles. lib. 6.*

Iste autem, vel est expressus, vel tacitus. Et potest præcedere, vel sequi, dixit *Glos. verbo, Ante omnia, in addit. in Clem. vnica de for. compet. & Glos. Magna in regula non firmatur 18. lib. 6.* ibi; valeant, ergo ex subsequenti consensu ex nunc, non vt ex tunc & probatur *in l. Si autem 10. ff. de aqu. pluu. arc.* ibi. Et placet nihil interesse, vtrum præcedat voluntas &c. an subsequatur, quia & posteriorem voluntatem prætor tueri debet, & *Glos. verbo, Debeant, in cap. Edoceri 21. de rescript.* ibi. Et si forte Capitulum agit, non sufficit subsequens consensus prælati &c. Sed hoc non credo; sufficit enim, si postea accedat consensus prælati, vel è conuerso.

Quod

Quod debet limitari in actibus, qui sunt nulli ipso Iure, vt dicitur *in cap. Auditis 29. de elect.* ibi. Quoniam electio, quæ fuerat irrita ipso Iure per subsequentem consensum &c. non poterat esse rata:

Consentientibus scilicet expressè, vel quibusdam coniecturis hoc appareat &c. ait *Glos. verbo, Consentientibus, in l. Qui autem §. sciendum in fin. ff. quæ in fraud. credit.*

Operatur præsentia consensum, dixit *Glos. vlt. in l. Lucius 63. ff. de manum. testam.* cuius verba sunt. Sed si præsente adolescente pecunia illata est, vel in rationes eius relata, impletam conditionem videri, ac si ipsi soluta fuisset, & *Glos. 1. in l. Si seruus §. Si furnum ff. a l. Aquil.* ibi. Præsentia pro consensu habetur, & *in l. 2. ff. ad Municipal.* ibi. Consensisse autem pater decurionatui filij videtur; Si præsens nominationi filij non contradixit, & *Glos. verbo, Regressum, in cap. Praterea quibus mod. feud. amitt.* ibi. Item consentire hic intelligitur, qui præsens est, nec contradicit, & *Glos. verbo, Consentit, in l. Si Filius 7. ff. de tutel.* ibi. Consentire autem videtur, si præsenti non contradicit.

Glos. verò verbo, Pratermisit, in l. Sabinus 28. ff. comm. diuid. dicit sic. Ergo non intelligitur consentire præsens &c. Et sic est generale hic præsens non semper consentit, vbi alia pro, & contra ponit.

In formis patientia habetur pro consensu in his, quæ sunt modici præiudicij, secus, si magni, summat *Bart. in l. Quam Tuberonis 7. ff. de pecul.* cuius verba sic habent; Ego autem puto non esse opus concedi à Domino peculium habere, sed non adimi, vt habeat. Alia causa est peculij liberæ administrationis, nam hæc specialiter concedenda est.

Facto etiam consensus elicitur, vt tenet *Glos. in cap. 3. de ijs, qua fiunt à maior. par.* ibi. Et licet verbis non renunciet, aut non consentiat, ipso facto tamen consentit; & *Glos. verbo, Reuocantes, in cap. non debet 8. de cons. & affin.* ibi. Quia & si primus consensus nullus fuit postea potest confirmari &c. Sed videtur, quod verba necessaria sint, & nouus consensus requiritur &c. Sed Io: dicit, quod pro matrimonio standum est, ex quo simul steterunt; ipso enim facto matrimonium inducitur saltem præsumptum, & facit *l. Si pracedente 58. §. Vnico in fin. ff. mandat.* ibi; Sed videbitur consentire decreto, conueniendo hæredem, *& in l. Exceptione 11. C. de euict.* ibi. Qui vendicationi adeò consensum dedit, vt se etiam pro euictione obligauerit.

Cum sua manu pignori domum suam Seius scripserit consensum ei obligationi dedisse manifestum est, ait *l. Fideiussor 26. §. 1. ad fin. ff. de pignor. Et in l. Sicut 8. §. Non videtur ff. quib. mod. pig. sol.* ibi. Sed si subscripserit forte in tabulis emptionis concessisse videtur, vbi *Glos. verbo, Manifestè,* sic quærit; Sed quid, si tabellio eum subscripsit in testem? videtur secus. quia hic de subscriptione, quæ fit consentiendo &c.

Si verò salua causa pignoris sui id fecerit, non preiudicabitur sibi, vt inquit *l. Si debitor 4. §. 1. ff. quib. mod. pig. solu.* ibi. Nisi salua causa pignoris sui consenserit. Ex quo *tex.* colligit *Bart.* Quod si actus circa quem adhibetur consensus non valet, non nocet consensus, quod est menti tenendum secundum *Alex. ad eundem Bart.* Generaliter, ergo tenendum est, qui subscribit consentit, vt dicit *Glos. in l. 1. ff. quod iussu,* ibi. Et sic est argumentum hic. Quod Canonici subscribentes consentire videantur.

Collige, quod scientia, & patientia habetur pro consensu, inquit, *Apostil. ad glos. verbo, Penes uxorem, in l. Titia 35. §. Caius Seius ff. de legat. 2. per tex. in l. 1. C. de fil. fam. lib. 10.* ibi; Tunc enim consentiendo, &c. & ibi; Consentire autem etiam is videtur, qui non testificatur dissentire nominationi, & in l. *Qui bona fide 13. §. Si quis iuxta ff. de damn. infect.* ibi; Fieri passus sit de damno infecto, & postea cauendum non erit; *Et in l. Quidam 12. ff. de euict. ibi*. Si cohæredes præsentes affuerunt, nec dissentierunt videri vnumquemque partem suam vendidisse, & *Glos. vlt. in cap. De illis de despons. impub.* ibi; Vt si patienter cohabitet illi talis violentia transit in consensum, *Glos. etiam vlt. in cap. vlt. qui cler. vel vou. per tex. ibi*; Coactio affuisset, quam patientia, & perseuerantia temporis perfugauit; reliqua circa consensum ex patientia vide verbo, *Patientia*.

Ex taciturnitate etiam elicitur consensus, vt dictat vulgaris Iuris regula, & dicit *glos. in d. l. Qui autem §. Sciendum ff. qua in fraud. cred.* ibi. Sed quid si vendentes tacuerunt? videntur consentire. Multoties tamen ex taciturnitate consensus non elicitur, nisi probetur, vt dicit *Glos. verbo, Non probatur in l. Filius familias 8. ad fin. ff. de procur*. Ibi; Nota taciturnitatem consensui non comparari; sic & in seruitute imponenda &c. Item in furto &c. Item in eo, qui impedire non potest, & in eo, qui erubescit loqui; Item in eo, qui scit ius suum durare; verba autem tex. sunt hæc. Inuitum accipere debemus non eum tantum, qui contradicit, verum etiam eum, qui consensisse non probatur, & benè facit *d. l. 1. C. de fil. fam. lib. 10.*

Licet plus sit expresse contradicere, quam minime consentire, vt inquit *cap. maiores 4. §. vlt. de bapt. & in cap. Sicut 33. de simon.* ibi; Quia tamen longe diuersum est non præbere consensum, & expresse aliquid prohibere.

Nota tamen medium esse inter consentire, & dissentire scilicet, non dissentire, vt dicit *Glos. verbo, non dissenserint, in cap. Cupientes 16. de elect. lib. 6.*

Absens dissentiens, non consentiens esse dicitur, inquit *Glos. verbo, Creditum, in l. Rescriptum ff. de pact. per tex. in l. In eo §. Deinde ff. de rit. nupt.*

Consensum enim non ignorantiam volumus obligari, inquit *l. 3. C. de tabul. lib. 10.*

Non est grandis differentia, an lethum inferas, vel admittas; mortem enim languentibus probatur instigere, qui hanc cum possit, non excludit, ait *cap. 1. 83. dist. Et cap. Omnes 17. q. 4. & in cap.* Qui autem manifesto facinori desinit obuiare cum potest, consentit, & *in Glos. verbo, Consentiret, in Extrauag. 3. de verbor. sign.* ibi. Consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.

Et consentiẽtes pari pœna (scripturæ testimonio) punitur, dicit *cap. 1. de offic. deleg. vbi Glos. verbo*, Pari pœna *constringuntur &c.* Argum. contra. Quod magis puniuntur consentientes, quam agentes &c. Ad hoc nota, quod quadruplex est consensus, scilicet negligentiæ, consilij cooperationis, & authoritatis, seu defensionis. In primo casu minus peccat consentiens, quam faciens, nisi forsan negligentia nimis crassa fuerit, vt in prælato &c. In Secundo casu scilicet consilij minus punitur, plus tamen quam negligens &c. In tertio casu cooperationis æqualiter peccant facientes, & consentientes & secundum hoc intelliguntur omnes authoritates, quæ dicunt, quod æqualiter puniuntur. In quarto casu authoritatis, siue defensionis magis pec-

cat

eat consentiens defendendo, & authorando, quàm faciens, & magis puniendus est, vnde versus.

Consensus, spernit, suadet, iuuat, ac tuetur,
Hic minus, hicque minus luit, hic aequaliter, hic plus
Consentis, operans, defendens, non reprahendens.

Omnium voluntatem esse sequendam non ambigitur; iniquum, enim visum est voluntatem vnius ex modica fortè particula dominij praeiudicium socijs facere, ait *l. Si autem* 10. *ff. de aqua plu. arcen. vbi Apostil.* sic. Adde tu ad hoc dictum, quod quando plurium consensus requiritur, quod semper debet simul, & vnicè praestari, maximè si potest praeiudicari tertio, vbi allegat *l. Et suum §. hodie ff. de pact.* & alia; Cum enim minuatur ius eorum, consequens est, exquiri, an consentiant, vt inquit *l. In concedendo* 8. *ff. eod. tit. de aqu. plu. Et addit l. In diem* 9. *eod. tit.* sic. Ideo autem voluntas exigitur, ne dominus ignorans iniuriam accipiat; nullam enim potest videri iniuriam accipere, qui semel voluerit.

In omnibus rebus, quae dominium transferunt, concurrat, oportet affectus ex vtraque parte &c. nisi animus vtriusq; consentiat perduci ad effectum, id quod inchoatur, non potest, itá dicit *l.* 54. *ff. de act. & oblig.*

Indulgendum est consensui communi partium *l. Si Constante* 19. *C. de donat. ante nupt. vbi Glos. verbo, Indulgendum,* sic. Id est remittendum aliquid de rigore iuris. Sed ipsemet consensus partium non potest de iure aliquid relaxare, vt tenet *Glos. verbo, veterani, in l. Filius* 8. *§. Veterani ff. de procur.* ibi. Non potest consensus partium de Iure aliquid relaxare sic suprà &c. & in iuramento calumniae &c. & in comparatione facienda ex priuata scriptura aliter, quàm lex velit &c. & in testificatione patris, & filij &c.

Dum aliquis alij consentit, Iura sua perdit, dicitur *in l. Cum quadam* 26. *C. de admin. tut.*, & probatur *in Auth. vt immobil. ante nupt. donat. §.* 1. *coll.* 5. ibi; Si semel consensus fiat, &c. & rursus aliam professionem scribi confirmantem consensum, & tunc ratum esse, quod factum est; vbi *Glos. verbo Consensum,* notat duplicem consensum operari plus, quam vnum.

Consensus paternus requiritur in iudicio cum filio familias, vt habes in verbo, *Pater*; semel, tamen praestitus in causa principali, durat etiam in causa executionis, nec amplius requiritur nouus consensus, itá dicit *ex Bald. Apostil. ad Glos. verbo, Inuito patre, in l.* 3. *§. Sed vtrum ff. de minor. vbi praedicta Glos.* sic dicit. Ratio est, quia in prima causa consensit. Intelligi tamen semper patrem consentire, nisi euidenter dissentiat, inquit *l. sponsalibus* 7. *ff. de spons. & ibi Glos.* notat intelligi consentire, nisi contradicat, ex quo scit, vbi argumentum in contrarium ponit.

Si vnus duorum repraesentet personam, consensum à se datum vt vnus, potest tamquam alius reuocare, itá dicit *Glos. vlt. in cap. Sicut* 24. *de iur. iur.* ibi; Et si consensit tamquam Canonicus, potest posteà tamquam Episcopus reuocare, &c. Nam quaedam facit aliquis, tamquam alius.

Nota, quòd qui non potest facere, scilicet paciscì, alij tamen consentit; sic &c. & è contra quandoque potest per se, quod non potest per alium, vt dixit *Glos. verbo, Accommodauerit in l. vlt. C. de pact.* probat etiam *Glos verbo, Libertati, in l.* 2. *ff. de manumis. vend.* ibi. Et nota, quod potest alij consentire in eo, quod ipse per se facere non potest, pro quibus est optimus *tex. in*

l. 4.

l.4. §. vlt. eod. tit. in hæc verba; Sed si pignori obligatum sibi minor viginti annis manumitti patiatur, recte manumittitur. Quia non tàm manumittere is, quàm non impedire manumittentem intelligatur.

Qui non consentit, dissentit &c. inquit *Glos. verbo, Ignorat, in l. 1. §. Qui vas 49. ff. de furt.*

Nullus est errantis consensus, ait *l. non idcirco 9. C. de iur. & fact. ignor. Et l. ad probationem 23. C. locat.* ibi. Cum inscientia dominij proprij, & errantis nullum habeat consensum, & *in l. Si per errorem 15. ff. de iurisd. omn. iudic. vbi Vlpian.* sic inquit. Nec enim ferendus est, qui dicat consensisse eos in præsidem cum, (vt Iulianus scribit) non consentiant, qui errant. Quid enim tàm contrarium est consensui, quàm error, qui imperitiam detegit. Consensum enim non ignorantiam volumus obligari, vt dixit *Glos. verbo, Nunc in Extrauag. vnica de præb. ex dicta l. 3. C. de tabul. lib. 10.*

Nec enim habet locum consensus, vbi metus, vel coactio intercedit. Necesse est enim, vt vbi assensus cuiusque requiritur coactionis materia repellatur vt dicitur *in cap. Cum 14. de spons.*

Bona tamen erit cautela, vbi quis timet coactionem, vel metum sibi inferri fugam arripere, si posit, vt consulit *Glos. verbo, Per annum, in cap. Ad id 21. de spons.* in his versibus.

> *Effuge cum possis ne consensisse puteris;*
> *Nam si præstiteris, illius vxor eris.*

Naturalis facilitas est hominum ad dissentiendum, & non facile ad consentiendum, vt dicit *Iureconsultus in l. Item 19. §. Principaliter ff. de recept. arbitr.* ibi. Propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem &c. Non; quoniam consentire omnes facile est. Reliqua de materia dissentiendi vide infrà verbo, *Contradicere*.

Conscientia.

Bona, & timorata timere solet culpam, vbi culpa minimè inuenitur, vt habes in verbo, *Culpa*.

In his, quæ animæ salutem respiciunt ad vitandos graues remorsus conscientiæ pars securior est tenenda, dixit *Pontifex in Clement. Exiui vers. Nos itaque de verbor sign.* Vnde dixit *Glos. verbo, Consulas, in cap. Veniens 9. de eo qui cogn. consang.* Quod si quis excõmunicetur in terminis illius textus sustineat potius excommunicationem, quàm veniat contra conscientiam.

In cap. Per tuas 35. de Simon. sic dicitur; licet ex eo, quod conscientiam nimis habuerit scrupulosam in difficultatem huiusmodi sit colapsus, quam vtique non euadet, nisi deponat errorem, vbi, *Glos. verbo, Ministret*, sic. Si habet super hoc conscientiam læsam, nec Papa eius conscientiam posset mutare, nisi ipse met eam mutaret; quia vis animo fieri non potest.

Puritati conscientiæ conuenit iudicium rationis, vt dicitur *in cap. 2. de regul. lib. 6.* ibi; licet zelum animarum habentes eas lucrari Domino sollicitè cupiatis, quia tamen decet, & expedit, vt conscientię puritati non desit iudicium rationis, ne vnde spiritualis profectus quæritur, salutis dispendium subsequatur, & bene probat *Propheta Psalm. 98.* ibi. Honor regis iudicium diligit.

Sola est Omnipotentis Dei districtio pensanda, atque ad cor proprium recurrendum semper, vt nullius ibi lingua implicet, vbi conscientia non accusat.

Quem

Quem enim conscientia defendit, liber est inter accusationes, & liber sine accusatione esse non potest, si sola, quæ interius addicit conscientia accuset, inquit *cap. In cunctis* 11. *q.* 3.

Et faciunt optimè, quæ *Senec. Epist.* 34. vbi. Sic. dicit. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum, auresq; vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxia, ac solicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire, cũ tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem!

Consilium.

ALiud est reuerentiæ, aliud perfectionis, vt per *Glos. vlt. in cap. Ad aures* 7. *de ætat. & qualit.* in his verbis. Hoc est Consilium reuerentiæ, cui obediendum est &c. Secus in consilio perfectionis &c. quale est illud, si vis perfectus esse, & de quo idem *tex.* ait, ibi; Tibi breuiter respondemus, quod si super præmissis conscientia tua te remordet ad maiores ordines de nostro consilio non ascendas, idem dicit *Apostilla verbo, in potestate, ad* §. 1. *de nupt. in Instit.*

Verbum Consilium pro necessitate sępe ponitur, vt habes *in verbo, verba, vers. Reuocari debet.* Et aliquando ponitur consilium pro consensu &c. Contrarium credo, quia cum habet eligere de consensu, non sic liberam habet potestatem, sicut de consilio, ità ponit *Glos. verbo, cum consilio, in cap. Vnico* §. 2. *Ne sed vac. lib.* 6.

Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pænitebis *Eccles. cap.* 32. Vir enim cousilij non disperdet intelligentiam, vt per eundem ibidem. Erit namque salus, vbi multa consilia sunt *Prouerb.* 24. 5.

Vbi periculum maius intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum, dicitur *in cap.* 3. *de elect. lib.* 6.

Nota, quod quis inuitus tenetur consulere, sicut iudicare &c. Non autem recipere comotomissum, vt &c. ità dicit *Glos. verbo, Concessum, in l.* 2. *C. de proxim sacr. scrin. lib.* 12. Ex quo tex. infert *Ioan. de Platea.* Quod potestas potest compellere iuris peritos, & aduocatos, vt dent sibi consilium, etiam in causis criminalibus per *l. Custodias, ff. de custod. reor.*

Nota consulendos, qui sciunt, vt inquit *Glos. verbo, Medicis per tex.* ibi; Medicis denunciantibus *in l. semel C. de re mil. lib.* 12.

Consilium plurimorum, quod sit sequendum, vide verbo, *Iudicium plurimorum.*

Vbi consilium datur offerentis arbitrium est. Vbi præceptum, necessitas est seruientis, vt obediat, vel imperantis, vt ei obediatur *ex Diu. Gregor. refertur in cap. Quis quis* 14. *q.* 1. *ad fin.*

Omnes vnde volunt, consulunt, sed non semper, quod volunt audiunt, dixit *Augustin. lib.* 10. *confess. cap.* 26.

Operari quidem velociter consulta; consulere autem tardè, *Arist. in Ethic.* Sed interdum locus, vel tempus non patitur plenius deliberandi consilium, vt inquit *l.* 1. *in fin. ff. de exerc. act.* Quia quandoque res celeritatem desiderat, vt inquit *l.* 1. *ff. de damn. infect.* coniuncta *glos. verbo, Necessitas, in cap. Constitutionem* 9. *de sent. excomm. lib.* 6.

Ex consilio nemo obligatur &c. consilium verò aliorum non inducit necessitatem, sed de honestate requiritur, vt inquit *Glos. penult. in cap. Ne pro defectu* 41. *de elect.* Et *glos. verbo, In tractatu, in cap. Cum veteri* 51. *de elect.* Sic dicit. Et ex consilio nemo ad id obligatur &c. Quia responsum eorum semper est expectandum, alias delu-

delusorium videretur tale consilium petere.

Quid autem operetur consilium petere, ex quo sequi non tenentur, vide *cap. Cum olim de arbitr.* Sed melius inuenitur *in l. Si in tres 20. ff. de recept. arbitr. ibi*. Quia in plures fuit compromissum, & potuit præsentia eius trahere eos in aliam sententiam. Sic etiam poterit consilium, quod dandum est trahere illum, qui tenetur petere in meliorem sententiam; Et ideo si non petitur, actus nullus est, licet non sit nullus post petitum, & non acceptatum consilium, est *Glos. optima in l. Si quis mihi bona 25. §. Si coram Titio verbo, Recte puto, ff. de acquir. hæred.* ibi; Sed quid si adiuit sine eius consilio? Responde nulla est aditio, & non sufficit, quod tantum requiratur consilium, sed necessarium est, quod illud expectetur, vt dixit *Glos. verbo, Consensu, in cap. Cum consuetudinis 9. de consuetud.*

Glos. verbo, Discordet, in d. cap. Cum olim, hæc etiam dicit. Plerumque enim tenetur quis quærere consilium, sed non tenetur sequi, *& ibidem Apostill.* sic. Et est simile, quod dicitur in regula Sancti Benedicti *cap.* 2. ibi. Conuocet Abbas omnem congregationem, & audiens consilium fratrum tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit, id faciat, quod confirmat dictum *Senec. lib. de quatuor virtut.* ibi. Prudentis est examinare consilium.

Sin verò persuaseris mihi &c. tecum nullam esse actionem &c. Quia rem meam ipse gessi, inquit optima *l. 1. §. Idem Pompon. ff. depos. vbi Glos. verbo, Quia* sic ait; Nota. Neminem ex consilio obligari, vt infra *tit. 1. l. 2. in fin. his verbis*. Quia nemo ex consilio obligatur, etiam si non expediat ei, cui datur, quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium (& *ead. Glos.* notat aliquas fallentias, quæ alias fallentiæ non mihi videntur.

Non est turpe, cum re mutare consilium dixit *Senec. lib. 4. de benefic. cap. 38. & in cap. 39.* sic. Destituere leuitas non erit, si aliquid interuenit noui. Quid autem in sapiente? te remitto ad verbum, *Sapiens*.

Est verum, eum, qui non animo procuratoris interuenit, sed affectionem amicabilem promisit in commonendis procuratoribus, & actoribus, & in regendis consilio mandati non teneri, sed si quid dolo fecit, non mandati, sed de dolo magis teneri, ità ait *l. Idem 10. §. Si cui ad fin. ff. mandat. vbi glos. vlt.* sic. Rogatus dixit se interuenturum, vt consiliarius, &c. Sed huiusmodi rogatio, quo ad monitionem fuit, vndè non nascitur obligatio, vt &c. Item secus, si non fuit admonitio simplex, vt &c.

Nec enim, qui alicui malum consilium dederit furtum facit, non magis, quã si ei persuaserit, vt se præcipitaret, ait *l. Qui seruo 36. ff. de furt. & ibi glos. verbo, Non admittunt, in fin.* Sic. Quia nemo tenetur furti ex solo consilio, sed *Apostill. ibidem* contradicit sic. Tu dic contrà per *tex. in cap. Querelam de elect.*

Consilium autem dare videtur, qui persuadet, & impellit, ac instruit consilio ad furtum faciendum, sic ait *l. in furti 51. ff. de furt.* vbi etiam dicitur, opem fert, qui ministerium præbet, atq; adiutorium. Et *in l. aut facta 16. ff. de pæn. ibi*. Quosq; alios suadendo iuuisse, sceleris instar est. & ibi *Glos. verbo Iuuisse*, sic. Idest compulisse ad aliquod maleficium faciendum.

Est consilium, & fauor, qui adijcit ad delictum, & qui non adijcit, & vtrq; tenetur, sed primus plus, vt inquit *Glos. verbo, Consiliarios, in Clement. vnica de for. comp.*

Non solum consilij sed, & facti fugere est,

est, ait *l. Bouem* 43. *ff. de adelic. edict.* Et ibi *Glos. verbo, fugere*, ita dicit, sic alias exigitur factum non consilium tantum, vel pro positum.

Glos. verbo Consilio in cap. Venerabilis 37. *de offic. deleg.* sic ait. Ecce casus, in quo consilium est sequendum, quia sumitur pro consensu, quando scilicet datur Coadiutor suspecto administratori, sine cuius consilio hoc est consensu, coadiutus suspectus non potest quicquam facere.

Dubium non est omnia omnino, quæ consilio rectè geruntur iure, meritoq; effectu, & firmitate niti, dixit *l.* 3. *C. de repud.*

Quicquid consilij mod ratione perficitur, non consueuit plenitudinis robore profundi, sed perpetua firmitate durare *ex d. l. supra proxime deduxit*, *Glos. verbo, Plenissimè, in Auth. de apppell. §.* 1. *coll.* 4.

Consilij perfectioribus causam quis considerans potest quilibet se corrigere, vt habes *verbo, correctio*, vbi nec Imperator erubescit de se corrigendo.

Consilium eorum sequendum, qui non habent interesse, nec spem habendi, deducitur *ex l. vidua* 18. *C. de nupt.* ibi. Eorum volumus authoritatem, iudiciumque succedere, ad quos etiam si fatalis sors intercesserit, tamen hæreditatis commodum peruenire non possit.

Consilio pollet, cui vim natura negauit, dixit *Glos. verbo, Personalium, in l.* 1. *C. Qui morbo se excus. lib.* 10. quod fallit in fœmina, cuius consilium etiam in proprio commodo laborat, sed dictum *Glos.* intelligitur, de illis, qui defectuosi nati sunt, & in illis quibus aduersa fortuna est iuxtà *d. l. vidua C. de nupt.* Nam pauper locutus est sensatè, &c. vt dicit *Ecclesiastic. cap.* 13. *ad fin.* Mulieris autem fragile, & mutabile consilium est, vt dixit, *Glos. vlt. in l.* 1. *C. de confirm. tut.* Et tamen dixit *Imperator in Auth. vt iud. sin. quoq. suffragat §.* 1. *vers.* Hæc autem omnia *coll.* 2. ità; Et hic quoq; participem consilij sumentes eam; quę à Deo data est nobis reuerentiam coniugem &c. vbi *Glos. verbo Coniugem*, sic, & nota, quod consilium ab vxore sumendum est, vnde Cato dixit, à seruis consilium exigendum.

Sed hoc non tollit, quod infirmum sit consilium fœminæ; masculi vero firmũ, & bonum, vt dixit *glos. verbo, Approbata est; in §.* 1. *de satisdat. tutor. in Institut.* Vbi *Apostill.* addit; Consilium patris, & sic masculi est firmum, & bonum, & non matris, & sic fœminæ est consilium debile.

Constitutio.

Differentiam inter legem, & constitutionem ponit *Bart. ad rubricam C. de legat. Et additio ad glos. Verbo, Decisiones, in l. Vnica C. de emendat. Codic.* Sic, Lex est, quæ profertur à populo interrogante, vel alio interrogante pro populo, qui populo præest. Constitutio est principium edictum, & licet alias edicta ponantur propriè pro edicto prætorum tamen in dicta rubrica de legibus ponitur pro omni lege, quæ est siuè vocatur edictalis.

Hoc etenim nomini dubium est, quod si quid in posterum melius inueniatur, & ad Constitutionem necessario sit redigendum hoc à nobis constituatur, dixit *Imperator in l. vnica §. hic igitur C. de emendat. Codic.*

Constitutio noua derogat antiquæ, licet de ea, non fiat mentio, vt dixit *Pontifex in cap.* 1. *de Constit. lib.* 6. ibi. Constitutionem condendo posteriorem, quamuis de ipsa mentionem non faciat reuocare noscatur.

Nec sit necessarium, cum Constitutio solemniter editur, aut publicè promul-

gatur ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare, sed id solum sufficit, vt ad eius obseruantiam teneatur, qui nouerit eam solemniter editam, aut publicè promulgatam, dixit *cap. 1. de postul. præl.*

Constitutio declaratoria debet intelligi secundum omnes clausulas Constitutionis declaratæ, nisi aliud dicatur in Constitutione declaratoria, itá ponit *Glosa in casus positione notabil. 1. in cap. Eum qui 18. de preben. lib. 6.*

Ad præterita ergo non se extendit hæc Constitutio, tum quia non est veteris Iuris declaratio, immò correctio: Tum quia de præteritis non cauetur in ea, dixit *Glos. verbo, De cætero, in cap. 2. de concess. præb. lib 6.*

Constitutum.

QVI constituit se quidem obligat, patrem veró non liberat, inquit *l. Si filius 15. ff. de in rem vers.*

Consuetudo.

DIscribitur, quod sit Ius quoddam moribus institutum, quod prò lege suscipitur, cum deficit lex, vt *in cap. Consuetudo, 1. dist. & Glos. verbo. Consuetudo, in cap. 3. de consuetud. lib. 6.*

Hæc quandoque vetusta &c. quandoque inueterata &c. Quandoque vetus &c. quandoque perpetua dicitur iuxtá ea, quæ tradit *Glos. verbo, Consueuit, in Extrauag. Vnica ne Sede vacan. inter comm.*

Quemadmodum, quod iure concessum est, legitimum est, ita legitimum dicitur, quod antiqua consuetudine fit, cuius memoria non existit: Hæc enim æquipollent, vt dixit *Glos. verbo, Generalibus, in Extrauag. 2. de sepultur. inter comm.*

Vetustas semper prò lege habetur minuendarum litium causa dicit *l. In summa 2. ff. de aqu. plu. arc. & ibi glos. verbo, Minuendarum*, sic; Et nota, quod natura, & loci vetustas cedunt legi superuenienti &c. Item lex, & natura cedunt vetustati.

Est enim consuetudo, altera lex &c. Nam & dat Iurisdictionem, æquiparantur, namque lex, & consuetudo, vt dicit *l. 6. in fin.* in hæc verba. Nisi lex municipij vel perpetua consuetudo prohibet *ff. Quod cuiusque vniuers. vbi Glos.* ita inquit. Et sic nota hic, consuetudinem, etiam specialem vincere legem in eo loco, in quo est &c. sicut generalis generaliter, & facit *cap. Quoniam sunt de consecr. dist. 3.* ibi; Quoniam consona, & conueniens per omnes Ecclesias custodienda consuetudo est.

Et in cap. Dilecti 4. §. Quamuis de arbitr. sic dicitur. Quia tamen iuxta consuetudinem approbatam, quæ pro lege seruatur in partibus Gallicanis fæminæ præcellentes in subditos suos Ordinariam Iurisdictionem habere noscuntur, vbi *Glos. verbo, Consuetudinem*, sic; Quæ pro lege seruatur, & & itá est argumentum, quod Consuetudo dat Iurisdictionem, & derogat Iuri scripto.

Nota, quod consuetudo parificatur priuilegio &c. item patet hic, quod consuetudo dat Iurisdictionem &c. itá dicit *Glos. verbo. Consuetudinem, in cap. Nouit 13. de iudic.*

Consuetudo an vincat legem? Vide *in glos. verbo, Sepeliri, in l. 3. §. Si quis ff. de sepulchr. viol.* quod in feudis vincat, dicit *Glos. 1. in cap. vnico de feud. cogn.* Et in consuetudine generali idem dicit *Glos. verbo, protocollum,* in *Auth. de tabell. §. Illud quoque coll. 4.* ibi; Quæ consuetudo cum sit generalis, vincit hanc legem generaliter, &

glos.

glos. verbo, Desuetudine, §. Igitur in proœmio Instit. ibi. Nota legem tolli per desuetudinem, vel contrariam consuetudinem, & iterum eandem consuetudinem per superuenientem, legem tolli, vbi *Apostill.* Sic addit. Si in tali non vsu, sit implicitus vsus contrarius, alias non.

Cum consuetudinis vsusque longæui non sit leuis authoritas inquit *cap. 9. de consuetud. & Glos. verbo, De consuetudine, in cap. in Genesi 55. de elect.* Loquens in electionibus dicit ità. Sic videtur, quòd in talibus potius standum sit consuetudini, quàm alicui Iuri. Sic ergo consuetudo specialis deroga legi specialiter, vt hic &c. *ait glos. verbo, Municipalis, in l. 3. §. Plane ff. quod vi.*

Aequè punitur transgressor consuetudinis, sicut transgressor legis, inquit *glos. verbo, loci consuetudinem, in cap. in quibusdam 32. §. vnico de decim.*

In omnibus his potissimè consideranda est consuetudo cuiuscumque Ecclesiæ, quæ dat Iurisdictionem, inquit *glos. verbo, Si prælati, in cap. Quanto 7. de offic. ordin. & in cap. Duo 9. eodem tit. tex.* sic ait. Vel prisca illis contulit consuetudo ab antiquo, & *in cap. Cum contingat 13. de for. compet.* ibi. Ex indulgentia, vel consuetudine speciali Iurisdictionem huiusmodi valeant sibi vendicare, & ibi *glos. vlt.* sic. Nota, quòd consuetudo dat iurisdictionem, & in *cap. Litteras 13. verbo, In tua, de restit. spoliat.* ità; In his enim consuetudo seruatur, quæ dat Iurisdictionem qui *tex*, loquitur de Archidiacono, & dicit potius cognoscunt ex consuetudine, quàm ex Iure, & *glos. verbo, Legitima, in cap. Accedentibus 12. de excess. prælat. & glos. vlt. in cap. Litigantes 5. de offic. Ordin. lib. 6.* ibi; Et sic nota, quod consuetudo dat Iurisdictionem per *tex.* ibi. Nisi sibi aliud de consuetudine competat in hac parte, & *in cap. 2. de except. lib. 6. per tex.* ibi. In casu, quo ad eum pertinet cognitio de consuetudine, vel de iure, & *in cap. 1. §. 1. de appell. lib 6. per tex.* ibi. Nisi aliud Romanæ Ecclesiæ de consuetudine competat in hac parte, vbi *d glos.* addit Idem, si de priuilegio, cum ista sint paria, & *glos. verbo, Consuetudine, in l. vlt. C. de emancip. liber.*

Quod amplia etiam procedere in foro pœnitentiali, vt dicit *glos. magna, verbo, à Iure, propè fin. in Extrauag. 2. de sepult. inter comm.* ibi. Nam consuetudo dat Iurisdictionem etiam in foro pænitentiali.

Amplia etiam in mulieribus, quibus licet prohibeatur iudicare, & arbitrari, tamen possunt ipsæ arbitrari, vt inquit *glos. vlt. C. de arbitr.* ibi. Serua consuetudinem, quę dat eis Iurisdictionem, & tu notas etiam verbo, *Mulier.* Cogita tamen, an hoc extendatur generaliter ad omnes mulieres, quia *tex.* tantummodo loquitur de certis Comitissis.

Non nunquam & longa consuetudo in ea re obseruata respicienda erit, quod etiam custodienda principes nostri consulti de adligendis in ordinem, inquit *l. Non tantum 11. ff. de decurion.*

Consuetudo dicitur altera natura apud Medicos, & apud nos probat *glosa uerbo, Cum per rerum naturam in l. Actor 23. C. de probat.* ibi. Consuetudinem namque alteram naturam appellamus, idem *glos. verbo, Natura, in l. 1. ff. ad Macedonian.* ibi. Natura, idest consuetudo, quæ est altera natura, vt *de liber. & posth. l. Si quis posthumos 1. responso &c.* vbi etiam *glos. verbo, Consuetudo.*

Nota, quod non intelligitur culpa, quam consuetudo admittit ità inquit *glosa verb. Culpa, in l. Pignus 8. C. de pignon. act.*

act. per tex. ibi; Si tamen horreis; quibus alij solebant publicè vti.

Præses probatis ijs, quæ in oppido frequenter in eodem genere controuersiarum seruata sunt, causa cognita statuet inquit *l. 1. C. quæ sit long. consuet.* *eadem verba l. 3. C. de ædific. priu. vbi Glos. verbo, Seruata*, dicit. Nota de authoritate consuetudinis; talis namq; est, quod priuilegiat aliquem, sicut principis priuilegium; Nam consuetudo vice principis fungitur, vt dixit *Glos. verbo, Intus, in cap. Nos de pac. Const.* & facit licitum, quod aliàs est illicitum, vt *per Glos. verb. Præcipiant in Auth. de defens. Ciuit. §. Et iudicare in fin. coll. 3.* Et est valde notabilis conclusio *Glos. in verbo, Hoc est viginti, in Auth. de exhiben. re. §. Illud. quoque coll. 5.* quæ loquens de dilatione data à lege, quod possit à Iudice abbreuiari ex consuetudine, sic dicit. Item consuetudo sic vult, & interpretatur, ergo seruandum est, taliter, quod potest ipsa consuetndo de se dicere illud vulgare. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Quid autem dicendum, si adest consuetudo in foro iudicij, & contraria in loco contractus? Tu dicas, aut consuetudo spectat ad litis ordinationem, & tunc sernatur, illa, quæ est in foro iudicij. Aut ad litis decisionem, & tunc illa, quæ in foro, seu loco contractus est, vt *in l. 1. in princip. ff. de vsur. & l. Si fundus ff. de euict.* ità respondit. Addit. *ad Glos. verbo, Controuersiarum in l. 1. C. quæ sit. long. consuet.*

Esse enim tollerabilia, quæ vetus consuetudo comprobat, inquit *l. Imperatores 13. ff. de pollicit.* Et in *l. Anniculus 132. ff. de verbor. signif.* Attendi consuetudinem loquendi, dicit, ibi. Et consuetudo loquendi id ità esse declarat. Vnde si non appareat, quid actum est, Consequens erit, vt id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur, dixit *Iureconsult. in l. Semper 35. ff. de reg. iur.*

Consuetudo an possit interpretari ius, & æquitatem habes verbo, *Interpretatio.*

Nos autem considerantes, quod licet vsus, vel consuetudinis non minima sit authoritas, nunquam tamen veritati, aut legi præiudicat inquit *cap. Cum causa 8. de re iudic.*

Nec etiam præiudicat consuetudinibus generalibus Ecclesiæ, vt tenuit *Glos. in cap. Dilecti 13. de maior. & obed. verbo, Consuetudinis*, ibi. Sic patet, quòd consuetudo non habet locum in hoc casu, cum talis consuetudo sit contrà generales Ecclesiæ consuetudines.

Potest quis fideiubere in causa sanguinis ad pœnam corporalem, si id consueuit fieri, vt deducitur ex *Glos. verbo, Ab vniuersitate, in cap. Vassalli de pac. Const.* ibi. Quæ consuetudo habet potestatem in causa sanguinis.

Nunquid iudicatur exemplis? Respondetur, non, vt *in l. Nemo Iudex C. de sent. & interloq.* Sed ex consuetudine, quæ probatur exemplis, & sic conceditur aliquid per obliquum, quod directo non conceditur &c. vt dixit *Glos. in rubric. C. quæ sit long. consuet.*

Præses prouinciæ, probatis his, quæ in oppido frequenter in eodem controuersiarum genere seruata sunt, causa cognita statuet. Nam & consuetudo præcedens, & ratio, quæ consuetudinem suasit custodienda est, & ne quid contrà consuetudinem fiat, ait *l. 1. C. quæ sit longa consuetndo*, eadem verba habes iam suprà ex *l. 3. C. de ædific. priuat.*

Sicut enim leges stringunt, & regunt vitas hominum, ità & consuetudo retinet ius eorum, dixit *Glos. verbo, retinet, in l. vlt. C. quæ sit long. consuet.*

Consuetudine seruata regionum, dixit *l. Missi 7. C. de exact. tribut. lib. 10.*

Quam prisca, & inueterata consuetudo

sacris

sacris largitionibus inferri constituit, ait *l. vlt. C. de canon. larg. eodem lib.* 10. *& ibi Glos. vlt.* sic. Secundum consuetudinem vectigalia, scilicet personis pro rebus iniuncta sunt præstanda.

Nec vlla pro more prouinciæ sinatur exceptio, dixit *l. Nec exemplo* 36. *C. de decur. lib.* 10. *vbi Glos. vlt.* sic. Consuetudo non excusat, quod tu intellige iuxtà terminos eiusdem legis scilicet. Quando consuetudo à lege reprobata est, alias verò excusat. Nam tunc consuetudo vincit legem, vt dicit *Glos. in l.* 3. *C. de iur. Rerp. lib.* 11. ibi. Vel dic secundum consuetudinem, quæ est lex &c. secundum hoc consuetudo vincit legem.

Quod facit consuetudo hoc, & pactum facit, dixit *Glos.* 1. *in l. Domini prædiorum C. de agric. & cens. lib.* 11. Et sic tacitè semper videmur conuenire, quod est consuetum, vt dixit *Glos. verbo, Exigat, in l.* 4. *§. In commissoria ff. de leg. commiss.* & addit sic. Tu dic, Quod ea, quæ solita sunt fieri, & apponi in contractibus, non præsumuntur, nisi probentur, quando aliquid adijciunt obligationi.

Cum id tam ius scriptum approbet, quàm consuetudo actibus vtentium approbata, inquit *cap. Cæterum* 6. *de test. cog.*

Nota, quòd consuetudo facit aliquod Instrumentum authenticum, quod aliàs non esset &c. Sic & consuetudo facit aliquem illegitimum, qui aliàs est legitimus ad promotionem &c. Et personas legitimas ad matrimonium facit illegitimas, dixit *Glos. penult. in cap. Cum dilectus* 9. *de fid. instr.*

Sic etiam consuetudo facit aliquem ineligibilem, qui alias eligibilis est, sic Et qui legitimus est ad matrimonium contrahendum per consuetudinem fit illegitimus &c. Et sic consuetudo arctat iurisdictionem &c. Et consuetudo in electione præcipuè consideratur, ità ponit *Glos. vlt. in cap. Cum olim* 6. *de cleric. coniug. per tex.* ibi. Nisi &c. regionis consuetudo repugnet.

Nota, quod si Dominus Papa scribit pro aliquo eligendo semper interpretatio facienda est secundum consuetudinem illius Ecclesiæ, inquit *Glos. vlt. in cap. Ex parte* 10. *de conceß. præb.*

Et mos fidelissimæ vetustatis seruandus est &c. & in matrimonio seruatur consuetudo, vt dixit *Glos. penult. in cap.* Quod dilecto *de cons. & affin. per tex.* ibi. Et obseruatæ consuetudini deferendum, quam aliud in dissentionem, & scandalum populi statuendum quadam adhibita nouitate, est etiam *Glos. in cap. Quod super* 6. *eod. tit. de consang.*

Nota, quòd consuetudo reuocat statuta. Sed non priuilegia, ait *Glos. verbo, Consuetudine, in cap. vnico de capell. Monach. lib.* 6.

Per consuetudinem quæri posse ius cudendi monetam, dicit *glos. verbo, Consuetudinem, per tex. ibi, in Extrauag. vnica de crim. fals. & ibi Apostilla* sic. Quia, quæ potest princeps facere, potest etiam consuetudo *cap. Super quibusdam §. Præterea de verbor. sig.*

Vsitatum est, inquit *l. Si quis* 29. *ff. de vsufruct. vbi glos.* sic. Argumentum, quia vsitatum est, & *in summ.* sic. Licitum est arguere ab ijs, quæ fieri consueuerunt.

Egrè repræhendas, quod sinis consuescere, dixit *Hieronym. ad Letam.* Quia sic se habet consuetudo, quæ est seruanda in talibus, vt dixit *glos. verbo, sine dolo, in l. Si pignore §. vlt. ff. de pignor. act. iuncto tex.* ibi. Nam vsu hoc euenerit.

Ea, quæ sunt moris, & consuetudinis in bonæ fidei iudicijs, debent venire dicit *l. Quod si nolit* 31. *§. Si plures ff. de adil. edict. vbi Apostilla ità est hic glos.* iuncto textu ad hoc, quòd contractus dubij recipiunt modum, & formam, a consuetudine, & facit *l. Si fundus* 6. *ff. de*

*de euict.*ibi. Ex consuetudine eius regionis, in qua negotium gestum est, & *l. Qui semisses 13.§.1.ff.de vsur.* ibi. Si eam pecuniam depositam habuisset, idque ex consuetudines mandantis fecisset, non debere quicquam nomine vsurarum præstare.

Est argumentum, quod consuetudo Romanę Ecclesiæ ad consequentiam trahi non debet ab alijs. Argumentum contrà &c. Solue, quæ Romana Ecclesia seruat, & docet alios obseruare, ad illa seruanda tenentur subditi eius. Quæ verò in signum priuilegij seruauit nullus alius sine sua speciali licentia attentare debet, ità ponit *Glos. verbo, Romano, in cap. 1. de temp. ordin.* Quæ autem sunt illa specialia, vide *c. Quod translationem de offic. deleg.*

Glos. verò in cap. Cum olim 6. de consuetud. verbo, In Anglicanis, sic dicit: Cum eadem consuetudo in alijs erat Ecclesijs illa seruaretur &c. Si verò diuersæ essent consuetudines, Consuetudo Metropolitanæ Ecclesiæ seruanda est &c. vel (quod verius est) quæ melior seruari possit sine præiudicio aliorum, & *ibidem Glos. vlt.* sic. In dubio recurritur ad consuetudinem vicinarum Ecclesiarum.

Et in cap. Super eo.3. de cognat. spir. sic. De his te volumus consuetudinem Metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum inquirere, & diligentius imitari, & *in fin.* sic. Quia sicut graue est antiquam consuetudinem circumadiacentium Ecclesiarum contemnere &c. Et *ibi Glos. penult.* sic. Et ità consuetudo vicinorum locorum non est contemnenda.

Argumentum, quod consuetudo excusat in delictis &c. Argum. contra &c. Solue Consuetudo, siuè multitudo excusat à pœna temporali, quæ propter scandalum imponi non potest, sed à pœna æterna non excusat, immò amplius accusat &c. Et non minus ardebunt, qui cum multis ardebunt &c. vel dic, quòd consuetudo excusat in his, quæ sunt contrà ius positiuum, dum tamen sit rationabilis, & præscripta &c. In his verò, quæ sunt contrà Ius naturale nullo modo, nec illa consuetudo excusat, *Glos. penult. in cap. 2. de tempor. ordin.*

Propter scandalum, & multitudinem scilicet non puniendo multitudinem consuetudo toleratur, inquit *Glos. vlt. in cap. Quod translationem 11. de tempor. ordin.* Consuetudo enim, ea, quæ licita sunt reddit illicita, vt ait *Glos. vlt. in cap. 3. eod. tit.* Non tamen obtentu alicuius consuetudinis debes contra Sanctorum Patrum Constitutiones venire, vt inquit *cap. Cum satis 4. de offic. Archidiacon.* Si autem expressè non reprobassent consuetudinem puto, quod durasset, vt dicit *Glos. verbo, Reprobamus, in Clem. 2. de Religios. dom.*

Malæ consuetudines tamquam abortiua statuta non conualescunt tempore, vt dixit *Glos. verbo, Criminalibus, post medium in cap. Nos Romanorum de pac. Constan.*

Apud vos consuetum didicimus, vt cum aliquis intentionem suam fundauerit instrumentis, aut testibus ei Iuramentum nihilominus deferatur, quod si subire noluerit fides probationibus non habetur. Nos &c. talem consuetudinem reprobamus, dicit *Pontifex in cap. 2. de probat. & ibi Glos.* sic. Et est argumentum, quòd consuetudo non præiudicat scripto iuri, hoc est verum, vbi consuetudo obuiat rationi &c. Aliàs si consuetudo rationabilis esset, & præscripta benè præiudicaret.

Consuetudo attenditur in recipiendis muneribus circà spiritualia, vt inquit *Glos. verbo, prò exequijs, in fin. in cap. Sua nobis 29. de Simon.*

Eligere sepulturam possit (si consuetudo

terræ

terræ id habeat) hoc tamen non potest vbi consuetudo huiusmodi non habetur *cap: licet pater de sepult. lib.6. & ibi glos. verbo, Consuetudo*, itá; Sicut ergo consuetudo dat Iurisdictionem, & ius eligendi prælatum &c. Sic etiam dat Ius eligendi sepulturam.

Consuetudine an posit introduci, vt quis eligat confessorem sibi absq; licentia superioris? habes *verbo, Confessio vbi, quod non ex cap. penult. §. vlt. de pænit. & remiss. lib.6. vbi glos. verb. Consuetudine*, sic. Est enim onerosa Ecclesijs, ideo non valet.

Valet consuetudo, quod fructus vnius Ecclesiæ ad tempus alij applicentur; vt sit membrum vnius, & eiusdem temporis, Cum ista Ecclesia militans sit vnica, & vnum corpus mixticum faciat, dixit *glos. verbo, de Consuetudidine, in Extrauag. vnica ne Sede vac. inter comm.*

In his, quæ dubium est, cuius generis sint cósuetudinem patris familias spectandam non etiam in his, quæ certum eius generis non esse, vt dicitur *in l. Pediculis §. Argento ff. de aur. & arg. legat.* vbi *glos. verbo, Consuetudinem*, sic. Nota in dubiijs locum esse coniecturis ex consuetudine: Nam ex ea, & vsu testatoris voluntas eius declaratur, vt habes verbo, *voluntas*.

Et probat *l. Dominus 23. §. Testamentum in fin. ff. de pecul. legat.* ibi; Propter consuetudinem id quoque peculio legato contineri, quod & Dominica ratio haberet, & solita erat reddere.

In seruitutibus etiam consuetudo attenditur, vt dicis verbo, *Seruitus*, & inquit *glos. verbo, Interdictum, in l.1. §. vlt ff. de aqua pluu. arc.* In aqua etiam ducenda attenditur consuetudo, vt iam habes verbo, *Aqua*.

In omnibus vectigalibus ferè consuetudo spectari solet, idque etiam principalibus Constitutionibus cauetur, inquit *l.4. §. vlt ff. de publican. & vectig.*

Nota etiam, quod in feudis attenditur consuetudo loci, vbi res est, vt inquit *Glos. per tex. ibi. In capite sententiæ uerbo, Si qua controuersia de pac. Const.* verum est quod in feudis etiam legum Romanorum non vilis est authoritas, non tamen vsque adeo vim suam extendunt, vt consuetudinem vincant, aut mores, vt inquit *glos. uerbo, à successione, in cap. 2. de ijs qui feud. dar. poss.*

Nec etiam decernentes, vt si consuetudinem, quam allegat laudabilem esse constiterit, inquit *cap. 3. de eo qui mittitur in possess.* Non debet enim in hac parte Canonibus ex aliqua consuetudine præiudicium generari, inquit *cap. Clerici 8. de iudic.* vbi notat Glos. & intelligit de consuetudine irrationabili, & non laudabili. Et itá probat *glos. 1. in cap. Pastoralis de fide Instrum.* ibi. Si autem decretalis obuiat consuetudini, præualet consuetudo, modò consuetudo sit probabilis, & legitimè præscripta &c. Nisi Princeps per suum statutum intendat tollere consuetudinem, vt tu supra notas, & facit *cap. Cæterum 5. de iuram. calumn.* ibi; Præstari faciatis ab vtraque parte calumniæ iuramentum consuetudine, quæ legi contraria est, non obstante, vbi notat *glos. vlt.* ibi. Quod consuetudo, quæ est contrà legem, non est seruanda, scilicet, quando lex expresse tollit consuetudinem.

Male enim adinuentæ, malæ consuetudines, nec ex longo tempore, nec ex longa consuetudine confirmantur, inquit *Auth. vt null. iud. verf. nulli verò coll. 9. & tradit glos. vlt. in cap. vnico de alienat. feud. & in Auth. habita C. ne fil. prò patr.* ibi; Quod aliquando ex peruersa consuetudine factum audiuimus, vbi *glos.* sic. Nota peruersam consuetudinem non seruandam ex ratione *tex. in cap. licet in regulis 16. q. 3.* ibi. Ne per consuetudinem pessimam ex-

exempli mali temeritate crescente vniuersalis confusio nasceretur.

Et nota; quod tenetur iniuriarum, qui sciens vtitur iniusta consuetudine, vt dixit *Glos. verbo, vsurpatum, in l. Iniuriarum* 13 *ff. de iniur.* Sed notabiliora sunt verba *tex. in l. Neratius* 11. *ff. de seru. corrup.* ibi, Sed si consuetudine peccandi &c. subtraxerit &c. dicendum erit corruptorem non teneri, scilicet actione de seruo corrupto, vbi Apostilla sic, Iste *tex. secundum Bart.* facit ad quæstionem Theologorum, de quo per eum hic, & dicit vltrà per *tex.* istum, quòd ex consuetudine peccandi generatur quidam habitus, & talis secundum Philosophos, qui posteà euelli non potest, & si vult abstinere, non potest, ideo est resistendum principijs.

Bonæ verò consuetudinis non vilis est authoritas, vt *in cap. vlt. de consuetud. vbi optima Glos. de materia*; Sic enim facienda est distinctio inter bonam, & malam, taliter, quòd hæc reijciatur, non verò indistinctè, siue bona, siue mala amplectatur, vt ego pluries videns consuetudines pessimas, illasque & rationibus, & experientia impugnans obstinati respondebant; Sic consuetum est; O Deus bone! & si vos mihi conceditis nec negare potestis male consuetum, quare non disceditis à tali pessima consuetudine? Et tamen præualebant, quod quidem ægrè ferens cum aliud non valerent, tacebant. Nunc verò hic non tacebo, & dico, & iterum dico, vt auferantur omnes malæ consuetudines, quæ præbent causam mali exempli, confusionemque vniuersalem in quacumque republica, vniuersitate, & collegio, vt supra iam dictum est *ex cap. licet in regulis* 16. *quæst.* 3.

Consuetudo rustici apud rusticos seruanda est, vt dixit *Glos. verbo, Eum oportere, in l. Idem* 10. *§. Sed habeo ff. mandat.* ibi. Sed quid si erat rusticus, qui Eques viuit; vel quid si propè viuat? Responde, non repetit, Cum consuetudo sua sit seruanda, quæ *Glos.* est valdè notabilis in materia rusticorum, vt ibi dicis verbo, *Rusticus*,

In præscribenda consuetudine non est necesse allegare titulum *Glos. verbo, Sicut in d. cap. Nos Romanorum.* Nam vbi consuetudo rationabilis est, & non contrà Ius sufficit, quod sit longæua, licet quadraginta annis præscripta non sit, vnde dixit *Ioann.* tunc sufficere decem annos, vt ponit *Glos. verbo, Consuetudo, in cap. Cum in tua* 4. *de consuetud. lib.* 6.

Nota, quod duæ vices faciunt consuetudinem in criminalibus, dixit *glos. verbo, Consuetudini, in l.* 3. *C. de Episcop. aud. & glos. verbo, sapè, in Auth. de test. §. Quia verò coll.* 7. Inducitur etiam per duas sententias. Item, quia perpetuo sic obtentum est sine contradictione, vt dixit *glos. in rubric. C. quæ sit long. consuet. & glos. in c. Abbate* 25. sic. Ad hoc enim, vt consuetudo valeat oportet, vt sit obtenta contradictorio iudicio, idest si exaduerso negetur consuetudo, & verba *tex.* sunt. Ex hoc dici non poterat, quòd consuetudo aliqua, quasi contradicto iudicio fuerit introducta.

Consuetudo contra vtilitatem communem reprobatur, vt *in Extrauag.* 1. *de offic. ordin. inter comm.* ibi; Considerantes, quod consuetudo prædicta contrà communem vtilitatem, facultatem probationum (quæ non est angustanda) restringit, propter quod etiam vt salua, scilicet sit rerum probatio, quia publicè interest, ne veritas occultetur.

Contra consuetudinem, quæ excusat ab exactione tributi, non debet quid fieri, vt dicitur *in l.* 1. *C. de excoct. & translat. milit. annon. lib.* 12. ibi; contrà omnem consuetudinem à nulli con-

consistentibus famulis excoctionem panis eflagitent, & ibi, *Glos. verbo, A nullis,* sic; Idest non petant ab illis famulis excoctionem panis, quos consuetudo excusat.

Etiam apud nautas consuetudo obseruari debet, vt dicit *tex. in l. Cum duobus 52. §. Quidam sagariam ff. pro soc.* ibi. Cum non alias merces, quàm naui solerent aduehi, & ibi *Apostill.* sic. Iste textus est singularis ad hoc, quod culpa facere non videtur, qui facit, vt solet fieri.

Vltimo tandem non intelligitur derogatum consuetudini, vt dicitur *in cap. Cum in Ecclesia 25. de preb. lib. 6.* ibi. Nec contra dictam consuetudinem, cui per præfatum mandatum non intelligitur derogatum, vbi *Glos. vlt.* sic. Consuetudini ergo, per quam præbenda alteri debeatur, non derogatur; Sed consuetudini, per quam præbenda ad collationem alterius pertineat, derogat Papa, vbi determinatè non scribit ad collationem talis.

Contemnere.

EST voluntariè contradicere, inquit *Archid. in cap. Quicumque dist. 56. & Felin. in c. Cum quidam n. 7. de iur. iur.*

§. Contemnere omnia aliquis potest; Omnia habere nemo potest, dixit *Senec. Epist. 63.*

§. Ex conuersatione ęquali contemptio nascitur, dicis infrà verbo, *Conuersatio.*

Non enim contempsit disciplinam, qui ignorauit militem, dicitur *in l. Si ignorans 51. ff. locat. & ibi Glos. 2.* ait. Sic enim non contemnit clericalem habitum, qui clericum laici more incedentem verberat, vel castigat, vt suprà jam dictum est verbo, *Clericus.*

Continentia.

EST continens, potens nihil præter rationem propter corporales delectationes facere, & temperatus; Sed hic quidem habens, hic autem non habens prauas concupiscentias; Et hic quidem talis, qualis non delectari præter rationem; hic autem, qualis delectari, sed non duci, ita dicit *Arist. 7. Ethic. c. 12.* Ex quibus verbis patet differentia inter continentiam, & temperantiam.

Cicerò verò *lib. 2. rethor.* diffinit ita; Continentia est virtus, per quam consilium gubernatur, cupiditas regitur. Et dum hic illam vocat virtutem, videtur errare, cum virtus non sit sine habitu. Et quando diù homo continet, tunc transit in habitum, & dicitur virtus temperantiæ: Poterit tamen large vocari virtus continentia. Eadem est differentia inter incontinentem, & intemperatum: Quia ille non dum habitum vitij contraxit, ideo cognoscit se malè agere, licet ab effectu superetur, vt dixit *Poeta.*

Video meliora, proboque, deteriora sequor.

Iste verò, qui iam adeo in habitu vitij est constitutus, vt lumen cognitionis funditus amiserit, in tantum, vt peruersa natura rerum, bonum quidem malum arbitretur, & malum bonum, quod voluit idem *Arist. d. cap. 12.* ibi; Similes autem, & incontinens, & intemperatus alteri quidem existentes, vtrique autem corporalia dilectabilia prosequuntur, sed hic quid esset existimans oportere, hic autem non existimans.

Continētia facilius obseruatur in senibus vt inquit *tex. in cap. Cum in iuuentute 15. de præsumpt.* ibi; Cum labes huiusmodi quæ nonnunquam in iuuentute contrahitur, in senectute frequentius expietur, vbi *Glos. verbo, Frequentius* sic dicit, Non tamen semper iuxta illud

ſtultitia eſt, quæ te non ſinit eſſe ſenem, & illud, quod noua teſta capit inueterata ſapit, & difficilius continentiam ſeruat, qui illicito ſe concubitu maculare non metuit,

Difficile eſt namque continere, vt inquit *Gloſ. verbo, pauci, in cap. Quia ſanctitas 50. diſt. vbi alia iura, & ſtatim ſubijcit*; Nec tamen ideo minus delictum eſt, ſi ergo cupis hoc euitare delictum ſummis precibus à Deo poſtula, quia aliter non poteris eſſe continens, niſi Deus det, vt dicitur *Sapient. 8. ad fin. & Auguſtin. lib. 10. confeſſ. cap. 29.*

Ego facilius inueni, qui recte ſeruauerit innocentiam, quam qui congruè egerit pænitentiam, vt ait *Ambroſ. relat. in cap. Reperiuntur de pænit. diſt. 3. & conſonat cap.* Sunt, qui arbitrantur *de pænit. diſt. 1. & Gloſ. d. cap. Reperiuntur* intelligit innocentiam, hoc eſt virginitatem in his verbis. Facilius inuenio, qui ſeruet virginitatem, quàm qui poſt corruptionem carnis ſeruet continentiam. Nam tunc facilius cadet.

Apoſtilla tamen ad cap. Viduas 27. q. 1. contradicit ſic. Continentia difficilior eſt virginibus, quàm viduis, & ibidem ad verbum, vſæ ſunt, *ex Diu. Hieronym.* ſic dicit. Libido in virginibus maiorem patitur famem, dum dulcius eſſe putant, quod neſciunt, & tamen aliàs *Hieronym. ad Letam.* dixit. Et licet quidam putent maioris eſſe virtutis præſentem contemnere voluptatem. Tamen ego arbitror ſecurioris continentiæ eſſe neſcire, quod quæras.

Eo enim ipſo, quòd quis promouetur ad ſacrum ordinem, tacitè intelligitur vouere continentiam, etiam ſi nulla fiat mentio continentiæ, vt dixit *Gloſ. penult. in cap. Cum olim 6. de cleric. coniug. & latius habes in verbo, Ordo.*

Circa votum continentiæ fortè non poſſit diſpenſare, quia vix inueniretur melius, in quod poſſit commutari *gloſ. in cap. Sunt quidam 25. quæſt. 1. verbo Apoſtoli, iuxtà fin.* & facit *Gloſ. verbo Triduum, in cap. Ad noſtram 8. de regular.* ibi. Quia contra votum continentiæ non admittitur diſpenſatio. Quia continentia caſtitatis, & abdicatio proprietatis ità inhærent oſsibus Monachorum, vt nec Summus Pontifex valeat diſpenſare.

Incontinenti.

ILlud dicitur, quando continuus actus fit, & non alius incipiat fieri, vt tamen aliquod naturæ momentum interuenire poſsit, non tamen diei, vt dicitur *in l. Continuus 137. ff. de verbor. oblig.* Et in electione dicit *Gloſ. verbo, Mox, in cap. Quia propter 42. de elect.* ibi. Ideſt in continenti nullo actu contrario intermedio poſt vota quæſita, & vno contextu, ſicut in teſtamento &c. vbi etiam dicit, quod ſumitur cum quodam temperamento decem dierum & quandoq; ad annum, item quandoq; cum primum potuit, vbi iura allegat.

In l. autem, quod ait lex 23. §. vlt ff. ad l. Iuliam de adulter. ſic dicit *Vlpian.* Quod ait lex Iulia in continenti filiam occidat: Sic erit accipiendum, ne occiſo hodie adultero reſeruet, & poſt diem filiam occidat. Vel contrà. Debet enim propè vno ictu, & vno impetu vtrumque occidere æquali ira aduerſus vtrumque ſumpta, quod ſi non affectauit, ſed dum adulterum occidit, profugit filia, & interpoſitis horis apprehenſa eſt à patre, qui perſequebatur incontinenti, videbitur occidiſſe.

Et in l. 1. §. Item ſi ità legatum ff ad l. Falcid. ſic dicit *Paul. Iureconſult.* Et quod dixi, incontinenti, accipiendum eſt cum aliquo ſpatio, vbi *Gloſ.* explicat, quod magis intellectu percipi poteſt.

Et in l. 3. C. de error. aduoc. ità Imperator.

tor. Ex continenti, ideſt triduo proximo, vbi loquitur, quando aduocatus errauit in facto, & eius Clientulus vult emendare, quod debeat contradicere in continenti, ne ſibi præiudicet.

In teſte verò ſe volente corrigere (in continenti) intelligitur nullo interuallo facto, vt inquit *cap. Præterea de teſtib. cogen. vbi Gloſ. verbo, In continenti,* ſic. Ideſt in eadem inſtantia, antequam recedat à præſentia Iudicis, quia poſteà ſubornatus præſumitur, Sed hoc poſſet intelligi, habito reſpectu ad qualitatem perſonæ, vt ſic poſſit ſe corrigere, vel addere ex interuallo.

Continuatio, Continuum.

DE duobus facit vnum, & coniungit ita dixit *Gloſ. 2. in cap. litteras 13. de tempor. ordinan.*

Continuum recipit aliquod interuallum, vt *in cap. vlt.* ibi. Continue domeſtici commenſales, etiam ſi quos ex illis aliquando pro tuis negotijs gerendis abeſſe contingat *de verbor. ſign. lib. 6. & ibi Notat Gloſ.* Continue per iura, quæ ibi allegat, & notat *Gloſ. verbo, Mox, in Auth. de Iudicib. §. Sedebunt autem hi iudices continuè coll. 6. & quæ ſupra proximo verbo.*

Contradicere.

NEC enim videtur contradicere, cum non habeat iuſtam cauſam contradicendi, ait *Gloſ. in l. Dotem 38. ff. de ſolut. matr. per tex.* ibi voluntate filiæ videri patrem recepiſſe, cum cauſas contradicendi ei, filia non haberet, & ibidem *Bart.* ſic. Eo ipſo, quod quis contradicit, habet iuſtam cauſã contradicendi iuris permiſsione.

Contradictione impeditus excuſationem legitimam habet, vt dicit *l. Si eum ipſe 43. ff. de excuſat. tutor,* ibi. Mora contradictionis impeditus eſt, quominus liberaretur excuſationem rectè probari.

Contradictor iuſtus, & legitimus ille dicitur, qui allegat dominium, vt dicit *Apoſtilla ad l. Cum non iuſto contradictore ff. de colluſ. detegen. per tex. in l. 1. C. ſi de momentan, poſſ.*

Niſi euidenter contradicat, quis videtur conſentire, vt dicitur *in l. 2. §. vlt. ff. ſolut. matr.* & quomodo hoc intelligatur latius dictum extat ſuprà verbo, *Conſenſus.*

Contrahere, ſeu contractus.

HOC nomen largiſsimè ſumitur, ſiuè ſit verus contractus vel quaſi contractus, vel aliud vnde obligatio oritur, vt dicit *Gloſ. verbo, ſeu contractus in cap. vlt. de for. compet.*

Contractus legem ex conuentione accipiunt, inquit *l. 1. §. Si conueniat ff. depoſit. & in §. Si quis ſeruum ad fin.* ſic. Sequemur tamen, & quod habuerunt præſcriptum, aut quod conuenit.

Sicut initio libera poteſtas vnicuique eſt habendi contractus ità renunciare ſemel conſtitutæ obligationi aduerſario non conſentiente nemo poteſt, dicitur *in l. 5. C. de action. & oblig.* Cum ſua ſponte ſibi obligationem contraxerit, dixit *l. Interdum §. vnico ff. de iudic.*

Et Gloſ. verbo Agitur in l. 1. ff. de action. empt. dicit vterque ſit contractus neceſsitatis ex poſt facto, & *in l. 1. ff. de reſcinden. vend.* ſic, Pro vna parte contrahentium abiri pacto ab emptione non poteſt, voluntates enim legitimè contrahentium omnimodo conſeruandæ ſunt, vt dixit *l. de ſocietate in fin. Codice pro ſoc.*

Et plenissimam habere, firmitatem, vt pote imperialibus contractibus legis vicem obtinentibus inquit *l. Donationes 26. C. de donat. inter vir.*

Contrahentium voluntates non debent subtilitate verborum impediri, vt habes in verbo, *verba*.

In contractibus plus veritas, quàm scriptura attenditur; vide verbo, *veritas*.

Verba contractuum debent trahi ad possibilem, & non impossibilem intellectum, sic summatur *l. vlt. C. de contrah. & committ. stip.*

Etenim videtur impubes contrahere, cum adit hæreditatem, inquit *l. 3. in fin. ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. ea*. Idem & is, qui immiscuit se, contrahere videtur *l. 4. eod.*

Etiam per Ius iurandum quasi contrahitur, sicut per sententiam, vt inquit *Apostilla in l. Depositi ff. de pecul. per tex.* ibi; Si filius familias ius iurandum detulerit, & iuratum, sit danda est actio, quasi contractum sit, vbi *Bald.* dicit, Alibi melius non probari, quàm hic, quod per ius iurandum quasi contrahitur.

Sed & cum aliquis negotia mea gerit, non multa negotia sunt, sed vnus contractus, nisi si ab initio ad vnum negotium accessit, vt finito eo discederet; hoc enim casu, si noua voluntate aliud quoque aggredi cæperit, alius contractus erit, ità dicit *optimus tex. in l. Sed & 17. ff. de negot. gest.*

Eum enim, qui contrahit totum serui peculium, velut patrimonium intuitum dicit *l. hinc quæritur 20. ad medium ff. de pecul.* Nam qui cum seruo contrahit vniuersum peculium eius vbicumque est, veluti patrimonium intuetur inquit *l. Si ex duobus 35. ff. eod. tit.*

Non male contrahitur cum tutoribus, inquit *l. 4. ad fin. ff. de euict.* Qui autem cum pupillo contrahit ex vno latere constat contractus, ex altero verò claudicat: Nam qui emit obligatus est pupillo; pupillum autem sibi non obligat, vt dicit *l. iulian. §. Siquis à pupillo ff. de act. empt. vbi gloſ.* intelligit. Nisi locupletior factus sit pupillus, vt *C. de vsucap. pro empt. in l. fin.* Sibi enim imputent, qui cum tali contraxerunt dicit *l. 1. ff. de separat.*

Curate igitur cautè negotiari ne non tantum in damna huiusmodi, sed etiam in criminis suspicione incidatis, per optimè, ità consulit *l. 2 C. de furt. & seru. corrupt.*

Nota secundum *Bald. in antiqua lectura*, quod quando contractus ab initio non tenet ratione inhabilitatis personæ nunquam confirmatur, ità dicit *Apostill. ad l. 1. §. vlt. ff. commod. per tex. in l. vsufructus ff. de stipulat. seru.*

Cum ergo metus det causam contractui bonæ fidei, ipso iure nullus est contractus, vt *C. de rescind. vend. in l. 1.* inquit *Gloſ. verbo, Vllam, in l. Si mulier §. Si dos ff. quod met. cau*

Contrahentes non decipi debent, vt dicit *l. Sed & si §. penult ff. de institutor. act.* ibi. Sed si aliàs cum alio contrahi vetuit continua variatione danda est omnibus aduersus eum actio, nec etiam decipi debent contrahentes.

Quotiescumque in contractu nihil venit. Nisi quod inter partes expresse conuenit: Tunc ille contractus dicitur stricti Iuris *Gloſ. in §. vnico verſ.* Item in his in casus positione *de oblig. ex conſen. in Instit.*

Contractus tenet in Spiritualibus, licet dolus interueniat, habes infrà verbo, *Dolus*.

Contractus locus, quando attenditur, vide verbo, *Locus*.

Contraria.

SVnt, quæ mutuo se se expellunt, & ideo non possunt esse simul in eodem subiecto, vt dicit *Arist. in 5. Metaphy.*

& hac

& hac ratione procedit *tex. in l.* 1. *C. de furt. & ser. corrupt. ibi*. Nec enim æquitas patitur, vt criminis causam persequaris, & bonæ fidei contractum impleri Postules & *cap. Sollicitudinem* 53. *de appell. ad fin ibi*; Non est tamquam aduersa petens, & sibi contrarius audiendus, & in *l. Si ancillam, ff. pro suo ibi*. Nec enim idem, & pro suo, & clam possideri potest. Et ideo ad positionem vnius sequitur destructio alterius, vt per *Glos. in l. Sed & si pupillus* 11. *§. penult. verbo, si institoria, ff. de institor. ibi*. Nota ex hoc §. quod quando sunt duo contraria ad opositionem vnius sequitur destructio alterius.

Nam vbi est vnum de contrarijs, per consequens tollitur reliquum, vt inquit *Glos. verbo, Læsum, in Auth. de mandat. princip. §. Sed neq; hac per tex.* ibi Et non erit possibile vtrumque tueri, & lædentem, & læsum.

Quia si vnum contrariorum est bonum, reliquum est malum, vt inquit *Glos. verbo, Regni, in cap. Intellecto* 33. *de iur. iur.* & addit, Quandoque vtrumq; contrarium est bonum, vt nubere, & non nubere, vbi *Apostill.* sic. Habet hoc locum in præceptis, & prohibitionibus: in consilijs, & demonstrationibus, non.

Contrariorum eadem est ratio, dixit *Glos. vlt. in l. Et si* 35. *ff. de vulgar. per tex.* ibi; Vt quemadmodum portio, quæ per bonorum possessionem auget legata, ità & hic, quæ abscesserit, minuat, vide tamen *Glos. verbo, Non debet, in l. Qui proprio §. Procurator ff. de procur. vbi Iura pro & contra*.

Non solum nobis, sed nec cuiquam debuisses ex certa scientia contraria respondere, dixit *Pontifex in cap. vnico, vt Eccles. benefic.*

Ridiculum est eandem, & vt viduam, & vt nuptam admitti, inquit *l. Titia* 99. *ff. de condit. & demonst.*

Contraria non sunt, quæ ad eundem finem tendunt, dixit *Glos. verbo, Teneris, in cap. Si à iudice* 10. *de appell. lib. 6.*

Nota ex duobus contrarijs temperamentum, ponit *Glos. penult. in l. Si peculium* 20. *§. vlt. ff. de statulib.* vbi faciendum aliquid intrà tempus, dicitur, quod non tam celerius, nec tam longum debet assignari.

Contumacia.

EOrum est, qui ius dicenti non obtemperant, dicit *l. Contumacia* 53. *ff. de re iudic.* & prosequitur. Contumax est, qui tribus edictis propositis, vel vno pro tribus (quod vulgo peremptorium appellatur) litteris euocatus præsentiam sui facere contemnit &c. & addit; Contumaces non videntur, nisi, qui cum obedire deberent, non obsequuntur &c.

Glos. verò vlt. in l. vlt. ff. de restit. in integr. sic ait. Verum contumacem dico, qui aperte dicit se non venturum, ad quem sufficit vna nunciatio &c. fictum verò illum, qui inuenitur, & dixit se venturum vel nihil dixit, non tamen venit, ad quem ter debet nunciari.

Si contumax apparuerit, is, in quem fuit actio dirigenda, seu quia peremptoria citatione recepta venire contemnit, seu quia malitiosè se ipsum occultat, seu quia impedit, ne possit ad eum citatio peruenire, inquit *cap. Quoniam frequenter §. Porrò vt lit. non contest.* vbi *Glos. verbo, Impedit*, sic ait. Talis habetur pro citato denunciatione facta ad domum suam &c. Et ità sufficit, quod publicè edictum proponatur ad domum suam, vel Ecclesiam. Et sunt tres modi contumaciæ, & quocumque illorum aliquis contumax sit, habetur pro contumace vnde vers.

Casibus

Casibus in tribus; quis dicitur esse rebellis.
Impedit, occultat, iussis parere recusat.

Vide etiam latius in *Glos. verbo, Contumaciter, in cap. 2. de dol. & contum. vbi alios versus & glos. verbo. Non rectè in l. Ex consensu 24. §. Eum qui cognouit, ff. de appell. & ibidem glos. penult. in fin.*

Vt vniuersitas, vel Ecclesia sit contumax citetur in capitulo, vel arengo, dicit *Glos. in l. Non potest 160. ff. de regul. iur.*

Dolum autem committit, qui vocatus non venit nullam causam non habens non veniendi, vt infra *de reg. iur. l.* Non potest dolo, sic dicit *Glos. 1. in l. Minor 9. ff. de minor.*

Contumacia pro præsentia est, inquit *Auth. Qua in prouincia vers. Sed si C. vbi de crim. & in Auth. vt om. obe. iud.* sic. Nam qui per contumaciam deserit, in nullo minor præsente putabitur.

Causa autem cognita, & præsentibus aduersarijs, vel si per contumaciam definit, inquit, *l. In causa 14. §. causa, ff. de minor. vbi glos.* sic. Per contumaciam, quia tunc pro præsentibus habentur, & *Apostill. ibidem* ita; Ad hoc allegatur, quod paria sunt aliquem esse præsentem, vel absentem per contumaciam.

Non esse audiendum, si modo per contumaciam defuerit, sin minus auditur, dicit, *l. Et post 78. §. 1. ff. de iudic. vbi glos. verbo, Audiendum*, intelligit sic. Item hoc si est contumax in non veniendo, secus si in non restituendo.

Absens legitimè citatus præsumitur contumax, si non venerit, &c. Sed talis præsumptio eliditur per aliam præsumptionem, &c. *Glos. in verbo, Plenum, in cap. Ex litteris 4. de in integr. restit.* Tamen *in l. Locorum 11. C. omn. agr. descr. lib. 11.* dicitur sic. Propria confitentur absentia, nec adesse voluerint, vbi *glos.* sic. Nota contumacem pro confesso &c.

Non enim statim Iudex propter contumaciam alterius partis constituet præsentem possessorem causa rei seruandæ, inquit *Glos. verbo, summatim, in cap. Quoniam frequenter §. In alijs, vt lit. non contest. vbi tex.* sic. Ita videlicet, quod alterutra pœna, quæ magis timeri debeat, Iudex à principio sit contentus, ad alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit proteruitas contumacis.

Contumaci in vna causa potest Iudex ei denegare audientiam in alia, quod est verum inter easdem personas Iudice decernente, hoc addito, quod contumax in vno actu debet tamen citari ad alios actus, dicit *Apostill. ad l. Sed & si 26. §. Ait prætor ex Bald. ibidem ff. ex quib. caus. maior. cuius tex.* verba sunt. Sed & si dum decreto prætoris non obtemperat Iurisdictionem suam ei denegauit; &c. idq; si ex alia iusta causa non fuerit ab eo auditus, vbi *Glos.* sic ait. Vel cum decreuisset, &c. & non fecit; nam potest postea ei denegare Iurisdictionem suam.

Nota; quod quis efficitur de possessore petitor propter contumaciam, inquit *glos. vlt. in l. Is cuius 18. ff. si seruit. vendic.* hic enim punitur pro contumacia, quæ sæpe purgatur, vt facile est videre in multis, ait *glos. verbo, In perpetuum, in cap. Ex litteris 11. de constit.*. Nam contumacia eius cumulat pœnam, vt dicit *l. Relegati 4 ff. de pœn.* Ne nil obedientiæ prodesse videretur humilibus. Si contemptum contumacibus non obesset, vt dicit *cap. 1. vers. Nos igitur de postulat. prælat.* Et sicut in contumacia persistentibus seueros nos esse conuenit, sic humiliatis, & pœnitentibus locum

locum veniæ negare non debemus, inquit *cap. Quanto 2. q. 4.*

Contumaci, & delinquenti potest Iudex remittere pœnam de gratia, vt inquit *Glos. vlt. in cap. 1. de postul. pral.* vbi allegat *est cap. Consuluit de offic. deleg.* hæc; Nisi per gratiam ei benignitas iudicantis subueniret, & facit *Glos. verbo, vt conuincatur, in cap. Cum olim 7. de dol. & contum. ibi.* Et sic Iudex potest parcere contumaci, idem dicit *Glos. verbo Gratiam in d. cap. Consuluit 24. de offic. deleg. ibi.* Ecce quanta potestas datur Iudici, vt posit parcere contumaci in præiudicium alterius.

Maior est contumacia actoris, non venientis, quàm Rei, vt dicit *Glos. verbo, Ad terminum, in cap. 1. de dol. & contum. lib. 6.*

Contumacia dicitur præsumpta per tres denunciationes, vt &c. ait *glos. verbo Contumacia, in l. Consentaneum C. quomod. & quan. iud.* Expressa est autem, quando expresse dicit. Nolo venire, vt addit *d. glos.* & vt supra in principio dictum est.

Conuentio, & Reconuentio.

NEC enim quoquo modo cuiusque interest conuentio cum alio facta, alij prodest, sed tum demum cum per eum, cui exceptio datur principaliter ei, cui pactus est, proficiat. sunt verba, *l. Fideiussoris 24. ff. de pact.*

Nec enim bonæ fidei contractum hanc pati conuentionem, vt emptor rem amiteret, & pretium venditor retineret, inquit, *l. Emptorem 12. §. vlt. ff. de act. empt.*

Tacitè semper videtur conuenire, cum sit consuetum, vt hic, & *de adil. edict. l. Quod si nolit §. Asiduo.* Tu dic, quòd ea, quæ solita sunt fieri, & apponi in contractibus non præsumuntur, nisi probentur, quando aliquid adijciunt obligationi, prædicta ponit *glos. verbo, Exigat in l. 4. §. In commissoria ff. de leg. comm.*

In huiusmodi obligationibus id maximè spectare debemus, quod inter vtramq; partem conuenit, videtur autem in hac specie id silentio conuenisse, ne quid præstaretur, si ampliori pecunia fundus esset locatus, idest vt hæc conuentio pro locatore tantummodo interponeretur *l. Ea lege 13. ff. locat. & ibi glos. Pro locatore* sic. Et ideo, quia eius fauore interposita est conuentio non eodem iure vteretur aduersarius in casu conuerso; Est tamen argumentum contra &c.

Quamuis nihil expressum sit in stipulatione pœnali de solutione pensionum, tamen verisimile esse, ità conuenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionibus paruerit, & vt oportet, colnerit ità dicit *l. Quaro 56. §. 1. ff. locat.* vbi *glos. verbo, Paruerit, in fin.* sic. Item nota hic quædam tacita subintelligi, vt &c.

Sæpe conuenti consequimur, quod non consequimur agendo, inquit *glos. verbo, Non iniquè, in l. Quod si nolit 31. §. Si plures ff. de adili. edict.*

Vnde nota, quod per reconuentionem fit Iudex, qui alias Iurisdictionem non habet in reconuentum, quantum ad illam causam reconuentionis, siue sit ordinarius, siue delegatus. Cum causa reconuentionis non est commissa delegato, &c. Et Iudex Laicus Ordinarius habet Iurisdictionem per reconuentionem, puta cum Clericus conuenit laicum coram Iudice laico, ità ponit *Glos. penul. in cap. 1. de mut. petit.*

Sed si Clericus conueniat laicum coram Iudice laico, & ille laicus conueniat Clericum ciuiliter de crimine, si feratur

ratur sententia contra Clericum bene tenet, quia suus Iudex est per reconuentionem, ità dicit *Glos. verbo, Non tenet, in cap. At si Clerici de iudic.*

Non tamen, quandocumque poterit reconuenire, sed mox; sed quando dicitur fieri mox? Responde ante apertos testes, vt dicimus in denunciatione euictionis, ità ponit *Glos. vlt. in Auth. & consequenter C. de sent. & interloq.*

Coram arbitris tamen non potest dari reconuentio ex ratione, de qua in verbo, *Arbiter*, & quam ponit *tex. in cap. cum dilectus 6. de arbitr. ibi;* Cum arbitri iudicare non valeant, nisi de his tantum, super quibus in eos extiterit compromissum.

Item in criminibus non habet locum reconuentio, vt dicit *Glos. verbo, Non potest, in d.cap. Cum dilectus de arbitr. idem glos. verbo, non tenet, in d. cap. At si Clerici de iudic.* Et ratio est, quia non relatione criminum, sed innocentia Reus purgatur, vt dicit *d. Glos. verbo, Non potest,* & addit; Item in causa spoliationis &c. Item in omni momentanea possessione. Item in spoliatione facta Ecclesijs, & Ecclesiasticis viris.

Conuersatio.

NON est tuta in vrbibus, vbi omnium exuberat materia peccatorum, vbi elatio regnat, excrutiat liuor, rixæ conturbant, libido dominatur, diuitiæ dilaniant, voluptas blanditur, & societatis carnalium colligatio animum effæminat, vix, qui sibi vacat, præsentis vitæ naufragium potest euadere, habitant in sæculo, qui se diligunt, qui pugnandi, vel vincendi pro virtute nullo charitatis accensi sunt Zelo. At quicumq; animi magnitudine conuitijs, & spiritualibus nequitijs non pauet habere congressum: iuxtà Dei consilium prius cunctis, quæ possidet renunciet. Deinde solitudinem sibi in se ipso ædificet, in qua Deo intendere, & spirituali pugnæ non desinet loco, & tempore, etiam domesticorum consortia fugitando, habeat redemptoris exemplum, qui cum à Diabolo tentaretur solus in deserto esse voluit; post consummatà verò victoriam homines secum habitare permisit. Solitudo semper amanda est, tenenda vero non semper; Quisquis prudentes vsus fuerit gloriosum de hostibus victoriæ triumphum reportabit, Si tamen eidem adhibeat abstinentiam. Nam solitudinem tenere, & gulæ fræna laxare, brutorum est vitas sic, inquit *B.Laur.Iustin. lib.de cast.connub.verbo, & anim. cap. 6.*

Verùm *Glos. in cap. Admonere 33. qu. 2. verbo, Et grauius dat in pœnam.* Et grauiorem, carere hominum conuersatione, vt ibi, visum enim fuit maioris pœnæ conuersari inter homines, & hominum carere suffragijs, quàm procul ab hominibus solatium hominum non sentire.

Ex conuersatione æquali contemptio dignitatis nascitur, dixit *l. Obseruandum 19. ff. de offic. præs.*

Sed quare potius vitamus conuiuium Iudæorum, quàm colloquium, & conuersationem? Responde cum *Glos. verbo, vti liceat, in cap. Quam sit 10. de iud.* Ideo loquimur cum illis, vt eos possimus lucrari.

Conuiuium.

EST laborum requies, remissio curarum, ingenij pabulum, amoris, & obseruantiæ argumentum, esca beneuolentiæ, amicitiæ condimentum, fomentum gratiæ, & vitæ solatium, ità à Marsilio definitur. Et *Cicero Epist. fam. ad Papir. sic.* Nihil est aptius vitæ,

tæ, nihil ad beatè viuendum accomodatius, quam cum viris bonis iocundis, amantibus tuis viuas, neque id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ, atque victus, remissionemq; animorum, quæ maximè, efficitur sermone familiari, qui est in conuiuijs dulcissimus.

Non sympoſion, ideſt compotationem, (vt aliqui dicunt) ac si tota ratio victus consistat in potu: Quia (vt inquit *Cicer. de senect.*) Minimum, quod in hoc genere consideratur est compotatio: Quandoquidem conuiuia propter sermonis delectationem, quàm propter poculum, & escam fieri debeant, vt quemadmodum in eo communi vescimur alimento, ità eodem mentis, vitæque bonæ, & communi voluntate ruamur, vt sit in nobis anima vna, & cor vnum in Deo; inquit enim *idem Marsil.* Finem conuiuij non compotationem, sed dulcis vitæ communionem fore, & *Cælius*. Communio vitæ rectius, honestiusque statuitur conuiuij finis, quàm poculorum licentior inuitatio, & si vis alia pulchra de vtilitate conuiuij scire, vide *Ciceronem d. lib. 9. Epistol. fam. ad Papir. Pet.*

Non debent esse in conuiuio minus tribus, nec plures decem, vt inquit *Apostil. ad Glos. verbo, Gregis, in §. Sed si gregis de rer. diuis. in Instit.*

Quæ autem qualitates adesse debeant in conuiuijs *Marsil.* inquit. Eos debere esse gratiosos, musicos, & litteratos, sed præcipuè cauendum est, ne vllus admittatur contentiosus, & qui propere excandescat, nisi fortè, vel primo poculo, vel vno verbulo mitigetur. Dicit etiam inter epulas oportere sermonem esse varium, iocundumque, ac breuem, historiam breuissimam; longiusculam verò fabellam, obscenos verò, & spurcos sermones omnino detestatur.

Aliqui dicunt, quod non debent in conuiuijs proponi quæstiones difficiles, & tortuosæ, sed ità, vt ab omni bus percipiantur, & sint communes omnibus, vt vinum, ità vt quisquam suam ferat portionem: anxias namque difficultates, & solicitè librandas non admittit conuiualis hilaritas. Ex his, quæ *Thadaus super Isaiam in tract. de triplici conuiuio cap. 7.*

Conuiuium omnino parcum, haud valde laudamus, luxuriosum nos penitus detestamur; hoc enim commori potius, quàm conuiuere; mundum desideramus, & purum, immundum horrescimus, & sordidum, inquit *Marsil.*

Illa conuiuia rectè commendantur, & laudantur, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec inanes sæcularium negotiorum fabulæ recitantur; Et si quando libeat per iocum aliqua in mensa fabulari, ita tamen fiat, vt sint sine dente sales, vt dixit *Diu. Gregor. & Cicero d. epist. ad Papir. Pet.* sic. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi ioci.

Diu. autem Gregor. lib. 1. moral. cap. 5. sic ait. Non nulla sunt vitia, quæ à conuiuijs separari vix possunt; penè enim semper epulas comittatur, voluptas, & locacitas, adeoq; dictum est, in prouerbium, Mensam tormentum extorquendæ veritatis: Et quidam rectè dicebat linguam semper certè, sed in conuiuio præcipuè retinendam, &, reprimendam esse.

Legimus in Romana historia. Flaminium Romanum ducem, quod cubanti iuxtà se meritriculæ, quæ nunquam vidisse se diceret hominem decollatum assensus sit, vt Reus Capitalis criminis in conuiuio truncaretur à Censoribus pulsũ Curia, quia epulas sanguini miscuisset, & mortem, quamuis noxij hominis in alterius dilitias præstiterit, vt libido, & homicidium pariter miscerentur *ex Valerio Max. lib. 2. cap. 4.*

exempli mali temeritate crescente vniuersalis confusio nasceretur.

Et nota; quod tenetur iniuriarum, qui sciens vtitur iniusta consuetudine, vt dixit *Glos. verbo, vsurpatum, in l. Iniuriarum* 13 *ff. de iniur.* Sed notabiliora sunt verba *tex. in l. Neratius* 11. *ff. de seru. corrup.* ibi, Sed si consuetudine peccandi &c. subtraxerit &c. dicendum erit corruptorem non teneri, scilicet actione de seruo corrupto, vbi Apostilla sic, Iste *tex. secundum Bart.* facit ad quæstionem Theologorum, de quo per eum hic, & dicit vltrà per *tex.* istum, quòd ex consuetudine peccandi generatur quidam habitus, & talis secundum Philosophos, qui posteà euelli non potest, & si vult abstinere, non potèst, ideo est resistendum principijs.

Bonæ verò consuetudinis non vilis est authoritas, vt *in cap. vlt. de consuetud. vbi optima Glos. de materia*: Sic enim facienda est distinctio inter bonam, & malam, taliter, quòd hæc reijciatur, non verò indistinctè, siue bona, siue mala amplectatur, vt ego pluries videns consuetudines pessimas, illasque & rationibus, & experientia impugnans obstinati respondebant; Sic consuetum est; O Deus bone! & si vos mihi conceditis nec negare potestis male consuetum, quare non disceditis à tali pessima consuetudine? Et tamen præualebant, quod quidem ęgrè ferens cum aliud non valerent, tacebant. Nunc verò hic non tacebo, & dico, & iterum dico, vt auferantur omnes malæ consuetudines, quæ præbent causam mali exempli, confusionemque vniuersalem in quacumque republica, vniuersitate, & collegio, vt supra iam dictum est *ex cap. licet in regulis* 16. *quæst.* 3.

Consuetudo rustici apud rusticos seruanda est, vt dixit *Glos. verbo, Eum oportere, in l. Idem* 10. *§. Sed habeo ff. mandat.* ibi: Sed quid si erat rusticus, qui Eques viuit; vel quid si propè viuat? Responde, non repetit, Cum consuetudo sua sit seruanda, quæ *Glos.* est valdè notabilis in materia rusticorum, vt ibi dicis verbo, *Rusticus*,

In præscribenda consuetudine non est necesse allegare titulum *Glos. verbo, Sicut in d. cap. Nos Romanorum.* Nam vbi consuetudo rationabilis est, & non contrà Ius sufficit, quod sit longæua, licet quadraginta annis præscripta non sit, vnde dixit *Ioann.* tunc sufficere decem annos, vt ponit *Glos. verbo, Consuetudo, in cap. Cum in tua* 4. *de consuetud. lib.* 6.

Nota, quod duæ vices faciunt consuetudinem in criminalibus, dixit *glos. verbo, Consuetudini, in l.* 3. *C. de Episcop. aud. & glos. verbo, sæpè, in Auth. de test. §. Quia verò coll.* 7. Inducitur etiam per duas sententias. Item, quia perpetuo sic obtentum est sine contradictione, vt dixit *glos. in rubric. C. quæ sit long. consuet. & glos. in c. Abbate* 25. sic. Ad hoc enim, vt consuetudo valeat oportet, vt sit obtenta contradictorio iudicio, idest si exaduerso negetur consuetudo, & verba *tex.* sunt. Ex hoc dici non poterat, quòd consuetudo aliqua, quasi contradicto iudicio fuerit introducta.

Consuetudo contra vtilitatem communem reprobatur, vt *in Extrauag.* 1. *de offic. ordin. inter comm.* ibi; Considerantes, quod consuetudo prædicta contrà communem vtilitatem, facultatem probationum (quæ non est angustanda) restringit, propter quod etiam vt salua, scilicet sit rerum probatio, quia publicè interest, ne veritas occultetur.

Contra consuetudinem, quæ excusat ab exactione tributi, non debet quid fieri, vt dicitur *in l.* 1. *C. de excoct. & translat. milit. annon. lib.* 12. ibi; contrà omnem consuetudinem à nulli con-

consistentibus famulis excoctionem panis eflagitent, & ibi, *Glos. verbo, A nullis*, sic; Idest non petant ab illis famulis excoctionem panis, quos consuetudo excusat.

Etiam apud nautas consuetudo obseruari debet, vt dicit *tex. in l. Cum duobus* 52. *§. Quidam sagariam ff. pro soc.* ibi. Cum non alias merces, quàm naui solerent aduehi, & ibi *Apostill.* sic. Iste textus est singularis ad hoc, quod culpa facere non videtur, qui facit, vt solet fieri.

Vltimo tandem non intelligitur derogatum consuetudini, vt dicitur *in cap. Cum in Ecclesia* 25. *de preb. lib. 6.* ibi. Nec contra dictam consuetudinem, cui per præfatum mandatum non intelligitur derogatum, vbi *Glos. vlt.* sic. Consuetudini ergo, per quam præbenda alteri debeatur, non derogatur, Sed consuetudini, per quam præbenda ad collationem alterius pertineat, derogat Papa, vbi determinatè non scribit ad collationem talis.

Contemnere.

EST voluntariè contradicere, inquit *Archid. in cap. Quicumque dist. 56. & Felin. in c. Cum quidam n. 7. de iur. iur.*

§. Contemnere omnia aliquis potest; Omnia habere nemo potest, dixit *Senec. Epist.* 63.

§. Ex conuersatione ęquali contemptio nascitur, dicis infrà verbo, *Conuersatio*.

Non enim contempsit disciplinam, qui ignorauit militem, dicitur *in l. Si ignorans* 51. *ff. locat. & ibi Glos.* 2. ait. Sic enim non contemnit clericalem habitum, qui clericum laici more incedentem verberat, vel castigat, vt suprà jam dictum est verbo, *Clericus*.

Continentia.

EST continens, potens nihil præter rationem propter corporales delectationes facere, & temperatus; Sed hic quidem habens, hic autem non habens prauas concupiscentias; Et hic quidem talis, qualis non delectari præter rationem; hic autem, qualis delectari, sed non duci, ita dicit *Arist. 7. Ethic. c.* 12. Ex quibus verbis patet differentia inter continentiam, & temperantiam.

Cicerò verò *lib. 2. rethor.* diffinit ita; Continentia est virtus, per quam consilium gubernatur, cupiditas regitur. Et dum hic illam vocat virtutem, videtur errare, cum virtus non sit sine habitu. Et quando diù homo continet, tunc transit in habitum, & dicitur virtus temperantiæ: Poterit tamen large vocari virtus continentia. Eadem est differentia inter incontinentem, & intemperatum: Quia ille non dum habitum vitij contraxit, ideo cognoscit se malè agere, licet ab effectu superetur, vt dixit *Poeta*.

Video meliora, proboque, deteriora sequor.

Iste verò, qui iam adeo in habitu vitij est constitutus, vt lumen cognitionis funditus amiserit, in tantum, vt peruersa natura rerum, bonum quidem malum arbitretur, & malum bonum, quod voluit idem *Arist. d. cap.* 12. ibi; Similes autem, & incontinens, & intemperatus alteri quidem existentes, vtrique autem corporalia dilectabilia prosequuntur, sed hic quid esset existimans oportere, hic autem non existimans.

Continētia facilius obseruatur in senibus vt inquit *tex. in cap. Cum in iuuentute* 15. *de præsumpt.* ibi; Cum labes huiusmodi quæ nonnunquam in iuuentute contrahitur, in senectute frequentius expietur, vbi *Glos. verbo, Frequentius* sic dicit, Non tamen semper iuxta illud

 stul-

stultitia est, quæ te non finit esse senem, & illud, quod noua testa capit inueterata sapit, & difficilius continentiam seruat, qui illicito se concubitu maculare non metuit,

Difficile est namque continere, vt inquit *Glos. verbo, pauci, in cap. Quia sanctitas 50. dist. vbi alia iura, & statim subijcit*; Nec tamen ideo minus delictum est, si ergo cupis hoc euitare delictum summis precibus à Deo postula, quia aliter non poteris esse continens, nisi Deus det, vt dicitur *Sapient. 8. ad fin. & Augustin. lib. 10. confess. cap. 29.*

Ego facilius inueni, qui recte seruauerit innocentiam, quam qui congruè egerit pænitentiam, vt ait *Ambros. relat. in cap. Reperiuntur de pænit. dist. 3. & consonat cap.* Sunt, qui arbitrantur *de pænit. dist. 1. & Glos. d. cap. Reperiuntur* intelligit innocentiam, hoc est virginitatem in his verbis. Facilius inuenio, qui seruet virginitatem quàm qui post corruptionem carnis seruet continentiam. Nam tunc facilius cadet.

Apostilla tamen ad cap. Viduas 27. q. 1. contradicit sic, Continentia difficilior est virginibus, quàm viduis, & ibidem ad verbum, vsæ sunt, *ex Diu. Hieronym.* sic dicit. Libido in virginibus maiorem patitur famem, dum dulcius esse putant, quod nesciunt, & tamen aliàs *Hieronym. ad Letam.* dixit. Et licet quidam putent maioris esse virtutis præsentem contemnere voluptatem. Tamen ego arbitror securioris continentiæ esse nescire, quod quæras.

Eo enim ipso, quòd quis promouetur ad sacrum ordinem, tacitè intelligitur vouere continentiam, etiam si nulla fiat mentio continentiæ, vt dixit *Glos. penult. in cap. Cum olim 6. de cleric. coniug. & latius habes in verbo, Ordo.*

Circa votum continentiæ fortè non possit dispensare, quia vix inueniretur melius, in quod possit commutari *glos. in cap. Sunt quidam 25. quæst 1. verbo Apostoli, iuxtà fin.* & facit *Glos. verbo Triduum, in cap. Ad nostram 8. de regular.* ibi. Quia contra votum continentiæ non admittitur dispensatio. Quia continentia castitatis, & abdicatio proprietatis ità inhærent ossibus Monachorum, vt nec Summus Pontifex valeat dispensare.

Incontinenti.

Illud dicitur, quando continuus actus fit, & non alius incipiat fieri, vt tamen aliquod naturæ momentum interuenire possit, non tamen diei, vt dicitur *in l. Continuus 137. ff. de verbor. oblig.* Et in electione dicit *Glos. verbo, Mox, in cap. Quia propter 42. de elect.* ibi. Idest in continenti nullo actu contrario intermedio post vota quæsita, & vno contextu, sicut in testamento &c. vbi etiam dicit, quod sumitur cum quodam temperamento decem dierum & quandoq; ad annum, item quandoq; cum primum potuit, vbi iura allegat.

In l. autem, quod ait lex 23. §. vlt ff. ad l. Iuliam de adulter. sic dicit *Vlpian.* Quod ait lex Iulia in continenti filiam occidat: Sic erit accipiendum, ne occiso hodie adultero reseruet, & post diem filiam occidat. Vel contrà. Debet enim propè vno ictu, & vno impetu vtrumque occidere æquali ira aduersus vtrumque sumpta, quod si non affectauit, sed dum adulterum occidit, profugit filia, & interpositis horis apprehensa est à patre, qui persequebatur incontinenti, videbitur occidisse.

Et in l. 1. §. Item si ità legatum ff ad l. Falcid. sic dicit *Paul. Iureconsult.* Et quod dixi, incontinenti, accipiendum est cum aliquo spatio, vbi *Glos.* explicat, quod magis intellectu percipi potest.

Et in l. 3. C. de error. aduoc. ità Imperator.

tor. Ex continenti, ideft triduo proximo, vbi loquitur, quando aduocatus errauit in facto, & eius Clientulus vult emendare, quod debeat contradicere in continenti, ne sibi præiudicet.

In teste verò se volente corrigere (in continenti) intelligitur nullo interuallo facto, vt inquit *cap. Prætereà de testib. cogen. vbi Glos. verbo, In continenti*, sic. Ideft in eadem instantia, antequam recedat à præsentia Iudicis, quia posteà subornatus præsumitur; Sed hoc posset intelligi, habito respectu ad qualitatem personæ, vt sic possit se corrigere, vel addere ex interuallo.

Continuatio, Continuum.

DE duobus facit vnum, & coniungit ita dixit *Glos. 2. in cap. litteras 13. de tempor. ordinan.*

Continuum recipit aliquod interuallum, vt *in cap. vlt.* ibi. Continue domestici commensales, etiam si quos ex illis aliquando pro tuis negotijs gerendis abesse contingat *de verbor. sign. lib. 6. & ibi Notat Glos.* Continue per iura, quæ ibi allegat, & notat *Glos. verbo, Mox, in Auth. de Iudicib. §. Sedebunt autem hi iudices continuè coll. 6. & quæ supra proximo verbo*.

Contradicere.

NEC enim videtur contradicere, cum non habeat iustam causam contradicendi, ait *Glos. in l. Dotem 38. ff. de solut. matr. per tex.* ibi voluntate filiæ videri patrem recepisse, cum causas contradicendi ei, filia non haberet, & ibidem *Bart.* sic. Eo ipso, quod quis contradicit, habet iustam causã contradicendi iuris permissione.

Contradictione impeditus excusationem legitimam habet, vt dicit *l. Si eum ipse 42. ff. de excusat. tutor*, ibi. Mora contradictionis impeditus est, quominus liberaretur excusationem rectè probari.

Contradictor iustus, & legitimus ille dicitur, qui allegat dominium, vt dicit *Apostilla ad l. Cum non iusto contradictore ff. de collus. detegen. per tex. in l. 1. C. si de momentan. poss.*

Nisi euidenter contradicat, quis videtur consentire, vt dicitur *in l. 2. §. vlt. ff. solut. matr.* & quomodo hoc intelligatur latius dictum extat suprà verbo, *Consensus*.

Contrahere, seu contractus.

HOC nomen largissimè sumitur, siuè sit verus contractus vel quasi contractus, vel aliud vnde obligatio oritur, vt dicit *Glos. verbo, seu contractus in cap. vlt. de for. compet.*

Contractus legem ex conuentione accipiunt, inquit *l. 1. §. Si conueniat ff. depofit. & in §. Si quis seruum ad fin.* sic. Sequemur tamen, & quod habuerunt præscriptum, aut quod conuenit.

Sicut initio libera potestas vnicuique est habendi contractus ità renunciare semel constitutæ obligationi aduersario non consentiente nemo potest, dicitur *in l. 5. C. de action. & oblig.* Cum sua sponte sibi obligationem contraxerit, dixit *l. Interdum §. vnico ff. de iudic.*

Et Glos. verbo Agitur in l. 1. ff. de action. empt. dicit vterque sit contractus necessitatis ex post facto, & *in l. 1. ff. de rescinden. vend.* sic. Pro vna parte contrahentium abiri pacto ab emptione non potest, voluntates enim legitimè contrahentium omnimodo conseruandæ sunt, vt dixit *l. de societate in fin. Codice pro soc.*

Et plenissimam habere firmitatem, vt pote imperialibus contractibus legis vicem obtinentibus inquit *l. Donationes 26. C. de donat. inter vir.*

Contrahentium voluntates non debent subtilitate verborum impediri, vt habes in verbo, *verba*.

In contractibus plus veritas, quàm scriptura attenditur; vide verbo, *veritas*.

Verba contractuum debent trahi ad possibilem, & non impossibilem intellectum, sic summatur *l. vlt. C. de contrah. & committ. stip.*

Etenim videtur impubes contrahere, cum adit hæreditatem, inquit *l. 3. in fin. ff. quib. ex cauf. in possess. ea*. Idem & is, qui immiscuit se, contrahere videtur *l. 4. eod.*

Etiam per Ius iurandum quasi contrahitur, sicut per sententiam, vt inquit *Apostilla in l. Depositi ff. de pecul. per tex.* ibi; Si filius familias ius iurandum detulerit, & iuratum, sit danda est actio, quasi contractum sit, vbi *Bald.* dicit, Alibi melius non probari, quàm hic, quod per ius iurandum quasi contrahitur.

Sed & cum aliquis negotia mea gerit, non multa negotia sunt, sed vnus contractus, nisi si ab initio ad vnum negotium accessit, vt finito eo discederet; hoc enim casu, si noua voluntate aliud quoque aggredi cœperit, alius contractus erit, ità dicit *optimus tex. in l. Sed & 17. ff. de negot. gest.*

Eum enim, qui contrahit totum serui peculium, velut patrimonium intuitum dicit *l. hinc quæritur 20. ad medium ff. de pecul.* Nam qui cum seruo contrahit vniuersum peculium eius vbicumque est, veluti patrimonium intuetur inquit *l. Si ex duobus 35. ff. eod. tit.*

Non male contrahitur cum tutoribus, inquit *l. 4. ad fin. ff. de euict.* Qui autem cum pupillo contrahit ex vno latere constat contractus, ex altero verò claudicat: Nam qui emit obligatus est pupillo; pupillum autem sibi non obligat, vt dicit *l. iulian. §. Siquis à pupillo ff. de act. empt. vbi glos.* intelligit. Nisi locupletior factus sit pupillus, vt *C. de vsucap. pro empt. in l. fin.* Sibi enim imputent, qui cum tali contraxerunt dicit *l. 1. ff. de separat.*

Curate igitur cautè negotiari ne non tantum in damna huiusmodi, sed etiam in criminis suspicione incidatis, per optimè, ità consulit *l. 2 C. de furt. & seru. corrupt.*

Nota secundum *Bald. in antiqua lectura*, quod quando contractus ab initio non tenet ratione inhabilitatis personæ nunquam confirmatur, ità dicit *Apostill. ad l. 1. §. vlt. ff. commod. per tex. in l. vsufructus ff. de stipulat. seru.*

Cum ergo metus det causam contractui bonæ fidei, ipso iure nullus est contractus, vt *C. de rescind. vend. in l. 1.* inquit *Glos. verbo, Vllam, in l. Si mulier §. Si dos ff. quod met. cau.*

Contrahentes non decipi debent, vt dicit *l. Sed & si §. penult ff. de institutor. act.* ibi. Sed si aliàs cum alio contrahi vetuit continua variatione danda est omnibus aduersus eum actio, nec etiam decipi debent contrahentes.

Quotiescumque in contractu nihil venit. Nisi quod inter partes expresse conuenit: Tunc ille contractus dicitur stricti Iuris *Glos. in §. vnico vers.* Item in his in casus positione *de oblig. ex consen. in Instit.*

Contractus tenet in Spiritualibus, licet dolus interueniat, habes infrà verbo, *Dolus*.

Contractus locus, quando attenditur, vide verbo, *Locus*.

Contraria.

Svnt, quæ mutuo se se expellunt, & ideo non possunt esse simul in eodem subiecto, vt dicit *Arist. in 5. Metaphy.*

& hac

& hac ratione procedit *tex. in l. 1. C. de furt. & ser. corrupt.* ibi. Nec enim æquitas patitur, vt criminis causam persequaris, & bonæ fidei contractum impleri Postules & *cap. Sollicitudinem 53. de appell. ad fin. ibi*; Non est tamquam aduersa petens, & sibi contrarius audiendus, & in *l. Si ancillam, ff. pro suo ibi*. Nec enim idem, & pro suo, & clam possideri potest. Et ideo ad positionem vnius sequitur destructio alterius, vt per *Glos. in l. Sed & si pupillus 11. §. penult. verbo, si institoria, ff. de institor. ibi*. Nota ex hoc §. quod quando sunt duo contraria ad opositionem vnius sequitur destructio alterius.

Nam vbi est vnum de contrarijs, per consequens tollitur reliquum, vt inquit *Glos. verbo, Læsum, in Auth. de mandat. princip. §. Sed neq; hac per tex.* ibi Et non erit possibile vtrumque tueri, & lædentem, & læsum.

Quia si vnum contrariorum est bonum, reliquum est malum, vt inquit *Glos. verbo, Regni, in cap. Intellecto 33. de iur. iur.* & addit, Quandoque vtrumq; contrarium est bonum, vt nubere, & non nubere, vbi *Apostill.* sic. Habet hoc locum in præceptis, & prohibitionibus: in consilijs, & demonstrationibus, non.

Contrariorum eadem est ratio, dixit *Glos. vlt. in l. Et si 35. ff. de vulgar. per tex.* ibi; Vt quemadmodum portio, quæ per bonorum possessionem auget legata, ità & hìc, quæ abscesserit, minuat, vide tamen *Glos. verbo, Non debet, in l. Qui proprio §. Procurator ff. de procur. vbi Iura pro & contra.*

Non solum nobis, sed nec cuiquam debuisses ex certa scientia contraria respondere, dixit *Pontifex in cap. vnico, vt Eccles. benefic.*

Ridiculum est eandem, & vt viduam, & vt nuptam admitti, inquit *l. Titia 99. ff. de condit. & demons.*

Contraria non sunt, quæ ad eundem finem tendunt, dixit *Glos. verbo, Teneris, in cap. Si à iudice 10. de appell. lib. 6.*

Nota ex duobus contrarijs temperamentum, ponit *Glos. penult. in l. Si peculium 20. §. vlt. ff. de statulib.* vbi faciendum aliquid intrà tempus, dicitur, quod non tam celerius, nec tam longum debet assignari.

Contumacia.

EOrum est, qui ius dicenti non obtemperant, dicit *l. Contumacia 53. ff. de re iudic.* & prosequitur. Contumax est, qui tribus edictis propositis, vel vno pro tribus (quod vulgo peremptorium appellatur) litteris euocatus præsentiam sui facere contemnit &c. & addit; Contumaces non videntur, nisi, qui cum obedire deberent, non obsequuntur &c.

Glos. verò vlt. in l. vlt. ff. de restit. in integr. sic ait. Verum contumacem dico, qui aperte dicit se non venturum, ad quem sufficit vna nunciatio &c. fictum verò illum, qui inuenitur, & dixit se venturum vel nihil dixit, non tamen venit, ad quem ter debet nunciari.

Si contumax apparuerit, is, in quem fuit actio dirigenda, seu quia peremptoria citatione recepta venire contemnit, seu quia malitiosè se ipsum occultat, seu quia impedit, ne possit ad eum citatio peruenire, inquit *cap. Quoniam frequenter §. Porrò vt lit. non contest.* vbi *Glos. verbo, Impedit*, sic ait. Talis habetur pro citato denunciatione facta ad domum suam &c. Et ità sufficit, quod publicè edictum proponatur ad domum suam, vel Ecclesiam. Et sunt tres modi contumaciæ, & quocumque illorum aliquis contumax sit, habetur pro contumace vnde vers.

Casibus

Casibus in tribus; quis dicitur esse rebellis.
Impedit, occultat, iussis parere recusat.

Vide etiam latius in *Glos. verbo, Contumaciter, in cap. 2. de dol. & contum. vbi alios versus & glos. verbo. Non rectè in l. Ex consensu 24. §. Eum qui cognouit. ff. de appell. & ibidem glos. penult. in fin.*

Vt vniuersitas, vel Ecclesia sit contumax citetur in capitulo, vel arengo, dicit *Glos. in l. Non potest 160. ff. de regul. iur.*

Dolum autem committit, qui vocatus non venit nullam causam non habens non veniendi, vt infra *de reg. iur. l.* Non potest dolo, sic dicit *Glos. 1. in l. Minor 9. ff. de minor.*

Contumacia pro præsentia est, inquit *Auth. Qua in prouincia vers. Sed si C. vbi de crim. & in Auth. vt om. obe. iud.* sic. Nam qui per contumaciam deserit, in nullo minor præsente putabitur.

Causa autem cognita, & præsentibus aduersarijs, vel si per contumaciam definit, inquit, *l. In causa 14. §. causa, ff. de minor. vbi glos.* sic. Per contumaciam, quia tunc pro præsentibus habentur, & *Apostill. ibidem* ità; Ad hoc allegatur, quod paria sunt aliquem esse præsentem, vel absentem per contumaciam.

Non esse audiendum, si modo per contumaciam defuerit, sin minus auditur, dicit, *l. Et post 78. §. 1. ff. de iudic. vbi glos. verbo, Audiendum,* intelligit sic. Item hoc si est contumax in non veniendo, secus si in non restituendo.

Absens legitimè citatus præsumitur contumax, si non venerit, &c. Sed talis præsumptio eliditur per aliam præsumptionem, &c. *Glos. in verbo, Plenum, in cap. Ex litteris 4. de in integr. restit.* Tamen *in l. Locorum 11. C. omn. agr. descr. lib. 11.* dicitur sic. Propria confitentur absentia, nec adesse voluerint, vbi *glos.* sic. Nota contumacem pro confesso &c.

Non enim statim Iudex propter contumaciam alterius partis constituet præsentem possessorem causa rei seruandæ, inquit *Glos. verbo, summatim, in cap. Quoniam frequenter §. In alijs, vt lit. non contest. vbi tex.* sic. Ita videlicet, quod alterutra pæna, quæ magis timeri debeat, Iudex à principio sit contentus, ad alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit proteruitas contumacis.

Contumaci in vna causa potest Iudex ei denegare audientiam in alia, quod est verum inter easdem personas Iudice decernente, hoc addito, quod contumax in vno actu debet tamen citari ad alios actus, dicit *Apostill. ad l. Sed & si 26. §. Ait prætor ex Bald. ibidem ff. ex quib. caus. maior. cuius tex.* verba sunt. Sed & si dum decreto prætoris non obtemperat Iurisdictionem suam ei denegauit; &c. idq; si ex alià iusta causa non fuerit ab eo auditus, vbi *Glos.* sic ait. Vel cum decreuisset, &c. & non fecit; nam potest postea ei denegare Iurisdictionem suam.

Nota; quod quis efficitur de possessore petitor propter contumaciam, inquit *glos. vlt. in l. Is cuius 18. ff. si seruit. vendic.* hic enim punitur pro contumacia, quæ sæpe purgatur, vt facile est videre in multis, ait *glos. verbo, In perpetuum, in cap. Ex litteris 11. de constit.*. Nam contumacia eius cumulat pænam, vt dicit *l. Relegati 4 ff. de pæn.* Ne nil obedientiæ prodesse videretur humilibus. Si contemptum contumacibus non obesset, vt dicit *cap. 1. vers. Nos igitur de postulat. prælat.* Et sicut in contumacia persistentibus seueros nos esse conuenit, sic humiliatis, & pænitentibus locum

locum veniæ negare non debemus, inquit *cap. Quanto 2. q. 4.*

Contumaci, & delinquenti potest Iudex remittere pœnam de gratia, vt inquit *Glos. vlt. in cap. 1. de postul. prel.* vbi allegat *ex cap. Consuluit de offic. deleg.* hæc; Nisi per gratiam ei benignitas judicantis subueniret, & facit *Glos. verbo, vt conuincatur, in cap. Cum olim 7. de dol. & contum. ibi.* Et sic Iudex potest parcere contumaci, idem dicit *Glos. verbo Gratiam in d. cap. Consuluit 24. de offic. deleg. ibi.* Ecce quanta potestas datur Iudici, vt posit parcere contumaci in præiudicium alterius.

Maior est contumacia actoris, non venientis, quàm Rei, vt dicit *Glos. verbo, Ad terminum, in cap. 1. de dol. & contum. lib. 6.*

Contumacia dicitur præsumpta per tres denunciationes, vt &c. ait *glos. verbo Contumacia, in l. Consentaneum C. quemod. & quan. iud.* Expressa est autem, quando expresse dicit. Nolo venire, vt addit *d. glos.* & vt supra in principio dictum est.

Conuentio, & Reconuentio.

NEC enim quoquo modo cuiusque interest conuentio cum alio facta, alij prodest, sed tum demum cum per eum, cui exceptio datur principaliter ei, cui pactus est, proficiat. sunt verba, *l. Fideiussoris 24. ff. de pact.*

Nec enim bonæ fidei contractum hanc pati conuentionem, vt emptor rem amitteret, & pretium venditor retineret, inquit, *l. Emptorem 12. §. vlt. ff. de act. empt.*

Tacitè semper videtur conuenire, cum sit consuetum, vt hic, & *de ædil. edict. l. Quod si nolit §. Asiduo.* Tu dic, quòd ea, quæ solita sunt fieri, & apponi in contractibus non præsumuntur, nisi probentur, quando aliquid adijciunt obligationi, prædicta ponit *glos. verbo, Exigat in l. 4. §. In commissoria ff. de leg. comm.*

In huiusmodi obligationibus id maximè spectare debemus, quod inter vtramq; partem conuenit, videtur autem in hac specie id silentio conuenisse, ne quid præstaretur, si ampliori pecunia fundus esset locatus, idest vt hæc conuentio pro locatore tantummodo interponeretur *l. Ea lege 13. ff. locat. & ibi glos. Pro locatore* sic. Et ideo, quia eius fauore interposita est conuentio non eodem Iure vteretur aduersarius in casu conuerso; Est tamen argumentum contra &c.

Quamuis nihil expressum sit in stipulatione pœnali de solutione pensionum, tamen verisimile esse, ità conuenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionibus paruerit, & vt oportet, coluerit ità dicit *l. Quæro 56. §. 1. ff. locat.* vbi *glos. verbo, Paruerit, in fin.* sic. Item nota hic quædam tacita subintelligi, vt &c.

Sæpe conuenti consequimur, quod non consequimur agendo, inquit *glos. verbo, Non iniquè, in l. Quod si nolit 31. §. Si plures ff. de ædili. edict.*

Vnde nota, quod per reconuentionem fit Iudex, qui alias Iurisdictionem non habet in reconuentum, quantum ad illam causam reconuentionis, siue sit ordinarius, siue delegatus. Cum causa reconuentionis non est commissa delegato, &c. Et Iudex Laicus Ordinarius habet Iurisdictionem per reconuentionem, puta cum Clericus conuenit laicum coram Iudice laico, ità ponit *Glos. penul. in cap. 1. de mut. petit.*

Sed si Clericus conueniat laicum coram Iudice laico, & ille laicus conueniat Clericum ciuiliter de crimine, si feratur

ratur

tæ; nihil ad beatè viuendum accomodatius, quam cum viris bonis iocundis, amantibus tuis viuas, neque id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ, atque victus, remissionemq; animorum, quæ maximè, efficitur sermone familiari, qui est in conuiuijs dulcissimus.

Non symposion, idest compotationem, (vt aliqui dicunt) ac si tota ratio victus consistat in potu: Quia (vt inquit *Cicer. de senect.*) Minimum, quod in hoc genere consideratur est compotatio: Quandoquidem conuiuia propter sermonis delectationem, quàm propter poculum, & escam fieri debeant, vt quemadmodum in eo communi vescimur alimento, ità eodem mentis, vitæque bonæ, & communi voluntate ruamur, vt sit in nobis anima vna, & cor vnum in Deo; inquit enim *idem Marsil.* Finem conuiuij non compotationem, sed dulcis vitæ communionem fore, & *Calius*. Communio vitæ rectius, honestiusque statuitur conuiuij finis, quàm poculorum licentior inuitatio, & si vis alia pulchra de vtilitate conuiuij scire, vide *Ciceronem d. lib. 9. Epistol. fam. ad Papir. Pet.*

Non debent esse in conuiuio minus tribus, nec plures decem, vt inquit *Apostil. ad Glos. verbo, Gregis, in §. Sed si gregis de rer. diuis. in Instit.*

Quæ autem qualitates adesse debeant in conuiuijs *Marsil.* inquit. Eos debere esse gratiosos, musicos, & litteratos, sed præcipuè cauendum est, ne vllus admittatur contentiosus, & qui propere excandescat, nisi fortè, vel primo poculo, vel vno verbulo mitigetur. Dicit etiam inter epulas oportere sermonem esse varium, iocundumque, ac breuem, historiam breuissimam; longiusculam verò fabellam, obscenos verò, & spureos sermones omnino detestatur.

Aliqui dicunt, quod non debent in conuiuijs proponi quæstiones difficiles, & tortuosæ, sed ità, vt ab omnibus percipiantur, & sint communes omnibus, vt vinum, ità vt quisquam suam ferat portionem: anxias namque difficultates, & solicitè librandas non admittit conuiualis hilaritas. Ex his, quæ *Thadaus super Isaiam in tract. de triplici conuiuio cap. 7.*

Conuiuium omnino parcum, haud valde laudamus, luxuriosum nos penitus detestamur; hoc enim commori potius, quàm conuiuere; mundum desideramus, & purum, immundum horrescimus, & sordidum, inquit *Marsil.*

Illa conuiuia rectè commendantur, & laudantur, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec inanes sæcularium negotiorum fabulæ recitantur; Et si quando libeat per iocum aliqua in mensa fabulari, ita tamen fiat, vt sint sine dente sales, vt dixit *Diu. Gregor. & Cicero d. epist. ad Papir. Pet.* sic. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi ioci.

Diu. autem Gregor. lib. 1. moral. cap. 5. sic ait. Non nulla sunt vitia, quæ à conuiuijs separari vix possunt; penè enim semper epulas comittatur, voluptas, & locacitas, adeoq; dictum est, in prouerbium, Mensam tormentum extorquendæ veritatis: Et quidam rectè dicebat linguam semper certè, sed in conuiuio præcipuè retinendam, &, reprimendam esse.

Legimus in Romana historia. Flaminium Romanum ducem, quod cubanti iuxtà se meritriculæ, quæ nunquam vidisse se diceret hominem decollatum assensus sit, vt Reus Capitalis criminis in conuiuio truncaretur à Censoribus pulsũ Curia, quia epulas sanguini miscuisset, & mortem, quamuis noxij hominis in alterius dilitias præstiterit, vt libido, & homicidium pariter miscerentur *ex Valerio Max. lib. 2. cap. 4.*

§. Sicut affert. Apostil. ad cap. Si aliquis de homic.

Quare vitamus conuiuium Iudæorum, & non paganorum? Respondet Glos. verbo, vti liceat, in cap. Quam sit de Iuda. sic. Ratio illa, est, quia Iudæi discernunt cibos nostros; vnde non debemus cibis eorum vti, ne videamur inferiores illis: Pagani verò non discernunt &c.

Correctio.

PRimum requisitum in correctione erit, quod, qui alios corrigit, prius corrigat se, & suos, vt dixit Glos. verbo, Prius, in cap 1. de cens. lib. 6. & vulgare est illud.

Alijs persuadeat, qui prius persuaserit sibi.

Quomodo enim potest præses Ecclesiæ, auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit? aut qua libertate corripere potest peccantem, cum tacitus ipse sibi respondeat eadem se admisisse, quæ corripit? inquit cap. vlt. 25. dist. & Glos. vlt. in cap. Nouit de iudic. ità. Qualiter enim moueretur bono zelo ad correctionem alterius, qui nondum est correctus?

Honor est, non ignominia, quod quis se corrigat potius, quàm ab alio corrigatur, dixit Apostil. ad tex. in cap. Qualiter, & quando 18. de accusat.

Et ità Imperator in Auth. de nupt. in princ. coll. 4. dixit. Nunc consilijs perfectioribus causam considerantes, etià quædam corrigere, non aliorum solummodo, sed etiam, quæ à nobis ipsis sancita sunt; Non enim erubescimus, si quid in melius etiam horum, quæ ipsi prius diximus, adinueniamus hoc sancire, Et competentem prioribus imponere correctionem, nec ab alijs spectare corrigi. Et in Auth. vt fratrum filij in principio coll. 9. ibi. Nostras leges emendare nos non piget &c. & ibi Glos. Melius est seipsum corrigere, quàm ab alio corrigi expectare. Nec putare debetis, si diuersa iubeamus ex animi nostri venire leuitate rescripsit Rex Assuer. vt constat lib. Esther cap. vlt. Si ergo Imperatores, qui iura dicuntur habere in scrinio pectoris sui non erubescunt se corrigere, cur erubescet sciolus, vel indoctus doctor emendare, & corrigere, quod non benè respondit? abigatur ergo prouerbium Hispanicum dicens (Dotor que yerra non se desdice) nisi illud intelligas de indocto: enim verò istius tantum, & insipientis est in errore perseuerare.

Adeo prædicta procedunt, vt licet alias prohibitum sit filio patrem corrigere, tamen in hac materia scientiæ, & doctrinæ potest filius patrem corrigere, vt ponit Glos. 2. in l. 3. §. Si quis quasi ff. de condict. cau. dat. ibi, Nota filium corrigere patrem, sed contra in Auth. de nupt. §. & ità certe coll. 4. Sed ibi in administratione rerum: hic autem in iure, in quo non videtur fieri iniuria maioribus, si à minoribus melius dicatur. Celsus namq; in eo textu corrigit Celsum patrem suum.

Magis nocentes estis non indicando crimen, quàm si fratres vestros, quod indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis, inquit cap 1. 5 q. 5.

Tam Sacerdotes, quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut si incorregibiles apparuerint ab Ecclesia separentur, dicitur in cap. tàm Sacerdotes 24. q. 3.

Quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non reuocant, correptionis saltem medicina compellat, dixit Glos. verbo, Pœna, in cap. vt clericorum 13. de vit. & honest. cler.

In corrigendis minoribus pro qualitate delicti, senioribus propinquis tribuimus potestatem, vt quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non prouocant &c. vt supra proximè *in d. Glos. quæ deducit ex l. Vnica C. de emendat. propinq.*

Eo ipso, quod quis peccat correctionem meretur, & quantò plus differtur, punitio, tantò plus culpa crescit, & gentibus pernitiosius in exemplum transit, dicitur *in Extrauag. Qui sint rebel.* Si enim sine emendatione relinquatur aliquid, absurdum, atque inellegans necesse est venire, inquit *l. 3. C. de vsur. rei iudic.*

Oportet præpositos cum charitate corrigere, inquit *Extrauag. 1. de offic. ordin. inter comm.*

Correctio autem Monachorum primo loco pertinet ad Abbatem, vt dicit *Glos. verbo, Salua sua regula, in cap. vlt. de offic Archid.* Vide etiam, quæ habes verbo, *Monachus*, vbi etiam dicis misericorditer esse Monachos corrigendos.

Vt autem correctionis, & reformationis officium liberè valeant exercere decernimus, vt executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat, impedire &c. inquit *cap. Irrefragabili 13. de offic. ord.*

Et in cap. Reprehensibilis 26. de appell. sic; Ne Religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi contrà regularem prælati sui, & Capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter, ac deuotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum.

Attamen si modus correctionis exceditur, videtur admitti posse appellatio, vt tenet *Glos. verbo, Contempsit, per tex. ibi in cap. de priore 31. eod. tit. de appell.* in illis verbis. Ex hoc patet quod si Prælatus modum excedat in correctione, quod benè admittitur appellatio à tali correctione, probat etiã *Glos. vlt. in cap. licèt 12. de offic. ordin.* ibi. Et ità potest appellare &c. Sicut in correctione à grauamine, scilicet cum modus exceditur, & aperte dicitur *in cap. Irrefragabili eod. tit. de offic. ordin.* ibi. Nisi formam in talibus excesserint obseruandam.

Sed melius erit patienter tolerare, etiam si excessiua sit correctio, quàm appellare. Contra morem quippe Ecclesiasticum est, si non patientissimè toleretur (quod à vobis absit) etiam iniusta correctio, vt dicit *cap. contrà 100. dist.* Licet culpentur, etiam, qui prohibent à malo, si modum peccati, modus correctionis excedat, vt inquit *cap. Qui peccat in fin. 23. q. 4.*

Et in cap. Non in perpetuum 24. qu. 3. ità reperies, multi sacerdotum culpam Zelo Dei persequi profitentur, sed dum indiseretè hoc agitur sacrilegij facinus incurrunt, & dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multò magis indeterius cadunt: Quia nimia increpatio, nec correctionem recipit, nec salutem, & leuiter castigatus de facili reuerentiam exhibet castiganti iuxta illud.

Qui nimis emungit, solet extorquere cruorem.
Immoderata correctio facit deteriorem,
Sed moderata satis, correctio gignit amorem.

Ponit *Glos. verbo, Salubriter, in Extrauaganti vnica. Ne sede vac. & verbo, Elicit, in cap. Nisi cum 10. de renunc.* Quandoque enim dormire debet seueritas disciplinæ, dixit *Glos. verbo, vtiliter, in d. cap. Nisi.*

Corripere eum, cui maximè aliquid præstes dementia est, & inserere contumeliam meritis, dixit *Senec. de benefic. lib. 2. cap. 6.* Et dixisti supra verbo, *Beneficium.* In tempore tamen opor-

portuno, & cum modo gratiam operatur, etiam apud correctum, vt dicitur *Prouerb.* 28. 23. ibi; Qui corripit hominē gratiam postea inueniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimentum decipit, sed non omnes bene recipiunt correctionem, vt *Prouerb.* 29. 20. vbi etiam additur, & de homine veloci ad loquendum sperandam magis stulticiam, quàm correctionem.

Corona.

EST signum Regni, & perfectionis, cum sit circularis carens angulo in signum carentiæ sordium, quia vbi angulus, ibi sordes, vt inquit *Glos. verb, Et tonsuram, in Clem. 2. de vit. & honest. cler.* vnde clarè colligitur, quòd qui eam portant vti Reges se debent portare in animo, grauitate, vita, & moribus, vnde his videtur carere, qui dedignatur illam portare, cum aliàs tenetur, quod video frequenter in Curia Romana.

Ante suam Coronationem Papa se potest nominare, & facere prouisiones, dispensationes, & alias gratias, vt dicitur *in Extrauag. vlt. de sent. excom. inter comm.*

Corpus, & Incorporale.

CORPUS multis modis dicitur. Omnes enim fideles possunt appellari vnum corpus per fidem, & charitatem, siue perfectionem gratiæ, vt *in Clem. vnica §. Non nulli de excess. pral.* ibi; vt omnes, qui eiusdem sunt corporis, vnius etiam sint voluntatis, & sicut fratres adinuicem vinculo charitatis sint adstricti. Item Collegium, siue vniuersitas dicitur vnum corpus, cuius prælatus dicitur caput &c. Item vnum dicitur corpus, quod vno clauditur spiritu, vt homo, lignum, animal: aliud dicitur corpus, quod habet partes integrales, seu cohærentes, vt domus. Aliud, quod habet partes distantes, vt grex populus &c. Item Episcopus cum Capitulo facit vnum corpus, cuius ipse est caput, sed cum Clero Ciuitatis, vel Diæcesis non dicitur facere vnum corpus &c. Sic Abbatissa cum clericis Ecclesiæ, licet ipsa sit caput, non facit vnum corpus, ità ponit *Glos. Magistra verbo, vnum corpus, in cap. Dilecta 14. de excess. pralat.*

Et Glos. verbo, Corpus, in §. Si grex delegat. in Instit. consonat sic. Tria enim sunt corpora rerum. Vnum, quod vno spiritu, idest elementatione continetur, vt homo, lapis. Secundum quod ex cohærentibus constat, vt domus &c. Tertium quod ex distantibus corporibus, vt grex.

De corpore autem humano *Senec. Epist. 65. post medium* ità dicit. Corpus hoc animi pondus, ac pæna est premente illo vrgetur, in vinculis est &c. Subducit interim se custodiæ, in qua tenetur, & Cælo reficitur, quemadmodum artifices &c. Sic animus in hoc tristi, & obscuro domicilio clusus, quoties potest apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requiescit &c. Animus liber habitat, nunquam me caro ista compellet ad metum, nunquam ad indignam bono simulationem, nunquam in honorem huius corpusculi mentiar; Cum visum fuerit, distraham cum illo societatem, & nunc cum hæremus erimus æquis partibus socij. Animus ad se omne Ius dicet, Contemptus corporis sui certa libertas est, &c. Seruiunt ergo deteriora melioribus, fortes simus aduersus fortuita non contremiscamus iniurias, non vincula non egestatem.

Verum est, quod corpus multis eget rebus, vt valeat; animus verò ex se crescit se ipse alit, se exercet, illi multo cibo, multa potione, opus est, multo oleo, longa denique opera sibi contingit, virtus sine apparatu, sine impensa, quid quid facere te potest bonum tecum est. Quid tibi opus est, vt sis bonus? Velle: quid autem melius potes, velle, quam eripere te huic seruituti, quæ omnes premit, *idem Senec. Epist.* 81. *& Epist.* 93. *propè fin.* sic. Corporis quoque, velut oneris necessarij non amator, sed procurator est, nec se illi cui impositus est, subijcit; nemo liber est, qui corpore seruit.

Cogito mecum, quam multi corpora exercent, quam ingenia pauci, quantus ad spectaculum non fidele, & lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas solitudo, dixit *idem Senec. d. Epist.* 81.

Bonam corporis figuram bonum mentis argumentum esse commune Philosophorum dictum est, cui consonat *Diu. Ambros. lib.* 2. *de virg.* ibi; Speciem corporis simulacrum esse mentis, & vulgo dicitur, qualis forma talis, & anima, & apud *Ouid. Fastor.*

Facies animo digna;

Et Pertius sic,

Gratior est pulchro veniens à corpore virtus.

Sicut á contrario incompositio corporis inæqualitatem mentis indicat, vt dixit *Glos. verbo, Grauitas morum, in cap.* Cum in cunctis 7. *de elect. & glos. vlt. in cap. vlt. de custod. Eucharist. & in cap. Quia* 5. *de prab.* ibi; Quia diuersitatem corporum diuersitas sæpe sequitur animorum, vbi *Glos. alia* affert.

Longe multò pulchrius est corpus, quod ex omnibus membris constat, quàm ipsa membra singula, quorum ordinatissimo conuentu completur vniuersum. Quamuis, & illa etiam singulatim puchra sint, dicit *Augustin. lib.* 13. *Confess. cap.* 38.

Cum gaudio facere debet immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus, *Ex eod. August. refertur in cap. consideret §. In his omnibus de pænit. dist.* 5. Sed non ità seruatur; Nam pro conseruando corpore omnia patiuntur, pro anima vero subleuanda nihil, vt *Ouid.* ait sic.

Vt corpus redimas ferrum patieris,
& ignem,
Arida nec sitiens ora lauabis
aqua.
Vt valeas animo quicquam tolerare
negabis,
At pretium pars hac corpore maius
habet.

Senec. autem lib. 2. *Epist.* 14. sic ait. Fateor insitam esse nobis corporis nostri charitatem, fateor nos huius gerere tutelam, non nego indulgendum illi, seruiendum nego; Multis enim seruiet, qui corpori seruit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert: sic gerere nos debemus; non tamquam propter corpus viuere debeamus: Sed tamquam non possimus sine corpore; huius nos nimius amor timoribus inquietat, solicitudinibus onerat contumelijs obijcit: honestum ei vile est, cui corpus carum est.

Non tamen immoderatè affligi debet corpus, neque ei subtrahi debent necessaria ad sui sustentationem, vt dicitur *in cap. Non mediocriter ad fin. de consecr. dist.* 5. De rapina holocaustum offert, qui temporalium bonorum, siuè ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria corpus suum immoderatè affligit; nam, vt inquit

inquit *Glos. verbo*, *Quantacumque, in l. Stichus 16. ff. de pecul. leg.* Corpus rebus suis est præferendum.

Durum videtur, quod interdicatur liber vsus corporis proprij ad experiendas, & exercendas vires eiusdem, dixit *Glos. verbo*, *Rationabilibus, in Extrauag. vnica de torneamen.*

Incorporalia non possidentur, sed quasi possidentur, dicit *Glos. 1. in cap. 2. de in integri restit.* Quia incorporalia apprehendi non possunt, vt de iurisdictione, & seruitutibus ponit *Glos. penult. in cap. Conquestus 16. de for. compet.* & sic non separantur facile, vt corporalia, dixit *Glos. verbo, exigere, in l. 3. C. de nouat.*

Potest dici, quod in huiusmodi incorporalibus patientia habetur pro titulo; nam patientia loco traditionis habetur in seruitutibus &c. qui enim facit gratiam, illud debet protestare, ità ponit *Glos. verbo*, *Breuitatem, in cap. 3. de caus. possess.*

Credere, & Creditor.

Istud verbum potest sumi, vel quatenus fides adhibetur, vel quatenus respicit creditorem, licet aliquando ponatur credere pro scire, vt *de re iudicat. cap. Cum olim vers.* Post hoc dixit *Glos. in addit. verbo, Et se in cap. Is, qui 19. de elect. lib. 6.* Sed nos hic de hoc vltimo non tractamus, sed quo ad creditum quatenus respicit ad creditorē, & quatenus respicit ad credulitatē.

Planè affirmauerit mihi rectè me credere operarijs suis non institoria, sed ex locato tenebitur, dicit *l. Quicumque in fin. ff. de instit. act. vbi Apostil.* sic. Iste est textus notabilis, & semper menti tenendus secundum *Bald.* hic, & facit ad materiam litterarum credentiæ de quo per *Bart.* hic, & plenè in *l. Lucius, ff. de fideiuss.*

Et facit *l. Si verò §. Si quis mandauerit ff. mandat.* ibi. Nec essem daturus &c. accipienti accesserit, qui diceret non accipere contra Senatus consultum, & periculo meo dicat crede, vel bene credis; arbitror locum esse mandato, & mandati eum teneri.

Si quis crediderit non varia simplicitate deceptus, nec Iuris ignorantia, sed quia publicè, plerisque videbatur &c. inquit *l. 3. ff. ad Macedonian.* vbi cessat illud Senatus consultū, quando filius familias reputatur publicè pro patre familias, & ibi notat *Glos. verbo, Publicè*, sic. Nota, quod communis error excusat.

In contrarium est, quando quis publicè reputatur luxuriosus, & mandat tibi, vt pro meretrice fideiubeas, quia tunc non habebis madati actionem eo, quod simile est, quasi perdituro pecuniam credideris, vt dicitur in *l. Si verò §. adolescens, ff. mandat.*

Ne credulitas creditoris Domino obesset, vel calliditas serui noceret, inquit *tex. in l. 3. §. 1. ad fin. ff. de in rem vers.* vbi Dominus non tenetur ad debitum contractum per seruum, & addit *idem tex.* sic. Quid tamen, si is fuit seruus, qui solitus erat accipiens vertere? Ad hunc non puto nocere Domino &c. Curiosus igitur debet esse creditor, quo vertatur.

Credulitas nimia credulo imputatur, vt dicitur *in l. 1. in fin. ff. de eo, per quem fact. erit.* ibi; Quamuis quidam putent sibi eum imputare debere, qui credulus fuerit, vbi *Glos.* ità. Item nota hoc, non debere aliquem esse nimis credulum, & paulò supra sic. Licet enim nimis credulus fuerit in culpa &c. & videtur probari *Genes. 39.* ibi; Nimium credulus verbis coniugis; nisi iusta ratione, quis credidisset affirmationi, vt dicit *l. 1. C. ad Macedonian.* Non tamen vana simplicitate, vt ibi dixit *Glos.* Et sic cuilibet

libet referenti credere non tenemur, ait *Glos. verbo, Certiores, in cap. Si beneficia* 20. *de prab. lib.* 6.

Vnde iubuenitur ei, qui non fuit credulus, quoniam idem est, ac si non fuisset ei dictum, vt inquit *glos. per tex.* ibi; Si id actor ignorauerit &c. Et si dictum sit ei ex bona fide, non crediderit *ff. Quod fals. tutor. l.* 2.

Vtrum habeat conscientiam huiusmodi ex credulitate leui, & temeraria, an probabili, & discreta? &c. Ait *cap. Inquisitioni* 44. *de sentent. excomm.* & ibi *Glos.* sic. Quam dicis leuem? Puta si audiuit impedimentum à leuibus, & fortè a paucis, quibus credere non tenetur, & altera *Glos. verbo, Probabili*, sic. Sed quam dicis probabilem? Puta, quia vidi virum cum consanguinea sua in locis suspectis.

In iudicio verò animæ cuilibet est credendum, qui non est verisimile, quod sit immemor suæ salutis, dixit *Glos. verbo, Credendum sit deducens per argumentum ex tex. in cap. significasti* 18. *de homic.* ibi; Cum de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur, vel vel denunciatur ab aliquo, sed per se ipsum consilium aperit salutare.

Mala verò audita nullum moueant, nec passim dicta absque certa probatione, quisquam vnquam credat: sed ante audita diligenter inquirat, nec præcipitanter quicquam agat aliquis dixit *cap. Deus Omnipotens* 2. *q.* 1.

Absolutè creditorem ponimus (antiquas sequentes leges) omnem, qui actionem habere contra aliquem potest, licet non sit mutuum gestum, sed alter quidam contractus existat, dixit *Imperator in Autb. de fideiuss. §. Quod autem in fin. coll.* 1. *Et in l. Cum fideicommissaria* 16. *ff. qui & à quib.* ibi, Creditores autem appellantur quacumque ex causa actio competit.

Crediti appellatio solius fideicommissi pecuniam demonstrare videtur, non eam pecuniam, quæ petitionem quidem non habet, dicit *l. Si is, cui* 94. *§. vlt. ff. de solut.* vbi *Glos. verbo, Appellatio*, sic. Creditum enim dumtaxat dicitur, quod exigi potest, sicut & creditor dicitur, is, qui habet actionem, siuè exceptionem.

Inter creditores autem etiam eos numerandos esse, quibus fideicommissum debetur, olim placuit, *l.* 1. *C. qui manum. non poss.*

Creditor verò Ecclesiæ dicitur, qui quod credidit, probat in vtilitatem diuinæ domus processisse, inquit *Auth. Hoc. ius porrectum C. de Sacros. Eccles.*

Etenim filij creditores, etiam patris sunt creditores, dicitur *in l. Si pater* 12. *ff. quæ in fraud. credit.*

In numero autem creditorum pari authoritatem eius sequitur Prætor, qui dignitate eos præcellit. Sin autem vndique in vnam æqualitatem concurrant humanior est sententia à prætore eligenda, inquit *l. Maiorem* 9. *ff. de pact.*

Habenda erit ratio priuilegiorum &c. dilata interim cæterorum creditorum actione, vel interposita cautione, si priores agant, qui priuilegium non habent restituturi, quod acceperunt, si inferatur postea actio priuilegijs. dicit *l. ex facto* 53. *ff. de pecul.*

Cùm bona veneunt debitoris in comparatione extranei, & eius, qui creditor, cognatus ve sit, potior habetur creditor, cognatusve; magis tamen creditor, quam cognatus. Et inter creditores, potior is est, cui maior pecunia debetur, sic ait *l.* 1. *ff. de priuil. cred.*

Sed quid si plura erant sibi obligata, & propter modicam pecuniam distraxit rem maximam, cum viliorem distrahendo poterat debitum consequi? Respondet *glos. vlt. in l. Quandiù C. de distrat. pig.* non videtur bona fide versari.

Quam-

Quamuis conuenerit, vt fundum pignoratum vendere tibi liceret nihilo magis tamen cogendus es vendere, &c. Quia tua causa id caueatur &c. Inuitum enim creditorem cogi vendere satis inhumanum est, ait *l. 6. ff. de pignorat. act.*

Iure pignoris obligatum prædium, nec si per subiectam personam creditor, cóparauerit, nec ü sibi addixerit debitori affert præiudicium, sed in eadem causa permanet, in qua fuit ante huiusmodi collusionem, ait *l. Et qui sub imagine 10. C. de distract. pign.*

Si inops est emptor, & impediendæ tantumodo venditionis causa interuenit, potest creditor sine periculo priori emptori addicere, dixit *l. Sed & si 13. ff. de in diem addict.*

Creditor, qui ob restitutionem ædificiorum credidit in pecuniam, quam credidit priuilegium exigendi habebit, sic ait *l. 25. ff. si cert. pet.*

Creditor per scripturam publicam potior est, nisi priuata sit trino teste notata, vide verbo, *Scriptura.*

Qui pignoris iure vendit hoc vtique præstari debet potiorem cæteris esse creditoribus, ait *l. 1. C. Credit. euict. pig.* vbi *glos. verbo, Iure vendit,* sic Collige ergò hic creditorem quatuor præstare debere. Primo. Quod sibi sit res obligata &c. Secundo. Quod sit potior alio creditore. Tertio. Quod creditor credat rem esse debitoris, & sic non sit in dolo. Et eadem ratione. Quarto sibi liceat vendere ex pacto, vel ex lege, vel saltem credat sibi licere.

Quod dicitur Creditorem probare debere cum conueniebat rem in bonis debitoris fuisse, ad eam conuentionem pertinet, quæ specialiter facta est, non ad illam, quæ quotidie solet cautionibus inseri, vt specialiter rebus hypotheca nomine datis, cætera etiam bona, quæ nunc habet, & postea acquisierit, inquit *l. Et quæ 15. §. 1. ff. de pignor.*

Nisi vniuersum, quod debetur offeratur iure pignus creditor vendere potest, ait *l. Hæredes 26. §. Quod pro emptore in fin. ff. famil. hercisc.*

Inter creditores, occupantis meliorem esse conditionem, nisi si quis priuilegiarius veniat, huius enim non sine ratione prioris ratio habebitur dicit *l. 3. ff. quod cum eo, & in l. Si quis 14. ff. de noxal. act.* sic & verius est occupantis meliorem esse conditionem, &c. non qui prior egit, sed qui prior ad sententiam peruenit.

Qui debitam pecuniam accepit antequam bona debitoris possideantur, quamuis sciens soluendo non esse recipiat non timere hoc edictum; sibi enim vigilauit, inquit *l. Qui autem §. sciendum ff. quæ in fraud. cred.* Et ratio est in *l. Pupillus 24.* ibi. Quoniam alij creditores sua negligentia expensum ferre debeant *ff. eod. tit. quæ in fraud credit.*

Dicimus priori creditori inutilem esse actionem, cum per eum fiat, ne ei pecunia soluatur; ita est *l. Potior 11. §. videlicet ff. qui potior in pig.*

Creditor recipiens rem in solutionem, si illa pro parte fuerit euicta, poterit pro solido obligationem primam petere, vt habes verbo, *Solutio.*

Sententiam Iuliani verissimam esse arbitror in pignoribus quoque. Nam si iure creditoris vendiderit, deinde hæc fuerit euicta, non tenetur, nec ad pretium restituendum ex empto actione creditor, inquit *l. Ex empto 12. §. Denique ff. de act. empt.* Et comprobat *l. vlt. C. cred. euict. pig. non debe.* ibi. Nam sicut genus huiusmodi contractus inscium creditorem nó astringit vinculo euictionis; ità eum, qui fraudem admisit, vel decepit, non excusat.

Non plus habere creditor potest, quàm habe-

habeat, qui pignus dedit, inquit *l. 3. in fin. ff. de pign.* nec etiam potuit primus creditor inplus obligare pignus secūdo creditori, quàm ei fuerit obligatū vt inquit *gl. pen. in c. Cum cōtra 6. de pig.*

Ea, quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet, à creditore exiguntur; ità *l. 14. ff. de pignor. act.*

Sicut enim negligere creditorem dolus, & culpa, quam præstat non patitur; ità nec talem efficere rem pignoratam vt grauis sit debitori ad recipiendum puta, saltum grandem pignori datum ab homine, qui vix luere potest, ne dum excolere, tu acceptum pignori excolere, tu acceptum pignori excoluisti; sic vt magni pretij faceres, alioquin non est æquum, aut quærere me alios creditores, aut cogi distrahere, quod velim receptum, aut penuria coactum relinquere me tibi. Igitur hæc à iudice erunt despicienda, vt nec delicatus debitor, nec onerosus creditor audiatur; ità optimus *tex. in l. Si seruos 25. ff. de pignoratit. act. vbi glos. vlt.* sic. Debitor est delicatus, qui etiam vnum nummum reddere non vult; creditor est onerosus, qui vsque ad vltimum quadrantem vult sibi solui; neuter ergo auditur, & sic ex duobus contrarijs eligitur quoddam temperamētum. Quod autem nec delicatus debitor, nec onerosus creditor sit audiendus, dixit etiam *Glos. verbo, Expensa, in cap. Vt præterita 45. de elect. Et in extrauag. 1. de offic. ordin. inter comm.* ità dicit. Sic debitor delicatus effugitur, sic onerosus creditor minimè reperitur.

Si prior creditor patitur pignus alij obligari, an prorsus suum ius perimatur, an verò sit locus secundi? Dic non tolli, sic ponit *Glos. in l. 3. C. de remiss. pig.* Nobis autem visum est eum, qui semel consensit alienationi hypothecę, & hoc modo suum ius respuit, indignum esse eandem rem, vt pote ab initio & ei suppositam; vendicare, vel tenentem inquietare; ait *l. vlt. C. eod. tit. de remiss. pign.*

Si præsens apud Prætorem ipse quoque consensisset, pactus videretur &c. Sed cum proponat abfuisse, iniquum est ei auferri electionem, sicut pignus, aut priuilegium, qui potuit præsens id ipsum proclamare; sic dicit *l. Si præcedente 58. §. Vnico ff. mand.*

Non videtur concessisse creditor, & si sciente eo rem vendiderit, cum ideo passus est venire, quod sciebat, vbique pignus sibi durare. Sed si subscripserit fortè in tabulis emptionis, concessisse videbitur; ità dicit *l. Sicut 8. §. non videtur ff. quib. mod. pig. solu. vbi glos. verbo, manifeste,* sic quærit, sed quid si tabellio eum subscripsit in testem? Videtur secus, quia hic de subscriptione, quæ fit consentiēdo &c. sed videtur cōtra *l. fideiussor. §. Pater ff. de pig.* tu vide.

Superuacuum est credere agrum specialiter hypothecæ datum permissu creditoris venisse, si ipse debitor rem possideat; ait *l. Sicut 8. §. Superuacuū ff. quibus mod. pig. vel hypo. solu.*

Creditor accipiendo pecuniam etiam remisisse pænam videtur, inquit *l. vlt. ff. quod cert. loc.*

Creditricem &c. iubentem eandem cautionem reddi pignoris etiam Ius remisisse videri manifestum est; inquit *l. Creditricem C. de remiss. pig. & ibi Glos.* ita. Non sic è contra, vt reddito pignore, videatur remitti debitū, & ponit rationē diuersitatis *ex Bart.* Sed mihi magis placet illa, .s. quod reddito chirographo debitori, debitū est remissū, & per cōsequens pignus, quod est accessio principalis .s. debiti. At verò remisso pignore, quod est accessorium, nō ideo remittitur debitū, quod est principale.

Non potest creditor retinere pignus contra fideiussoris voluntatem, sed contra voluntatem debitoris tātum, vt &c. ait *glos. verb. Obligatus, in l. 2. C. de fideiuss.*

Creditor, qui diuisit petitionē sui crediti,

& pe-

& petiuit ab vno ex fideiussoribus partem eius, non potest post litem contestatam petere in solidum ab vno, ità disponit *l. 16. C. de fideiuss.* in hæc verba Liberum fuit antequam lis aduersus omnes fideiussores contestaretur, vnũ eorum eligere creditori; Si modo cæteros minus idoneos existimaret; at nunc post litis contestationem, diuisam petitionem redintegrari Iuris ratio non permittit. *Lex verò vlt. eod. tit.* quæ videtur loqui contrarium, intelligitur, vt ex ea patet, quando creditor petiuit ab vno ex fideiussoribus totum debitum in solidum; tunc enim relicto illo; potest ab alio petere partem.

Optimum est, vt si quas te putas habere actiones, actionibus experiaris interim ille in possessione debet morari, tu petitor esse &c. inquit *l. Creditores 7. ff. de vi priuat.* quem *tex.* notabis in materia, & alia verba in verbo, *Vis*.

Præsides præparent, subtili æstimatione facta rerum debitoris, dari secundum quantitatem debiti possessionem immobilem creditoribus, inquit *Auth. de fideiuss. §. Quod autem coll. 1. Et in eod. tex. paulo supra* sic. Damus creditori licentiam volenti immobiles res accipere pro auro; Sed si nec quispiam emptor immobilium eius rerum adsit, creditore frequenter & diuulgante.

Rerum verò datio sit huiusmodi quæcũq; quidem meliora sunt, dentur creditori quæ verò deteriora apud debitorem post debiti solutionẽ manere sinantur. Etenim non erit iustum dantem quidẽ aurum, non volentem sed coactum suscipere rem immobilem, vel nõ meliora rerum debitoris percipere, & per hoc habere consolationem, dicit *tex. in d. Aut. de fideiuss. §. quod autẽ et glos.* dicit quod hoc procedit in casu speciali, cũ creditor inuitus cogitur recipere pro solutione alterum pro altero, alias regulariter aliud est, & Imperator reddit rationem ibidem dicens. Agnoscant autem creditores quia, & si hanc legem non scripsissem, necessitatis tamen ratio ad hanc causam perduceret, Vndiq; tamen ità creditoribus prouidendum est, vt non debitores grauentur, dicit *idem tex.*

Interest creditoris duos habere Reos, dicit *l. 4. §. vlt. in fin. ff. de liberat. legat.* in quo textu agitur de legato relicto .s. vt soluatur creditori alterius, & probatur *in eod. tex.* & debitorem, & creditorem legatarium esse, debitor scilicet, quia interest eius liberari, creditor, quia eius interest duos habere reos.

Cum quis debitori suo hæres extiterit, confusione desinit esse creditor. Sed si vẽdiderit hęreditatem, ęquissimum videtur emptorẽ hæreditatis vicem hæredis obtinere, & idcirco teneri venditori hæreditatis, est optima *l. 2. §. vlt. ff. de hæred. vel act. vend. & facit l. Si uxor 7. C. de bon. auth. iudic. possid.* ibi. Debitũ à cohęredibus pro besse nõ prohibetur petere; cum vltra eam portionem, qua successit, actio non confundatur, & notat *glos. vl. in d. §. vl.* sic. Nota hic, quod actio semel extincta resuscitatur sic supra &c. regulariter tamen cõtra, vt infra de solutionibus *l. qui res §. Aream*. Sed in hoc non mihi videtur bona ratio notandi huius *Glos.* nam aliud est actio extincta aliud confusa, quia extincta mortua est, & finita, & ideo non reuiuiscit; confusa verò non dicitur extincta; cum ergo non detur extinctio, sed confusio, cessante confusione non est nouum, quod actio redeat ad primæuam naturam, & sic non est notabile, nec potest dici limitatio ad illam regulam generalem, quòd actio semel extincta non reuiuiscit.

Creditoribus sua authoritate diuidere bona, & Iure dominij retinere nõ licet, sed vẽditionis remedio quatenus substantia patitur indemnitati consulere, permissum est, inquit *l. leg. Iulia C. qui bo. ced. poss.* Quid enim iustius est,

est, quam omnes, qui ad res debitoris mitti debent, esse participes huius commoditatis, inquit *l. vlt. C. de bon. auth. iudic.* Vt scilicet omnes creditores admittantur ad bona, si omnes sunt eiusdem tituli, vt ibi *per Glos.*

Creditoris iuraměto statur circa damna, & interesse; quãdo debitor vult reluere pignus, iuxta formam *l. 3. C. de iur. dom. impetran. & habes verbo, Iuramentum.*

Creditor, qui cecidit à possessione pignoris prætorij, potest illam recuperare, vt dicitur *in l. 2. in fin. C. de prat. pig.* ibi. Licet enim debuerat incumbere suo pignori, ne aliquam inde patiatur iacturam; tamen ne quid amarum in creditoribus consequatur, benignius causam interpretamur, & ei recuperationem donamus.

Creditor non præscribit Ius offerendi debitum debitori competens ad reluendum pignus, vt dicis verbo, *Debitor*.

Creditor, quando possit eligere solutionem sibi factam à debitore, in quam voluerit causam. Vide verbo, *Debitor* & verbo, *solutio*.

Creditoris periculo perit pecunia, qui eam recipere noluit, est *tex. in l. Qui decem 72. ff. de solut.* ibi. Quare pro soluto id, in quo creditor accipiendo moram fecerit, oportet esse, & vide latius in verbo, *Debitor*.

Separatos creditores puto separatim eos in tributum vocari, vnusquisq; enim eorum merci magis, quàm ipsi credidit &c. æquissimum puto separatim tributionem faciendam, ne ex alterius re, merceue alij indemnes fiant, alij damnum sentiant, ait *l. Procuratores 5. §. Si plures ff. de tributor. act.*

Aliud pro alio inuito creditore nõ potest solui, vt inquit *glos. in l. Cum C. de solut.*

Creditor ante nouem dies ab obitu defuncti nõ potest molestare eius hęredes vt dicitur *in Auth.* sed neq; ante nouem dies ab obitu numerandos, vlla prorsus fiat molestia aduersus quemlibet ex persona defuncti *C. de sepulcr. viol.*

Creditor potest detinere debitorem fugientem, vt tenet *Glos. verb. Potestatem in c. 1. de pac. Constan.* ibi. Verum est .n. si ipse fugeret, quod posset eum detinere, donec ad iudicem posset eum perducere, vt &c. Non tamen poterit ei per violentiam rem auferre, probat & *glos. verb. detinere, per tex ibi in Auth.* vt *iudices sine quoquo suffra. §. Necessitatem coll. 2.*

Culpam.

HÆc triplex est, vel lata, vel leuis, vel leuissima, & quando simpliciter de ea loquimur, intelligitur leuis, vt infra *vers. licet.* vt probat *l. Quod si nolit. §. Si plures ff. de ædilit. ed.* ibi culpam autem omnem accipimus non vtiq; latam, vbi *Glos.* sic. Quia non tantum latam, sed etiam leuem præstat, non leuissimam, scilicet emptor, qui redhibet.

Culpa lata illa est, qua quis id ignorat, quod omnes sciunt, vt inquit *glos. verb. æque, in §. Suspectus autẽ de suspect. tutor. in Instit.* & ista dolo comparatur, licet non æquè, vt dicitur *in d. §. Suspectus* ibi. Siquidem ob dolum famosus est, si ob culpam non æquè, vbi *glos. verb. ob culpam*, dicit, quod dolo comparatur, exceptis duobus casibus. Primus in criminibus publicis. Secundus in delatione iuramenti in litem.

Leuis culpa negligentia appellatur *in l. cli ostendimus in fin. ff de fideiuss. tutor.* vbi *Glos. verbo, neglignetia*, sic. Idest leuis culpa. Sic & eodem modo sumitur *in l. Non similiter 4. ff de Magistr. cõuenin.* ibi, Sed nec hæres tutoris negligentiæ nomine tenetur, & *ibidem notat Glos.*

Culpa autẽ hæc nõ ad exactissimam diligentiam redigenda est. sufficit .n. talem diligentiã communibus rebus adhibere, qualem suis rebus adhibere solet; inquit *l. Socius Socio 73. ff. pro soc.* Ex qua collliges leuissimam culpam

Casibus in tribus, quis dicitur esse rebellis.
Impedit, occultat, iussis parère recusat.

Vide etiam latius in *Glos. verbo, Contumaciter, in cap. 2. de dol. & contum. vbi alios versus & glos. verbo. Non rectè in l. Ex consensu 24. §. Eum qui cognouit, ff. de appell. & ibidem glos. penult. in fin.*

Vt vniuersitas, vel Ecclesia sit contumax citetur in capitulo, vel arengo, dicit *Glos. in l. Non potest 160. ff. de regul. iur.*

Dolum autem committit, qui vocatus non venit nullam causam non habens non veniendi, vt infra *de reg. iur. l.* Non potest dolo, sic dicit *Glos. 1. in l. Minor 9. ff. de minor.*

Contumacia pro præsentia est, inquit *Auth. Qua in prouincia vers. Sed si C. vbi de crim. & in Auth. vt om. obe. iud.* sic. Nam qui per contumaciam deserit, in nullo minor præsente putabitur.

Causa autem cognita, & præsentibus aduersarijs, vel si per contumaciam definit, inquit, *l. In causa 14. §. causa, ff. de minor. vbi glos.* sic. Per contumaciam, quia tunc pro præsentibus habentur, & *Apostill. ibidem* ità; Ad hoc allegatur, quod paria sunt aliquem esse præsentem, vel absentem per contumaciam.

Non esse audiendum, si modo per contumaciam defuerit, sin minus audiatur, dicit, *l. Et post 78. §. 1. ff. de iudic. vbi glos. verbo, Audiendum,* intelligit sic. Item hoc si est contumax in non veniendo, secus si in non restituendo.

Absens legitimè citatus præsumitur contumax, si non venerit, &c. Sed talis præsumptio eliditur per aliam præsumptionem, &c. *Glos. in verbo, Plenum, in cap. Ex litteris 4. de in integr. restit.* Tamen *in l. Locorum 11. C. omni agr. deser. lib. 11.* dicitur sic. Propria confitentur absentia, nec adesse voluerint, vbi *glos.* sic. Nota contumacem pro confesso &c.

Non enim statim Iudex propter contumaciam alterius partis constituet præsentem possessorem causa rei seruandæ, inquit *Glos. verbo, summatim, in cap. Quoniam frequenter §. In alijs, vt lit. non contest. vbi tex.* sic. Ita videlicet, quod alterutra pœna, quæ magis timeri debeat, Iudex à principio sit contentus, ad alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit protervitas contumacis.

Contumaci in vna causa potest Iudex ei denegare audientiam in alia, quod est verum inter easdem personas Iudice decernente, hoc addito, quod contumax in vno actu debet tamen citari ad alios actus, dicit *Apostill. ad l. Sed & si 26. §. Ait prætor ex Bald. ibidem ff. ex quib. caus. maior. cuius tex.* verba sunt. Sed & si dum decreto prætoris non obtemperat Iurisdictionem suam ei denegauit; &c. idq; si ex alia iusta causa non fuerit ab eo auditus, vbi *Glos.* sic ait. Vel cum decreuisset, &c. & non fecit; nam potest postea ei denegare Iurisdictiouem suam.

Nota; quod quis efficitur de possessore petitor propter contumaciam, inquit *glos. vlt. in l. Is cuius 18. ff. si seruit. vendic.* hic enim punitur pro contumacia, quæ sæpe purgatur, vt facile est videre in multis, ait *glos. verbo, In perpetuum, in cap. Ex litteris 11. de constit.*. Nam contumacia eius cumulat pœnam, vt dicit *l. Relegati 4 ff. de pœn.* Ne nil obedientiæ prodesse videretur humilibus. Si contemptum contumacibus non obesset, vt dicit *cap. 1. vers. Nos igitur de postulat. prælat.* Et sicut in contumacia persistentibus seueros nos esse conuenit, sic humiliatis, & pœnitentibus

locum

locum veniæ negare non debemus, inquit *cap. Quanto* 2. *q.* 4.

Contumaci, & delinquenti potest Iudex remittere pœnam de gratia, vt inquit *Glos. vlt. in cap.* 1. *de postul. præl.* vbi allegat *ex cap. Consuluit de offic. deleg.* hæc; Nisi per gratiam ei benignitas iudicantis subueniret, & facit *Glos. verbo, vt conuincatur, in cap. Cum olim* 7. *de dol. & contum. ibi*. Et sic Iudex potest parcere contumaci, idem dicit *Glos. verbo Gratiam in d. cap. Consuluit* 24. *de offic. deleg. ibi.* Ecce quanta potestas datur Iudici, vt possit parcere contumaci in præiudicium alterius.

Maior est contumacia actoris, non venientis, quàm Rei, vt dicit *Glos. verbo, Ad terminum, in cap.* 1. *de dol. & contum. lib.* 6.

Contumacia dicitur præsumpta per tres denunciationes, vt &c. ait *glos. verbo Contumacia, in l. Consentaneum* C. *quemod. & quan. iud.* Expressa est autem, quando expresse dicit. Nolo venire, vt addit *d. glos.* & vt supra in principio dictum est.

Conuentio, & Reconuentio.

NEC enim quoquo modo cuiusque interest conuentio cum alio facta, alij prodest, sed tum demum cum per eum, cui exceptio datur principaliter ei, cui pactus est, proficiat. sunt verba, *l. Fideiussoris* 24. *ff. de pact.*

Nec enim bonæ fidei contractum hanc pati conuentionem, vt emptor rem amitteret, & pretium venditor retineret, inquit, *l. Emptorem* 12. *§. vlt. ff. de act. empt.*

Tacitè semper videtur conuenire, cum sit consuetum, vt hic, & *de ædil. edict. l. Quod si nolit §. Assiduo.* Tu dic, quòd ea, quæ solita sunt fieri, & apponi in contractibus non præsumuntur, nisi probentur, quando aliquid adijciunt obligationi, prædicta ponit *glos. verbo, Exigat in l.* 4. *§. In commissoria ff. de leg. comm.*

In huiusmodi obligationibus id maximè spectare debemus, quod inter vtramq; partem conuenit, videtur autem in hac specie id silentio conuenisse, ne quid præstaretur, si ampliori pecunia fundus esset locatus, idest vt hæc conuentio pro locatore tantummodo interponeretur *l. Ea lege* 13. *ff. locat. & ibi glos. Pro locatore* sic. Et ideo, quia eius fauore interposita est conuentio non eodem Iure vteretur aduersarius in casu conuerso; Est tamen argumentum contra &c.

Quamuis nihil expressum sit in stipulatione pœnali de solutione pensionum, tamen verisimile esse, ità conuenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionibus paruerit, & vt oportet, coluerit ità dicit *l. Quæro* 56. *§.* 1. *ff. locat.* vbi *glos. verbo, Paruerit, in fin.* sic. Item nota hic quædam tacita subintelligi, vt &c.

Sæpe conuenti consequimur, quod non consequimur agendo, inquit *glos. verbo, Non iniquè, in l. Quod si nolit* 31. *§. Si plures ff. de ædil. edict.*

Vnde nota, quod per reconuentionem fit Iudex, qui alias Iurisdictionem non habet in reconuentum, quantum ad illam causam reconuentionis, siue sit ordinarius, siue delegatus. Cum causa reconuentionis non est commissa delegato, &c. Et Iudex Laicus Ordinarius habet Iurisdictionem per reconuentionem, puta cum Clericus conuenit laicum coram Iudice laico, ità ponit *Glos. penul. in cap.* 1. *de mut. petit.*

Sed si Clericus conueniat laicum coram Iudice laico, & ille laicus conueniat Clericum ciuiliter de crimine, si feratur

tæ, nihil ad beatè viuendum accomodatius, quam cum viris bonis iocundis, amantibus tuis viuas, neque id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ, atque victus, remissionemq; animorum, quæ maximè, efficitur sermone familiari, qui est in conuiuijs dulcissimus.

Non symposion, idest compotationem, (vt aliqui dicunt) ac si tota ratio victus consistat in potu: Quia (vt inquit *Cicer. de senect.*) Minimum, quod in hoc genere consideratur est compotatio: Quandoquidem conuiuia propter sermonis delectationem, quàm propter poculum, & escam fieri debeant, vt quemadmodum in eo communi vescimur alimento, ità eodem mentis, vitæque bonæ, & communi voluntate ruamur, vt sit in nobis anima vna, & cor vnum in Deo; inquit enim *idem Marsil.* Finem conuiuij non compotationem, sed dulcis vitæ communionem fore, & *Calius*. Communio vitæ rectius, honestiusque statuitur conuiuij finis, quàm poculorum licentior inuitatio, & si vis alia pulchra de vtilitate conuiuij scire, vide *Ciceronem d. lib. 9. Epistol. fam. ad Papir. Pet.*

Non debent esse in conuiuio minus tribus, nec plures decem, vt inquit *Apostil. ad Glos. verbo, Gregis, in §. Sed si gregis de rer. diuis. in Instit.*

Quæ autem qualitates adesse debeant in conuiuijs *Marsil.* inquit. Eos debere esse gratiosos, musicos, & litteratos, sed præcipuè cauendum est, ne vllus admittatur contentiosus, & qui propere excandescat, nisi fortè, vel primo poculo, vel vno verbulo mitigetur. Dicit etiam inter epulas oportere sermonem esse varium, iocundumque, ac breuem, historiam breuissimam; longiusculam verò fabellam, obscenos verò, & spurcos sermones omnino detestatur.

Aliqui dicunt, quod non debent in conuiuijs proponi quæstiones difficiles, & tortuosæ, sed ità, vt ab omni bus percipiantur, & sint communes omnibus, vt vinum, ità vt quisquam suam ferat portionem: anxias namque difficultates, & solicitè librandas non admittit conuiualis hilaritas. Ex his, quæ *Thadaus super Isaiam in tract. de triplici conuiuio cap. 7.*

Conuiuium omnino parcum, haud valde laudamus, luxuriosum nos penitus detestamur; hoc enim commori potius, quàm conuiuere; mundum desideramus, & purum, immundum horrescimus, & sordidum, inquit *Marsil.*

Illa conuiuia rectè commendantur, & laudantur, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec inanes sæcularium negotiorum fabulæ recitantur; Et si quando libeat per iocum aliqua in mensa fabulari, ita tamen fiat, vt sint sine dente sales, vt dixit *Diu. Gregor. & Cicero d. epist. ad Papir. Pet.* sic. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi ioci.

Diu. autem Gregor. lib. 1. moral. cap. 5. sic ait. Non nulla sunt vitia, quæ à conuiuijs separari vix possunt; penè enim semper epulas comittatur, voluptas, & locacitas, adeoq; dictum est, in prouerbium, Mensam tormentum extorquendæ veritatis: Et quidam rectè dicebat linguam semper certè, sed in conuiuio præcipuè retinendam, &, reprimendam esse.

Legimus in Romana historia. Flaminium Romanum ducem, quod cubanti iuxtà se meritriculæ, quæ nunquam vidisse se diceret hominem decollatum assensus sit, vt Reus Capitalis criminis in conuiuio truncaretur à Censoribus pulsũ Curia, quia epulas sanguini miscuisset, & mortem, quamuis noxij hominis in alterius dilitias præstiterit, vt libido, & homicidium pariter miscerentur *ex Valerio Max. lib. 2. cap. 4.*

X §. Si-

§. Sicut affert. Apostil. ad cap. Si aliquis de homic.

Quare vitamus conuiuium Iudæorum, & non paganorum? Respondet *Glos. verbo, vti liceat, in cap. Quam sit de Iuda.* sic. Ratio illa, est, quia Iudæi discernunt cibos nostros; vnde non debemus cibis eorum vti, ne videamur inferiores illis: Pagani verò non discernunt &c.

Correctio.

PRimum requisitum in correctione erit, quod, qui alios corrigit, prius corrigat se, & suos, vt dixit *Glos. verbo, Prius, in cap. 1. de cens. lib. 6.* & vulgare est illud.

Alijs persuadeat, qui prius persuaserit sibi.

Quomodo enim potest præses Ecclesiæ, auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit? aut qua libertate corripere potest peccantem, cum tacitus ipse sibi respondeat eadem se admisisse, quæ corripit? inquit *cap. vlt. 25. dist. & Glos. vlt. in cap. Nouit de iudic.* ità. Qualiter enim moueretur bono zelo ad correctionem alterius, qui nondum est correctus?

Honor est, non ignominia, quod quis se corrigat potius, quàm ab alio corrigatur, dixit *Apostil. ad tex. in cap. Qualiter, & quando 18. de accusat.*

Et ità Imperator *in Auth. de nupt. in princ. coll. 4.* dixit. Nunc consilijs perfectioribus causam considerantes, etiã quædam corrigere, non aliorum solummodo, sed etiam, quæ à nobis ipsis sancita sunt; Non enim erubescimus, si quid in melius etiam horum, quæ ipsi prius diximus, adinueniamus hoc sancire, Et competentem prioribus imponere correctionem, nec ab alijs spectare corrigi. Et *in Auth. vt fratrum filij in principio coll. 9.* ibi. Nostras leges emendare nos non piget &c. & ibi *Glos.* Melius est seipsum corrigere, quàm ab alio corrigi expectare. Nec putare debetis, si diuersa iubeamus ex animi nostri venire leuitate rescripsit *Rex Assuer. vt constat lib. Esther cap. vlt.* Si ergo Imperatores, qui iura dicuntur habere in scrinio pectoris sui non erubescunt se corrigere, cur erubescet sciolus, vel indoctus doctor emendare, & corrigere, quod non benè respondit? abigatur ergo prouerbium Hispanicum dicens (Dotor que yerra non se desdice) nisi illud intelligas de indocto: enim verò istius tantum, & insipientis est in errore perseuerare.

Adeo prædicta procedunt, vt licet alias prohibitum sit filio patrem corrigere, tamen in hac materia scientiæ, & doctrinæ potest filius patrem corrigere, vt ponit *Glos. 2. in l. 3. §. Si quis quasi ff. de condict. cau. dat.* ibi, Nota filium corrigere patrem, sed contra *in Auth. de nupt. §. & ità certe coll. 4.* Sed ibi in administratione rerum: hic autem in iure, in quo non videtur fieri iniuria maioribus, si à minoribus melius dicatur. Celsus namq; in eo textu corrigit Cellum patrem suum.

Magis nocentes estis non indicando crimen, quàm si fratres vestros, quod indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis, inquit *cap. 1. 5 q. 5.*

Tam Sacerdotes, quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut si incorregibiles apparuerint ab Ecclesia separentur, dicitur *in cap. tàm Sacerdotes 24. q. 3.*

Quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non reuocant, correptionis saltem medicina compellat, dixit *Glos. verbo, Pœna, in cap. vt clericorum 13. de vit. & honest. cler.*

In

In corrigendis minoribus pro qualitate delicti, senioribus propinquis tribuimus potestatem, vt quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non prouocant &c. vt supra proximè *in d. Glos. qua deduxit ex l. Vnica C. de emendat. propinq.*

Eo ipso, quod quis peccat correctionem meretur, & quantò plus differtur, punitio, tantò plus culpa crescit, & gentibus pernitiosius in exemplum transit, dicitur *in Extrauag. Qui sint rebel.* Si enim sine emendatione relinquatur aliquid, absurdum, atque inellegans necesse est venire, inquit *l. 3. C. de vsur. rei iudic.*

Oportet præpositos cum charitate corrigere, inquit *Extrauag. 1. de offic. ordin. inter comm.*

Correctio autem Monachorum primo loco pertinet ad Abbatem, vt dicit *Glos. verbo, Salua sua regula, in cap. vlt. de offic. Archid.* Vide etiam, quæ habes verbo, *Monachus*, vbi etiam dicis misericorditer esse Monachos corrigendos.

Vt autem correctionis, & reformationis officium liberè valeant exercere decernimus, vt executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat, impedire &c. inquit *cap. Irrefragabili 13. de offic. ord.*

Et in cap. Reprehensibilis 26. de appell. sic; Ne Religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi contrà regularem prælati sui, & Capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter, ac deuotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum.

Attamen si modus correctionis exceditur, videtur admitti posse appellatio, vt tenet *Glos. verbo, Contempsit, per tex. ibi in cap. de priore 31. eod. tit. de appell.* in illis verbis. Ex hoc patet quod si Prælatus modum excedat in correctione, quod benè admittitur appellatio à tali correctione, probat etiã *Glos. vlt. in cap. licèt 12. de offic. ordin.* ibi. Et ità potest appellare &c. Sicut in correctione à grauamine, scilicet cum modus exceditur, & aperte dicitur *in cap. Irrefragabili eod. tit. de offic. ordin.* ibi. Nisi formam in talibus excesserint obseruandam.

Sed melius erit patienter tolerare, etiam si excessiua sit correctio, quàm appellare. Contra morem quippe Ecclesiasticum est, si non patientissimè toleretur (quod à vobis absit) etiam iniusta correctio, vt dicit *cap. contrà 100. dist.* Licet culpentur, etiam, qui prohibent à malo, si modum peccati, modus correctionis excedat, vt inquit *cap. Qui peccat in fin. 23. q. 4.*

Et in cap. Non in perpetuum 24. qu. 3. ità reperies, multi sacerdotum culpam Zelo Dei persequi profitentur, sed dum indiscretè hoc agitur sacrilegij facinus incurrunt, & dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multò magis indeterius cadunt: Quia nimia increpatio, nec correctionem recipit, nec salutem, & leuiter castigatus de facili reuerentiam exhibet castiganti iuxta illud.

Qui nimis emungit, solet extorquere cruorem.
Immoderata correctio facit deteriorem,
Sed moderata satis, correctio gignit amorem.

Ponit *Glos. verbo, Salubriter, in Extrauaganti vnica. Ne sede vac. & verbo, Elicit, in cap. Nisi cum 10. de renunc.* Quandoque enim dormire debet seueritas disciplinæ, dixit *Glos. verbo, vtiliter, in d. cap. Nisi.*

Corripere eum, cui maximè aliquid prętes dementia est, & inferere contumeliam meritis, dixit *Senec. de benefic. lib. 2. cap. 6.* Et dixisti supra verbo, *Beneficium*. In tempore tamen op-

portuno, & cum modo gratiam operatur, etiam apud correctum, vt dicitur *Prouerb.* 28. 23. ibi; Qui corripit hominē gratiam postea inueniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimentum decipit, sed non omnes bene recipiunt correctionem, vt *Prouerb.* 29. 20. vbi etiam additur, & de homine veloci ad loquendum sperandam magis stultitiam, quàm correctionem.

Corona.

EST signum Regni, & perfectionis, cum sit circularis carens angulo in signum carentiæ sordium, quia vbi angulus, ibi sordes, vt inquit *Glos. verb, Et tonsuram, in Clem.* 2. *de vit. & honest. cler.* vnde clarè colligitur, quòd qui eam portant vti Reges se debent portare in animo, grauitate, vita, & moribus, vnde his videtur carere, qui dedignatur illam portare, cum aliàs teneatur, quod video frequenter in Curia Romana.

Ante suam Coronationem Papa se potest nominare, & facere prouisiones, dispensationes, & alias gratias, vt dicitur *in Extrauag. vlt. de sent. excom. inter comm.*

Corpus, & Incorporale.

CORpus multis modis dicitur. Omnes enim fideles possunt appellari vnum corpus per fidem, & charitatem, siue perfectionem gratiæ, vt *in Clem. vnica §. Non nulli de excess. præl.* ibi; vt omnes, qui eiusdem sunt corporis, vnius etiam sint voluntatis, & sicut fratres adinuicem vinculo charitatis sint adstricti. Item Collegium, siue vniuersitas dicitur vnum corpus, cuius prælatus dicitur caput &c. Item vnum dicitur corpus, quod vno clauditur spiritu, vt homo, lignum, animal: aliud dicitur corpus, quod habet partes integrales, seu cohærentes, vt domus. Aliud, quod habet partes distantes, vt grex populus &c. Item Episcopus cum Capitulo facit vnum corpus, cuius ipse est caput, sed cum Clero Ciuitatis, vel Diæcesis non dicitur facere vnum corpus &c. Sic Abbatissa cum clericis Ecclesiæ, licet ipsa sit caput, non facit vnum corpus, ità ponit *Glos. Magistra verbo, vnum corpus, in cap. Dilecta* 14. *de excess. prælat.*

Et Glos. verbo, Corpus, in §. Si grex delegat. in Instit. consonat sic. Tria enim sunt corpora rerum. Vnum, quod vno spiritu, idest elementatione continetur, vt homo, lapis. Secundum quod ex cohærentibus constat, vt domus &c. Tertium quod ex distantibus corporibus, vt grex.

De corpore autem humano *Senec. Epist.* 65. *post medium* ità dicit. Corpus hoc animi pondus, ac pæna est premente illo vrgetur, in vinculis est &c. Subducit interim se custodiæ, in qua tenetur, & Cælo reficitur, quemadmodum artifices &c. Sic animus in hoc tristi, & obscuro domicilio clusus, quoties potest apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requiescit &c. Animus liber habitat, nunquam me caro ista compellet ad metum, nunquam ad indignam bono simulationem, nunquam in honorem huius corpusculi mentiar; Cum visum fuerit, distraham cum illo societatem, & nunc cum hæremus erimus æquis partibus socij. Animus ad se omne Ius dicet, Contemptus corporis sui certa libertas est, &c. Seruiunt ergo deteriora melioribus, fortes simus aduersus fortuita non contremiscamus iniurias, non vincula non egestatem.

Verum est, quod corpus multis eget rebus, vt valeat; animus verò ex se crescit se ipse alit, se exercet, illi multo cibo, multa potione, opus est, multo oleo, longa denique opera sibi contingit, virtus sine apparatu, sine impensa, quid quid facere te potest bonum tecum est. Quid tibi opus est, vt sis bonus? Velle: quid autem melius potes, velle, quam eripere te huic seruituti, quæ omnes premit, *idem Senec. Epist.* 81. *& Epist.* 93. *propè fin.* sic. Corporis quoque, velut oneris necessarij non amator, sed procurator est, nec se illi cui impositus est, subijcit; nemo liber est, qui corpore seruit.

Cogito mecum, quam multi corpora exercent, quam ingenia pauci, quantus ad spectaculum non fidele, & lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas solitudo, dixit *idem Senec. d. Epist.* 81.

Bonam corporis figuram bonum mentis argumentum esse commune Philosophorum dictum est, cui consonat *Diu. Ambros. lib.* 2. *de virg.* ibi; Speciem corporis simulacrum esse mentis, & vulgo dicitur, qualis forma talis, & anima, & apud *Ouid. Fastor.*

Facies animo digna;

Et Pertius sic.

Gratior est pulchro veniens à corpore virtus.

Sicut à contrario incompositio corporis inæqualitatem mentis indicat, vt dixit *Glos. verbo, Grauitas morum, in cap.* Cum in cunctis 7. *de elect. & glos. vlt. in cap. vlt. de custod. Eucharist. & in cap. Quia* 5. *de prab.* ibi; Quia diuersitatem corporum diuersitas sæpe sequitur animorum, vbi *Glos. alia* affert.

Longe multò pulchrius est corpus, quod ex omnibus membris constat, quàm ipsa membra singula, quorum ordinatissimo conuentu completur vniversum. Quamuis, & illa etiam singulatim puchra sint, dicit *Augustin. lib.* 13. *Confess. cap.* 38.

Cum gaudio facere debet immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus, *Ex eod. August. refertur in cap. consideret §. In his omnibus de pænit. dist.* 5. Sed non ità seruatur; Nam pro conseruando corpore omnia patiuntur, pro anima vero subleuanda nihil, vt *Ouid.* ait sic.

Vt corpus redimas ferrum patieris, & ignem,
Arida nec sitiens ora lauabis aqua.
Vt valeas animo quicquam tolerare negabis,
At pretium pars hac corpore maius habet.

Senec. autem lib. 2. *Epist.* 14. sic ait. Fateor insitam esse nobis corporis nostri charitatem, fateor nos huius gerere tutelam, non nego indulgendum illi, seruiendum nego; Multis enim seruiet, qui corpori seruit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert: sic gerere nos debemus; non tamquam propter corpus viuere debeamus: Sed tamquam non possimus sine corpore; huius nos nimius amor timoribus inquietat, solicitudinibus onerat contumelijs obijcit: honestum ei vile est, cui corpus carum est.

Non tamen immoderatè affligi debet corpus, neque ei subtrahi debent necessaria ad sui sustentationem, vt dicitur *in cap. Non mediocriter ad fin. de consecr. dist.* 5. De rapina holocaustum offert, qui temporalium bonorum, siuè ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria corpus suum immoderatè affligit; nam, vt inquit

inquit *Glos. verbo*, *Quantacumque, in l. Stichus* 16. *ff. de pecul. leg.* Corpus rebus suis est præferendum.

Durum videtur, quod interdicatur liber vsus corporis proprij ad experiendas, & exercendas vires eiusdem, dixit *Glos. verbo*, *Rationabilibus, in Extrauag. vnica de torneamen.*

Incorporalia non posſidentur, ſed quaſi posſidentur, dicit *Glos.* 1. *in cap.* 2. *de in integri reſtit.* Quia incorporalia apprehendi non poſſunt, vt de iuriſdictione, & ſeruitutibus ponit *Glos. penult. in cap. Conqueſtus* 16. *de for. compet.* & ſic non ſeparantur facile, vt corporalia, dixit *Glos. verbo, exigere, in l.* 3. *C. de nouat.*

Poteſt dici, quod in huiuſmodi incorporalibus patientia habetur pro titulo; nam patientia loco traditionis habetur in ſeruitutibus &c. qui enim facit gratiam, illud debet proteſtare, ità ponit *Glos. verbo*, *Breuitatem*, *in cap.* 3. *de cauſ. poſſeſſ.*

Credere, & Creditor.

ISTUD verbum poteſt ſumi, vel quatenus fides adhibetur, vel quatenus reſpicit creditorem, licet aliquando ponatur credere pro ſcire, vt *de re iudicat. cap. Cum olim verſ.* Poſt hoc dixit *Glos. in addit. verbo*, *Et ſe in cap. Is, qui* 19. *de elect. lib.* 6. Sed nos hic de hoc vltimo non tractamus, ſed quo ad creditum quatenus reſpicit ad creditorẽ, & quatenus reſpicit ad credulitatẽ.

Planè affirmauerit mihi rectè me credere operarijs ſuis non inſtitoria, ſed ex locato tenebitur, dicit *l. Quicumque in fin. ff. de inſtit. act.* vbi *Apoſtil.* ſic. Iſte eſt textus notabilis, & ſemper menti tenendus ſecundum *Bald.* hic, & facit ad materiam litterarum credentiæ de quo per *Bart.* hic, & plenè in *l. Lucius, ff. de fideiuſſ.*

Et facit *l. Si verò §. Si quis mandauerit ff. mandat.* ibi. Nec eſſem daturus &c. accipienti acceſſerit, qui diceret non accipere contra Senatus conſultum, & periculo meo dicat crede, vel bene credis; arbitror locum eſſe mandato, & mandati eum teneri.

Si quis crediderit non varia ſimplicitate deceptus, nec Iuris ignorantia, ſed quia publicè, plerisque videbatur &c. inquit *l.* 3. *ff. ad Macedonian.* vbi ceſſat illud Senatus conſultũ, quando filius familias reputatur publicè pro patre familias, & ibi notat *Glos. verbo, Publicè*, ſic. Nota, quod communis error excuſat.

In contrarium eſt, quando quis publicè reputatur luxurioſus, & mandat tibi, vt pro meretrice fideiubeas, quia tunc non habebis madati actionem eo, quod ſimile eſt, quaſi perdituro pecuniam credideris, vt dicitur in *l. Si verò §. adoleſcens, ff. mandat*

Ne credulitas creditoris Domino obeſſet, vel calliditas ſerui noceret, inquit *tex. in l.* 3. *§.* 1. *ad fin. ff. de in rem verſ.* vbi Dominus non tenetur ad debitum contractum per ſeruum, & addit *idem tex.* ſic. Quid tamen, ſi is fuit ſeruus, qui ſolitus erat accipiens vertere? Ad huc non puto nocere Domino &c. Curioſus igitur debet eſſe creditor, quo vertatur.

Credulitas nimia credulo imputatur, vt dicitur *in l.* 1. *in fin. ff. de eo, per quem fact. erit.* ibi; Quamuis quidam putent ſibi eum imputare debere, qui credulus fuerit, vbi *Glos.* ità. Item nota hoc, non debere aliquem eſſe nimis credulum, & paulò ſupra ſic. Licet enim nimis credulus fuerit in culpa &c. & videtur probari *Geneſ.* 39. ibi; Nimium credulus verbis coniugis; niſi iuſta ratione, quis credidiſſet affirmationi, vt dicit *l.* 1. *C. ad Macedonian.* Non tamen vana ſimplicitate, vt ibi dixit *Glos.* Et ſic cuilibet

libet referenti credere non tenemur, ait *Glos. verbo, Certiores, in cap. Si beneficia* 20. *de præb. lib.* 6.

Vnde subuenitur ei, qui non fuit credulus, quoniam idem est, ac si non fuisset ei dictum, vt inquit *glos. per tex.* ibi; Si id actor ignorauerit &c. Et si dictum sit ei ex bona fide, non crediderit *ff. Quod fals. tutor. l.* 2.

Verum habeat conscientiam huiusmodi ex credulitate leui, & temeraria, an probabili, & discreta? &c. Ait *cap. Inquisitioni* 44. *de sentent. excomm.* & ibi *Glos.* sic. Quam dicis leuem? Puta si audiuit impedimentum à leuibus, & fortè a paucis, quibus credere non tenetur, & altera *Glos. verbo, Probabili*, sic. Sed quam dicis probabilem? Puta, quia vidi virum cum consanguinea sua in locis suspectis.

In iudicio verò animæ cuilibet est credendum, qui non est verisimile, quod sit immemor suæ salutis, dixit *Glos. verbo, Credendum sit deducens per argumentum ex tex. in cap. significasti* 18. *de homic.* ibi; Cum de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur, vel vel denunciatur ab aliquo, sed per se ipsum consilium aperit salutare.

Mala verò audita nullum moueant, nec passim dicta absque certa probatione, quisquam vnquam credat: sed ante audita diligenter inquirat, nec præcipitanter quicquam agat aliquis dixit *cap. Deus Omnipotens* 2. *q.* 1.

Absolutè creditorem ponimus (antiquas sequentes leges) omnem, qui actionem habere contra aliquem potest, licet non sit mutuum gestum, sed alter quidam contractus existat, dixit *Imperator in Auth. de fideiuss. §. Quod autem in fin. coll.* 1. *Et in l. Cum fideicommissaria* 16. *ff. qui & à quib.* ibi, Creditores autem appellantur quacumque ex causa actio competit.

Crediti appellatio solius fideicommissi pecuniam demonstrare videtur, non eam pecuniam, quæ petitionem quidem non habet, dicit *l. Si is, cui* 94. *§. vlt. ff. de solut.* vbi *Glos. verbo, Appellatio*, sic. Creditum enim dumtaxat dicitur, quod exigi potest, sicut & creditor dicitur, is, qui habet actionem, siuè exceptionem.

Inter creditores autem etiam eos numerandos esse, quibus fideicommissum debetur, olim placuit, *l.* 1. *C. qui manum. non poss.*

Creditor verò Ecclesiæ dicitur, qui quod credidit, probat in vtilitatem diuinæ domus processisse, inquit *Auth. Hoc. ius porrectum C. de Sacros. Eccles.*

Etenim filij creditores, etiam patris sunt creditores, dicitur *in l. Si pater* 12. *ff. quæ in fraud. credit.*

In numero autem creditorum pari authoritatem eius sequitur Prætor, qui dignitate eos præcellit. Sin autem vndique in vnam æqualitatem concurrant humanior est sententia à prætore eligenda, inqnit *l. Maiorem* 9. *ff. de pact.*

Habenda erit ratio priuilegiorum &c. dilata interim cæterorum creditorum actione, vel interposita cautione, si priores agant, qui priuilegium non habent restituturi, quod acceperunt, si inferatur postea actio priuilegijs. dicit *l. ex facto* 53. *ff. de pecul.*

Cùm bona veneunt debitoris in comparatione extranei, & eius, qui creditor, cognatus ve sit, potior habetur creditor, cognatusve: magis tamen creditor, quam cognatus. Et inter creditores, potior is est, cui maior pecunia debetur, sic ait *l.* 1. *ff. de priuil. cred.*

Sed quid si plura erant sibi obligata, & propter modicam pecuniam distraxit rem maximam, cum viliorem distrahendo poterat debitum consequi? Respondet *glos. vlt. in l. Quandiù C. de distrat. pig.* non videtur bona fide versari.

Quam-

habeat, qui pignus dedit, inquit *l.* 3. *in fin. ff. de pign.* nec etiam potuit primus creditor inplus obligare pignus secũdo creditori, quàm ei fuerit obligatũ vt inquit *gl. pen. in c. Cum cõtra 6. de pig.*

Ea, quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet, à creditore exiguntur; ità *l.* 14. *ff. de pignor. act.*

Sicut enim negligere creditorem dolus, & culpa, quam præstat non patitur; ità nec talem efficere rem pignoratam vt grauis sit debitori ad recipiendum puta, saltum grandem pignori datum ab homine, qui vix luere potest, ne dum excolere, tu acceptum pignori excolere, tu acceptum pignori excoluisti; sic vt magni pretij faceres, alioquin non est æquum, aut quærere me alios creditores, aut cogi distrahere, quod velim receptum, aut penuria coactum relinquere me tibi. Igitur hæc à iudice erunt despicienda, vt nec delicatus debitor, nec onerosus creditor audiatur; ità optimus *tex. in l. Si seruos* 25. *ff. de pignoratit. act. vbi glos. vlt.* sic. Debitor est delicatus, qui etiam vnum nummum reddere non vult; creditor est onerosus, qui vsque ad vltimum quadrantem vult sibi solui; neuter ergo auditur, & sic ex duobus contrarijs eligitur quoddam temperamẽtum. Quod autem nec delicatus debitor, nec onerosus creditor sit audiendus, dixit etiam *Glos. verbo, Expensa, in cap. Vt præterita* 45. *de elect. Et in extrauag.* 1. *de offic. ordin. inter comm.* ità dicit. Sic debitor delicatus effugitur, sic onerosus creditor minimè reperitur.

Si prior creditor patitur pignus alij obligari, an prorsus suum ius perimatur, an verò sit locus secundi? Dic non tolli, sic ponit *Glos. in l.* 3. *C. de remiss. pig.* Nobis autem visum est eum, qui semel consensit alienationi hypothecę, & hoc modo suum ius respuit, indignum esse eandem rem, vt pote ab initio & ei suppositam; vendicare, vel tenentem inquietare; ait *l. vlt. C. eod. tit. de remiß. pign.*

Si præsens apud Prætorem ipse quoque consensisset, pactus videretur &c. Sed cum proponat absuisse, iniquum est ei auferri electionem, sicut pignus, aut priuilegium, qui potuit præsens id ipsum proclamare; sic dicit *l. Si præcedente* 58. *§. Vnico ff. mand.*

Non videtur concessisse creditor, & si sciente eo rem vendiderit, cum ideo passus est venire, quod sciebat, vbique pignus sibi durare. Sed si subscripserit fortè in tabulis emptionis, concessisse videbitur; ità dicit *l. Sicut* 8. *§. non videtur ff. quib. mod. pig. solu. vbi glos. verbo, manifeste,* sic quærit, sed quid si tabellio eum subscripsit in testem? Videtur secus, quia hic de subscriptione, quæ fit consentiẽdo &c. sed videtur cõtra *l. fideiussor. §. Pater ff. de pig.* tu vide.

Superuacuum est credere agrum specialiter hypothecæ datum permissu creditoris venisse, si ipse debitor rem possideat; ait *l. Sicut* 8. *§. Superuacuũ ff. quibus mod. pig. vel hypo. solu.*

Creditor accipiendo pecuniam etiam remisisse pœnam videtur, inquit *l. vlt. ff. quod cert. loc.*

Creditricem &c. iubentem eandem cautionem reddi pignoris etiam Ius remisisse videri manifestum est; inquit *l. Creditricem C. de remiss. pig. & ibi Glos.* ita. Non sic è contra, vt reddito pignore, videatur remitti debitũ, & ponit rationẽ diuersitatis *ex Bart.* Sed mihi magis placet illa, .s. quod reddito chirographo debitori, debitũ est remissũ, & per cõsequens pignus, quod est accessio principalis .s. debiti. At verò remisso pignore, quod est accessorium, nõ ideo remittitur debitũ, quod est principale.

Non potest creditor retinere pignus contra fideiussoris voluntatem, sed contra voluntatem debitoris tãtum, vt &c. ait *glos. verb. Obligatus, in l.* 2. *C. de fideiuss.*

Creditor, qui diuisit petitionẽ sui crediti,

& petiuit ab vno ex fideiussoribus partem eius, non potest post litem contestatam petere in solidum ab vno, ità disponit *l.16.C.de fideiuss.* in hæc verba Liberum fuit antequam lis aduersus omnes fideiussores contestaretur, vnũ eorum eligere creditori; Si modo cæteros minus idoneos existimaret; at nunc post litis contestationem, diuisam petitionem redintegrari Iuris ratio non permittit. *Lex verò vlt. eod. tit.* quæ videtur loqui contrarium, intelligitur, vt ex ea patet, quando creditor petiuit ab vno ex fideiussoribus totum debitum in solidum; tunc enim relicto illo; potest ab alio petere partem.

Optimum est, vt si quas te putas habere actiones, actionibus experiaris interim ille in possessione debet morari, tu petitor esse &c. inquit *l. Creditores 7. ff. de vi priuat.* quem *tex.* notabis in materia, & alia verba in verbo, *Vis*.

Præsides præparent, subtili æstimatione facta rerum debitoris, dari secundum quantitatem debiti possessionem immobilem creditoribus, inquit *Auth. de fideiuss. §. Quod autem coll.1. Et in eod. tex. paulo supra* sic. Damus creditori licentiam volenti immobiles res accipere pro auro; Sed si nec quispiam emptor immobilium eius rerum adsit, creditore frequenter & diuulgante.

Rerum verò datio fit huiusmodi quæcũq; quidem meliora sunt, dentur creditori quæ verò deteriora apud debitorem post debiti solutionẽ manere sinantur. Etenim non erit iustum dantem quidẽ aurum, non volentem sed coactum suscipere rem immobilem, vel nõ meliora rerum debitoris percipere, & per hoc habere consolationem, dicit *tex. in d. Aut. de fideiuss. §. quod autẽ et glos.* dicit quod hoc procedit in casu speciali, cũ creditor inuitus cogitur recipere pro solutione alterum pro altero, alias regulariter aliud est, & Imperator reddit rationem ibidem dicens. Agnoscant autem creditores quia, & si hanc legem non scripsissem, necessitatis tamen ratio ad hanc causam perduceret.

Vndiq; tamen ità creditoribus prouidendum est, vt non debitores grauentur, dicit *idem tex.*

Interest creditoris duos habere Reos, dicit *l.4 §. vlt. in fin. ff. de liberat. legat.* in quo textu agitur de legato relicto .s. vt soluatur creditori alterius, & probatur *in eod. tex.* & debitorem, & creditorem legatarium esse, debitor scilicet, quia interest eius liberari, creditor, quia eius interest duos habere reos.

Cum quis debitori suo hæres extiterit, confusione desinit esse creditor. Sed si vẽdiderit hęreditatem, ęquissimum videtur emptorẽ hæreditatis vicem hæredis obtinere, & idcirco teneri venditori hæreditatis, est optima *l.2. §. vlt. ff. de hæred. vel act. vend. & facit l. Si vxor 7. C. de bon. auth. iudic. possid.* ibi. Debitũ à cohęredibus pro besse nõ prohibetur petere; cum vltra eam portionem, qua successit, actio non confundatur, & notat *glos. vl. in d. §. vl.* sic. Nota hic, quod actio semel extincta resuscitatur sic supra &c. regulariter tamen cõtra, vt infra de solutionibus *l. qui res §. Aream*. Sed in hoc non mihi videtur bona ratio notandi huius *Glos.* nam aliud est actio extincta aliud confusa, quia extincta mortua est, & finita, & ideo non reuiuiscit; confusa verò non dicitur extincta; cum ergo non detur extinctio, sed confusio, cessante confusione non est nouum, quod actio redeat ad primæuam naturam, & sic non est notabile, nec potest dici limitatio ad illam regulam generalem, quòd actio semel extincta non reuiuiscit.

Creditoribus sua authoritate diuidere bona, & Iure dominij retinere nõ licet, sed vẽditionis remedio quatenus substantia patitur indemnitati consulere, permissum est, inquit *l. leg. Iulia C. qui bo. ced. poss.* Quid enim iustius est,

est, quam omnes, qui ad res debitoris mitti debent, esse participes huius commoditatis, inquit *l. vlt. C. de bon. auth. iudic.* Vt scilicet omnes creditores admittantur ad bona, si omnes sunt eiusdem tituli, vt ibi *per Glos.*

Creditoris iuramēto statur circa damna, & interesse; quādo debitor vult reluere pignus, iuxta formam *l. 3. C. de iur. dom. impetran. & habes verbo, Iuramentum.*

Creditor, qui cecidit à possessione pignoris prætorij, potest illam recuperare, vt dicitur *in l. 2. in fin. C. de præt. pig.* ibi. Licet enim debuerat incumbere suo pignori, ne aliquam inde patiatur iacturam; tamen ne quid amarum in creditoribus consequatur, benignius causam interpretamur, & ei recuperationem donamus.

Creditor non præscribit Ius offerendi debitum debitori competens ad reluendum pignus, vt dicis verbo, *Debitor.*

Creditor, quando possit eligere solutionem sibi factam à debitore, in quam voluerit causam. Vide verbo, *Debitor* & verbo, *solutio.*

Creditoris periculo perit pecunia, qui eam recipere noluit, est *tex. in l. Qui decem 72. ff. de solut.* ibi. Quare pro soluto id, in quo creditor accipiendo moram fecerit, oportet esse, & vide latius in verbo, *Debitor.*

Separatos creditores puto separatim eos in tributum vocari, vnusquisq; enim eorum merci magis, quàm ipsi credidit &c. æquissimum puto separatim tributionem faciendam, ne ex alterius re, merceue alij indemnes fiant, alij damnum sentiant, ait *l. Procuratores 5. §. Si plures ff. de tributor. act.*

Aliud pro alio inuito creditore nō potest solui, vt inquit *glos. in l. Cum C. de solut.*

Creditor ante nouem dies ab obitu defuncti nō potest molestare eius heredes vt dicitur *in Auth.* sed neq; ante nouem dies ab obitu numerandos, vlla prorsus fiat molestia aduersus quemlibet ex persona defuncti *C. de sepulcr. viol.*

Creditor potest detinere debitorem fugientem, vt tenet *Glos. verb. Potestatem in c. 1. de pac. Constan.* ibi. Verum est .n. si ipse fugeret, quod posset eum detinere, donec ad iudicem posset eum perducere, vt &c. Non tamen poterit ei per violentiam rem auferre, probat & *glos. verb. detinere, per tex ibi in Auth. vt iudices sine quoquo suffra. §. Necessitatem coll. 2.*

Culpam.

HÆc triplex est, vel lata, vel leuis, vel leuissima, & quando simpliciter de ea loquimur, intelligitur leuis, vt infra *vers. licet.* vt probat *l. Quod si nolit. §. Si plures ff. de ædilit. ed.* ibi culpam autem omnem accipimus non vtiq; latam, vbi *Glos.* sic. Quia non tantum latam, sed etiam leuem præstat, non leuissimam, scilicet emptor, qui redhibet.

Culpa lata illa est, qua quis id ignorat, quod omnes sciunt, vt inquit *glos. verb. æque, in §. Suspectus autē de suspect. tutor. in Instit.* & ista dolo comparatur, licet non æquè, vt dicitur *in d. §. Suspectus* ibi. Siquidem ob dolum famosus est, si ob culpam non æquè, vbi *glos. verb. ob culpam,* dicit, quod dolo comparatur, exceptis duobus casibus. Primus in criminibus publicis. Secundus in delatione iuramenti in litem.

Leuis culpa negligentia appellatur *in l. cū ostendimus in fin. ff de fideiuss. tutor.* vbi *Glos. verbo, neglıgntia,* sic. Idest leuis culpa. Sic & eodem modo sumitur *in l. Non similiter 4. ff de Magistr. cōuenin.* ibi, Sed nec hæres tutoris negligentiæ nomine tenetur, & *ibidem notat Glos.*

Culpa autē hæc nō ad exactissimam diligentiam redigenda est. sufficit .n. talem diligentiā communibus rebus adhibere, qualem suis rebus adhibere solet; inquit *l. Socius Socio 72. ff. pro soc.* Ex qua collliges leuissimam culpam

pam esse exactissimam diligentiam non præstare.

Redeundo ad dictam latam culpam, illa etiam nominatur dissoluta negligentia, vt inquit *l. Si fideiussor 29. ff. mandat.* ibi. Dissoluta enim negligentia prope dolum est, & *ibi Glos. verbo, Dissoluta*, Sic, Quæ est lata culpa, vt infra *de verbor. sign. l. Lata*, & ideo est propè, vt vbi venit vnum, veniat, & aliud, vt supra depositi *l. Quod Nerua* nisi in duobus casibus, vt supra dixisti.

Non videtur leuis culpa contra Iuris authoritatem mandatum tutelæ officium detrectare, inquit *l. Tutores 40. §. Tutor. ff. de administratione tutor.*

Licet lata culpa æquiparetur dolo, dolus tamen præponderatur culpæ, vt inquit *Glos. in l. Cum sex. 55. verbo, Habuisse ff. de ædil. ed.* Tamen multoties cum dicitur de dolo, subauditur, & lata culpa; cum verò subijcitur culpa de leui intelligitur, vt supra dicis, & probat *Glos. verbo, Et culpa, in l. Si filio familias 26. §. 1. ff. solut. matr.* Interdum etiam appellatione culpæ continetur, & lata, vt inquit *Glos. verbo, Ex culpa, in l. In venditione §. Si quis fructus ff. de bon. auth. iudic.* vbi reprobat quosdam, qui dicunt, quod appellatione culpę non continetur lata, cum qua *Glos.* etiam concordat *Glos. in l. Rogasti ff. Si cert. pet.* qui textus loquitur simpliciter de culpa, & tamen prædicta *Glos.* intelligit de lata, leui, vel leuissima.

Quod autem lata culpa intelligatur etiam sub nomine doli, probat etiam *l. 5. §. Si hæres ff. vt in possess. legat. vbi Apostilla* sic. Limita dolum in delictis, & latam culpam æquiparari, nisi esset imponenda pœna corporalis, quia dolus requiritur *in l. 1. ff. ad l. Cornel. de sic.* Et quando dolus, & lata culpa æquiparentur, vide *per Angel. in l. Si mora ff. solut. matr.* Quia in dolo culpa est, sed non è contra, vt inquit *Glosa verbo, Prædone, in l. & non 21. §. veniunt ff. de petit. hæred.*

Ob dolum solum in litem iuratur, non & ob culpam, sic inquit *l. 5. ff. de in lit. iur. & ibi Glos. verbo, Culpam* sic. Scilicet propter leuem, vel leuissimam. Sed an propter latam culpam iuretur? Videtur, quòd sic, cum sit similis dolo, vt infra *de præcar. l. Quæsitum §. vnde &c.* Sed tamen dico, quod non &c. Comparatur ergo lata culpa dolo quantum ad pecuniarium damnum persequendum, non quantum ad corporalem pœnam, vt &c. Item non quantum ad infamiam irrogandam, item nec quantum ad iusiurandum in litem quia irrogat pœnam reo ex sola voluntate iurantis.

Quod Nerua dicit latiorem culpam dolum esse &c. Mihi verissimum videtur. Nam & si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est, ni tamen ad suum modum curam in deposito præstet, fraude non caret. Hæc enim salua fide, minorem ijs, quam suis rebus diligentiam præstabit; sic ait famosa *l. Quod Nerua 32. ff. deposit. vbi Glos. verbo, latiorem*, id est latam, cuius finis est non intelligere, quod omnes intelligunt, & altera *Glos. verbo, Dolum esse*, id est dolo comparari, vt est, vbi quis de dolo tenetur & de lata culpa; non autem est idem, cum dolus sit ex fraude, & lata culpa ex fatuitate; præterea dicitur similis esse, vt infrà &c. ergo non est idem; cum dicat *Arist.* Nihil est idem, cui id ipsum simile est.

In *l. Impuberibus 7. §. 1. ff. de suspect. tutor.* idem inuenies, ibi. Lata negligentia, quia ista prope fraudem accedit, quod *Glos.* ibi dicit falli in criminibus, vt suprà dicis, & procedere non quantum ad infamandum. Et *l. 1. ff. de action.* ibi. Si tamen magnam negligentiam placuit in doli crimine cadere.

Si tamen non appareat de lata culpa tunc

tunc in mitiorem partem præsumam, quasi culpa obiecta, non dolo, vt infra *de pæn. l. si præses*, ità ponit *glos. verbo, cur miles, in fin. ff. de his, qui not. infam. l. 2. §. ignominia*.

Item nota, quod tribus modis dicitur quis in culpa (de leui loquimur) Primus si non fecit, quòd diligens faceret. Secundus si contra pactionem. Tertius si fuerit in mora, vt probatur *per l. Istam*, & sequentibus. Ita hæc ponit *Glos. verbo, suo nomine, in l. Videamus 12. ff. locati*.

De culpa leui tenetur maritus; procurator verò etiam de leuissima, vt habes, *verbo, Maritus*.

De eadem tenetur hæres in legato præstando, vt habes *verbo, Hæres*

Fideicommissarius autem culpæ rationem reddere debet, sed eius, quæ dolo proxima est, inquit *l. Mulier 22. §. Sed enim ff. ad Trebel.* Et prosequitur sic. Sed si cum distrahere deberet non fecit, lata culpa, non leui, & rebus suis consueta negligentia huiusmodi rei rationem reddet.

In iudicio collationis bonorum venit leuis culpa, vt inquit *Glos. in l. 2. ff. de collat. bon.* ibi. Sed quæ culpa præstabitur? per eundem text. qui dicit, Quod non confertur id, quod non habetur, nec dolo, vel culpa desijt haberi.

Legatarius de lata tantum culpa, tenetur non tamen de leuissima, vt supra iam dictum est,

In conducto, & locato, & ex negotio, quo datur actio præscriptis verbis, & dolum, & culpam venire dicit *l. 1. §. Si quis seruum ff. deposit. vbi Glos. Verbo, Culpam*, dicit latam, & leuem, & eodem modo intelligitur *tex. in l. In naue 34. ad fin. ff. locat.* ibi. Conditionem, culpam dumtaxat præstare debere. Nam in re, quæ vtriusque causa contraheretur, culpam deberi, nec omnimodo culpam esse, quod vni adidisset &c. Vbi *Glos. penult.* dicit

Nota hic. argumentum, quod non intelligitur quis esse in culpa, si facit, quod necesse habet facere.

In commodati actione non facile vltra culpam, & in depositi vltra dolum malum teneatur is, cum quo agitur, dicit *l. Qui furtum 16. ff. de condict. furtiu.*

Si cui inspiciendum dedi, siue ipsius causa, siue vtriusque, & dolum, & culpam mihi præstandam esse dico propter vtilitatem, periculum non: Si verò mei dumtaxat causa datum est dolum solum, quia propè depositum hoc accedit; ità inquit *l. Si rem 19. ff. de præscript. verb. vbi Glos. verbo, Periculum*, sic. Sed verius est, quando sui causa accepit, vt ad exactissimam diligentiam teneatur ad instar commodati.

Et illud annotatur, quod culpam non præstat is, qui precario rogauit quamuis is, qui commodatum susceperit non tantum dolum, sed etiam culpam præstet; nec immeritò solum dolum præstat is, qui precario rogauit, cum totum hoc ex liberalitate descendat eius, qui precario concessit. Et satis fit, si tantum dolus præstetur. Culpam tamen dolo proximam contineri, quis meritò dixerit, ità ait *l. Quæsitum §. Illud ff. de precar.*

In re tradita ad custodiendam negligentiæ nomine, ideo custos non tenetur, quia qui negligenti amico rem custodiendam committit, de se queri debet, inquit *l. 1. ff. de act.* De lata verò culpa tenetur vt, ibi.

Socios inter se dolum, & culpam præstare oportere, dicit *l. Cum duobus 52. §. 1. ad fin. ff. pro soc.*

Procurator de dolo, lata, & leui culpa, ac leuissima tenetur, vt inquit *Glos. verbo, Præstes, in l. Naturalis 5 §. Sed si facio ff. de præscrip. verb.* ibi vel dic loqui in mandato, vt ex pacto de leui culpa, non de leuissima teneatur. Nam nisi dicat contrarium semper de leuissima

sima tenetur secundum nos argumento C. *mandati l. A. procuratore*. sed secundum alios, qui dicunt in mandato tantum leuem venire, planum est.

De exactore, inquit *l. Si eum fundum 68. ff. de contrab. empt.* sic. Existimo te in exigendo, non solum bonam fidem, sed etiam diligentiam præstare debere; idest non solum vt à te dolus malus absit, sed etiam culpa.

Quibus administratio rerum permissa est eos culpa abesse, præstare non iniquum dominum cogi, dicit *l. Quod si nolit 31. §. si plures ff. de ædil ed.*

In actionem pignorum venit, & dolus, & culpa, vt in commodato venit, & custodia, vis maior non venit, dicit *l. si cum 13. §. Vnico ff. de pignor act.* In pignore autem prætorio culpa non venit, vt habes verbo, *Pignus*.

De authoris culpa an transeat in successorem sic quærit *glos. verbo competat, in §. furtiua de vsucap. in Instit.* Sed videtur, quod culpa authoris non comittetur, idest non sequatur accipientem, vt &c. Responde, si vitium est rei comitatur, vt hic, si persona comitatur in vniuersum succedentem, Sed si in rem singularem, non comitatur &c. nisi, quando vtetur accessione temporis eius authoris; sed hodie vitium personæ nocet singulari successori *per Auth. mala fidei*.

Non proficit alterius culpa, cū ego præstitero causam, inquit *glos. verbo, existat, per tex.* ibi. Eo, quod ipse huius rei author existat *in Auth. vt liceat matr. & an. §. Quia vero plurimas coll.* 8.

Ne alterius culpa alter incipiat subiacere dispendio, dicit *l. Apud eum 7. C. de cens. & censit. lib.* 11. Et sic nota, quod quis sua culpa sentit, ab alio non recuperat, vt dixit *Glos. verbo, Amissa fuerit per tex.* ibi *in l. si rem 29. ff. de euict.*

Non possum alicui obijcere culpam, cum ex culpa lucrum senserim, sed si ità simpliciter dicatur, apertissimè falsum est; nam fallit in omni vsucapione, & præscriptione &c. ità *Glos. verbo, ex quo in l. Cum in fundo 81. ff. de iur. dot. & glos. vlt. in l. 67. §. vlt. ff. solut. matr.* Sic. Nec enim obijcere potest mihi culpam, qui ex mea culpa sensit lucrum.

Culpa dicitur esse vitium, & sic non solum dolus est initium, sed etiam ipsa culpa, hoc addito, quod malefacere est culpa, *l. fin. & ibi. Bald.* C. *mandat.* ità Apostilla *in l. siue 23. ff. de negot. gest.*

Culpa scilicet suæ imputaturus, qui tales adhibuerit &c. nam cum alienos adhibet, explorare eum oportet, cujus fidei, cuius innocentiæ sint, inquit *l. vlt. §. vlt. ff. naut. caup.* cum qua consonat *l. Vtique §. vnico ff. de rei vendic.* ibi. Nisi minus idoneis hominibus commiserit; vbi *Glos. vlt.* sic. Et nota hic argumentum contra eos, qui imperitos eligunt pro peritis, siue magistris, siue medicis, siue aduocatis, vt infra &c. *& l. Diuus 14. ad fin. de offic. præs.* ibi. Quod si omittatur non immeritò culpa eorum ascribendum est, qui negligentiores in officio suo fuerint.

Ità, si facere debuit, & non fecit, culpa eius reddet rationem, nisi bonæ fidei possessor est. Tunc enim, quia quasi suam rem neglexit, nulli querelæ subiectus est, dixit *optima l. Si quid 34. §. sicut ff. de petit. hæred.*

Sicut dignum est, vt si in aliquo reus existeret, culpam in eo canonici puniremus; ità dignum non fuit, vt eum adiuuante innocentia diutiuus retinere, vel affligere in aliquo deberemus; ait *cap. Mennam 2. q. 4.*

Sunt culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam, quærenda est semper veritas, vt inquiri debeat vtrum accusatum noxa condemnet, an à pæna inno-

innocentia patefacta subducat; dixit *tex. in cap. Quia sunt 28. dist.* Nam si culpa sua eget, indignum est ei subuenire &c. vel si suo vitio incidit &c. vt inquit *Glos. verbo, ad inopiam, in cap. qua in Ecclesiarum de constit.*

Bonarum mentium est ibi timere culpam vbi culpa minimè inuenitur, dixit *c. 2. de obseruat. ieiun. & in Clem. Exiui. de verbor. sign. post princip.* sic. Quia plerumque, vbi culpa non est, eam timere solent conscientiæ timoratæ, quæ in via Dei quodcumque deuium expauescunt.

Culpa est, cum quid diligenter prouidere potuerat non esset prouisum, ait *l. Si putator 31. ff. ad l. Aquil. & ad fin.* ità. Nam culpa ab eo exigenda non est, cum diuinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit.

Proinde si imperitè versatus est, sibi imputare debet, qui eum adhibuit, sed & si negligenter æque mensor securus erit &c. sed & si mercedem acceperit, non omnem culpam eum præstare, ait *l. 1. ff. si mens. fal. mod.*

Culpam penes eum, qui prior flagello percussisset resideri, inquit *l. Si ex plagis 53. §. 1. ff. ad l. Aquil.* & addit. Sed si ab eo non prior vapulasset, sed cum ei lucernam eripere vellet, rixatus esset, tabernarij culpa factum videri; vbi *Glos. verbo, vellet,* ita; ergo non licet ob tutelam rerum mearum inferre vim? Respondeo, hoc, quia non fuit cum moderamine.

Culpæ etiam illud annumeratur, si propter inimicitias damnum venerit, vt dicitur *in l. Si merces 28. §. Culpa autem ipsius,* & illud annumeratur si propter inimicitias eius vicinus arbores exciderit *ff. locat. vbi Glos. verbo, Inimicitias,* sic. Cum enim habet inimicitias cautius debet custodire.

Et aliquatenus culpa reus est, qui malorum hominum opera vtitur, ideo quasi ex maleficio teneri videtur, ait *l. Ex maleficijs 4. §. vlt. in fin. ff. de action.*

Culpam in damno dando exigere debemus grauiorem, nec tam leuem, quàm ab extraneo, vt dicitur *in l. Homo liber 34. ff. de acquir. rer. dom.*

Parem esse culpam scire, & debere scire notauit *Glos. verbo, Eius, in fin. per tex.* ibi. Vel est, vel esse debet non ignarus *in l. Qui cum alio 20. ff. de reg. iur.*

Culpa contrahitur etiam sine voluntate delinquendo, vt &c. ait *Glos. verbo, si & voluntas, in l. 1. C. ad l. Cornel. de sic.*

Quod nemo teneatur de casu fortuito vulgare est, si verò culpa præcedit casum tenebitur; ità *Glos. verbo, Periculum, prope fin. in l. Necessario 8. ff. de pericul. & comm. rei vend.* Idem probat *Glos. verbo, In hoc, in l. Si vt certo §. Nunc videndum vers. Sed interdum ff. commodat.* ibi. Nota ex hoc §. generale tale, quod vbicumque quis non tenetur de casu ibidem si culpa casum præcedit, de casu tenetur, vt infra *eod. l. In rebus §. 1. & infra locati l. Videamus §. Si hoc; tenet etiam Glos. verbo, Præstare, in l. In rebus ff. eod. tit. Commodati* ibi. Quia culpa casum præcessit, & *in l. Ad eos verbo, Proculdubio, eod tit.* ibi. Nisi culpa casum præcessit.

Culpa facere non videtur, qui facit, vt solet fieri, dixit *Apostilla ad tex. in l. Cum duobus 52. §. Quidam Sagariam ff. pro soc. per tex.* ibi. Cum non alias merces, quam naui solerent aduehi. Nota ergo, quod non intelligitur culpa, quam consuetudo admittit, vt inquit *Glos. verbo, Culpa, in l. Pignus 8. C. de pignorat. act. per tex.* ibi. Si tamen in horreis, quibus alij solebant publicè vti.

Culpa, negligentiaque serui post libertatem excusata est vide verbo, *Seruus.*

Nemo priuatur Iure suo sine culpa, & licet quandoque priuetur non tamen

fit

fit sine causa, vt inquit *Glos. verbo, Culpa in cap. 2. de constit.*

Tolerabilior est culpa, si placeat, quàm si culpæ vsurpetur authoritas, dixit *Glos. verbo, Publicè, in Extrauag. vlt. de verborum sig. & deduxit ex cap. Nemo sibi 32. q. 4. ibi.* Tolerabilior est, si lateat culpa, quam &c. vbi *Glos. in verbo. Tolerabilior*, notat contrarium, quod videas infra verbo, *Peccatum*.

Licet culpa per pœnitentiam tollatur, infamia tamen non aboletur *Glos. verbo, sed dumtaxat, propè fin. in cap. Nisi cum 10. de renunciat.*

Culpa culpam abolet, sed non dolum dixit *Glos. vlt. in l. Item 9. ff. ad l. Aquil. & glos. penult. ibidem.* hic. Culpa culpa compensata dissoluitur *per tex.* ibi. Quia non debuit per campum iaculatorium iter intempestiuè facere.

Culpam quis potest committere, vt fraudem repellat, vt infra *de legat. 2. l. Cum pater §. Titio, & ad Trebel. l. Recusare &c.* ita ait *Glos. in l. At qui natura 20 §. si cum me. verbo, committat propè fin. ff. de negot. gest.*

Culpa denique abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque obseruaturus fuisset; dixit *l. si merces 28. §. penult. ff. locat. vbi Glos.* Diligentissimus exponit, idest diligens, vt ponatur superlatiuus pro positiuo, vt sæpè contingit.

Cupiditas.

Effrænata dicitur sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia iurgiorum &c. tot quotidie noua litigia generans, vt nisi iustitia conatus eius sua virtute reprimeret, & quæstiones ipsius implicitas explicaret, ius humani fœderis litigatorum abusus extingueret, & dato libello repudij concordia extra mundi terminos exularet, vt dicitur *in proæm Decretal.*

Frequenter enim irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare hoc cogites, animoque voluas, quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile, dixit *Ambros. in lib. de fuga sæcul.*

Facilè legum præscripta transilit, qui terminis cupiditatem suam cohiberi non patitur; ait *Ioseph. lib. 4. antiquitat. cap. 8. lin. 50. in paru.*

Quisquis de accipiendo cogitat oblitus accepti est; nec vllum habet malum cupiditas majus, quam quod ingrata est; *Senec. Epist. 54.*

Multorum sceleratorum funesta cupiditas eos in pernitiem præcipitare conatur, dum sequitur miserabilem eius ingluviem satietatis nescientem, moderamina non verentur. Ipsi etenim turpium lucrorum facibus immergentes ambitiosis nexibus inuoluantur; ita ait *Pontifex in Extrauag. vlt. de crimin fals.*

Nemo eorum, qui in Republica versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit, & illis non tàm iucundum est, multos post se videre, quàm graue aliquem ante se. Habet hoc vitium eis ambitio non respicit; nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas eis, quia inspicit semper à fine dixit *Senec. d. Epist. 54.*

Cupiditatibus numquam tam planè liberalitas potest occurrere; habes verbo, *Liberalitas*.

Cupidi, & ambitiosi non admittuntur ad honores, vide verbo *Honor*.

Cupiditas, aut negligentia non debet ei, qui diligens fuit, nocere, vt dicitur *in l. si non expedierit 6. §. 1. ff. de bon. auth. iudic.*

Si vis honestum facere? non honoribus adijciendum est, cupiditatibus detrahendum. Si vis esse in perpetua voluptate

luptate? non voluptatibus adijciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Si vis Senem facere, & implere vitam? non annis adijciendum est, sed cupiditatibus detrahendum; dixit *Sen. 3. Epist. 21. iuxtà fin.*

Vnde respondit *Diogenes Philosophus Alexandro dicenti non me respicis?* quasi non mei indigeas; sic, Ego præualeo cupiditatibus meis illas refrænans, & illas mihi subijciens, vt mihi seruiant: tibi autem Alexandro præualent, & tu seruus earum efficeris, iussioni earum obtemperans; quasi diceret; ego non indigeo seruo seruorum suorum.

Veri autem boni inserta cupiditas naturaliter in mentibus hominum, bona, & retinenda cupiditas est, quæ non debet adduci ad falsam à deuio errore, vt dixit *Boet. in 3. de cons.*

Curator.

Eligitur ex ijs, qui tutores dati sunt, aut ex necessarijs, affinibusque, aut ex substitutis, aut ex amicis defuncti, aut ex creditoribus; sed is vtique, qui idoneus videbitur; ità dixit *l. 1. ff. de ventr. in poss. mitten. vbi Glos. verbo, Idoneus,* sic. Rebus, & facilitate conueniendi &c. pro qualitate etiam rerum.

Itaut siquidem curatior substantiam idoneam possidet, & sufficientem, ad fidem gubernationis sine aliqua satisdatione creatio procedat; sic inquit *l. De creationibus 20. C. de Episc. aud.*

In postulandis suspectis tutoribus, seu curatoribus, non viribus patrimoniorum principaliter, sed an nihil segniter, nihil fraudulenter geratur: dicit *l. 5. C. de suspect. tutor.* Notat tamen *Glos. vlt.* quod aliquid operatur vires patrimonij ad remouendum, sed hoc intelligere debes, si postquam creatus fuerit curator de patrimonio in creatione habito, diminutum esse reperiatur. Nam si in eodem statu permanet, in quo creatus fuit, non debet remoueri, & hoc vult prædicta *l. & sic in hunc modum ead. Glos. vlt. intelligi debet.*

Neminem inuitum cogendum fieri bonorum curatorem, verius est ait *l. 2. ff. de curat. bon. dand.*

Minor viginti annis potest sibimet, & debet inuenire curatorem, vt inquit *Glos. verbo, Inueniat, in l. Si minor 5. ff. de bon. authbor. iudic.* quam reputat singularem *Apostilla ibidem.* Ad lites vero dabitur à Iudice, coram quo causa agitatur, vt *in cap. vlt. de iudic. lib. 6.*

Curator ventris alimenta mulieri statuere debet; nec ad rem pertinet, an dotem habeat, vnde se sustentare possit: quia videntur, quæ ità præstantur, ipsi præstari, qui in vtero est; sic ait *l. 5. ff. de ventr. in poss. mitt.*

Periniquum est, vt contrà paternam voluntatem redempti forsitan tutoris, aut curatoris admittatur arbitrium; inquit *l. Si pater 4. C. de Spons.*

Tutores, seu curatores, qui inuentarium non fecerint, pro suspectis habentur, vt dicitur *in l. vlt. §. vlt. C. arbitr. tutel.* ibi. Scituris tutoribus, & curatoribus, quòd si inuentarium facere neglexerint, & quasi suspecti &c. vbi *Glos. verbo, Suspecti,* dicit: violenta est hæc præsumptio, & bene dicit, quia *tex.* inquit, quasi suspecti. Si enim dixisset suspecti, sine illa dictione, quasi, tunc non præsumptio, sed probatio Iuris diceretur.

Curator non datur filio in patris potestate constituto, vt dicis verbo, *Filius.*

Qui sub tutela, vel cura est, non potest esse curator, vel tutor, vt dicitur *in l. vlt. C. de legitim. tutel.* ibi. Cui enim ferendum est eundem esse tutorem, & sub tutela constitui? Et iterum eundem esse curatorē, & sub cura agere? hæc certè, & nominis, & rerum fœda cōfusio est.

Non facilè tutores, vel curatores, qui ex officio periculo suo res pupillorum, vel adolescentium administrant, sententia

notantur, nisi euidens eorum calumnia iudicanti apparebit; ità inquit *l.2. C.de ijs qui accus.non poss.*

Curialis.

DE hoc nomine quatenus significat decuriones, agitur infra verbo, *Decurio*, quatenus verò demonstrat eos, qui in Curia versantur, nolui ex causa me ingerere, ne videar amore vsurpare vel odio vindicare.

Curiosus.

EST qui maiores curas exhibere vult, quàm res exigat, vt dixit *Glos.* 1. *in cap* 1. *De renunc. lib. 6. & in cap. Abbate sanc.* 3. *de senten. & re iud. eod. lib.* sic dixit *tex.* Aliquibus curiosis, qui de his, quæ non multum expediunt, sæpe disceptant.

Reprobatur curiositas adeo, vt, qui curiosus est, se esse talem dissimulare debeat, vt consulit *l. Doli mali* 19. *ff. de nouat.* ibi. Aut etiam si sciat, dissimulare debet, ne curiosus videatur.

Et in diuinando multo magis reprobatur, vt *in l. Nemo aurispicem C.de maledic. & Mathe.* ibi. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curiositas.

In monachis nullo modo dicitur conuenire & abominabilem eam reputo, de quo habes verbo, *Superfluitas*, & verbo, *Monachus*. Notat etiam *Glos. verbo, Quamuis in Clemen. Exiui de verbor. sig.* & sic præcipit *Beata Theresia in lib. nominato Iter perfectionis cap.* 2. Sciebat enim, quod hæc pestis grassatur maximè inter moniales.

Prælato vero, Principi, & Gubernatori, ac similibus benè conuenit, vt dicitur *in Auth. vt iudices sine quoquo suffragio in Princ.* ibi per omnem namque curiositatem, & inquisitionem subtilem discurrimus illa agere quærentes, quæ vtilitatem nostris subiectis introducendo, omni eo onere liberent &c. Et sic ad hunc effectum delatores permittuntur; benè quidem est, sed experientia docet ruinam potius populorum, quàm commodum ex illis prouenire.

Permittitur etiam creditori, quin etiam consulitur, vt curiosus sit in inquirendo, cui nam credat, pecuniam suam, vt dixisti verbo, *Creditor*.

Custodia.

AD istud negotium arbitratu, ac iudicio tuo nobilis prudens, fidelis optimè sibi conscius pro integritate mentis apponatur custos; inquit *l.1. C.de cond. in borr. pub. lib.*10.

Custodia, idest diligentia exactissima, vel immo exacta, cum vtriusque gratia sit; dixit *Glos. verbo, Custodiam in l. Si rem* 19. *§. Si eum ff. De præscrip. verb.*

Personarum qualitas, & delictorum quantitas in custodiendo inspicitur; vt *per Glos. verbo, Perseueret, in l. Minimè* 12. *C. de appell.*

Custodiam eum præstare debere, penes quem relictæ sunt res, nisi aliud nominatim conuenit, inquit *l. Si vt certo* 5. *§. si de me ff. Commodat.* Talis custodia desideranda est à venditore, qualis bonus paterfamilias suis rebus adhibet quam si præstitit, & rem perdidit, securus esse debet, dixit *l. Quod sapè* 35. *§. Si res ff. de contrab. empt.*

Qui mercedē accipit pro custodia alicuius rei, is eius periculum pro custodia præstat; ità inquit *l* 43. *ff. loc. & ibi Glos.* sic. Pro custodia, idest, si cōtingat propter custodiam non adhibitam, & sic ad exactissimam diligentiam, aliàs nisi specialiter pro custodia mercedem reciperet, tenetur de leui culpa. Non tenetur tamen, si non custodiā receperit *in l. Dominus borreorum* 7. *ff. locat.*

vbi Glos. sic. Et si promisit custodiam etiam de leuissima, vt &c.

Nota tamen, quod qui inimicitias habet, debet in custodia cautius se habere, vt dixit *Glos. verbo; Inimicitias, in l. Si Merces* 28. *§. Culpa ff. locat.* ibi. Cum enim habetur inimicitias cautius debet custodire. Aduersus autem vim, custodia parum prodest, licet cautior, vt dicitur *in l. Si ea res* 32 *ff. De act. empt.* Et ità *in l. Si eum* 13. *§. vlt. ff. de pignorat. act.* ibi Venit, & custodia, vis maior non venit.

DE LITTERA D.

Damnum.

QVoddam dicitur circa rem, puta subtraxisti instrumenta, quibus possessio firmatur, teneris ad illud damnum, quòd contingit propter absentiam instrumentorũ &c. Quoddam dicitur extra rem, puta, debui tibi frumentum, & quia non dedi suo tempore, familia tua fame perit, illud damnum non consequeris, ità ponit *Glos. verbo, damnorum, in cap. in nostra* 8. *ff. de iniur.*

Damnum non intelligitur, nisi omni lucro deducto, vt inquit *l. Mutius* 30. *ff. pro soc.* ibi. Nec enim lucrum intelligi non omni damno deducto, nec damnum, nisi omni lucro deducto; & ità sicuti lucrum, ità damnum quoque commune esse oportet, quod non culpa socij contingit *l.* 2. *§. Quidam ff. Pro soc.*

Sicuti lucrum omne ad emptorem hæreditatis respicit, ita damnum quoque debet ad eundem respicere. ait *l.* 2. *§. Non solum ff. de hared. vel act. vend. idem l. Si igitur* 56. *ff. Pro soc.* ibi. Æquum est enim, vt cuius participauit lucrum participet & damnum, & *in l. Humilioribus* 14. *C. de susceptor lib.* 10. ibi. Nec enim æquum est, vt ad officium lucra, ad Curialem susceptionis tantum damna pertineant, & *in l. Cels.* 133. *ff. ad Trebel.* ibi. Iniquum esse ad fideicommissarium damnum pertinere, ad quem augmentum non pertinet, & *in l. Ergo* 22. *ff. Ex quibus caus. maior.* ibi. Sicut igitur damno eos affici non vult, ità lucrum facere non patitur.

Nec ignorantes priusquam aliquod commodum sentiant, damnis affici compelluntur, dicit *l. vlt. C. si pendente appellatione*; Et impium est, vt qui res suas non attulerit, damnum inferat; inquit *c. Episcopus* 4. *de reb. Eccles.* Eadem erunt, & si minimum damnum detur, dicit *l. si proprietarius* 22. *in fin. ff. de dam. infect.*

Notabis tamen in casu, quem amplecti lucrum, & ad damnum, vel onus non teneri; vt ità dicit *Glos. vlt. in l. De illo* 23. *ff. pro soc.* ibi. Nec compensandum commodum cum damno &c. nec posse dici socium abstinere commodo, si damnum petit.

Aequissimum est commune detrimentum fieri eorum, qui propter ammissas res aliorum, consequuti sunt, vt merces suas saluas haberent; dicit æquissima *l* 2. *ff. ad l. Rhod. de iact. vbi Apostill.* sic. Iste *tex.* est menti tenendus secundum *Bald.* hic, pro quo concordat, & facit *tex. in l.* 1 *eod.* & faciunt optimè in argumentum, vt domus vicini destructa, ne ignis vlterius extenderetur, reparetur communiter, & *Glos. vlt. ibidem* sic. Nota, quòd si

quid pro communi vtilitate, vel alterius, damni patior, quod mihi est restitutio facienda, & facit *tex. in l. Ex damni 40. §. Quoties ex damni ff. de damn. infect.* in ratione, quam ponit ibi. Nec enim damnum, quod pluribus datum est, vnicuique in solidum datum est, sed in partem datum esse videtur.

Portio autem (in materia legis Rhod. de qua supra proxime) pro æstimatione rerum, quæ saluæ sunt, & earum, quæ ammissa sunt, præstari solet; nec ad rem pertinet, si eæ, quæ ammissæ sunt, pluris venire poterint; quoniam detrimenti, non lucri fit præstatio; ità dicit *d. l. 2. §. si nauis eod. tit. ad l. Rhod. vbi glos. verbo, Non lucri*, sic Aestimantur enim quanti emptę sunt, non quantum valent nunc. &c.

Qui occasionem damni præstat, damnum fecisse videtur, est vulgaris regula *l. Qui occidit §. In hac actione ff. ad l. Aquil. quam declarat glos. verbo dederunt, in cap. Sicut 9. de testib. ibi.* Qui dat occasionem damni, si dat operam rei licitæ, & adhibet diligentiam quam potest, non tenetur de his, quæ sequuntur, si non adhibet, tenetur, &c. si dat operam rei illicitæ, semper imputatur ei, quod inde sequitur.

Rectius est in omnibus suprascriptis casibus lucrum cum damno compensari, & si quid deest emptori, siue pro modo, siue pro qualitate loci, hoc ei resarciri, inquit *l. si duorum 43. in fin. ff. de action. empt.* Quod intellige limitando iuxta *l. de illo 23. ff. pro soc. de qua iam supra.*

Duplex damnum ex eadem causa ius abhorret, vt in *l. Iure ff. de iur. dot.* in his verbis. Iure succursum est patri, vt filia ammissa solatij, loco cederet si redderetur ei dos ab ipso profecta, ne & filia ammissa, & pecuniæ damnum sentiret.

Iustum vtique erit medium damni, & lucri inquit *Arist. 5. Ethic. 2. & propè fin.* ità. Plus quidem enim habere, quàm, sui ipsius lucri dicitur; minus autem his, quæ à principio damnificari.

Nota tamen non esse eandem rationem damnum sentire, & lucrum non facere, dicit *Glos. verbo, faciat in l. Proculus 26. ff. de damn. infect. per tex. ibi.* Quia non debeat videri is damnum facere, qui eo veluti lucro, quo adhuc vtebatur, prohibetur.

Sicut iniuria ex affectu fit, sic damnum ex culpa, ait *l. Qui seruum 33. ff. de action.*

Damnum autem pati videtur, qui commodum ammittit, quod ex publico consequebatur, quale quale sit; inquit *l. 2. §. Merito ff. ne quid in loco publ. Tu concilia cum d. l. Proculus*, de qua supra proximè, quia hoc nostræ inspectionis non est. Nec enim videtur iniuria affici, cum ei lucrum extorqueatur, non damnum insligatur; inquit optima *l. Qui autem §. simili modo ff. quæ in fraudem cred. Et l. vlt. in fin. eod. tit.* sic. Nunquid non æquè actio in eum dari debeat, quoniam magis detrimentum non patitur, quã lucrum facit?

Melius est, quem non lucrari, quam alterum damno affici, dixit *l. At si quis 14 post principium ff. de Religios. & sump. funer.*

Petitio damnorum super diminutione patrimonij competit &c. actio verò iniuriarum datur ad vindictam &c. Ideo vna non impedit aliam, dixit *Glos. verbo, de Damnis, in cap. si Canonici 2. de offic. Ordin. lib. 6.* Nam, vt dicit *l. Homo liber 54 ff. de acquir. rer. domin. Damnum dando, damni iniuria tenebitur.*

Sed qualiter probabuntur damna illata? De damnis, & interesse dico, quod debent probari per testes, & ideo vtile esset

esset certam summam adijcere, quia difficile est probare damnũ, & interesse, & iudex hoc inquirere debet per suam subtilitatem; Est tamen notatu dignum, quòd damnum datum per dolum, siue per violentiam, vel rapinam, postquam constiterit de violentia per testes, probatur per iuramentum ipsius damnum passi. Si verò aliunde proueniat, per testes probandum est; vt notabiliter, dixit *Glos. verbo, Expensis, in cap. Dilecti 17. de for. compet.*

Qui agit de damno vitando potiorem esse putauit *Glos. verbo, Non liberat, in l. Eleganter §.1 ff. de pignor. act.* Et cum quæritur de damno, & par vtriusque causa est; quare non potior sit, qui tenet, quàm qui persequitur? inquit *l. Si seruum 92. §. Sequitur ff. de verbor. oblig.*

Non debet quis damnum sustinere, vnde meruit gratiam reportare *Glos. verbo, Commisisse, in cap. Veniens 13. de renunc.*

Neque existimari operis mei vitio, damnum tibi dari in ea re, in qua iure meo vsus sum; dicit *l. Fluminum 24. §. Vlt. ff. de damn. infect.*

Nec etiam officium proprium sibi damnosum esse debet, vt dicitur *in l. Si seruus communis 63. vers. Quod verò ff. de furt.* ibi. Nam licet alioqui æquum videatur non oportere cuiquam plus damni per seruum euenire, quàm quanti ipse seruus sit; multò tamen æquius esset nemini officium suum, quòd eius, cum quo contraxit, non etiam sui commodi causa susceperit, damnosum esse.

Et aliorum honores alijs damnorum occasionem fieri non oportet; dicit *l.4.C. de stat. & imag.*

Nec pupillus ex damno alieno captabit lucrum; adhuc enim ei doli exceptionem obstare dicit *l. Si fundus §.1. ff. de reb. eor.*

Non debent damnis commendari prætérita, dixit *Glosa, verbo, Commutari, in Extrauag. vnica de offic. delegat. int. comm.*

Non est par ratio lucri ad damnum, inquit *Glosa verbo, Affuerit, in l. Post legatum 5. §. Qui accusauit ff. de ijs quibus vt indig.* Et *Glos. verbo, solebat,* ibi *in l. 3. §. vlt. ff. de eo, quod cer. loc.* ibi. Sed vbi passus est damnum non inspicio, an ita sit damnum pati &c. Et contrarium dicitur in lucro, vt infra notabis verbo, *Lucrum.*

Dare.

Nota, quòd dominij translationem importat, licet quandoque ratione materiæ subiectæ aliter accipiatur, *l.1. in princip. infra depos. & l. Stipulatus in princ. de vsur.* inquit *Apostilla ad l. vlt. ff. de condict. caus. dat. & in Glos. vlt. l. Titia 35. §. vlt. ff. de legat. 2.* itá. Sed dic proprietatem, quia dixit, dari, idest accipientis fieri &c.

Vel permutauit, vel compensauit &c. Nam & is dedisse intelligendus est, sic ait *l.29. ff. de liberal. caus.*

Sunt etiam paria dare, & accepto ferre, inquit *Glos. verbo, Potest, in l. Si fundum 83. §. Titio ff. de legat. 1.* vbi *Apostil.* sic. Quid pro parte sit dare, & quomodo ponitur in contractibus, & quomodo in libellis? Vide plenè per *Bart. in l. vbi autem non apparet §. fin. ff. de verb. oblig. Alexan. in l. Si quis nec causam. ff. Si cert. pet.*

Habetur etiam datum, quod paratum est, vt detur, vt dicit *Glos. vlt. in l. penult. ff. de mil. testam.*

Esse debet, cui datur: deinde sic quæri an datum sit, vt non ante iuris ratio, quàm persona quærenda sit, dixit *l. Quidam referunt 14. ante fin. ff. de iur. Codicil.*

Vnde

Vnde dixit *Senec. lib. 4. de benef. cap. 10.* Videbo quando dem, cui dem, quemadmodum, quare; Nihil enim fine ratione faciendũ est. Non est autem beneficium, nisi quod ratione datur, quoniam ratio omnis honesti comes est; & *cap.* 11. sic. Nunquam diligentius damus, nunquam magis iudicia nostra torquemus, quam vbi remotis vtilitatibus solum ante oculos honestum constitit: tamdiù officiorum mali iudices, quamdiù illa deprauat spes, ac metus, ac inertissimum vitium voluptas; benè verùm est, quod dicit moralis iste, sed mos hodiernus non ità se habet in prophanis, ne dicam in alijs, quæ etiam sacra tangunt, vix namq; dantem inuenies ità purè facientem vsque adeo, vt *Propheta* dicat. Inclinaui cor meum &c. propter retributionem,

Hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere se, quod sponte tribuit, existimet, & nisi in beneficijs suis creuerit, nihil se præstitisse putet, inquit *Pontifex in cap. 1. de donat. vbi Glos. penult.* sic. Vnde Dominus dixit. Beatius est dare, quàm accipere, & *ibidem Glos. verbo, Creuerit,* addit saltem per bonam voluntatem, quia hilarem datorem diligit Deus, & qui dat propter præsentem pudorem, & rem, & meritum perdit; vnde versus.

Da facie læta, sine lætitia facies
Si dederis, perdis rem meritumque rei.

Verum hodie non video hunc pudorem in recipiente, sed impudentiam in petendo, & nihil dando. Sunt namque multi vulgo dicti scroconi, qui omnia recipiunt, nihil verò dant, & tota die discurrunt per hospicia aliorum, de quibus potest dici, quod alias cecinit *Martial. de quodam scauola scrocone* sic.

Scauola tu cœnas apud omnes nullus apud te
Alterius siccas pocula, nemo tua.
Aut tu redde vices aut desine velle vocari,
Dedecus est semper sumere, nilq; dare.

Et vere est dedecus in eo, qui habet vnde vices reddat, & non reddit, sed illi certè ignoscendum est, qui non habet vnde reddat; verum tamen in casu, adhuc illi non debet ignosci, quando scilicet id, quod ei misericordia motus confers, non tuæ benificentiæ, sed suæ industriæ, & calliditati attribuit; indignus namque redditur omni beneficio, qui dicit, manus nostra excelsa fecit hæc, vt alias *Deuter. cap.* 32.

Beatius est dare &c. quia dando placet homo, accipiendo displicet; vnde versus.

Temporibus nostris quicumque placere laborat,
Det, capiat, quærat plurima, pauca nihil.

Sic ponit *Glos. verbo, Beatius, in cap. Cum Martha de celebr. miss. vbi Apostilla* lamentatur de fratre, cui dedit omnia, & non placuit, sed irrisus fuit ab illo, & habitus pro hoste; verùm donantis fuit error, quia versus non dicit, det omnia, sed plurima, meritò igitur fuit irrisus, tamquam stultus, quia priuauit se beatitudine dandi, non relinquens, quid posset amplius dare.

Nec recipiendum est, vt, cui nihil dederis, eum rogando obliges. dicit *l. Sed & si 6. ff. de legat.* 3.

Facilius remittimus, quæ superamus, quàm demus, quæ possidemus, inquit *Glos. verbo, voluntatem, in l. Fideicommissa* 11. *§. Item si quis ff. de legat.* 3.

Et facilius fit ablatio, quàm datio, vt dicit *Glos. in l. Non statim per tex. ibi ff. de peccul.* in illis verbis. Nam non sic de leui fit datio, vt ablatio &c.

Qui tardè dedit, & diem extrahens profuit

fuit, non ex animo fecit. ità duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis, dixit *Senec. lib. 2. de benefic. cap. 5.*

Nihil æquè amarum, quàm diù pendere, æquiore quidam animo ferunt præcidi spem suam, quam trahi. Plerisque autem hoc vitium est ambitione praua differendi promissa, ne minor sit rogantium turba. Qualis regiæ potentiæ ministri sunt, quod delectat superbiæ suæ longum spectaculum, *idem Senec. vbi proximè supra.*

Et sic paria sunt non dare, & malè dare, vt dixit *Glos. verbo, Prodesse, & verbo, dedisset, in l. 1. §. 1 ff. de Magistr. conuenien.*

Tardius dare peccatum est, & qui non facit statim, in mora intelligitur; vnde periculum ad ipsum spectat dixit *Glos. verbo, Frugibus in cap. Cum homines 7. de decim.*

Nec videtur hæres dedisse, quod ità dederat, vt habere non possis, inquit *l. Qui concubinam 29. §. Hæres ff. de legat. 3.*

Nec enim, quod Actoris est, id ei dari oportet, quia scilicet dari cuiquam intelligitur, quod ità datur, vt eius fiat &c. dixit *Imperator in §. Sic itáq. de act. in Inst.*

Dare obligatus ad mediocrem tantum tenetur *l. Si quis 35. §. si verò C. de donat.* ibi. In talibus tamen agris, qui nec omnibus, quos habet in possessione, anteponuntur, nec deteriores omnibus sunt, sed status mediocris inueniuntur, *& in §. Simili modo.* ibi. Sed & hic mediocritas spectetur.

Datæ rei quantitas, & illius terræ consuetudo, (quæ tamen sacris canonibus non obuiet) est diligentius attendenda, dixit *Pontifex in cap. 4. de donation.*

Tam vitium est recipere, quod non debes, quam non dare, quod debes; dixit *Senec. lib. 6. de benef. cap. 42.*

Quæ sunt donata ad certum vsum, non debent in alium conuerti; dicitur *in Clem. 2. de Religios. dom.* ibi. Cum tamen ea, quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illũ debeant, non ad alium (salua quidem Sedis Apostolicæ authoritate) conuerti, & ibi. *glos. verbo, Non ad alium,* sic. Quandoque tamen rebus vtimur ad alium vsum, quam fuerint inuentæ.

Data.

Attendenda est in literis, vt dicitur *in cap. Eam te 7. de rescript.* ibi. Quod nullatenus fecisse deberes, si datam literarum diligenter attendisses cum tempore, quo litteræ ipse datæ fuere de Capitulo ipso esses, & facit *Clem. vlt. eod. tit.* ibi. Ad beneficium post datam ipsarum, creatum statuimus non extendi.

Aliquando tamen non datæ, sed receptionis litterarum tempus consideratur, vt notat *Glos. 2. in cap. Dilectus 27. de Praben. vbi Apostilla,* sic, Quia de inobedientia, & rebellione, & eius pœna hic agitur, quæ non cadunt in ignorantem, &c. Cum verò quæritur, ad quem dirigitur rescriptum, vel quid in eo fuerit exprimendum, inspicitur tempus datæ.

Decima.

Soluitur Ecclesiæ, intra quam prædia sita sunt, vt *in cap. vlt. de restit. Spol.* ibi. Sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de Iure communi ad eandem Ecclesiam pertinere &c. Scilicet, intra cuius parrochiam prædia sita sunt.

Sed nunquid tenetur clericus soluere decimas de patrimonio, ad quod est promotus

motus, quasi ad titulum? Pro vtraque parte ponit Iura *glos. verbo sustentari, in cap. Tuis 23. de praben.* & mihi videtur consuetudinem in hoc esse attendendam, quæ maximè prævalet in decimis, vt iam dixisti *Verbo Consuetudo*.

Decipere.

NOn multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi, inquit *cap. Si cupis 16. q. 1.* Et sic intelligitur illud Euangelij Estote prudentes, sicut serpētes & simplices sicut columbę vt serpentes, ne decipiamini, vt columbæ, ne decipiatis.

Circumueniri rusticitatis, & imperitiæ velamentis non oportet; dicit *l. 1. C. de interdic. matr.* Vnde, qui fraudem admisit, vel decepit, non excusatur, ait *l. vlt. C. Credit. euict. pign.*

Sed *in l. In causa 17. §. penult. ff. de minor.* sic dicitur. *Idem Pompon.* ait in precio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumuenire, & *ibi Glos. in addit.* sic ait. Quærit hic *Bald.* an istud sit verum de Iure diuino? Dic, quòd non, nec de Iure Canonico, quod intellige, si dolus versetur; secus si bona fide contrahatur; & sic intelligitur *Glos. 1. in l. Cum pater 79. §. Mensa ff. de legat. 2.* ibi. Simile venditioni, in qua si alter decipitur re ipsa, nihilominus statur conditioni; vbi *Apostilla* sic. Nota, quòd licet mercatoribus se inuicem decipere.

Verùm *in l. Si quis inconscribendo 29. C. de pact.* ità dicitur. Nemini licere aduersus pacta sua venire, & contrahentes decipere; vbi *Glos. verbo, Decipere* sic explicat. Hæc duo simul iuncta non permittunrur, sed alterum, vt contra pacta venire, licet quandoque, vt statim dices in casibus, in quibus non videtur decipere, cum authoritate legis fiat. Item licet contrahentes decipere &c.

Deceptis, & non decipientibus Iura subueniunt, inquit *cap. penult. de rer. permut.*

Punitur, qui iudicem decepit, vt dixit *l. 17. ff. de his, qui not. infam.* ibi. Debuit enim coerceri, quæ prætorem decepit.

Declaratio.

NIhil noui tribuit, vt inquit *l. Hæredes palam 6. Si quid ff. de testam.* ibi. Poterit, ne posteà declarare, de quo senserit? Et puto posse. Nihil enim nunc dat, sed datum significat, & ibi *Glos.* resoluit quid in iudicio dicendum & *Glos. verbo, Iterum in l. vlt. C. de testib.* sic. Qui declarat nihil inducit, & *verbo, Publicauit, in cap. Nouit 43. de appel.* ità. Qui enim rem producit in lucem, potius rem declarat, quàm aliquid noui faciat.

Obscuritas ei obesse debet, qui potuit eam apertius declarare; dicit *Glosa verbo, Confusè, in cap. Cum clamor 53. de testib.*

Decretum.

EST sententia, qua Iudex contractum futurum iustum fore decernit, authoritatem suam interponendo, vel aliquem in possessionem immittendo, seu mittendum declarando &c. inquit *Glos. verbo, Tractatus, in cap. 1. de rebus Eccles. lib. 6. & probatur in l. 1. in fin. ff. quod fals. tut.* ibi. Nisi fortè prætor decreuerit ratum se habiturum id, quod his auctoritatibus gestum est &c.

Decretum necessitatrm facit, exhortatio autem liberam voluntatem excitat; inquit *cap. Denique ad fin. 4. dist.* Debet

autem in subiectum dari, quia in non sibi subiectum non tenet; vt inquit *Glos. verbo, Subierant, in l. Magis putò 5. §. Si pupillus vers. Illud quæri potest ff. de reb. eorum.*

Quod non est decreto Sanctorum Patrum sancitum, superstitiosis non est adinuentionibus præsumendum, inquit. *Pontif. in cap. 2. de translat. Episc.*

Et in cap. Dudum 24. de prab. in 6. sic Quod decretum nostrum &c. Statim ignorantes ligauerat, cum super incerto non esset editum, nec ex alieno penderet arbitrio; vel voluntate cuiusuis, qui acceptandi potestatem haberet. Et facit *cap. Quoddam 40. de præben. lib. 6.* ibi. Prima enim collatio post, & contra decretum à *d. Calestin.* interpositum facta (licet ab ignorantibus, & etiam ignoranti) non obtinet firmitatem.

Si autem adhuc res non fuerit, super qua decretum feratur, non videtur tenere; vt inquit *l. 6. §. Sed ita ff. quod cuiusque vniuers.* ibi. Quia non possit videri de ea re, quæ adhuc in controuersia non sit, decreto datam persequutionem. Et clarius dicit *Glos. verbo, Ad futuras in cap. vlt. de rescript.* ibi. Præterea decretum ipso iure nullum est, quod est datum de ea re, quæ adhuc in controuersia non est.

Decretum primum, & decretum secundum quid sit, quomodo petatur, & concedatur, & quis effectus ex quolibet resultet. Vide *Glos. Magnam verbo, Prius, in l. Si finita §. si plures ff. de damn. infect.*

Videtur haberi pro derelito, si expectetur secundum decretum; dixit *Glos. Verbo, Capere, in l. Prætoris 5. eod. tit. de damn. infect. vbi notat etiam Apostilla.*

Decretum pro mortuo tenetur in casu absentiæ; dixisti verbo, *Absens.*

Debere, & Debitor.

Hoc verbum, *debere*, est præcepti, & necessitatem importat, inquit, *glos. verb. debeant, in Clem. 2. de stat. Monach.*

Debitorum autem tria sunt genera, vnum in quantitate, aliud in genere, (vt homo) secundum Iuristas dico, & aliud in specie. Primum semper est in periculo debitoris, vt &c. in secundo idem, quia genus perire non potest. In tertio habet locum ista lex, in qua dicitur, quod si per eum factum fuerit, quod sit periculum debitoris, idest post quam fuerit in mora, ità hæc inquit *glos Magistra in l. Quod te 5. ff. si cert. pet.*

Est autem debitum, quod exigitur ab inuito, vt inquit *Glos. verbo, Debitas in Clem. 1. de decim.*

Debitor verò cliens dicitur creditoris *Prouerb. 22.* ibi. Qui mutuum accipit, seruus est fœnerantis affert *Glos. 1. in addit. reg. Cum sunt lib. 6.* & comprobat *Glos. vlt. iunct. tex. in l. 3. C. de nouat.* ibi. Cliente, idest debitore, quia qui accipit mutuum, seruus est.

Hæc autem hoc primum censebit, non ab omnibus accipiendum &c. Nam etiam cum maiore delectu quærendum est, cui debeamus, quàm cui præstemus &c. Nam &c. Graue tormentum est debere, cui noles, dixit *Senec. lib. 2. de benefic. cap. 18. Et in lib. 6. c. 27.* sic. Quanto satius est honesta voluntate debere, quàm per malam rationem soluere.

Appellatione debiti continetur naturale tantum, si aliud reperiri non potest sic, summat *Bart. l. Quibus 40. §. Dominus ff. de condit. & tex.* ità dicit. Ego puto secundum mentem testatoris naturale magis, quàm ciuile debitum spectandum esse, & eo iure vtimur, & ibidem *Glos.* dicit. Improprie tamen dicitur debitum, & *Apostilla ibidem* ita. Quod naturale debitum; licet de Iure Ciuili peti non possit, tamen de iure Canonico potest peti coram Episcopo,

vt notat *Bart. in l. Si pœna in princip. ff. de condict. indebit. & Glos. in l. Quinque ff. de compens.*

Faciunt hæc, quæ optimè, vt solet, dicit *Senec.* Et quidem diligentius quærendus est beneficij, quàm pecuniæ creditor huic enim reddendum est, quantum accepi, & si reddidi, solutus sum, & liber; at illi plus soluendum est, & nihilominus relata gratia cohæremus.

Facit etiam *l. Cum quo 56. ad fin.* ibi. Augetur scilicet, & his hæreditas decem, quæ defuncto naturaliter debebantur, in hæreditate manentibus; quod intellige per retentionem, vt innuit verbum, manentibus: Nam licet minus propriè debere dicantur naturales debitores, per abusionem tamen intelligi possunt debitores, & qui ab ijs pecunias recipiunt, debitum sibi recepisse, ait *l. Fideiussor 17. §. Fideiussor ff. de fideiuss.* facit etiã *l. 1 C. de impon. lucr. descrip.* ibi. In tam .n. necessarijs sibi, coniunctisq; personis sub liberalitatis appellatione debitũ naturale persoluitur.

Etiam nomina debitorum, appellatione rerum continentur, vt latè habes *verb. Res*, sed probat contrarium *l. Gaius Seius 88. ff. de legat. 2.* quæ loquens de legato generali, inquit nomina debitorum non contineri.

Debitum probari debet legitimè, & alijs indicijs; nam quod neque ipse, nec vxor eius cuiquam antea habuerunt, non idoneum huius continet indicium; Nec enim pauperibus industria, vel augmentum patrimonij, quod laboribus, & multis casibus quæritur, interdicendum est; ità inquit *l. Si defunctus 10. C. arbitr. tut.*

Debitor scire tenetur se debitorem esse, & sciat minimè se posse ad euitandam pœnam adijcere, quòd nullus eum admonuit. Sed etiam vltra vllam admonitionem eidem pœnæ pro stipulationis tenore fiet obnoxius. Cum ea, quæ promisit, ipse in memoria sua seruare, non ab alijs sibi manifestari debeat poscere: sic dictante *l. Magnam C. de contrab. & committ. stipul. & facit l 2. C. de iur. emphitec.* ibi. Cum neminem oporteat conuentionem, vel admonitionem expectare, sed vltrò se offerre, & debitũ spõtanea voluntate persoluere.

Debitor tamen ignorans non est improbus, vt inquit *Glos. in l. Qui in ius. 138. ff de reg. iur.*

Debiti agnitio facta per vnum de reis debendi præiudicat alteri ratione identitatis, vt notauit *Glos penult. in l. vlt. C. de duob. re.* cuius verba sunt. Aliorum deuotionem, vel ex libello admonitionem alijs debitoribus præiudicare, & alijs prodesse creditoribus &c. Cum ex vna stirpe, vnoque fonte vnus effluxit contractus, vel debiti causa ex eadem actione appareat.

Recognitio debiti præscriptionem interrumpit, dicit *Glos. verbo, Recognouit, in cap. Per inquisitionem 26. de elect.*

Si fiat diuisio per creditorem petentem ab vno fideiussore partem debiti, non redintegrari potest actio pro toto, dicis, verbo, *Creditor*.

Debiti, & non debiti ratio in condictione, naturaliter intelligenda est, ait *l. Si id, quod 64. ff. de condict. indeb.*

Debitum annuum quando solui debeat? Vide verbo, *Annus*.

Debitore inscio potest fieri debiti vẽditio, nõ verò delegatio, habes verbo, *vẽditor.*

Negantes debitores non oportet armata vi terreri &c. Sed Iuris remedijs ad solutionem vrgeri conuenit; dicit *l. 9. C. de action.* & notauit *glos. verbo, Legibus, & iudicijs experiundum esse cognoscant in l 6. C. de conu. fisc. debit.*

Debitor fugiens potest per creditorem detineri, vt dicis verbo. *Creditor*, & vltra ibi, inquit etiã *Glos. verb. In iudicio, in §. 1. de act. in Instit.* ibi. Item propter debitorem fugitiuum, quẽ capere possumus, vt *ff. quæ in fraud. cred. ait. l. Prætor §. Si debitorem, licet quidam exponant*

ponant

ponant l. Illā quod ibi. Captus fuit authoritate iudicis, & *Glos. verb. locum fore, in d. §. Si debitorem* sic ait. Vel dic, quòd etiam sine authoritate iudicis ideo, quia fugiebat, & iudicis tam citò copia haberi non poterat.

Vndique tamen ità creditoribus prouidendum est, vt non debitores grauētur, dicit *Auth. de fideiuss. §. vlt. propè fin. coll.* 1. Igitur hæc à iudice erunt despicienda, vt neque delicatus debitor, nec onerosus creditor audiatur, vt inquit *l. Si seruos* 25. *ff. de pignorat. act. & idem Glos. verbo, Expensa, in cap. Vt prateri-ta* 45. *de elect.* Delicatus autem debitor, & onerosus creditor, qui sint, iam dixisti verbo, *Creditor*.

Non prius debitorem reipublicæ honorem in republica subire, quàm id, quod debere constiterit cōuentus exoleuerit inquit *l.* 1. *C. de debitor. ciuit lib.* 11.

Cum debitor creditori suo hęres extiterit actio quædam inter hæredem, & hæreditatem proponitur. Et intelligitur maior hæreditas ad debitorem peruenire, quasi soluta pecunia, quæ debebatur hæreditati, & per hoc minus in bonis hæredis esse, & è contrario, ità dicit *l. Si ei* 41. §. 1. *ff. de euict.*

Cum autem quis suo debitori succedit tacita exactio intelligitur, vt inquit *glos. vlt. in l.* 2. *C. solut. matr.* Et si habeat cohæredes ab ipsis debitum pro parte petere non prohibetur, cum vltra eam portionem, qua successit, actio non confundatur, vt ait *l. Si uxor.* 7. *C. de bon. author. iudic.*

Licet debitori facere primi creditoris conditionem deteriorem adijciendo secundo, vt tenet *Glos. verb. Obtulerit, in l.* 1. *C. Si antiquior creditor.* Non tamen licet callidis artibus differre, vt dicitur *in l. vlt. C. quor. appell. non recip.*

Videtur, quod si debitor post triginta annos offerat debitum, non cogetur creditor accipere, vt cogatur dare pignus, ità tenet *Glos. verbo, Priuatum in l. Omnes* 4. *C. de prascrip. trig. ann.* de quo latius vide *per Glos. verbo, Opponere in l.* Cum notissimi *eod. tit.* vbi additio tenet contrarium ea ratione, quia Ius offerendi debitum ad reluendum pignus est facultatiuum, quod nunquam præscribitur.

Debitor, vt liberetur à debito non solum debet offerre, sed etiam deponere, vt inquit *l. Creditores* 9. *C. de pignor. act.* ibi Reddita Iure debita quantitate, vel his non accipientibus oblata, & consignata, & deposita, vbi *Glos. verbo, Et deposita*, limitat sic. In iudicio autem sola oblatio sufficit, vt &c. Quod mihi videtur, debet intelligi in vsuris, vt non currant, iuxtà quæ tradit *Glos. verbo, Vsura, in l. Si per te* 9. *C. de vsur.* Et cū hac distinctione videtur concordare, *tex. in l. Si acceptam* 19. *C. eod. tit. de vsur.*

Licet sit Iuris communis, quod non semper debitor debet venire cum sacro paratus, sed dabuntur induciæ pro arbitrio iudicis, vt *l. Quod dicimus de solut.* Tamen est priuilegij in ista actione, quòd illud tempus induciarum est à lege limitatum itaut a iudice breuius tempus constitui non possit; ita inquit *glos. De fraudata in addit l.* 1. *C. de const. pecun.* & tempus istud est decem dierū, vt per Iura quæ ibi *dict. Glos.* refert.

Debitoribus non tantum petentibus dies ad soluendum dandi sunt, sed etiam prorogandi, si res exigat; ità inquit *l.* 31. *ff. de re iudic.* vbi notat *Glos.* quod si dentur minus quatuor mensibus, lex prorogat.

In potestate eius est, qui ex pluribus cōtractibus pecuniam debet tempore solutionis exprimere, in quam causam reddat. Quod si debitor id non fecit, conuertitur electio ad eum, qui accepit. Si neuter voluntatem suam expressit, prius in vsuras id, quod soluitur, deinde in sortem accepto feretur. *l.* 1. *C. de solut.* Possumus enim legem dicere ei, quod soluimus, inquit

quit *l. 1. ff. de solut. & habes verbo, solutio*.

Quidquid ex venditione pignorum recipietur, primum vsuris, quas iam tunc deberi constat; deinde si quid superest sorti accepto ferendum est. Nec audiendus est debitor &c eligat, quo nomine exonerari pignus suum malit; ità in expresso, dicit *l. Cum & sortis 35. ff. de pign. act. vbi glos.* sic. Licet secus sit, quando soluit debitor, vt de solutionibus *l. Paulus §. Paulus*; nam tunc, cum soluit in grauius debitum accipiendum est &c. vt *de solution. l. 1. 2. 3. 4. & 5. §. Imperator; & C. de vsur l. si vsuras*.

Debitum autem dicitur ex grauiori causa, quando sub satidatione debetur sicut inquit *l. in ijs vero 5. ff. de solut.* ibi. Grauior autem videtur, quæ sub satidatione debetur, quam ea, quæ pura est.

Debitor in diem soluens ante diem per errorem facti probabilem potest repetere; vt tenet additio *ad glos. verbo, Per errorem in l. fideiussor 51. ff. mandati*.

Debiti remissio est donatio; vnde non valet inter virum, & vxorem, vt ex his, quæ *Glos. verbo, Nec donationis, in l. si inter patrem 6. C. de solut.*

Debitor exceptione se tueri potest, quamquam aliquando interpellatus non soluerit. Etenim non est æquum teneri pecunia ammissa, qui non teneretur, si creditor accipere voluisset. Quare pro soluto id in quo creditor accipiendo moram fecerit, oportet esse, ità inquit *l. Qui decem 72. ff. de solut.*

Omnes debitores, qui speciem ex causa lucratiua debent, liberantur cum ea species ex causa lucratiua ad creditores peruenisset; ità *l. 16. ff. de action.*

Debitor non est restringendus iudicio, quando est paratus suam partem soluere. Vide verbo, *Iudicium*.

Debitor non debet soluere fugienti delinquenti, vt notas verbo, *fuga*.

Debiti solutio per instrumentum de recepto melius probatur, quàm per traditionem chirographi, vt dicis verbo, *Confessio, & verbo, Solutio*.

Seruabit prætor venditionem, & locationem à debitore factam etiam si minoris distractum, vel locatum, nisi in fraudem creditoris hoc fiat. *l. In venditione 8. §. 1. ff. de bon. auth. iudic.*

Iniquum esse perspeximus, vt sub propria annotationis manu vnusquisque sibi faciat debitorem; sic ait *l. vlt. C. de conuen. fisc. debitor.*

Cum neque mutuum, nec vlla causa debendi præcesserit nuda ratio non facit debitorem, inquit *l. Non solum §. 1. in fin. ff. de pecul. &* ibi. *Glos.* sic. Sicut ergo nuda ratio non facit aliquem liberum debitorem, vt infra *de donat. l. Nuda*: sic & in seruo ipsi Domino, & è contra, quia causa semper præcedere debet, ex qua aliquid debetur, vt inquit *Glos. in cap. 2. propè medium de libell. oblat. & est vulgar. tex. in cap. Si cautio de fide instr. & in l. Huiusmodi 13. ff. quando dies legat. ced.* ibi. Quoniam causa, ex qua debeatur præcedere, semper debeat; vide etiam *Glos. 2. in cap. Dilecti filij de iudic. & cap. vlt. de libell. oblat.*

Indebitum autem aliud dicitur Iure ciuili tantum, aliud Iure naturali tantum, aliud Iure naturali, & ciuili.

Qui soluit indebitum Iure ciuili tantum per ignorantiam facti, repetere potest illud, quale est, id, quod potest retineri *per l. Falc. vt l. Cum quis C. de Iur. & fact. ignor. & in l. Error C. ad l. Falc.* quia credebat se plus habere in hæreditate, quam haberet. Sed si per ignorantiam Iuris non repetit, vt in dictis legibus.

Indebitum Iure naturali tantum; vt est illud, quo per chirographum obligamur spe futuræ numerationis, qui tale

legem

legem dicere ei, quod soluimus, indebitum soluit, repetit, vt *in cap. vlt. de solut. vbi Glos.* Magna verbo, *Indebitam*, omnia præscripta dicit, & alia de materia, quam per te videre potes.

Decurio.

DEbet esse meritis dignissimus, & facultatibus abundans, vt dicit *Glos. verbo, Munera.* Et quoad facultates probat *l. Rescripto 6. ff. de muner. & honor.* ibi. Cæterum si ita quidem tenues, & exhausti sint, vt non modo publicis honoribus pares non sint, sed etiam vix de suo victum sustinere possint, & minus vtile, & nequaquam honestum est talibus mandari magistratum; *præsertim cum sint*, qui conuenienter rei, & suę fortunę, & splendori publico possint creari.

Vniuersos decuriones volumus à tabellionum officijs temperare, inquit *l. 15. C. de decurion. lib.* 10. *vbi glos.* sic. quia publici dicuntur serui &c. & sic non debent officium vile exercere, sicut procurationem recipere &c. Verum patrem fuisse notarium, filio ad decurianatum non nocet.

Si verò filius familias eligitur decurio, pater eius fideiussor remanet, quando. Vide verbo, *Pater*. Sed necesse est, vt ipse pater consentiat. Consensisse autem Pater decurionatui filij videtur, si præsens nominationi filij non contradixit; inquit *l. 2. ff. ad Municipal.*

Decurio potest eligi spurius, vt habes verbo, *filius spurius.*

Nullus &c. per substitutam quamcumq. personam curiales impleat functiones, sed ipse per se; inquit *l. 60. C. de decurion. lib.* 10. vbi etiam *glos. fin.* quæ ponit limitationes, & vnam habes *ex l. Neminem 64. eod. tit.* cuius verba inuenies verbo, *Honor*.

Curiales omnes iubemus in terminatione moneri ne ciuitates fugiant, aut deserant, rus habitandi causa fundum, quem ciuitati pertulerint scientes fisco esse sociandum, eoq; rure carituros, cuius causa impios se patriam vitando demonstrauerint; ità ait. *l. vnica C. si Curialis vel cui. rus habit. mal. lib.* 10. De patria verò habes verbo, *Patria*.

Curiales omnium ciuitatum nulla pro re priuata nostra debent inquietudinem sustinere &c. Quoniam satis est, si ciuitatum munera per eos congruè compleantur, ità dicit *l. 21. C. de decur. lib.* 10.

Et in l. 24. sic. Si quis decurio pater sit duodecim liberorum honoratissima munerum quiete donetur, & ibi *Glos. verbo Munerum*; dicit etiam patrimonialium, vt &c. A personalibus autem etiam quinque sufficiunt, vt &c.

Decurio, qui non habet de suo, potest ali à republica, vide verbo, *Alimenta*.

Non tantum, qui teneræ ætatis sed etiam, qui grandes natu sunt, decuriones fieri prohibentur, illi quasi inhabiles rempublicam tueri ad tempus excusantur; hi verò in perpetuum amouentur, sic ait *l. 11. ff. de decur.*

Ille, qui immemor libertatis, & generis infamissimam susceperit vtilitatem, existimationem suam seruili obsecundatione damnauerit, tradatur exilio, ità iubet *l. Si quis procurationem 34. C. de decur. lib.* 10. *hac l.* cauetur, quòd decurio, & consiliarius non debet esse procurator ad negotia.

Decurio potest capi à quolibet priuato in defectum iudicis, habes verbo, *Iudex*.

Debitor reipublicæ non assumitur in decurionem, nisi prius soluat, habes verbo, *Antecedenti*.

Defen-

Defendere.

EST eandem vicem, quam reus subire, sic definit *l. Minor* 51. *ff. de procur. & ibi. Glos. verbo. subire*, notat sic. Qui eandem personam repræsentat, eadem habet priuilegia, vt &c. Pro declaratione huius Glos. Cum dicitur, quod defensor repræsentat per omnia vicem eius, quem defendit, hoc intellige in defensore voluntario, nam qui defendit ex necessitate, etiam ex sua poterit persona defensionibus vti, vt infra mandati *l. Idemque §. Generaliter, vt dicit additio ad d. glos.*

Defendit autem non is tantum videtur, cuius se defensor ingerit, sed & qui requisitus ab actore, non est defensioni defuturus *l. Item ait* 21. *ad fin. ff. ex quib. caus. maior.*

Hoc autem defensorum nomen putè demonstrat, antiquitatem aliquos præposuisse rebus, quatenus ex omni eas iniustitia vendicarent liberas quidem; & propter hoc paterna voce defensores eos vocamus, quatenus eripiant à malis iniustitiam patientes, inquit *Iustinian. in Auth. de defens. Ciuit. in princ.*

In defensoribus vniuersarum Prouinciarum erit hæc forma &c. vt in primis parentis vicem plebi exhibeas; descriptionibus rusticos, vrbanosque non patiaris affligi, officialium insolentiæ, & iudicum procacitati (salua reuerentia pudoris) occurras, ità *l.* 4. *C. de defens. Ciuit. & in l. sequenti sic.* Vt id tantum, quod esse dicuntur, esse non desinant.

Reipublicæ interest, quam plurimos ad defendendam suam causam admittere, sic inquit *l.* 4. *ff. non oper. nunc. & tamen in l.* 5. *§. Si tamen ff. iudicat. solu.* dicitur sic. Ne defensio per plures personas scissa incommodo aliquo afficiat actorem; sed iste tex. loquitur de hæredibus rei, qui tenentur per vnum tantum procuratorem defendere se, quod est secus in hæredibus actoris, vt *ibidem tex.* dicit & in *l. Ex clausula* 17. *eod. tit. iudic. solu.* ità. Non enim videtur defensa res boni viri arbitratu, quæ non in solidum defensa est.

Illius erit defensio, qui possidet, sic inquit *cap. Item* 81. *si de inuest. feu. controu. & in cap. sequenti.*

Satis videtur absurdum, si actore impugnante, reo defensionis copia denegetur. Quia sic condemnaretur, multoties absoluendus *cap. Cum inter* 5. *de excep.* hinc prouenit, quòd omnis legitima defensio etiam excommunicato in iudicio reseruetur, vt dixit *cap. Significauit* 11. *eod. tit. de except.* Insuper licitum est de vna defensione transire ad aliam, nisi vbi ius contrarium prohibet; vt dixit *Glos. verbo, Praescripsisse, in cap. Auditis* 15. *de præscript.*

In defensione modus non debet excedi, vt in *cap. Olim.* 12. *de restit. spol.* ibi. Satisfactionem debitam exhibere, si defendendo Ius vestrum in offensam ipsius &c. modum forsitan excessistis; vbi *Glos. vlt.* sic. Debuerit enim hoc facere cum moderamine inculpatæ tutelæ, &c. Sed si non aliter possent se defendere, nisi modum excederent; nec tunc credo illos incidisse in sententiam.

Inculpatæ tutelæ moderatione illatam vim propulsare licet, ait *l.* 1. *C. Vnde vi, vbi Glos. verbo, Moderatione,* sic ponit. Moderamen circa tria attenditur. Primum, si sine armis inferatur violentia, & armis repellatur; si sine armis simili modo repellatur, vt &c. Secundum vt in continenti flagrante ad huc maleficio violenter inuasor repellatur &c. Tertium vt ad defensionem, non ad vltionem, vel vindictam; vt hic &c. quod semper præsumitur; scilicet fieri ad defensionem

sionem, si incontinenti fiat &c. & ex qualitate facti, & personarum præsumitur ad vindictam, vel ad vltionem.

Et *Glos. Verbo*, *Bella*, *in §. Ius autem de iur. nat. in Instit.* ità dicit. In quo moderamine requiritur primò debita instrumētorum proportio; quamuis secundum Ioannem Fabrum. Aggredientem sine armis posim cum armis repellere. Si alias tutè me defendere nequeo. Secundo quod fiat in cōtinenti, hoc est in ipsa actus flagrantia in defensione personæ, vel antequam diuertat ad extraneos actus in defensione rerum. Tertio quòd non ad vindictam, in quo attenditur modus facti, qualitas personarum, & potentia. Et nota secundum *Iason.* quod ipsa propulsio est de Iure naturali, sed cum moderamine est de iure gentium.

Defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur; sic ait *l. Si quis percussorem* 3. *C. ad l. Cornel. de sic.* sic enim iustè bellabit se defendendo, vt *per glos. verbo. Violenter in cap. Grandi.* 2. *de suppl. negli. prælat, lib.* 6.

Qui cum aliter tueri se non possent, damnum culpæ dederunt, innoxij sunt; vim enim vi defendere omnes, leges, omniaque Iura permittunt &c. Illum enim solum, qui vim infert, ferire conceditur; & hoc si tuendi dumtaxat non etiam vlciscendi causa factum sit; ità dicitur in *l. scientiam* 46. *§. Qui cum ff. ad l. Aquil. & in l.* 3. *ff. de incend. rui.* sic. Cum enim defendarum mearum ædium causa fecerim, vtique dolo careo.

Et in *l. Sed si vnius* 17. *§. Prætor ait ff. de iniur. ita.* si defendendi Domini gratia aliquid fecerit, rationem ei constare apparet.

Defensio per statutum non potest tolli; quod intellige de defensione necessaria; secus in voluntaria, quæ benè potest tolli secundum *Innoc. in cap. Cum inter de except.* ità intelligit *Apostill. ad glos.* 1. *in l. Defensionis facultas* 7. *C. de iur. fisc. lib.* 10. Nam aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere *l. Itaque* 4. *ff. ad l. Aquil. Et in l. Deuotum* 5. *C. de metat. lib.* 12. Sic expellendi habeat facultatem, nec crimen aliquod pertimescat; cum sibi arbitrium vltionis suæ. Sciat esse concessum; rectèque sacrilegium prior arceat, qui primus inuenit; vbi *Glos. verbo, Concessum*, dicit. Item nota, quod hic permittit vltionem, non solum defensionem.

Qui se defendit præsumitur rectè defendere se, vt *ex tex. in l.* 1. *C. ad l. Cornel de fals.* Nec enim verisimile est eam, quæ arguitur, non ex fide causam defensuram cum periculum capitis subeat.

Hæc verba, nec defendatur: ità scripta sunt, vt nec sufficiat vnquam defendisse, si non duret defensio, nec ob[...]t si nunc offeratur, ait *l.* 2. *ff. Qui us ex caus. in pos.*

In pluribus locis nemo cogitur se defendere, vt dicitur *in l. Hæres absens §. Proinde ff. de iudic.* ibi. Durisim m est quot quot locis quis nauigans. vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere.

Non potest videri boni viri arbitratu litem defendere is, qui actorē frustrando afficiat ne ad exitum controuersia deducatur, inquit *l. vlt. ff. de prac.*

Sibi imputare debet, qui malum defensorem admisit *l. Iam tamen* 5. *§. Hunc ff. iudicat. solu.*

Si defensor in iudicio interrogatus an is, quem defendit, hæres, vel quota ex parte sit falsò responderit, ipse quidem dēfensor aduersario tenebitur, ipsi autem, quem defendit, nullum facit præiudicium, inquit *l.* 10. *ff de interrogat act.* vbi. *Glos. Verbo*, *Præiudicium*, sic. Nisi ratum habeat &c. Item loquitur hic in eo, qui sine mandato defendit. Si verò procurator defen-

defendens conueniatur, an Domino præiudicet, quæritur? Videtur, quòd non, vt infra *de confess. l. Certum §. sed an*. Sed fortè non præiudicat, si à Domino contra probetur.

Error eius, qui se municipem, aut colonum existimaus, munera Ciuilia susceptum promisit, defensionem Iuris non excludit *l. Libertus 17. §. In adoptiua ff. ad municipal.*

Nemo alienæ litis idoneus defensor sine satisdatione intelligitur *l. Qui proprio 46. §. Qui alium ff. de procur. Et in §. 1. ad fin. de satisdat. in Instit.* ibi. Quia nemo defensor in altera re sine satisdatione idoneus esse creditur. *Coniuncto §. Si verò eod. tit.*

Defendere non cogitur procurator ad agendum constitutus; quia fidem susceptam implere sufficit; inquit *l. Inuitus 17. C. de procur.*

Nota, quòd licet patri recusare defensionem, cum nullum vsumfructum afferat lex *Vt per iura* quæ affert, probat *Glos. vlt. in l. Si filij 36. ff. de iniur.*

Nouæ dicuntur defensiones, siue quæ tunc erant, sed allegatæ non fuerunt, quia occultæ erant; siue quæ postea emerserunt; dixit *Glos. vlt. in cap. vlt. de in integ. restit.*

Defunctus.

Plerumque defuncti ante sepeliuntur, quàm quis ei hæres existat, ità inquit *l. 4. ff. de relig. & sumpt. fun.*

Non autem oportet cum corporibus ornamenta condi, nec quid aliud huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt &c. Aequum autem accipitur ex dignitate eius, qui funeratus est ex causa, ex tempore, ex bona fide, vt neque plus imputetur sumptus nomine, quàm factum est, nec tantum, quantum factum est, si immodicè factum est. Debet enim haberi ratio facultatum eius, in quem factum est, & ipsius rei quæ vltra modum sine causa consumitur &c. Sciendum est, nec voluntatem testatoris sequendam si res egrediatur iuxta sumptus rationem; pro modo enim facultatum debet sumptus fieri &c. Iudex &c. interdum sumptus omnino nō debet admittere modicum factum, si fortè in contumeliam defuncti hominis locupletis factus sit; ità optima *l. At si quis 14. ff. de religios.*

Quamuis stricto iure nulla teneantur actione hęredes ad monumentum faciendum, tamen principali, vel Pontificali authoritate compelluntur ad obsequium supremæ voluntatis, vt dicit *l. Hæreditas 53. ff. de pet. hæred.*

Plerique magis fidem exoluunt in hoc casu, quam donant, nec de suo putant profecisci, quod de alieno plenius restituunt, voluntatem defuncti sequuti: Nec immerito; sæpè enim credimus defunctum voluisse, & tamen non rogasse, est optimus *tex. in l. Si sponsus 5. §. Si quis rogatus ff. de donat. inter vir.* in quo maritus rogatus restituere vxori hæreditatem percepta sibi certa quota, si restituit totam, non facit contra prohibitionem tituli *de donat. inter vir. & vxor.*

Secūdum pijssimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates Episcopali decens est studio adimpleri *c. 3. de testam.* quia ad Ecclesiam, vel Episcopum spectat exequi voluntates defunctorum; inquit *Glos. penult. in cap. ad nostram 20. de iur. iur.*

Defuncti voluntatem præponi volumus; inquit *Imperator in Auth. matr. C. quando Mulier tut. offic.*

Qui recusat tutelam pupilli à matre petitam, non est indignus legati à patre relicti: secus si idem pater eum nominasset tutorem, quia tunc contra iudicium defuncti faceret; vt est casus in *l. Post legatum 5. §. Ammittere ff. de ijs quibus., vt indig.* ibi, Hic enim nihil

con-

contra iudicium defuncti fecit. Et *in §. Si pater eiusd. leg.* ibi. Quia non potest cogi, qui iudicium spreuit defuncti.

Defuncti iniuriam hæres persequitur, vide verbo, *Iniuria*.

Dictum defuncti præsumptionem vtilem, non probationem facit, vt probat *Glos. in l 1. Verbo, Cauit, per tex. ibi C. de calumn.*

Ante nouem dies ab obitu numerandos vlla prorsus fiat molestia aduersus quemlibet ex persona defuncti; inquit *Auth. Sed neq; C. de sepulchr. viol.*

Nota quod aliquid potuit defunctus, quod hæres non potest, vt hic, & supra *de condiction. indeb. l. Si non sortem §. Si filius ità dicit Glos. vlt. in l. Sed Iulianus 9. §. Sed si ff. ad Macedon.*

Quomodo probabit quis defunctum? Respondet *Glos. verbo, functa est, in l. Si quidem 5. C. solut. matr.* sic. Secundum N. famam solum ad hoc sufficere &c. Nam aliter quomodo probaretur mortuum esse? Sed R. apertè dicit probari debere; mihi autem videtur, secundum *d. Glos. & l. Nec nos ff. de captiu. & postlim.* debere intelligi famam sufficere in casu captiui, vel in eo, qui fuit in bello, & postea non inuenitur, & alijs similibus. Quia in diuersis debet probari, secundum opinionem R.

Præsumitur mulierem prius decessisse, vt infra *de reb. dub. l. Qui duos §. Si maritus*. Sicut paruus priusquam magnus; ita ponit *Glos. vlt. in l. Si possessor 32. ff. de relig. & sumpt. fun.*

Delator.

Dicitur multis modis primo idest, qui aliquid offert, vnde dicitur hæreditas defertur, vt &c. Item accusare de quolibet crimine; vt &c. Item bonorum nunciator, vt &c. Item deferre scilicet honorem, vt &c. ità ponit *Glos. in rubrica C. de delator. lib. 10.* vbi enumerat multos, qui deferre non possunt.

Omnibus notissimum sit eos solos execrabiles nunciatores esse, qui fisco deferunt: ità expressè inquit *l. Ex varia C. de delator. vbi Glos. verbo, Non teneantur*, sic dicit. Est ergo crimen deferre, & non probare, & punitur infamia &c. & *Glos. vlt. in l. sequenti* sic. Nam, vt dicunt contineri in Codice Theodosiano caput, & lingua ei amputantur &c. & habet locum hæc pœna, si criminaliter accusentur; sin minus illæ pœnæ, de quibus eadem met *Glos.* Sed hodie mitius, & benignius cum eis agitur. Et *in l. 1. C. de curios. & stationar. lib. 12.* sic. Et sibi necessitatem probationis incumbere, nec citra periculum sui, si insontibus eos calumnias nexuisse constiterit; cessat igitur praua consuetudo, per quam aliquos carceri immittebant. Si erat praua consuetudo carceri mancipare infames, & pestiferos delatores, cur hodie nec ista consuetudo contra eos exerceetur? Sed potius alia peior, & pessima, cum eos relinquat incolumes. Regulariter ergo delator non probans, infamatur; *vt per tex. in l. 2. ff. de iur. fisc. dicit Glos. 1. ibidem*. Vnde dicebat Domitianus. Delatores, qui non castigat, irritat, vt refert *Maiol. de irregularitat. lib. 5. cap. 20. num. 2. & Quintil. lib. 8. cap. 5.* dicit. Affer Principem, qui omnia scire velit per delatores, necesse habere multa ignoscere. Et quidem res est notatu digna, & ad quam Principes potentes, & iudices maximè attendere debebant, quomodo volunt punire crimina forsan occulta, & occultissima, vtendo istis infamibus

vilibus, & perniciosis delatoribus, & permittere quod ipsimet delatores perpetrentur facinora publicè, & indemnes remaneant? Ego hoc non intelligo, forsitan mea me fallit opinio.

Multos enim propter odia domestica, vel proprias inimicitias delatores innocentiæ fore credebat, si dignos pœnæ discerneret; meliusque noxium relinquere metu suspensum, quàm immeritum quemquam cum eo perdere existimabat; dixit *Ioseph. de quodam Principe lib. 4. de bell. iudaic. cap. 4. ad fin.* Sed viget nostris temporibus valde delatorum vsus; & licet vilissimus sit, non solum viles, sed etiam nobiles eo assiduè vtuntur, & præualent; adeo, vt possit pro officio delatorio dici, quod aliàs poeta de nobilissimo metallo decantauit.

Aurea nunc verè sunt tempora, plurimus auro
Venit honos . . . .

Plurimus namque delatoribus honor confertur, vt videmus; primus enim ingressus, ne dicam recubitus, ad principes, seu eorum locumtenentes eis conceditur.

Notat *Glos. verbo, Meruerit, in l. 1. ff. de his, quibus vt indign.* Quod ex eodem facto pœnam, & prœmium quis consequitur per *tex.* ibi. Indignum carere legato &c. quamuis & præmium meruerit; & quidem notatu dignum est, qualiter Imperatores licet Ethinici se haberent contra delatores; nam quamuis pro delationibus eis præmium tribuerent; tamen contra eosdem pœnas pronunciabant. Non video hoc obseruari, nam admittuntur delatores, & mercedem, seu præmium pro delatione recipiunt; non verò pœnas pro pessimis, & sceleratis delationibus: fiat ergo Ius, & pereat mundus.

Adeo abhorrebat antiquitas delationes, vt etiam non pessimas, sed etiam alias iuridicas, festinanter tamen factas eijceret, nec illis præmium daret, vt apparet *ex l. Edicto 13. §. Cum ante apertum testamentum ff. de iur. fisc.* ibi. Nec enim dignam esse præmij tàm præcipitem festinationem prioris. notabilis verè *tex.* est contra præcipitantes delatores.

Ità demum non nocere cuique se detulisse, si ea persona sit, quæ ignorare propter rusticitatem, vel propter sexum fæmineum, Ius suum possit. Inquit *l. 2. §. vlt ff. de iur. fisc.*

Constitutionibus principum prohibetur illis deferre, qui in metallum damnati sunt; hoc ideo ne desperati ad delationem facilè possint sine culpa confugere, ità inquit *l. Deferre 18. ff. de iu fis. vbi Glos.* intelligit de alijs, non de se ipsis, quia ipsi possunt se deferre.

Delator non potest esse miles. Vide verbo, *Miles*.

Qui denunciant vltimas testatoris voluntates ad effectum, vt adimpleantur delatores non possunt nominari, quia eo, quòd opus pijssimum est, Imperator tollit eis nomen delatoris, dicens *in l. Nulli licere 28. ad fin. C. de Episcop. & Cler.* hæc verba. Nec delatoris nomen, suspicionemq; formident: Cum fides, ac industria eorum tàm laude, quàm honestate, ac pariter pietate non careat, cum veritatem in publicas aures, lucemque deduxerint, & ibi notat *Glos.* quod talis non dicitur delator, quia ille delator est, qui aliena bona defert fisco, & non probat, & infamatur.

Dicit etiam *l. 2. C. de delator. lib. 10.* eum non esse denunciatorem, qui necessitate officij, & sollicitudine agit, vt ibi. Monente officij sollicitudine, quinimo iussu procuratoris, vt causam ab alio delatam conuenienti diligen-

quinimmo iussu procuratoris, vt causam ab alio delatam conuenienti diligentia instrueret, non ipsum voluntarium delatoris munus suscepisse te &c. declarat, & ibi notat *glos. vlt.* quod hæc tria excusant, & tollunt nomen delatoris, & pœnam ijsdem impositam, officium .s. iussus, & causa ab alio delata.

Nulla macula, vel crimine delatoris aspergitur, qui cum ab officialibus fundum, seu domum fisci possidere contenderetur non se, sed alium eius possessorem esse monstrauit; inquit *l. 3. C. eod. tit. de delator. lib. 10. vbi Glos. verbo, macula*, dicit; idest infamia, & sine dubio infamis est si non probat &c.

Denique si non es nunciator, vereri non debes, ne ea propter quod iniuriæ faciendæ gratia quidam te, velut delatorem esse dixerunt, opinio tua maculata sit. Quinimmo aduersus eos, qui minuendæ opinionis tuæ causa aliquid confecisse comperirentur more solito iniuriarum iudicio experiri potes. Ità inquit *l. 3. C. de iniur.* Ex qua notabis, quòd si delator esset, non haberet iniuriarum actionem, quia nulla iniuria fit delatori, qui talem eum nominat.

Delegare.

DVpliciter sumitur, vel quatenus delegatur causa, vel Iurisdictio, vel nomen debitoris, seu debitum. Delegatio debiti fit consentiente demum debitore, vt inquit *Glos. verbo, Nominis C. de hered. vel act. vend.* venditio verò actionis, seu debiti fieri potest inscio, vel inuito debitore, & rationem diuersitatis vide in dicta *Glos.*

Delegatio hæc solutionis vicem continet, inquit *l. Qui libertinos 37. de oper. liber.* Soluit enim, & qui reum delegat; vt dicit *l. Quamuis §. Interdum ff. ad Vellean.*

Tunc liberatur is, qui debitorem delegat, si nomen eius creditor sequutus est, non eum periculo debitoris ab eo stipulatur, sic ait *l. Si mandato 45. §. vlt. ff. mandat.*

Quatenus verò delegatur Iurisdictio, non nisi delegatus a Principe causam alij valet delegare, vt *in cap. Cum causam 62. in fin. de appellat. vbi glos. verbo, Delegatus, ad fin.* sic. Intellige de eo, qui est delegatus ab alio ad vnam causam tantum; Nam si esset delegata vniuersitas causarum bene posset vnam causam alijs subdelegare. Primam conclusionem etiam probat *tex. in cap. Quoniam 43. de offic. deleg.* ibi. Delegauerit vices suas, Cum delegato a Principe id concedatur a Iure, ipsius delegatio valebit, & probat *Glos. verbo, Iure sua potestatis, in l. 3. ne vis fiat* ibi. nisi fortè à Papa, vel à Principe esset delegatus, secundum quosdam, quia sunt similes Ordinarijs.

Subdelegare autem est Iurisdictionem delegare, & ex subdelegatione perpetuatur Iurisdictio, vt inquit *Glos. verbo, Processum, in cap. Si à subdelegato 14. de offic. delegat.*

Si pluribus committat quis vices suas, dum tamen eorum cuilibet det in solididum potestatem, erit tunc melior conditio occupantis. Verùm, si ambo concurrant insimul, & postulent se admitti, eos audiri non expedit, quia possent vota sua dirigere in diuersos, & sic res non haberet exitum; vel si concordare nequeant, is, qui primò in instrumento, vel litteris procurationis extiterit nominatus; inquit *tex. in cap. Si quis 46. de elect. lib. 6.*

Si delegatus quoties eum abesse contigerit, tibi commiserit vices suas, poteris è rebus humanis exempto, eum, & tunc censeatur abesse commissum tibi negotium, dum tamen illo viuente, iurisdictione vti cæperis, liberè definire; inquit *cap. Si delegatus 7. de offic. deleg. lib. 6.*

Ea videntur delegata, sine quibus commissum exequi non potest, vt probat *Glos. verbo, Nihil egit in l. 1. C. si a non compet. iudic.*

Eadem ratio, quæ mouet delegantem, mouere debet delegatum, vt inquit *Glos. vlt. in cap. Mandatum 38. ad fin. de rescript.*

Delegari causa an possit Monacho? vide verbo, *Monachus:*

Executio an possit delegari? dicis verbo, *Executio.*

Iudex potius debet causam differre, quã nouo iudici delegare, vt inquit *Glos. verbo, Noua, in cap. 1. de renunciat.*

Nudum ministerium non est delegabile secus, si est iudex, inquit *Apostilla ad glos. 1. in Clem. unica de offic. deleg. per l. à Iudice C. de iudic. & Panormit. in cap. 1. de test. cogen. prædicta autem glos. 1.* Sic ait. Secus verò, si sit nudus minister.

Delicatus.

IVS non fauet delicatorum votis; dixit *Glos. verbo, Non potest in l. Vt pomum ff. de seruit.*

Delicatus debitor quis dicatur, iam dicis supra verbo, *Debitor.*

Delictum.

DElictum, & peccatum differunt, secundum *Augustin. in quæst. leuitici*, nam, vt ipse ait, declinare à bono est delictum, & facere malum est peccatum; vnde apparet, quod peccatum est mali perpatratio; nam & opus est, vt in *cap. Inter hæc hircum de pænit. dist. 3.* Delictum enim est boni desertio, quid est aliud delictum, quam derelictum? Sed communiter vnum pro altero sumitur, vt ex *Gregor.* refert. *glos. verbo, si peccatum, in cap. Si peccatum de pænit. dist. 1. & in casus positione in cap. Peccatum de regul. iur. in 6.* & addit. Quod crimen est peccatum graue accusatione, & damnatione dignum, iuxtà *cap. Vnũ orarium 25. dist.* & dicitur illud, quod potest duci in publicam accusationem.

Nos in præsenti sub delicto, & peccatum, & crimen promiscuè intelligimus.

Capitale crimen dicitur tripliciter. Primo. Dicitur vltimum supplicium &c. Secundo. Ammissio libertatis, & per consequens ciuitatis, puta quia damnatur in metallum, vel opus metalli, seu, vt hodie in vsu est ad triremes, Tertio. Ammissio ciuitatis tantum, vt cum deportatur. *In tex. verò l. Transigere 18. C. de transact.* Strictius accipitur pro eo, qui ingerit pœnam sanguinis tantum, vt notauit ibi. *glos. verbo, Capitali.*

Plus est delinquere facto, quam verbo; vt inquit *Glos. verbo, Causis, prope fin. in cap. Bona 23. de elect.* Et magis delinquit, qui incæptam causam dimittit, quam qui numquam ad causam venit, dixit *Glos. verbo, Militia, in cap. 1. de renunci.*

Et tamen nec factum quæritur, sed causa faciendi. Causa autem faciendi, libido fuit, non furtum dixit *l. Verum 4. ff. de furt.* Quod est notabile ad differentiam delictorum. Nam maleficia voluntas, & propositum distinguunt vt dicitur *in l. Qui iniuria 55. in princ. ff. eod. tit. de furt.* & ita probat. *l. Diuus 14. ff. ad l. Cornel. de sic.* ibi. In maleficijs voluntas spectatur, non exitus, *& glos. verbo, Cogitatione, in l. Præsenti C. de ijs, qui ad Eccles. confug.*

Et tamen superueniens casus non excusat delictum, vt inquit *Glos. verbo, Non ideo, in l. In senatuscons. 15. §. Si propter mortem ff. ad Senatuscons. Turpil.*

Tot autem sunt maleficia, quot sunt personæ

sonæ &c.& omnes in solidum tenentur, dixit *Glos. vlt. in l. Si ità 32. ff. ad L. Aquil.*

Nota plus puniri clandestinum delictum, quàm publicum, vt inquit *Glos. Clandestinis in l. Officiales 4. C. de Episc. & Cler. & in l Presbyteri 8. eod. tit.* sic, Multò magis enim pœna digni sunt, quibus quamplurimum honoris per nostram iussionem delatum est, si in occulto inueniatur crimen. Tu verò cogita, an hoc procedat tantum, quando clandestinitas ipsa est delictum, vt in matrimonio clandestino. Et in hoc sensu procedit *l. vlt. ff. de rit. nupt.* ibi. Siquidem palam fecerit, leuius, si clam hoc commiserit, grauius puniatur, vbi *Glos.* optimè sic distinguit. Hæc sunt vera, cum dubitatur quis contraxit matrimonium sciens, an ignorans; sed si certum sit, quòd palam contraxit, scierit, punietur æqualiter cum eo, qui clam; item nota hic, quòd plus deliquit, qui clam facit, quàm qui palam.

Sed quare plus manifestum furtum punitur, quàm non manifestum, cum clam facta magis punienda sint? vt &c. immò magis delinquit, qui palam quàm qui clam mouet; vt per *Glos. verbo, Quadrupli, in §. Ex maleficijs de action. in Instit.* Et benè quidem, quia quod nemo scit, pene non fit, & beati quorum tecta sunt peccata, quæ procedunt sine dubio in omnino illicitis. In illis verò, quæ possunt esse licita & illicita plus delinquitur occultè, quàm palam vt tenet additio *ad d. Glos. verbo Quadrupli.*

Delinquentes constat deteriorare conditionem suam, quia patiuntur pœnas. corporum, & rerum; dixit *Glos. verbo, Nemo, in l. Non fraudantur 177. ff. de reg. Iur.* Nam delinquendo nemo facit suam conditionem meliorem, & delictum nemini immunitatem præstat; dicit *Gl in l. 1. §. Quaeritur ff. de publican.*

Fas non est eas donationes ratas esse, ne melior sit conditio eorum, qui deliquerunt; inquit *l. 3. §. 1. ff de donat. inter Vir.*

Illud iniquum est eum, qui iussit, seruum facere, consequi aliud à socio, cum ex suo delicto damnum patiatur, ait *l. Si ex duobus 17. ff. de nox. act.* Quia delictorum turpis, ac fœda communio est, dixit *l. Quod autem 57. ff. pro soc.* Et sanè plerumque credendum est eum, qui partis Dominus est iure potius suo vti, quàm furti consilium inire; inquit *l. Meritò 51. ff. eod. tit.*

Planè si ex dolo communi cõuentus præstiterit tutor, nec ei mandandæ sunt actiones, nec vtilis actio competit. Quia proprij delicti pœnam subijt, quæ res indignum eum fecit, vt à cæteris quid doli participibus consequeretur; nec enim vlla societas est maleficiorum, vel iusta communicatio damni ex maleficio; inquit *optima l. 1. §. Planè ff. de tutel. & ration. distrah.*

Delicta noxæ caput sequuntur, ait *l. 1. §. Si apud ff. depos.* etenim iustius est eum teneri, qui princeps fuerit delicti, quàm eum quæri, ad quem res perlatæ sunt, inquit *l. In hoc 10 ff. de seru. corrupt.*

Peccata igitur suos teneant auctores, nec vlterius progrediatur metus, quàm reperiatur delictum *l. Sancimus ibi esse pœnam vbi & noxia est 22. C. de pæn.*

Nota delictum patris nocere filijs, vt nec pater eorum nomine petat; dixit *Glos. in l. Qui in seruitutem 9. per tex. ibi ff. de bon. libert.* & sic habes, quòd delictum alterius alteri nocet &c. quod contingit propter enormitatem criminis, vt dixit *Glos. verbo, Ad proximos, in cap. vlt. quæ fuit eau. benefic. ammitt. & Glos. vlt. in cap. Sane. 11. de offic. delegat.* sic. Et est argum, quod alius pro delicto alterius punitur &c. argum. pro delicto vnius totam terram supponi interdicto.

Con-

Conscij subaudi, & participes criminis: nam ex sola scientia quis non punitur, vt inquit *Glos. verbo, Conscij, in l. Virum 6. ff. ad l. Pompe de parricid.* quæ ibidem notatur singularis *per Apostill.* sic. Habetis valde notabilem, & singularem *Glos.* ad hoc, quòd conscius delicti non delinquit, nisi procurauerit in delicto, & est istud verum, nisi delictum committatur eius vindicta ob iniuriam ei illatam, & committatur eo tacente, secundum *Glos. Notabilem in cap. penult. extra de homicid.* licet aliqui contradicant in hoc vlt.

Eos delinquentes fauere interpretamur, qui cum possint manifesto facinori, desinunt, obuiare; inquit *cap. Quanta 47. de sent. excomm.* quod declaratur, prout ibi *Glos. verbo, Interpretamur.* Nec caret scrupulo occultæ consensionis, qui manifesto facinori desinit obuiare, vt dixit *Glos. verbo, Certiorare, il 1. in cap. Item qui Dominum, quæ fuit prim. cau. benef. ammitt.*

Est consilium, & fauor, qui adijcit ad delictum, & qui non adijcit, & vterque tenetur, sed primus plus; inquit *Glos. Verbo, Consiliarios, in Clem. vnic. de for. compet.*

Paria delicta mutua compensatione dissoluuntur; nàm lege quam ambo contempserint, neuter vendicetur; inquit *l. Viro, atque Vxore ff. solut. matr. Sed in Auth. vt fratrum fil. in fin. coll. 9.* dicitur sic. In delicto æquali proximas ei imminere pœnas iustum esse putamus; & *in l. Si quemquam 29. in fin. C. de Episc. & Cler.* sic. Vt eos, quos par facinus coinquinat, & æquat, vtrosque similis pœna comitetur, vbi *Glos.* notat, æquale delictum æqualem exigere pœnam.

Sed cum vterque non sit in pari causa, is, qui minus deliquit, est in causa meliori inquit *Glos. in l. Cum par delictum 197. ff. de regul. Iur.*

In maleficijs præsumitur potius iniustè factum, quàm iustè, sed numquid contra talem præsumptionem admittitur probatio? Dico, quòd sic *Glos. penult. in cap. Sicut 26. de re iudic.*

In delictis doli capacitas supplet ætatem, vt inquit *Glos. penult. in cap. vlt. de despons. impub.*

Tempus aggrauat delictum, vt tenet *Glos. Vlt. per iura, quæ allegat in l. furem 9. ff. ad l. Cornel. de Sicar.*

Delictum an sit grauius, si committatur à persona digniore? Vide verbo, *Dignitas:*

Delicta verò magnorum cellari, & non puniri, quod sæpè contingit, licet iustitiæ claues errent, vt inquit *Glos. vlt. in l. Ad splendidioris 7. C. de diuers. official. lib. 12.*

In paritate delicti in pœnis mitius agitur cum superiore, quàm cum alijs, vt dixit *Glos. verbo, Superior, in Extrauag. vlt. de elect.* vbi alia circa hoc vide.

Delinquens per se ipsum pœnæ subditur: vt inquit *l. Imperatores 34. ff. de iur. fisc.* ibi. Omissa enim ipsius causæ inquisitione, ipse te huic pœnæ subdedisti.

In eo, quo quis deliquit, debet puniri, non in alio, vt inquit *Glos. verbo, Moritur, in l. Scient 10. C. de legit. hæred.* & probat *Auth. Omnes C. com. de success.*

In delicti loco reddenda est pœna, vt dicis verbo, *Latro*, & verbo, *Locus*, & probat *Clem. Pastoralis de re iud.* ibi. Quòd si punitio criminis extra districtum Imperialem commissi, ad Imperatorem forsan pertinuisse asseratur: verum est quidem, si in eodem districtu fuisset inuentus delinquens, vel ad illum de more remissus & ibi *Glos. verbo, De more remissus*, tractat, an remissio delinquentis ad locum delicti debeat fieri necessitate, vel de vrbanitate.

Ratione etiam delicti erit laicus in foro Ecclesiæ, vt dixit *Glos. verbo, Ab Ecclesia in constitutione Frederichi post*

l.2.C. de Episc.& Cler. Et ità delictum dat Iurisdictionem, vt inquit *Glos. penult. in cap. Postulasti 14. de for. compet. & Glos. 1. in cap. licet 20. eod. tit.* ibi. Et ità delictum dat Iurisdictionem ei, qui alias eam non habet.

Item delictum tollit priuilegium, vt *per eandem Glos.1.*

Nimis indignum est, & nimis impium flagitijs præsidia quærere, inquit *l. legem Anastasii 7. §. In posterum C.de natur. lib.*

Nec ex delicto, cui impium sibi lucrum afferre nostris legibus conceditur; inquit *l.vlt.in fin.C.de reb. cred.*

Impunita delicta non debent remanere, vt dicit *l.Si ità 52. ff. ad l.Aquil.& l.4. §. Cum Dominus ff. de noxalib.act.*ibi. Ergo dolus serui impunitus erit, quod est iniquum, & *l. Qui seruum 21. ff. de interrogat. act.* ibi. Nec debet impunitum esse delictum eius, qui fecit; & *in l.Stichum 96.§. Iam & si ff. de solut.* ibi. Quoniam impunita non debeat esse admissa.

Delicti impunitas non datur propter ætatem, mitius tamen agitur; vt habes verbo, *Aetas*.

Prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet; inquit *l. Illicitas §. Sicuti medico ff. de offic. præsid.*

Quoties à populis, vel à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem vendicari non potest, inultum solet transire, ait *cap. Quoties 5. quæst. 7. & facit cap. Scitote 6. quæst. 2. quod vide.*

Geminatio delicti, geminat pęnam, vt inquit *Glos. verbo, Postponendis, per tex. ibi in l.vlt.C.de primicer.lib.12.* Deterior namque dolus eius agnoscitur, qui iterato committit, quàm qui semel deliquit; dixit *Glos. 2. In Extrauag.vnica de senten.excomm.*

Vnumquemque criminosum non dignitas debet, sed pœna comitari, inquit *l. Ne quis 38.C.de decurion.lib.10.* Honore enim propter delictum est priuandus, non onere releuandus, vt &c. dicit *Glos. verbo, Certis personis, l. 1. §. Ait prætor ff.de postulan.*

Nota crimen pecuniariter puniri ratione personæ, vt dixit *Glos. verbo, Dispendijs,in l.Quinque 57.C.de decur. lib.10. vbi tex.* dicit de defensore Ciuitatis, qui si deliquerit ratione talis officij, corporaliter non puniatur. In officio, quo quis deliquit, non debet iterum admitti, vt habes verbo, *Officium*.

Quod verò attinet ad punitionem criminis, quod non debeat fieri pecuniariter, est *tex.optimus in Auth. de manda. princ. §. Oportet autem coll. 3.* in hæc verba. Non enim res sunt, quæ deliquerunt, sed qui res possident; at illi (scilicet iudices) reciprocant ordinem eos quidem, qui digni sunt pæna, dimittunt, illorum autem auferunt res, alios pro illis punientes. Et infra nota in verbo, *Iudex*, qualiter delinquentium res non debeant fieri iudicum lucrum.

Ex eo tempore, quo quis propter facinorum suorum cogitationem iam de pæna sua certus esse poterat, multò plus vel multò prius, vt dixit *Glos.* cogitatione,& conscientia delictorum,quàm damnatione ius dandæ libertatis ammisisse; ait *l. Quæsitum 15. ff. qui, & à quibus*. Post delictum an possint bona alienari? Vide remissiuè verbo, *Alienatio*.

Nec corrumpi, aut commutari, quod rectè transactum est idest completum superueniente delicto; dicit *l. 2. ff. de itiner.actuq; priu.*

Nec delictum ob aliud delictum minuit pænam; inquit *l.2.ff.de priu. delict.*

Non omnis, qui recipit, delinquit, sed qui dolo malo recipit; inquit *l.3.ff. de incend. naufrag.* Non enim par est eorum delictum, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt, vt dicit *l.2.*

ff.de

ff. de recept. vbi cognatus, & affinis recipiens, minus punitur.

Nota maius esse delictum delinquere in alium, quam in se, vt &c. Quia, & ipse peccat, & alium facit delinquere. Vnde versus.

Peccando peccare docens hic peccat, & in se.
Qui reus est, & in hos, quos facit esse reos.

Ità tradit *Glos. in verbo, Quod magis, in Auth. vt iudic. sin quoquo suffrag. coll. 2 per tex.* ibi. Hoc, quòd magis turpè est, vt & participes iniustitiarum sumant *in §. Eos autem*.

In crimine læsæ maiestatis inquit *l. famosi 7. ff. ad l. Iul. Maiest.* hæc. Hoc tamen crimen à iudicibus non in occasione ob principalis maiestatis venerationem habendum est, sed in veritate rei. Nam, & persona expectanda est, an potuerit facere, & ante quid fecerit, & an cogitauerit, & an sanæ mentis fuerit: nec lubricum linguæ ad pænam facilè trahendum est. Quam quam enim temerarij digni pæna sint, vt insanis tamen illis parcendum est &c.

Nota speciale, quod qui delinquit in parte, in totum reus est, dixit *Glos. verbo, Vtrum in l. 3. §. Si quis ignorans ff. ad Sylainian.*

Iudex, qui repertum delictum non vindicat tegere, vt conscius criminosa festinat; inquit *l. 2. C. de comerc. & merc.*

Delictum non committitur, quando à lege permittitur, vt deducitur *ex l. deuotum 5. C. de metat. lib. 12.* ibi. Expellendi habeat facultatem, nec crimen aliquod pertimescat, cum sibi arbitrium vltionis suæ sciat esse concessum.

Delicta licet debeat, & possit seuerè corrigere, Imperator, tamen magis propitius est ad veniam, vt habes verbo, *Imperator*.

Non debet de eiusdem hominis admisso sæpius quæri, vt inquit *l. licet §. vlt. ff. naut. caup. & glos. penult. in cap. Dilectus 32. de elect.* ibi. Nec enim de delicto vnius hominis sæpe quærendũ est.

Delinquens emendatus præsumitur, si per triennium bonam duxit vitam, ità probat *Imperator in Auth. de monach. §. 1. post medium coll. 1.* in hæc verba. Nam & si vitium in priori ab eo fortè gestum est vita (humana enim natura quodammodo labitur ad delicta) attamen sufficit ad mediocrem purgationem peccatorum, & ad virtutis augmentum triennalis temporis testimonium.

Extinguitur crimen mortalitate, nisi quis maiestatis crimine reus est, inquit *l. Is, qui 11. ff. ad l. Iul. maiest.*

Dementia.

PLerique eam fingunt propter crimina, dixit *Glos. per tex. ibi in l. congruit verbo, Plecteretur ff. de offic. præsid.* Nam cum dementes non debeant puniri; quia alias satis suo furore puniuntur, vt ait *Iurisconsult.* tales se fingunt vt punitionem euadant.

Frustra niti, nec aliud fatigando, nisi odium quærere extrema dementiæ est; inquit *Hieronym. in præfac. in Esdram.* reliqua de materia videbis verbo, *Furiosus*.

Demonstratio.

VIce nominis fungitur, vt dicit *Glos. penult. per tex. ibi. in l. si in rem ff. de rei vendic.* Nam quidquid demonstratæ rei adijcitur, satis demonstrare frustrà est; inquit *l. 1. §. vlt. ff. de dot. praleg.*

Hac demonstratione vestem meam, argentum

gentum meum; seruos meos, præsens, non futurum tempus ostendit, vt probat *Glos. verbo, Ad futuras, in addit. in cap. vlt. de rescript.*

In dubio magis demonstratio, quàm conditio censeri debet; vt *in l. Quidam 99. ff. de legat.* 1. ibi. Verisimilius esse patrem familias demonstrare potius hæredibus voluisse, vnde aureos 400. sine incommodo rei familiaris contrahere posset, quam conditionem fideicomisso iniecisse, quod initio pure datum esset.

Inter falsam demonstrationem, & falsam conditionem, siue causam multum interest, dicit *l. Si sic 78. §. Si mihi ff. de legat.* 1. Nam certo corpore legato, demonstratio falsa posita non perimit legatum, vt inquit *l. Quintus Mutius 11. ff. de aur. & arg. leg.* Cum falsa demonstratione mutari substantia veritatis minimè possit; vt dicitur *in l. 5. C. de iur. & fact. ignor.*

Denunciatio.

Haec dupliciter potest sumi, aut quando fit contra aliquem ob crimen commissum, vt procedatur contra eum criminaliter; vel etiam contra bona, vt dixisti verbo. *Delator*, & de Iure antiquo non poterat fieri ob crimen, nisi per officialem Irenarcham nuncupatum; vt dicitur *in l. vlt. §. Irenarcha quoque ff. de muner. & honor. Et in l. Diuus ff. de custod. reor.* Cum alijs *per Bart.* latissimè in materia *in Extrauag. ad reprimendum §. Denunciationem, quem vide.* Sed hodie non sunt tales Irenarchæ, verum videtur, quòd in eorum locum successit multitudo delatorum, de quibus iam dictum est.

Altera dicitur denunciatio, qua quis intimatur ad quid faciendum; vel non faciendum, de qua hic nostra inspectio est.

Quandoque denunciatio fit solum ad certificandum aliquem, non ad alium finem, & sic tunc ille, qui certus est, certiorari non debet. Quandoque denunciatio fit ad alium finem, scilicet vt incitetur ille, cui fit denunciatio, ad aliquid faciendum; vt si volo denunciare venditori, quod mihi mouetur lis, vt veniat ad me defendendum, tunc dico quòd etiam si certus est, nihilominus debet ei denunciari, quòd defendat *l. Qui absentem ff. de procurat. l. Denunciasse ff. de adult.* ita ponit *Glos. in l. 1. §. vlt. in additione ff. de action. empt.* Et additio *ad Glos. 1. in l. Emptor C. de euict.* sic. Quandoque denunciatio requiritur ad simplicem scientiam habendam, & tunc non oportet, quòd fiat scienti, & habet reg. Eum, qui certus, &c. Quandoque fit denunciatio ad aliquid faciendum, & tunc non sufficit sola scientia &c. *Glos. verò verbo, Vtilibus etiam, in addit. in l. Nomen 4. C. quæ res pign.* dicit sic. Aduertas, quòd *Bart.* hic reprehendit finem istius *Glos.* dicens Denunciationem non esse necessariam scienti.

Debet autem fieri denunciatio honestè ad domum, siue propriam, siue alienam, vt inquit *l. 4. ff de damn. infect.* ibi. Verecundè autem prætorem denunciare iubere, non extrahi de domo sua, sed domo, in qua degit, denunciari; sic accipere debemus, vt etiam si in aliena domo habitet; ibi enim denuncietur; *Glos. verbo, Verecundè*, explicat sic. Idest honestè, & bene, non autem dixit, vade, & extrahe eum per capillos, & *Glosa verbo, Domicilium per tex. in leg. 2. Cod. de annali except.* dicit ita. Nota sufficere denunciari ad domum, etiam si non perueniat ad notitiam eius, cui nunciatur *Glosa in*

l. Item quaeritur §. Si gemma verbo, Denunciauit ff. locat. ponit pro regula, & & dicit. Nota, quem teneri denunciare.

Vt autem teneat denunciatio debet fieri à Ius habente; vt dicitur *in l. Vnica ff. de remiss.* ibi. Remissionem ibi factam valere, vbi nunciatio tenet, & nunciationem ibi demum voluisse prætorem tenere, vbi Ius est nuncianti prohibere, ne se inuito fiat. Non enim nocet denunciatio ab ei facta, qui non habet denunciare; vt dixit *Glos. in verbo, Denunciauit, per tex. ibi in l. Si maior 13. C. de rescind. vend.* Vnde dicit *tex. in l. 1. §. Si quis* purganti mihi cloacam, vel reficienti opus nouum nunciauerit, rectissimè dicetur contempta nunciatione posse me reficere id, quod iam institueram.

In re communi sufficit nunciari vni ex socijs, vt dixit *Glos. verbo, faciam, in fin. in cap. Si Capitulo 5. de concess. preb. lib. 6.* ibi. Ad hoc facit *l. Qua* dicit, quòd sufficit denunciatio facta vni ex illis, qui habent domum communem.

Si cum posset emptor auctori denunciare, non denunciasset, idemque victus fuisset, quoniam parum instructus esset, hoc ipso videtur dolo fecisse, inquit *l. Si fundo 53. ff. de euict.*

Denunciare vero de euictione emptor seruo, non domino debet, vt dicitur *in l. Minor. 39. §. 1. ff. eod. tit. de euict.*

Si trina requiratur denunciatio, an sufficiat vna vice fieri ter; verbi gratia solue, solue, solue? Respondet *Glos. in l. 4. ff. de pignor. act.* sic. Sed hæc denunciatio nunquid vna vice fiat? Responde non, sed triduum inter quamlibet debet esse, sicut in citatione accusati absentis, vt infra *de publicis iudic. l. inter accusatorem.*

Post legitimam denunciationem, si quid contra eam fuerit factum, dolo factum videbitur, vt inquit *l. Quædam 9. §. Nihil ff. de edend.*, sed si ei ante quam eas legatario traderet, denunciatum fuerit, ne antea tradat, tenebitur, quasi dolo fecerit.

Denunciari autem oportet ijs, quos proxima spes successionis contingit, vt puta primo gradu hæredi instituto, non autem substituto; sic inquit *l. 1. §. Quamuis ff. de ventr. inspic.*

Denunciatio publicè facta non præsumitur ignorata ab existentibus in illa Diœcesi, in qua publicata fuit, vt dicitur *in cap. vlt. qui matr. accus. poss.* ibi. Cum rationabiliter præsumatur, quod denunciationem publicè factam idem existens in ipsa Diœcesi, minimè ignorauit, & ibi *Glos. verbo, Publicè*, dicit; & ideo nullus potest ignorare.

Pro complemento, & additamento ad denunciationem, de qua supra primo loco diximus, in mentem mihi venit *l. Diuus Adrianus 6. ff. de custod. reor.* cuius hæc sunt verba. Non esse vtique epistolis eorum credendum, qui quasi damnatos, ad præsidem remiserunt, &c. quia non omnes ex bona fide elogia conscribere compertum est; & sic notabis, quod denunciatio in talibus scriptis facta, & remissa ad iudices, vel Præsides non creditur.

Depositum.

IN hoc non venit, nisi dolus malus, vt dicitur *in l. Qui furtum 16. ff. de condict. furt.* ibi. Cum in commodati actione non facile vltra culpam, & in depositi vltra dolum malum teneatur is, cum quo agetur. Et hoc intelligere debes in deposito voluntario, non verò in necessario, quia in primo casu, cum quis fidem elegit illius, apud quẽ deposuit, si res deposita. Nõ redditur cõtentus esse debet simplici eius

valore

valore. Cum verò, exigente necessitate, deponat crescit perfidię crimen, publica vtilitate cœrcendum est vendicandæ reipublicæ causa; est enim inciuile in huiusmodi causis fidem frangere, vt ità inquit *optima lex* 1. *§. Merito ff. deposit.*

Negligentiæ verò nomine ideo non tenetur, quia qui negligenti amico rem custodiendam committit, de se quæri debet. Si tamen magnam negligentiam placuit in doli crimine; inquit *l.* 1. *ff. de act.* periculo enim perit depositum eligentis depositarium; vt *in l. Si soluturus* 39. *ff. de solut.* ibi. & numi emptoris periculo sint; vtiq; si ipse eum apud quem deponerētur, elegerit.

Si depositum fiat gratia recipientis, ad eum spectat periculum sic summatur *l.* 4. *ff. si cert. pet. & tex.* ità inquit. Hoc depositū periculo est, qui suscepit.

Expensa in re deposita facta eius fit, qui deposuit, non eius apud quem depositum tit; sic disponit *l. Si in Asia* 12. *ff. depos. vbi glos.* dicit secus in commodato, quia tantum gratia accipientis contrahitur.

Quoties foro cedunt numularij solet primò haberi ratio depositariorum &c. Dummodo eorum, qui postea vsuras acceperunt, ratio non habeatur, quasi renunciauerint deposito, Item quæritur, an ordo spectetur eorum, qui deposuerunt an verò Simul? Et constat simul admittendos; ità disponit *l. Si hominem §. vlt. ff. depos.*

Necessarium est deponere pecuniam, ne currant vsuræ, dicitur *in l.* 1. *§. vlt. ff. de vsur.* ibi pecuniam obtulerit, eamque obsignatam deposuerit, ex eo tempore non præstabit, vsuras, vbi *Glos. verbo, Praposuerit*, inquit. Est ergo necessaria oblatio, consignatio, & depositio. *Glos. verò in l.* 3 *§. Stichus annus ff. de statulib. in verbo, Obtulit*, sic dicit. Patet, secundum Azonem, quòd non est necessaria consignatio, vel depositio, sed sufficit sola oblatio, nisi quando esset absens qui recipere deberet. Et probat *l.* 4. *ff. eod. tit.* ibi. Cum hæres reipublicæ causa abesset, & pecuniam statuliber, vel expectare cum debere, donec redeat, is, cui dare debet, vel deponere in ædem pecuniam consignatam oportet.

Quando vero, & in quibus casibus debeat fieri consignatio, & depositio debiti, & non sufficiat sola oblatio, dicitur verbo, *Debitum*. Sed in materia vsurarum certa regula est, quod pecunia in ædem sacram deponatur, ne vel debitor vltra, vsuris oneretur, vel creditor perdat pecuniam, vt inquit *l. Ait prator* 7. *ff. de minor.*

Neque ijs, qui depositum susceperunt hoc iudicium competit, quamuis naturaliter possideant, dicit *l. Communi* 7. *§. Inter ff com. diuid. vbi Glos. verbo, Possideant*, intelligit, scilicet alij non sibi, vel possideant, idest detineant; nec enim naturalem, vel ciuilem habent possessionem.

In deposito non admittitur compensatio, vt dicitur *in §. In bona fidei de act. in Instit.* ibi. Excepta sola depositi actione, cui aliquid compensationis nomine opponi sane iniquum esse credimus, ne sub prætextu compensationis depositarum rerum quis exactione defraudetur, & *in l. Si quis* 11. *C. deposit.* sic. Cum non sub hoc modo depositum accepit, vt non concessa eï retentio generetur. Et contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. Sed si ex vtraque parte aliquid fuerit depositum; nec in hoc casu compensationis præpeditio oriatur, Sed depositæ quidem res, vel pecuniæ ab vtraque parte quam celerimè sine aliquo obstaculo restituantur.

Depositum negans, quasi furtum committit, sic dicente *tex. in l. Inficiando* 69. *ff. de furt.* ibi. Nec enim furtum est ipsa inficiatio, licet propè furtū sit, qui

verò rem depositam, innito domino sciens, prudensque in vsus suos conuertit, etiam furti delicto succedit, inquit *l. 3. depos.*

Derogatio.

PRimæ generali gratiæ tibi factæ derogat posterior specialis, licet de illa non fecerit mentionem; inquit *cap. Quamuis 38. de preb. lib.6.* Secus erit in constitutione noua, quia nisi expressè derogetur, antiqua in dubio declarata, per nouam intelligitur, vt *in cap. super quæstionum 27. de offic. deleg.* ibi. Per constitutionem nostram consultationi Alex. Papæ nullatenus derogatur; immò in ista verius, quæ in illa fuerant prætermissa; supplentur, & licet *Glos.* ibi dicat sic. Immò corrigit, qui interpretatur, non mihi placet eius dictum.

In priuilegijs etiam derogatio non intelligitur, nisi cum de ipsis mentio fit, vt *cap. veniens 19. de præscript.* vbi notat *Glos. verbo, Nullam*, hanc derogationem esse necessariam in lege Communi, cuius verba notas in verbo, *Lex*.

Et è conuerso per priuilegium conuentioni non intelligitur derogatum, vt *in cap. 3. de decim.* ibi. Non fuit nostræ intentionis per priuilegium nostrum conuentioni derogare.

Desiderium.

CVM mens concepta desideria sequitur seruire rebus, conuincitur, quarum amore superatur *ex Diu. Greg. refertur in cap. 1. 14. q. 1. ad fin.*

Quanto amplius res desiderata subtrahitur, tantò amplius desideratur, dixit *Glos. verbo, Si quominus, per tex. in cap. In domo de penit. dist. 4.* vbi cur Dominus Iesus cum dilexisset suos, & ab ijsdem diligeretur, abierit in cœlum, & nubes subtraxerit eum ab oculis eorum, redditur ratio, vt amplius ab eis desideraretur.

Desinere.

DEsisse non videtur, quod nec incepit, inquit *l. Titio 95. ff. de condit. & demonstrat.* Et sic dicit *Glos. in l. Si partem 19. ff. quemadmodum seruit. ammitt. ex tex.* ibi. Nihil iuris ammitto, quia nullum iter aquæ fuit &c. itá. Bona ratio non enim desinit, quod non fuit.

Desinere, pertinere vsumfructum accipiemus, etiam si nec cæperit pertinere &c. quasi desinat pertinere; quod nec cæperit; inquit *l. 3. ff. vsufruct. quemadm. cau.* Et est notabilis *tex.* & contra supradicta: & ibi *Glos.* sic eum notauit ibi. Alioquin, quod non dum incæpit, & incipere non potest &c. non desinit esse &c. Item nota hic, desinit, quod non cæpit, & perditur, quod non habetur.

Determinatio.

REspiciens plura æqualiter ea determinat, vt est vulgaris regula *l. Iam hoc Iure §. Sed si ff. de vulgar. & pupill.* Et respicit tantum præcedentia, & non sequentia, vt dicit *Glos. vlt. in cap. Inquisitioni 71. per tex.* ibi. Præmissa tantum complectitur *de appell. argum. in contrarium in l. Si seruus plurium 33. §. Vlt.* ibi. Item earum, quæ præcedunt, vel quæ sequuntur summarum scripta sunt spectanda *ff. de legat. 1. & cap. Apostolus 32. quæst. 7.* ibi. Quid respondebimus de hoc, quod dicit posterius &c. nisi quod similem formam vult intelligi consid rans melius tu concilia: quia nescio, an tibi placeat mea

ma conciliatio scilicet quod in correlatiuis determinatio respicit tam antecedentia, quam sequentia, vtraque æqualiter determinans, & sic procedit *d. cap. Apostol.* cum similibus. At verò in alijs præmissa tantum complectitur, vt *in d. cap. Inquisitioni*.

Detinere.

ALiud est detinere, & aliud in possessione esse, seu possidere, vt inquit *Glos. verbo, Præsumantur, in cap. vlt. de rest. spoliat. lib. 6.*

Detentio interrumpit præscriptionem, sicut litis contestatio, vt expressè inquit *l. Cum notissimi §. Immo & illud C. de præscrip. triginta* ibi. Cum litis contestationem imittetur detentio.

Detractio.

IPsa licet ex vitio detrahentium fit, tamen iusto Dei iudicio nonnumquam aduersus bonos excitatur, vt quos, vel domestica præsumptio, vel aliorum fauor in altum extulerat, detractio humiliet, vt dicit *cap. Oues 6. qu. 1.* & ad idem faciunt verba *cap.* Sunt plurimi, qui vitam bonorum fortasse amplius, quàm debent, laudant, & ne qua elatio de laude subrepat, permittit Omnipotens Deus malos in obtrectationem, & obiurgationem prorumpere; vt si qua culpa in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur; *ead. caus. 6. & q. 1.*

Vna species homicidij est proximo detrahere; nam quantum in detractore est, priuat animam proximi, quæ melior est pars hominis omni virtute, per quam anima viuit. Detrahere enim est bona, quæ alicui à Deo collata sunt, negare, vel inuertere; dixit *Glos. verb. Detrahere, in Extrauag. 3. de verbor. signif.*

Deus.

HOC tantum scio, quia male mihi est præter te, non solum extra me, sed & in me ipso, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est, dicit *August. lib. 13. confes. cap. 8. & Seneca Epist. 93. prope fin.* sic. Totum hoc, quo continemur, & vnum est, & Deus, & socij eius sumus, & membra. Et *Epist.* 111. ità. Quidquid nobis bonum futurum erat Deus, & parens noster in proximo posuit, non expectauit inquisitionem nostram, & vltrò dedit, nocitura altissimè pressit, nihil nisi de nobis queri possumus, ex quibus periremus nolente rerum natura, & abscedente protulimus. Adiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum est; quibus verbis expressè resoluta est quæstio prædestinationis alias apud Theologos difficilima.

Nec armis, nec militibus, sed Deo Princeps confidere debet, vt habes verbo, *Imperator*.

Notabilis est *lex Prouinciarum 9. C. de fer.* quæ loquens de latronum punitione omni tempore, licet festiuo facienda hæc dicit. Cum facilimè, & in hoc summi numinis speretur venia, per quod multorum salus, incolumitas procuratur, & aliam ponit rationem ibi. *Glos. in casus positione ad fin.* his verbis. Non potest fieri maius sacrificium Deo, quàm vt ij, qui in suam, & aliorum perniciem diuagantur, competenti debeant rigore compesci; & *ex Senec. in traged.* Quod non potest pinguior victima mactari Deo, quam reus iniquus.

Quod semel Deo consecratum est; ad humanos vsus transferri non debet, dicitur *in cap. 3. de rerum permut. & in cap. Iniustum eod. tit.* sic. Est absurdum, vt ab Ecclesiastica dignitate

serunt

seruus discedens humanę sit obnoxius seruituti.

Diabolus.

DIcitur etiam Demon, hoc est sciens, vel secundũ aliquos deorsum ruens, vt sic gerat in nomine, quod habet in voluntate, vt *per Abb. in c. 1. de sum. Trin. num. 11. vbi glos.*

Et habet mille nocendi modos, nec ignoramus astutiam eius, conatur namq; à principio ruinæ suæ vnitatem Ecclesiæ rescindere, charitatem vulnerare, sanctorum operum dulcedinem felle inficere, & omnibus modis humanum genus euertere, & perturbare. Dolet enim satis, & erubescit charitatem, quam in cœlo nequiuit habere; homines constantes ex lutea materia tenere in terra; ità inquit *cap. Visis 16. quæst. 2.*

Verum non cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit; consulit quidem nos Dæmon, sed, Deo auxiliante, nostrum est eligere, vel repudiare vt dixit *August. homil. 12. inter 50. & infra* sic. Diabolus potest nos ad malum inuitare, non autem trahere, delectationem inferre, non potestatem, consilium ingerit, non conflictum. Et alibi; latrare potest, mordere non potest.

Diœcesis.

EST patrochia Episcopi dixit *glos verbo, Præsbyteri, in Clem. 1. de priuileg.* & tamen licet sit Ciuitas, & Diœcesis sub vna iurisdictione, siue vno Episcopo, sunt tamen diuersa, vt inquit *Glos. in cap. Rodulfus 35. de rescript, per tex.* ibi. Sed Apostilla ibidẽ sic dicit. Qui enim est de diœcesi, de ciuitate intelligitur, & hæc mihi magis placet & probat *glo. verbo Diœcesi in cap. vnico de rer. permut. lib. 6.* ibi. Diœcesi non excludit, sed includit Ciuitatem &c. & includetur etiam Cathedralis. Contrarium tamen, & pro prima opinione est *Glos. penult in cap. Accepimus 13. de ætat. & qualit.* ibi. Quia per clausulam illam, in aliqua Ecclesia Diœcesis Bononien, non compræhẽduntur Ecclesiæ Ciuitatis; vel è conuerso, quid igitur tenendum? Fortasse procedet distinctio, quod in fauorabilibus compræhendentur Ecclesiæ Ciuitatis sub verbo, *Diœcesis*; in odiosis vero minimè; potest etiam intelligi secundum consuetudinem illius Diœcesis, vbi casus euenerit, iuxtà quæ circa potestatem consuetudinis dicis in eodem verbo. Est enim optima interpres.

Diœcesanæ legis est vocatio ad Synodũ, vt infra verbo, *lex*.

Nec negligentia Pontificis, nec temporalis obiecto (quæ per iniuriam forte generatur) nec ignauia faciente consensus adhibitus, nec sub repente supplicatione præceptio diuellere potest semel diœcesim constitutam, constituit *cap. licet 16. q. 3.*

Dicere, & Dictum.

EQuidem non arbitror quemquam dicere, quod non sentit, vt maximè nomine vsus, sit, quo id appellari solet. Nam vocis ministerio vtimur. Cæterum nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitauerit, &c. Sed & si magnoperè, & ratio, & authoritas Tuberonis me mouet; non tamen à Seruio dissentio, non videri quemquam dixisse, qui non suo nomine vsus sit; nam, & si prior, ac potior est, quam vox, mens dicentis; tamen nemo sine voce dixisse existimatur, nisi, & eos forte, qui loqui non

non possunt: ità dicit *l. Labeo §. Idem Tubero ff. de supellectil lega.*

Non refert expressè quid dicatur, an rebus ipsis, & factis, *vt per Glos. verbo, Diremptum, in l. vlt. ff. de diuort. & probat l. Paulus* respondit, non tantum verbis ratum haberi posse, sed etiam actu, *ff. rem rat. hab.*

Dictum generaliter, intelligi generaliter dixit *Glos. verbo, In infinitum, in l. 1. ff. de legat praest.* vbi *Apostilla*. Sic. Restringitur tamen per rationem expressam subsequentem, vel tacitè inhærentem, *Bald. in l. Si quis seruus C. de furt.*

Dictio.

NVlla debet vacare in rescripto, alias frustra membranas occupat, inquit *Glos. verbo, Tamquam, in cap. solitæ 6. de maior. & ibid.*

De dictionibus non me latet extare librum integrum, vbi latè omnes dictiones ponuntur; verum mihi visum fuit hic aliquas ponere notabiliores in textibus & glos. declaratas, vt nostrum Apolecta verè suum nomen, & significationem adimpleat.

Autem, dictio innuit aliud Iuris, quod est verum, vt inquit *Glos. in l. Hoc amplius 9. §. de ijs, ff. de damn. infect.* vbi *Apostilla*. sic. Nam ponitur aduersatiuè, *Bart.*

Glos. in l. 1. ff. de curat. bon. dand. ità. Et secundum hoc ponitur, aut, pro, &

Clam, inducit præsumptionem scientiæ, vt habes verbo, *Scientia*, & è contrario dictio palam, inducit ignorantiam, seu errorem, vt verbo *Error.*

Confestim, sic erit accipiendum, vbi primum potuit, dicit *l. 1. §. Si mater post med. ff. ad Tertyllian.*

Cum, accipitur pro, &, vt dixit *Glos. in l. 3. ff. de pecul. legat.*

De, notat remotam rationem, vt inquit *Glos. verbo, de loci, in l. Si finita ff. Cum autem ff. de damn. infect.*

Diù, hoc est decem anni *Glos. verbo, Diu, in l. 1. §. Vlt. ff. de aqu. pluu. & ibidem Apostilla, & in l. Si cum fideicommissaria vers. Aristo ff. qui, & à quib.* ibi. Si non diù in libertate fuisset, vbi *Glos. verbo, Decennio*, ità dicit. Diu pro decennio, sic etiam dicimus diuturni mores, & diuturna consuetudo &c. quandoque pro quinquennio ponitur &c. quandoque pro anno &c. quandoque pro biennio &c. vbi etiam de decem diebus dicitur, *& in l. 3. §. Si seruus ff. de acquir. poss.* ibi. Si diu in libertate moratur, vbi *Glos.* sic. Idest decennio inter præsentes, & viginti inter absentes *Glos. verò verbo. Diutius, in cap. 1. de coniug. lepros.* sic ait, Hic non determinatur, quantum extendatur istud diutius, & ideo in arbitrio boni viri consistit &c. Quandoque extenditur vsq; ad biennium &c. Quandoque vsque ad quinquennium, & *Glos. in cap. 2. de iuda. etiam verbo, Diutius*, sic. Expone. diutius, triginta annis.

Hæc dictio, Duntaxat, ad proximiorem scripturam referenda est, vt inquit *Glos. verbo, Dumtaxat, in l. 3. C de Episc. & Cler.*

Quamuis dictio, &, coniunctionem faciat, aliquando tamen non tàm coniunxisse, quàm celerius dixisse videtur, qui ea vtitur, vt *in l. Si ità 66. ff. de hered. inst.*

Fortè, varietatem facti, non dubitationem Iuris inducit, vt dixit *Glos. verbo, Fortè, in l. In substitutione 31. ff. de vulgar.* vbi *Apostilla* sic. Et sic consilium potest dari per verbum, forte, *secund. Bald.* inducit tamen aliquam dubitationem, vt per *Felin. &c.*

Dictio, In, posita cum alio verbo stat augmentatiuè, inquit *Apostilla ad Glos. verbo, Indificilis, in l. Gallus §. Vlt ff. de liber. & posth.*

Iterum

Iterum, duas res significat; & exponitur, idest quoties opus fuerit *Glos.* 1. *in cap. sua nobis 66. de appell.*

Nota, quod hæc dictio, nisi, ponit, vt dicit *Glos. verbo, Nisi, in l. extraneo ff. de ventr. in poss. mitt.* vbi *Apostilla* ità. Tu dic hoc esse verum, si præcedat negatio; alias enim priuat, seù negat.

Olim, preteritum, & futurum tempus significat, vt dixit *Glos. verbo, Olim, in l. 1. §. 1. & ibidem Apostilla ff. nou. oper. nunc.*

Plus, parum plus indicat, vt dicit *Glos. verbo, Nominis, in l. Cum filius 78. §. Cum filia ff. de legat. 2. per tex.* ibi. Sempronius nepoti meo plus tribuas; necessitas quidem restituendi nepotibus viriles partes præcedere videbatur, sed moderandæ portionis, quam maiorem in vnius nepotis personam conferri voluit, arbitrium filiæ datur.

Dictio, præsertim, abundat, vt & alias maximè dicit *Glos. verbo, Constituentur, in l. vlt. ff. de ijs, quæ in testam. delen.*

Quam citius, est hoc tempus ad arbitriũm boni viri, cum lege, vel canone non terminetur, & magis intellectu, quàm elocutione certa exprimi potest, vt dicit *Glos. verbo, Quamcitius, in cap. Quam sit 6. de elect. lib. 6.*

Aliquando dictio; Quasi, non est similitudinaria, sed expressiua veritatis, sicut illud. Quasi vnigeniti à Patre, dixit *Glos. in cap. Parrochianos 14. de decim per tex* ibi. Quasi debitum exigi possunt, idem dicit *Glos. vlt. in l. Si ante ff. solut. matr.* illud, Quasi, est expressiuum veritatis. Aliquando tamen non est expressiuum veritatis, sed denotat vitium, seu improprietatem, *Glos. verbo, In alieno, in l. Diuortio §. si fundum ff. solut. matr.*

Dictio, quæ, non quantitatis, vel qualitatis, sed substantiæ est designatiua, vt dicit *Glos. verbo, Proferuntur, in l. vnica C. de senten. qua pro eo, quod.*

Quilibet, dictio, quamuis videatur esse vniuersalis, vt notat. *Bart. in l. Hoc articulo colun. 2. ff. de her. inst. verbo,* vt igitur; tamen aduerte intelligi restrictiuè, vt notat *Bald. in l. Cum virum col. 8. C. de fideicommiss.* Ità ponit *Apostill. ad Glos. verbo, In publico, in l. 1. §. Nunciatio ff. nou. oper. nunc.*

Dictio, sæpius in binno actu verificatur, vt dicit *Apostilla in l. scimus §. Et hæc quidem C. de iur. delib.*

De dictione, sed, ità inquit *Apostilla ad Glos. verbo, Per scripturam, in l. Patris 20. ff. de vulgar.* Nota *Glos.* Quod quando post dictionem, sed, ponitur copula, &, denotatur diuersitas Iuris.

Semper, non notat tempus circa eundem contractum, vel circa eandem læsionem, vt de eodem contractu, vel eadem læsione semper in perpetuum posset Ecclesia restitui, vt dicit *Glos. verbo, Iure minoris; in cap. 1. de integr. restit.*

Seu, pro coniuncta aliquando ponitur, licet disiuncta dictio sit, vt inquit *Glos. vlt. in l. Si quis ità 22 ff. de aur. & arg. legat. per tex.* ibi. Hoc enim verbum, seu, ampliandi legati causa positum est.

De dictione, si, inquit *l. Si Titio 22. ff. quand. di. leg. ced.* hæc. Nec interest vtrum scribatur si annorum quatuordecim factus erit, an cum annorum quatuordecim factus erit, nam priore scriptura per conditionem tempus demonstratur, sequente per tempus conditio.

Dictio, simul, idest in continenti vnum post aliud, vt inquit *Glos. verbo simul, in l. Querebatur ff. de milit. testam.* vbi additio sic. Nota ex hac Glosa, quòd illa simul fieri intelliguntur, quorum vnum fit post alterum sine temporis in-

intelliguntur, quorum vnum fit post alterum sine temporis interuallo. Vnde facit ad quæstionem, an possint testificari duo, qui viderant per foramen duos commisceris? de hoc notatur 3. *quæst.* 9, *cap. Nihilominus cum sua Glos. verbo, Simul omnino videnda.*

Statim, dictio intelligitur transacto tempore, nec modico, nec maximo, ità explicauit *Glos. in l. 2. §. vlt. in fin. ff. de collat. bon. qui tex.* ait. Non statim ab eo transferenda est possessio, sed sustinendum, donec possint inueniri fideiussores, & probat *l. Quod dicimus* 105. *ff. de solut.* ibi. Statim soluere cum aliquo temperamento temporis intelligendum est.

Tamquam, similitudinem potius quandoque, quàm veritatem notat, vt illud Euangelij, Tamquam ad latronem &c. vt dicit *Glos. verbo, Tamquam in cap. Solita de maior. & obed.*

Tum, extremi quinquennij tempus significat expressè dicit *l. Si ijs* 4. *ff. de cond. & demonst.*

Vsque, in dilationibus semper includit *Bald. in cap. 1. §. Decedente col. vlt. vers. extra noto, qui feud. dare poss.* De hac dictione vide etiam per eundem *in Auth. hoc amplius col. vlt. vers. de dictione vsque C. de fideicommiss.* ità inquit *Apostill. in l. Filius familias* 117. *ff. de legat.* 1. *Super verbo, vsque,* quod in eo textu ponitur exclusiue.

Vt, dictio, interdum ponitur consequutiue, & non modaliter &c. interdum causatiue *de appell. cap. Vt debitus &c.* interdum necessitatem importat, ità *Apostilla ad caput verũ de cond. appos.*

Dies.

INcipit & terminatur diuersis horis, diuerso respectu. Incipit in vesperis, quantum ad officij celebrationem, & Canonicam computationem fictione Iuris &c. quoad iudicium incipit in mane, & terminatur in fine diei ante noctis tenebras &c. quoad contractus media nocte terminatur, & incipit &c. quoad æsum carnium post cœnam &c. quantum ad obseruationem treugæ in ortu solis &c. & secundum consuetudinem locorum consideratur hoc; ità ponit *Glos. verbo, Prius, in cap. 1. de fer.*

Secundum consuetudinem, & constitutiones legitimas more Romano dies à medietate noctis incipit, & in medio noctis desinit subsequentis; vnde, quod in duabus mediatis noctibus agitur perinde sanxit habendum legalis authoritas, ac si qualibet parte lucis agatur, inquit *Glos. in cap. Consuluit.* 24. *de officio delegat.*

Hora autem dicitur pars temporis ex momentis plurimis constituta, & per tales particulas diuiditur dies, & nox, vt &c. Nam viginti quatuor horæ diem naturalem faciunt, duodecim artificialem, vt &c. sic *Glos. verbo, Cura, in Auth. de hared. & Falc. §. Hinc nobis coll.* 1.

Cuiusque diei maior est pars horarum septem primarum diei non supremarum dicit *l. 2. ff. de verbor. signif.* vbi *Glos.* sic intelligit dicens. Est ergo maior pars diei, dico non spatio, sed vsu, & vtilitate, & laboribus hominum competentior, vt suprà de annuis *legat. l. 3. in fin. &c.* & est ratio, quia difficilius ascendit sol in mane, quam descendit post meridiem, iuxta illud. Ardua prima via est &c. Sed nunquid habet dies artificialis quatuordecim horas? Respondetur non; immo duodecim tantum in hyeme, & in æstate, vt patet supra de manum *l. 1. &c.* Vide, si placet, *ad glos.*

Fatales dies dicuntur in Iure, quia fatum, idest finis causæ imponitur, vt tenet *glosa, verbo, Tempora, in l. 2. C. de tempor. & reparat.*

Communis omnis orationis est præpositio diei, & Consulis, inquit *l. Si quis ex argentarijs §. si initium ff. de edend. & glos. verbo, Diebus, in l. 1. § Quibus C. de nou. Cod. fac.* Sic dies, & Consules erant adiecti, vbi additio remissiuè ponit, an ad legis validitatem sit necessarius dies, & Consul? Et in instrumentis *glos. verbo, In eo die, per tex. ibi in l. Optimam C. de contrah. & comm. stipu.* sic ait. Et nota secundum, hoc diem, & locum apponi debere in instrumentis.

In libellis autem nec diem, nec horam inuitus actor tenetur apponere, vt inquit *l. Libellorum 3. ff. de accus.* quam ego limitarem, quando reus habet suam defensionem in negatiua coarctata; recte enim petit tunc declarari sibi diem, & horam commissi delicti, & actor etiã inuitus declarare tenebitur.

Dies festos Maiestati Altissimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ità semper honorabilem decernimus, & venerandum, vt á cunctis executionibus excusetur; Sit illa dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox silescat, respirent à controuersijs litigantes, & habeant fœderis interuallum; ad se se simul veniant aduersarij, non timentes; subeat animos vicaria pœnitudo; pacta conferant, transactiones loquantur; nec huius tamen religiosi diei etiam relaxantes obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eo die sibi vendicet scena theatralis; ità inquit *famosa l. 10. C. de fer.* Quam limitabis in agricultura, quæ ex causa potest exerceri etiam hac die, vt probasti supra verbo, *Ager*, & in qualibet necessitate dicit *tex. in cap. Conquestus 3. de fer.* ibi. Nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat, & ibi *gl. verbo, Necessitas*, ità. Puta si esset res tempore peritura &c. & verbo, *Pietas*, sic. Quia in operibus misericordiæ dierum distinctio nó est habẽda.

Vnde optimè dicitur *in l. Custodias 12 ff. de pub. iud.* quod carcerati possunt audiri, & expediri etiam diebus feriatis. vt ibi. Et feriatis diebus custodias (idest carceratos) audiri posse rescriptum est, ità vt innoxios dimittat, & nocentes, qui duriore animaduersione indigent, differat.

Inter certam, incertamque diem discrimen esse, ex eo quoque apparet, quod certa die promissum, vel statim dari potest. Totum enim medium tempus ad soluendum liberum promissori relinquitur; inquit *l. stipulatio ista §. Inter ff. de verbor. vbi glos.* Limitat: Nisi gratia stipulatoris fiat dilatio, quam reputat singularem *Apostilla ibidem*.

Dies cœptus pro completo habetur, inquit *glos. per tex. ibi in l. Qua ætate, ff. de testam. in verbo, Dito valere, & glos. verbo, Exegerit in cap. Cum in cunctis 7. de elect.* sic distinguit. Quandoq; fauor tantum vertitur in causa, & tunc sufficit incipere diem, &c. Quandoque odium tantùm, vt in præscriptione triginta annorum, & tunc oportet impleri, &c. Quandoque vtrumq; & tunc tempus de momento ad momentum computatur. Vndę dicitur *in l. Obligatio 5. ff. de actioni.* Sic: In omnibus temporalibus actionibus, nisi nouissimus totus dies impleatur, non finitur obligatio.

In vsucapionę ità seruatur, vt etiam minimo momento nouissimi diei possessa sit res, nihilominus expleatur vsucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitutũ tempus, ità inquit *l. 15. ff. de diuers. & tempor. limita in præscriptione 30. vt per glos.* hic & supra dicis.

In §. Omnis de verborum in Inst. sic dicit *tex.* Nec enim certum est eo die, in quem promissum est, datum non esse, priusquam is præterierit.

Si arbiter intra Kal. Septembris dari iusserit,

serit, nec datum erit, licet postea offeratur. Attamen semel commissa pœna non euanescere. Quoniam semper verum est intra Kal. datum non esse. Si autem oblatum acceperit, pœnam petere non posse, inquit *l. Celsus* 28 *ff. de recept. arbitr.* Et licet *in l. vlt. eod. tit.* videatur decidi contrarium, vt ibi, sed postea soluendo liberabitur; tamen non obstat, quia in eo non fuit apposita dies *vt ex eod. patet.*

Videtur tamen, quod omnino repugnat *tex. in l. Si mandato §. Paulus respondi* *il* 2. *ff. mand.* ibi. Die adiecto in mandato, intra quem præstaturum se Titius scripsit, non esse impedimento, quominus, & post eum diem conueniri &c. possit; cuius facilis erit responso, si casum eius considerateris.

Quod dicimus intra diem centesimum &c. ità intelligendum est, vt & ipso die centesimo bonorũ possessio peti possit, quẽadmodum intra Kal. etiam ipsæ Kal. sint, idest & si in diebus centũ dicatur, ità *l.* 1. *§. Si intra ff. de success. edict.*

Cum dicit tempus nec adijcit diem, sine dubio ostendit esse in Ius dicentis potestate, quem diem præstituat, inquit *l.* 1. *ff. de iur. delib.*

Non propterea minus relictum deberi, quod aliquid ante diem sit solutum, dicit *l. Lucius* 90. *§. Testator ff. de legat.* 2. Quia ferè dies ponitur ad proroganda ea, quæ ad præsens tempus non etiam, quæ in futurum legata sunt, vt optimè inquit *l. Si quis* 33. *ff. de condit. & demonstrat.*

Dies cautionis præstitus, si finiatur, prætoris, vel præsidis officium erit ex causa, vel renouare, vel protelare, cum *l.* 4. *ff. de damn. infect.*

Aegretudo prorogat diem, & si tunc iudicauerit, iudicatum non videtur, *Glos. verbo, Responsalem, in cap. Cum dilecti* 6. *de dol. & contum.*

Numquid iudex datus à Papa poterit illos dies abbreuiare, vel prorogare? de quibus *in c. Capientes* 16. *de elect. in* 6. Respondet *Glos. ibidem verbo, Quindecim*, quòd non cum sit tempus limitatum à Iure, sicut nec dies, qui dantur ad appellandum, & qui dantur ad integram restitutionem petendam.

Tot dies habebit iste mensis, quot habuerit ille, in quo præsentata fuit electio, & si dies aliqui elapsi erant, supplentur de mense sequenti, ità *Glos. verbo, Mensem, in cap. Quam sit* 6. *de elect. lib.* 6.

Dies, in quo excommunicationis exceptio proponitur, quæ intra octo dies probari debet, non computatur in illis, ait *Glos. vlt. in c. Super eo* 12. *de appell.*

Proinde hi dies cedunt, quibus Ius prætor reddit *l.* 1. *in fin. ff. de diuers. & temp. vbi Glos.* sic. Intellige in diebus, qui sunt vtiles, quoad sui initium, & progressum, secus in ijs, qui ad sui initium sunt vtiles tantum, sed post continuè, vt infrà quando appellandum sit. Quid de die intercalari? Dic, vt *in l.* 2. *cum Glos. eod. tit.*

Dies in meum fauorem datus, potest renunciari per me, iuxtà *l. Intra dies* 7. *ff. de re iud.* cuius verba sunt. Quia constitutorum dierum spatium pro iudicato, non contra iudicatum per legem constitutum est.

Si Præses Prouinciæ fuerit in proxima Ciuitate, accedere debet ad vtilitatem temporis spatium iteneris, scilicet numeratione viginti millium passuum, *l.* 2. *vers. In bonor. ff. quis ord. in bon. poss. seru.* taliter, quòd viginti millia assignantur pro quolibet die.

Semper pauci dies erunt, si illos numeraueris, cogita non esse bonum summum in tempore &c. vt prolongetur dies mortis nihil prodest ad fœlicitatem, dicit *Senec. lib.* 5. *de benefic. c.* 17.

Dieta.

IN terminis, de quibus loquitur *tex. in c. Dilectus* 29. *de rescript.* semper dictæ

sunt cōputandæ respectu Diœcesis, vbi est res, de qua quis cōuenitur, vt inquit *Glos. verb. Domicilium, in eod. tex.* quod nota, nā plures fallūtur in cōputatione dictarum, quia illas computant de vna Ciuitate ad alteram, & non est sic, sed

Nunquid hoc intelligitur de vulgaribus dictis, quia habentur secundum consuetudinem regionis, aut de legalibus, secundum, qnòd viginti milliaria computantur pro vna dieta? *de verbor. signif. l.* 3. Videtur, quòd de vulgaribus, vt tenet *Glos. verbo, vltra duas dietas, in cap. Non null.* 28. *de rescript.*

Dignitas.

QVatuor sunt ordines dignitatum, Maximi, vt Superillustres. Magni, vt Illustres. Medij vt spectabiles; Minimi, vt Clarissimi &c. Sunt, & infimi, & defensores Ciuitatum, & magistratus municipales; itá ponit *Glos. verbo, Illustribus in præmio institutionum §. Cumque hoc* vbi additio affert hos versus.

Illustris primus, medius spectabilis; imus,
Vt lex testatur clarissimus esse probatur,
Et Superillustris præponitur omnibus istis.

Et sic nota, quod digniora præponenda sunt, vt inquit *Glos. vlt. in §. vlt. de iur. natur. in Instit.*

Dignitas dicitur quandoque quædam prærogatiua in Ecclesia, quæ alio nomine personatus appellatur, vt &c. Quandoque enim accipitur pro sæculari prærogatiua &c. Interdum pro potestate accipitur &c. Interdum pro ordine &c. quandoque pro conditione &c. Itá ponit *Glos. verbo, Dignitates, in cap, Quia* 3 *de Cleric. non resid.*

Nota ascendendum ad dignitates per gradus, non descendendum, vt inquit *Glos. verbo, Nulla, in l. Nulli* 10. *C. de numerar. actuar. lib.* 12. ibi. Nulla &c. quam semel dedignati sunt descendendi danda licentia, & *l. Vt gradatim ff. de muner. & bonor.* ibi. Ascendendum est de gradu ad gradum; nam qui nimis festinat se ipsum præcipitat, & facilius crescit dignitas, quàm incipiat, vt dixit *Senec. Epist.* 102. *in princip.*

Non intelligas graues appellari illos, qui in dignitate sunt constituti, quia aliud est dignitas, quàm grauitas &c. Sed graues dicuntur, qui non sunt leues; itá dicit *Glos. verbo, Persona, in cap. licet ex quadam* 47. *de testibus.*

Personæ dignitas attēditur in eo, qui reliquit fideicōmissum, an de liberis naturalibus intellexerit. Vide verbo, *Filius.*

Nota dignitas, & authoritas seruanda est, quantum ad mundum, vt inquit *Glos. verbo, Dignitatis, in l.* 1. *ff. de postul.* Sed non quantum ad regnum Dei, quia non in sublimitate graduum, sed ex amplitudine charitatis acquiritur; vt inquit *cap. Ad aures* 5. *de tempor. ordinan.* Cum apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur, vt ibidem dicit *Glos.*

Vir præfectorius, an fœminæ Consulari præferatur videndum est? Et puto præferri, quia maior dignitas est in sexu virili, dixit *Vlpian. in l.* 1. *ff. de Senator.*

Succedit dignitas dignitati, sicut persona personæ, inquit *Glos. verbo, Executores, ad fin. in Extrauag. Vnica de offic. delegat. int. comm.*

Tantò est accuratius cogitandum, & attentius præuidendum, quanto maioris eminent altitudine dignitatis, dixit *Benedict.* 11. *in Extrauag. Sancta Romana* 3. *de elect. int. comm.*

Est tantò grauius vendicandum, quantò maiori præmminet dignitate, & eorum exemplo, facilius alij poterunt ad similia prouocari, dicitur *in cap. Cum quidam* 12. *de iur. iur. vbi Glos.* 1. sic. Patet, quòd dignitas delinquentis aggra-

grauat peccatum &c. Argumentum contrà &c. Nam in quantitate contemptus metitur Deus quantitate reatus; quantum enim affligitur iustus, tantum amat &c. ergo à simili quantum contemnit, tantum peccat, quantò verò quis maior est, siue in maiori dignitate, tantò magis præsumitur peccare, & contemnere, vnde, quod dicitur dignitas delinquentis aggrauat peccatum, melius diceretur aggrauat peccantem, quia præsumitur, quòd plus contemnit, vnde ratione præsumptionis tantum maior pænitentia illi imponitur, quia Ecclesia nescit conscientiam illius tamen potest esse, quod plus contemneret aliquis rusticus, quàm magnus prælatus; vnde Ouuid.

Peius adulterio turpis adulter obest.

Vox vnius potior est, quam alterius ratione dignitatis, sicut in testibus, inquit *Glos.* 1. *in cap. Cum olim* 12. *de re iudic.*

Secundum dignitatem cuiuscumque quilibet honorandus est in sede, &c. Et qui prior est in eodem ordine, vel dignitate ordinatus, in loco, & subscriptionibus præmitti debet, vt dixit *Glos. verbo, Primum locum in cap. statuimus* 15 *de maior. & obed. & probat l.* 1. *C. de Consulib. lib.* 12. ibi, Quis enim in vno, eodemque genere dignitatis prior esse debuerat, nisi qui prior meruit dignitatem, & *in l. vlt. C. de praefect. prator eodem lib.* ibi. Sic igitur sedes prior prouectis ante locus conspectior cernendi, loquendiq; facultas antiquior, cui est splendor adepti magistratus vetustior; & *in l.* 1. *C. de prapos. sacro. cubi. ibi.* Cum manifestè sit decretum eum esse potentiorem, qui præcesserit, vel illum subsequi, quem recentius probauerit examen, & *in l. Vnicuique* 7. *eodem tit. ibi.* Vt nemini penitus liceat, cum sit posterior tempore, locum præcedentis ambire, nisi fortè ab eo, qui tempore vincitur, laborum comparatione superetur, vt is primatum eiusdem scrinij testimonio cum sacramenti religione subnixus, præcedentibus dignior iudicetur. *C. de promixim. sac. scrin. eod. lib.* 12.

Hinc trade, quod digniores altiori loco sedere debent, & est altior, qui proximior domino est, tyrones vero posteriori, vt &c. *Glos. verbo, Altiori, in §. Aliam vero de bonor. poss. in Instit. & glos. verbo, & vilioris, in cap. sedes* 15. *de rescript.* ibi. Et is, qui maioris dignitatis est, debet præponi, vbi alia, & ex *Virg.* versus.

Ab Ioue principium musa Iouis omnia plena.

In numero autem creditorum pari, authoritatem eius sequitur prętor qui dignitate eos præcellit. Sin autem omnia vndique in vnam æqualitatem concurrant, humanior est sententia à prætore sequenda, inquit *l. Maiorem ff. de pact.* non enim præferenda est dignitas, nisi cum numerus est par, vel in modicum excedit, vt dicit *Glos. verbo, Numerus, in cap. Dudum* 22. *de elect.*

Est notabile, quod defertur maioribus in pænis inferendis propter dignitatem, inquit *Glos. verbo, Compelli, in cap. Sane* 11. *de offic. delegat.* & videtur probari *ex tex. in cap. Pastoralis* 28. *eodem tit.* ibi in coactionibus inferendis dignitati deferat, & personæ. Extendendus est namque fauor dignitatis, vt dixit *Glos. verbo, Prastat, in Auth. constitut. qua dig. coll.* 6.

Quæsita dignitas liberis propter casum patris remoti à Senatu auferenda non est dixit *Papinian. in l. Filium* 9 *ff. de Senator. & in l.* 7. *§. vlt. ad fin. eod. tit.* sic. Vt aui potius ei dignitas prosit, quàm

quam obsit casus patris, & *in l. Generali* 34. *ff. de rit. nupt.* ibi. Nam quæsita dignitas liberis propter crimen patris auferenda non est.

Dignitas filij gloria, & laus patris cum vna sit persona, & contra dedecus patris, filij videtur & filj iniuria patris est, inquit *glos. verbo, Occasionem, in Auth. const. quæ de digni.* §. 1. *coll.* 6. *per tex.* ibi. Hoc enim multò maior patri laus erit, & lætitiæ occasionem præbebit magnæ.

Dignitas Patritiatus, consulis, Episcopatusque eximit à patria potestate, vt *in verbo, Pater, & verbo, Episcopus, & glos. penult. in cap.* 3. *de atat. & qualitat.* sic. Dignitas Patritiatus soluit Ius patriæ potestatis; ergo multò fortius sacerdotium, & quilibet sacerdo.

De Cardinalatus autem dignitate non est dubitandum; cum maior sit Pontificali, vt probat *glos. verbo. Alia superiori in Extrauag. Vnic. ne sed vac.* ibi. Et secundum hoc est iste textus, & sequens in argumentum, quòd dignitas Cardinalatus est maior Pontificali, licet per aliquos dici consueuerit, quòd Episcopalis dignitas sit maior, quam dignitas Cardinalatus.

Dignitas Sacerdotalis ne mercetur. Vide, *Sacerdos*.

De dignitate Præfecti Prætorio inquit *l. Vnica ff. de offic. Præfect. Prætor.* sic Credidit enim Princeps eos, qui ob singularem industriam explorata eorum fide, & grauitate ad huius officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret iudicaturus.

Dignitas semper in quolibet actu debet salua remanere, vt inquit *l. Nepos proculo* 125. *ad fin. ff. de verbor. sig.* ibi. Cum salua mea dignitate potero; & consonat *tex. in cap.* 3. *in fin. de autk & vsu pal.* ibi. Quoniam si oporteat, vt nos, vel tu ex hoc negotio confundamur, eligemus potius te confundi, quàm lędamus sedis Apostolicæ dignitatem.

Dignitas sola nō incutit metum, licet faciat præsumptionem violentiæ; vt habes verbo, *Metus*.

Dignitas non moritur, vt inquit *glos.* 1. *in cap. Significauit* 36. *de rescript. & in cap. Quoniam Abbas* 14. *de offic. delegat. verbo, substitutum* ibi. Dignitas numquam perit. Vnde, quod Principi relictum est, si antequam dies legati cedat ab hominibus ereptus est, successori eius dabitur, vt inquit *l. Quod Principi* 58. *ff. de legat.* 2. *ex ratione positâ ibidem per Bart. in summ.* quia scilicet fuit dignitati relictum, quod quidem non procedit in casu *l. sequentis*, vbi ità dicitur. Si Augustæ legaueris, & ea inter homines esse desierit, deficit, quod ei relictum est.

Malus prælatus, & si non habeat diadema sanctitatis, habet tamen diadema dignitatis, quæ ex se, nec de se peccauit, licet suppositum, cui dignitas inerat, malè egerit, propter quod dignitas sibi coniuncta imperfecta fuit, ità ponit *glos. verbo, Bonæ memoriæ, in Extrauagante vlt. de haret. int comm.*

Actio de dolo non datur humili aduersus eum, qui dignitate excellit, vt puta plæbeo aduersus consularem receptæ authoritatis, vel luxurioso, ac prodigo, aut alias vili aduersus hominem vitæ emendatioris, vt dicit *tex. Non debet* 12. *ff. de dolo*.

Priuilegium durare etiam finita dignitate, inquit *glos.* 1. *in l. Vnica Cod. de magistrat. sacr. scrin. lib.* 12. *per text.* ibi. Post depositum etiam officium.

Non iuuatur officio, vel dignitate, qui eam malè seruat, dixit *glos.* 2. *in l.* 3. *C. de curios. & station. lib.* 12. & qui digni-

dignitate, vel officio fuit priuatus cum dedecore extinctus, & mortuus reputatur, vt habes verbo, *Mors*.

Turpitudo quælibet priuat aliquem dignitate, vt dixit *Glos. verbo, Turpiter, in l. Si quis in pignore 36. ff. pignor. action. per l. 2. C. de pignor.* Vnde nec famosis, & notatis, & quos scelus, aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt, vt inquit *l. 2. C. de dignit. lib. 12. & Glos. verbo, Emmendatus, in cap. Testimonium 54. de testib. &* infamibus portæ dignitatis non debent patere &c. Cum dignitas vnumquemque criminosum non debeat, sed pœna comitari *l. Ne quis 38. C. de decurion. lib. 10.*

Vilissimus computandus est, qui præcellit dignitate, nisi præcellat alios scientia, & sanctitate, inquit *Gl. verb. Multò fortius, in c. Cum in cunctis 7. de elect.*

Quis ex vltimis negotiatoribus monetarijs, abiectisque officijs, vel deformibus ministerijs &c. omnique officiorum fæce &c. aliqua frui dignitate pertentare non debet; dicit *tex. in l. Nequis 6. C. de dignit. lib. 12.*

Hoc ipso, quod conceditur dignitas, videtur remitti infamia, inquit *Glos. verbo, Penitus, in l. Imperialis 23. §. Similes verò C. de nupt.* cuius verba sunt. Ex qua dignitate, & aliam etiam maculam, per quam certis hominibus legitimæ coniungi mulieres prohibentur, aboleri penitus oportet.

Ad vnam dignitatem reputatus dignus, ad aliam etiam reputari debet, vt infrà in verbo, *Sequenti*.

Dignus, vel contra.

EIS gradus cæteros antecedit, quem labor prolixior, vel stipendia meliora fecerint anteire, inquit *Glos. verb. Digniores, in c. Cum dilectus 32. de elect.*

Nota quemlibet præsumi dignum, nisi probetur indignus, & de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium &c. Sed contra videtur, quia præsumitur non idoneus, nisi probetur idoneus &c. Solue; hoc generale est, vt vbi periculum animæ vertitur, præsumatur in deteriorem partem &c. Sed licet videatur deterior, tamen melior, & tutior est &c. alias circa iudicia potius præsumitur iustum, vel bonum, quàm è conuerso, ità dicit *Glos. vlt. in cap. vnico de scrutin. in ord. fac. & Glos. verbo, Scientia, in cap. Si fortè 11. de elect.* sic dicit. Vbi nil facere habeo cum homine, præsumere debeo illum dignum; sed vbi dare volo filiam meam, idest Ecclesiam, in sponsam, debeo inquirere de dignitate sponsi, saltem quoad expressa *in c. Cum in cunctis de elect. &c.* Et quia eligens inuenire tenetur conditionem debitam filiæ.

Qui reputatur dignus in vna dignitate, si postea eligatur ad alteram, etiam tunc dignus debet reputari &c. E contra verò, qui reputatus est indignus in vno officio, debet indignus haberi in alio, vt inquit *Glos. verbo, Reputare, in cap. Accipimus 13. de ætat. & qualitat.* Et facit *Glos. verbo, Per te in cap. Si Episcopus 37. de præb. lib. 6.* ibi. Nec poterat sibi indignitatem ad beneficium obijcere, ex quo illum dignum ad ordines esse reputauit.

Habes, quòd minus dignum attrahit ad se magis dignum, dixit *Glos. verbo, Delegare, in cap. Super 27. §. Si verò de offic. deleg.* Et est notabile cum alias dicat *Cap. Vnicum de consecr. Eccles. lib. 6.* sic. Ne minus dignum maius, aut accessorium principale ad se trahere videatur, *cap. Quod in dubijs extr. eod. tit.* ibi. Nec negamus, quin oleum non consecratum cõsecrato possit oleo commisceri, quod non procedit in vino, si apponantur sanguini, vt *in cap. Cum Martha §. Quæsiuisti verf. præterea.*

tarea de celebr. miss. ibi. Quia, si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec commiscitur, sed accidentibus prioris vini coniunctum corpori, quod sub eis latet, vndique circumfunditur, non madidans circumfusum.

Iuxtà Canonicas Sanctiones nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni ad regimen animarum assumantur, ità proclamat *tex. in Extrauag. 3. de prab. int. comm.*

Indigni sunt hæreditate, qui omiserunt accusare necem defuncti *l. 1. C. de ijs quibus, vt indign.* & cum fructibus tenentur illam restituere ex ratione ibi. Nec enim bonæ fidei possessores videntur esse, qui debitum officium pietatis scientes omiserunt.

Qui indignus est inferiori ordine, indignior est superiori, vt dixit *Glos. vlt. in in cap. Priuilegia de pac. const. per tex. in l. Qui indignus ff. de Senator.*

Dilatio.

Circa hanc dandam æstimare oportet eum, qui ius dicit pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis, vt inquit *l. Nonnumquam 72. ff. de iudic.* *vbi Glos. verbo, Temporis*, notat, quod possunt diminui dilationes illæ, de quibus *in tex.*

Humanum est propter fortuitos casus dilationes accipi dicit *l. Interdum 36. ff. eod. tit. de iudic.*

Materia dandarum dilationum est amputanda, vt dixit *Glos. verbo, flagitauerit per tex. ibi in l. 1. C. de dilation.*

Dilatio plus reo, quàm actori conceditur, & est ratio, quia non est in rei potestate, quando conueniatur, sed actori, quando agat, vt inquit *Glos. verbo, Profe rat, in l. Petenda 6. C. de tempor. in integr. restit.* cuius verba sunt. Dilationem petitori denegari cõueniat. In eius enim arbitrio fuerat, tunc inferre litigium &c. quod si defensio rei &c. quia nequaquam steterat in ipsius potestate, quando litigio pulsaretur. Et probat *l. 2. C. de dilat.* ibi. Illi enim, qui ad iudicium vocatur, danda est, &c. quoniam instructus esse non possit, qui præter spem ad alienum iudicium trahetur. Non tamen per dilationem agi aliquid debet aduersus actorem, vt dicit *tex. in Auth. de exhiben. re §. Si verò semel coll. 5.*

Bald. in l. 2. §. fin. ff. siquis caution. & scribentes vbique reputant singularem *Glos. verbo, Accusari, in l. 1. si cui 7. §. eisdem criminibus ff. de accusat.* ad hoc, quod si quis petat sibi dari nouam dilationem, eo, quia dicit ignorasse primam, quia fortè non fuit sibi personaliter data, seu notificata, sed ad domum tantum; & ità iurat, sufficit tale iuramentum, ità dicit *Apostilla ad prædictam Glos. verbo, Accusari.*

Si dilatio à reo impetratur, etiam actor in requirendis probationibus vti minimè prohibetur, inquit iam allegata *l. Petendæ C. de tempor. in integr. restit. vbi glos.* ait habet per alium, quod per se habere non potest.

Iusta est causa dilationis propter scripturam; dixit *Glos. in l. Illeà quo 13. §. 1. ff. ad Trebell. in verbo, verba fideicommissi.*

Et propter aduocatum datur dilatio, dixit *Glos. verbo, Continenti in l. 3. §. Eum igitur ff. de vi, & vi arm. vbi Apostilla* limitat.

In dilationibus, vsque, semper includit, vt dicit *Apostilla ad l. Filius familias 117. ff de legat. 1. super verbo, Vsque ex Bald. ibi allegato.*

Pendente dilatione iudicis officium conquiescit, nisi partes consentiant, &c. Ex causa tamen mutatur dilatio quandoque

doque, vt inquit *Glosa verbo, Præuenire, in cap. Significante 69. de appell.*

Dilationem puto semper posse abbreuiari, quia inuenio à lege datam dilationem posse abbreuiari; vt &c. Item consuetudo, sic vult, & interpretatur: ergo seruandum est, vt &c. Ità ponit *Glos. verbo, Hoc est viginti, in Auth. de exhibendis reis §. Illud quoque coll. 5.*

Confitetur de omnibus quisquis se subterfugere iudicium dilationibus putat inquit *Cap. Nullus 4. de præsump.*

Quod differtur, non aufertur, dixit *glos. verbo, Differtur, per tex.* ibi *in §. Libertas de singul. reb. per fideic. relict. in Instit.*

Dilectio.

PRobatio dilectionis est operis exhibitio, inquit *Diu. Gregor. moral.*

Diligere etiam proximum, quem in se Dominus censuit diligendum: in ipso amore reseruare legitimum modum, peruertere dilectionis ordinem constitutum. Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est, diligunt, aut corpora sua minus diligenda, plus diligunt, aut proximos, non sicut se ipsos, aut Deũ plusquam se ipsos fortè non diligunt. Corpus nostrum, quia pars nostri est, ad hoc nobis diligendum est, vt saluti eius, ac fragilitati, naturaliter consulamus, & agamus, quatenus spiritui, ordinatè subiectum, ad æternam salutem, accepta immortalitate, & incorruptione præueniat.

Proximos autem tunc diligimus, sicut nos si non propter aliquas vtilitates nostras; non propter speranda beneficia, vel accepta, non propter affinitates, vel consanguinitates, sed propter hoc tantum, quod naturæ nostræ sunt participes diligamus, ità dicitur, *in cap. Charitas il 1. de pænit. dist. 2.* vbi etiam dicitur, qui sint proximi ibi. Proximi nostri credendi sunt omnes homines (sicut dixi) naturæ nostræ participes.

Omnis, qui non diligit, odit *Augustin. in cap. tolle de pænit dist. 2.*

Quod, quis non eligit, nec optat profectò non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit *cap. Præsens post med. 20. q. 3.*

Melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtilius exurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitia negligat, quàm exurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat, inquit, *Augustin. cap. Nimium 23. quæst. 4. facit etiam, cap. Non putes te tunc amare seruum tuum, quando eum non cadis 23. quæst. 5. & cap. non vos hominum post med. 23. q. 5.* ibi. Nam in corripiendo filium, quantumuis asperè, nunquam paternus amor amittitur,

Nota, quod pater plus diligit filium, quàm se ipsum. Illud constat; quod plus pater filium, quam filius patrem diligit, &c. & est ratio, quia esse siue perseuerantia plus in patre per filium, quam in filio per patrem inuenitur, & hoc est naturale, quod res plus perseueraturas, quis plus diligit, ità inquit *glos. vlt. in l. Isti quidem in fine ff. quod met. cau.*

Quare ergo non amamus cęlestia, si in æternum sunt perseueratura? Filij verò huius sæculi plus diligunt patres, quando ipsi patres minus perseueraturi sunt in sæculo, vt eis citius hæredes fiant.

Pios tamen filios debuisse manumittere eam, quam pater suus dilexisset, inquit *l In testamento 38. ff. de fidei comm. libert.*

Nemo tenetur alium plus diligere, quàm

se ipsum, quia charitas bene ordinata incipit à se ipso, vt inquit *Glos. vlt. in cap. Petitio 31. de iur. iur. l. Praeses vbi notat Bald. C. de seruit. & aqua* & facit *Glos. in cap. 3. de author. & vsu palij ibi*. Potius tenemur nos magis diligere, quam alium. Nam quisque regulam diligendi, proximum à semetpso accipit &c. & agris tuis sitientibus, alij irrigandi non sunt &c. & quilibet sibi faciat eleemosynam, deinde proximo &c. Vnde etiam mihi possum consulere, cum damno alterius.

Dilectionis, est iustos animi motus vsurpare, vt etiam, si iusti cognoscantur non ad executionem mandentur contra dilectos, vt probat *optimus tex. in cap. 3. de offic. legat.* .. ibi. Nisi specialis illa dilectio, quam ad personam tuam habuimus, & habemus iustum motum animi nostri temperaret.

Diligentia.

FRuctuosa est, negligentia verò nocíua, vt dixit *Glos. verbo, Non obdormiat, in Auth. deposit. & de nunc. coll. 6.* Vnde diligentior quisquam deterioris conditionis non debet haberi, vt dicitur *in l. Incompensatione 8. ff de compens. & probat Glos. verbo, Cui, in l. Si merces 28. §. vis maior ff. locat.* ibi, Quia mea diligentia, quam in ampliatione fructuum adhibiti, mihi nocere non debet, sed prodesse. vt &c. & *Glos. in l. Qui à debitore 18. ff Qui potior in pign. & Glos. penult. in cap. Cum clerici 6. de pact.* ibi. Ne diligentia sua sit illis damnosa, & facit *l. Si non expedierit 6. §. 1. ff. de bon. author. iudic.* ibi. Ne alterius, aut negligentia, aut cupiditas huic, qui diligens fuit, noceat, nec enim diligentia pænas negligentiæ pati debet, vt dicitur *in l. vlt. C. de posit.* ibi. Ne industria pænas desidiæ soluat facit etiam *l. vlt. C. de aluuion.* ibi. Ne doleant diligentes operam suam agri dedisse culturæ, nec diligentiam suam sibi damnosam iudicantes intelligant, vbi *Glos. verbo, Doleant sic addit.*

Nam, cum labor in damno est, mortalis crescit egestas.

Diligentiam, & solicitudinem magis, quam cæteri debent magistri præstare, vt habes verbo, *Magister*.

Diligens quis esse debet ad eum modum, quem hominum natura desiderat, vt inquit *Glos. verbo, Contractus, in l. 24. ff. de reg. Iur.* & ideo non videtur imputandum, si adhibuit diligentiam, quàm potuit, vt inquit *Glos. verb. Cum diligentia, in cap. ad aures 7. de ætat. & qualit.* vbi ponit hunc versum.

Non est in medico semper releuetur, vt æger.

Diligentiam eam desiderare debemus, quæ domino, non quæ seruo fuerit vtilis; Erit autem ei diligentiæ comuncta bona fides non solum in rationibus dandis, sed etiam in reliquo reddendo, inquit *l. Labeo 21 ff. de statulib.*

In rebus dotalibus virum præstare oportet tam dolum, quàm culpam, quia causa sua dotem accipit, sed etiam diligentiam præstabit, quàm in suis rebus exhibet, ita inquit *l. 18. ff. de Iur. Dot. & ibidem Glos. verbo, Culpam intelligit*, scilicet leuem, vel leuissimam: si diligentissimus erat in suis. Cum si culpandus erat in suis rebus, culpandus erit in dotalibus; si enim minus diligens in suis fuit, non ideo parcendum est sibi in dotalibus; *& in l. Si constante 25. §. Si maritus ff. solut. matr.* ità dicitur. Quamuis enim diligentiam vxor eam demum ab eo exigat, quàm rebus suis exhibet, nec plus possit, attamen sæuitia, quæ in proprijs culpanda est, in alienis coercenda est; vbi *Glos. verbo, Culpanda*, ità dicit. Nota, quòd in bono, idest diligentia exigitur, & sufficit paritas in suis, & in dotalibus, sed

sed in malo non toleratur paritas.

In commodato talis diligentia præstanda est, qualem quisquam diligentissimus pater familias suis rebus adhibet itaut eos casus non præstet, quibus resisti non potest, ità *l. In rebus ff. commodati*; quæ enim cura, & diligentia consequi possumus, ne quis damnum nobis iniuria det? inquit *l. Ad eos in fin. ff. eod. tit. vbi Glos.* sic respondet. Nulla &c.

In societate sufficit talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem suis rebus adhibere solet; quia qui parum diligentem sibi socium acquirit, de se queri debet dicit *l. Socius socio* 73. *ff. pro soc.*

In exactore, inquit *l. Si cum fundum* 68. *ff. de contrab. empt.* hæc verba. Existimo te in exigendo non solum bonam fidem, sed etiam diligentiam præstare debere, idest non solum, vt à te dolus malus absit, sed etiam, vt culpa.

In soluente, ait *l. Cum de indebito* 25 *ff. de probat.* sic. Qui enim soluit numquam ità resupinus est, vt facilè suas pecunias iactet, & indebitas effundat, & maximè si is, qui indebitas dedisse se dicit, homo diligens est, & studiosus paterfamilias, cuius personam incredibile est in aliquo facile errasse, vbi *Glos.* notat diligentem non esse verisimile errare.

In mutuante inquit *l. 3. §. 1. ad fin. ff. de in rem vers.* sic. Curiosus igitur debet esse creditor, quo vertatur, vbi *Glos. verbo, Quo vertatur*, ità dicit. Hoc speciale, vt tantæ debeat esse diligentiæ, vt videat, vbi expendantur. Sicut in eo pretio, quod datur Ecclesiæ, vt *C. de sacros. Eccles. Auth. Hoc Ius*. At in eo, qui mutuat ad nauem exigo minorem diligentiam, vt &c. In alijs autem medium teneo, vt *de iur. & fact. ignor. l. Ne supina &c.* nisi in casu, vbi debeat dissimulare, si scit, vt *de nouationib. l. Doli in fin.*

In contractu cum muliere celebrato plurimum interest; verum cum muliere quis ab initio contrahat, an alienam obligationem in eam transferat; tunc enim diligentiorem esse debere, inquit *l. Vir vxori* 17. *ff. Ad Vellean.*

Diligentiam præsumitur adesse, cum res suas, quis habet saluas alienis non apparentibus, inquit *Gl. vlt. in l. Quod Nerua* 32. *ff. deposit. per tex. in l. 1. C. locat.*

Delitiæ.

SVperfluæ, & exquisitæ sunt vitijs alimenta, dixit *gl. verb. Fomentū, in Extrauag. Execrabile 4. de preb. int. comm.*

Simplici cura constant necessaria, in delitijs laboratur etiam dixit *Senec. Ep.* 91. *post princ. & Epist.* 87. *etiam post princ.* sic: Eo dilitiarum peruenimus, vt nisi gemmas calcare velimus.

Diminutio.

QVod vsu captum est diminutum dicitur. Deperditum verò, quod in rerum natura esse desijt; inquit *l. Deperditum* 24. *ff. de pet. hered.*

In l. 1. ff. Si quid in fraud. patron. ita inuenies. Quod si noluit obtinere, cum peteret &c. puto hunc diminuisse de patrimonio; actionem enim de bonis diminuit, quemadmodum si passus esset actionis diem abire.

Ea demum obligatio rei bonis diminutionem præstat, quæ in hæredem transit, dicit *l. Pœnalis* 32. *ff. ad l. Falc.*

Cum autem rogatus quicquid ex hæreditate superesset post mortem suam restituere de pretio rerum venditarum alias comparat diminuisse, quæ vendidit, non videtur; inquit *l. Imperator.* 72. *§. vlt. ff. de legat. 2.* vbi notat *Apostill.*

Ademptio, quò minus, non quo magis legatum debeatur, interuenit dicit *l. Legata inutiliter* 14. *ff. de adimen. legat. &*

facit l. Cum tale §. vlt. ff. de condit. & demonstr. ibi. Non animo legandi, sed diminuendi legatum, quod falso datum existimaret, ità scriberet.

Diminutio hæreditatis non attenditur in alimentis præstandis, vide verbo, *Alimenta*.

Quod dicitur necessarias impensas dotem minuere, quomodo intelligatur, vide verbo, *Impensa*.

Discere.

EGO Senex à puero nondum anniculo paratus sum edoceri, *ex Diu. Augustin. relato in cap. Si habes 24. q. 3. & tradit Glos. verbo, Plerumque in c. Nisi 10. de renunc.* ibi. Si vnum pedem haberem in sepulchro; adhuc addiscere vellem, quod deduxit *ex tex. in l. Apud Iulianum 20. ff. de fideicom. libert.* ibi. Nam ego discendi cupiditate, quam solum viuendi rationem optimam in octauum, & septuagesimum annum ætatis duxi, memor sum eius sententiæ, quam dixisse fertur (& est scripta græco sermone, quæ latinè sic conuertitur (Et si alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiscere.

Tamdiu discendum est, quamdiu nescias & si prouerbio credimus, quamdiù viuas dixit *Senec. Epist. 77.*

Multo tempore disce, quæ postmodum doceas; dixit *Hieronym. ad Rustic. relatus in cap. Sic viue 16. quæst. 1. & in cap. sequenti idem Hieronym.* Discas, quod possis docere &c. Ne sis miles priusquam tyro, ne prius magister sis, quam discipulus. Ridiculum est enim velle docere, qui non dum discere didicerunt, vt inquit *Glos. verbo, Qui enim in Auth. de santiss. Episc. §. 1. coll. 9 & Glos. verbo, fieri in l. 1. C. de excusat. artif. lib. 10.* ponit hos versus.

Discere si quaris, doceas, sic ipse doceris:
Nam studio tali, tibi proficis, atque sodali.

Omnes adhuc discere possunt, & omne artificium incrementum recipit. Quod magis obtinere debet, quia humanæ naturæ congruum est; dicitur *in l. Legatis 63. §. Ornatricibus ff. de legat. 3. vbi Glos. verbo, humana natura,* ità dicit; quæ addiscere affectat. Contra naturam ergo facit, qui discere non desiderat. Nam etiam, quod discere superuacuum est, prodest cognoscere, vt dixit *Senec. lib. 6. de benefic. cap. 1.*

In modico tempore non potest quis multum addiscere, quia nemo repente fit summus; licet quandoque ingenium suppleat tempus in bene studentibus, sicut industria; nec sufficit diù in scholis fuisse, sed laudabiliter vixisse inquirendum est, vt dixit *Glos. verbo, Instructus, in cap. Tum litteris 5. de in integr. restit.*

Non ne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem discipulus magistrum sibi conetur subiugare? ità dicit *cap. Quis dubitet 96. dist.* Et ità pater debet cupere peritior fieri, vt suos filios erudiat, prout dicitur *in l. 1. C. de excusat. artific. lib. 10.*

Stultus est, qui se in eo primum existimat, vt bona, quæ viderit discere, contemnat, vt dixit *cap. de Constantinopolitana 22. dist. & tradit Glos. verbo, Opprobrium, in cap. Vlt. 38. dist. vbi tex.* sic. Qui enim rebelliter viuit, & discere ac agere bona recusat, magis Diaboli, quàm Christi membrum esse ostenditur; & potius infidelis, quàm fidelis esse monstratur. Et tamen, vt dixit *Plinius*, sunt plerique, qui optima quæque malunt contemnere, quàm discere.

Si autem vis discere, sequere consilium, *Glos. verbo. Alteri in §. vlt. proœmij Inst. in addit.* contentum in his versibus.

Si

Si quis fortè velit Iurisconsultus haberi,
Continuet studium velit à quocumq; doceri.
Inuigilet, nec vincat eum tortura laboris.
Fortior insurgat, cunctisque recentior horis.

Disciplina.

ECclesiastica disciplina spirituali gladio, non materiali feriri iubet, illo videlicet gladio, quo Petrus iubetur mactare, & manducare, de quo etiam Christus ait in Euangelio, Non veni pacem mittere in terram, sed gladium; ità inquit *cap. Interfectores* 33. *q.* 2. Dignum est enim, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Ecclesiasticæ coerceat seueritas disciplinæ, vt ait *tex. in cap. Cum in cunctis* 7. §. *vlt. de elect.*

Vbi gubernaculum disciplinæ contemnitur, restat, vt religio naufragetur. *Clement.* 2. *de stat. monac. vbi glos. verbo, Contemnitur*, sic ait. Vbi non timetur reprehensor, securus accedit tentator. Tamen propter scandalum veritas disciplinæ potest deseri, vt dixit *glos. verbo, vbi periculum, in cap. Cum quis* 23. *q.* 4. & latius inuenies infrà verbo, *Veritas*. Vide etiam alia verbo, *Correctio*.

Dispensatio.

DIcitur Iuris rigorosi relaxatio. Et an sit debita, vbi causa subest, & à quo Iure peti posſit, & an peccet non dispensans, quando causa subest? Videas *Glos. in verbo, Dispensatiuè, in Extrauag. Vnica de præb.*

In dispensationibus vti ambitiosis stricta debet fieri interpretatio, vt dixit *glos. verbo, Dispensationes, in cap.* 3. *de offic. ordin. lib.* 6. Et probat *cap.* 1. §. 1. *de fil. presb. eod. lib.* ibi. Dispensationis huiusmodi quam exorbitantem à Iure oportet, veluti odium restringi.

Si verò de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitatur, super hoc erit ad Sedem Apostolicā recurrendum, cuius est æstimare, quem modum sui beneficij esse velit; inquit *cap. Ordinarij de offic. ordin. lib.* 6.

Si vrgens, iustaque ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerint cum aliquibus dispensandum esse id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliter dispensatio subreptitia censeatur; ità disponit *Concil. Trid. Sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.*

Aliâs non est securus, quo ad Deum, cum quo Papa dispensat, nisi subsit causa dispensandi; sicut nec dicitur absolutus, qui causam absolutionis supprimit, vt dicit *Glos.* 2. *in cap. Non est* 5. *de vot.*

Vbi Pater familias largus est, dispensator, non debet esse tenax, si Deus benignus, vt quid Sacerdos eius austerus vult apparere? inquit *Chrisost. in cap. Alligant* 26. *q.* 7.

Multitudo dispensationem inducit; vnde versus.

Ob populum multum crimen pertransit inultum.

In multitudine tamen illis non parcitur, quos magis causam delicti esse constiterit, vt omnia prædicta tradit *glos. verbo, Multitudo, in cap.* 2. *de tempor. ordin.*

Circa votum continentiæ fortè non poterit dispensare, quia vix inuenitur melius, in quod posset commutari, dixit *glos. verbo, Apostoli, propè fin. in cap. sunt quidam* 25. *q.* 1. Aliam rationem ponit *Glos. verbo, Triduum, in cap. Ad nostram* 8. *de regular.* ibi. Contra votum continentiæ nō admititur

titur dispensatio, quia continentia castitatis, & abdicatio proprietatis ita inhęrent ossibus monachorum, vt nec summus Pōtifex valeat dispensare.

Dispensatus in spiritualibus an videatur etiam in temporalibus dispensatus? Latè habes in verbo filius ligitimatus.

Dispensatio in genere respicere debet tantum minoritatem &c. argumentū contra &c. Sed tutius est tantum intelligere de minoribus, vt dixit *glos. verbo, Ordinari, in cap. litteras 14. de fil. presb.*

Generaliter vbicumque non prohibetur dispensatio, intelligitur esse permissa; *Glos. verbo, minora, in cap. At si Clerici 4. §. de adulterijs de iudic.* Et si latius vis de hoc scire, vide alteram *Glos. ibidem in verbo, Dispensare. Et glos. verbo, Retinuit, in cap. Nuper 29. de sentent. excomm.* ibi. Episcopos posse dispensare, vbi specialiter dispensatio non est inhibita; facit etiam *glos. in cap. Excommunicamus 13. §. Credentes de haret. in verbo; Apostolica* ibi. è conuerso, ex quo sibi nō reseruat alijs indulgere videtur.

Dispensationem non operatur expresio beneficij, sed hoc solum, quod litteræ subreptitiæ non dicuntur; tradit *Glos. 1. in cap. Gratia 7. de rescript. lib. 6. Et in Clement. 1. de preb. verbo, Alteri*, ibi. Cum ergo per expresionem nulla fiat dispensatio, sed solum vitatur subreptio. Contrarium tamen video apud Curiales obseruari.

Habentes dispensationem propter studium, studere debent, non in castris, vel villis, sed in studio generali, vt dicit *Glos. verbo, litterarum, in cap. Cum ex eo 34. de elect. lib. 6.*

Dispensatio semel facta non est reuocanda amplius, sicut nec iniuriæ remissio. Immò beneficium decens est esse mansurum; Deus enim dona sua multiplicat, vt dixit *glos. verbo, irritari, in cap. Ex tua 9. de fil. presb.*

Dispositio.

VBI non præcedit, ibi lapsus temporis pro se non habet dispositionem inducere. Item verba, quæ sunt ordinata ad negandum, vel priuandum, non disponunt, vt per Iura, quæ ibi tradit *Glos. verbo, Non ammittant, in cap. Vassalli de pac. const.*

Quod in dispositione declaratum non est, non debet intelligi dispositum, quando sunt diuersa ea, super quibus disponitur, vt *in cap. 2. de translat. Episc.* ibi. Vnde si circa translationem idem fieri voluisset, quod de cessione dixerat, & de translatione poterat expressisse. Et quod non est sanctorum Pātrūm decreto sancitum, superstitiosis non est adinuentionibus præsumendum.

Nota, quod in interpretatione cuiuscunque dispositionis tria sunt attendenda, persona scilicet loquens, & illius cui loquitur, & vis loquutionis; ità notauit *Abb. in c. solita notab. 3. de maior. & obed.*

Generalis dispositio debet referri ad species non prouisas, vt deducitur *ex l. sanctio legum*, quæ nouisimè pænam generaliter irrogat ei, qui legis præceptis non obtemperauit; ad eas species pertinere non videtur, quibus ipsa lege specialiter pæna est, *ff. de pæn.*

Diuersitas.

NImia religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducit *cap. vlt. de religios. dom.* idem probatur *in cap. 1. eod. tit. lib. 6. & latius habes infra verbo, Religio.* Vnde dicit *glos. vlt. in cap. Deus 11. de vita, & honest. cleric.* sic. Cum autem isti sint diuersarum professionum, simul non possunt esse in vna Eccle-

sia, quia dicit Canon. Homines diuersæ professionis non sociabis in vno, eodemque officio &c. Nam ex diuersitate habitus generatur scandalum. Quod ampliat etiam *Glos. verbo, sæculares in c. vt iuxtà 17. de offic. Ordinar.* Quando sunt diuersa studia ibi. Quia etiam cohabitare, & coniungi non possunt, quibus studia sunt diuersa.

Diuersitas contradictionem impedit, sicut dicitur diuersum tempus impedit contradictionem, inquit *Glos. verb. suspendatur, in fin. in cap. Nihil. 44. de elect.*

In his, quæ ad solemnitatem spectant, diuersa tenere, non est peccatum, quia vnaquæque Prouincia abundat in suo sensu, dixit *Glos. verbo, Alij in cap. 4. de fer.*

Diuersi processus negotia solent intricare, vt probatur *in cap. 3. de ordin. cogn.* ibi. Nihil aliud esset, quàm diuersis processibus intricare negotium, & confusione quadam iudicij ordinem perturbare. Hic potest curiosè quæri vnde procedat ista intricatio negotiorum, an à clientulis, qui ità volunt, præcipuè quando sunt rei? an verò ab eorum procuratoribus? verè resolutio valde mihi dubia est, & possem dicere, quod ab vtrisque procedat, & si in errore sum, lector charissime ne sequaris.

Imperfectæ diuersæ species vacationis, licet permixtæ ad excusationem non proficiunt, inquit *l. Vnica C. qui num. tut.*

Non auditur diuersa petens, vt inquit *Apostill. ad l. Professio 6. C. de muner. patr. lib. 10. per tex.* ibi. Professio, & desiderium tuum inter se discrepant.

Diuinare.

Sileat omnibus perpetuò diuinandi curiositas, dicit *l. Nemo aurispicem C. de maled. & Mathem.* & ideo inquit *l. Si fideiussor 29.* ignoscendum est ei, si non diuinauit & *Glos.* addit. Immo puniuntur diuinatores &c. Et ità contrahentes nullus culpabit; quare non futurum scierunt. *Auth. de nupt. in princ. coll. 4. vbi Glos. verbo, Formidauerunt*, sic. Nec enim peccauit antiquitas, si non diuinauit.

Diuisio.

Nota, quod quælibet res diuisa melius intelligitur, inquit *Glos. 1. per tex. ibi in l. 1. ff. de dol. except.* Nam partitio animum legentis incitat, mentem intelligentis præparat, memoriam artificiosè reformat; vt dicit *Glos. verbo, Easdem, in §. Igitur proam. Instit.*

Est tamen crudelis diuisio liberorum à parentibus, & ab alijs, de quibus loquitur *l. Possessionum 11. C. comm. vtriusque iud.* ibi. Quis enim ferat liberos à parentibus, à fratribus sorores, à viris coniuges segregari, & ego adderem amicos à veris amicis, si veri nostris temporibus inueniuntur.

Diuisus in duo, plenam sui non habet potestatem, inquit *cap. Diuersis 5. de cleris. coniug. vbi Glos. verbo, Diuisus*, addit rationem vulgarem, quia pluribus intentus, minor est ad singula sensus, & dum ad vtrumque festinat, neutrum benè perficit, & ponit versus sequentes.

Qui binos lepores vna sectabitur hora,
Vno quandoque, quandoque carebit vtroque.

Vnitas non recipit diuisionem; nulla enim seruitus diuiditur, licet vsusfructus diuidatur, vt inquit *Glos. verbo, sectione, in cap. Tua 20. de præben.* Tamen

men in cap. Nisi 21. *eod. tit.* dicitur, quod circa prouentus non debet alia fieri sectio, *& ibidem Glos. vlt.* reddit rationem; quoniam sicut Ius diuidi non potest, sic nec fructus, quod intelligerem de Iure percipiendi fructus, non verò de fructibus, postquam sunt percepti, quia isti possunt diuidi, postquam perceptos habeo.

Quod in partes diuidi non potest, ab omnibus quodammodo factum videtur *l. Eadem* 4. §. 1. *ff. de verbor.*

Diuisionis auxilium non est indulgendum fideiussoribus negantibus, inquit *l. Si dubitet* 11. §. *Ita demum ff. de fideiuss.*

Mariti, qui fundum communem cum ano in dotem inæstimatum acceperunt ad communi diuidundo iudicium prouocare non possunt, licet ipsi possint prouocari *l. vlt. C. de fund. dot.*

Propter immensas contentiones plerumque res ad diuisionem peruenit *l. In re* 25. *ff. de seruit. vrban.*

Non debet tamen diuisio permitti in re vectigalis, seu emphyteotica, vt *in l. Communi* 7. *ff. commun. diuid.* ibi. Magis autem debet Iudex abstinere ab huiusmodi diuisione, alias præstatio vectigalis confunderetur, & ibidem *Glos. dicto verbo, Confunderetur*, ponit. Sabbatinam quæstionem in hæredibus emphyteotæ, an quilibet pro sua parte, qua hæres fuit, soluens pensionem, liberetur à pœna caducitatis? Et pro vtraque ponit fundamenta.

Est quædam alienatio per diuisionem, inquit *Glos. verbo, Distrahi, in l. penult. C. de præd. & alijs reb. min.* Quod non intelligas in diuisione facta inter hæredes, vt dixisti supra verbo *Alienatio*.

Per contestationem petitionem diuisam redintegrari Iuris ratio non permittit, inquit *l. Liberum* 16. *C. de fideiuss.* vbi facta diuisione actionis contra vnũ de fideiussoribus, non potest iterum in solidum contra eũ, vel alterũ intentari.

Diuisio aliquando etiam per sortem fieri potest, vt verbo, *Sors* infra dicis.

Idem vitij habet nimia, quòd nulla diuisio. Simile confuso est quicquid vsque in puluerem sectum est, dixit *Senec. Epist.* 90.

Diuitiæ.

Dictæ sunt, quod mentem diuidunt, vt inquit *Ambros. lib. 2. de Abraham c.* 8.

Nullus diuitiarum est finis constitutus hominibus, dixit Solon; at verò *Arist.* contra; inquit enim; diuitiæ sunt instrumenta vitæ, nullum autem instrumentum est infinitum.

Multis parasse diuitias, non finis miseriarum fuit, sed mutatio; non enim in rebus vitium, sed in animo. Illud quoque; quod paupertatem nobis fecerat grauem, & diuitias graues fecit. Quemadmodum nihil differt vtrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces; quocumque eum transtuleris morbum suum secum transferet, sic nihil refert vtrum animus æger in diuitijs, an in paupertate ponatur, malum suum illum sequitur, dixit *Senec. lib. 2. Epist.* 17. *ad fin.*

Diuitias esse causam malorum, non quia ipsæ faciant aliquid, sed quia facturos irritant &c. inflant animos, superbiam pariunt, inuidiam contrahunt, & vsque eo mentem alienant, vt fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet; *idem Senec. ex Posidonio Epist.* 88. *post medium, & in fin.* lic. Bona autem omni carere culpa decet, pura sunt, non corrumpunt animos, non sollicitant, extollunt quidem, & dilatant, sed sine tumore. Quæ bona sunt, magnitudinem animi dant diuitiæ insolentiam. Nihil autem insolentia est, quàm species magnitudinis falsæ, ex qua contumeliosi redduntur elati opum affluentia, vt dixit *Ioseph. l. 4. antiquitat. cap.* 8.

Vnde

Vnde dixit *Iureconsultus in l. 3. ff. de donat. inter vir.* sic. Ne vt melior in paupertatem decidere deterior ditior fieret; posuit namque in paupertate bonitatem, in diuitijs vero malitiam; nã viri boni, etiam si diuites nequeunt habere diuitias, & sic facile ad paupertatem deueniunt, mali verò diuites illas congregant, & tamen minus eas possident, cum ipsis non vtantur, immò abutantur.

Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit, quarum possessione tibi non interdico, sed efficere volo, vt illas intrepide possideas, quod vno consequeris modo, si te etiam sine illis beatè victurum persuaseris tibi, si illas, tamquàm exituras, semper aspexeris; dixit *Senec. lib. 2. Epist. 18. prope fin.*

Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit se posse, & virtutes, & diuitias simul possidere. Nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur, & sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incumbentes, quomodò possumus aliena distribuere qui nostra timidè reseruamus? Dicit *Diu. Hieronymus relatus in cap. Gloria Episcopi 12. q. 2.*

Idem Hieronymus sic dicit. Diuitias habuisti? requiem perdidisti, dum vigilas augmentum diuitiarum cogitas; dum dormis, latronem somnias; in die sollicitus, in nocte pauidus, & sic semper mendicus, vt refert *Apostol.* super verbo, *Diuites, in cap. Hæc autem 30. dist.*

Multum est non corrumpi diuitiarum contubernio. Magnus est ille, qui in diuitijs pauper est, sed securior, qui caret diuitijs, dixit *Senec. lib. 3. Epist. 20. prope fin.*

Diuitiæ bonæ sunt, dummodo ex eis fiat misericordia *cap. Hoc rescripsimus 30. dist. Glos. in cap. 1. verbo Necessitatem 31. q. 1.* & vide *Glos. notabilem in cap. Sicut 45. dist.* vbi diuites possunt compelli eleemosinam facere pauperibus quam intelligo de diuitibus sęcularibus; nam de Ecclesiasticis, & maximè Episcopis, ac alijs, qui redditus habent de Ecclesia, non est dubium, cum de Iure teneantur.

Licet diuitiæ, tamquam viles, & animum inquietantes non possunt dare, nec afferre notabilitatem, tamen possunt esse causam, ob quam viuit nobilitas, & obuenta seruatur, dixit *Bart. in l. 1. C. de dignitat. lib. 12.*

Diuitiæ sunt inuidiæ expositæ, vt dicitur *in l. 2. propè fin. C. Quando & quib. quart. pars lib. 10.* ibi. Quid enim tam durum tamque inhumanum est, quàm publicatione, pompaque rerum familiarium &c. inuidiæ exponere diuitias.

Diuitiæ, nobilitas, & similia an sint præferenda in electionibus? habes verbo, *Potentia*. Et quòd diues debeat eligi in decurionem, dixisti verbo, *Decurio*, & infra verbo, *Munera*.

Facilius committitur administratio diuiti, dixit *Glos. vlt. in l. 5. C. de suspect. tutor.* Vnde etiam diuiti magis creditur. Nam, vt dixit *Glos. verbo, Substantiam, in Auth. de hared. & falc. §. Hinc nobis*, substantia facit, vt sibi magis credatur *per tex.* ibi. Testes in ipsa Ciuitate fide dignos, & possidentes substantiam *collat. 1.*

In curandis tamen diuitibus medici non debent illos pręferre pauperibus. Est enim turpe, quòd propter diuitias suas aliquis diues citius curetur, quàm pauper, qui nihil dare potest; vt dixit *Glos. verbo, Turpiter, per tex.* ibi. Honestè obsequi tenuioribus malint, quàm turpiter seruire diuitibus *in l. Archiatri 9. C. de profess. & medic.* Vnde dixit *Glos. verbo, Tenuioribus, in l. 1. C. de Colleg. illic.* Quod magis pauperi, quam diuiti subueniatur.

In materia satisdationis diuitiæ ab ea excusant, vt dixit *Glos. verbo, sufficientem, in l. de creationibus* 20. *C. de Episcop. Audien.* sed in verbo, *Exploretur in d. l.* 20. sic ait. Alias & contra satisdatio pauperi remittitur, & à diuite exigitur, vt *ff. si cui plusque per l. Fale. l. Cum non facile*.

Aequaliter pauperes, & diuites secundum quantitatem patrimonij pati collectas, non secundum munus personarum, dixit *Glos. Verbo, Inopes, in l. 1. C. de apocb. pub. lib.* 10. *per tex.* ibi, vt & inopes, & locupletes fructu prouisionis simili potiantur.

Sed quis dicitur locuples, vel inops? Responde, meta est quinquaginta aureorum, vt &c. vel centum aureorum, vt &c. vel verius iudicatur quis locuples, vel non, officio iudicis. ità dicit *Glos. verbo, Locuples, in Auth. præterea C. vnde vir, & in l. Quos nos* 234. *ff. de verbor. signif.* sic dicitur. Locuples est, qui satis, & idoneè habet pro magnitudine rei, quam actor restituendam esse petit *Glos. verò verbo, Iussu in §. Sed hoc Iure de Attilian. tutor. in Instit.* sic. Sed quæ sunt magnæ facultates? Responde; quinquaginta auri, vt &c. vel verius vsque ad quingentos solidos sunt paruę; Si vltra, sunt magnæ, vt *in §. Nos autem ibi vsq; ad quingentos solidos eod. tit.*

Senec. verò epist. 109. Eum esse locupletem ait, qui paupertati suæ aptus est, & paruo se diuitem fecit &c. is minimè eget mortalis, qui minimum cupit. Quod vult habet, qui velle, quod satis est, potest; & *in epist.* 14. *ad fin. lib.* 2. sic. Is maximè diuitijs fruitur, qui minimè diuitijs indiget.

Possesio diuitiarum est in distribuendo. Auarus hoc non faciendo non videtur frui diuitijs dixit *addit. ad Glos. verbo, Cæcitas, in cap. Auaritia* 5. *de elect. lib.* 6.

Iuxtà miserias huius temporis, & vbique gladios sæuientes satis diues est, qui pane non indiget; nimium potens est, qui seruire non cogitur; dixit *Hieronym. ad Rustic.*

Diuites plus se reputant homines, quam sint, vt dicis verbo, *Homo*.

Ex diuitibus propter iniustitias processerunt pauperes. Verbo, *Iustitia*.

Principis interest locupletes sub se habere subiectos, vt dixit *Glos. verbo, vtatur, in §. Sed & maior de ijs, qui sunt sui in Instit.*

Sed quis tenetur probare diuitem, vel pauperem esse eum, de quo quæritur? Respondet *Glos. verbo, Dubitetur, in l. Si verò §. Qui pro rei qualitate ff. qui satisd. cog.* Aut vult admitti aliquis, tamquam diues, & probat &c. Aut vult excusari, tamquam pauper, & tunc probet paupertatem &c. Et quod alias dicitur, quemlibet idoneum præsumi; intelligitur quoad mores.

Doctor.

Discas, quod potes docere &c. ne sis miles priusquam tyro, ne prius magister sis, quam discipulus; mihi placet, quòd habeas Sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam numquam ingressus es; inquit *cap. Si Clericatus* 16. *q.* 1. *& in cap. sic viue eod. caus. & quæst.* ità. Multo tempore disce, quæ post modum doceas, & inter bonos semper sectare meliores; & *in cap. si officia* 59. *dist.* sic. Quis tam arrogans, tàm impudens inuenitur, qui in cælesti militia, quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum repetitis ignibus exploranda; statim dux esse desideret, & prius vellet docere, quàm discere.

Oportet eum, qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, vt pro ingenio discentium se met ipsum posit aptare, & ver-

& verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. Debet ergo apprimè esse eruditus, & doctus, irreprehensibilis maturus, pauidus, inquit *cap. Oportet 8. q. 1. & glos. verbo, Doctoribus in proam 6. decret.* sic. Doctor dicitur à docendo, & debet esse cautus, ne proferat tacenda, vel dicenda reticeat &c. & debet se ipsum, & verba sua, secundum audientium capacitatem, & ingenium coaptare, &c. Qui enim ea docet, quæ ab auditoribus intelligi non valent, non eorum vtilitatē, sed sui ostentationem facit &c. nec debet esse arrogans, sed humilis &c. nam habet hoc proprium doctrina arrogantium, vt humiliter nesciant proferre, quæ docent. Et recta, quæ sæpiunt, rectè ministrare non possint.

Si quis doctus, & eruditus in lege Domini potest alios erudire, non debet suæ assignare prudentiæ, ingenioque, quæ possidet, sed agat gratias primum Domino, qui cuncta largitur, deinde sacerdotibus eius, ac ministris, à quibus doctus est. Si enim non egerit gratias, sed scientiam vendicauerit sibi, in penuria maladicetur, inquit *Hieronym. in cap. Reuertimini 16 q. 1.* Et verè in hoc maximè peccant homines; nam quantò plus se æstimant sciētificos, tantò plus se inflant; sibi vendicando scientiam, O stulti! nihil enim habetis, quod non acceperitis; si enim accepistis, quid gloriamini, & vos inflatis? A Deo enim probati estis, qui vobis dedit scientiam, vt benè possitis docere, & propterea *Apostol.* ait, Oportet hæreses esse, vt probati manifesti fiant. Hi autem à Deo probati sunt, qui benè possunt docere, vt expressè dicitur *in cap. vlt. 24. q. vlt.*

Benè autem docetur, cum quis benè vixerit; nam benè viuendo, & bene docendo populum quis instruit, quo modo viuere debeat; benè docendo populum, quis instruit, quo modo viuere debeat; bene autem docendo, & malè viuendo Deum instruit, quomodo debeat illum condemnare; si enim benè docuerit, & malè vixerit sui solius condemnator erit, vt ità ait *cap. vlt. 40. dist.* Ornat autem doctrinam Domini, qui ea, quæ conditionis suę apta sunt, facit, Et à diuerso confundit eam, qui non est subiectus in omnibus, & cui conditio sua displicet; vt dicitur in *cap. si apud carnales 23. q. 5.*

In ipsa autem doctrina discretum esse oportet rectorem, seu doctorem, ne aut tacenda proferat, aut dicenda taceat, vt *in cap. 1. 43. dist.* à quo deduxit supra allegata *glos. verbo, Doctoribus, in præmio lib. 6. Decretal.*

Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum inquit *Cato relatus à glos. verbo, Exemplum, in Auth. Illud videlicet, vt iudic. fin. quoquo suffrag.* propter malum exemplum, vt notat *Glos. prædicta.* Non enim, qui alios informat, vel instruit, debet ab alijs instrui, vel informari, vt dixit *glos. verbo, vt potè, in l. Cum Clericis 25 C. de Episcop & Cler.* qui enim alios docere debet post ordinationem ab alijs doceri non debet; ait *Auth. de sanctiss. Episc. §. 1. vers. Damus coll. 9.*

Postquam docti prodierunt, boni desunt, simplex enim illa, & aperta virtus in obscuram, & solertem scientiam versa est, docemurque disputare, non viuere, vt dixit *Senec. epist. 96. post. princip.* & certè, vt solet, benè dixit, Sæpe, namque nimium disputando ammittitur veritas, & dum Sancta Theresia consulit tractandum esse cum doctis, mihi videtur, quod debet intelligi ad consulendum eos, non verò ad disputandum, saluo semper iudicio melius sentientis.

Ordinarium est doctorum vitium, quod legendo, & consulendo multa inutilia effundunt, cum paucis vti possint

contra illud. Gaudent breuitate moderni; vt inquit *Gl. verb. Disputatio, in §. 1. Quod cum eo in Instit. per tex.* ibi. Ne verbosa fiat disputatio, nā docilē reddit, qui summam rei breuiter comprehendit, vt dixit *Glos. verbo leges, in l. 1. §. Quibus C. de nouo Cod.* Verum est, quod quædam, gratia docendi, dicuntur, quæ alias non dicerentur, vt ponit *Glos. verbo, vel spicas in §. Cum ex aliena de rer. diuis. in Instit. vbi Apostill.* sic. Nihil prohibet fallam legem, exemplicausa, ponere, quo facilius res intelligatur.

Magistros studiorum, doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia, inquit *l. 7. C. de profes. & medic. lib. 10.*

Quod legum doctores debeant à iudicibus honorari, habes verbo, *Iudex*. Isti namque dicuntur celsiores, vt intelligit *Glos. vel celsioribus in l. 2. C. de offic. diuer. iudic.* ibi; idest legum doctoribus, vt *in l. 3. eodem. tit.* ibi. Si honoratis viris &c. & *Glos. verbo, Honoratis*, sic. Idest doctoribus, & talibus debetur ingressus ad iudices, & reuerentia, ac societas sedendi cum iudice, vt *in d. l. 3.* ibi. Si honoratis viris &c. iudicum non patuerit ingressus, aut reuerentia non fuerit in salutatione delata, aut sedendi cum iudice denegata.

Aduertas, quòd sicut milites non torquentur, sic nec doctores, vt &c. idem potest dici in Clerico, nisi sit infamis, vt tenet *Glos. verbo, Panis, in l. Milites 8. C. de quast.*

Doctor degradatus doctoratu non potest iterum fieri doctor, vt inquit *Apostill. ad Gl. verbo, Non ignominia, in l. Quod dicitur 39. ff. de milit. testam.*

Doctorem hodie militi esse præferendum cum doctor actu legens, si legerit per viginti annos in studio, fruatur dignitate vicariatus Principis, & est comes, & dux, inquit *Apostill, ad Glos. verbo, Armis, in proam. Instit. per tex. coniuncta Glos. & Bart in l. 1. C. de profes. qui in vrbe Constan. lib. 12.*

Doctores artium etiam doctores dici possunt, & ipsi namque aliquam habere dignitatem dicuntur, quod patet, quia quandoque à muneribus excusantur, vt inquit *Glos. verbo, Oratores, in l. Lege Iulia ff. de vi. public.*

Dolor.

Difficillimum est iustum dolorem temperare, dicit *l. Si adulterium 38. §. Imperatores ff. ad l. Iul. de adult.* Vnde dolor iustus factum releuat, vt inquit *l. Graecbus C. eod. tit.* Vindictam enim proprij doloris quis consequitur, vt dicitur *in l. Filius familias 37. ff. eod. tit.*

Nulla res citius in odium venit, quàm dolor, qui recens consolatorem inuenit & aliquos ad se adducit; inueteratus autem deridetur, nec immeritò, aut enim simulatus, aut stultus est; dixit *Senec. Epist. 64.* & paulo supra sic. Per lachrymas argumenta desiderij quærimus, & dolorem non sequimur, sed ostendimus &c. Est aliqua, & doloris ambitio &c: Nemo libenter ad id reddit, quod nō sine tormento cogitaturus est.

Quid tam humile, & muliebre est, quàm finiendum se dolori committere? dixit *idem Senec. lib. de consolation. ad Paulicin.*

Dolus.

Malus fit calliditate, & fallacia, & vt *Pedius* ait; dolo malo factum fit, quoties circumscribendi alterius causa aliud agitur, & aliud agi simulatur. *l. Iurisgentium §. Pactorum ff. de pact. vbi Glos. verbo, Calliditate*, dicit. Calliditas est in tacendo, vt infra de

act. empt. l. 1. §. fin. sed fallacia est in mentiendo, vt infrà *de furt. l. Falsus §. Si quis.*

Dolus est, si quis nolit persequi, quod persequi potest, aut si quis non exegerit, quod exigere potest, aut si quis nolit soluere, quod exegerit; inquit *l. 44. ff. mandat.*

Datur etiam bonus dolus, vt inquit *Glos. 1. in l. 2. C. de commerc. & merc. per tex.* ibi. Non solum barbaris aurum minimè præbeatur, sed etiam, si apud eos inuentum fuerit, subtili auferatur ingenio; probat etiam *Glos. vlt. in cap. 2. de offic. cust.* ibi. Quia est, & bonus zelus, & malus zelus &c. sicut est bonus dolus, & malus dolus; & *Glos. verbo, Spes, in cap. penult. de conuer. coniug.* ibi, quia talis dolus bonus dolus est, & bonus dolus non prohibetur.

Dolus palam, & clam committitur, sed fraus palam; vt *ff. de pact. l. Iurisgentium §. Dolo* ità dixit *Glos. verbo, Neq; dolus, in l. 2. C. de in lit iur.*

Dolum accipere debemus culpam latam, non omnem dolum, sed qui in necem legatorum, & fideicommissorum factus est inquit *l. 5. §. Si hæres ff. vt in possess. legat. & ibi Apostil.* sic. Limita dolum in delictis, & latam culpam æquiparari. Nisi esset imponenda pœna corporalis, quia dolus requiritur *in l. 1. ad l. Cornel. de sicc. &c.* Et quando dolus, & lata culpa æquiparentur, vide *per Angel. in l. Si mora ff. solut. matr.* Vide etiam, quæ habes in verbo, *Culpa*. Alias regulariter, cum dicitur de dolo, subauditur etiam de lata culpa, vt inquit *Glos. verbo, Et culpa, in l. Si filiofamilias 26. §. 1. ff. solut. matr.*

Quod Nerua dicit latiorem culpam dolum esse &c. mihi verissimum videtur. Nam & si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est, nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstet, fraude non caret, nec enim, salua fide, minorem iis, quam suis rebus diligentiam præstabit, dixit *l. 32. ff. depos. vbi Glos. verbo, Latiorem,* dicit, idest, latam, cuius finis est non intelligere, quod omnes intelligunt, & altera Glos. Dolum esse, idest dolo comparari, (circa quod vide *l. 29. ff. mandat.*) vt est, vbi quis de dolo tenetur, & de lata culpa, non autem est idem, cum dolus sit ex fraude, & lata culpa ex fatuitate; præterea dicitur similes esse, vt &c. ergo non est idem, cum dicat *Arist.* Nihil est idem, cui id ipsum simile est, & *Glos. verbo, Et culpa, in l. Si filio famil. 26. §. 1. ff. sol. matr.* sic. Nam cum hic dicit de dolo, subaudi, & lata culpa.

Nisi ex magna, & euidenti calliditate, non debet actio de dolo dari, dixit *l. 7. §. Vlt. ff. de dol. vbi Glos. vlt.* ità ait. Euidentem autem esse oportet, quia dolum ex perspicuis indicijs probari conuenit *C. eod. tit. l. Dolum*; nam, qui dolum allegat, illum tenetur probare, & illum admissum, probat, cum ex qualitate facti perspicuè ostendit, vt dixit *Glos. verb. ex facto, in l. 1. ff. de dol. excep. vbi Apostilla* sic. Nota *Glos.* ad hoc, quòd dolus probatur, si qualitas facti, in quo consistit, probatur, hoc addito, quòd dolus quandoque probatur ex coniecturis.

Dolus delictum est, inquit *Glos. in l. 1. §. Si apud ff. deposit.* Et tamen licet illum committere etiam contra eos, qui non sunt hostes, vel latrones, vt fraus repellatur, vt infra *de legat. 2. l. Cum pater §. Titio ità ponit Glosa verbo, Hostem, in l. 1. §. 2. ff. de dolo.* Doloso namque nihil dolosius inuenitur, vt dicit *Glos. in l. Si duo 37. ff. eodem tit. idem Glos. verbo, Fœlicissimo, in Auth. de test. §. 1. coll. 7. & Glos. vlt. in l. In arenam C. de in offic. testam.*

Dolus cum dolo compensatur, vt probatur *in l. 3. §. penult. ff. de eo, per quem fact. erit* ibi. Neutri eorum præter

ter succurrere debebit ab vtraque parte dolum cum dolo compensando, & *ibidem* notat *Glos.* & allegat *l. Si duo ff. de dol.* Non tamen cum culpa, quia dolus præponderat, vt inquit *Glos. verbo, Paulo vilioris, in l. Quisquis maior C. de rescind. vend.*

Doli mali ideo in verbis edicti fit mentio, quia si per imperitiam, vel rusticitatem, vel ab ipso prætore, vel casu aliquis fecerit, non tenetur, inquit *Vlpian. in l. Si quis 7. ff. de iurisd. omn. iud.*

Dolum autem malum eo pertinere accipi vt qui reuerti possit, neque reuerteretur &c. Sed & qui data opera, & sine lucro hoc affectauit, sic dicitur *in l. 4. & 5. ff. Ex quibus caus. maior*

Parui autem refert ab initio quis dolose sit versatus, an postea hoc facere cæpit, inquit *l. Sed si 28. §. de eo ff. de pet. hered.*

Inest dolo, & fraus, vt dicit *l. Iurisgentium §. Sed si fraudandi in fin. ff. de pact. vbi Glos. 1.* sic. Et secundum hoc dolus est genus, & inest fraus ei, vt species generi, vt fraus tantum dicatur, cum mei commodi causa, sed dolus dicatur etiam sine meo commodo. Inest etiam dolus, si abest bona fides, & è contra, nam contraria sunt, vt *per l. Si dolo C. de rescind. vend. dixit Glos. Vlt. in l. Quod Nerua 32. ff. depos.*

Deterior dolus eius agnoscitur, qui iterato committit, quàm qui semel, dicit *Glos. 2. in Extrauag. Vnica de sent. excom.*

Dolo facit, qui quominus possit, fecit, vt probat *l. Verum 64. §. Tempus ff. pro Socio* ibi. Hoc quoque facere posse quisque videtur, qui dolo fecit, quominus possit &c. Si tamen non dolo, sed sua culpa, vt facere possit, desijt, dicendum est condemnari eum non debere. Vnde dolus, & negligentia præsumitur, si quis steterit per annum, quod non vtitur litteris, vt dixit *Glos. verbo, Dolo, in cap. Si autem 9. de rescript.*

Videtur etiam dolo facere, qui cum habet restituendi facultatem, non vult restituere, vt *in l. In bona fidei 37. ad fin. ff. de pecul. & in l. 1. §. Vlt. ff. depos.* ibi, & verius est teneri eum, hoc enim ipso dolo facit, quod id, quod ad se peruenit, non reddit, *& in l. Si procuratorem §. Dolo ff. mandat.* ibi. Dolo autem facere videtur, qui id, puod potest restituere, non restituit.

Vulgariter etiam dicitur dolum facere, qui petit, quod restituturus est, quod debet intelligi, de restitutione facienda eidem, quem conuenit, non verò si alij facienda sit, vt probat *l. Si socer 45. §. 1. ff. solut. matr.* ibi. Cui absurdè dicitur dolo videri eum facere, qui non ipsi, quem conuenit, sed alij restituturus petit.

Dolo etiam carere non videtur, si iam mota quis controuersia hereditatis, legata sine cautionibus det, inquit *l. 41. ff. ad l. Falc.* & per eam probat *Glosa verbo, Defendere, in l. 1. §. Apud Iulianum ff. depos.* ibi. Nam si sine cautione præstaret, cum iam sit ab altero mota controuersia, dolo videretur facere.

Dolum etiam committit, qui vocatus non venit, nullam causam habens non veniendi, vt inquit *Glos. 1. in l. Minor 9. ff. de minor. per l. Non potest dolo ff. de reg. Iur.*

Dolo etiam videtur facere, qui ex aliena iactura lucrum quærit, vt dicitur *in l. Si quis 17. § vlt. ff de institutor. act.*

Dolus etiam fit, si viriliter non resistitur, vt inquit *Glos. verbo, Dolo, in l. 2. ff. Si mulier ventr. nomin.*

Sicut è contrario, qui vim facit, dolo malo facit, non tamen qui dolo malo facit vtique, & vim facit, vt *in l. 2. §. Dolo malo ff de vi bon. rapt.*

Si dominus ademit seruo peculium, sed & si eum intricare peculium in necem cre-

creditorum passus est &c. Sed & si cum suspicatur alium secum acturum alio peculium auertat, dolo non caret, inquit *l.Summa* 21. *ff. de pecul.* & addit, Sed si alijs soluerit, non dubito de hoc, quin non teneatur, quoniam creditori soluit, & licet creditori vigilare ad suum consequendum.

Dolo tamen proximum erit, si post solutionem non nunciauerit debitori, inquit *l.Si fideiussor* 29. *ff. mandat.*

Ex dolo serui, dominus non lucratur, inquit *l.*2. *ff. de eo per quem fact. erit, & probat l.* 3. *eod. tit.* ibi; ne propter dolum alienum reus lucrum faciat, & actor damno afficiatur, *& l.Electio* 26. *§. Si absente ff. de nox. act.* ibi. Ne alterius dolus, aut desidia alij noceat, & ibi notat *Glos. coniuncta l.Si quis* 17. *§. Vlt. ff. de instito. act. iam supra allegata.*

Nec etiam æquum est serui dolum amplius domino nocere, quam in quo opera eius esset vsus, inquit *l.Apud* 4. *§. Aduersus vers. In stipulatione in fin. ff. de dol. except.*

Sub hac conditione committitur stipulatio, ne quis doli sui præmium ferat, inquit *l. Ita demum* 36. *ff. de recept. arbitr.*

Dolum tutoris; vel curatoris nocere pupillo, vel furioso non debere puto, nec tamen lucrosum esse debere, ait *l.* 3. *§. Si seruus ff. de tribut. act. & in l.* 1. *§. Planè ff. de tutel. & rat.* sic. Planè si ex dolo communi conuentus præstiterit tutor, nec ei mandandæ sunt actiones, nec vtilis actio competit, quia proprij delicti pænam subit.

Si ex duobus tutoribus cum altero quis transigisset, quamuis ob dolum communem, transactio nihil proderit alteri. Nec immeritò, cum vnusquisque doli sui pænam sufferat. Quod si conuentus alteri præstitisset, proficiat, quod præstitit ei, qui conuentus non est; licet enim doli mali ambo rei sint, tamen sufficit vnum satisfacere; inquit *l.*15. *ff. eod tit. de tutel. & rat.*

Adhuc doli exceptionem obstare, si lucrum captet pupillus ex damno alieno inquit *l.Si fundus §.*1. *ff. de reb. cor.*

Iulianus quoque sæpissimè scripsit, doli pupilli, qui prope pubertatem sunt, capaces esse; ait *l. Apud Celsum §. Item quaritur vers. Deniq ff. de dol. except.*

Ex dolo defuncti toties in hæredem damus actionem de eo, quod ad eum peruenit, quoties ex eodem dolo defuncti conuenitur, non quoties ex suo; inquit *l Quod in harede* 9. *§.* 1. *ff. de tribut.* & probat *l. Si hominem* 7. *§.*1. *ff. depos.* ibi. Quamquam enim ex dolo defuncti non solemus teneri, nisi pro ea parte, quæ ad nos peruenit, tamen quia hic dolus ex contractu rei, & persecutione descendit, ideoque in solidum vnus hæres tenetur; plures verò pro ea parte, qua quisque hæres est, & ibi *Glos.* sic. Nota ex dolo commisso in contractu teneri hæredem &c. vbi ponit limitationem. Dolus ergo defuncti nocet vniuersali successori &c. Sed non nocet singulari, vt inquit *Glos. Verbo, Potior, in l.Sicut* 8. *§. Illud ff. quib. mod. pig. vel hypoth.*

Auctoris etiam dolus nocet habenti causam lucratiuam, vt optimè dixit *Glos. in l.Si non solum* 10. *verbo, Profuit, ff. Si quis omissa caus. testam.*

Dolum malum a se abesse præstare venditor debet, qui non tantum in eo est, qui fallendi causa obscure loquitur, sed etiam, qui insidiosè obscurè dissimulat, ait optimè *l.Ea qua commendandi* 43. *ff. de contrah. empt.*

Et qui alienum sciens vendidit, dolo non caret, inquit *l.Exempto* 17. *§. Denique ff de act. empt.*

Sicut æquum est bonæ fidei emptori alterius dolum non nocere, ità non est æquum eidem personæ venditoris sui dolum prodesse, dicit *l.*30 *ff. eod. tit. de act. empt.*

Sed

Sed si venditor sciuit, emptor autem, licet supinè, ignorauit, puto venditorem teneri, quia præponderat ei dolus, vt dixit *Glos. verbo fuisset in l. Quæritur* 14. *§. Vlt ff. de ædil. edict.*

Si cum posset emptor auctori denunciare, non denunciasset, idemque victus fuisset, quoniam parum instructus esset, hoc ipso videtur dolo fecisse; inquit *l. Si fundo* 53. *ff. de euict.*

Dolo non solum confecisse accepimus, qui non vltrò instruxit emptorem, sed etiam, qui decepit; inquit *l. Rectissimè* 14. *in fin. ff. de liberal. caus. vbi etiam glos. vlt. notat.*

Dolus ex calliditate, atque insidijs emptoris argui debet, vel mortis motus, vel cruciatus corporis imminens detegit, ne habeatur rata venditio, ait *l. si voluntate* 8. *C. de rescind. vend.*

Dolus emptoris qualitate facti, non quantitate pretij æstimatur *l.* 10. *C. eod. tit. de rescind. vend.*

In rebus dotalibus virum præstare oportet tam dolum, quam culpam, quia causa sua dotem accepit; sed etiam diligentiam præstabit, quam in suis rebus exibet; inquit *l.* 18. *ff. de iur. dot.* De dolo autem mulieris non esse permittendum excipere, ne indotata fiat; dicit *l. Apud* 4. *§. Aduersus, ff. de dol. except.*

An socer teneatur vltra quam facere potest, si insidiosè, vel cum dolo egerit, dotem, quam dare non poterat, promiserit genero? Ponit, & interrogat *l penult. ff. de iur. dot.* ibi. Quid enim, si socer spe futuræ dotis induxerit generum, & cum sciret se præstare dotem non posse, id egerit, vt gener insideretur. Respondet *glos. vlt. ibidem*, quòd sic ibi. Merito ergo in solidum tenetur.

Socios inter se dolum, & culpam præstare oportere inquit *l. Cum duobus* 52. *§.* 1. *ad fin. ff. pro soc.*

In commodati actione non facilè vltrà culpam, & in depositi vltra dolum malum tenetur is, cum quo agitur, dixit *l. Qui furtum* 16. *ff. de condict. furtiu & tradit glos. in l. Si sine* 20 *ff. deposi ibi*. At in deposito solus dolus venit.

In præcario autem, qui recepit, tenetur tantum de dolo, vt dixisti supra verbo, *Culpa*.

Si cui inspiciendū dedi, siue ipsius causa, siue vtriusque, & dolum, & culpam mihi præstandā esse dico propter vtilitatem, periculum non. Si verò mei duntaxat causa datum est dolum solum; quia propè depositum hoc accedit, dixit *l. Si rem* 19. *ff. de præscript. verbo*.

Qui dolosè persuasit, etiam de dolo tenetur, nam plus persuasio dolosa, quam violenta facit, vt inquit *glos. in reg. scienti* 27. *de regul iur. in* 6.

Dolus etiam absentis esse potest, vt inquit *l.* 4. *§. Hoc autem edicto ff. de vi bonor. rapt.*

Fraus, & dolus cuiquam patrocinari non debet *cap. sedes* 15. *de rescripi. l.* 1. *ff. de dol. except. ibi*. Ideo autem hanc exceptionem prætor proposuit, ne cui dolus suus per occasionem Iuris Ciuilis contra naturalem æquitatē prosit.

Doli conscius non agit, vt dixit *glos per tex in l. Sed & si §.* 1. *in fin ff. de institor. act. & per l. Ex facto in fin. ff de negot. gest. per l. Metum §. sed licet ff. quod met cau.* Dicta autem *l. Sed & si §.* 1. *in fin.* Sic ait. Dolus ipsius præponenti nocere debet, nisi particeps doli fuerit, qui contraxit.

Nota in generali remissione dolum non contineri, vt inquit *glos. verbo, Absit, in l. Pomponius* 10. *ff. de negot. gest. per l. Aurelio §. Caius. & l. Si quis ratione eod. tit.* & habes verbo *Liberatio*.

Dolus præteritus venit in petitionem hæreditatis, quasi dolo malo desierit possidere, inquit *l. Nec vllam* 13. *§. vlt.*

vltim. ff. de petition. hæredit.

Quadruplex est exceptio doli, vna quæ nascitur tempore cōtractus, vt si dolo me induxisti, vt promitterē tibi decē, & hoc casu cessat repetitio, si sit solutū, vt *de condict. indeb. l. Qui exceptionem* Secunda quæ succedit in locum nō numeratę pecuniæ, & hęc nascitur tēpore confessionis, vt *de dol. excep. l. 2. §. Circa.* Tertia quæ succedit in locum exceptionis pacti, & iurisiurandi præstiti, & his duobus casibus solutum per errorē repetitur, vt &c. Quarta est, quę succedit in locum exceptionis facti, vel intentionis, quod est, quando nec actor habet actionem, sed de facto agit, & sic reus de facto excipit, vt dicitur *in l qui se 7. ff. de cond. cau. dat. vbi Glos. verbo, Exceptione,* omnia prædicta ponit.

Dolo malo facere non videtur, qui Iure suo vtitur, vt dicitur *in l. 3. ff. de liber. hom. exhib.*

Nec etiam videbitur dolo fecisse, qui fraudem excluserit, vt inquit *l. Cum pater 79. §. Titio ff. de legat. 2.* & iam supra dixisti *ex Glos. verbo, Hostem, in l. 1. §. 2. ff. de dol.*

Non etiam dolo facit, qui iussu iudicis fafacit, vt habes verbo, *Iudex*, & dicit *Vlpian. in l. Si quis 17. de iurisd. omn. iudic.* ibi, vel ab ipso prætore iussus.

Idem dico in eo, qui per imperitiam, vel rusticitatem, vt *in præfata l.*

Idem in eo, qui ignorat, vt inquit *l. Qui in ius 138 ff. de reg. iur.* ibi. Nemo videtur dolo facere, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

Nec etiam dolus imputatur ei, qui non est in culpa, vt *in c. Si compromissarius 37. §. Si verò de elect. lib. 6.* ibi. Cum dolus ipsius eis, qui non sunt in culpa, non debeat imputari, & *in cap. Tibi, qui 12 de rescript. eod. lib.* ibi. Dum tamen dolus tibi non possit, vel notabilis negligentia imputari.

Nec etiam dolum dicitur facere, qui non circūuenit, vt dixit *glos. vlt. in c. penult.* de ijs, quæ vi ibi; quia non est verus dolus, ex quo non fuit ad circumuentionem *per tex. ibi*. Cum talis dolus non tàm ad circumuentionem prædictorum Cisterciens. quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri.

Nec dolum facit, qui rem deserit, vt litem effugiat, vt dixit *glos. 1. per quæ ibi allegat in cap. Cum inter 16. de elect.*

Item dolus non committitur, cum Principe, vt dixit *Glos. verbo, Dolus, in l. Probatorias 9. C. de diuers. offic. lib. 12. ibi*. Nullus dolus potest committi cum Principe, nec ambitio.

Tolerabilior est dolus possessoris, quàm dolus petitoris, vt dixit *glos. in casus positione ad fin. in l. 2. C. de transact.*

Dolus non purgatur, inquit *l. Iulianus §. Titius ff. de act. empt.*

Licet dolus, & culpa sint diuersa, aliquādo tamen æquiparantur, vt in casu *c. Ab eo 6. ibi.* Malitiosè, aut negligenter &c. *de appell. lib. 6.* vbi notat *gl. vlt. ibi*. Hic dolus, & negligentia æquiparantur.

Domicilium.

EST vbi, quis maiorem partem fortunarū habet, vt dixit *gl. per iura quæ ibi verb. Domicilīū, in l. Is cui §. Quinimò ff. vt in possess. legat. & gl. verb. Inter absentes, in l. vlt. C. de præscript long. tēp.* vbi ita. Domiciliū dicitur quis habere, vbi maiorē fortunarum suarum partem habet; vnde cum recedit, perigrinari videtur &c. Sed quid si nullo loco habeat domicilium? Quo ad omnes pro præsente habetur. Item quid si in pluribus? Respōde, quo ad omnes pro pręsente habetur; nam & in nullo loco, & in pluribus locis potest quis habere domicilium.

Vnde dixit *gl. verb. Domicilium in c. Dilectus 29. de rescript* hæc. Ex hoc videtur, quòd licet aliquis habeat præbēdā vel Ecclesiam alibi, quòd propterea non habeat ibi domicilium, nam sola

possessio domus, quæ in Ciuitate aliqua comparatur, non facit domicilium &c. Verumtamen benè potest quis habere domicilium, vbi maiorem partem rerum suarum possidet,& assiduè conuersatur &c. vel etiam, vbi vendit, vel emit, contrahit, & festos dies celebrat.

Et sic,qui habet duas Ecclesias in diuersis Episcopatibus, vtrobiq; intelligitur habere domicilium, vt dixit *Glos.* 1. *in c. Quia* 5. *de preb.* Et probatur *in c.2. de sepult. lib.6.* ibi. Cum ab eo, qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in vtroque; vbi *Glos. verbo, Domicilia,* dicit, quod esse potest.

Nota, quòd patria, quam quis est sortitus per originem, non tam facilè mutatur, vt ea, quæ iure tantum domicilij, vt dixit *Gl. verb. Non mutatur, in l. In adoptionem* 7. *C. de adopt.* quæ dicit, quòd non mutatur, sed additur, quado aliquis foraneus in adoptionem datur ciui illius Ciuitatis, & *Gl. vlt. ibid.* sic inquit? Nam hic, & ibi poterit vocari ad honores. Sed quid, si simul vtrobiq; ad munera, & honores vocetur? Respondet præualet causa originis. Et ratio est, quia causa originis potior est causa domicilij, vt notas verbo, *Origo.*

Si non apparet, quid mortuus senserit in eius municipij foro faciendum, in quo is, qui testamentum fecit, domicilium habuerit dicit *l. Quæ conditio* 39. *ff. de cond. & demonstr.* & sic in hoc casu præualet causa domicilij, & non originis.

Dominus, & Dominium.

VT enim libertas naturali Iure continetur, & dominatio ex Iure gentium introducta est, dicit *l. Si id, quod* 64. *ff. de condict. indebit.*

Domini appellatione, & pro parte Dominum contineri dicendum est, inquit *l.1. ff. ad Syllanian.* & paulo suprà sic. Domini appellatione continetur, qui habet proprietatem, & si vsufructus alienus sit. Qui seruum bona fide possidet domini appellatione non continetur, nec, qui vsumfructum solum habet; vbi *Glos. in addition.* sic ait. Dic quod bonæ fidei possessor habetur loco domini, vt ipse, vel hæres eius non possint dicere se non dominum, nec alius, cuius interest, donec contrarium probetur.

Cum simpliciter dominium profertur ad directum, non vtile refertur, dicit *Glos. verbo, Nam qualecumque, in l. Si mater* 11. *§. Eandem ff. de excep. rei iudic.*

In suis hæredibus euidentius apparet continuationem dominij eo rem perducere, vt nulla videatur hæreditas fuisset, quasi olim hi domini essent, qui etiam viuo patre quodammodo domini existimabantur, sic ait *l. In suis* 11. *ff. de liber. & posth. & in §. Sui autem de hæred. quæ ab intest. in Instit.* ibi. Et statim a morte parentis, quasi continuatur dominium, sed cur non dicit simpliciter continuatur, sed per, quasi, quod est impropriè? Respondet *Glos. ibidem.* Quod continuatio fit inter diuersa propriè, sed de patre ad filium impropriè, cum sint vna, eademq; persona. Ex qua responsione apparet in patre, & filio non procedere, quod dicit *Augustin. in cap. Quod autem propè medium* 23. *q.*7 ibi. Quis dominandi cupiditate inflammatus, vel fastu dominationis elatus desiderat habere consortem? licet etiam procedat in pers nis filijs.

Dicitur etiam dominus, qui est partis dominus, vt ait *Glos. verbo, Vtriusque in l. Cætera* 43. *§. Item quæri ff. de legat.* 1.

Etiam appellatione domini fructuarius quoque continetur inquit *l. In venditione* 8 *ff. de bon. auth. iudic.*

Dominium transferri potest per errorem, & quando, Vide verbo. *Error*, & facit *Gl. verb. Furti teneris, in l. Si quis vxori* 53 *ff.*

53 *ff. de furt.* ibi. Errorem personæ non esse impedimentum, quominus transferatur dominium.

Pro domino habetur, qui vti talis agit, redditus exigit, & mouentia distrahit, inquit *l. Titia* 48 *ff. de solut. vbi Apostill. sic.* Habemus textum singularem ad hoc, quòd dominium probatur ex eo, quòd quis se gerit, vt dominus in re, & recipit fructus, & vendit, vt dominus, pro quo facit etiam *tex. in l. Quidam in suo ff. de condit. Instit.*

In coloni persona representatur dominus, dicit *l. 1. §. Non alÿ ff. de vi, & vi.* Sed per eum præiudicium possessioni, inuito domino, vel inscio, imponi non posse, & Iure, & legum authoritate declaratur, vt dicit *l. 17. C. de agric. & censit. lib. 11.*

Etiam antiqua regula Iuris est, quæ definiuit deteriorem conditionem per seruum domino nullo modo fieri, quæ tunc locum habet, cum dominus de damno periclitetur, non cum sibi lucrum per seruum acquiri desiderat, inquit *l. vlt. C. de acquir. possess.*

Nec etiam oportet salutem dominorum, seruorum arbitrio committi, inquit *l. Vnius* 18. *vers. Seruo, qui vltrò ff. de quæst.* Et è conuerso dicendum est non obesse debere seruo factum domini, decidit *l. Post legatum* 5. *§. Si pater ff. de his quibus, vt indign.* quamuis dicatur. Vox serui, domini vox, vt notas in *ver. seruus*

Dominus habet in seruo transfuga postliminio reuerso pristinum Ius, vt inquit *l. Postliminium* 19. *ad med. ff. de capt. & postlim.* & reddit rationem sic. Ne contrarium Ius non tam ipsi iniuriosum sit, qui seruus supermaneat, quam domino damnosum constituatur.

In l. Prætor edixit 6. 1. *vers. Cæterum ff. de iniur.* hæc reperiuntur, nec enim ferre prætor debet heri seruum, hodie libertum conquerendum, quod Dominus ei conuitium dixerit, vel quod leuiter pulsauerit, vel emendauerit; leuis enim coercio etiam in nuptam, vel conuicium non impudicum, cur patrono denegetur? Dixit *l. Non solum* 11. *vers. Quamquam ff. eod. tit. de iniur.*

Dominus sciens seruum mercari in republica, tenetur tributoria, non tamen requiritur, quod velit, sed satis est quòd non nolit, ex quo sciuit; ità notat *Apostill. ad Glos. vlt. in cap. Cum iam dudum* 18. *de preb.*

Offenditur dominus in seruo, inquit *c. 2. de sent. & re iudic. lib. 6.* Sicut dicitur dehonestari Ecclesiam, vel Dominum temporalem in personis officialium suorum, cum Ecclesiam, vel Dominum suum repræsentent, vt inquit *Glos. verb. Caleata, per tex. ibi in Extrauag. vnica de pæn iuxta illud.* Dominum crucifigunt, qui eum in suis Sacerdotibus persequuntur &c. Ecclesia pati dicitur in eis, tamquam ministris suis.

Vnde collige dominum temporalē posse, & debere se opponere pro conseruando Iure suorum subditorum, In tantum, quòd ipse potest mouere bellum cōtra dominum temporalem opprimentem Iura sui subditi, si requisitus de illo iustitiam facere negligat, vel recuset. Et è cōtra subditi opponere se possunt, si eorum dominus alteri se subijcere velit, quod eorum interest dominum suum alteri non subijci, ne cogantur plures dominos habere, ità resoluit *gl. 1. in Extrau. vnica de maior. & obed.*

Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet, quod si nō fecerit malè fidus, sicut ille, qui in eorum præuaricatione, vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit perfidus & periurus, ità inquit *c. De forma* 22. *q. 5.* Sunt autem ea, quæ refero, in verbo, *Vassallus*, & omnia per extensum etiam ponuntur *in c. Vnico de forma fidel. in vsib. feud.* & alia de nouo fidelitatis modo *in tit. seq.* Non ergo putent domini, quòd eo, quia domini sunt, non tenentur fidem seruare vassallis suis.

Istud etiam valde notandum est, quòd sicut priuatur vassallus feudo propter hanc culpam, ita quoque priuari debet dominus proprietate propter eandem culpam, vt per quæ allegat, tradit *Glos. verbo. Iustitiam in cap. Item qui dominum, quæ fuit prim. cau. ben. ammitt.* ibi. Quòd si quis suo domino iustitiam facere noluerit, feudum, quod tenebat, perdet; *Glos.* 1. *in cap. vnico qual.domin. propr. feud. priu.* sic. Et non est mirum, si proprietatem ammittat, cum ipse dominus teneatur vicem reddere vassallo de his, de quibus vassallus ei tenetur.

Nemo ex duabus causis dominus esse potest, licet possidere possit ex diuersis causis, vt *ff. de acquir. poss. l.* 3. *§. Ex plurimis* itá resoluit *Glos. verbo, Ab eo, in l. Seruum Titij* 49. *ff. mandat.*

Quodcumque ad omnes dominos non potest pertinere, id pro solido ad eum cui acquiri potest, pertinere veteres comprobauerunt, ait *l. Si Seruus* 12 *ff. de author. tutor.*

Ille, qui fuit olim dominus, debet allegare in libello se esse de præsenti dominum, nec sufficeret, quod simpliciter allegaret se fuisse dominum etiam si reus hoc confiteatur, itá notat *Apostill. ad Glos. Verbo, Confessus, in l. Certum* 6. *ff. de confes.* quæ ait: per verba præsentis temporis puta meum esse &c: secus, si per verba præteriti temporis puta fuisse, quia non statim haberetis pro iudicato, immo adhuc qualiter recesserit à me dominium quæreretur.

Nota, quod non dominus dominium vincit, vt in casu ponit *Glos. verbo, Propriam, in §. Adeo de locat. in Instit.* quæ loquitur de primo emphiteuta agente contra secundum.

Acquiritur dominium non solum specificatione, vt &c. & accessione, vt &c. Sed etiam confusione, item immistione, vt &c. inquit *Glos. verbo, Si duorum in §. Si duorum de rer. diuis. in Instit.*

Dominium non discedit Iure prohibente vtilitatem, secus si propter Iuris impossibilitatem, vt inquit *Glos. verbo, Agnatione in l. Quemadmodum C. de agric. & censit. lib.* 11.

Ex inutili contractu transit dominium, vt colligit *Glos. verbo, locum habere per tex. ibi in l. Eleganter ff. de dol. & ibidem Apostill.* sic. *Bald.* hic dicit istam *Glos.* notabilem ad hoc, quòd dominium transfertur ex contractu inutili, sicut transfertur ipsa possessio, vt *in l.* 1. *§. Si vir ff. de acquir. poss.*

Item nota, quòd ex solo pacto dominium transfertur, vt dixit *Glos. verbo, Desinere, in l. Si ex duobus* 6. *§.* 1. *ff. de in diem addict.* vbi in contrarium allegat *l. Qui ea C de pact. inter empt.*

Duorum quidem in solidum dominium, vel possessionem esse non posse, dicit *l. Si vt certo §. Vlt. ff. commod.*

Bonorum Ecclesiasticorum dominium penes Ecclesiam esse, ait *Glos verbo, Ipsarum, in cap.* 1 *de reb. Eccles. lib.* 6.

Dominium obliuione ammittitur. Vide verbo, *Obliuio*,

Domus.

AEdium appellatio, & opus, & solum & parietem continet, inquit *Glos. verbo, Desiderare in l. Inter* 20. *ff. de damn. infect. vbi Apostill.* sic. Potes per hanc *Glos.* colligere differentiam inter ædes, & domum, quia non omne ædificium dicitur domus, sed ædes dicuntur omne ædificium &c. *l.* duerte tamen, quod Iureconsultus *in l. Si domus in princ. ff. de legat.* 1. promiscuè his verbis vtitur.

Domus tutissimum cuique refugium, ac receptaculum est, vt inquuit *Gaius in l. Plerique ff. de in Ius voc. & Glos.* 1. *in l. Legatus* 13 *ff. de legation.*

Do-

Domus protegens turpitudinem dicit *Eccles. cap. 29. 31.* Vnde non facile, quæ domi geruntur, per alienos possunt cõfiteri, ait *Imperator in l. Consensu §. Præterea C. de repud.* & consonat *Pontifex in c. Veniens 2. de testib.* ibi. Quæ in Capitulo aguntur non facilè possunt, nisi per Canonicos ipsos probari, per domesticos verò facilius, quæ domi geruntur, probantur, ait *Glos. ver. Maiores in cap. Vlt. de offic. Archid.*

In domesticis citius fraus præsumitur, vt habes *verbo, Fraus,* Nulla domus tuta esse potest, nisi periculo capitis sui, dominis custodiam tam à domesticis, quàm ab extraneis præstare serui cogantur, inquit *l. 1. ff. ad Syllanian.* Siquidem clandestinis, ac domesticis fraudibus facilè quiduis pro negotij opportunitate confingi potest, vel id, quod verè gestum est, aboleri, vt inquit *l. Lata 27. C. de donat.*

Domus mariti domicilium vxoris dicitur, vt notas verbo, *Maritus.*

Ius renocandi domum saluum manet cuilibet, nisi, quando ritè compelli potest, vt ibi suis aduersarijs respondeat, vbi conuenitur; dicit *cap. licet 20. de foro comp.*

Aliquando licet in parte domus, quod in alia parte non licet, tenet *Glos. verbo, Regularem. in Clem. 2. de censib.*

Habitari potest etiam obscuratis domibus, quod vsque adeo temperandum est, vt non in totum ædes obscurentur, sed modicum lumen, quod habitantibus sufficit, habeant, ità dicit *l. Si is, qui 37. ff. de vsufruct.* cui consonat *l. Binas 9. ff. de seruit. vrban. præd.* ibi. Sed ità officere luminibus, & obscuratas ædes conceditur, vt non penitus lumen recludatur, sed tantum relinquatur, quantum sufficit habitantibus in vsus diurni moderationem.

Stuitè agunt, immò etiam contra Ius, qui domos construunt contiguas, seu adhærentes muris Ciuitatis, vel castri, vt notauit *Glos. verbo, Muri, in addit. in §. Sancta de rer. diuis. in Instit. iuncto tex. ibidem.*

Quando per Principem mandatur fieri domuum destructio, non debet exequi nisi prius nuncietur Principi, & ipse secundo præcipiat, vt *in Auth. de mandat. Prin. §. Deinde coll. 3.* cuius verba ponis verbo, *Princeps,* & verbo, *Iudex.*

Ad calcem huius verbi, Domus, notabis, quod pisces, qui sunt in piscina, non sunt ædium, nec fundi, vt inquit *l. Funes 16. ff. de act. empt.*

Donatio.

QVam plures sunt donationes dat aliquis ea mente, vt statim velit accipientis fieri, nec vllo casu ad se reuerti, & propter nullam aliam causam facit, quam vt liberalitatem, & munificentiam exerceat; hæc propriè donatio appellatur, ità inquit *Vlpian. in l. 1. ff. de donat.* & prosequitur. Dat aliquis, vt tunc demum accipientis fiat, cum aliquid sequutum fuerit, hæc non propriè appellatur donatio, sed totum hoc donatio sub conditione est. Item cum ipse ea mente dat, vt statim quidem fiat accipientis, si tamen aliquid factum fuerit, aut non fuerit, velit, ad se reuerti, hęc non propriè dicitur donatio, sed totum hoc donatio dicitur, quæ sub conditione resoluitur qualis est mortis causa donatio. Igitur cum dicimus inter sponsum, & sponsam donationem valere, propria appellatione vtimur, & factum demonstramus, quod ab eo proficiscitur, qui liberalitatis gratia aliquid dat, vt confestim faciat accipientis, nec vmquam vllo facto ad se reuerti velit, cum vero dicimus, si hac mente donat sponsus sponsæ, vt nuptijs non sequutis species auferatur, posse repeti; non contrarium priori dicimus, sed concedimus inter

eas personas fieri donationem eam,quę sub conditione soluatur.

Omnis creatura monetur ad benefaciendum ei, qui sibi benefacit,& talis obligatio ex instinctu naturæ procedit; & non est illa talis donatio, quæ ex nudo pacto nascitur; nam illa est efficacior; vt potè cum non sit donatio, si id, quod per pactum nudum naturaliter debetur, soluatur, si autem, quod instinctu naturæ debetur, soluatur, donatio est sine dubio, quæ nomen assumit remunerationis, de quo latius habes in verbo, *Obligatio*.

Inter dantem, & recipientem distinctio debet esse personalis, cum nemo recipere possit à se ipso, vt inquit *c.vlt. de Instit.* §. *Errant*, qui dicunt donari, quod datur, solo naturali Iure cogente, vt dixit *Glos. verbo, Potuit, in l. Quoties 10. de administrat. tutor.* qui enim dat aliquid ex necessitate, licet naturali, non dicitur id donare, vt inquit *Glos. verbo, Liberalis, in l. Rem legatam 18. ff. de adimen. legat.*

Donare procedit à nobilitate, vide verbo, *Nobilitas*.

Si extraneus de suo daturus sit dotem, quidquid vult pacisci (etiam ignorante muliere) potest; legem enim suæ rei dicit: postquam vero dederit pacisci consentiente muliere debet *l. Ob res 20. ff. de pact. dotal.*

Donator non sibi legem vult imponi, nec potest, sed ei, qui accipit inquit *l. Quod autem §. Idemque ait vers. Vxori ff. de donat. inter vir.*

Sicut perfecta donatio facilè rescindi non potest, ità legi, quam tuis rebus dedisti donans parere conuenit; ait *l 3. C. de contrah. empt.*

Sanè non amare, nec tamquam inter infectos Ius prohibitæ donationis tractandum est, sed vt inter coniunctos maximo affectu, & solam inopiam timentes *l. Si id, quod 29. ff. de donat. int. vir. & vxor.*

Donatio verò inter Principes statim firma manet, licet sint coniuges, dicit *l. Vlt. in fin. C. de quadriennij præscript.* vbi ponit pro ratione hæc verba. Et ità videatur hoc Imperiale esse priuilegium; qui enim suis consilijs, suisq; laboribus pro toto orbe terrarum die, noctuque laborant, quare non habeant dignam sua prærogatiua fortunam?

Donatio ante nuptias non habet dotis priuilegium. Vide verbo, *Mulier*.

Dotem, & donationem propter nuptias pro honestate personarum, & merita, idest patrimonij facultatem, constituendum esse, inquit *Glos. verbo, Merita in Auth. de restit. & ea, quæ parit §. 1. vers. Quamobrem coll. 4. & infra latius verbo, Dos*.

Debiti remissio est donatio, vnde non valet inter virum, & vxorem dicit *Gl. verbo, Nec donationis, in l. Si inter patrem 6. C. de solution.*

Vtique parcendum est marito, qui cum non præcipitauit ad solutionem, qui donaret, quemque in id, quod facere posset, si conuenisset, condemnaret, *l. Si extraneus 34. ff. de iur. dot.*

Si Episcopus donet alicui rem Ecclesiasticam, potius præsumitur donatio personalis, quàm realis &c. Sed si donat Ecclesię, præsumitur realis donatio, & perpetuò donasse, quia Ecclesia numquam moritur, vt inquit *Glos. verbo, Probatum, in cap. Cum venissent de Instit.*

Si per minutas, vel paruas donationes Ecclesiam lædat, vel modicum excedat, quid dicendum? interrogat *Gl. in cap. 2. de donat.* Et respondet. Videtur, quod totum debeat reuocari &c. immò quod vltra licitum est, reuocabitur; immo videtur, quod non sit attendenda coacceruatio, sed singularis quantitas &c. argumentum contra &c. Sed *tex. in cap. Apostolica eod. tit.* sic dicit. Hoc semper est obseruandum, quod vnus Episcopus, vel alius non solum

non

non debet amplius, sed nec tantum, nec minus, cum graui Ecclesiæ suæ detrimento conferre, siue simul, & semel id facere velit, siue pluries successiuè eisdem, vel diuersis Ecclesijs conferendo.

Donatio facta filio, quando mater possit reuocare vide verbo, *Mater & ibidem* an id procedat in patre.

Donatio per senem fieri potest, vt in verbo, *Aetas sub.vers. Senectus dixisti*.

Ratione consanguinitatis, vel affinitatis præsumitur quis voluisse donare, sicut præsumitur remissio fidei commissi sanguinis necessitudine, vt inquit *glos. verbo, Scissent*, per iura, quæ allegat, & *per tex. in l. Si seruus 39. ff. de donat. inter vir.* in illis verbis. Si id scissent fratres, aut postea quam donata essent, ratum habuissent.

Donatio litis fisco facta non valet. vide verbo, *Fiscus*.

Nec regulariter donare valet is cui bonorum administratio etiam libera est concessa *cap. vlt. de offic. Vicar. in 6*.

Et monasterio, quod non dum est aliqua donatio, fieri non potest inquit *cap. Abbate sanè §. Nec pro eo de sent. & re iud. lib. 6.*

Facilius se mulier obligat, quàm alicui donat, inquit *l. 4. ff. ad Vellan. vbi glos.* sic. Est enim genus mulierum auarissimum in donando, vt hic. & *C. de donat. ante nupt. &c.* idem & in maribus, vt &c. nisi sit ibi affectio paterna &c. vel coniugalis &c. vel sanguinis, &c. vel scholaris in magistrum, &c. vel meriticalis, quæ affectio reputatur potentissima omnium; vel nisi sit ille diues, qui debet multum donare &c Sed hæc causa debilior, & fragilior habetur.

Facilius etiam remissio præsumitur fraudulenter fieri, quam donatio, quia facilius quis remitteret plura, quam donaret pauca, vt inquit *glos. verbo Remissione in cap. Statutum 11. §. Si quid autem de rescrip. in 6.*

Donatio vero si fuerit occulta, suspicione non caret, dixit *cap. vnicum, vt Ecclesiastica beneficia*.

Si Titius donare mihi volens, delegatus a me creditori meo stipulanti spoponderit, non habebit aduersus eum illam exceptionem, vt quatenus facere posset, condemnetur. Nam aduersus me tali exceptione vtebatur, quia donatum ab eo petebam. Creditor verò debitum persequitur, inquit *l. penult. ff. de nouation.* Pinguius enim donatori succurrere debemus, quàm ei, qui verum debitum persoluere compellitur, dicit *l. Exhæredatum 49. ff. de re iudic.*

Si donationem patronus in libertum contulit, videri, & postea libertum patrono donasse, ait *l. Si verò §. Inde Papinianus ff. mandat.* vbi *glos. verbo, Patrono*, ità ait. Sic ergo ratione primæ libertatis, & hoc præsumitur sic alias ratione pietatis, vel alias præsumitur donatio, & probatur his legibus.

Sanè de dolo donator obligare se, & debet, & solet, ne quod benigna contulerit, fraudis consilio reuocet, inquit *l. Ad res 62. ff. de adilit. edic.* & è conuerso donator liberalitatis suæ pænam pati non permittitur, dicit *ead. l.*

Cum ea, quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (salua quidem sedis Apostolicæ authoritate) conuerti, dixit *Pontifex in Clement. 2. de relig. dom. vbi glos. verbo, Ad alium*, sic addit, Quandoque tamen rebus vtimur ad alium vsum, quam fuerint inuenta.

Non est cuiquam licentia, & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris, & ipsum iterum donatorem, suasq. res perdere, & præfatis malis

ab ingrato donationis acceptore affici, dixit *l. Vlt. C. de reuoc. donat.*

Breuitas chartulæ donationi nihil quicquam derogat *l. Si aliquid* 13. *C. de donat.*

Quadrupedis dentes donati cernere noli dixit quidam, & esse prouerbium Italicum asserit *glos. verbo, Gratiosè, in Clem.* 2. *de censib.*

Alia vide verbo, *Dare*.

Dos,

IPsius filiæ proprium patrimonium est, inquit *l.* 3. *§. Sed vtrum vers. Ergo in fin. ff. de minor. & ibidem* notat *glos.* quomodo hoc intelligatur, cum alias etiam pater dominus dicatur, & ideo si pater petebat dotem, & mortuus est, relicto hærede extraneo, etiam lite contestata, non transit actio in hæredem, sed statim ad filiam actio consolidatur, vt dixisti supra verbo, *Actio*.

Sine nuptijs quidem nulla dos intelligitur, siue dote autem nuptiæ possunt celebrari, inquit *l. Cum multa* 20. *ad med. C de donat. ant. nupt.* Quia nisi matrimonij oneribus seruiat dos nulla est, dicit *l. Si pater* 79. *ff. de iur. dot.*

Paternum officium est dotare filias, vt inquit *glos. in l. Qui liberos* 19. *per tex. ibi. Et dotare ff. de rit. nupt.*

Si verò pater dotem daturus non sit inquit *l.* 9. *ff. de pecul. & ibi glos.* sic. Cogitur semper pater, & auus, vt infra *de collat. bon. l. Dedit, & C. de dot. promiss. l. final.* nisi in casu, vt hic, quia filia sit Iudęa, vel hæretica, vt *C. de haret. l. Cognouimus*.

Quæro, quantæ pecuniæ dos constituenda sit? interrogat *l. Quæro* 61. *ff. de iur. dot.* & respondet. Modus ex facultatibus, & dignitate mulieris, maritique statuendus est, quovsque ratio patitur, vbi glos. sic, Nota, quòd nobiles mulieres indigent maiori dote, quam ignobiles, & hoc est verum nubendo pari, secus si inferiori, & sic mihi videtur probare *textum in l. Cum post* 70. *§.* 1. *ff. de iur. dot. ibi.* Dotis enim quantitas pro modo facultatum, & dignitate natalium viri rectè per tutorem constitui potest, & facit *glos. verbo, Merita, in Auth. de restitut. & ea, quæ par. §.* 1. *vers. Quam ob rem coll.* 4. *ibi.* Et nota hic dotem constituendam pro honestate personarum, & merita, idest patrimonij facultatem, & *glos. verbo, Si verò in Auth. de æqualit. dot. §. vlt. coll.* 7. ibi. Paruam, vel magnam intelligo secundum qualitatem personarum.

Si filiæ pater dotem arbitratu tutoris dari iussisset, Tubero perindè hoc habendum ait, ac si boni viri arbitratu legatum sit. Labeo quærit quemadmodum appareat, quantam dotem cuiusque filia viri boni arbitratu constitui oporteat? Et ait. Id non esse difficilè ex dignitate, ex facultatibus, ex numero liberorum testamentum facientis æstimare, ait *Celsus in l.* 45. *ff. de legat.* 3.

Non est verisimile, patrem duplici præstatione dotis filium, eundemque hæredem onerare voluisse, dicit *l. Titia* 35. *§. Qui inuita filia ff. de legat.* 2. Et facit *l. Lucius* 90. *§. Impuberem eod. tit. ibi.* Non videri de dotis legato duplicando testatorem sensisse.

Sic etiam non est verisimile patrem interponi stipulationem voluisse, quo filia post primas nuptias indotata constitueretur, inquit *l. Cum pater* 79. *§. Certum ff de legat.* 2.

Dotem an teneatur dare frater sorori ex alio patre natæ, vide verbo, *Frater*.

Dotem percipere maritus debet, quia apud eum esse debet, qui onera sustinet, inquit *l. Actione* 66. *§. vlt. ff. pro soc.* & ità dicitur *in l. in rebus* 30. *C. de iur. dot.* Quod res dotalis in patrimonium

nium mariti fit ibi. Non enim, quòd legum subtilitate transitus earum patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas delata, vel confusa est, & secundum hoc intelligitur dos in bonis, & patrimonio mariti esse, & non esse, vt concilientur iura, quæ inter se repugnari videntur, vt *in l. vnica §. Et cum lex C. de rei uxoria actio* ibi. Intelligi oportet in rebus mariti, vel dotis quidem æstimatis, in quibus dominium, & periculum est mariti, cui contradicit *Gl. in l. Ad subeunda 46. C. de decurion. lib.* 10. ibi. Et non computatur dos in bonis viri, vt per hoc videatur ditior, & *l. Interdum* 50. *ff. de furt.* ibi. Item rei dotalis nomine, quæ periculo vxoris est: non mulier furti actionem habet, sed maritus, & *in l.* 78. *ff. de iur. dot.* incipit. Quamuis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est. Et *in l. Assiduis C. qui potiores* ibi. Cum penè mulieribus tota substantia in dote est, & ibi non de dote mulieris, quam ad suos victus, suasque alimonias mulier possidet, vel à semet ipsa datam, vel pro ea ab alio.

Ex promissione dotis non videtur causa lucratiua esse, sed quodammodo creditor, aut emptor intelligitur, qui dotem petit, inquit *l.* 18 *ff. de action.* Quod non intelligas respectu mulieris dotatæ, quia tunc ex causa lucratiua dicitur, vt notauit *Apostill. per tex. in l. vlt. §.* 1. *ff. quæ in fraud. cred.* ibi. Quia intelligitur quasi ex donatione aliquid ad eam peruenisse. Nec enim dos in fraudem creditorum constituenda est, & hoc certo certius est, & sæpissimè constitutum dicit *l. Omnes §. Si eum mulier eod. tit. vbi Glos. verbo, Constitutum*, limitat, quod in fraudem patroni dos constitui potest.

Quoties ad Ius, quod lex naturæ ei tribuit, de dote actio reddit, nō fit causa dotis deterior, sed formæ suæ redditur, inquit *l. Si vnus* 28. *§. Pact. in fi ff. de pact.*

Non est æquum virum ob facinus suum dotem sperare lucri facere, ait *l. Si ab hostibus §. vnico ff. solut. matr.*

Quoties res æstimata in dotem datur &c. non simplex venditio fit, sed dotis causa, nec debet maritus lucrari ex damno mulieris; sufficit enim maritum indemnem præstari, non etiam lucrum sentire, sunt verba *l.* 17 *ff. de iur. dot.*

Cum quæreretur, an dos detrahi posset de fideicommisso? dixit *Iureconsultus in l. Mulier* 22 *§. Cum proponeretur ff. ad Trebell.* sic. Dixi non posse dici in euersionem fideicommissi factum, quod & mulieris pudicitiæ, & patris voto congruebat.

Etiam id, quod additamenti causa in dotem datum est, eadem actione repetitur, inquit *l. Etiam si* 8. *C. de iur. dot.* & facit *Auth. de æqual. dot. §. Aliud quoque coll.* 7. ibi. Vt & dos, & augmentum similiter habeat aduersus antiquiores creditores priuilegium vndique indubitato augmento existente &c. si autem mulier immobilium habens rerum substantiam, in rebus mobilibus scribat augmentum, sciat non habituram priuilegium, nisi in antiqua sola dote.

Fundum dotalem non solum hypothecæ titulo dare, nec consentiente muliere maritus potest; sed nec alienare, ne fragilitate naturæ suę in repentinam deducatur inopiam *l. Vnica §. Et cum lex C. de rei vxor. act.*

Dos etiam, non quæ aliquoties inaniter dotalium instrumentorum tenore conscribitur, sed quam se corporaliter tradidisse docuerit, repræsentetur, inquit *l. Si quis* 9. *C. de bon proscript.*

Si ancillæ dos relinquatur, libera manet *per tex. in l.* 1. *ff. de latin. liber. toll* ibi. Si enim hoc, quod frequentissimè in Ciues Romanas, & maximè in nobiles personas fieri solet, id est dotalis instrumenti conscriptio, & in

hac persona adhibita est; necessarium est consentaneum effectum huius scripturæ obseruari. Dos enim constitui non potest, nisi liberis personis, vt inquit *Glos. in cap. Illud quoque 11. de præsumpt. in verbo, Donationem*.

Impensæ necessariæ ipso iure dotem minuunt, dicit *l. Dote 61. ff. de rit. nupt.* Quomodo autem intelligatur facta hæc diminutio? Vide verbo, *Impensa*, & verbo, *Sumptus*.

Dotis fauor non extenditur ad donationem ante nuptias *ex l. Assiduis C. qui potior.* & latius habes verbo, *Mulier*.

Perit priuilegium dotis, si post diuortium dos in stipulationem deducatur &c. quod nemo dixerit lite contestata; nec enim deteriorem causam nostram facimus actionem exercentes, sed meliorem, inquit *l. Aliam 20. ff. de nouation.*

Si dos data desinat esse dos, numquid reddit in causam fideicommissi? Responde non; sic interrogat, & resoluit *Glos. in Auth. de restit. §. 1. post med.*

Dos non soluta post decennium non perit. Vide verbo, *Taciturnitas*.

Dotalis cognitio pertinet ad Papam ratione connexitatis quia est accessoria ipsi matrimonio, dixit *Glos. vlt. in cap. Accedens 4. vt lit. non contest.*

Dubium.

EST differentia inter dubitationem, seu titubationem, ignorantiam, errorem, & nescientiam, quia dubitans applicat animum suum ad plura, & nescit, quid eligat; ignorans est, qui nihil scit, sed scire debet, at nescientia est, cum scire non tenetur, errat, quando credit vnum, & est aliud; sed quantum ad titulum de iuris, & *fact. ignor. vel condict. indeb.* non est differentia, ita ponit *Glos. optima in l. De statu ff. de testam.* Tria ergo sunt scire, nescire, & dubitare, vt dixit *Glos. per tex. ibi in l. 3. §. Si eum verb. Si dubitat ff. de liber. homin. exhibend.*

Dubitans pro ignorante habetur, dixit *Glos. per tex. ibi in l. Vlt. C. de condict. indeb.* quæ loquitur de titubante, qui soluit indebitum, & potest repetere.

Dubium redditur per negationem. Vide verbo, *Negare*.

Per improbabilem negationem, puta, quæ fieret contra aduersarium fundantem intentionem suam, de iure communi non dicitur effici res dubia, dixit *Glos. in Extrauag. vlt. de verbor. signif.*

Ex hoc collige illud effici dubium, & incertum, cuius probatio admittitur, vt ait *Glos. verbo, Probationem, in Extrauag. Cum inter eod. tit. de verbor. signif.*

Anceps periurium subire videtur, qui dubitans iurat, inquit *Glos. in cap. 1. de consuetud. rect. feud. verbo, Conscientia, per tex. in l. Videamus ff. de in lit. iur.*

In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustum, quam tutum dicitur *in l. 3. ff. de ijs, quæ in testam. delen.* Sed in casu *cap. 1. de cleric. non resid.* Præsumitur, quod Episcopus voluit transire de maiori ad minorem Ciuitatem propter ambitionem, ex quo deducit *Glos. 2. ibidem*, Dubia in peiorem partem esse interpretanda, sed illud est propter talem præsumptionem, vt prædicta *Glos.*

In re igitur dubia melius est verbis edicti seruire, dixit *l. 1. §. Si is, qui nauem ff. de exercit. act.* vbi *Glos.* sic ait. Et nota hic mirabile verbum in dubijs standum esse verbis legis, vt & infra *de legat. 3.* &c. Sed argumentum contra *de iur. patr. l. Adigere §. Quamuis &c.*

In re dubia rectius, & modestius est homini nuptijs abstinere dixit *l. Adoptiuus 14. in fin. ff. de rit. nupt.*

Non tamen tibi est in ijs vltra quam oporteat dubitandum, cum leges humanæ dicant, quod quidam tenui religione, sacramenta etiam necessaria, & le

& legitima exhibere contemnunt tenuem religionem vocantes, quæ in talibus hæsitat, vbi non est aliquatenus hæsitandum dicit *optimus tex. in cap. Et si quæstiones* 18. *de Simon.* quod deductum fuit *ex l. vlt. iuxta fin. C. de fide instrum.* ibi. Nec enim vlterius pœnam produci contra eos, qui non iurauerint volumus: cum forsitan quidam subtili reuerentia teneri, nec verum Sacramentum præstare patiuntur.

Cæterum in his omnibus puram, & prouidam te conuenit intentionem habere, ne vel ad declinandum mandatum te dicas dubitare, vbi dubitandum non est, vel etiam ad exequendum te asserat certum, vbi certus esse non debes, sic dicit *optimus tex. in cap. Cum contingat* 24. *§. Vlt. de rescript.*

In ambiguo tamen interpretandum erit, & legata deberi, & cohæredum institutionem non esse infirmandam, ait *l.2. in fin. ff. de ijs, quæ in testam. delen.*

Nihil est sic inter homines indubitatum, quin aliquam sollicitam dubitationem suscipere possit, dicit *Auth. de tabell. §.1. & Glos. verbo, Recipit, in cap. bonæ* 23. *de elect. & verbo, Posset, in Extrauag.* 1. *de conceß. præb.* vbi additur ita. Licet aliàs sit decisum, non debere tamen in dubium reuocari, quod benè est semel determinatum, dixit *Glos. per tex.* ibi, & incompetens est, quæ benè exclusa sunt, rursus in Rempublicam reuocare *Auth. quib. mod. natur. §. Et nos coll.6. & in dicto §. 1. prædicti Auth. de tabell. coll.4.* additur etiam sic. Licet aliquid sit valde iustissimum.

Et sic nota, quòd ratione dubitationis aliquid conceditur, quod alias non concederetur, dixit *Glos. verbo, Ad munera in l. De Iure* 37. *ff. ad municip. & verbo, Sententiam, in l.* 2. *C. Si contra Ius* sic. Causa dubitationis habet iurisdictionem, quam alias non haberet, & *Glos. verbo facta fuerit, in in cap. Super litteris* 20. *de rescript.*

Ego puto ædiles tollendæ dubitationis gratia bis id dixisse, ne qua dubitatio superesset, dixit *l.1. §. Sed sciendum ff. de ædil. edict.* Etenim, quæ tollendæ dubitationis causa contractibus inseruntur, ius commune non lædunt, inquit *l. Qui mutuam* 56. *ff. mandat. & glos. verbo, Pro non scripta, in l. Si Titio* 22. *ff. quando dies legat. ced.* ibi. Causa enim tollendæ dubitationis poni videntur vnde commune. Ius non lædunt. Et in rescriptis idem dicit *Glos. verbo, Distinctio, prop. fin. in cap. vlt. de conceß. præb. lib.6.*

Melius est pie dubitare, quàm temerè diffinire, dixit *Glos. verbo, Temerè in cap. Tantum valet* 32. *quæst.7.*

Sæpè per solutionem vnius dubitationis inducitur alia fortior, inquit *glos. verb. Possibile, in Clement. Vlt. de verbor. signif.*

Dubium super lege aliqua excitatum debet ad Principem mitti, habes *verbo, lex, & probatur in l.* 1. *propè fin. C. de veter. iur. enucl.* ibi. Si quid verò ambiguum (vt supra dictum est) fuerit visum, hoc ad Imperiale culmen per iudices referatur, cui soli leges condere, & interpretari concessum est. Alia circa hoc verbum, vide verbo. *Titubatio.*

Dux.

Vigilans, sobrius, prudens, tamquam de Ciuili causa inter partes iudicaturus, debet esse, dixit *Veget. in lib.* 3. *de re milit.*

Magis debent, & iudices, & duces supra deputata sibi emolumenta, secundum labores suos de nostra largitate sperare, & non de commeatis militum, aut eorum stipendijs lucrum sibi acquirere; quoniam ideo ordinati sunt mili-

tes, vt per ipsos prouinciæ vendicentur; præcipuè cum sufficienter, & ipsis ducibus, & eorum officijs emolumenta præstitimus, & semper prouidemus vnumquemque, secundum labores suos, ad meliores gradus, & ad maiores dignitates perducere, dicit *l. 2. C. de offic. præfect. prætor Afric.*

De Belisario duce Imperatoris Iustiniani in eiusdem Imperatoris vita scripsit, *Aegid. Perrin.* ità. Exegit hic à militibus seuerè abstinentiam, vt ne ex humili quidem plebe pateretur violari quemquam; nec militaribus vijs ex arboribus fruges, poma ve temere decerpi. Hæc disciplinæ militaris seueritas præclaras ei peperit victorias. Non ità videmus nostris temporibus, sed quando populi conqueruntur ducibus de militum insolentijs, respondent, quòd isti sunt belli effectus, & propter hoc, euentus belli ipsis contrarius euenit, vt inquit *idem Aegid.* ibi. Quid enim victoriarum ab insolenti milite, quales hodie nostrates omnes fere videas consequi posse? Porrò subuersa militiæ disciplina (cum id militi licuit, quod libuit) nihil expectari potest aliud in castris, quam seditio, quàm pauor, fuga, seruitus, & iniectum ceruicibus iugum.

DE LITTERA E.

Ebrietas.

Hvius multæ sunt species, vt supra fuit dictum in verbo, *Bibere vers. Ebrietas autem, & ibidem*; quod aliquando est mortale, & aliquando veniale, & quando est mentis obliuio non est peccatum, sed pœna peccati, quod licet ibidem non probauerimus, hic probamus ex authoritate *glos. verbo, Ebrietas, in cap. Vnum orarium 25 dist.* vbi etiam dicitur, quod, quando ebrietas dicitur studium ad inebriandum se tunc est mortale, & de hac intelligitur cap. Ante omnia clericis vetatur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix est 35. *dist. & cap. A crapula de vit. & honest. cleric.* Quandoque etiam dicitur frequens actus bibendi, & illud est veniale, vt dicitur in *d. cap. Vnum orarium post. med.* ibi, quæ autem sunt minuta &c. quoties aliquis in cibo, aut in potu plus accipit &c. De qua quidem ebrietate loquitur etiam *tex. in cap. Sanè 15. q. 1. ibi*. Nesciunt, quid loquantur, qui nimio vino indulgent, iacent sepulti, ideoque si quid per vinum deliquerunt, apud sapientes iudices venia quidem facta donantur, sed leuitatis damnantur authores.

Vnde ebrio secretum sermonem nemo committit; viro autem bono committit, ergo vir bonus ebrius non erit, vt dixit *Senec. Epist.* 84. & iam dixerat *sapiens prouerbiorum* 31. 4. ibi. Quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas. Quemadmodum enim musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo iacet in summam partem vis caloris eiectat; sic vino exæstuante quidquid in imo iacet abditum effertur, & prodit in medium, vt dixit *idem Senec. citata Epist.* 84. Quam quæso videas, & inuenies optima circa hanc materiam, vbi concludit, nihil aliud esse ebrietatem, quam voluntariam insaniam, & tamen inueniuntur homines volentes insani fieri.

Eccle-

Ecclesia

MVltipliciter dicitur, nam Ecclesia malignantium vocatur apud *Psalmist. Psalm.* 25. & dicitur Ecclesia Collectio fidelium, vt *in cap. Ecclesia* idest Catholicorum collectio *de consecrat. dist.* 1. Item dicitur murorum ambitus, vt *in cap. De fabrica ead. dist.* Dicitur etiam Ecclesia corpus Christi, vt *in cap. In Ecclesia Dei* (quæ corpus Christi est) 1. *quæst.* 1. *& in cap. Sed & illud* ibi. Quia omnis Ecclesia corpus Christi est 26. *q.* 2. Et dicitur etiam Ecclesia prælatura ipsius Ecclesiæ, vt *in cap.* 3. ibi. Sacerdotes ad Ecclesiarum regimen statuantur, ne prælat. vices suas. Et dicitur etiam Ecclesia ipsæ obuentiones Ecclesiasticæ prouenientes occasione Ecclesiæ, vt dicitur *in cap. Vlt. & in cap. Cum clerici* 19. *de verbor. signif.* & notat *Glos. vlt. in cap. Vlt. eod. tit. ne prælat.* De prædictis significationibus hic dicemus ea, quæ notabiliora nobis visa sunt, prout nostræ inspectionis est.

In omnibus his casibus puto Ecclesiam summi pro ipsa naturali Ecclesia, & ipsius Ecclesiæ parietibus, dixit *Glos. Verbo, Matricem, in Clemen.* 1. *de sent. excomm.*

In cap. Relatum 12. *de testam.* sic dicitur, Nomine Ecclesiæ non Episcopus; vel successor clerici morientis, vbi est collegium clericorum, sed communis congregatio intelligitur. Et tamen dicit *Glos. penult. in cap. Edoceri* 21. *de rescript.* ità; Et Ecclesia est in Episcopo, & è conuerso.

Nota argumentum nomine Ecclesiarum, monasteria non comprehendi, inquit *Glos. verbo, Monasteriorum in c Grandi* 2. *de supplen. neglig. prælat. lib.* 6.

Quamquam sub nomine Ecclesiarum Ciuitatis, comprehendatur alias Ecclesia Cathedralis, cum tamen alicui de beneficio mandamus in aliqua Ecclesiarum Ciuitatis, vel Diœcesis prouideri ad Cathedralem Ecclesiam quam propter ipsius honorem, sub hac generalitate nolumus hoc casu includi; secus autem cum mandamus in aliqua Ecclesiarũ Prouincia prouideri, inquit *Pontifex. in cap. Quamuis* 4. *de preb. lib.* 6. *& Glos. penult. in cap. Accipimus* 13. *de ætat & qual.* sic. Per clausulam illam in aliqua Ecclesia, Diœcesis Bononien non comprehenduntur Ecclesiæ Ciuitatis, vel è conuerso.

In cap. licet 20. *de for. comp.* dicit *Pontif. de Romana Ecclesia* ità. Quia tamen omnium Ecclesiarum mater est eadem, & magistra ritè compelli potuit, vt ibi suis aduersarijs responderet, nisi pro alia causa venisset, quam si tunc allegasset, ius reuocandi domum saluum fuisset eidem.

Cap. vlt. de sent. excom. lib. 6. de eadem Ecclesia loquens hæc ponit. Alma mater Ecclesia plerumque non nulla rationabiliter ordinat & consultè, quæ suadente subiectorum vtilitate, postmodum consultius, ac rationabilius reuocat, in melius ve commutat.

Ecclesia enim cultrix, & auctrix iustitiæ, non patitur contra iustitiam aliquid fieri in se, vel in alterum; priuatus verò sæpè obuiat iustitiæ; dicitur *in cap. vnico ad med. de alien. feud.*

Ecclesia ipsa loco pupillę est, vt per iura, quæ *Glos. verbo, Administrauerunt, in l. Libertos* 6. *C. de excusat. tutor.* & probas latius in verbo, *Respublica*, & tradit *Glos. verbo, Constituebat, in cap. Significauit* 48. *de appell.* ibi. Cum enim Ecclesia æquiparetur minori, & Capitulum dicatur Ecclesia &c. ergo & Capitulum æquiparatur minori, & *Glos. verbo, Rebus suis, in cap.* 1. *de iur. iur.* ibi. Cum Ecclesia, & fiscus, & minor pari passu ambulent, & *Glos. verbo, solet, in l. Respublica C. quibus*

ex

ex cau. maior. ibi. Sicut enim minores sunt sub curatoribus, sic, & respublica sub administratoribus &c. Sic & in Ecclesia, cum Reipublicæ parificetur &c. Ecclesia ergo vicem pupillorum obtinet; idem *glos. verbo, Ecclesia, in cap. Auditis 3. de integr. restit.*. *ibi*. Ecclesia enim fungitur iure minoris, &c. item fungitur iure Reipublicæ &c. Hinc est, quod Prælati Ecclesiarum comparantur tutoribus, &c. Item fungitur iure imperij &c. sed non fungitur iure pupilli, quia contra pupillarem ætatem non currit præscriptio.

Quilibet etiam minor potest prosequi iniuriam Ecclesiæ suæ, ne trahatur in peiorem statum, licet alias coniuncta persona repellatur, si agat contra voluntatem aliorum, sed hic non est ità, quia quilibet agere potest pro Ecclesia, vt dixit *glos. verbo, Per exceptionem, in cap. Cum olim 34. de testib. & in cap. Ex parte 10. de confess. prab. verbo, Opponere, ibi*. Et est hic notabile, quòd vnus, vel duo possunt se opponere pro defensione Ecclesiæ, si rationabilem causam ostendant.

Ecclesia iterum auditur propter nouas defensiones, vt *in cap. vlt. de integr. restit. ibi*. Nisi nouis defensionibus ad huiusmodi beneficium sit admittenda; vbi notauit *glos. vlt. ibi*. Tunc enim propter nouas defensiones, siue quæ tunc erant, sed allegatæ non fuerunt, quia occultę fuerunt, siue quę postea emerserunt.

Maior Ecclesia potest agere pro iure subditarum Ecclesiarum, vt inquit *glos. verbo, Ecclesia, in cap. Ex transmissa 10. de præscript.*

Ecclesia dedicari non debet, nisi dos pro duobus ad minus sufficiat clericis, inquit *glos. verbo, Clericum, in cap. 3. de vit. & honest. cler.*

Nota, quòd Ecclesia loco filij habetur, quod valet ad multa, vt dixit *glos. per tex. ibi in Auth. de sanctiss. Episcop. §. Sed & hoc præsenti coll 9. & ibidem glos. verbo, Conditionibus*, ità ait; videtur enim contraxisse, & liberos habuisse, si monasterium intret. Quid verò si ingrediens habeat parentes, an eis deferantur bona? interrogat *glos. verbo, Intrauerit in eodem Auth §. Si qua mulier*, & respondet, quòd non, sed monasterio, quia loco filij &c. De hoc tamen dubito, quia fictio, quæ datur in monasterio, vt ipsum monasterium loco filij habeatur, non debet plus operari, quam natura, qua parentes sunt tales, & ratione cuius, saltem iure pietatis, ab ipsa natura prouenientis, ipsis parentibus, debentur filiorum bona.

Ecclesiæ bona non sunt nostra, sed pauperum, quorum procurationem, quodammodo gerimus non proprietatem, inquit *cap. Quod autem 23. q. 7.*

Valde enim iniquum, & ingens sacrilegium est, vt quæcumque, vel pro remedio peccatorum, vel pro salute animarum suarum vnusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, aut certè reliquerit ab his, quibus maximè seruare conuenit, idest Christiani, & Deum timentibus hominibus, & super omnia à Principibus, & primis regionum in aliud transferri, vel conuerti permittatur, inquit *cap. Indignè ad Altare 12. q. 2. & cap. In Canonibus 16. q. 1.*

Amico rapere quippiam furtum est; Ecclesiam fraudere sacrilegium est. Accepisse pauperibus erogandum, & esurientibus pluribus illud reseruare, vel cautum, vel timidum est, aut quod apertissimi sceleris est exinde aliquid subtrahere omnium prædorum crudelitatem superat, dixit *Hieronym. in cap. Gloria 12. q. 2.* Et talis est ista crudelitas, vt mereatur omnes maledictiooes à Dauid contra Iudam fulminatas *Psalm. 108.* vbi reddit rationem ibi. Quia persequutus est hominem

nem pauperem, & modicum. Magna namq; persequutio fit pauperi in denegando ei, quod suum est, & propterea *Ioannes in Euangelio* vocat Iudam furem, & latronem.

Non licet Episcopo fraudare quicquam ex illis, vel cognatis proprijs dare, quæ Dei sunt. Quod si pauperes fuerint, vt pauperibus largiatur, sed non sub horum occasione, quæ sunt Ecclesiæ defraudentur; dixit *cap. Quisquis* 12. *quæst.* 2. *vbi Glos.* declarat, quod tantum victum, & vestitum illis dare debeant. Nam Ecclesiæ bona sunt egentium, vt dixisti verbo, *Bona*.

Bonorum Ecclesiasticorum dominium penes Ecclesiam esse dixit *Glos. verbo*, *Ipsarum, in cap.* 2. *de reb. Eccles. lib.* 6. vbi additio sic. Ecclesia, idest Congregatio fidelium, cuius Christus est caput, sed pauperum sunt, quo ad sustentationem, & Clericorum, quo ad administrationem.

Ecclesia bene potest possideri ab alia Ecclesia, tamquam proprietas, tenet *Glos. vlt. in cap. Cum olim* 7. *de rer. permut.*

Ea, quæ ad Beatissimæ Ecclesiæ iura pertinent, vel posthac peruenerint, tamquam ipsam Sacrosanctam, & religiosam Ecclesiam, intacta conuenit venerabiliter custodiri, vt sicut ipsa religionis, & fidei mater perpetua est, ità eius patrimonium iugiter seruetur illæsum, inquit *l. Iubemus* 14. *ad fin. C. de sacrosanct. Eccles.*

Etiam veteres leges ea, quæ iuris diuini sunt, humanis legibus non illigari sanxerunt, inquit *l. Sanximus* 17. *C. eod. tit. de Sacrosanct.*

Concessiones Ecclesiarum ad perpetuas alienationes non est dubium pertinere, inquit *Pontif. in cap. Tua* 8. de ijs, quæ fiunt à Prælat. vbi *Glos. vlt.* sic. Perpetuæ enim intelliguntur, ex eo, quia fiunt Ecclesijs, & non personis &c. quia Ecclesia non moritur &c. Si fiunt personis sine temporis præfinitione durabunt in earum vita, & facit *optimus tex. in l. Annua §. vlt. ff. de an. lega.* ibi. datum templo. Item quæro vtrum vno dumtaxat anno? &c. an etiam in perpetuum decem præstanda? Respondi in perpetuum, idem in Ciuitate probat *l. Cum quidam eod. tit.* ibi. Non esse verisimile testatorem de vno anno sensisse, sed perpetuo legato.

Quæ sunt contra Ecclesiæ vtilitatem, non iuramenta, sed periuria dicenda sunt. vide verbo, *Iuramentum*.

Ecclesię, quando præiudicet prælati confessio, habes verbo, *Confessio*.

Ecclesiæ conditio an fiat deterior per factum Episcopi, habes verbo, *Episcopus, & in c.* 1. *de in integr. restit.* sic dicitur, Cum Episcopo eius conditionem facere deteriorem non liceat, & Ecclesia iure minoris debeat semper illæsa seruari.

In his præscriptionibus, quæ spectant ad statum iudiciorum, vbicumque læditur Ecclesia, restituitur, vt si contumax condemnata est &c. vel si non appellauit, vel etiam dum agit, vel conuenitur, in aliquo capta est, vt minor &c. Item si non prouocauit &c. vel omisit allegationem, vel ea, quæ faciunt ad instructionem causæ, &c. Item quidquid omisit, non solum in damno, sed etiã in lucro &c. & propter nouas defensiones tunc apparentes, vel nouiter contingentes; ità ponit *Glos verbo, Restituimus, in cap. Auditis* 3. *de in integr. restit.*

Nota bona Ecclesiæ conseruanda in tempore successoris &c. nisi sint talia, quæ seruando, seruari non possunt, inquit *Glos. vlt. in cap. Cum vos* 4. *de offic. Ordinar.*

Ecclesiæ res non potest vendi habita fide de pretio, vt habes, verbo, *Fiscus*.

Si necessitas fuerit in redemptione captiuorum, tunc & venditionem rerum diuinarum, & hypothecam, & pignorationes

tiones fieri concedimus. Quoniam non absurdum est animas hominum quibuscumque vasis, vel vestimentis præferri; inquit *optima lex. Sancimus* 17. *C. de sacrosanct. Eccles. vbi glos. penult.* sic. Hac ratione dicas pro alimentis pauperum fieri in alienationem, quia animæ pauperum prætiosiores sunt; probatur etiam *in Auth. de non alienan. §. Si verò in perpetuum coll.* 2.*ibi*. Nisi tamen aliquid tale fiat, quod diximus in redemptionem captiuorum, vbi animæ hominum liberantur à mortibus, & vinculis inanimatorum venditione vasorum; nam hominum animæ quibuslibet rebus præponendæ sunt, inquit *Glos. verbo, Excepta, in §. sacra de rer. diuis. in Instit. & addit.* Item propter debita Ecclesiæ, vt &c. Item propter alimenta pauperum; vnde versus,

Vtilitas, incommoditas, pietasque necesse,
Res alienari permittunt Ecclesiarum.

Ecclesiæ creditor tenetur probare versum mutuum in Ecclesiæ vtilitatem; vt probatur verbo, *Mutuum*.

Ecclesia non admittit compensationem iniquè prætensam, dixisti verbo, *Compensatio*.

Ecclesiæ legato relicto, & nomine Ecclesiæ non declarato, vel declarato, & non constito de qua, dabitur pauperiori illius loci, vt disponit *Auth. de Eccles. tit. §. Si quis in nomine coll.* 9. *ibi*. Inueniantur autem in eodem loco, aut ciuitate plura oratoria eiusdem Sancti illi magis domui, quæ pauperior est, quod relictum est, præbeatur &c. Si autem nec in territorio eius reperitur huiusmodi domus, tunc Ecclesiæ Ciuitatis, in qua testatorum domicilium fuit, quod dimissum est, præbeatur.

Bona Episcopi præsumuntur in dubio Ecclesiæ intuitu acquisita, & ideo requiritur probatio ex aduerso, vt infra notatur verbo *Episcopus*, vbi talia non ad consanguineos, sed ad Ecclesiam transeunt.

Ecclesiæ expedit plures habere diuites Clericos, vt illam possint melius defendere, & Imperium, & fiscus abundabit vtens subiectis locupletibus, dixit *Glos. in cap.* 3. *de except.*

Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum Iure humano, quinimmò, & diuino à personarum sæcularium exactionibus sint immunes, inquit *cap. Quamquam* 4. *de censib. lib.* 6.

Et si in temporalium dispositione bonorum habenda sit discretionis cautela, præcipuè, vt ea dignè, & laudabiliter disponantur, in Ecclesiasticis tamen rebus multò fortius inuigilare nostra debet intentio; sic incipit *Extrauag.* 3. *de preb. int. comm.*

Demumque prospeximus euidẽter, quòd Ecclesiarum, & monasteriorum cura negligitur; bona, & Iura disipantur ipsorum, ac subiectis eis personis, & populis spiritaliter plurimum, & temporaliter derogatur, eisque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum &c. inquit *Extrauag. Ex supernè de preb. int. comm.* loquens de Ecclesijs datis in commendam.

Ecclesiæ debitis seruitijs non fraudentur, præcipit *Extrauag.* 1. *de elect.* quia honor Ecclesiæ potius debet augeri, quã minui, & quia temporibus nostris potius addi reuerentiam cupimus, quam minui, vt dixit *Glos. verbo, Confirmatum, in cap. Cum accessissent* 8. *de constit.*

Ac si quã opera vestra mater Ecclesia desiderauit, nec relatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, nec otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis, dixit *Au-*

Augustin. ad Eudox. in cap. Vos autem fratres 16.*q.*1.

Qui considerat in multis Ecclesijs talium Christianorum peccata inueniet arbitrantes quæstum esse pietatem, & cum deberent de Euangelio viuere secundum, quod decet viuere seruos Dei hoc non faciunt, sed diuitias, & multas possessiones acquirunt, nonne dices speluncam latronum factam esse sub illis Ecclesiam? inquit *cap. Et hac diximus* 16. *q.*7. *& iuxta fin.* addit. Et arbitror conuenire verbum Dei de venditoribus columbarum eis, qui tradunt Ecclesijs auaris, & tyrannis, & indisciplinatis.

Impium est, vt qui res suas Ecclesiæ non attulerit, damnum inferat, inquit *cap. Episcopi* 4. *de reb. Eccles.*

Iniuria Ecclesiæ facta, Papa non remittit vide verbo, *Iniuria*.

Ita comperiuntur aliqui impij, vt etiam in venerandis domibus præsumant in talibus se miscere sceleribus, & ibi de peccatis tractare, vbi consueuerunt Deum timentes peccatorum veniam postulare. Non enim debent huiusmodi personæ in venerabili loco munimen habere, quàm ipsi per scelus proprium despexerunt.

Quomodo illis, qui in ipsa Ecclesia tale scelus studuerint perpatrare, promittimus aliquod auxilium ex Ecclesiasticis terminis inuenire, sed omnibus modis iudicibus eos tradi, & pœnam sustinere, qua digni sunt, qui Sanctissima loca violare præsumunt; quis enim ibi delinquit, vbi salutem petat? inquit *Auth. vt liceat matr. & aui. §. vlt. coll.* 8. Non enim debet quis eius, in quem deliquit, implorare auxilium, dicit *ibidem Glos. verbo, Despexerunt, & in Concil. Trid. cap. Si quis intra sess.* 24. *de reformat. matrim.* ibi. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur; cuius salubria præcepta temerè contempsit, & *Glos. verbo, Præposito in cap Transmissam* 15. *de elect.* ibi. Quia indignum est illis ab Ecclesia subueniri, per quos constat scandalum generari, & *in cap. In audientia* 25. *de sent. excomm.* ibi. Cum frustra Ecclesiæ imploret auxilium, qui committit in ipsam.

Quod in Ecclesia non sit confabulandum disponitur *in cap.* 2. *de immun. Eccles. lib.*6. his verbis. Cessent vana, & multo fortius fœda, & prophana colloquia cessent confabulationes quælibet; sint postremò quæcumque alia, quæ diuinum possunt turbare officium, aut oculos diuinæ maiestatis offendere ab ipsis prorsus extranea, ne vbi peccatorũ est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi; & *ibi Glos. verbo, Parlamenta, in addit.* refert *ex Valerio Maximo lib.*1. *cap.*1. Quod Caius consulatu Galliæ, & Scipio consulatu Corsicæ priuati sunt, quia parlamenta faciebant in templo; sed quot Caij, & Scipiones hodie in templo Dei inueniuntur?

Colliges dehonestari Ecclesiam, vel etiã Dominum temporalem in personis officialium suorum, cum Ecclesiam, vel Dominum suum repræsentent, inquit *Glos. verbo, Calcata, per tex. ibi in Clemen. Vnica de pan.* iuxta illud. Dominum crucifigunt, qui eum in suis sacerdotibus persequuntur, & Ecclesia pati dicitur in eis, tamquam ministris suis.

Iuxtà Canonicas sanctiones nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur ad regimen animarum, inquit *Extrauag.* 3. *de præbend. int. comm.*

Ecclesia non debet interdici, & quando vide verbo, *Interdictum*.

Vterque est in potestate Ecclesiæ Spiritualis, scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia ille vero ab

Ecclesia exercendus. Ille Sacerdotis, is manu regum, & militum, sed ad nutum Sacerdotis; oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem subijci potestati; sic disponit *Extrauag.1.de maior.& obed. inter comm.*

Et ità vbicumque deficit Ecclesiastica potestas, recurrendum est ad auxilium sæculare, & sic vna potestas per aliam iuuatur, vt inquit *Glos.vlt.in cap.Quoniam 14. de offic. Ordinar. per tex. in fin.* ibi. Adhibito, si necesse fuerit, brachio sæculari ad tantam insolentiam repellendam.

Semper plus Ecclesiæ vtilitas, quàm personæ fuit attendenda, vt dixit *Glosa verbo, Ecclesia in cap.1.ne Sede vac per tex.* ibi ne plus fauisse personæ, quam Ecclesiæ videremur. Vnde cum super receptione duorum in Ecclesia mandatur; numquam est intentio mandãtis dictam Ecclesiam grauandi, vt dicitur *in cap. Mandatum 38. ad fin. de rescript.* Nam & tot ponendi sunt in Ecclesijs, quot ex eorum fructibus possunt sine incommodo sustentari, vt per quæ allegat dixit *Glos. verbo, Industriam, in cap. Cum M 9 de constit.*

Papa propter paupertatem permittit habere plures Ecclesias; item propter raritatem Clericorum, item in titulatam vnam, & aliam Commendatam; vnde versus.

Paupertas, pondens, defectus, gratia seruans
Ecclesias retinere duas dat quodlibet borum.

Ità ponit *Glos. vlt. cap. Eam te 4. de ætat. & qual.* Nam regulariter plures Ecclesiæ vni nequaquam committuntur præsbytero; quia solus per totas Ecclesias, nec officium valet persoluere, nec rebus earum necessariam curam impendere, vt inquit *cap. Vni post medium 10. q.3.*

Ecclesiarum vacatio diutina periculum solet animabus afferre; dicit *cap. Si Apostolica 35. de præb.in 6.*

Ecclesia viduata intelligitur, quasi sponsum non habeat, & quia sponsus eius, non dum est consecratus, adhuc quoad quædam, quasi viri maneat solatio destituta; sicut iuxtà communem modum loquendi illa dicitur Ecclesia viduata, quæ licet Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere, vt dicitur *in cap.2 de translat. Episc. vbi Glos. verbo, Inutilem* sic. In alijs etiam mortuus reputatur &c. Et qui inhabilis est ad agendum, nullus dicitur; ex quo *tex. & Glos.* videtur decisa illa quæstio. An mulier, quæ virum habet inutilem, vidua habeatur, & gaudeat priuilegio *l.Vnic. C. Quando Imperat.inter vid.*

Etiam aliæ Ecclesiæ, quæ non sunt Cathedrales, & carent Pastore, seu Rectore, impropriè saltem viduatæ dicuntur vt probat *Glos.vlt. in cap. Cum terra 14 de elect.* ibi. Licet videatur loqui de Cathedralibus ex verbis illis Ecclesiæ viduatæ, quia illæ solæ dicuntur viduatæ, quia ibi dicitur vinculum coniugale contractum, in alijs inferioribus non ità. Sed tamen hodie extenditur ad omnes, licet impropriè dicantur viduatæ, tamen quo ad multa viduatæ dicuntur, ex quo Prælatum non habet, qui possit negotia earum procurare.

De Iure communi videtur, quod vacante Ecclesia Prælato, transferatur potestas ad Capitulum, cum omnia alia liberè Capitulo reseruauerit, & ità vacante Ecclesia, Capitulum potest iudicare, absoluere, excommunicare &c. Ea verò, quæ ministerium consecrationis desiderant, facere non possunt &c. præbendas &c. conferre non possunt; ita inquit *Glos. vlt. in cap. His quæ 11. de maior. & obed* Est etiam *Glos. vlt. in cap. Cum olim 14. eod. tit.* ibi. Sic patet hic manifestè, quod vacante Ecclesia potestas, siue iurisdictio Epis-

Episcopi deuoluitur ad Capitulum, licet in multis non deuoluatur, quæ videas per dictam *Glos.*

Ad Ecclesiam spectat pacem seruare, & obseruari facere, vt dicit *Glos. verbo, Pacem, in cap. Nouit de iudic.*

Pro malis Ecclesia apud Principes debet intercedere, non eos ausu temerario defendere, vt dicit *Diuus Gregor. in c. Comperimus ad fin.* 14. *q.* 6. Cum quo consonant verba capituli sequentis ibi. A nobis non videatur iniustè defendi, ne opinione malè agentium ex indiscretæ defensionis ausu in nos vllo modo transferamus.

Ecclesia nulli gremium suum claudit, vt ex his, quæ allegat, dicit *Gl. verb. vult, in Auth. vt non lux. contr. nat. coll.* 6.

Ecclesia non est libera à gabellis refectionis itinerum, & pontium, nec plaustrorum, vt habes verbo, *Iter*, ad expensas ergo superuacuas, vel honoris causa, sicut esset salicare plateã non tenẽtur Ecclesiæ, sed alias necessarias expensas &c. tenet *gl. verb. Munitionibus in cap. Nos Romanorum de pac. const.*

Ecclesia feudo priuatur ob delictum Prælati eo viuente. Vide verbo, *Prælatus*.

Est notabilis Apostilla *ad l. Liberi* 28. *C. de inoffic. testam.* dum ità dicit *Glos. in cap. vlt. de postul. verbo, Contra Ecclesiam*, inducit istam legem, quod si Ecclesia sit ingrata contra beneficiatum in eadem, ipse poterit postulare contra eam, nec Ecclesia ei succedet. Sed ego dubito de hoc dicto; nam quomodo potest Ecclesia ingrata esse? Ingrati esse poterunt, qui ipsam regunt, & per eos non debet damnum eidem Ecclesiæ dari, vt supra dicis, sed potest intelligi de ipsis Ecclesiæ iuxta distinctionẽ de qua in princ. huius verbi.

Quod adeò verum est, vt etiam si sponte voluerint eius prælati renunciare priuilegijs Ecclesiarum non possint sine licentia Romani Pontificis, vt dicitur *in c. Cum tẽpore* 5. *de arb. cõiunct. Apost. ibidem*, & multo minus damnum ei afferre per ingratitudinem personalem.

Ecclesia potest errare in Canonizatione, quod non est credendum, licet accidere possit, tenet *Gl. magna ante medium in c. vnico de reliq. & vener sanct. lib.* 6.

Cum scribitur alicui de aliquo beneficio in Ecclesia prouideri, si non sit ibi, nisi vnicum, de illo prouideri non poterit, cum illud (in aliquo) sit relatiuum supponens diuersitatem, ità dicit *Glosa verbo, In certa, in Clem.* 1. *de præb.*

Effectus.

OPeri tuo nomen imponit, dixit *glos verbo, Donandi, in l. sed si vir* 32. *§.* 1. *ff. de donat. inter vir.* Et à contrario vbi non datur nomen, nec dabitur effectus, vt ait *Gl. verbo, Ipso, in Auth. de testib. §.* 1. *vers. licere* ibi. Ipso testium nomine *coll.* 7. & habes verbo, *nomen, vers. Et ita ex quo.*

Si voluntate creditoris fundus alienatus est &c. Si tamen effectus sit sequutus venditionis; nam si non venierit, non est satis ad repellendum creditorem, quòd voluerit venire, dixit *l. Sicut* 8. *§. Si voluntate ff. quib. mod. pign. vel hyp. sol.* Et est vulgare effectum non affectum attendi, nisi in atrocissimis, vt supra dicis verbo, *Affectus*.

Si filio exhæredato ex Trebelliano hæreditas præsens restituta sit &c. effectu quodammodo hæres est, dicit *l.* 5. *§.* 1. *ff. quod cum eo*. Et ibi *Glos.* ità dicit. Nota hic effectum plusquam verba attendi, vt infrà *de pecul. l. Peculium §. Sed si nomina, & de verbor. signific. l. Nomen filiarum §. fin.* & facit illud Matthæi *cap.* 21. 29. vbi iubente patre duobus filijs operari in vinea ille, qui dixit, nolo, & iuit, patris voluntatem fecit, non vero ille, qui dixit eo, & non iuit.

Effectus etiam sumitur pro euentu, vt infra notatur verbo, *Euentus*.

Electio.

VEL fit de perfonis, vel de rebus, & de ea, quæ prima eft, in toto orbe, dicitur, quod debet eligi, qui habeat requifita à Diuo Petro relata de Santo Clemente in hæc verba. Clementem hunc vobis ordino in Epifcopum, cui foli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado, quem præ cæteris expertus fum Deum colentem, homines diligentem, difcendi ftudijs deditum, fobrium, benignum, iuftum, patientem, fcientem nonnullorum ferre, etiam ex ijs, quæ verbo Dei inftituuntur, iniurias. Ità refertur *in cap. Vnde 8. quæft.* 1.

Nam fi in quibuslibet Ecclefiæ gradibus prudenter, fcienterque curandum eft, vt in domo Domini nihil fit inordinatum, nihilque præpofterum, multò magis elaborandum eft, vt in electione eius, qui fupra omnes gradus conftituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini ftatus, & ordo nutabit, fi, quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite, vt dicit *cap.* 1. *Conc. Trid. feff.* 24. *de reformat.*

Vnde nulla hic populi acclamatio, nulla confanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio eft, propinquis agrorum, & prædiorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegit, vt inquit *cap. Si ergo* 8. *q.* 1.

Nec eligant in domo Domini, qui maiores facculos pecuniæ conferant, fed eos qui moribus, & difciplina, ac fcientia diuites pro officio fuo ipfam valeant fuftentare Ecclefiam *cap. Ex multis iuxtà fin.* 1. *q.* 3.

Et in fæcularibus poteftatibus eligendis *l. Sancimus C. ad l. Iuliam repetund.* fic dicitur. Sancimus eiufmodi viros ad Prouincias regendas accedere, qui ad honoris infignia non ambitione, vel pretio, fed probatæ vitæ folent teftimonio promoueri.

Ille enim, qui eft doctior, & Sanctior, eft eligendus, cuius comparatione cæteri grex dicatur, fufficit tamen, fi eft idoneus, quia conueniens fcientia toleratur in Prælato, & fufficit, quod non fit malus, vt dicit *Glof. verbo, Magis vtilem, in cap. Conftitutis* 46. *de appell.* & facit *cap. Cum nobis* 19. *de elect.* ibi. Illiufque litteraturæ, licet non eminentis electus exiftit, à quo deduxit *Glof. verbo, Conueniens, in cap. Qualiter* 17. *eod. tit.* ibi. Quia fufficit, quod fit conuenientis fcientiæ, licet non eminentis.

Vnde is videtur melior, qui electus eft, vt dixit *Glof. verbo, Steterit, in l. Planè* 97. *§. Si cui ff. de legat.* 1. Nam electio fit de bono, & non de malo, & ità Curia præfcribit bonos, & non malos, vt tradit *Glof. verbo, Confequantur, in l. Eum qui* 58. *C. de decurion. lib.* 10.

At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos in Ecclefia, & Republica columnas erigere, quos plus cognofcant Ecclefiæ, & Reipublicæ prodeffe, & meliores effe, fed quos vel ipfi amant, vel quorum funt obfequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quifpiam rogauerit, & vt deteriora taceam, qui muneribus impetrarunt, iam olim dixerat *Diu. Hieronym. ad Titum cap.* 1. *relatus in cap. Moyfes* 8. *quæft.* 1.

Multi ædificant parietes, & columnas Ecclefiæ fubtrahunt, marmora nitent, auro laquearia fplendent, gemmis Altare diftinguitur, & miniftrorum Chrifti nulla eft electio, dixit *idem Hieronym. in cap. Gloria* 12. *q.* 2. Parietes hic accipe pro imperitis electis, & columnas pro peritis neglectis.

Lex dicit, quod monachi debent iurare eligere Abbatem, quem fciunt fide rectum, vita caftum, & qui monafterio valeat

leat vtiliter prouidere *in Auth. de sanctiss. Episc. §. Iubemus igitur coll. 9.* quod hodie non seruatur, sed secundum formam illius constitutionis *in c. Quia propter de elect.* itá dicit *Glos. verbo, Eligendi, in cap. Cum dilectus* 8. *de consuetud.*

Nec electio muneris quæritur in successione generis, sed in perfectione vitæ, & sinceritate, & scientia, argumentum contra, recurrat *ad fin.* 32. *q.*4. Et itá videtur, quod semper melior, & iustior est eligendus &c. Contra &c. Solue; Melior, & iustior, & sanctior eligi debet; tamen si alius eligitur, licet non sit melior, sufficit, quod sit sufficiens vt inquit *Glos. verbo, Sanctiones, in cap.* 2. *de offic. custod. qui tex.* sic ait, vt ad hoc opus tales ordinentur, quales meliores, & sanctiores esse viderint.

Nec facultates, nec dignitas itá sufficiens est, vt bona electio, vel voluntas, & benigni mores, dicit *l. Scire* 21. *§. Eos vers. Cum reliquis ff de tutor. & curat.*

Electio Curialium debet fieri de dignissimis, meritis, & facultatibus. Vide verbo, *Munera*; si verò non adsint, melius est qualécumque eligere, quàm ordinem plenum non esse, dicit *Glosa verbo, Confirmatum, in cap. Cum accessissent* 8. *de constit.*

De iure communi electio spectat simul ad Capitulum, & Episcopum, vt tenet *Glos. verbo, Communiter, in cap. vlt. de supplen neglig. prælat.*

Nota, quod cum in electione longè maior numerus est ex vna parte, quam ex alia, non habetur respectus ad meritum personæ, dum tamen sit conueniens ille, qui electus est à maiori parte, nec ad zelum eligentium, sed si numerus in modicum excedat, tunc recurritur ad merita, & ad zelum &c. inquit *Glos. Minorem in cap. Scriptum* 40. *de elect.*

Numquam tenet electio, nisi fiat à maiori parte Capituli, itá tamen, quòd maior pars non peccet, vt ex hoc, ipso Iure priuetur, quia tunc valet electio minoris partis Capituli, itá *Glos. verbo, In tanta, in cap. bona* 3. *de postulat. prælat. per tex. in cap.* 2. *eod. tit.* cuius verba sunt. Ac ideo ad pauciores numero quantum tamen pertinet ad hoc consilio sanioris eligendi. Vnde dicitur *in cap. Tam litteris* 33. *de testib.* sic. Qui contra prædictum electum litteras nobis sub nomine maioris partis Capituli destinauerunt (cum constet per attestationes longè maiorem partem Capituli non fuisse consciam huiusmodi litterarum) ab officio, & beneficio denuncietis esse suspensos.

Item nota, quod tres debent eligere sufficit tamen duos consentire, & ideo tres, & non quatuor, vel duo, quia naturaliter homines discordant, & in illis casibus posset esse, quod non inueniretur pars maior, vt tradit *Glos. per qua ibi allegat verbo, Ex trium, in Auth de Sanctiss. Episc.* 1. *coll.*9.

Electi à Principe alijs præferuntur, vt *in l. Restituenda* 6. *in fin. C. de aduoc. diuer. iudic.* ibi. Nam qui nobis digni iudicati sunt, ij multò magis in anterioribus quoque sunt adiuuandi, vbi *Glos. vlt.* sic. Nota hic maiorem honorem debere ijs, qui electi sunt ab Imperatore ad aliquam dignitatem, quàm ijs, qui ad eandem dignitatem sunt electi ab alijs; sed hoc non quia isti ex propria persona sint magis benemeriti, sed ex persona Principis eligentis.

In electione confirmanda non aliud expectandum, sed sufficere vtriusq; partis voluntatem, inquit *l. Si quos* 59. *C. de decurion. lib.* 10. *& ibi Glos. vlt.* notat; quòd superior confirmat, quod facit interior.

Confirmatio nihil confert Iuris, vbi electio Canonica non fuit; tamen si possessionem fuerit adeptus, & postmodum

dum spolietur, debet restitui, quamuis non fuerit electio Canonica, ità inquit *Glos. verbo, Confirmatus, in cap. Cum super 4. de caus. possess.*

Sufficit hoc electo, vel præsentato tantum in possessorio obtinere, idest, quòd elector sit in quasi possessione eligendi, ad hoc, quòd confirmetur electio, vel præsentatio, vt inquit *glos. verbo, Duobus, in cap. Cum olim 7. de caus. possess.* & latius habes infra verbo, *Præsentatio*, & in præfatis terminis electus potest agere, vt sua electio confirmetur, prout tenet *glos. verbo, Aduersus, in cap. Cum Bertoldus 18. de re iudic.*

Ad illum pertinet examinatio, ad quem pertinet confirmatio, & ex officio suo debet examinare personam electi, & formam electionis, etiam si non obijciatur aliquid electo, ità *glos. verbo, Examinet, in cap. Nihil 44. de elect.*

Ex singularibus, vel particularibus consensibus apparere debet vniuersalis electio, vel communis, & non sufficit, quod quilibet singularis veritatem exprimat suæ partis; quemadmodum ex singularibus propositionibus (licet veris) vniuersalis propositio non apparet, nisi per signum vniuersale forsitan exprimatur, dicitur *in cap. in Genesi 55. de elect.*

Nota, quòd vbi electio est necessaria ex parte vtriusque, vt quia eligentes coguntur eligere, & electus consentire, quæritur ius ex sola electione, etiam absenti, & ignoranti. Sed si non fit necessaria ex parte electi, vt in Episcopo, non quæritur Ius ante acceptationem. Item vbi fit electio per viam facultatis, vt à populo, vel Domino, &c. ità ponit *glos. verbo, Illicò, in addit. in §. Filius familias quib. mod. ius patr. potest. solu. in Instit.*

Facultas necessariæ electionis non est propriæ liberalitatis beneficiũ. Quid enim est, quod de suo videtur reliquisse, qui quod reliquit, omnimodò reddere debet; sic *optimus textus in l. Vnum ex familia 69. §. 1. ff. de legat. 2.* Electio autem, quæ debeat fieri de consilio familiæ; vide verbo, *Consilium.*

Defuncto eo priusquam eligat petent omnes. Itaque eueniet, vt, quod vni datum est, viuis pluribus, vnus petere non possit, sed omnes petent, quod non omnibus datum est, & ità demũ petere possit vnus, si solus moriente eo superfuerit, ità inquit *prædicta l. Vnum ex familia in §. Rogo de legat. 2.*

A te peto marite, si quos liberos habueris illis prædia relinquas; vel si non habueris tuis, vel meis propinquis, aut etiam nostris libertis. Non esse datam electionem, sed ordine scripturæ factam substitutionem respondit *Iure consultus in l. Cum pater 79. §. A te ff. de legat. 2.*

Qui habet electionem dandi tale, vel tale, & vtrumque soluit, habet etiam electionem repetendi vnum, vel alterum, vt dicitur *in l. Siquis 10. C. de condict. indeb. ibi.* Nobis hæc decidentibus Iuliani, & Papiniani sententia placet, vt ipse habeat electionem recipiendi, qui & dandi habuit. Quod intellige, quando vtrumque extat, vt ibidem notat *Glos.*

Nota, quod vbi do tibi electionem, & tu eligis, perinde est, ac si ego elegissem, vt inquit *Glos vlt. in l. Apertissimi C. de iudic. Cui consonat l. Nisi 6. §. 1. ff. quod cuiusque vniuers. ibi.* Paruì enim refert ipse ordo eligat, an is, cui ordo negotium dedit.

Quis debet esse contentus eo, quod elegit, dicit *Glos. verbo, Non sunt audiendi, in l. 1. §. penult. ff. de separation.*

Non consumere electionem, si id acetum elegerit, quod vini nomine pater familias non habuit, ait *l. 2. ff. de option. legat. vbi glos. penult. reddit rationem, quia non tenuit ipso Iure electio.*

Non

Non poterunt reuerti ad hæredem, sed ei, quod semel postulauerint, stare debent, inquit *l. Si creditores 5. ff. de separation.* & facit *l. Apud Aufidium 20. ff. de opti. legat. ibi*. Mutare voluntatem cum non posse, vt alia sumeret, quia omne Ius legati prima testatione, qua sumere, se dixisset, consumpsit. *Et l. si pluribus 33. ff. de legat. 1. ibi*. Electione rei, vel pretij seruanda ei, qui prior delegato, vel fideicommisso litem contestatus est, Ità tamen, vt non habeat licentiam altero electo, ad alterum transire, *Et l. statuliberum 11. §. 1. in fin. ff. de legat. 2. ibi*. Cum autem semel dixerit hæres vtrum dare voluerit, mutare sententiam non poterit, & vide omnino de materia additionem. *Glos. verbo, In gratia, cap. 7. de rescript. in 6. ibi*. & è conuerso in legatario eligente idem Iuris est, vt *in l. Si is, cui 19. eod. tit. ibi*, amplius mutandæ vendicationis Ius non habet, quod procedit etiam si ignoret legatum sibi fuisse per alternatiuam. Et est ratio, quia quando electio trahit secum executionem non admittitur variatio, vt ponit *Apostill. ad glos. verbo, Mota, in l. Quod si iusta ff. si cert. pet.*

Respiciendus est sermo stipulatoris, vtrũ ne talis sit, quem voluero quem ve volã. Nam si talis sit, quem voluero, cum semel elegerit, mutare voluntatem non poterit. Si verò tractum habeat sermo illius, & sit talis, quem volam, donec judicium dictet, mutandi potestatem habebit, ità inquit *l. Si quis 112. ff. de verbor.* vbi vide glos. explicantem, hæc duo tempora, & aliã *glo. verbo, Expressã in l. Eũ qui 138. § vnico eod. tit.*

Nec posse, si commissoriam elegit, postea variare, inquit *l. 4. §. 1. ff. de leg. commissi.*

Sed quid si elegerit malam, numquid aliam poterit Episcopus eligere? vel etiam si electa noluereit consentire? interrogat *glos. vlt. in cap. Causam quæ 8. de elect.* & resoluit in casu isto; nõ poterit amplius eligere, quia functus est officio suo. Vnde facta publicatione scrutinij variare nequeunt electores, vt inquit *glos. verbo, subscriptam, in cap. Cum inter de elect.* sicut enim integra re potestas illis est, vtrum velint, eligendi, ità cum alterum elegerint, ab altero abstinere debent; vt inquit *l. Cuius bonis 9 ff. de curat. furios.* quæ loquitur de creditoribus eligentibus curatorem bonis distrahendis.

Nec possunt se ab eo separare, qui quodammodo eum elegerunt, dixit *l. 1. ff. de separat. Et in l. si cui 9. ff. de seruitut. ibi*. Verum constitit, vt qua primum viam direxisset, ea demum agere debere, nec amplius mutandæ eius potestatem haberet.

Eligere debere agentem, qua potius actione experiatur, dixit *l. 5. §. 1. ff. de tribut. act.* & alterutra earum electa dominum non posse ex pænitentia ad alteram venire actionem, dixit *l. vlt. §. Tales C. de furt. & seru. corrupt. Et l. si quis 8. C. de codicill. ibi*. Qui hæreditatem petit ab ipsis intentionis exordijs vtrum velit eligendi habeat facultatem, sciens se vnius electione alterius sibi aditum præcludisse. *Et in l. si mulier §. vlt. ff. quod met. caus. ibi*. Vt quam viam elegero, hæc mihi pateat. Et sic nota, quod qui plures vias habet, si leuiorem eligat, mos ei geritur, vt dixit *glos. per tex. ibi. in l. Si fratres 13. §. Idem il. 2. verbo, consequatur, ff. pro soc.* vbi etiam notat *Bart. in summar.*

Respondi hæredis esse electionem vtrum rerum, an æstimationis vsum fructum præstare velit, inquit *l. Generali 32 §. vlt ff. de vsu fruct. leg. Et in l. Cum certum 4. ff. de tritic. vin. & oleo legat. ibi*.

ibi. Liberum est hæredi cuius velit generis oleum legatario soluere.

Electio an sit hæredis, vel legatarij in re dubia relicta, vt præstetur mediocris, an verò optima, vel pessima? Interrogat *l. si ità* 14. *ff. de leg.* 1. & respondet, quod mediocris præstari debet ibi. & ait posse dici exiguum esse præstandum, cum qua concordat *l. si quis* 32. *eod. tit.* vbi electio est hæredis, & ibi *glos. vlt.* respondet ad contraria, & *l. legatum* 37. *eod. tit. ibi*. Id esse obseruandum, ne vel optimus, vel pessimus accipiatur, & ibi electio est hæredis, vbi etiam notat *glos. verbo*, *Pessimus*, *&* *Apostill. ibidem* reddit rationem ibi: Nam promissio in genere mediocritatem significat. Vide etiam *l. Non amplius* 26. *§. Cum bonorum eod. tit.* vbi etiam hæredi dat electionem, sed in contrarium est *tex. in l. Idem §. Scio & l. Qui duos* 20. *eod. tit.* vbi non exiguum ad voluntatem hæredis, sed melius ad placitum legatarij datur.

Verius dici electionem eius esse, cui potestas sit, qua actione vti velit, idest legatarij, inquit *l. Si seruus* 111. *§. Cum homo ff. de leg.* 1. *& in l. lucio Titio* 23. *ff. de leg.* 2. ibi potest legatarius, vel fundum vendicare, vel vsumfructum.

Rei in alternatiuis est electio, dicitur *in l. Iuris iurandi* 34. *§. Ait ff. Iur. iur. ibi*. Alterum itaque eligat reus, & ibidem glos. sic. Electio autem ideo sua, quia alternatiua tenetur; nam cum illa, aut illa res promittitur, rei electio est vtram præstet; inquit *l. Plerumque* 11. *ad fin. ff. de Iur. dot.* Vbi etiam notat glos.

In casu tamen *l. Planè ff. de condict. indeb.* electio est creditoris, cui velit soluere, vt alterius repititio impediatur vbi glos. ponit argumentũ in contrariũ.

Electionem damus ei, qui ampliorem summam in re donata habuerit, reliquam æstimationis quantitatem offerre ei, qui minorem causam habuit, & totum possidere, inquit *l. Sancimus* 34. *§. Ne autem C. de donat.*

Si plures sint qui experiri volunt, eligendus est à prætore, ad quem maximè res pertinet, vel is, qui idoneior est, & est optimum ex coniunctione, ex fide, ex dignitate actorem, hoc interdicto, eligendum; inquit *l.* 3. *vers. Si tamen ff. de liber. hom. exhib. vbi glos. verbo. Eligendum*, interrogat sic Quid ergo si pares? locus est gratificationi, tamen in hac materia electionis, quod cæteris paribus sorte dirimatur, est motus proprius, de quo *Garc. de benef.* 5. *p. cap.* 4. *§.* 1. *post num.* 169.

Si plures simul agant populari actione prætor eligat idoneiorem, dixit *l.* 2. *ff. de popul. act. & l. Si plures* 16. *de accusat.* sic. Iudex eligere debet eum, qui accuset, causa scilicet cognita, æstimatis accusatorum personis de dignitate, vel ex eo, quod interest, vel ætate, vel moribus, vel alia iusta de causa.

Vbi plures, quibus electio est relicta, discordant in eligendo, sorte dirimitur. Sic sũmatur *l.* 3. *C. Comm. de legat.* Cuius verba sunt. Sancimus in omnibus huiusmodi casibus rei iudicem fortunam esse, & sortem inter altercantes adhibendam, vt quem sors prætulerit, is quidem habeat potestatem eligendi. Vnde dixit *Glos. verbo, Sortium, in l.* 2. *C. quand. & quib. quar. lib.* 10. quod aliquando electio per sortem fit, & tu nota verbo, *Sors*, & addit dicta *Glos.* sic. Habetur tamen alias, quod illi est optio committenda, qui maiorem partem in re habere noscitur, & iam supradictum est.

Siquis opus facere iussus paratus sit pecuniam dare reipublicæ, vt ipsa faciat cum testator per ipsum fieri voluerit non audietur; inquit *l. Fideicommissa* 11. *§.*

21. *§. vlt ff. de leg.* 3: ideo, quia fuit electa industria personæ; vnde dicitur *in l. Inter* 31. *ff. de solut.* sic. Inter artifices longa differentia est & ingenij, & naturæ, & doctrinæ, & institutionis, & ideo si nauem à se fabricandam, vel &c. & hoc specialiter actum est, vt suis operis id perficiat, fideiussor ipse ędificans &c. (non consentiente stipulatore) non liberabit reum.

Electus, vt minister, si fuit, nihil apud eum debet remanere, dixit *Glos. verb. Proficere, in l. Lucius* 90. *§. A te peto ff. de legat.* 2. vbi agitur de pecunia à testatore destinata ad aliquid faciendum, si illo facto aliquid superest non ad eum, qui fuit electus ad illud faciendum, sed ad hæredem pertinet.

Mala electio est in culpa, vt in nūmulario ponit *Gl. per Iura, quæ ibi in l. Si soluturus* 39. *verbo, Eam fore, ff. de solut.* cujus tex. verba sunt, Et nummi emptoris periculo sint, vtique si ipse eum, apud quem deponerentur, elegerit, & *in l. vlt. C. de acquir. possess.* sic dicitur. Tunc & ipse, qui eum transmisit ex mala sua electione præiudicium circa eam possessionem patiatur, vbi *Glos. verbo, Præiudicium*, sic dicit. Nota malam electionem esse in culpa.

Cur ergo non exercitor condemnatur, qui seruum tam malum in nauem admisit? Et cur liberi quidem hominis nomine tenetur in solidum, serui verò nō tenentur? nisi fortè id cirò, quòd liberum quidem hominem adhibens statuere debuit de eo, qualis esset: in seruo ignoscendum sit, quasi in domestico malo, si noxæ dedere, paratus sit, ità decidit peroptima *lex Vnica ff. furt. aduers. naut. caup.* & prosequitur sic. Viator autem non præstat, namque viatorem sibi eligere, vel stabularius non videtur, nec repellere potest inter a gētes Inhabitatores verò perpetuos ipse quodammodo eligit, qui non reijcit, quorum factum oportet eum præstare. Videtur enim minus idoneis hominibus administrationem committere, iuxta *l. Vtique §. Vnico ff. de reiuendic. vbi Gl. vlt.* Notat argumentum contra eos, qui imperitos eligunt pro peritis, siue magistris siue medicis, siue aduocatis *ex l. Quod si nolit §. Si mancipium ff. de ædilic. edict.*

Etiam eum teneri, qui malè argentario credidit, dixit *l. I tem* 20. *ff. de petit. hæred. vbi glos.* dicit, quasi mala electio sit in culpa.

Etiam qui imprudenter aliquem quis elegerit, quidquid detrimenti negligentia eius fecit, præstabit; inquit *l. Nam &* 22. *§. vlt. ff. de negot. gest. vbi gl. vlt.* ità dicit. Punitur, qui malè eligit, vt hic &c. Et *l. 1. ff. Si mensor falsum modum ibi.* Proinde si imperitè versatus est, sibi imputare debet, qui eum adhibuit, imperitia enim culpæ adnumeratur, vt dixisti verbo. *Culpa*, & ita loquitur, & intelligitur *l. Si quid* 46. *ff. famil. hercisc.* ibi. Nisi culpa domini in hoc erat, qui non idoneum seruum rei communi applicauerat, & *in l. Si seruus §. Si fornacarius ff. ad l. Aquil.* ibi, ex locato conuentum præstare debere, si negligens in eligendis ministris fuerit. Et *in l.* 1. *§. Non autem ff. de exercit. act. ibi.* Imputaturum sibi, cur talem proposuit, *& in l. V ideamus* 12. *ff locat.* ibi. Mihi itaque placet, vt culpam etiam eorum, quos induxit, præstet suo nomine, etiam si nihil conuenit, si tamen culpam in inducendis admisit &c. vbi notat *Gl. verb. suo nomine*, quod electio mala est in culpa, vt in solidùm teneatur, idem *l. Cum in plures* 62. *§. Seruum ff. locat.* ibi. Illam quoque culpam me tibi, præstaturum aio, quod eum elegissem, qui huiusmodi damno te afficeret, & ex alijs Iuribus probat *Gl. verbo, Non liberat, in l. Eleganter §.* 1. *ff. de pignor. act.* ibi. Quia sibi debet imputare, qui malè elegit, vel eligi fecit, quasi

mala electio sit in culpa, addit *Glos. in l. Non ob 25. ff. pro soc.* Quando verò mala electio dolum operata est ex parte electi, vel eligentis, non dubium est, & electorem teneri, quia dolo versatus est, qui talem hominem credidit, vt dicitur *in l. 2. ff. Si mensor falsum modum dixerit*.

Rogo restituas libertis meis, quibus voles. Marcel. putat posse etiam indignum præferre. At si ità ijs, quos dignos putaueris, posse petere eos, qui non offenderint, optime inquit *l. Cum quidam 24. ff. de legat. 2.*

Notabis optimum textum *in l. penult. C. de fideicom. libert.* sic dicentem; Et mox cum potuerit non elegerit, vnum ex ancillæ liberis compelli, non solum eum, sed etiam hæredes, vel successores eius omnes ancillæ liberos ad libertatem perducere. Nec enim hoc est contrarium sententiæ testatoris; cum enim omnimodo quemdam ex ijs liberum esse disposuerit, & non ad certum corpus, sed ad omnes respexerit, si non pareatur eius voluntati, sine dubio ex sententia testatoris omnes ad libertatem perueniunt &c. Si enim iusto timore hæredes &c. perterriti, & voluntatem testatoris procurent, & sibi non ex omnium libertate patiantur iacturam, quod si reclamauerint, sibi tale dispendium imputent, non ex nostra lege, sed ex sua lugêtes instâtia.

Duobus litigantibus super electione, defuncto vno; non ideo alteri ius quæreretur; *Glos. verbo, Electi, in cap. 1. vt lit. pend. lib. 6.* Licèt enim appareat defuncto amplius nô deberi, non propter hoc sequitur superstiti viuenti deberi.

Mota controuersia eligentes non debent eligere; ex hoc enim sequeretur inconueniens, quia si postea probaretur illos non habuisse Ius eligendi, cassanda esset electio, quia omnes fructus percepti restituendi sunt, & sic sequeretur, quod electio facta ab eis, qui credebât habere Ius, esset cassanda, quod esse non debet &c. Ad hoc dicit Ioann. quod licitè possunt eligere, qui sunt in quieta possessione, licet fiat eis controuersia, & vti omni Iure suo vsque ad finem causæ, ità ponit *Gl. verbo, Electionem, in cap. 2. de in integ. restit.*

Electione pendente de aliquibus, ab hærede facienda, si ipsi decedant, an transmittant ad hæredes? Quod sic nisi tempus iustum ad eligendum sit elapsum vide verbo, *Tempus*.

Nota, quod cum is, qui habet electionem est in mora, transfertur electio in aduersarium, vt notat *Glos. verbo, Minorem, in l. Sancimus 34. §. Ne autem C. de donat.* an autem mora purgari possit, vide verbo, *Mora*.

Electio non tribuit Ius electo, sic nec electus successor facit desinere prædecessorem, itém nec sola electione ad dignitatem filius fit sui Iuris, dixit *Gl. verbo, Electi, in l. Ex eo 43 ff. de milit. testam.* Prælatus verò ex ipsa electione aliquod Ius habet, nec postea eligentes mutare consilium possunt, vt dixit *Glos. verbo, Damus, in Auth. de collater. §. Ad hæc sancimus coll. 9.* & id fortè, quia electio talis est necessaria, iuxtà supra in materia iam dicta.

Qui vocatus ad electionem respondet se nolle interesse electioni, si veniat ante electionem, & scrutiniû admitti debet quia sunt integra, vt notat *Apostill. in l. Quod si minor §. non semper ff. de minor.* cuius verba sunt, siquidem omnia integra sunt, omnimodo audiendû esse.

Non est expectandus, qui procurat, ne ad eum citatiô veniat, quia latitat; ità dicit *Glos. verbo, Cognouerunt, in c. Cum inter 18. de electione.*

Electioni plus contemptus vnius; quàm contradictio multorum obsistit; dixit *c. Venerabilem 34. de electione, &* adeo verum est vt dicat *Gl. verb. Institutis, in §. Eadem hæc de hæred. quæ ab intest. in Instit. in addit.* quod ex contemptu

alicuius

alicuius, qui debuit in electione adhiberi etiam illo nolente, cæteri, qui interfuerunt, possint eam dicere nullam vt *in cap. Quod sicut de elect.*

Electio, quod non valet per ratihabitionem, potest confirmari, vt dixit *Glos. verbo, Consentire, in cap. Quod sicut 28. de elect.* textus vero *in cap. Auditis 29. eodem* sic inquit. Cum tamen ex postfacto nequiuerit conualescere, quod ab initio non valebat, quoniam electio, quæ fuerat irrita, ipso Iure per subsequentem consensum, maximè appellatione pendente, non poterat esse rata. Pro intelligentia, & concordia, vide *Glos. hic verbo, Ex post facto, & Glos. verbo, Tractatus, in cap. 1. de rebus Eccles. lib. 6.* Dicit, quod speciale est in electione, quod à principio erat nullum postea non conualescet; in alienatione tamen, quod à principio non valet, conualescit subsequenti consensu ex nunc, non, ex tunc.

Notabile est, quod dicit *Glos. verbo, conferendam in cap. Dilectus 27. de prab.* ibi. Electio talis, quantum ad Canonicos non videtur Canonica; sed quantum ad electum sic. Sicut Sacerdos inmortali existens, quo ad se illicitè celebrat, quo ad alios licitè, sic donatio potest esse vitiosa, & tamen donum tenet.

Si intra annale tempus ille, qui eligere iussus est, hoc facere supersederit, vel minimè potuerit &c. ipsi legatario videri delatam esse electionem, ità tamen, vt non optimum &c, eligat, sed mediæ æstimationis, ne dum legatarium satis esse fouendum existimamus hæredis commoda defraudentur.

Pro electo amicus potest proponere excusationem, vt supra dictum est verbo, *Amicus*.

Electus, qui habet excusationem, recuperat sumptus, quos fecit in lite ab eo, qui eum nominauit, sic summat *Bar. in l. Vnica C. de sumpt. recuper. lib. 10.*

Non potest quis eligere se ipsum; inquit *Bart. in summar. l. Si mandauero 22. §. Si tibi centum ff. mandat.*

Suspensi eligere non possunt, nec eligi, vt inquit *Glos. verbo, Suspensi, in c. Cum bona 8. de ætat. qualit.* vnde primum debet absolui à sententiis suspensionis, vt postea eligere possint, & sic sint restituti ad eligendum, vt inquit *Glos. vlt. in cap. Cum inter 16. de elect.* Nam suspensi, & excommunicati, nec eligere, nec eligi possunt *Glos. verbo, excommunicationis, in cap. Constitutis 23. de appell.*

Nota tamen, quod licet aliqui sint excommunicati minori excommunicatione, eligere possunt, & talis electio dicitur Canonica, vt hic habes: sed talis scienter eligi non potest pro eo, quod eligitur ad ea, à quibus est ipse remotus, vt dixit *Glos. verbo, Canonicam, in cap. Illa 39. de elect.*

Ista lex iuncta *l. Post contractum etc. iuncto textu in cap. Si tibi absenti de priuil. lib. 6.* facit in argumentum, quod Electores priuandi per sententiam ante priuationem possunt eligere tenet *Apost. per tex in l. Reo 41. ff. de solut.*

In electione leuis metus sufficit, ad annullandum ait *Gl. verbo, vel modica, in cap. vlt. qui cler. vel vou.* quia cum arbitrium, vel inordinatus captiuat affectus, vel ad certum aliquem obligationis cuiusque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi, vt dicitur *in cap. Vbi periculum 3. de elect. lib. 6.*

Consuetudo facit aliquem ineligibilem, qui aliàs eligibilis est, & sic consuetudo in electione præcipue considератur, dicit *Glos. vlt. in c. Cum olim 6. de cleric. coniug.* idem *Glos. etiam vlt. in l. Non tantum 11. ff. de decur.* & alia habes verbo, *Consuetudo*.

Eligendi facultatem non esse pæna peremptam placuit; inquit *l. Cum pater 70. §. Hereditatem ff. de legat. 2.*

KK 2 Vnum

Vnum genus exactoris publici debiti vocatur optio, quod colligitur infra, de apochis publicis *l. Quicumque* dixit *Gl. verbo, Optione, in l. super creandis* 9. *C. de iur. fisc. lib.* 10. & addit eo forte, quia percipit, quod optat, aliter dicitur electio militum &c.

Eleemosyna.

TRia sunt genera eleemosynarum. Prima. Corporalis, egenti dare, quod poteris. Secunda spiritualis dimittere ei, á quo læsus fueris. Tertia delinquentes corrigere, & in viam veritatis reducere ponit *Apostil. in cap. Inter opera* 20. *de spons.*

Eleemosyna indiferenter omnibus patet dixit *Hieronym. ad Paulinum, & in cap. Si cupis* 16. *quæst.* 1. ibi. Excepta eleemosyna, quæ indiferenter omnibus patet.

Dicitur tamen *in l. Vnica C. de mendicant. valid. lib.* 11. quod pauperi valenti laborare non debet Ecclesia prouidere, integritas enim membrorum in conferenda Eleemosyna est attendenda, & dicit *Glos. super Mattha*, Iustius feceris, si iniuste petentem correxeris, quam ei dederis, itá ponit *Gl. in cap.* 1. *verbo, Non possunt*, 82. *dist.* Vide etiam *Glos. verbo prodigalitatis, in cap. Ex parte de consuetud.*

Indignum est eis ab Ecclesia subueniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari, dixit *cap.* 2. *Ne clerici, vel monachi.*

Naturæ non malitiæ sum misertus, dixit *Aristot.* reprehensus à quodam, eo quod daret eleemosynam homini iniquo.

Qui vnum filium habet, putet Christum alterum; Si duos habet, putet Christum tertium. Si decem habet, vndecimum Christum faciat; intelligendo de Eleemosyna, dixit *Augustin. sermon.* 2. *de vita cler. relatus in cap. Si quis irascitur* 13. *q.* 2.

Cum Sacrificia Altaris, siue quarumcumque Eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis prospiciationes sunt: pro valde malis, & si nulla sunt adiumenta mortuorum, tamen viuorum consolationes sunt, dixit etiam *Augustin. in Enchiridion relatus in cap. Tempus* 13. *q.* 2. vbi etiam vide *Glos.* notabilem dicentem, quod prosunt mediocriter malis ad hoc vt minus puniantur, de qua dubito attento *tex. in cap. Pro obeuntibus ead.* 13. *q.* 2.

Quid mihi prodest scire agellum in partes diuidere, si nescio cum fratre diuidere? publicum est hoc, quod tenes, & quidem generis humani dixit *Senec. Epist* 89.

Possunt laici compelli offitio iudicis eleemosynas facere, inquit *Apostil. ad cap. Exijt de verbor. sig. lib.* 6. super illis verbis. Hæc opera misericordiæ subtrahentur, & idem altera *Apostil. ad l.* 1 *ff. de colleg. illic.* ibi. Adde, quod potest quis inuitus cogi facere eleemosynam pauperi, & ei subuenire.

Emptio, & Emptor.

NOta, quod sæpe verbum venditio ponitur pro emptione, & è contra Et aduerte, quod fortius dico, quod licet simpliciter dicatur vnum, intelligitur de vtroque, quia sunt correlatiua, vt *in l fin C. indict. vid toll.*

In emptione, contractus tempus inspicitur: & quo soluitur *l* 3. *ff pro solut. idem & expressius in l.* 2 *ff pro emptor.*

Quem admodum in emendo, vel vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere, quod minoris sit pluris vendere, & inuicem se circumscribere, itá & in conductionibus

nibus inquit *l. Item si pretio 25. §. vlt. ff. locat.*

Data arra, si emptor pœnitet perdit, quod dedit, si venditor, reddit in duplum, vt *instit eod. §. 1.* ità dicit *Glos. verbo, Euidentius, in l. quod sæpè ff. de contrah. empt.*

Sufficit si is, qui pretium dederit, vel vicem pretij cum sit bonæ fidei emptor, vt non patiatur doli exceptionem ex persona actoris, ità *l. apud 4. §. Si quis vers. Item ff. de doli excep.*

Non interest, cuius pecunia emitur, sed cuius nomine emitur, nisi casualia notentur, inquit *Glos. verbo, Nominatim in cap. 2. de ijs qui feud. dar. poss. &* ibi ponit casus pro limitatione his versibus.

Fit res dotalis nummis dotalibus empta;
Fitque pupillaris nummis res empta pupilli,
Et ne conuertas idem de milite credas.

Pretij vilitas gratiosam, & faudulentam facit emptionem, vt *in l. 2. C. de fide instrum. & iur. hast. fisc. lib.* 10. ibi. Et quod pretij vilitate ob exiguum debitum gratiosam emptionem in fraudem tuam &c. vbi *Glos. verbo, Vilitate,* addit, quod non fecit faciendum, sed iusto pretio.

Ad emptionis probationem non est inditijs alijs opus, sed instrumentorum furtum monstrare sufficit, inquit *l. Si de possessione 20. C. de probat. vbi Glos. vlt.* sic. Furtum ab aduersario factum, & *Apostil.* tradit; quo casu si potest probare instrumentum esse subtractum, licet testes non deponant de eius tenore statur iuramento perdentis.

Instrumenta emptionis non probant fines plebatus, vel plebium, vel Curiarum dicit *Glos. verbo Emptionis in l. prædijs 89. §. Titio ff. de legat. 3.*

Posteriores casus non venditoris, sed emptoris periculum expectant, dicit *l. 1. C. de ædilit. act.*

Qui litis æstimationem suffert emptoris loco habendus est, dicit *l. Si propter 22. ff. rer. amot.*

Emptor scire debet, quod si seruus, ergo fur maximè capiser &c. idem in prædio tributario, & hoc ideo, quia & ibi ex quo prædium erat prouinciale perconsequens emptor debuit scire tributarium *l. fin. C. sine cens.* sic *Glos. verbo, Quanto minoris, in l. Iulianus 14. ff. de act. empt.*

Non est veniæ dignus, qui emit, etiamsi scientem, prudentemque se liberum emerit, dicit *l. Liberis 7. ff. de liberal. caus.* Nam si sciuit liberum, & sic emit ipse se circunuenit, ait *l. Imo 16. eod. tit.*

Ea prædia venundari, quæ tutor pupilli sub iecto nomine alterius emptoris ipse sibi comparabat &c. æstimaturum, quatenus tam callidum comentum in exemplum coercere debeat *l. Quamuis 9. ff. de reb. eor.*

Res emptori auferenda non est, quia bonæ fidei possessor est, & dominium habet, qui authore iudice comparauit: legatarium tamen legato carere non oportet, si potest ab hærede præstare quod si non potest melius est legatarium non lucrari, quam emptorem damno affici dicit *l. At si quis 14. ff. de religios.*

Is, qui emit sua voluntate negotium gerit, ideoque diligentius à venditore sibi caueri, & potest, & debet &c. inquit *l. Cum postulassem 44. §. Damni ff. de damn. infect.*

Contra ipsum emptorem præsumitur vehementer, cum vsuras consueuerit exercere, inquit *cap. Illos vos 4. de pign.*

Si venditor sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit præstaturum

rum ei, inquit *l.Iulianus* 14. *ff. de act. empt.*

Non eius causæ videri parata esse, quæ iam mortua ea empta fuerint, dixit *l.apud Aufidium* 5.*ff. de aur. & arguen. lega.*

Bonæ fidei contractum non pati hanc conuentionem, vt emptorem ammitteret, & pretium venditor retineret, inquit *l. Emptorem* 12. *§. vlt. de act. empt.*

Ante pretium solutum dominij quæstione mota pretium soluere emptor non cogitur, nisi fideiussores idonei à venditore offerantur ait *l.penult. §.* 1. *ff. de peric. & commod. rei vend. Et in l. Si post perfectam* 24. *C. de euict.* sic. Cum in ipso limine contractus immineat euictio. Emptorem si satis ei non offeratur ad totius, vel residui pretij solutionem non compelli.

Non ex eo, quod duplum, qui à matre tua comparauit euictionis nomine stipulatus est alienæ rei scientia conuincitur: nec opinio eius ex hoc læditur, vt malæ fidei emptor existimetur sic *l.* 30.*C. de euict.*

Hoc est optimum argumentum contra illos emptores, qui de euictione agunt vt repellantur, si malos habuerunt aduocatos, ità dicit *Glos. in l. quod si nolit* 31.*§. Si plures ff. de ædilit. edict. per tex.* ibi. Si non adhibuit medicum, vt sanari possit, vel malum adhibuit, sed culpa sua.

Qui contra legem emit malæ fidei possessor dicitur, vide verbum mala fides.

Licet emptor non teneatur stare locationi per venditorem factæ iuxta *l.Emptorem C. locat.* tamen emens à fisco tenetur stare colono fauore eiusdem fisci, ne fiscus teneatur ei, vt dixit *Glos. per tex. ibi in l.Cognouimus C. de mancip. & colon. patr. lib.* 11.

Emphyteuta.

SI deijcitur propter non solutam pensionem nihil obijcit de meliorationibus ab eo factis, secus in colono priuati, vt dicit *Glos. verbo, de emponematis in Auth. de alienat. & emphyteusi §. Si verò coll.* 9.

Non tenetur emphyteuta ad solutionem soliti canonis, quando emphyteusis tota perit, non tamen si perit pro parte vt dicit *Glos. penult. in §. Adeo de locat. in Instit.* his duobus versibus.

Res peryt tota, tunc nihil dabit Emphyteota
Si pro parte perit non ita liber erit.

In reliquis regulatur iuxtà contractum locationis, & conductionis.

Episcopus.

DIcuntur Episcopi Sànctissimi, Christi legati existunt: Spirituales sunt patres nostrique fratres, & Episcopi columnæ comprobantur Ecclesiæ, dixit *Pontifex in Clement.* 1. *§ Nec super de pan. & in l. Si quis in hoc genus* 10. *C. de Episc. & cleric.* ibi. Nec expectet, vt Episcopus iniuriæ propriæ vltionem deposcat, cui Sanctitas ignoscendi gloriam de reliquit.

Quapropter status Episcoporum est perfectior, quam religiosorum. Ex quibus colligitur, quod ex vita episcopali surgit maior fructus, & vtilitas, quam ex Religione, vt dicit *Gl. magna verbo, proinde, prope medium, in Clem. Exiui de verbor. sig.* & latius habes verbo, *Religio*, & verbo, *Prælatus*.

Tria præcipuè requiruntur in Episcopo, litterarum scientia, ætatis maturitas, & grauitas morum, adde etiam quartum,

tum, quod sit de legitimo matrimonio natus, vt dixit *Glos. vlt. in cap. vlt. de ætat. & qual.* probat etiam *Extrauag. Ad cuiuslibet 9. de præb. inter commun.* ibi. Quem litterarum scientia præditum, vitæ & morum honestate decorum, discretionis, & consilij maturitate conspicuum, in temporalibus prouidum, in spiritualibus circumspectum.

Est etiam optima *lex*, *Si quemquam 29. C. de Episc. & cleric.* sic præcipiens. Itaque castus, & humilis eligatur Episcopus, vt quocumque locorum peruenerit omnia vitæ propriæ integritate purificet: nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt requiratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus, & ibidem notat *Glos. verbo, precibus* sic dicens; Precibus ad se, vt recipiat, non à se porrectis, vt eligatur.

Debet etiam capax esse, vt doceat, non verò vt ab alijs doceatur, qui enim alios docere debet post ordinationem ab alijs docere non debet, vt dicitur *in Auth. de Sanctiss. Episc. §. 1. vers. Damus coll. 9.*

Post verò electionem factam, vt supra debet confirmari, & consecrari infra trium mensium spatium post confirmationem, nisi necessitas eum impedierit, quia tunc non curreret ei tempus, alias si in mora fuerit petendi consecrationem mora sibi debet imputari, & debet iam ab illa dignitate repelli, vt dixit *Glos. verbo, tempore, in cap. Cum in cunctis 7. §. 1. de elect.*

Illud primum eos admonendo censet, vt se pastores, non percussores esse meminerint, præcipit *Concil. Trid. cap. 1. de reform. sess. 13.*

Et *in sess. 25. eod. cap. 1. de reformat.* sic dicit. Optandum est, vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sunt partes, agnoscant, ac si non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad Religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si præpositos suos viderint, non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cælestem patriam cogitantes.

Episcopi in Clero non vt dominantes dixit *Diu. Petrus Epist. 1. & Hieronym. ad Nepotian. Epist. 2.* sic. Episcopi honorent clericos, vt & ipsis à clericis quasi Episcopis honor deferatur.

Quod Christiani sumus propter nos est, quod præpositi sumus, propter vos est, dixit *Augustin. lib. 1. de pastor. cap. 1.*

Non enim in Episcopum vngitur, vt cognitor sæcularium iudiciorum resideat sed vt procurator animarum, & distributor Spiritualium existat, inquit *cap. Clericum nullus 11. quæst. 1.* Quia Dominus pascere, & docere nos docuit, & omnibus ministrare, non terrenis lucris, & auaritijs delectari, ait *c. Nulli Episcoporum 16. q. 1.*

Dicit etiam *tex. in cap. Suam 9. de pœnit.* Te non decet in tantum Pontificalis modestiæ obliuisci, vt inhonestis quæstibus anhelando desideres cum aliena iactura ditari.

Non liceat Episcopo fraudare quicquam ex illis, vel cognatis proprijs dare, quæ Dei sunt, quod si pauperes fuerint, vt pauperibus largiatur: sed non sub horum occasione, quæ sunt Ecclesiæ defraudentur, proclamat *cap. Quisquis 12. quæst 2.* vbi addit *Glos.* Quod tantum victum, & vestitum illis dare debet.

Pastor Ecclesiæ ijs, quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare, quandoquidem nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere: Nec illi qui sua possidentes

dentes dari sibi aliquid volunt sine grandi peccato suo: vnde pauper victurus erat accipiunt, dicit *cap. Pastor* 1. *q.* 2. *& in cap. sequenti* sic. Si quis propter hoc sua relinquere non vult, vt habeat vnde viuat, vt quid accipit, vnde rationem reddat?

De illis, quę intuitu Ecclesiæ quæsita sunt nec ex testamento, nec abintestato ea transeant ad consanguineos, siue sint bona immobilia, siue non, sed Ecclesiæ remanent, vt dicit *Glos. in cap.* 1. *de prab.*

Episcopi quid, quantum ve siue vna vice, siue pluribus, possint donare, vel alienare? habes supra verbo, *Donatio*.

Non possunt dare, vel alienare nisi ea, quæ ante Episcopatum habuerunt, vt *in Auth. de Ecclesiast. titul. §. Interdicimus coll.* 9. ibi. In illis enim solummodo rebus licentiam eis alienandi, aut relinquendi, quibus voluerint damus, quas ante Episcopatum probantur habuisse, vbi *Glos. verbo, Probantur*, sic dicit. Est ergo præsumptio pro Ecclesia &c. dum enim probatio exigitur ab Episcopo, vel eius hæredibus, certum est, quod bona Episcopi indubio præsumuntur acquisita intuitu Ecclesiæ, & ità obseruatur rectissime quidem in spolijs.

Gloria Episcopi est pauperum opibus prouidere ignominia Sacerdotis est proprijs studere diuitijs, inquit *Hieronym. ad Hepotian. in cap. Gloria* 12. *quæst.* 2.

Iniquum esse censemus, vt potius custodes cartharum, quàm defensores rerum ereditarum, (vt præceptum est) iudicamur, dixit *Simachus Papa in cap. In canonibus* 16 *q.* 1.

Episcopalis dignitas est ordo, vt 21. *dist. cap. Cleros &* 89. *dist. cap.* Ad hoc dixit *Glos. verbo, sui ordinis, per tex. ibi in cap. Quoties* 3. *de purgat. canonic.*

Non est superiorem ordinem Episcopo reperire, & ob hanc causam Papa se vocat Episcopum, vnde eo ipso, quod de Episcopis exprimitur, veniunt superiores, quia non inspicimus dignitatem, sed offitium Pontificale, dicit *Glos. penult. in cap. Quia* 4. *de sent. excom. lib.* 6.

Episcopus est maior Prætore Ciuitatis, & potestate, & vocatur etiam præses Ciuitatis vt notat *Apostil. ad Gl. vlt. in l. ex ea* 9. *ff. de postulan.* quæ dicit sic; forte seruat Episcopus, licet maior sit, quàm potestas, qui decretum inducit, quàm *Glos.* dicit ibi singularem *Bald.*

Episcoporum ius, & potestas consistit in duabus legibus, Iurisdictionis scilicet, & Diœcesana, vt habes verbo, *Lex*.

In baculo Episcopi designantur eà, quæ his versibus comprehenduntur.

In baculi forma præsul datur hac tibi norma:
Attrahe per primum, medio rege, punge primum,
Attrahe, peccantes, rege iustos, punge vagantes,
Attrahe, sustenta, stimula vaga, morbida lenta,

Ità ponit *Glos. verbo, Propter historiam, in cap. unico §. vlt. de sac. vnct.* vbi affert rationem, quare Roman. Pontifex baculo non vtatur, quia scilicet Diu. Petrus dedit baculum cuidam misso ad prædicandum in Germaniam & ità remouit a se, & subditis dedit, & ad id alludit *idem tex. in fin.* ibi licet Roman. Pontifex non vtatur baculo tum propter historiam, Et prosequitur tum propter misticam rationem &c. Quæ autem sit hæc mistica ratio ibidem ponit *Glos. vlt.* in illis verbis. Quia baculus habet in summitate recuruationem quasi ad trahendum; quod non est necessarium Romano Pon-

Pontifici, quia nullus ab illo diuertere potest finaliter, quia Ecclesia non potest esse nulla &c. vel quia per baculum designatur coërctio, siue castigatio; Ideo alij Pontifices recipiunt à suis superioribus baculos: quia ab homine potestatem recipiunt. Romanus Pontifex non vtitur baculo, quia potestatem à solo Deo recipit. Et Apostil. Ioannis Andreæ ibidem sic. Recuruatio designat eum, qui non bene rexerit ab eo, qui dedit baculum recuruandum, idest remouendum, quod in Romano Pontifice locum non habet.

Episcopus debet canones obseruare, & à subditis facere obseruari; nam & Sacrorum canonum est minister, & custos vt dixit *Glos. verbo, Priuentur, in cap. Cupientes 16. de elect. lib. 6.*

Episcopi in sua Diœcesi statuta possunt facere, vt dicit *Glos. verbo, Statuta, in c. Nemini 10. de offic. legat.*

Possunt etiam compellere hæredes ad faciendum monumentum, licet ipsi hæredes stricto iure nulla teneantur actione ad illud faciendum, vt *in l. Hæreditas 53. ff. de pet. hæred.* ibi. Quamuis enim stricto iure nulla teneantur actione hæredes ad monumentum faciendum tamen principali, vel pontificali authoritate compelluntur ad obsequium supremæ voluntatis, vbi *Glos. vlt.* sic ait; Et sic nota; Quod ad Episcopum hoc spectat, vt *C. &c.*

Non est tanta communio inter Episcopum, & inter cappellas, & monasteria seu alia pia loca, quanta est inter Episcopum, & Ecclesiam Cathedralem, cui est spirituali coniungio copulatus, dicit *cap. Requisisti 15. Iuxta fin. de testam.*

In cap. Nouit 4. de ijs, quæ fiunt à Prælato loquens cum Episcopo sic dicit Pōt. qualiter tu & fratres tui vnum corpus sitis, ità quod tu caput, & illi membra esse probātur. Vnde nō decet te omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotijs vti, & *Glos. verbo, Consensu, in cap. Cum consuetudinis 9. de consuetud.* ibi Episcopus, & Canonici vnum corpus, & vnum collegium efficiunt, ità quod ipse caput, & ipsi Canonici membra, & *Glos. vlt. in cap. Irrefragabili 13. de offic. ordin.* ibi. Cum Episcopus sit de ipso capitulo tanquam caput, & *Glos. verbo, Postulauit, in cap. Cum Ecclesia 31. de election.* ibi Cum Episcopus sit caput capituli, licet *Glos. 1. in c. Causam 8. eod. tit* dicat, quod Episcopus non est de collegio, licet sit caput.

Si Episcopus consentit, tanquam Canonicus potest postea tanquam Episcopus reuocare, quia quasi ante aditam hæreditatem consentit, nam quædam facit aliquis tanquam alius dixit *Glos. vlt. in capite Sicut 27. de iur. iur.* & infra hoc eodem verbo, *vers. Non ad ipsum Episcopum.*

Episcopus tenetur mittere Prædicatores per Diœcesim suam suis expensis, vt tenet *Apostil. in Auth. vt nulli iudicum coll 9. per tex. in cap. Inter cætera, & Glos. ibi verbo Submnistrent de offic. ordin.*

Non debet compellere Præsbyteros, aut Clericos Parochiarum suarum supra iures suas eis conuiuia præparare, dicit *cap. Illud 10. q. 3. & facit ratio cap. Quia cognouimus ead. caus. & quæst.* ibi; Ne videamur in Ecclesia Dei exactores, potius quā Pōtifices nominari.

Potest Episcopus ex iusta causa retinere fructus vacantis beneficij, si forte grauatur debitis, vt dixit *Glosa vlt. per tex. in cap. vnico vt Eccles. benef.*

Per constitutionem cap. de multa de præb. non videatur Episcopis adempta facultas dispensandi circa beneficia simplicia, vel circa beneficium, & Ecclesiā, sed in personatibus, & beneficijs curam animarum habentibus, nec potest dispensare, vt quis habeat in eadem

dem Ecclesia plura beneficia, vt dixit *Gl. vlt. in c. litteras 9. de conceß. prab.*

Quando conditor Canonis absolutionem sibi specialiter non retinet, eo ipso cōcedit facultatem Episcopis relaxandi, vt inquit *cap. Nuper 19. de sent. excommun. vbi Glos. verbo, retinuit*, sic dicit. Et est argumentum Episcopos posse dispensare, vbi specialiter dispensatio non est inhibita, & *Gl. verb. Minora, in c. At si Clerici 4. §. de adulterijs de iudic.* sic. Alia est magis communis opinio, quòd Episcopus vbicumq; potest dispensare, vbi non inuenitur prohibitum & latius de materia vide ibidem per *Glos magnam verbo, dispensare, & Glos. vlt. in cap. vlt. de fil prasb.* ibi. Sed nunquid Episcopi possunt dispensare cum talibus illegitime natis in simplici beneficio, & vt promoueantur ad sacros ordines sine aliqua prælatione? videtur, quod sic, Eo enim ipso, quod prohibet tantum illos à dignitatibus, & cura animarum intelligitur permittere de alijs inferioribus, quia quod de vno prohibetur &c. idem *Glos. vlt. in cap. Ad abolendam 16. eod. tit.* ibi. Et ità bene possunt Episcopi dispensare cum illegitimis in simplici beneficio, in alijs Ecclesijs non paternis; sed in paternis non possunt; eo enim ipso, quod prohibet concilium de paternis tantum, datur intelligi, quod de alijs concedat.

Potest Episcopus absolutionis beneficium impertiri cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus rigor sit mansuetudine temperandus, dicit *cap. vlt. de sent. excomm.*

Absoluit etiam, ex quo Papa non reseruat, dicit *Glos. vlt. in Clem. 2. de stat. Monach.*

Sublationem etiam interdicti ordinario permisisse videtur si sibi non retinuit, dixit *Glos. verbo, ab excommunicatione, in extrauag. vnica de torneamen.*

Potest etiam Episcopus præfigere terminum exempto, vt dixit *Apostil. in cap. Quamuis 10. de elect. lib. 6 per tex.* ibi, Nullatenus intromittant, sed præfigant dictis partibus terminum peremptorium.

Facto Episcopi creditur, dicit *Glos. verbo, Episcopus, in c. Cum inter 16. de elect.*

Creditur etiam, & statur eius litteris, vt dicitur *in cap. Post cessionem 7. de probat.* ibi. Cum igitur per litteras ordinarij (quibus standum est donec probetur contrarium) nobis constiterit &c. vbi notauit *Glos. 1.* sic, Ex hoc videtur, quòd litteris Episcopi creditur, tanquam publicum instrumentum & quod sigillo Episcopi creditur, licet non adsit sigillum capituli &c. vbi ponit argumentum contra, Nam Pontificali dignitate præditis ob reuerentiam Sacri officij, quod exercent, plurimum deferri conuenit, & eos plus honorari decet, inquit *c. 2. de offic. deleg. lib. 6.*

Non est concedendus Episcopus, nisi maioribus populis, ne honor, cui debent excellentiora committi, sui numerositate vilescat, inquit *c. 1. de priuileg.* qui autem dicantur maiores populi in hac materia, non inuenio.

Episcopus per alium non per se recitare sententiam debet, vt dicitur *in cap. vlt. de sent. & re iudic. lib 6.* ibi. Episcopo tamen (quem propter dignitatis prærogatiuam ampliori conuenit honore fulgere) sententiam ab eo ferendam licebit ad instar personarum illustrium per alium recitare.

Episcopum ad testimonium dicendum admitti non decet nam & persona inhonoratur, & dignitas Sacerdotis excepta confunditur, dicitur *in cap. Testimonium 11. quæst. 1. deducto ex l. Nec honore 7. C. de Episc. & Cler.* Quando verò ex iuxta causa iurauerit non tactis, sed propositis Euangelijs faciat, vt dicis in verbo, *Iuramentum*.

Episcopus de iure nullam sententiam sus-

suspensionis incurrit nisi de ipso expressa mentio habeatur, dicitur *in c. Si compromissarius 37. de elect. lib. 6.*

Per priuilegium seu indulgentiam Episcopali iuri Papa non credit derogari, vt inquit *c. Pastoralis 19. de priuileg.*

Non præscribitur contra Episcopum in correctione, & reformatione, vt dicit *Glos. verbo, Consuetudo, in cap. Irrefragabili 13. de offic. ordin.* Quia licet Episcopi possint aliqua Episcopalia iura remittere, vel conferre, non tamen possunt à se correctionem, vel visitationem abdicare, vt dicit *gl. verb. Sedis Apostolica, in Clem. 2. de relig. dom.*

Firmiter inhibemus, vt nullos de cætero sæculares in capitulum, nisi duos, vel tres de Canonicis Ecclesiæ suæ secum visitationis tempore introducat, ait *cap. vt iuxta 17. de offic. ordin.*

Indecorum est vicarium Episcopi laicum esse, & viros Ecclesiasticos iudicare in vno enim eodemque officio non debet dispar esse professio, quod etiam in lege diuina prohibetur, dicente Moyse. Non arabis in boue simul, & asino idest homines diuersæ professionis in vno officio simul non sociabis, dicit *cap. In noua actione 16. q. 7.* quem textum ignorabant quidam aduocati nostri temporis, qui recusato vicario generali de suspecto, & vti tali iudicato elegerunt in arbitrum quendam mere laicum aduocatum, qui dubitauit, an posset esse Iudex inter personas Ecclesiasticas, cum ipse sæcularis esset, & iussit, quod ostenderetur de Iure, qualiter posset eligi in arbitrum in causa Ecclesiastica, & inter Ecclesiasticos.

Nec contendat Episcopus non egere plebem Archipræsbytero, quasi ipse eam gubernare valeat, quia & si valde idoneus sit, decet tamen, vt sua onera partiatur, inquit *cap. vt singula 4. de offic. Archip. vbi Glos. verbo, valeat,* sic. Quia ipse sufficere omnibus nō potest & ideo per alios hoc facere debet &c.

Nec ipsemet ea assumere debet, quia & prætor se tutorem dare non potest &c. Sic prælatus à se ipso prælaturam accipere non potest, quia differentia debet esse inter dantem, & accipientem, vt in tex. etiam dicitur.

Constituimus, vt Episcopus, qui præsentatum idoneum malitiosè recusauit ad mittere, ad prouidendum eidem in competenti officio compellatur: quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse, inquit *cap. Pastoralis 29. ad fin. de iur. patr.*

Episcopus non habet liberalitatem necessariæ electionis, quia in necessitate liberalitas non est, liberalitas est, vt ei prouideat sine coactione, & licet necesse habeat conferre beneficium, non tamen necesse habet conferre isti, vel illi, & ità si conferat tibi, gratiam facit, cum eam tibi non teneatur conferre, & sic liberalitas, & necessitas circa diuersa referuntur. sic dicit *Glos. vlt. in c. relatum 9 de preb. per tex.* ibi. Concedas liberaliter.

Episcopus vel non faciat clericos, vel si fecerit, det illis, vnde viuere possint, dicit *cap. 2. de preb. & dig.* vide etiam *cap. 4. & cap. Cum secundum 16. vers. Nos tamen eod. tit.*

Episcopus per iuramentum suum non potest Ecclesiam obligare, nec facere conditionem deteriorem Ecclesiæ, vt dicit *Glos. in c. Dilecti 13. de maiorit. & obed.* vide etiam *c. Fraternitatem de donat. & c. Cum venissent de Inst. & c. 1. de in integr. rest.* & supra in verbo; *Eclesia.*

Et si Episcopus esset negligens in quęstione feudi procedere, sæcularis Iudex postea procederet, sicut è cōuerso. Sed contrà videtur potius, quod sæculari Iudex non possit supplere negligentiam Episcopi, sed per Papā tunc supplenda est illa negligētia, ità dicit G. *pen. in c. Verum quoniam 7. de for. comp.*

Nullus est inuentus Episcopus, qui a minorem de maiori ciuitate transferet

dixit *cap. 1. de cleric. non resid. vbi Glos. vlt.* sic addit. Nec tamen illud est faciendum, quia qui crescit de minori ad maius crescere debet.

Vltra annum Episcopus abesse non debet, nisi iussio imperialis eum detineat, dicitur *in Auth. quomodo oport. Episc.* inquit *glos. in cap. Qualiter 9. de cler. non resid.* Et prosequitur sic. Tamen quandiu non renunciat Clericus semper est, & licet vagetur, non habet Ecclesiam pro derelicto, nisi contrahat contrariam negociationem, vt si fiat miles.

Non ad ipsum Episcopum (si in ea, vt prælatus interfuerit) sed ad superiorem te opportuit appellare; alias si vt Canonicus interfuisset in ea potuisti appellare licitè ad eundem, itá dicit notanter *c. Acollatum 12. de appell. lib. 6.* Et ibidem curiosè, & bene quærit *Glos.* sic. Quomodo constabit, an sit ibi, vt prælatus, vel vt Canonicus? Et respondet, si est in primo loco, & ei primo scribitur, tunc apparet eum esse vt Episcopum, sed quando sedet, & subscribit post Archidiaconum, vel alium, qui ibi præsit capitulo, tunc patet eum ibi esse, vt Canonicum.

Non potest reuocare Episcopus licentiam datam regularibus ad audiendas confessiones sine causa vt notas infrà verbo, *Licentia.*

Episcopi causa à Papa pluribus commissa debet diffiniri per omnes concorditer, vide verbo, *pars maior.*

In paritate delicti in pœnis mitius agitur cum Episcopo, vel superiore, quàm cum alijs, dicit *Glos. verbo, Superior, in extrauag. vlt. de elect.* vbi vide alias.

Episcopi sunt a patria potestate liberi, vt habes verbo, *pater, & patria potestas.*

Propter defectum scientiæ repellitur quis ab Episcopatu, etiam si iam promotus, vt dixit, & bene (ex ijs, quæ supra notasti) *Glos. verbo, litterarum scientia, in cap. Cum in cunctis 7. de elect.* Vnde multoties contingit, quod Episcopi propter suas occupationes intelliguntur potius non posse scire, quam ex defectu scientiæ nescire optimus est *tex. in cap. Inter cætera 15. de offic. ordin.* ibi. Vnde cum sæpe contingat, quod Episcopi propter suas occupationes &c. (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobandum est omnino nec de cætero tolerandum.

Epistola.

NON probant plenè epistolæ, sed semiplene dixit *Gl. per tex. in l. non epistolis 13. C. de probation. verbo, coniungitur in fin. & ibi Apostil.* sic dic melius, quod quando in Epistola continentur verba dispositiua, inducunt probationem, Præsumptio tamen est propter Epistolam, quod stipulatio intercessisset, nisi contrarium probaretur, vt itá inquit *Glos. vlt. in l. Tutor 41. §. 1. ff. de vsur. per tex. in l. 1. C. de contrah. & committ. stipul.*

Non esse vtique Epistolis eorum credendum, qui quasi damnatos ad præsidem remiserunt, quia non omnes ex bona fide elogia conscribere compertum est dicit *optima l. Diuus Adrianus 6. ff. de custod. Reor.* notanda quidem, & obseruanda valde nostris temporibus, quia similes epistolæ, & elogia solent mitti ad principes, & potestates per pessimos delatores, & qui (quia male agunt) lucem oderunt.

Non obligabitur mandati (vigore scilicet Epistolæ) quia commendandi magis hominis, quam mandandi causa scripta est, inquit *l. Si verò 12. §. Cum quidam ff. mandat. Et l. vlt. C. quod cum eo* sic. Nec familiares Epistolæ, quibus homines plerumque cōmendantur absentem in id trahere conuenit, vt pecuniam, quam rogatus non fuerat, impe-

impendisse pro prædijs mentiatur, cum nisi specialiter, vt pecuniam præstet a Domino non fuerit postulatus idem Dominus teneri non posit.

An autem is quoque, qui deberi sibi cauit eadem Epistola decem probare posit hoc quod scripsit Iudicem æstimaturum inquit *l. Publia 26. §. vlt. ff. deposit. vbi Glos. in casus positione* sic. Quod Iudex æstimabit scilicet, si Sempronius consentit ijs, quæ scripta sunt contra se, vt sic stetur Epistolæ in totum, alias non puto quia dicit huic scripturæ, quæ dicit me debere Titio non consentio, sed ijs, quæ pro me faciunt consentio.

Si Epistola, quam ego tibi misi, intercepta fuit, quis furti actionem habeat? Et primum quærendum est, cuius sit Epistola; vtrum eius, qui misit, an eius, ad quem missa est &c. quis ergo furti aget, is cuius interfuit illam non surripui, idest ad cuius vtilitatem pertinebant ea, quæ scripta sunt, ita resoluit per *optima l. Eum qui 14. §. vlt. ff. de furt.* vbi alias etiam quæstiones de materia resolutas inuenies.

In Epistolis etiam cuiusque variatio caracteris ex varijs causis inuenitur dixit *Glos. verbo, Aliter, in l. Comparationes 19. C. de fid. instrum.* & alia vide verbo, *Littera*.

Error.

IAM supra dictum est in verbo dubium, quod quatuor sunt, quæ videntur idem, & tamen sunt diuersa, scilicet ignorantia, nescientia, error, & titubatio, hic autem de errore tantum dicemus. Error autem est, cum aliud est, quam credam: quod autem aliud sit errare, quàm ignorare patet ex eo, quod dicitur, si potest possessio quæri ignoranti, ergo erranti, vt ponit *Glos. in rubrica ff. de iur. & fact. ignor.* Non est tamen consequens, vt continuo erret quisquis aliquid nescit. Pro vero quippe approbat falsum, quod erroris est proprium, vt dicit *cap. Quamuis errare 38. dist.*

In omnibus negotijs contrahendis, si error aliquis interuenerit, vt aliud sentiat, aliud qui cum his contrahit, nihil valet, quod actum sit, inquit *l. In omnibus 56. ff. de action.* Cum errantis voluntas nulla sit *l. Cum testamentum 8. C. iur. & fac. ign. coniuncta l. Sed hoc ita 20. ff. de aqu. plu. arc.*

Vnde dicitur *in l. Si per errorem ff. de iurisd. omn. iudic.* ita. Nec enim ferendus est, qui dicat consensisse eos in præsidem, cum (vt Iulianus scribit) non consentiant, qui errant: Quid enim tam contrarium est consensui, quam error, qui imperitiam detegit? Error enim litigatorem non habet consensum, dicit *l. 2. ff. de iudic. & in l. ad probationẽ 23. C. loc.* ibi. Cũ inscientia Domini proprij, & errantis nullum habeat consensum. Licet nihil prohibeat aliquem in vno errare, & in alio consentire, vt dicit *gl. verbo, Errantis, in l. 5. §. Si legatarius ff. ad l. Falc.*

Est mentibus hominem naturaliter veri boni inserta cupiditas, sed ad falsas deuius error adducit, inquit *Boeth. in 3. de consolation.*

Aliquando tamen error prodest, vt dicit *gl. vlt. in §. Sed cum de testam. in Instit.* ibi. Nota errorem prodesse, vt &c. Et error communis facit Ius, vt patet his versibus.

Error communis, Ius efficit, & manifestat
Testificans seruus, quilibet creditur esse.

Et error ius facit, inquit *l. Supellectile 3. ff. de supell. legat. vbi glos. verbo, vsum* sic ait: Et sic error principis facit Ius &c. Sed quomodo solius principis error

ror facit ius? Responde, quia & alij debent sequi, quod ipse facit &c. Et sic communis error facit ius &c. Item quomodo princeps errat in iure, cum sint iura in eius pectore? Responde, non est verisimile eum errare, potest tamen. Quod autem communis error faciat ius est communis conclusio ex vulgari, & famosa *l. Barbarius Philippus ff. de offic. præsid.*

Testatoris autem error ius non facit, sed vniuersitatis sic, vel principis dicit *Glos. in l. Ornamentorum 39. ff. de aur. & argen. leg. per tex.* ibi. Nec errorem hæredis eius mutasse respondi.

Non etiam prodest error sed nocet, vt inquit *l. 1. §. Si quis ff. de appell.* ibi. Et si quidem cum maiorem iudicem appellare deberet, ità errauerit, vt minorem Iudicem prouocauerit, error ei nocebit, & *in l. is qui 20. ff. quib. mod. vsusfruct. amitt.* ibi. Si verò ignoret, puto eum amittere fructum; non enim eo quod habet, vtitur, sed eo, quod putauit se habere, vbi *Glos. vlt.* ibi. Item nota licet ergo errasse videatur, tamen non reuocat proprium factum suum &c.

Videtur, quod ignorantia proprij facti tolleretur, & sic est argumentum contra supra. vt inquit *Glos. verbo, constitit, in l. Si inter 26. per tex.* ibi. vir &c. retinere potest, si lapsus errore non retinuit &c. non improbè perceptionem desiderare constitit *ff. de pact. dotal.* Contra videbatur, quasi non liceret ei prætendere in proprio facto errorem vt infra *ad Vellean. l. Quamquam*, sed non est ità, quia hic de damno, ibi de lucro certat. ità dicit *Glos. verbo, Potero, in l. Sed & si 22. ff. de condict. indeb.* Quam sic summat *Bart.* Quando quis certat de damno vitando, error in proprio facto toleratur, idem comprobat *Glos. verb. repetet in l. Cum is 32. ff. eod. tit. de condict. indeb. Et Gl. 1. in l. Non fatetur ff. de confess.* ibi. Si ergo in alieno facto plenum est, quia probabiliter errat &c. Si in suo dicam idem cum de damno certet.

Is, qui de peculio egit, cum posset, quod iussu: In ea causa est, ne possit, quod iussu, postea agere &c. & si errore deceptus egit &c. succurrendum ei inquit *l. 4. §. vlt. ff. Quod cum eo.*

In alieni facti ignorantià tolerabilis error est, dixit *l. 3. ff. pro suo*, & addit, quod ità tamen interpetrandum est, vt probabilis possidentis vsucapioni non obstet. Est ergo in alieno facto, vel qualitate tolerabilis, sed in suo non, vt inquit *Glos. verbo, causa, in l. 3. ff. de iur. & fac. ig. vide etiam Glos. verbo, de facto suo, in cap. Ab excommunicato 41. de rescript.*

Si concurrit error iuris cum errore facti non impeditur vsucapio, notat *Bart. in summario per tex. ibi In l. Si vir vxori 3. ff. pro donat* & ibidem vide *Glos. vlt. & l. Nemo 6. ff pro derelic.* ibi. Nisi iustus error interueniat.

Nunquam in vsucapionibus Iuris error possessoribus prodest, inquit *l. 31. ff. de vsucapion.* vbi etiam notat Apostil. & limitat sic, quod est verum, quando Ius est clarum, non quando dubitatur de eius intellectu, vt *in cap. Cum dilectus extra de constit.* & in hoc sensu intelligitur *l. 2. §. Si à pupillo ff. pro empt.* ibi. Quia Iuris error nulli prodest, & *Glos. verbo, Si fraude, l. 6. C. de præscript. long. temp.*

Contrarium tamen dicit *l. Sed & si 28. §. Scire autem ff. de pet. hæred.* ibi. Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, quamuis in iure errauit, vbi *Glos.* Respondet, quod hic non potuit consulere peritiores, in contrarijs vero sic, vel etiam potest dici cum *Glos. verpropter imperitiam, in l. de die §. Si seruus ff. qui satisdar. cogan.* ibi. Nam eis, qui tales acceperint errore iuris succurrendum erit cum damnum vitare velint, vt &c. Regulariter autem iuris er-

error non excusat, probat *Glos. verbo procuratoriam, in l. si fideiussor 29. §. quaedam tamen ff. mand.* ibi; Siquidem ignorans agit, nisi errauerit in iure, & *Glos. verbo, per errorem Iuris &c.* Et addit, immo & si facti, idem, si modo facturus sit, vt in suo proprio facto &c. tunc enim est idem, ac si in iure errasset.

Error autem circa proprietatem rei apud alium extra personas transigentiũ tempore transactionis constitutæ nihil potest nocere, inquit, *l. sub praetextu 29. C. de transact.*

Vnde propter iustum errorem, & liberam peculij administrationem transit dominium dicit *Glos. verbo, Non poterit, in l. Seruus in suo 20. ff. de fideiuss.* vbi *Apostil.* sic Ista glos. reputatur singularis ad hoc, quod sicut error non impedit translationem dominij, si non est dissensus in causa &c. ità non impedit, si tradens erat procurator cum libera, quia potest transferre dominium, & idem *glos. verbo, Furti teneris, in l. Si quis uxori 53 ff. de furt.* ibi. Sed quidam dicunt errorem personæ non esse impedimentum, quominus transferatur dominium. Non enim debet obesse si habuerit iustam causam errandi, vt dicitur *in l. In seruitutem ff. de bon. libert.*

Propter errorem facti iustum, & continuum lex excusat, vt notauit *Glos. verbo, Errores, in l. 4. C. de inuss. nupt. per tex.* ibi. Exceptis tàm fœminis, quá viris, qui aut errore acerrimo non affectato, insimulatoque nec ex vili causa decepti sunt, & addit *glos. praedicta.* Si verò in iure quantum ad pœnam incestus mulier in totum releuatur &c. Si autem iure gentium in aliquo subleuatur, non in toto.

Error facti quartæ ex causa fideicommissi non retentæ, repetitionem non impedit, quin etiam, si ius ignorauerit, cessat repetitio, inquit *l. 9. C. ad l. Falc.*

Error communis aliquid facit, vt probat *Glos. verbo Omnium. per tex.* ibi. Omnium consensu liberorum loco habiti sunt *in l. 1. Cod. de testam.* & iam supra dixisti facere ius. Et excusat, vt inquit *Glos in verbo, publici, in l 3. ff. ad Macedonian.* cuius verba sunt. Si quis &c. crediderit non vana simplicitate deceptus, nec iuris ignorantia, sed quia plerisque videbatur &c.

Licet error in nomine appellatiuo vitiet dispositionem tamen hoc non habet locum, quando res, in qua erratur demonstratur ad oculum, ita notauit *Apostil. ad glos. verbo, Appellatio, in l. Quae extrinsecus 65. ff. de verbor.* ibi. Licet sit in appellatione variatum, si tamen de re constat valet. Et probat *l. Pomponius idem 5. §. Cum in rem ff. de riuend.* ibi. Si de corpore conueniat; error autem sit in vocabulo, recte actũ esse videtur, quod secus erit, si plures sint eiusdem nominis, nec appareat, de quo actum sit, vt probat *d. lex in §. sequenti.* Nihil enim facit error nominis, cum de corpore constat, inquit *l. In venditionibus 9. ff. de contrah. empt.*

Nihil obesse, quod in syllaba errasset, dicit *l. qui habebat 54. ff. de manum. testam.* vbi addit *Apostil.* Quia etiam error huiusmodi, de quo in tex. non vitiat instrumentum *cap. Ex parte de fid. instrum.* An autem error in instrumento factus a Notario, vel a Tabellione possit ab eodem emendari, vide *Glos. verbo, Acta, post med. in cap. Acta sunt de pac. Constan.* cuius verba habes infra verbo, *Tabellio.*

Erroris fideiussio nulla est, ita inquit *l. Si quis 38. ff. de fideiuss.*

Item si erretur in confinibus, si tamen constat de re valet iudicium, vt dicit *Glos. in l. 4 ff. de censib.*

Errore scribentis testamentum iuris solemnitas mutilare nequaquam potest, quando minus scriptum, plus nuncupa-

patum videtur; ita dicit *l. 7. C. de testam.*

Si errore scribẽtis fuit quid post positum, talis error non nocet, dicit *Glos. verbo, Fuerat, in cap. Causam 18. de rescript.*

In confessione, si quis probet se errasse, non nocet confessio, inquit *Glos. in verbo, confiteretur, in cap. Dudum 54. de elect.*

De errore patris, qui intercessisse proponeretur apud Iudicem agi oportere, inquit *l. Titius 21. ff. de liber. & posthum.*

Si errore potius, quam malitia ab administratione cessasset vtilem actionem non dandam decidit *l. qui testamento 40 ff. de excusat. tutor.*

Error aduocati in continenti debet emendari, idest triduo *l. 3. C. de error. aduocati.* ibi. Cum te præsente, non causæ palam ex continenti (idest triduo proximo) contradixisse, *& in cap. Cum causam 62. de appellat.* Sic inuenies; licet ipse eadem die aduocati errorem corrigens &c. Mandamus quatenus, si legitime probauerint, quod per procuratorem ipsorum eadem die aduocati responsio extiterit reuocata, vbi *Glos. verbo Eadem die*, sic interrogat, sed nunquid est istud necessarium, vt eadem debeat reuocari? Vel quandocunque ante sententiam, vt &c. vel saltem vsque ad triduum &c. Et respondet in casu isto videtur, quod eadem die, vel saltem antequam fiat aliquid in causa, per quod videatur approbare huiusmodi confessionem.

Iudicum error non prodest parti, vt dicitur in *l. Diuus Seuerus 40. ff. de iniur.* ibi. Nec prodesse tibi debet error præsidum, aut eius, qui de te aliud pronunciauit, aut eorum, qui contra formam iuris mansisse te in ordine decurionum putauerunt. Si verò quis maiorem Iudicem prouocauerit error ei nihil oberit, vt dicit *l. 1. §. Si quis ff. de appell.* Contrarium verò erit, si minorem prouocauerit; vt supra.

Errore veritas originis non amittitur, dicit *l. Assumptio 6. ff. ad Municipales, & in l. libertus 17. §. In adoptiua eod. tit.* Sic. Error eius, qui se Municipem existimans munera ciuilia suscepturum permisit defensionem Iuris non excludit.

Edictum non habet locum, siquis aliquid errore, vel casu fuerit, vt dicitur *in l. Cum autem 23. ff. de adedilit. edict.*

Cum initio rectè emptio sit contracta, vix bonæ fidei conuenire, eo pacto stari, quod alteri captiosum sit, & maximè si iusto errore sit deceptus, dixit *l. Si id, quod 7. in fin. ff. de rescind. vend.* quia Iudex si errasse videbitur, debet imprudentiæ dare veniam. Si autem calumniæ hoc ipsum vendicare, ait *l. Senatus 15. ff. de iur. fisc.* Nam errantibus, & non fallentibus etiamsi minoribus iura subueniunt, vt dicitur *in l. 2. C. si minor se maior*. Nec etiam stultis solere succurri, sed errantibus dixit *Glos. in l. Regula 9. §. 1. in fine ff. de iur. & fact. ign.* Vnde etiam in pænis dixit *l. quod adhibitus C. ad l. Cornel. de fals.* ibi. Pænam *l. Cornelia* tibi remitto, in quam credo te magis errore, quàm malitia incurrisse.

Nemo errans rem suam amittit, dixit *l. Si procurator 35. ff. de acquir. rer. domin.*

In quibus rebus nihil interest ad capessendum regnum Dei vtrum credantur, an non, & vtrum vera putentur, an falsa: in his errare, & aliud pro alio putare non est arbitrandum esse peccatũ: aut si est, minimum esse, ac leuissimum, inquit *August. relatus in cap. In quibus 22. q. 2.*

Nemo errat vni, sed dementiam spargit in proximos, accipitque inuicem, dixit *Senec. ep. 95.* & sic peccans etiam in me peccat, vt dicitur *Matth. cap. 18.* Cum apud nos recti locum tenet error, vbi publicus factus est vt idem *Senec. dicit epist. 124. c.*

Et

Et ideo error, cui non resistitur approbari videtur, & latum pandit delinquentibus signum, qui eorum peruersis conatibus non resistit, vt dixit *Pontifex in Extrauag.vnica*. Ne sede vacante. *Et in glos. verbo, consentire, in extrauag.3.de verbor.signif.* ibi. Error, cui non resistitur approbari videtur, & consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.

Melius quis errorem alienum, quàm suum corrigere potest, vt patet in ludo *de schacis*: nam melius videt, qui ibi assistit, quàm lusor, vt dixit *Glos. verbo, Error, ad fin. in l.Error 7. C. de iur.& fact.ign.*

Qui alienum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis, qui errant, quia non solum errat, sed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmat, dixit *cap Qui aliorũ 24.q.3.*

Si contra præscriptum ordinem tanquam homines excessistis, non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis, vt aliorum corrigatis errores, ità videlicet, vt inueniatis occasionem aliquam congruentem, per quam ne vestra vilescat authoritas &c. inquit *cap. qualiter, & quando 18. de accusat. vbi Apostil.* sic. Honor est, non ignominia, quod quis se corrigat potius, quàm ab alio corrigatur.

Non enim est leuitas a cognito, & damnato errore discedere, & ingenue fatendum est aliud putaui, deceptus sum. Hæc verò superbiæ, & stultitiæ perseuerantia est, quod semel dixi qualecumque est fixum, ratumque sit, dixit *Senec.lib.4.de benefic.cap.35.*

In dubio error non præsumitur, & tunc hic consistit in animo testatoris, qui non probatur, nisi ex coniecturis notat *Apostil.ad glos. penult. in §.vlt. de vulgar.& pupill.substitut.in instit.* Præsumitur tamen, quando palam matrimonium prohibitum contrahitur, vt probat *Glos.verbo.Si error in l.Si adulterium 38.§.1.ff.ad l.Iul de adult.*

Nisi detegantur, & refellantur errores, non est satis veritatem dicere, prout notatur infra verbo, *veritas*.

Euentus.

SVmitur pro effectu, vnde *l.vnica §.Sed & si*, ibi. Et omnes quidem euentus coniuncta glos. ibi. Idest effectus *C. de rei vxor.act.* prout etiam dicitur. Exitus pro effectu, vt *in l. vel negare*, ibi Publicè enim expedit suprema hominum iudicia exitum habere *ff. Quemadmodum testam. apert. & in §. Si quis rem suam de legat. in Inst.* vbi notat *glos.vlt.* Adde etiam, quod sumitur pro successu, vt probat illud Ouidianum.

Exitus acta probat? careat Successibus opto
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Et aduerte, quod illud principium versi scribendum est sub interrogatione, non vt communiter allegatur affirmatiuè: tum, quia idem poeta ex sequentibus clarè dat intelligere, quod exitus acta non probat, tum etiam quia de iure ita regulariter dicitur, quod ad exitum, seu ad euentum non debet attendi, vt *in l. Sed an vltrò 11. §. 1. ff.de negot.gest.* vbi *glos. verbo. Non habuit; & in l.Successori 13. in fin.& l.Paulus 16.in princ. eod.tit.* licet sint casus, in quibus exitus, seu euentus attenditur, quos vide *per glos. verbo, Sit solitus, in l Si negotia 12.eod.tit.de negot. gest.* Et nos aliquos notanter ponimus infra.

Secundum prædictam regulam loquitur *d.l. Sed an vltrò 11. §. 1. ff. de negot. gest.* ibi. Sed sufficit, si vtiliter cæpit, etiam si effectum nõ habuit negotium,

& *glos.* verbo, Et obtinuit in *l. ex parte* 40. *ff famil. berciscun.* ibi. Si vtiliter cæpit ascendere, licet malus exitus sit sequutus; nec enim fas est casum expectare, vt dicit *l. Si emptionem* 34. *§. Omnium ff. de contrab. emp.* vbi *glos.* Sic. Quia casum, aduersamque fortunam expectare liberi hominis, nec ciuile, nec naturale ius est, quod deducit *ex l. Inter* 83. *§. Sacram ff. de verbor.* Deniq; initium omnium rerum sapiens non exitum expectat, dicit *Senec lib. 2. epist.* 14 *ad med.*

Vnde in maleficijs volũtas expectatur, nõ exitus dicit *l. Diuus* 14. *ff. ad l. Cornel. de sicar.* & *glos. verbo, Cogitatione, in l. præsenti* 5. *C. de ÿs, qui ad Eccles. confug.* ibi. Quia in maleficijs voluntas cum aliquo actu spectatur non exitus, & in *l. Is qui cum telo* 7. *C. eod. tit. de sicar.* ibi. voluntas enim non exitus inspicitur; ea enim, quæ ex improuiso casu potius, quàm fraude accidunt, fato, non noxæ imputantur probat *glos. verbo, vitam, in cap. 1. de pac. tenen.* Beneficium namque, seu maleficium distinguit non Euentus, sed animus dicit *Senec. lib. 6. de benef. cap.* 8. Cum sæpè aliter habet species facti, & aliter facientis animus, vt dicit *Augustin. lib.* 3. *confess. cap.* 9.

Posterior euentus non infirmat datam libertatem dicit *l.* 2. *C. de fideicommiss. libert.* Nec actio, quæ ab initio inutilis fuerat, euentu confirmatur, *l.* 2. *in fin. ff. quod iussu.*

At vero is nostris malis cumulus accidit, quod æstimatio plurimorum non rerũ merita, sed fortunæ tantùm spectat euentum, eaq; tantum iudicat esse prouisa, quæ felicitas commendauit, vt ex *Boeth.* ponit *Glos. verbo, Captum, in l sed an* 12. *§.* 1. *ff. de negot gest.* vnde dicit *glos. verbo, Adiudicari, in l. Si idem* 11. *§.* 2. *ff. de iurisd. omn. iudic.* inspici, quod euenire potest. Idem probatur *in l. qui res* 98 *§. Rem autem ff. de solut.* ibi. Et vtique cuius fuerit euentus declarat, sic quod & hic ex post facto in præteritum, quid fuerit declaretur.

Et in *l. Si pater* 12. *C. de in offic. testam.* dubius euentus attenditur, vt teneat substitutio reciproca ibi. Si inter filios in legitima institutos fiat reciproca substitutio neuter dicitur grauatus, & ideo neuter habet querelam ratione dubij euentus, quia ità potest acquirere, sicut erogare, quæ verba sunt *Pauli Castrens. in summario dictæ legis:* probat etiam *glos. antepenult.* ibi. Nota hìc, quòd inspicitur, quod euenire potest *in l. Sed & si* 28. *§. vlt. ff. de iudic.* per illa verba. Nec rerum naturam intuendam, in qua omnia certa essent, cum futura vtique fierent, sed nostram inscitiam aspici debere, & *l. Si quis* 9. *§. hic subiungi, vers. Idem quærit ff. locat.* ibi. Quia hoc euenire posse prospicere debuit & *ibidem glos.* Sic. Et nota hic debere inspici, quod euenire potest idem *Glos. in l. Cum res* 49. *§. vlt ff. de legat.* 1. & *glos. vlt. in l. Naturalem* 5. *§.* 1 *ff de acquir. rer. domin.* cuius tex. verba sunt. Plerique non aliter putauerunt eam nostram esse, quam si eam cæperimus, quia multa accidere possunt, vt eam non capiamus, & *in l. Nesennius* 41. *§. Fundum ff. de re iudic.* ibi. Potuit enim non periclitari, nisi statim restituisset, ergo in consideratione est, quod euenire potest.

Sic etiam attenditur casus, & punitur, vt dicit *glos. verbo, casu, in l.* 1. *§.* 1. *ff. ad l. Cornell. de sicar.* ibi casu, culpa tamen præcedente, & ideo punitur casus, & in *l. Aut facta* 16. *ad fin ff de pan.* ibi. Euentus spectatur, vt a dementissimo quoque facta, & in *l.* 3. *§. Si quis palam ff. de iur. fisc.* ibi, Et placuit exitum esse expectandum, & infra habes verbo, *finis*.

In materia pactorum etiam euentus attendi dicit *l. vlt. C. de pact.* ibi. Sed nobis omnes huiusmodi pactionis odiosa

vi-

videntur, & plenæ tristissimi; & periculosi euentus. Et in *l. Sancimus* 54 *§. vlt. C. de donat.* ibi. Incertus etenim fortunæ exitus hoc nobis suggessit, vt possibile vnius anni tantummodo, vel breuioris, vel amplioris temporis metas superuiuere, & *ibidem glos. verbo, Possibile*, infert sic. Inspicitur ergo, quod potest contingere, probatur etiã *ex l. 1. C. de ijs, qui accus. non poss.* ibi. Et tunc ex euentu causæ Iudex æstimabit, an tibi permittendum sit accusare, facit etiam *Authen. de nupt. §. Quia vero coll. 4.* ibi. In omnibus talibus non ab initio donationis, aut scriptura respicienda, sed qui vocatur euentus respiciendus est.

Nota, exitum expectari, cum vitium consistit in animo dixit *glos. verbo mutata, in cap. cum ex eo 34. de elect. lib. 6.* vbi Apostil. sic. In dubio secundum *Anchar.* præsumitur talem mentem habuisse à principio, sicut apparet in fine &c. excusabit tamen eum fati infelicitas, vt dixit *glos. vlt. in l. vlt. ff. de administr. tutor.* Non enim debet Magistratus futuros casus, & fortunam pupillo præstare dicit *l. 1. §. 1. vers. Si Magistratus ff. de Magistr. conuen.*

Ita non restituitur, qui sobriè rem suam administrans occasione damni, non inconsultè accidentis, sed fato velit restitui; nec enim euentus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas dicit *l. verum 12. §. Sciendum ff. de minor.*

Dubius est iudicij euentus, dicit *glos. vlt. in l. Lucius Titius 78. §. vlt. ff. ad Trebellian.*

Ad primordium tituli posterior formatur euentus, dicit *l. 1. C. de impon. lucr. de script. lib. 10.*

Euictio.

CVm in ipso limine contractus immineat euictio: Emptorem, si satis ei non offeratur ad totius vel residui pretij solutionem non compelli, dicit *l. Si post perfectam 24. C. de euict. & glos. In additione verbo, præstat, in §. Nouissime de suspect. tutor. in instit.* ibi. Nota, quod quotiescumque imminet euictio in limine contractus ante solutionem pretij emptor non tenetur soluere pretium, nisi venditor det idoneos fideiussores, vbi etiam Apostil.

In euictione non vltra duplum debet promitti, vt dicitur *in l. Titius 44. in fin. ff. de act. empt.* ibi. Non enim continet tantum, sed omne, quod interest emptoris seruum non euinci. Plane, si in tantum pretium excessisse proponas, vt non sit cogitatum à venditore de tanta summa &c. qui minimo pretio venijt, iniqnum videtur in magnã quantitatem obligari venditorem, & clarius in *l. sequenti 45.* ibi. Cum & fortè idem mediocrium facultatum sit nõ vltra duplum periculum subire eum oporteat.

Sed & si pro parte fuerit euicta, tamen pro solido obligatio durat. Nam non accepisset rem integram, nisi pro solido eius fieret, dicit *l. Si quis alienam rem pro alia volenti soluerit 46. ff. de solut.*

Regula vulgaris est, quod quem de euictione tenet actio eundem agentem repellit exceptio, quæ deducitur *ex l. vẽdicantem 17. ff. de euict.* ibi. Improbè enim rem a se distractam euincere conatur.

Si in alea rem vendam, aut ludam, si vincatur de euictione non teneri debebo, dicit *l. 2. ff. quar rer. act.*

De euictione an promittere teneatur vir ob mulieris contumaciam vide verbo, *Maritus*.

Notabilis est *glos. in l. quod si nolit 31. §. si plures ff. de adelit. edict.* Sic dicens. Hoc est optimum argumentum contra illos emptores, qui de euictione agũt, vt repellãtur, si malos habuerũt aduocatos.

Exactor.

ADuerte, quod nomen exactoris, & susceptoris idem est, licet *glos. in rubrica C. de susceptor. distinguat in l. 4 eod tit lib. 10. De praedictis*, sic dicitur. Neminem susceptionis munere functum, ad idem munus adstringi, nisi se prius vinculo solicitudinis superioris absoluerit. Nam nec eos, qui placuerint grauare Iustitiae est, nec eos, qui displicuerint tenere prudentia est.

Vnum genus exactorum publici debiti vocatur optio, vt supra dixisti in verbo, *Electio*, quod colligitur infra de apochis publicis *l. Quicumque* ita ponit *glos. verbo, optione, in l. Super creandis 9. C. de iur fisc. lib.* 10.

Prospicere Reipublicae securitati debet Praeses Prouinciae; dummodo non acerbum se exactorem, nec cōtumeliosum praebeat, sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum. Nam inter insolentiam curiosam, & diligentiam non ambitiosam multum interest, inquit optima *l. si bene 33. ff. de vsur.*

In exigendis tributis consuetudo seruatur, vt probat *l. Missi 7. C. de exact tribut.* ibi. Consuetudine seruata Regionum.

Dicitur etiam tacita exactio, scilicet cum quis suo debitori succedit, vt inquit *Glos. vlt. ad fin. in l. 2. C. Solut. matrim.*

Particularis exactio multa habet incommoda, inquit *Glos. verbo, Obseruetur, in Clem. 1 de iur. patr.*

Oportet ante exactionem cogitare, & agere, & non cogitantem rectè deinde transferri ad indeuotionem dicitur in *Auth. de hared. & falc. §. Non autem coll* 1. Loquens de eo, qui soluit omnia onera testamenti, & postea vult vti Falcidia.

Si exactores plus exigere voluerunt licentiam habeant eis resistendi, dic *Auth. vt litig. iur. §. Et hoc in fin. coll. 9.* vbi etiam notat glos.

Non potest exigi, quod sine verecundia non potest postulari, vt probat *glos. l. in cap vnico an ille, qui occidit frat domin. sui feu. amitt.*

Examen.

AD illum pertinet, ad quem pertinet confirmatio, & ex officio suo debet examinare personam electi, & formam electionis, etiam si non obijciatur aliquid electo, vt dixisti supra verbo, *Electio*, *& Glos. verbo examinet, in cap. Nihil 44. de elect.*

Examinatores peracto examine renunciant quotquot idonei iudicati fuerint, & Episcopus faciet collationem ex dignis digniori. Vide verbo, *Idoneus vers. Peracto examine.*

Etiam quis saepè examinatur, nec negligentia prioris examinatoris debet impedire, quominus quaeratur, an dignus sit, & ad hoc tenetur superior, vt dixit *glos. verbo, Examinari, in cap. Acceptimus 13. de aetat. & qualit.*

Exceptio.

EXceptionū, quaedā sūt perpetuae, quaedam tēporales. Perpetua dicitur illa, quae perpetuo cōpetit, quādocūq; actor vt exceptio doli, quia exceptio doli nō agat, cōpetit, nisi quis agat *ff. de excep. l. Exceptiones.* Tēporales sunt illae, quae non semper competunt, & euitari possunt. vt *praedicta l. Exceptiones*, ita ponit *Glos. verbo excusari, in cap. Si autem 9. de rescript.*

Sunt etiam emergentes siue incidentes. Incidens dicitur, quae competit Reo etiam ante litis contestationem puta pactum de non petendo. Emergentes di-

dicuntur illæ, quæ competunt, & emergunt in lite puta, An dilatio sit danda, vt ponit *Glos. in cap. 1. de ordin. cognit.*

Dicitur etiam exceptio facti, nam quæ intentio, vel ipso iure tenet, & tunc dicitur exceptio actionis, vel ipso iure non tenet, & tunc dicitur exceptio intentionis, & hæc est, quàm dicunt exceptionem facti, vt inquit *Glos. verbo, Intentionem, in l. 2. ff. de except.*

Sunt etiam exceptiones, suspicionis, de quibus dices verbo, *Suspicio*, Dilatoriæ, Peremptoriæ, de quibus infra.

Nota, quod qui remotus est à quolibet actu legitimo tamen excipere potest, vt dixit *Glos. verbo, Defensio in c. Cum inter 5. de except.* Nam quantumcumque præcisè scribatur, exceptiones legitimæ excipiuntur, vt dixit *Glos. 1. in cap. De catero 11. de sent. excomm.* Debet enim Iudex rationabiles exceptiones admittere, nisi exprimatur in litteris, quod nullæ debeant exceptiones admitti, quod nos nec antecessores nostros credimus vnquam expresisse, dixit *Pontifex in cap Ex parte 13 de offic. delegat.*

Cui damus actionem, eidem exceptionem competere multò magis quis dixerit, inquit *Iureconsult. in l. 1 ff. de superficieb. & gl. verbo, Nacto, per tex. ibi in l. Nec non 28. §. Exemplo ff. ex quib. caus. maior.* ibi, Item nota hic, quod cui datur actio multò magis & exceptio; Nam facilius datur alicui exceptio, quàm actio inquit *Gl. verbo, Tueri, in l. Deposui §. 1. ff. de pecul.*

Exceptio dilatoria debet primo proponi ante omnia, & si omittitur amplius ei locus non est tenet *Glos. verbo, Tacito, in cap. Ex parte 7. de testib.* ibi. Et quia hanc exceptionem dilatoriam omisit valuerunt litteræ per consensum illius præsbyteri, quare Iudicio cœpto illam opponere non valebat, & probatur *in l. Sed & si 52. ff. de iudic.* ibi. Sed & si suscepit actionem fideicomissi, & alijs defensionibus vsus hanc omisit, postea (quamuis ante sententiam) reuerti ad hanc defensionem non potest, vbi *Glos. dat rationem.* ibi. Quia est dilatoria, vnde in principio debet opponi. Sed si de nouo incipiat competere, opponi potest etiam post litem contestatam, dixit *Glos. verbo, Postmodum, in cap. Insinuante 25. de offic. delegat.*

Exceptio spoliationis dilatoria est non peremptoria, & non obstat *l. Si quis in tantam C. vnde vi*, quia licet priuatio dominij insurgat conditione ex illa lege, non tamen ex interdicto, vel exceptione, vt dixit notanter *Glos. verbo, Perimitur in cap. 1. de restit. spoliat.* Et bene quidem, quia dominium non perditur per viam exceptionis, sed debet spoliator conueniri via ordinaria per actionem ad hoc, vt declaretur incurrisse in pœnam illius legis priuationis dominij. Prædicta autem exceptio intra quot dies proponenda sit, & quomopo illi computentur, videas verbo, *Dies*.

Excommunicationis autem exceptio intra octo dies probari debet, die, in quo proponitur non computato, vt dicit *Glos. verbo, Competentem, in cap. Prudentia 21. §. Sexta de offic. delegat.*

Bonæ fidei iudicio exceptiones pacti insunt, dixit *l. 3 ff. de rescind. vend.*

Emptor agendo eadem exceptione submouebitur, qua author eius summoueretur, dicit *l. in hoc 14. §. vlt ff. comm. diuid.*

Generalis exceptio non ad ea pertinere debet, quæ venditor nouit, quæque specialiter excipere potuit, & debuit, sed ad ea, quæ ignorauit, & de quibus emptorem certiorare nequiuit, inquit *l. Quaro 40. ff. de act. empt.*

Qui libertatis causa excepit in venditione non tenebitur euictionis nomine. Qui autem in tradendo statu liberum dixit intelligitur hanc speciem, dum-

taxat

taxat libertatis excipere. Rursus qui statuliberũ tradit si certam conditionẽ pronũciauerit, sub qua dicit ei libertatẽ datã deteriorẽ conditionẽ suam fecisse existimabitur, quia non omnẽ causam statu libertatis, sed eam dumtaxat, pronunciauit, excepisse videtur. Inquit *l. 69. ff. de euict.* vbi sic summat *Bart.* Exceptio indeterminatè facta porrigitur ad communem causam, sed facta determinate non porrigitur ad casum vltra expressum.

Ideo denegantur exceptiones aduersus secundum creditorem, quia in priuatis contractibus, & pactionibus non facile scire petitor potest, quid inter eum qui delegatus est, & debitorem actum est: aut etiam si sciat dissimulare debet, ne curiosus videatur: Et ideo merito deneganda est aduersus eum exceptio ex persona debitoris, sic inquit *l. Doli mali 19. ff. de nouat.*

Si opposuerit exceptionem rei sibi ante pignoratæ, & nihil aliud nouum, & validum adjecerit, sine dubio obstabit; Eandem enim quæstionem reuocat in iudicium dixit *l. Duobus 19. ff. de excep. rei iudic.*

Notabilis est *l. vlt C. de Apoch. pub lib. 10.* dum ait nullam exceptionem non numeratæ pecuniæ penitus opponi, concedi, vbi glos. notauit sic. Et nota hac lege casum, quo non opponitur exceptio non numeratæ pecuniæ, licet non sit numerata, & est quando exactor dat quietantiam de recepto.

Exceptione, quam habet donator, vt nõ teneatur vltra quam facere potest, vti non poterit, quando donatio fuit delegata creditori donatarij, vt iam dictũ est verbo, *Donatio*.

Exceptionibus, quæ institutis in iudiciũ cõtra reos actionibus, opponuntur, etiam his vti potest, qui ex sua responsione cõuenitur, veluti pacti conuenti rei iudicatæ, & cæteris, inquit *l. Si filius 13 §. vnico ff. de interrogat. act.*

Exceptionem obijciens de intentione partis aduersæ non intelligitur fuisse confessus dicitur *in cap Cum venerabilis 6. de except.*

Qui aliqua in specie excipit non potest non videri de cæteris rebus, quæ in dispositione essent sensisse, dixit *l. quæsitum 12. §. Deniq; Horatius ff. de fund. instruct.*

Nota, quod qui tutus est exceptione triginta annorum, si soluat repetere potest, vt argumentatur, & probat *Glos. verbo, Conditio, in l. vlt. §. vlt. ff. rem rat hab.* Quam ibi dicit singularem Apostil. & addit sic; In contrarium facit, quia hæc exceptio est odiosa secũdum *Bart. & Bald. hic.* Nam exceptiones, quæ in præscriptione deducuntur odiosæ habentur, vt habes infra verbo, *Præscriptio*.

Exceptio rei iudicatæ, vt obstet inspiciendum est, an idem corpus sit, quantitasque eadem, idemque iũs, & an eadem causa petendi, & eadem conditio personarum, quæ nisi omnia concurrant alia res est, dicunt leges cum quæritur 12. 13. *&* 14. *ff. de except. rei iudic.*

Item exceptio rei iudicatæ obstat quoties persequens iudicium infringitur; quod est statutum in primo, vt infra *de iur. iur. l. Duobus §. Exceptis, & de exceptionibus l. Fundi Titiani*, ità ponit *Glos. verbo, Exceptionem, in l. Si Titio 40. ff. de vsufruct.*

Euidenter iniquissimum est proficere rei iudicatæ exceptionem ei, contra quem iudicatum est, sic dictante *lege 16. ff. de except. rei iudic.*

Nota, quod exceptio peremptoria opponitur post sententiam, quod est speciale in Macedoniano, & Velleiano, vt hic, & in milite, vt *Cod. de iur. & fact. ignor. l. 1. Et in falso procuratore l. licet C. de procur. Et in donatore, vt infra de re iudic. l. Nesennius §. vlt.* Item in qualibet exceptione, per quam dico nul-

nullum fuisse iudicium, vel ratione Iudicis, vel partis, vel rei, de qua agitur, vel quia sit iudicium de falsis instrumentis, vel alia causa, & facit infra *de pignor. l. Si fundus §. Si pluris*. At regulariter hoc fieri nõ potest, vt *C. sent. rescind non poss. l. Peremptorias*, ita magistraliter dicit *Glos. in l. tamen ff. ad Macedonianum*.

Doli exceptio quadruplex est, vt iam dixisti verbo, *Dolo*, vbi etiam dicis, In exceptione illa non dari replicationem.

Iudicem exceptiones æstimare, quas possessor obijcit, & siquatam euidens sit, vt repellat facile agentem, debere possessorem absolui. Sin obscurior, vel quæ habet altiorem quæstionem differendam in directum iudicium, re exhiberi iussa. De quibusdam tamen exceptionibus omnimodo ipsum debere disceptare, veluti pacti conuenti, doli mali, iuris iurandi, reique iudicatæ, ita optimè dicit *l. 3. §. Ibidem ff. ad exhibend.* Et tu intellige verbum, *Obscurior*, scilicet de facto; in eo namque dicitur obscuritas. At verò verbum, *Altiorem*, intellige de iuris subtilitate iuxtà *l. Ille a quo §. Si de testam. ff. ad Trebell.* & ità intelligit *Glos. in d. §. Ibidem*.

Vnde ex *dicta l. Ille a quo §. 1. ff. ad Trebell.* deducitur exceptionem requirẽtẽ altiorem indaginem in summarijs non admittendam, vt ibidem dicitur in Summario.

Exceptio excussionis est de apicibus iuris, & ideo requirit altiorem indaginem, nec potest opponi, vbi agitur de bono, & fauore publico, vt notat *Apostil. ad glos. verbo, Actum, in addit. in l. Si mancipium 34. §. 1. ff. de euict.* quam reputarunt singularem *Romanus*, & *Alexand. in l. Si constante ff. solut. matrim.* Notatu est etiam dignum, quod dicit eadem *Glos. d. verbo, Actum*, quod licet non fuerit opposita exceptio, potest postea quilibet ea agi, quando fuerit de apicibus iuris.

Quamuis verũ sit, quod qui excipit probare debet, quod excepit, attamen de ipso dũtaxat, ac nõ de hęrede eius quoque conuenisse, petitor, non qui excipit probare debet, quia plerumque tàm hæredibus, quàm nobismetipsis cauemus, sic optima, & menti tenenda *l. Si pactum 9 ff de probat.* vbi *Glos. verbo, Probare*, reddit optimam rationem etiam ibi. Hoc propter præsumptionem, quæ facit pro altero; præsumitur enim quilibet suo hæredi, vt sibi prouidere &c. Fallit autem, nisi est in contrarium actum &c. vel nisi talis sit naturæ res debita, quod non transeat ad hæredem, vt vsus fructus, vel similis seruitus personalis.

Potest quis eodem & diuersis temporibus contrarias exceptiones proponere, vt dixit *Glos. verbo, Ex stipulatu, in l. Minor §. 1. ff. de euict.*

Qui dixit (quodcumquè) nihil excepit *cap. Solita 6. ad fin. de maior. & obed.* vbi *glos. vlt.* sic qui dicit omnia nihil excipit. facit *cap. Quia circa 22. de priuileg.* ibi. Cum nihil exceperit, & potuerit excepisse.

Actio, & exceptio idem efficientes sunt eiusdem vitæ sic limitata *l. licet Cod. de except* ita *Apostil. in cap. 1. de in integr. rest.* vbi etiam, quod quemadmodum agendo non quæritur restitutio post quatuor annos, ità nec excipiendo, quod est notabile ex dicta ratione, Cum alias vulgaris regula sit, ea, quæ sunt temporalia ad agendum perpetua esse ad excipiendum.

Sæpius agenti, si ex eadem causa agat obstaturam exceptionem Iulianus ait. Nouam autem causam interuenire, inquit *l. de eo §. Sæpius ff. ad exhibẽdum.*

Quod fit ad exceptionem, parit actionem dicit *Glos. verbo, dandam in l. Sed & si 11. ff. de in ius vocan. per l. Quod mihi ff. de liberat. legat. & l. Cum ante C. de donat. ante nupt.*

Ex-

Excessus.

NOtorius examinatione non indiget, dixit *Pontifex in cap. Bonæ* 23. *de elect.* Nec aliorum nobis præbet licentiam excedendi dixit etiam *Pontifex in cap. Petistis* 20. *de Priuileg.*

Proinde si negligenter ea, quæ malè vsurpantur omittimus excessus viam proculdubio aperimus, dicitur *in cap. loci nostri* 35. *q* 9.

Potest quis appellare in inquisitione, sicut in correctione à grauamine scilicet, cum modus exceditur, vt dicit *Glos. vlt. in cap. licet* 12. *de offic. ordin.* & probatur *in cap. irrefragabile* 13. ibi. Nisi formam in talibus excesserit obseruandam eod. tit.

In executione verò sententiæ potest fieri multipliciter excessus, de quo vide *Glos. vlt. in cap. Quod ad consultationem* 15. *de re iudic.*

Si quid amplius fuerit erogatum iudicio negotiorum gestorum, nec ab hærede rectè petetur, nec de iure fideicommissi. Cum voluntas finem errogationi fecerit, dicit *l. Qui aliena* 33. *§. libertos ff. de negot. gest.* vbi *Apostil.* sic *Bald.* hic dicit textum istum singularē ad hoc, quod executor vltimæ voluntatis excedens fines mandati, & sic plus expendens, quàm debet, non potest repetere ab hærede. Et sic ista executio mandati habet fines, siue formam taxationis pro quo concordat tex. & bene facit in *l. Sed & si quis §. Sed si quid ff. de relig. & sumpt. funer.*

In id, quod modum legis excedit contra te, conditionem habeo, dicit *l. Vt mihi* 21. *in fin. ff. de donat.* vbi *glos. vlt.* notat, quod tantum id, quod vltra legem est vitiatur in donatione.

Excommunicatio.

QVamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobriè tamen, magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temerè leuibus ex rebus incutiatur magis contemni, quàm formidari, & pernitiem potius parere, quàm salutem, dicit *Concilium Tridentinum sess.* 25. *cap.* 3. *de reform. & in cap.* 1. *de sent. excommun. lib.* 6. sic. Cum medicinalis sit excommunicatio non mortales disciplinans, non erradicans, dummodo is, in quem lata fuerit non conterat.

Vnde graue reputatur, si Iudices sine prędicta maturitate ad excommunicationem procedunt, & ideo puniuntur, vt *d. cap.* 1. *de sent. excommun. lib.* 6. ibi. vt pæna docente, discant iudices, quàm graue sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare.

Dicti excommunicatores per negligentiam perdunt etiam suam iurisdictionem, tam circa absolutionem, quam etiam super principali negotio, vt dicit *Glos. vlt. in cap. Prudentiam* 21. *§. Sexta de offic. deleg.*

In dubio præsumitur quis excommunicatus ait *Glos. vlt. in cap. vnico de Seruitin. inord. facien. & glos. vlt. in cap. Consulti* 20. *de regular.* ibi. Sicut cum dubitatur, an aliquis sit excommunicatus præsumitur eum excommunicatum, vt absoluatur saltem ad cautelam, & tunc postea debet abstinere ratione dubij. Vnde dixit *Glos. per tex.* ibi *in cap. Cum desideres* 15. *vers. Secundæ quæstioni de sent. excomm.* Quod si fama est aliquem esse excommunicatum vitandus est, & ibidem addit Apostil. licet forte non sit excommunicatus ad idem facit

tex.

tex. in cap. licet eod. tit. lib. 6.

Pro sententia excommunicationis præsumitur semper donec cõtrarium probetur, vt probatur *in cap. 3. de off. ordin.* ibi. Interdicti, vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit coniuncta *Glos. ibidem verbo, Rationabiliter*, sic dicente. Quod semper præsumitur, donec probetur contrarium. Et addit. Et seruanda est à subditis, siue iusta, siue non &c. *& glos. verbo, Redire in cap. Ex parte 5. eod. tit.* ibi. Non est contemnenda, ne ex ipso contemptu ligetur &c. & potius ei obstet, qui iniustè excommunicat, quam excommunicato.

Si probabit, quod iniustè fuit excommunicatus non iniungitur ei aliquid per iuramentum. Si iustè fuit excommunicatus satisfaciat &c. Itẽ si probaret, quod admonitione legitima non præmissa ipsum excommunicasset, excommunicator per mensem erit priuatus ingressu Ecclesiæ &c. Item si iniustè excommunicatus fuerit excommunicator tenetur illi adinteresse, vt &c. & in tantum tempus abstineat, quantum visum fuerit superiori &c. Et è conuerso, si sententia iusta probata fuerit &c. nisi vtrumque probabilis error excuset ità *glos. magistra verbo, Probationibus, in cap Cum contingat 36. de offic. deleg.*

Excommunicatus an prius debeat satisfacere, quàm absoluatur iam dictum est verbo *Absolutio*. Et an possit absolui à iudice delegato, quando coram eo fuit opposita exceptio excommunicationis dicitur verbo, *Iudex*. Regulariter autem remittitur ad excommunicatorem, licèt iniustè processatum fuerit, vt dicit *Glos. per tex. ibi. in cap. Ab excommunicato 41. verbo, Excommunicatorem, de rescript. & interrogat sic*. Sed quare remittitur ad ipsum; cũ iam inique processerit cõtra ipsum: Et ideo suspectus est ei? Ad hoc dicas, quod hæc est forma, & consuetudo Ecclesiæ, quod si aliquis conqueritur se excommunicatum iniuste &c. si periculum non est in mora remittitur absoluendus ad suum excommunicatorem &c. & in hoc defertur ipsi excommunicatori, vt factum suum ipse corrigat, qui veritatem in proprio facto ignorare non debet &c. & fortè ad verecundiam suam, vt factum suum corrigat, & emmendet, sed potius parcitur ei, ex eo, quod ipsemet absoluit, maius esset opprobrium, si alius factũ suum corrigeret, nec debet etiam expectare, vt ab alijs corrigatur &c. si enim appellasset non remitteretur ad excommunicatorem.

Quod si Papa mandat alicui, vt excommunicet aliquem, tunc potest absoluere illum, quia excommunicatio, & absolutio pari conditione censentur, vt cui committitur vnum, & reliquum, sed hoc non credo, si hoc sibi tantum, quasi executori committatur, cum ad certum articulum datus sit executor, vt dicit *Glos. verbo, ligare, in cap. Cum inferior de maiorit. & obedien.*

Excommunicationis sententia per appellationis non suspenditur obiectum dixit *Cap. ad reprimendam 8. de offic. ord. vbi glos. verbo, suspendatur*, reddit rationem sic. Quia sententia illa secum trahit executionem, idem dicit additio ad *Glos. verbo, Passus, in l. Si quis filio 6. §. Irritum ff. de iniusto rupt.* ibi. Nota hanc glos. quod sententia excommunicationis trahit secum suum effectum, & probat *cap Pastoralis 52. §. vlt. de appell.* ibi. Quod cum executionem excommunicatio secum trahat, & excommunicatus per denunciationem amplius non ligetur, ipsum excommunicatum denunciare potest, vt ab alijs euitetur, & illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cũ Ecclesiæ communio denegatur, vbi *glos. fin.* sic, Qui enim extra Ecclesiam est nihil nomine Ecclesiæ potest possidere &c. si tamen

non habet aliud, vnde viuet, dico ei interim prouidendum de bonis Ecclesiæ.

Si verò excommunicationis sententia sub conditione prolata fuerit, tunc nō trahit secum executionem paratam, & si ab ea appelletur ante existentem conditionem suspensa erit excommunicatio, vt dixit *Glos. verbo, Si eidem, in cap. 1. de appell.* ibi. Si appellant ante conditionem extantem suspensa erit excommunicatio. Si enim excommunicatus sit, non posset appellationem suam prosequi, & super eam litteras impetrare: nihil excommunicato appellare prodesset, vt dicit *cap. vlt. de except.*

Si excommunicatus impetrat litteras, vel rescriptum tacens de sua excommunicatione non valent litteræ: tum quia tacuit processum Iudicis, tum quia tacuit vitium suum, cum quia ingessit se communicationi hominum, propter quod puniendus est. Vnde inconueniens esset, quod ex eodem facto consequeretur pænam, & commodum, ità resoluit *Glos. verbo, Appellationis, in cap. Dilectus 26. per tex. ibi de rescript.* vbi arguit in contrarium, quod excommunicati non repelluntur à prosequutione appellationis tu eam vide.

Notabilis est *Glos. verbo, vinculo. in cap. Prudentiam 21. §. Sexta de offic. deleg.* sic dicens; Videtur, quod si excommunicatus impetret rescriptum tacito de sua excommunicatione, quod valeat, postquam fuerit absolutus &c. Item argumentum, quod per absolutionem, quis in pristinum statum reducatur &c. Sed contra &c. Verum est, quod litterę impetratę ab excommunicato hoc tacito, non valent ad agendum, vel ad Beneficium obtinendum, vt dicunt contraria. Sed ad sui defensionem obtentæ puta, quia appellauit, tunc bene valent litteræ, & *Glos. verbo, Aliam, iustam causam in d. §. Sexta in fin.* sic ait. Hodie verò litteræ impetratæ ab excommunicato valent, & eo absoluto proceditur per eas verè. *Cap. Pia de except. lib. 6.*

Nota, quod excommunicatio debet esse publica, vt quis repellatur à prosequutione sui iuris dixit *Glos. verbo, Publica, in cap. Venerabilem 34. de elect.* Et quemadmodum, nec agere, sic nec reconuenire potest, inquit *Glos. verbo, Agendo, in cap. Decernimus 8. de sent. excomm. lib. 6.*

Minor verò excommunicatio non repellit ab Agendo nec a consortio fidelium, vt inquit *glos. verbo, Excommunicationis, in d. cap. Prudentiam §. Sexta de offic. deleg.*

Excommunicatus an possit opponere compensationem, vide verbo *compensatio*.

Excommunicatio vnius ex tribus Iudicibus annullat sententiam, vt *ex tex. cum sua glos. verbo, Cassatam, in cap. Ad probandum 24. de re iudic.* Sed an excommunicatus posit esse arbiter? Responde, quòd non propter legem Dei, in qua dicitur, Habendus est tanquam Ethinicus, & publicanus. Item partes non possunt secum participare. Inter hæreticos potest &c. Item excommunicatus non potest esse Arbiter, vt extra *de re iudic. cap. Ad probandam*, & argumento huius litteræ, quia seruus non potest esse Arbiter, & excommunicatus est seruus Diaboli, vt *de senten. excomm. cap.* Nouerit, & seruus est peccati, ità dicit *Glof. in l. Padius ff. de recep. arbitr.*

Nota, quod licet aliqui sint excommunicati minori excommunicatione tamen eligere possunt, & talis electio dicitur Canonica, sed talis scienter eligi non potest pro eo, quod eligitur ad ea, à quibus est ipse remotus, vt dixit *Glos. verbo, Cannonicam per text. ibi in cap. Illam 39. de elect.*

Su-

Suspensi autem, & excommunicati maiori, nec eligere, nec minus eligi possunt, vt inquit *Glos.verbo, excommunicationis, in cap Constitutis 23.de appellat.*

Ea verò, quæ faciunt excommunicati in eorum præiudicium benè valent, vt inquit *Glos.penult. in cap.pro illorum 22. de preb.*

Excommunicatus potest plus excommunicari, vt inquit *Glos. verbo, Dubitatio est in l.Aut damnum 8.ff de pæn.*

Ligat etiam excommunicatio lata non præmissa monitione, vt notanter dixit *Glos.verbo, Iniustos, in cap.Romana de sent.excom.lib.6.* Quod mihi videtur intelligi in casu, quo necessitas vrgeat, & periculum sit in mora, dum si præcederet monitio, quid iniustum, vel violentum fieret, & non posset post monitionem ferri excommunicatio, vel esset frustratoria.

Glos. verbo, incurrit, in cap. Cum quis 23. de sent. excomm. lib. 6. Loquens de eo, qui ratum habuit factum ab altero gestum, ex quo insurgit excommunicatio dicit hæc. Dico eum excommunicatum ex nunc scilicet, ex quo ratum habuit, non ex tunc, quod fuit facta iniectio, licet infra dicatur retrò trahi, quia satis trahitur ad tempus anterius, cum ex facto anteriori ligat, licet ex nunc: Nec enim sententia excommunicationis trahitur retro, sicut aliæ sententiæ, quæ statim ligat, aut non ligat, nec suspendit effectum suum.

Nota timorem excommunicationis æquiparari metui, qui cadit inconstantem virum, vnde non præiudicat, vt dicit *Glos. verbo, Timore, in cap.olim de restit.spoliat.*

Transcursus anni priuat aliquem stipendio suo, si tanto tempore steterit excommunicatus: & transcursus anni constituit aliquem hæreticum, vt dixit *glos.vlt.in princ. in cap. cum contingit 9. de dol. & contum.* Limitabis tamen iuxta *cap litteras 13.de restit. spoliat.* vbi sic. Cum illa contra Deum non debeat in hoc iudicio obedire, sed potius excommunicationem sustinere, a quo deduxit *Glos.verbo, Consulas, in cap. veniens 9. de eo, qui cognouit consanguin.* ibi. Et si propterea excommunicetur sustineat potius excommunicationem, quam veniat contra conscientiam.

Quando non possunt absolui aliqui, nisi à Papa, habes verbo, *Absolutio.*

Intra octo dies exceptio excommunicationis probari debet, die, in quo proponitur non computato, vide *glos.verbo, Competentem, in cap. Prudentiam 25.§.Sexta de offic.deleg.*

Excusatio.

Est alicuius iustæ causæ, per quam quis arctari non debet ad subeunda munera, vt *Cod.de vacat mun.l 1.in 1.responso.* Est autem multiplex, quia alia temporalis, & personalis, vt *ff. eod. tit. de vacat.muner.l is. qui naues.* Alia perpetua, vt *ff.eod.tit.l.penult.in princ.* Item alia plena, cum à muneribus tantum personalibus excusatur, non autem ab oneribus. Alia plenior, cum etiam ab honoribus, non autem à patrimonialibus, vt *ff eod tit.l.2.§.Qui patrimoniorum, & l.penult.§.Duo.* Alia plenissima, quæ est, quando à quibusdam patrimonialibus excusatur, vt *ff. eod.tit. l.bis bonorib. §. Angariar.& de muner. & honor l.fin.§.penul.* Porrò ab omnibus aliquem non excusari, cum etiam Imperator, & Augusta quædam talia subeant, vt omnia prædicta ponit *Glos. in Rubric. C. de excusat. mun. lib.* 10. In omnibus, & singulis, vbi quis excusatur recuperat expensas factas vt iam dictum, & probatum est supra verbo, *Electio*:

Exclusio.

ALiud est aliquem simpliciter excludere, & aliud in perpetuum excludere, vt dicit *Glos. verbo, In perpetuum, in cap. Ex litteris de constit.* vbi & addit. Item inuenio, quod idem est perpetuo remouere, quod simpliciter remouere: sed circa talia consideranda est natura, siue causa cuiuscumque negotij.

Non erit decens, vt quæ benè exclusa sunt in rempublicam rursus introducantur *Auth. quib. mod. natur. effic. sui §. illud tamen in vers. Adoptionibus coll. 7.*

Executor.

PRopriè dicitur, qui rem iudicatam ducit ad effectum, & talis partes iudicis sibi vendicare non debet, quia non habet aliquam cognitionem, vt dicit *glos. verbo, Executorem, in cap. Super quæstionum 27. de offic. deleg.*

Cum executio sit mixti imperij non potest delegari, vt dicit *Glos. 1. in l. 2. ff. de re iudic.*

Is autem, cui iniungitur, vt personaliter negotium exequatur potest (dummodo partes consentiant) hoc alijs delegare, præterquam si Inquisitionem fieri iubetur, cum in his casibus industriã, & fidem personę, cui talia cõmisimus elligere videamur, dicit *Pontifex in cap. Quoniam 13. de offic. deleg.*

Cæterum nulli, cui cõmissum fuerit prædicare liceat hæc de cætero demandare, quia non sibi iurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte dicit prædictum *cap. Quoniam in §. vlt. de offic. deleg. & ibidem glos. verbo, Cõmissum*, sic. Isti enim, quibus hæc, quæ sequuntur expedienda committũtur meri executores sunt ad certos articulos expediẽdos, & nullam habent iurisdictionem &c. tamen videntur habere, vt saltem excommunicare possint impedientes exercere suum ministerium sibi iniunctum, alias dilusoria & sine exitu esset talis commissio.

Nota, quod executor tenetur exequi sententiam etiam contra conscientiam propriam nisi in causa criminali, & corporali, quia tunc non, vt latè habes in verbo, *Iudex, vers. Et nota pro opinione in fine.*

Necesse est, vt quod executoribus facilius videatur ad rem exequendam, hoc faciant, inquit *l. A Diuo Pio §. Sic quoq; in fine ff. de re iudic.* Et Temperate inferant executionẽ, vt dicitur in *Auth. de mandat. princip. §. Sed neque hac vbi glos. Verbo, temperate,* sic dicit faciendo missionem pro mensura debiti. Ne dum executoris pertinax, & auara proteruitas &c. multiplex innoxiæ paupertati infligatur incommodum, dicit *l. Omnes 31. §. Præterea cum C. de Episc. & Cler.*

Licebit prouinciali, si probetur obnoxius executor contra vetitum executionem sibi vindicans temeritatem legitimè pellere, dicit *l. Contra 5. C. de executor. lib. 12. vbi glos. verbo Prouinciali,* notat dari licentiam resistendi officiali excedenti modum.

Exequi non debent principum mandata in multis, nisi prius eidem principi nuncietur, & ipse secundo præcipiat, vt in *Auth. de mand. princ. §. Deinde coll. 3.* cuius verba ponuntur infrà Verbo, *Princeps, vers. Et domuum destructio.*

Iuris executio non habet iniuriam, dicit *Iure cons. in l. Iniuriarum 13. ff. de iniur.* Et tamen sunt aliqui, qui reputant iniuriam sibi fieri, dum de iure executio illis fit, Cum alias ipsi iniuriam iuri faciant, dum nolunt, quod iuris executio fiat.

Executio sententiæ, quando differatur, si tertius appellat? vide verbo, *Appellatio*.

Sententia, quæ nulla est, non est executioni demandanda immò exequenti impunè non paretur, immò & violẽter resisti potest ei, vt dicit *Glos. verbo, Denunciatio, per tex. ibi in cap. Ex litteris 29. de offic. deleg.*

Nota, quod Commissarij, seu executores testamentorum non habent actionem contra hæredes, cum sint vt ministri, nisi relictum sit ad pias causas, vt dicit *Glos. vlt. in l. Lucius Titius 7. 8. §. 1. per tex. ibi ff. ad Trebell.*

Religiosus executor ab aliquo in sua voluntate vltima deputatus, non potest (cum nec velle, nec nolle habeat) huiusmodi officium suscipere, vel exequi, nisi a superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta dixit *cap. 2. de testam. lib. 6. vbi glos. verbo, Officium*, sic dicit. Hodie rationem huius officij ordinarius loci exigit à Religiosis etiam exemptis, & si circa id deliquerint eos punit.

Exemplum.

Aut dicitur copia, seu transumptum ex originali; *vt in cap. 1. de fid. instr.* ibi. Si scripturam, authenticam non videmus ad exemplaria nihil facere possumus, & *Glos. verbo, Exemplum, in cap. 1. de sent. excomm. lib. 6.* Exemplum totale alias nõ esset exẽplum, sed pars. De eod. inquit *Glos. verbo, Tutores, in l. Chyrographis 58. ff. de admin. tutor.* sic. Quomodo probatur per exempla? [au]thoritate iudicis fuit publicatum.

Aut etiam dicitur de ijs, quæ facta fuerunt, vel fiunt à principe, primatibus, vel iudicibus, & etiam populo, quæ in exempla transeunt, & de his dicit *Glos. verbo, Lotharius, in cap. Venerabilem 34. de elect.* sic. Et ità ab exemplo principium est argumentandum, vnde dicitur illud vulgare Regis ad exemplum &c. & *Ioseph de antiq. lib. 1. cap. 8.* Exempla primatum in vtramuis partem plurimum valent.

Dici potest etiam in cæteris causis exemplum hoc sequendum, inquit *l. Apud Iulianum 11. §. vlt. ff. ad Trebell. & ibi glos. vlt.* Notat principis exemplum sequendum.

Nota mala exempla à iure etiam humano reprobari, vt dicit, & probat *Glos. verbo, Pessimo, in l. 1. ff. ad Macedonian. & facit l. Obseruandum 47. ff. de iudic.* ibi. Ne is Iudex detur, quem altera pars nominatim petit; id enim iniqui exempli esse, vbi *glos.* inquit. Nota, quod vitiatur malum exemplum.

Exempla præsentia nos cauere præmonent in futurum dicit *glos. in cap. 1. de seru. non ordinan. & in cap. 1. de procur. verbo, præmonuit, & in Extrauag. Vnica de maior. & obed. verbo in posterum, & verbo Obuiare, in extrauag. vnica ne sede vac.*

Omnia mala exempla sunt orta à bonis rebus, dixit *Glos. verbo, Calumniarum in Auth. de exhiben. re §. Illud quoque coll. 5.*

Cum non exemplis, sed legibus iudicandum sit, nec si cognitionales sint amplissimæ præfecturæ, vel alicuius maximi magistratus prolatæ sententiæ præcipit; *optima l. Nemo Iudex C. de sent. & interlocut. & glos. in rubric. Cod. quæ sit long. consuet.* Sic interrogat. Numquid iudicatur exemplis? Responde non, sed ex consuetudine, quæ probatur exemplis, & sic conceditur aliquid per obliquum, quod directò nõ conceditur.

Dicitur denique exemplum, quando aliquid ponitur exempli gratia, vt in *l. Damni 30. in fin. ff. de damn. infect.* ibi. Quod dictum est aquæ ducendæ causa, exempli gratia scriptum est, vnde vulgaris regula dicit exempla non ar-

arctant regulam, & ità deducitur *ex prædicta l. Damni* ibi. Cæterum ad omnia opera stipulatio accommodabitur.

Exhibere.

AVt agitur de exhibenda re, vel homine, aut aliquo instrumento, vel scriptura. De primo dicitur *in l. Sed etsi 11. §. quo autem ff. ad exhibend.* Sic labeo ait ibi exhibendum, vbi fuerit res cum lis contestatur; periculo autem, & impendijs actoris perferendam, perducendamue eo loci, vbi actũ sit, quem tex. sic summat Bald. ille tenetur ad impensas, cuius gratia actus sit.

De secundo agitur *in cap. Contingit 5. de fide instrum.* ibi. Quandocumque super exhibendo priuilegio indulgentia, seu instrumento fueritis requisiti, præsente Iudice, aut aliquibus prudentibus viris, deputatis ab ipso, audiente parte contraria tantummodo recitetur, ità quod si super vno capitulo quęstio fuerit, illud solummodo describatur, & aduersæ parti copia eius fiat.

Et *in glos. vlt. in cap. perpetuus 12. eod. tit. de fide instrumen.* Sic. Et integraliter sunt exhibenda, quia communia sunt &c. Sed si Instrumenta propria sunt, & actor petat à reo &c. non est audiendus &c. Et ità nec reus actori, nec actor reo tenetur exhibere instrumentum ad fundandam intentionem. Si verò A. vel R. vtitur aliquo instrumento proprio illud aduersario edi debet, sine die, nec consule, ne materia præstetur fabricandi falsum &c. nisi velit alterutra partium arguere instrumenta de falso, quia tunc integrum instrumentum edi debet. Et hoc in sensu intelligi debet *cap. Cum persona 7. de priuileg. lib. 6.* ibi ostendere, ac ad legendum integraliter exhibere.

Ad exhibendum cum de vsuris agitur suarum codices rationum censura ipsos decernimus Ecclesiastica compellendos, inquit *Clem. vnica §. Cæterum de vsur.* vbi *glos. verbo, Compellendos*, excitat quæstionem, an credatur eius iuramento, si dicat perdidisse codices? & negatiuè resoluit, nisi probetur amissio cum causa, hoc est incendio ruina &c. de quo infra verbo, *Perditum*.

Ad exhibendum agitur contra dominum, cuius seruus habet tabulas exhibendas, vt habes verbo, *Seruus*, Idem in Monacho, quia agetur contra Monasterium, vt in verbo, *Monachus dicis*.

Tempus dabit ad exhibitionem? & magis est, vt dari debeat secundum locorum angustias, vel prolixitates, inquit *l. 2. §. Vtrum autem ff. Quemadmodum testam. aperian.*

Experientia.

MAgistra rerum efficax dicitur *in cap. Quam sit 6. de elect. lib. 6.* vbi *glos.* Sic. Dicit Philosophus natura potentem, ars facilem, vsus reddit promptum artificem, & cuilibet artificio præbet experientia documentum, *& Glos. verbo, Experientia in cap. 2. de concess. prab. eod. lib.* ibi. Experientia, quæ est efficax magistra rerum, *& glos. verbo, etiam experientia, in extrauag. 3. de verbor. sig.* ibi. Experientia, quæ magistra rerum dicitur, vt hic cum per vsum scientiam tribuat in operatione &c. Et ne dum simpliciter rerum magistra dicitur, immò efficax appellatur &c. quia docet, & probat &c. & fidem adhiberi vult &c. & ex præteritis, vel præsentibus, quem instruit in futurum.

Non nunquam, quod coniectura profuturum credidit, subsequens experientia

tià nociuum ostendit: non debet reprehensibile iudicare Canonum conditor, Canones à se, vel suis prædecessoribus editos, vel aliqua in eis de canonibus contenta reuocare, modificare, vel suspendere studeat, si ea obesse potius viderit, quam prodesse inquit *extrauag. 2. de verbor. sig.*

Inter nos hoc actum est, vt experimentum gratuitum acciperes, non vt etiam certares, dicitur *in l. Apud 22. ff. de præscript. verb.* vbi Bart. sic summat. Qui rem experiendam recipit, quidquid in re interim lucratur domino reddere debet.

Graue est inexpertos hominum obsequijs sociari dicit *cap. Monasterijs 19. q. 3.* & addit. Quis possit dicere, quantò sit grauius ad Dei seruitium improbos applicare?

Expressum.

VVlgaris regula est, quod expressio eorum, quæ tacitè insunt nihil operatur, & deducitur *ex l. 3. C. de fideiussor.* ibi. Nam licet significes adiectum in obligatione, vt singuli in solidum tenerentur, tamen nihil hæc res mutat conditionem iuris, & constitutionem. Nam & cum hoc non adijciatur, singuli tamen in solidum tenentur, qui tex. loquitur in materia plurium fideiussorum, in qua hodie non procedit; nam si non declaratur quod in solidum quilibet teneatur, pro parte quilibet tãtũ tenetur iuxta beneficium diuisionis, de quo in *Auth. de duobus re. in princip. coll. 7.*

Notabis tamen, quod expressio eorum, quæ tacitè insunt per alium modum, quam insint aliquid operatur, vt ità summat *Bart. in l. Si ita 6. 8. §. Illi si volet ff. de legat. 1.*

In l. Si quis 69. ff. de hered. instit. ità dicit Consultus. Quædam enim si in testamentis exprimantur nullum effectum habent, quæ si verbis tegantur eandem significationem habent, quam haberent expressa, & momentum aliquod habebunt, vbi *Glos. verbo, quadam*, dicit. Nota quædam expressa nocent, quæ tacita non nocebunt, & *in l. Non nunquam 51. ff. de condit. & demonstr.* probatur sic. Nam in alienam voluntatem conferri legatum non potest, inde dictum est expressa nocent, non expressa non nocent, vbi *Glos. verbo Dictum*, addit ità. Item quandoque expressa prosunt &c. Item in casibus, quibus requiritur speciale mandatum &c. quandoque nec prosunt, nec nocent.

In contrahendo, quod agitur pro cauto habendum est, inquit *l. Cum quid ff. si cert. pet. vbi glos. verbo. cauto*, sic arguit; Contra deberet dicere, vt quidquid non est expressum pro omisso, debeat haberi, vt *de verbor. l. quidquid*. Item nota hic argumentum, quod quædam tacita pro expressis intelliguntur. Sed contra &c.

Vitiato expresso non vitiatur tacitum, si non est eadem ratio vitiandi vtrumq; dicit *Bart. per tex. ibi in l. 1 §. 1. ff. quibus mod. pign.* soluitur, verba autem tex. sunt. Cuius pignoris solutum esse pactum prima voluntate testatoris constabat: Quoniam inutilem pecuniæ donationem lex facit, cui non est locus in pignore liberando. Casus est in eo, qui pignus accepit, & donauit debitũ per donationem inutilem, quæ licet sit improbata a lege, non est tamen improbata pignoris remissio, quæ tacitè fuit facta per dictam donationem debiti inutilem.

Extentio.

QVod prouisum est ad leuamen extendi non debet ad grauamen dixit

xit *Glos.vlt.in cap. Cum Apostolus 6. §. vlt.de censibus*.

In pœnalibus non fit extentio de similibus ad similia; quando pœnæ imponuntur habito respectu ad priuilegium alicuius personæ, etiam si ipsi casus essent æquiparati, vt ita ponit, & probat additio ad *Glos. verbo*, *In iudicium*, *in §. Ex maleficijs de action. instit.* nota tamen, quod vbi est eadem ratio,& penitus omnimoda similitudo non proprie dicimus extendere. Tunc enim pœnæ dicuntur extendi, quando ad casum nõ omnino similem extenduntur vt ita dixit optimè *Glos.verbo Italia, in cap.1. de tempor.ordinand.lib.6.*

Extraneus.

IN *l.vnica, §. Accidit, in fin.C.de rei uxor.action.* sic inuenies. Extraneum intelligimus omnem citrà parentem per virilem sexum ascendentem, & in potestate dotandam personam habentem. *Glos verò verbo, Extraneis, in l.Hareditas.C.de pact.conuen.* sic dicit. Extraneum appellat, qui ab intestato non succedit, & *Glos.verbo, extraneos, in l.1.C.de impon.lucrat.descript.lib.10* Ità. Dicitur quandoque extraneus quilibet præter eum, qui habet in potestate, vt &c. quandoque omnes pręter superiorem, & inferiorem lineam.

Et *Apostill. ad glos. verbo, Exterius, in Auth. de hared,& falc. §. Si quis autem coll.1.* sic. Extranei dicuntur illi, quibus nihil in testamento relictum est, siue sint de venientibus ab intestato, siue non.

DE LITTERA F.

Facilè, & contrà.

FAcilitatis temeritas veniam continet, & inconsultus calor calumniæ vitio caret *ex l Accusatorum ff de abolit.refertur in cap. Si quem ante med.2.q.3.*

Quod non est facile, sed difficile pro impossibili reputatur, vide verbo *Impossibile*, & ad id non tenetur *quis*, *l. qui cum natu 14. ff. de bon.libert.* ibi. Nec imputare ei possumus &c. cum alterũ non facile imputetur.

Nec in filij potestate conditio fuerit, nec facile pater emancipare filium cogi potuerit, inquit *l. penult. ff. vnde lib.*

Ratione difficultatis, & in odium violenti, stamus iuramento, inquit *Glos. verbo, Manifestet in l.Si quando 9.C.vnde vi, vbi Apostil.ad glos. verbo, Comprobare*, sic inquit. Difficile est enim probare singula vtensilia. Et ità difficultas aliquid permittit, quod alias prohibetur, vt dixit *Glos. verbo, magna difficultate, in cap 3.de Ecclesi.aedific.*

Ad præparata nati sumus, nos omnia nobis difficilia facilium fastidio fecimus, dicit *Senec.epist.91.post princ.& epist. 105.* post medium sic. Terribiles visu formæ, lethumque, labosque. Minimè quidem si rectis oculis intueri illa possis, & tenebras prorumpere. Multa per noctem habita terrori dies vertit ad risum &c. Iure dixit, Terribiles esse, sed visu, idest videri, non esse,& addit; Non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus difficilia sunt, vbi vide alia.

Fa-

Factum.

TRia semper consideranda sunt in omni facto, scilicet quid liceat, quod deceat secundum honestatem, quid expediat secundum vtilitatem, vt alias dixit *Pontifex in cap. Magnæ 7. de vot.* qui licet loquatur de negotio. *Glos. 2. ibidem* dicit, hæc tria consideranda sunt.

Vnde dicit *l. Sed licet 12. ff. de offic. præsid.* Non tamen tam spectandum est, quid Romæ factum est, quam quid fieri debeat, & *Glos. verbo, Inhabilis, in l. 1. §. Quod si nemo ff. quod cuiusque vniuers.* sic. Nota, quod nihil refert, vtrum aliquid non fiat, quod non debuit.

Id facere laus est, quod decet, non quod licet, vt dixit *Senec. in octauian. act. 2. vers. 44. & Claudian.* sic.

Nec tibi, quid liceat, sed quod fecisse decebit.
Occurrat.

Et Pontifex in cap. Cum causam 27. de elect. non debemus attendere solummodo, quid factum sit, sed potius quid faciendum.

Nam, quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (vt ità dicam) quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, inquit *l. Filius 15. ff. de condit. Institution.* vbi addit *Glos.* licet de facili posit hoc fieri. *Et l. Creditores 7. ff. de vi priuat.* sic. Non puto autem, nec verecundiæ, nec dignitati, nec pietati conuenire quicquam non Iure facere & *Glos. verbo, Repetitionem, in l. 3. §. Si liber homo, ff. de condit. caus. dat.* ibi. Item nota hic, quod nihil refert, non fiat aliquid, vel non de iure fiat, vel sic non fieri, nisi quod de iure fit.

Est in Ciuile inuitum hominem iubere facere, quod facere non potest, inquit *l. Moris est 9. iuxta fin. ff. de pæn.* Vnde dixit *Senec. Epist. 62.* Non qui iussus aliquid facit miser est, sed qui inuitus facit.

Et quidem, quod contra leges actum est, ità est, ac si nec à principio gestum sit, inquit *Auth. de non alienan. in princ. coll. 2. & glos. in l. 2. ff. ne quis eum* ibi. Non videtur esse factum, quod non est legitimè factum, & *Apostil. ad l. Quamuis, §. Si conuenerit, ff. ad Vellean.* ibi. Dic rationem ad tex. quia, qui promittit aliquid facere, debet ità facere, quod de iure valeat. Concordat *l. Si nonum ff. de hæred. vel action. vend. & l. Qui satisdare ff. de fideiussor.* Vnde nunquam videtur quis permittere, quod contra ius est, vt dixit *Glos. verbo restitui, in l. Minor 39. ff. de euict.* ibi. Sed est euicta contra ius commune, & iure speciali, quod factum non videbatur venditor permisisse.

Non etiam videtur posse fieri, quod non commodè fieri potest, vt dixit *Glos. verbo, Seruum, in l. Si seruus 22. de noxal. act. & glos. in cap. Cum teneamur 6. de præb.* ibi. Id solum fieri posse, quòd commodè, vel iure fit, & sine scandalo, & *verbo, potuerit, in cap. vlt. de alienat. pat. feu.* ibi. Nec enim intelligitur fieri posse, quod si commodè fieri non potest, & *verbo, Non possit, in §. Eadem per tex.* ibi. Quod si commodè diuidi non posit *de offic. iudic. in Instit.* ibi. Nota non posse fieri, quod sine commoditate fit, & verbo Magis facti in *l. Et si 21. §. Infecti, ff. de aur. & arg. leg.* ibi. Quia id dicitur factum, quo commodè vti possumus.

Nota, quod fieri non debet, tamen fit, si timetur fieri non posse temporis cursu, vt inquit *Glos. per tex. ibi in l. Sed etiã 12. ff. de procur. & verbo, Esse potest, in cap. Aures 5. de tempor. ordin.* ibi. Nota aliquid esse faciendum, vel omittendum ad cautelam eorum, quæ fieri nõ pos-

possunt per tex. in illis verbis, quoniam esse potest, quòd Prælati eorum commissa secreta nouerint,

Multa impediunt facienda, quæ non impediunt iam facta, vt dixit *Glos. verbo Corrumpit, in l. pro parte 11. ff. de seruit.* de quo vide *l. Damni 43. §. vlt ff. de dam. infec.* Dixit etiam *Glos. verbo magis est, in l. Si Pupillorum 7. ff. de reb. eor.* ibi. Licet enim fieri non debuit, factum tenet, & *Glos. verbo statim in l. 1. §. Biduum, ff. Quando appell. sit.* ibi. Nota hic, quod fieri non debet, factum tamen tenet, vbi tex. dicit, quod sententia non debet fieri sub conditione, sed si feratur, quod tempus debet ad appellandum computari, *& glos. verbo Manu in l. Quamuis. 52. ff. de acquiren. rer. domin.* ibi. Item notant hic quidam, quod fieri non debet, factum tamen tenet, quod *ibidem Apostil.* intelligit sic. Tu dic hoc esse verum, si lex vltra confirmet *per l. Non dubium, C. de leg. & l. 2. §. Dubium, ff.* quando appellandum sit, & *in l. 2. §. Si quis nemine, ff. ne quid in loc. public.* ibi Non esse eum cogendum tollere, ne vrbs ruinis deformetur. In loco autem sacro non solum facere vetamur, sed & factum restituere iubemur, hoc propter religionem.

Pro facto habetur, quod non potest fieri, vt dixit *Glos. verbo, Videtur impleta, in l. Mutiana in fin. ff. de cond. & de mõstr. & probatur in l. Eadem 4. §. 1. ff. de verbor* ibi. Quia, quod in partes diuidi non potest ab omnibus quodammodo factum videatur.

Item nota haberi pro facto, quod casu impeditur, vt dixit *Glos. verbo Per te non stetit, in l. Turpia 57. §. Sed & si, ff. de legat. 1.*

Factum necessitate non videtur factum, vt h bes verbo, *Necessitas*. Et pro facto accipitur id, in quo quis alium perhorrescit, quominus fiat *l. In omnibus causis 40. ff. de regul. iur.* Taliter quod metus facit, vt non factum pro facto habeatur, & è conuerso, vt factum non teneat, & sit tanquam non factum.

Faciens illicitè nõ potest impedire idem facientem deducitur *ex l. 2. §. Idem ait ff. ne quid in loco publico*. Nam quod quis fecit semper idem expectet, vt *in l. 3. C. de Episcopal. aud.* & facit illud *Pauli ad Corinth. 3.* ibi. Qui iniuriam facit recipit illud, quod inique egit, & *ad Galat. 5.* ibi. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet, & est mirabile, quod tu vis, vt te habeam, vt principem, cum tu non me habeas, vt senatorem, vt dicit *cap esto 95. dist.*

Igitur non decet alij te fecisse, quod ab alio fieri tibi noles, dixit *cap. Dilecti 31. de maior. & obed. vbi glos.* istos ponit versus.

Quod tibi vis fieri mihi fac quod non mihi noli,
Sic potes in terris viuere iure poli.

Quod bona fide fit benè fieri censetur, dixit *Glos. verbo idonei in cap. Nos de pace constan.* probat etiam *Glos. verbo, fuerit in l. Eum qui, §. In popularibus, ff de iur. iur.* ibi. Id videtur fieri bene, quod bona fide fit *per tex.* ibi. Si bona fide exactum fuerit.

Quod legitimè factum est, pœnam non meretur, dicit *l. Gracchus C. ad l. Iul. de adult. glos. verbo Culpa, in cap. 2 de constit.* ibi. Quia quod legitimè factum est pœnam non meretur, idem per eadem verba *Glos. verbo, Ætatis in cap. Nihil 44. de elect.* & ampliat *Glos. verbo, Probatus, in fin. in l. 1. C. de iur. fisc. lib 10.* ibi. Item nota hic, quod legitimè factum est ex superuenienti causa non retractatur, vel vitiatur, vt &c.

Id, quod iure factum est reuocari non potest, inquit *l. 3. C. de confirm. tutor. & l. Sancimus 25. C. de administr. tutor.* ibi. Non enim debet, quod rite, & secundum leges ab initio actũ est ex alio

euen-

euentu resuscitari. Et licet deueniat ad eum casum, à quo non potuit habere principium, vt tenet *Glos. verbo, officere, in cap. Discretionem de eo, qui cognouit consang. vxor. suæ*. Idem in eo, quod salubriter deriuatum est; non enim reuocabitur vt dicit *l. vnica C. de expens. lud. lib. 11.*

Verum est nec pacta, nec stipulationes factum posse tollere, quod enim impossibile est, nec pacto, nec stipulatione potest comprehendi dicit *l. 32. ff. de reg. iur.* Et est ac si diceret factum non potest desinere esse factum, quod enim factum est, infectum manere impossibile est, vt dicitur *in Auth. de æqualit. dot. §. 1. in fin. coll 7 & dicit glos. vlt. in l. Denique ff. ex quibus caus. maior.* ibi. Cum id, quod factum est pro infecto haberi non possit, vt hic, & ibi notat *glos. ead.* quod circa facta non potest fingi, sicut circa ius, de quo infra dices verbo, *Fictio*.

Factum verò, quando tolli iubeatur, & in pristinum fieri restitutio vide verbo, *Restitutio*.

Ex quo scriptum est, præsumitur factum solemniter ex quo est factum præsumitur solemniter factum, ità dicit *Glos. verbo Stipulationis per tex ibi in l. Titia 134. §. vlt ff. de verbor. obligat.*

Præsumitur etiam bene fieri, si ab vno fiat, vt dicit *Glos. verbo, Honesta, in l. 3. ff. de test.* Quando verò aliquid à pluribus est faciendum, omnes facere debent, nec sufficit vnum alteri committere animi sui motum, vt dixit *glos. vlt. in l. Sicuti 21. ff. de recept. arbitr.* Si verò in his terminis, cum quis debet facere cum alijs, aliquid, facultas se obtulerit, ipse solus facere debet, sicut solus potest emendare, quod cum alijs malefecit, vt probat *Glos. verbo, Deberes, in cap. eam te 9 de rescript.*

Nota, quod illa simul fieri intelliguntur, quorum vnum fit post alterum, sine temporis interuallo, & nota etiam, quod id dicitur simul fieri, quod fit pluries sine temporis interuallo, vt dicit additio *ad glos. verbo, simul, in l. Quærebatur 20. ff. de milit. testam.*

Videtur quis facere, qui per alium facit, vt probat *Glos in l. 1. ff. Si mensor. falsum modum dixerit, & glos. penult. in cap. Si Archiepiscopus 6. de temp. ordin.* ibi. Et sic videtur, quod licet possit aliquid fieri per alium, & perinde habeatur, ac si per se, melius tamen res expeditur per se quam per alium, & bene comprobat prouerbium Italicũ dicens, *Chi vuol vada*.

Quod verò quis facere non potest, nec alijs cõcedere potest, vt faciant sic notat *Glos. vlt. in l. Filium 16. ff. ad Macedonianum*, vbi arguit in contrarium *l. Cum hæreditate 55. ff. de acquir. hæred.* ibi. Et ità se abstinere potest per alium, qui per suam personam non poterat.

Facta, quæ singulorum sunt veram personam exigunt, & requirunt; Ordo autem vera persona non est, sed repræsentata, & imaginaria potius est censenda: quare, quæ sunt facti sibi verè conuenire nequeunt, licet ei possint congruere, quæ sunt iuris, dicitur *in extrauag. vlt. ad med. de verbor sig.*

Nota fieri, quod alij prodest, & nemini nocet, vt dicit *Glos. verbo. efficiunt, per tex. ibi l. 2. C. quando & quib. quar. par. debea.* Et probat *l. In summa §. Item varus. ff. de aqua pluu. arc.* ibi. Quod factũ quidem mihi prodesse potest, ipsi autem nihil nociturum est, hoc æquitas suggerit, etiam si iure deficiamus, & *l. 1. §. ijdem aiunt eod. tit.* ibi. Prodesse enim sibi vnusquisque, dum alijs non nocet non prohibetur, & in *§. De eo.* ibi. Sic enim debere quem meliorem agrum suum facere, ne vicini deteriorem faciat. *Et glos. in l. Si serui 25. ff. de vsufruct.* Cum & sibi non noceat, & alteri prosit.

Si verò cui profuit aliquid, idem factum

obesse incipiat non debet nocumẽtum recusare, vt dicitur *in l. si non solum* 10 *ff. si quis omissa causa testamenti*, ibi. Nec enim aspernari debet obesse sibi factum hæredis scripti, cui etiam profuit.

Qui facit, quod ad ipsum non pertinet, etiam si bonum sit improbatur, vt dicit *Glos. verbo, Irritum, in cap. Dilectis* 55 *de appellat.*

Quod incautè factum est pro nõ facto est, si legi potuerit, inquit *l. 1. ff. de ÿs quæ intestam. delent*. Si verò properè fuerit factum magis est corrigenda temeritas, quam persoluenda promissio, inquit *cap. Vna sola 33. q. 5.*

Cum plus fit, quam fieri debet, videtur etiam id fieri, quod faciendum erat, vt dixit *Glos. Verbo, plusquam; per tex. ibi in l. Si is cui* 12. *ff. Quemadmod. seruit. amitt.*

Quod vix fit, fieri tamen dubium non existit, dicit *cap. 2. de cognat. spir. lib. 6.*

Nota non referre quid ex æquipolentibus fiat, vt probat *Glos. verbo, Trahendum, in l. Mulier 22 ff. ad Trebell.* Nec enim refert quid qualiter fiat dummodo fiat, vt probat etiam *glos. verbo Transferri, in l. Facta 63. §. Si quis, ff. eod. tit.*

Quod factum est cum in obscuro sit ex affectione cuiusque capit interpretationem dicit *l. Capienda 129. de regul. iur. & ibi glos.* ponit in legato rei alienæ, in quo dubitatur an testator scierit alienam, & præsumitur sic ex affectione.

Ius finitum esse potest, & debet, facti autem interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallit, dicit optima *l. 2. ff. de iur. & fact. ignor.*

Non factum quæritur, sed causa faciendi, dicitur in *l. Verum 40. ff. de furt.* causa autem faciendi libido fuit non furtum.

Nota, quod non sufficit narrare seriem facti in litteris Papæ, nisi causa facti adijciatur, & causa facti potius quærenda est, quam ipsum factum, & etiam modus facti, dicit *glos. verbo. Causa, in cap. Dilectus 26. de rescript.* vbi Apostill. sic. Hoc verum secundum Innocentium, quando modus causã dandi, vel denegandi præberet, & si esset actum in modum inquisitionis, aliter si alio modo.

Sæpe se habet aliter species facti, & facientis animus, vt dicit *August. lib. 3. confess. cap. 9.*

Quod aliquando fit benè, vel malè, & alia vice fieri præsumitur, vt dicit *Glos. verbo, vt apponat. in Auth. de restit. & ea quæ parit. §. Vnam siquidem coll 4.* Quod autem bis fit frequẽter fieri dicitur, vt per *Glos. vlt. in Auth. de defensor. ciuit. §. vlt. coll. 3.*

Item nota aliquid ex tempore factum, vel non factum præsumi, vt inquit *Glos. verbo, Constituerint, in l. 2. Cod. de incol. lib.* 10.

Per factum probatur voluntas, vt inquit *Glos verbo, quam animi in l. Pro hærede 20. ff. de acquir. hæred.* Si verò vult, quis facere, & in contrarium sit eius voluntas protestatio debet præcedere, vt verba prædicti tex. aperte dicunt ibi. Et ideo solent testari liberi &c. non animo hæredis se gerere, quæ gerunt &c. vbi notat *glos. verbo, Testari*, idest protestari coram pluribus.

Vbi est opus facto sola voluntas non sufficit, vt dicit *glos. verbo, Cum effectu, in extrauag. 2. de elect. idem glos. verbo, velint, & possint, in cap. Cum in cunctis 9. §. 2. eod. tit. de elect.* ibi. Alias sola voluntas nõ sufficit, vbi est opus facto dixit etiam *Glos. verbo, Non fecit, in cap. penult. de renuntiat.*

Simile est, vbi non sufficit factum, quia requiritur verbum, vt dixit *Glos. verbo, Vadat, per tex. ibi in cap. Ab eo 6. de appell. lib. 6.* per verba eiusdem tex. ibi. Petere prætermittat, etiam, si vadat, aut mittat &c.

Etiam

Etiam aliquando non sufficit facti prosecutio, vt inquit *Glos. verbo, Quin etiam, in Clem. vnica de concessi. preb.*

Non refert expressè quid dicatur, an rebus ipsis, & factis, vt inquit *Glos. verbo, Diremptum, in l. vlt. ff. de diuort. & est tex. in l. Paulus respondit ff. rem rat. hab.* ibi. Non tantum verbis ratum haberi posse, sed etiam actu.

Factum continetur appellatione rei, vt dicis in verbo, *Res*. Nam verbum rei etiam facta comprehendit, cum sit generale, vt supra, si certum petatur in *l. 1. in fin. ita inquit glos. verbo, Dati, in l. Naturalis 5. ff. de praescript. verb.*

Aliquando etiam plus facto, quam verbis fit, vt probat *cap. Dilecti 52. de appell.* ibi. Cum autem plus sit ad Sedem Apostolicam facto prouocare, quam verbo, vbi, *Glos in verbo, Facto*, sic. Quoniam plus est factis demonstrare, quam verbis dicere &c. & sic facto renunciat quis iuri suo &c. & etiam factis mentimur, & factis consentit quis &c. & ipso facto consentit quis malis &c. & factis quis probatur incontinens &c. factis etiam ratum habemus &c. & factis negamus Deum, *& Glos. in cap. 3. de ijs qua fi. a ma. par.* ibi. Licet verbis non renunciet, aut non consentiat ipso facto tamen consentit, & est optima *l. Si tamen 48. ff. de adili. edict.* ibi. Ei qui seruum vendidit vinctum, ædilitium edictum remitti æquum est. Multò enim amplius est id facere, quam pronunciare in vinculis fuisse idem dicit *glos. in cap. Cum super 23. de offic. deleg.* ibi. Ipso enim facto confessus est, sicut &c. & plus est facto delinquere, quàm verbo dicit *glos. verbo, Causit, in cap. Bona 23. de elect. & glos. 1. in cap. 1. de cler. coniug.* ibi. Contrario enim facto suo iuri renunciarunt &c. sicut quis ipso facto renunciat priuilegio clericali.

In casu etiam sufficit factum, & non est necessaria sententia, sed simplex monitio, vt ponit *glos. vlt. in clem. 3. de stat. monach.* ibi. ipso facto est ergo iste casus, quo sufficit monitio, nec est necessaria sententia, & facit *l. Si palam 43 §. vlt. ff. de ritu nupt.* ibi. Si deprehensa quidem sit, damnata autem non, vt notata erit. Ego puto, & si absoluta sit, post deprehensionem adhuc tamen notam illi obesse debere: quia verum est eam in adulterio deprehensam; quia factum lex non sententia notat.

Super factum non potest pronunciari, nisi si examinetur factum, dixit *glos. Verbo, Criminalibus, ad fin. in cap. Nos Romanorum de pace constan.*

Facta autem intelliguntur etiam cœpta, licet non perfecta: ratio est, quia quæ in opere sunt inesse videntur, vt dixit *glos. Verbo, Facta, in §. Cum ex aliena de rer. diuis. in Instit.* Quam tamen ibidem additio reprehendit, dum tex. dicit per Verbum, *Fecerit*, quod perfectionem significat. Nihil enim actum credimus, dum aliquid superest addendum, vt inquit *l penult. C. de ijs, quibus vt indig.* Nam aliquis actus antequam completus sit esse completus dici non potest, vt *per glos. Verbo, Potest dici in extrauag. 3. de verbor. significatione.*

Non videtur factum, nisi duret, vt dixit *glos. Verbo, Durant, in l. Nisi 6. §. Quod si actor ff. quod cuiusque Vniuers. per tex.* ibi. Et puto sic hoc accipiendum, vt ei permissa videantur, quæ & permissa durant, probat etiam *l. Si pro parte 10. ff. de in rem vers.* ibi. Versum autem sic accipimus, vt duret versum, vbi *glos.* sic. Nota, quod ita demum dicitur aliquid fieri, si duret factum. Vnde illud non qui incipit, sed qui perseuerauerit, vbi alia pro, & contr, & *glos. vlt in l. Plane 97. §. vlt. ff. de legat. 1.* ibi. Non enim perseuerauit commodum.

Sic etiam nota, quod non sufficit fieri, nisi iuris effectum sortiatur, vt dixit *glos. Verbo Coniunctiones, per tex. ibi. In l.*

Hac

Hac conditio 10.*ff.de condit.& demonst.*

Non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum, dixit *cap. Solemnitates il* 1.*de consecrat.dist.* 1.

Neminem ex alterius facto, nec hæreditati alligari, nec exhæredari posse, dicit *l.Pater familias* 44 *ff.de hared.instit.& glos. verbo, Auctorem, in l.Si per imprudentiam* 51.*ff. de euict* sic. Nec hæredis facta in petitione hæreditatis nocent legatarijs, vt &c. nec facta liberti nocent patrono, &c. nec fideiussoris facta nocent reo, vt &c. sed facta socij omnium bonorum nocent alijs. Sed hoc est ratione identitatis debiti, & crediti, quod ad omnes tangit, vt alias dixit *glos.penult. in l.vlt.per tex.ibi,C. de duob.re.* vbi notat factum vnius alij prodesse, & nocere. Alias autem contrarium est, vt supra extat probatum, nec etiam factum alterius alium releuat, nisi debuit obedire, quod euenit etiam quandoque in criminibus leuioribus, vt dixit *glos vlt in l.Non ideo C. de accusat.*

Factum possunt hæredes adimplere, vt dicitur verbo, *hæres*.

Nota, quod successor tenetur adimplere factum prædecessoris sui, sic & mandatum, seu præceptum prædecessoris sui successor tenetur adimplere, vt dicit *glos.2.in cap.literis* 39 *de rescript.*

Etiam si non interest hæredis id fieri negandam tibi actionem, si non caueas facturum, quod defunctus voluit, inquit *l.si tibi legatum est* 19.*ff.de legat* 3. *vbi glos.verbo Facias,* intelligit sic. Quod tamen ineptum non sit &c. Item, quod fieri non tui solius intersit.

Factum procuratoris generalis an præiudicet Domino, vide verbo, *Procurator*.

Non dicitur nouum, quod ab alio factum, dicit *glos. verbo, De nouo, in cap. Per tuas* 5.*de donat.* & videas *cap.* 2. *de feud.*

Factum serui non debet Domino obesse, nisi hactenus, vt ipso careat, quando ipse nihil deliquit, vt inquit *l.2. ff.de eo per quem fact.erit*. Quia facti, quæ sunt non transeunt ad dominum, vt in *l.Qui haredi.* 44.*ff.de condit & demonstr.*

Non debet de facto vnius sæpius quæri, vt dixit *glos. verbo, liceat, in cap. Cum secundum* 16.*de præb.& probat l.licet* 6.*§.in factum, vers.Sed si absolutus*, ibi, Ne sæpius de eiusdem hominis admisso quæratur *ff.naut.caup & stabul.*

Qui non facit, quod debet, videtur facere, quod non debet, vt probat *glos verbo, Solo obsequij, in l.Solo* 30.*C. de liberal.caus.* quia, & qui non facit facere videtur, inquit *glos.verbo, Contra fuerint, in cap.* 1. *de vsur. lib* 6. qui ergo non facit, facere videtur, vt etiam dicit *glos. verbo Faciat, in l Ait §.vlt.ff. ex quibus causis maior.* dum loquitur de operibus, quæ in non faciendo consistunt, & tu notas verbo, *Opera*, probat etiam *glos.in l.4.ff quæ in frau.cred.* ibi. Qui non facit, facit.

Et si tu non esses facturus, nisi ego mandassem, & si mea non interfuit, tamen erit mandati actio contra me, vt dicit *l.Si remunerandi 6.§.Si tibi mandauero ff.mand.*

Qui ex timore facit, iam non dicitur facere, vt dixit *glos.verbo, Timore, in cap. Olim* 17.*de rest.spol. & tu notas verbo, Timor.*

Si per eum non steterit, quominus intra annum, & possessionem receperit, & dederit cautionem, inquit *cap.2. in fin.de eo qui mitt.in poss.* ex quo deducit ibi *glos.verbo, Non steterit,* sic. Nota, quod si per me non stat, quominus faciam, quod debeo, non est mihi imputandum.

Quædam facit aliquis tanquam alius, vt dicit *glos.vlt.in cap.Sicut* 27.*de iur.iur.* vbi tex.dicit, quod si aliquis, quid faciat, vt Canonicus potest postea tanquam Episcopus reuocare, & *glos.vlt. in cap. Ad audientiam* 13. *de præscript.* sic.

sic Aliquis facit aliquid non tanquam ipse, sed tanquam alius &c. Sic aliquis facit aliquid in eo, quod homo, & aliud in eo, quod est Rex per tex. ibi. Vt ibi non tanquam tibi, sed tanquam Ecclesiæ Romanæ cuius authoritate debes percipere &c.

Nemo alienum factum promittendo obligatur dicit *l. Stipulatio ista* 38 *ff. de fideiuss. & glos. vlt. in cap. Ex rescripto* 9. *de iur. iur.* ibi. Quia simpliciter factum alterius iurare non poterat, nec promittere.

Regula autem est, quod quando quis promittit, & tenetur ad factum liberatur præstando interesse, & tamen Apostil. ad *glos. verbo, siue. in l. Stipulatio* 25. *ff. de nou. oper. nunciat.* dicit, quod limitatio ad dictam regulam est prout ponit *prædicta glos.* in hunc modum. Ex hac littera colligitur argumentum, quod scriptor potest precisè compelli ad scribendum, & poni in compedibus, vel ad interesse teneri, si hoc placeat scholari.

Nam in omni stipulatione facti, tacitè interesse stipulari videor, vt dixit *glos. Verbo Dari, in l. Stipulationes* 72. *ff. de verbor.* quam ibi notat singularem Apostil. & probat *glos. Verbo Item si in facto, in l.* 2. *§. Item si, ff. eod. tit.* ibi. Vel dic etiam, quod factum agendo potest actor interesse consequi, maximè si petijt fieri, & si non faceret, petijt interesse.

Qui patitur, quod prohibere potest, facere videtur, vt inquit *glos.* 1. *in l. Adigere* 6 *ff. de iur. patr.*

Sua natura omnia facta sunt indiuidua, vt dixit *glos. Verbo Diuisionem, in l. Eadem* 4. *§.* 1. *ff. de verbor.*

Non solum consilij, sed etiam facti fugere est, dixit *l. Bouem* 43. *ff. de ædilit. edict.* vbi *glos. verbo Fugere*, sic. Alias exigitur factum non cõsilium tantum, vel propositum, vt &c.

Quandoque magis consideratur factum, quam ius, vt dixit *Glos. Iuris effectus in cap. nuper* 4. *de bigam.*

Retro facta trahuntur ad præsens, vt dixit *Glos. verbo, non posse, in l. Per fundum* 11. *ff. de seruit. rust.*

Contra factum proprium quis non auditur, vt *in l. Si creditoribus C. de seru. pign. dat. manumiss.* ibi, nam ipse manumissor si fraudem se fecisse creditoribus, vt reuocet libertates, audeat dicere, audiri non debet, nec hæredes eius, probat etiam *Glos. verbo, Refrrat, in l.* 1. *C. Ne fiscus rem quam vend.* ibi argumentum, quod nemo veniat contra factum suum, idem probat *Glos. verbo, Non posse. in d. l. Per fundum ff. de seruit. rustic.* ibi. Quis contra suum factum venire non posit, licet de iure non teneat, & *Glos. verbo, Succedentium, in l. venditor ff. comm. prad.* ibi, Item nota hic, quod non debet quis contra factum suum venire etiam si de iure non teneat. Etiam si errasse videatur, tamen non reuocat factum suum; ampliauit *Glos. verbo, Ab eo, in l. Seruum* 49. *ff. mandat.*

In l. tamen 1. *C. de liberal. caus.* auditur pater, qui filium vendidit, vt eundem ad ingenuitatem reuocet; nota etiam eundem venire contra suum factum, vbi non tenet, quod fit, vt inquit *Glos. verbo, Repudiat, in l. Qui superstitis* 93. *ff. de acquir. hered. & Glos. verbo, longi, in l. Quemadmodum* 7. *C. de agric. & censit. lib* 11. ibi. Item nota, quem venire contra factum suum, & licet *Glos. vlt. in cap. Diuersis* 5. *per tex. ibi de cleric. coniug.* dicat, quod nemo potest venire contra factum proprium, ponit tamen alia argumenta in contrarium, & respondet sic. Ad hoc dicit Io. quod vbi agitur de reuocatione rei malæ alienatæ, idem, qui alienauit, potest repetere, quoniam quilibet in alienatione rei Ecclesiasticæ auditur volens contradicere &c. tum in fauorem Ecclesiæ, tum in odium illius, qui recipit rem

rem Ecclesiæ minus legitimè: vbi verò agitur de repetitione beneficij secus est, & hoc ideo ne detur via maleuolentibus reuocare liberalitates suas &c. dixit laud. Quod vbi factum reprobatur à Iure, ille idem, qui fecit, potest venire contra factum suum, nisi in pænam illi interdicatur &c. vbi autem factum non tenet alia causa, puta in re communi, ibi ille, qui concessit, non potest venire contra factum.

In causis etiam, in quibus vertitur periculum animæ, potest quis venire contra factum suum, vt reuocetur sententia, quam ferri procurauit, vt dicit *Glos. 1. in cap. lator 7. de sent. & re iudic.*

De facto suo quilibet certus esse debet, vt dicit *tex. in cap. Ab excommunicato 41. de rescript.* & probat *Glos. verbo, debet, in l. Qui fundum 7. §. Seruus meus ff. pro emptor.* ibi. Item non debere, quem factum suum, vel quasi ignorare. Quandoq; tamen, & suum factum dicitur quis ignorare iustè, vt supra *de condict. indebit. l. Sed etsi me per quam ità dicit Glos. verbo, Debet, in l. Cum falsum 46 ff. de acquir. hared.* Alieni verò facti ignorantia, & error tolerabilis est, vt dicit *l. 5. ff. pro suo*, quod ità tamen intelligendum est, vt probabilis error possidentis vsucapioni non obstet.

Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis, nec scrupulosa inquisitio exigenda, dicit *l. 6. ff. de iur. & fact. ignor.* & reliqua de hac materia videbis verbo, *Ignorantia*.

Nota, quod quando duo mandantur principaliter non sufficit alterum sine altero adimpleri, & ità patet, quod siquis peccat tàm in facto, quàm in modo, vel altero tantum, non valet, quod agitur, ità dixit *Glos. verbo, Admodum, in cap. vlt. de restit. spoliat.*

Factum ex certa scientia Papæ, licet de se alias nullum, efficitur aliquod dixit *Glos. verbo ex certa scientia, in extrauag. vnica de priuileg.*

Non est faciendum id, in quo plus expenditur quam de commodo percipitur dixit *Bart. in summ. l. Mediterranea C. de annon. & trib. lib. 10. per tex.* ibi. Vt plus habere dispendij translatio, quam deuotionis illatio.

Facultas.

Aliud est concedere facultatem, & aliud præcipere, notat *Glos. verbo, Concedimus, facultatem in cap. Cum aliquibus 4. de rescript. lib. 6.*

Quid est autem habere facultatem repetendi? Si habeat pecuniam, ex qua liberari possit. Nam non debet cogi vendere res suas, vt soluat pecuniam, & repetat seruum, ità inquit *l. Si seruus 22. ff. de noxal. act.*

Qui vtitur facultate sibi concessa non incidit in pænam, vt dicit *l Quia 6. ff. Si quis omiss. cau. testam.* ibi. Non incidere in edictum, quia vsus est facultate ea, quam ei testator concessit.

Qui facultatem concedit apud eum maior remanet, maximè, si est superior, vt probat *tex. in cap. Dudum 14. de preb. lib. 6.* ibi. Nos igitur attendentes, quod & si memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem penes nos tamen nihilominus remansit maior, licet eadem potestas etiam in prædictis propter quod nostra, qui eandem præoccupauimus potestatem potior debet esse conditio, &c. quia foret absurdum, si tam lata nostra impediretur potestas.

Facultas reluendi pignus non præscribitur, vt habes verbo, *Præscriptio*, prout de alijs facultatiuis.

Fal-

Falcidia.

HAeres implet detracta falcidia, si fecerit inuentarium, vt probat *glos. verbo Complere, in Auth. de hered. & falc. §. His igitur coll. 1. vbi Apostil.* addit. Etiam si non fecerit inuentarium hæres detrahit falcidiam de iure Canonico, secundum *Panormitan. & Barbat. cap. 1. de testam.*

Falcidiam legem locum non habere, quoniam alienationem eius testator prohibuit, dicitur in *Auth. vt sponsalitia largitas §. vlt. coll. 9.*

Item omni falcidia vacante, quidquid inuenitur in tali substantia proficere pro iussione Sanctissimi locorum Episcopi ad causas, quibus relictum est, dicit *Auth. de Eccles. titul. §. Si autem coll. 9.* Cessat namque falcidia in relictis ad pias causas.

Causas autem alias, in quibus cessat Falcidia ponit *glos. vlt. in additione l. In testamento C. ad l. Falc & glos. etiam vlt. in §. vlt. eod. tit. in Instit.* his versibus.

Falcidiam cessare facit pars debita natis
Dos, miles, vetitum, libertas sponte solutum,
Res vetita vendi, pietas & chartula crimen,
Ac heres, si non facit inuentarium subsit.

De illo dubitari potest, qui quod per Falcidiam retinere potest, voluntatem testatoris sequutus spoponderit se daturum. Sed magis est, vt non possit suæ confessioni obuiare,ità inquit *l. Si patronus 20. ff. de donat.*

Fallere.

CAlliditas est in tacendo, sed fallacia est in mentiendo, vt infra *de furt. l. Falsus §. Si quis.* ità ponit *glos. Verbo, Calliditate, in l. Iuris gentium §. Pactorum ff. de pact.*

Fallere semper est voluntatis; falli autem, vel infirmitatis, vel temeritatis: grauius autem fit, quod ex voluntate, quàm quod ex infirmitate, vel temeritate procedit. Aliquando contingit falli, vel minimum esse peccatum. Aliquando ex ipsa rerum varia consideratione minus esse fallere, quàm falli ità inquit *tex. in cap. Beatus Paulus ad fin. 22. q. 2.* Et vltimam conclusionem probat etiam *tex. in cap. In ipsarum eadem causa, & q.*

Nec decipi debent contrahentes, dicit *l. Sed & si §. penult. ff. de institor. act.* nec enim interest emptoris, cur fallatur ignorantia venditoris, an calliditate dicit *l. 1. ff. de adilit. edict.*

Nam per fallaciam non tàm paciscitur, quàm decipitur inquit *l. Quicumque §. Qui per ff. de transact.*

Errantibus non etiam fallentibus minoribus iura subueniunt, dicit *l. 2. C. Si minor se maior dixit.*

Falsum.

NIhil est aliud, nisi veritatis immutatio, inquit *Imper. in Auth. de instrum. caut. coll. 6. in princ. vbi glos. verbo, Imitatio,* exponit sic. Alias mutatio idem dicit *glos. penult. in §. vlt. de excusat. tutor. in Instit.* ibi. Nam falsum nihil aliud est, quàm immutatio veritatis, vt &c.

Illa tantummodo causa, vel pars retractetur, quæ ex falso instrumento composita conuicta fuerit alijs capitulis fir-

firmis manentibus, inquit *l.Si ex falsis 42.C.de transact.*

Qui falsitatem committit in causa, perdit eam sic deducit *glos.verbo, cadat, in l.In fraudem 45 §.Quoties ff.de iur.fisc. per tex.* ibi. Quod si ea aliter proferentur causa cadat.

Nota, quod si aduersarius retinet instrumentum, quod credo, & dico falsum, possum ipsum vi eripere, & delanicare, vel melius possum ipsum arripere, & ad Principem illud referre, sic dixit notanter *Glos.in l.3.C.de pagan.per tex,* ibi. Abreptæ huiusmodi chartæ ex eorum manibus ad nostram scientiam referantur.

Videtur id esse falsum si quis chirographum alienum immittatur, non qui alias in computatione, vel in ratione mentitur, dicit *l.Quid sit falsum 23. ff. ad l.Cornell.de fals.*

Nota, quod ex qualitate chartæ falsitas deprehenditur, & fit comparatio chartæ ad litteram, sicut alibi fit comparatio scripturæ ad scripturam, ita ponit *glos.Verbo Videretur,in cap.Inter dilectos 6.de fid.instrum per tex.* ibi. Quia cum cartha vetustissima videretur, recentior apparebat scriptura.

Sic & crimen falsi incurrit, qui sigillum subripuit furtiue nomine Capituli, & qui litteras Iudicum aperit *glos.vlt. in cap Quanto 5.de ijs quæ fiunt a prelat.*

Non in totum falsum videri, quod veritatis primordio adiuuatur, inquit *l.Cum filius 78.§.hares meus ff de legat.2.*

Falsorum instrumentorum sententia vsq; ad viginti annorum valet retractari veritate comperta, inquit *cap.Cum venerabili 6.de except.*

Ex quo quæstio falsi mouetur, & Iudex contrarium iudicat eam intelligitur reprobasse dixit *glos. verbo reprobasse, in cap.Suborta 21.de re iudic.*

Falsa causa sententiam reddit nullam, vt dixi verbo, *Causa*.

Quamuis falsa sit causa, per quam ad susceptionem veli mulier est inducta, cum sine qualibet tali causa idipsum potuisset, inquit *cap.Ex parte 14.de cõuers. coniugati*, vbi notat *glos. verbo Falsa causa*, & dicit; falsa enim demonstratio, vel causa legatum non perimit &c. nec vitiat dispensationem &c.

Falsum committit, qui fraudat fiscum, vt habes infra verbo, *Fiscus*.

Lege Cornelia de sicarijs tenetur, qui falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur, inquit *l.1. illo titulo, ff.de sicar.* vbi apostil.notat & notabilem dicit hunc textum in materia, qui quidem ad vnguem obseruari debebat, quia qui falso iurauit, vt eius proximus capitali pæna damnaretur ipse eandem soluere meretur. O si ita esset in vsu, quot falsis testimonijs esset obuiatum.

De viris autem religiosis bonis, & honestis non est presumendum, quod falsum tulerint testimonium vt dicitur *in cap. In nostra 4. de procurat.* ibi. Quia tamen Episcopus per viros religiosos prouidos, & honestos, de quibus non est verisimile, quod suæ salutis obliti, ac Iuramento, religione contempta falsum testimonium tulerint.

Notabis vltimo, quod in crimine falsi ab vtroq; exigitur probatio, vt dixit *glos. Verbo, hoc ipso in l.4. C. ad l. Cornel. de fals.*

Fama.

Est illæsæ dignitatis status moribus, & legibus comprobatus, vt sic dixit *Iureconsult. in l. penult. §. Existimatio ff de var.& extraord. cognit.* Probat etiam *glos verbo. Infamia. in cap. Infames 3.q 7.& glos verbo Vincula, in l.1. C.ex quib.caus.infam.irrog* Est etiam optima *glos. verbo, Notorium, in cap. Vestra 7.de cohabit.cleric.* vbi sic; Nota quod

quod aliud est fama, aliud manifestũ, & aliud notorium. Fama sic consueuit scribi. Est illæsæ dignitatis status vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus &c. & qui talem famam negligit crudelis est 12. q. 1. *cap. Nolo*. Fama verò quandoque ex scientia, quandoq; ex suspicione procedit, quandoque ex certo authore, quandoque ex incerto, *de consecrat. dist. 4. cap. Sanctum est*. &c.

Nota, quod fama, opinio, & existimatio idem significant, vt probat *glos. verbo, Vincula, in d. l. 1. C. ex quib. cau. infam. irrog.* vbi additio sic ait. Tu dic melius secundum Bald. hic, quod duplex est fama, scilicet hominis in se ipso, & de homine apud alios. Prima fama rectè definitur supra. Fama verò secundo modo accepta nõ definitur per *est*, sed per *dicetur*, est enim fama ista dictum, & opinio maioris partis gentium, vt &c.

Qui negligit famam primam crudelis est, vt supra dicitur, & comprobat *glos. 1. in cap. 2. de purgat. canon. & verbo, Infamiam, in cap. Cum persona 7. de priuileg. lib. 6.* Nam quasi vitæ fama comparatur *in l. Si adulterium 38. §. Imperatores ff. ad l. Iul. de adult.* ibi. Nam cuius fama multò magis vitæ parcendum est.

Vnde pro fama defuncti lacessata hæres agere potest, vt dices verbo, *Iniuria*.

Quandoq; consumitur fama, quandoque minuitur, vt inquit *glos. verbo, opinionis, in l. quisquis 6. C. de postul. glos.* autem *in l. 1. C. ex quibus caus. infam. irrogetur verbo, Vincula,* sic dicit. Nota, quod infamia dicitur famæ priuatio, seu diminutio: priuatur enim quis quãdoque in totum, vt per maximam, & mediam capitis diminutionem &c. & ad nullum ciuile, vel publicum officium admittatur, is cuius fama est in totum consumpta &c. fama autem minuitur, cum Ciuitas, & libertas retinetur, sed circa statum pœna plectimur.

Ea, quæ pater in testamento suo filios increpans scripsit infames quidem filios iure non faciunt, sed apud bonos, & graues, opinionem eius, qui patri displicuit onerant sic dicente *l. 14. C. Ex quibus caus. infam. irrog.* Et hæc dici potest fama diminuta.

Si in duabus actionibus alibi summa maior alibi infamia est, præponenda est causa existimationis dicit *l. 195. ff. de reg. iur.*

Fama inuiolata manet mulieri, quæ per vim compressa est, vt habes verbo, *Mulier*.

Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset refertur *in cap. Temerarium 11. q. 3.* vbi videas *glos.* quæ affert contraria, vbi afferitur requiri etiam bonam famam, & respondet obiectionibus.

Hoc inter eos obseruandum est, qui parati sunt suspicari, quod non vident parati semper reprehendere, nunquam imitari: apud alios autem conscientia est necessaria nobis, fama illis; dicitur *in cap.* Inter verba laudantium *in fin. d. 11. q. 3.*

Non valet extingui sordida fama bene.

Dixit *Iacobus Beneuet. versilog.* alia circa famam, quatenus dicitur opinio, seu existimatio, vide verbo, *Opinio*, & verbo, *Infamia*.

Fama confirmat rem, de qua agitur vt *in l. 3. §. 1. ff. de test.* ibi. Alias veluti consentiens fama confirmat, vbi glos. agit de probatione famæ, quam vide, vide etiam *glos. verbo, Fama loci, in cap. Illud 11. de præsumpt.* probat etiam *glos. verbo, causam in Auth. de testib. §. Et licet coll. 7.* ibi. Nam fama confirmat rem, de qua agitur. Coadiuuat enim ad fidem faciendam, dixit *glos. ult. in cap. Quia verisimile 10. de præsumpt.*

Fama quando probet, quem mortuum vide verbo, *Defunctus*.

Fama præcipue valet in his, quorum memoria non habetur, vt dixit *Gl. penul. in cap. Cum causam* 13. *de probat.*

Non verò sola fama sufficit ad condemnationem, vt ait *Glos. penul. in cap. Cum in Diocesi* 15. *de vsur.* & ità patet, quod qualitercumque sit aliquid diuulgatum per famam, seu quasi notorium non sufficit ad probationem, vt dixit *Glos. verbo, Ex fama in cap. Ex litteris* 32. *de iur. iur. per tex.* ibi. Cum ex fama quasi notorium habeatur.

Et ità videtur, quod consanguinitas vltra secundum gradum non posset esse notoria, sed fama esse publica potest.

Fama regulariter æquiparatur dicto vnius, in casu autem plus facit, vt notat *Glos. vlt. in cap. Super eo de consanguinitat. & affin.* ibi. Et plus facit fama hic, quam dictum vnius, vbi iuramentum interuenit &c. præterea, alias dictum vnius sicut & fama impedit matrimonium contrahendum.

Fames.

QVod fames facit hoc etiam plenitudo ciborum; magis autem, & multò peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat eũ de vita corporali, Excessus verò ciborum consumit, & computrescere facit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tunc eum morte crudeli consumit *ex Grisost. refertur in cap. Nihilominum de consecr. dist.* 5.

Ex inopia solent populi conturbari, fames totum solet contemnere, vt suam necessitatem possit expellere. Necessitas moderamen non diligit, nec ieiuni populi possunt leges obseruare, vt dicit *Cassiod. lib.* 4. *epist.* 5. & facit illud lucani. Nescit plebs ieiuna timere; nam quod reuerentia dignum est in fame negligitur. dixit *Ioseph. de bel. iud. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 10. Et tamen non est edendum, nisi quando fames imperet, vt dixit *Senec. epist.* 124.

Famis causa potest vendi res minoris, vt dixit *Glos. verbo, Alienum, in l. Ob as* 12. *C. de prad. & al. reb.* ibi. Item ob famem &c. Cum personæ sint rebus præferendæ &c. forte ob famem coniunctarum personarum. Et cura maior adhiberi debet, ne fame pereat filius, quam ne minor hæreditas ad petitorem perueniat, si apparuerit filium non esse dixit *Vlpian. in l. Sed & si* 5. *vers. Nec mirum ff. de Carbonian. edict.* Et *in l.* 1. *§. Sed & si in certu ff. de ventr. in possess. mitt.* idem *Vlpian.* ait. Satius est enim sub incerto eius, qui edetur ali etiam eum, qui exhæredatus sit, quam eum qui non sit exhæredatus fame necari.

Familia, & familiaris.

FAmiliæ appellatione omnes, qui in seruitio sunt, continentur: Accipe eos quoque, qui in potestàte eius sunt dixit *l. Aediles* 25. *ff. de adil. edict. vbi Apostil.* sic ait; habes hic textum de iure meliorem, & melius enumerantem, quam alibi, quid veniat appellatione familiæ probat etiam *Glos. cap.* 1. 3. *quæst.* 5.

Familiares pars corporis eius esse intelliguntur, de cuius familia sunt, vt dixit *Gl. verb. Familiares, in c. Cum dilectus* 14. *de cleric. non residen. per tex.* ibi. Cum familiares nostri, qui circa nos se obsequiales exhibent vniuersis minori non debeant prærogatiua gaudere, quam vestrum singuli, quorum negotia per ipsos sæpius promouentur.

Tuos volumus intelligi clericos, qui per te non quæsiti propterea vel recepti sine fraude, & fictione qualibet iure tui clerici familiares existunt, & in tuis

expensis continuè domestici comensales existunt, inquit *cap.vlt.de verb.sig. lib.6.*

Familias suas ad se venire meruerint, non amplius quam coniuges liberos seruos etiam de peculio emptos, inquit *l.Quicumque 10.C.de re milit. lib. 12.* & sic nota in hoc casu familiam limitatiuè sumi licet relinquatur vni tantum de familia, in familia reliquisse videbitur *l.Filiusfam. 117. §. Cum pater* ibi. Verum est enim in familia reliquisse, licet vni reliquisset *ff. delegat.1. & l. Vnum ex familia 69. §. 1. Ibi satis erit vni reliquisse de legat.2.*

Non est ferendum, quod illi, qui sunt de familia segregentur, vt dixit *l. Possessionum 11, C. comm. vtriusque iud.* ibi; quis enim ferat liberos à parentibus, à fratribus sorores, à viris coniuges segregari.

Non ità claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire nequeat, nec ità aperienda, vt omnibus pateat; & si habenda est ratio rei familiaris, quā quidem delabi sinere flagitiosum est: sed ità, vt illiberalitatis, auaritiæque absit suspicio, inquit *Cicer. lib. 2. de Offic.*

Familiaritas maior est in cibo sumendo, quàm in colloquio, & facilius quis decipitur inter epulas, vt dixit *glos. verbo, Iudaorum, in cap. Omnes deinceps 28.q.1.*

Familiaritas repellit Iudicem, sicut & testem: nam familiaritatis affectio veritatem impedire solet. Immò tota familia recusatur propter dominum, sed modica familiaritas non nocet, inquit *Glos.verbo Familiarem, in cap.Insinuante 25.de offic.deleg.*

Familiæ caput, & finis mulier *l. Pronunciatio §.vlt.ff.de verbor.sig.*

Famulus.

PRouerbium iactatur, totidem esse hostes, quot seruos. Non habemus illos hostes, sed facimus, dixit *Senec.epist. 47.* vbi etiam latè discurrit de his, quę à dominis fiunt in seruos.

Infideles seruientes, vel ministri, qui semper de eo, quod dominis datur decimam, vel aliam quotam subtrahunt; dixit *glos.verbo, Absque diminutione in Clem.1.§. Porro de haeretic.*

Idcircò tàm dura conditio eorum effecta est, quia debent bonos seruos ad hoc ministerium eligere, inquit *l.3.ff.de publican.& vect.* ex quo textu notabis quàm difficile sit inuenire bonos famulos cum dicatur dura conditio publicanorum in eligendo bonos seruos; rarò namque tales inueniuntur.

Nota optimum argumentum contra seruientes fugientes, vt eo ipso res amissas videantur subtraxisse dixit *glos.verbo, Factum, in Auth.de exhibend.re §. Si verò simul in princ. coll. 5. per tex.* ibi: Tamquam periurum, & penè sui accusatorem per fugam factum.

Si famulus tuus non vult operari, potes eum castigare moderatè, vt notat *Apostill.in l.Itemquæ 28.ff.de vsufruc.* & ibidem dicit *Bald.* quòd familiaris inimicus pessima pestis est.

Famulus infirmus habere debet salarium etiam in tempore infirmitatis, vt dixit *glos.verbo ægrotante, in l.Arboribus 15. §. de illo ff. de vsufruct* ibi. Quòd capifer debet habere salarium etiam ratione temporis quando fuit infirmus, cum seruire videatur, idem dicit *Apostill. in cap. Vnico de cleric. non residen. lib.6.per tex.* ibi. Exceptis illis, quos infirmitas &c. excusaret: probat etiam *l.4.§. Stichus si haredi meo ff. de statulib.* ibi. Seruire enim nobis intelliguntur etiam ij, quos curamus ægros; qui cupien-

pientes nobis seruire propter aduersam valetudinem impediuntur.

Cum famula caupone non committitur adulterium, quod sit punibile, vt *in l. Qua adulterium 29. C. ad l. Iuliam de adult.* ibi. Vtrum domina caupone, an ministra fuerit &c. vt si domina tabernę fuerit, non sit à vinculis iuris excepta; si verò potantibus ministerium præbuerit, pro vilitate eius, qui in reatum deducitur accusatione exclusa liberi, qui accusantur, abscedant.

Aliquatenus culpæ reus est, qui opere malorum hominum vtitur, ideo quasi ex maleficio teneri videtur, inquit *tex. in §. penult. de obligat.* quæ ex quasi delicto in Instit.

Fatum.

EA, quæ ex improuiso casu potius, quàm fraude accidunt, fato non noxa imputantur, dixit *glos. per iur. qua allegat verbo, Vitam in cap. 1. de pac. tenend.* Excusat enim eum fati infælicitas, ait *glos. vlt. in l vlt. ff. de administr. tutor.* & probat *l. Quaret aliquis 135. ff. de verbor signific.* ibi. Nec id, quod fataliter accessit, matri damnum iniungere debet.

Non videtur quis obtemperasse voluntati, si fato fecerit, dixit *l. 2. ff. de cond. & demos.* Alia circa hoc verbum vide verbo, *Euentus*, & infra verbo, *Fortuna*.

Fauor.

TVnc dicitur cum extra Ius commune, dixit *glos. in l. Quod fauore 6. in fin. C. de leg.*

Quod fauore indultum est, ad læsionem, non debet esse inuentum, vt dicitur *in l. Generaliter 5. §. In ijs C. de secund. nupt. Et in l. 3. prope fin. ff. de Carbon. edict.* Sic. Non debet aduersus pupillos obseruari, quod pro ipsis excogitatum est.

Cum alicuius fauore interposita est conuentio non eodem Iure vtetur aduersarius in casu conuerso, vt dixit *glos. verbo, Pro locatore in l. Ea lege 53 ff. locat. per tex.* ibi. Vt hæc conuentio pro locatore tantummodo interponeretur, vbi ponit argumentum in contrarium. Facit etiam *tex. in l. 6. ff. de pignorat. act.* ibi. Quamuis conuenerit, vt feudum pignoratum vendere tibi liceret. Nihilo magis tamen cogendus es vendere &c. Quia tua causa id cauetur &c. inuitum enim creditorem satis inhumanum est.

Quoad defensionis subsidium est inuentum ad depressionis dispendium, non debet retorqueri, inquit *cap. In quibusdam de pan.*

Quod bonum est eis fauere, vt partem faciant nihil habituri? inquit *l. Si post 10 §. Alias vel §. Liberi verf. quod ff. de bonor. possess. con. tabul.* Et ad interrogationem in dicto tex. positam responsio est, quod illi, in quorum fauorem fuit positum, vt partem facerent alijs, sibi etiam partes assignaturi; fauor enim sine effectu non conceditur, vt deducitur *ex l. Quod vulgò 19. eod. tit.* ibi. Peti contra tabulas bonorum possessionem inane est, quæ sine effectu foret.

Non causa, sed persona succurritur, qua meruit præcipuum fauorem, dicit *l. Ex pluribus 43. ff. de administr. tutor.*

Quod in fauorem alicuius conceditur, non debet alijs occasionem delicti præbere, vt dicitur *in l. 1. ff. Si mulier. ventr. nomin.* ibi. Nedum in fauorem partus possessionem pollicetur alijs prædæ occasionem præbeat.

Sicut odium facit non comprehendi omnes, sic & alias fauor facit comprehendi omnes, dixit *Glos. verbo, Plures, in l. 1. ff. de ventr. in poss. mitt.*

Quandoque tantum fauor vertitur in cau-

Digitized by Google

causa, vt in vsuscapione, & tunc sufficit incipere diem. Quandoque odium tantum, vt in præscriptione triginta annorum, & tunc oportet impleri. Quandoque vtrumque, & tunc tempus de momento ad momentum computatur; sic ponit *Glos. verbo, Exegerit, in cap. Cum in cunctis 7. de elect.*

Licet Ecclesia in causis viduarum se fauorabilem debeat exhibere, contra iustitiam tamen non est eis fauor Ecclesiasticus concedendus, præcipit *cap. Nuper 6. vers. Quod autem de donat. inter vir.*

Fauere delinquentibus, quando quis videatur, habes verbo, *Delictum.*

Est consilium, & fauor qui adijcit ad delictum, & qui non adijcit, & vterque tenetur, sed primus plus, vt dixit *Glos. verbo, Consiliarios, in Clem. vnica de for. compet.*

Fauor aliquando restringitur, & odium ampliatur, vt infra dicis verbo, *Odium.*

Felix, & contra.

Felicitas est operatio secundum virtutem, dixit *Arist. 4. Ethic. cap. 7.* Felicem vero vocauit Milesius ille sapiens, qui esset corpore sanus, fortuna diues, optima patria, animo non ignauus, ac imperitus. *Senec. verò Epist. 75.* dixit. Qui omne bonum honesto circumscripsit intra se felix est, & *Epist. 91. post princ.* sic. Ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior, & *lib. 3. Epist. 25.* sic. Intra quæ quisquis desiderium suum clausit cum ipso Ione de felicitate contendat.

Idem *Senec. de benef. lib. 6. cap. 30.* dicit ità. Omnia sanè excluserit opulenta felicitas. Monstrabo tibi, cuius rei inopia laborant magna fastigia, quid omnia posidentibus desit, scilicet illе, qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum.

Res est inquieta felicitas, ipsa se exagitat, mouet cerebrum, non vno genere alios in aliud irritat, hos in potentiam illos in luxuriam, hos inflat, illos mollit, & totos resoluit, dixit idem *Senec. epist. 36.*

Nemo est, cui felicitas sua, etiam si cursu venit, satisfaciat. *Idem Senec epist. 116. propè fin.*

Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt. Idem *Senec. de prosper.*

Multa solet multitudo iactare, quoties in aliqua felicitate constituta contra auctorum aduersarios irritatur, dixit *Ioseph. lib. 6. de antiquit. cap. 6. ante num. 10. & cap. 5. num. 10.* sic. Vt cum plerique, vel modica felicitate positi vix sui præ lætitia sint compotes, & omnibus se ob oculos ingerant &c. *& d. cap. 6. num. 3.* ibi. Siue nimio gaudio parum sui compos, quod difficile sit eximiam felicitatem moderato animo ferre.

Neminem dicas felicem quandiu viuat, eo quòd vsque ad vltimum vitæ diem possit fortuna mutari, felicitatis enim iudex dies vltimus est, dixit *Solon Philosoph.*

Infelicissimum genus infortunij est fuisse felicem, vt refert *ex Boeth. Glos. penult. in cap. Sunt qui de pœnit. dist. 1. vbi diu. Ambros.* Suadens peccatori, vt defleat peccatum suum, & statum miserum, in quo est, dicit, quod recordetur, vnde lapsus sit, & vnde ceciderit, quod deduxit *ex Ioann. Apocal. 12.* ibi. Memento, vnde excideris, & age pœnitentiam.

Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut interior hostis roboratur; dixit *Augustin. relatus in cap.* Pa-

Paratus prope fin. 20. quaest. 1.

Ex amico inimicus, hostis ex socio in subitas tempestates, hibernisque maiores agitur aestiua tranquillitas fine hoste patimur hostilia, & cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas inuenit, dixit *Senec. epist. 92.*

Non est, quod credas quemquam fieri aliena infelicitate felicem, dixit *idem Senec. epist. 95.*

Quoties enim calamitas felicitatis est causa, & vitium fuit, quod calamitas vocabatur, *idem Senec. epist. 111.*

Interdum non licet palam esse miseros, sed inter aerumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem, dixit *idem Senec. epist. 81.*

Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam aliquid euenit aduersi; *idem Senec. de diuin. prouiden. cap. de sustinen. impet. aduers.*

Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solum delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, vbi quae fuerunt vitia, mores fiunt, dixit *idem Senec. epist. 39.*

Feudum.

NON sub praetextu pecuniae, sed amore, & honore Domino quaerendum est, dixit *cap. 1. in fin. de feud. dat. in vic. l. Commiss.*

Pertinet autem ad eos solos, & ad omnes, qui ex linea sunt, ex qua fuit praedecessor. Et hoc est, quod dicitur ad proximiores pertinere. Isti verò proximiores esse dicuntur respectu aliarum linearum, sed omnibus ex hac linea deficientibus omnes aliae vocantur, dicit optimè *cap. Vnicum de natur. succ. feud. ad fin.* Ex quo textu deducta fuit illa celebris conclusio in maioratibus, & alijs, quae ad vnum pertinent, scilicet quod extante aliquo de prima linea, non potest succesio ad aliam pertransire, nisi post extinctam omnino dictam lineam, & sic de caeteris lineis per ordinem subsequentibus Vnde notandum est, quod dum extat aliquis de vna linea, quae prior est, licet remotior, ille sit in gradu, non potest pertinere succesio praedicta ad alium (licet in proximiori gradu sit) & tunc iste talis, qui succedit, mihi videtur) ni fallor quod non indiget auxilio repraesentationis, & quod inanis est quaestio repraesentationis ventilari, nam cum de Iure praedictus talis ex anteriori linea, succedat verè, ad quid est opus fictione, hoc est representatione? Sileat ergo representatio, vbi Ius expresè, & verè admittit. Nam in praedictis successionibus primum locũ obtinet linea, & qui in meliori linea extat meliorem suam conditionem habet, & proximior esse dicitur; vt ex *d. tex. & multis doctoribus*, de quibus non me curo, & ideo non allego, quia meae inspectionis solùm est de textibus, & glosis.

Notabile est, quod dicitur *in cap. Vnico de feudi cognitione*, ibi. In iudicio autem, quod de feudis agitur, illud legibus nostris contrarium dici solet; legum autem Romanarum non est vilis auctoritas, sed non adeo vim suam extendunt, vt vsum vincant, aut mores, vbi *glos. 1.* sic intelligit, ac si aperte dicat, consuetudo in feudis vincit leges, & sic nota, quòd in feudis attenditur consuetudo loci, vbi res est, vt dicit *glos. per tex. ibi in cap sententia, verbo, Si qua controuersia de pac. constan.*

In feudo ratione rei indiuisibilis licitum deprehenditur, quòd alias non liceret vt dicis verbo *Indiuiduum*.

Si vassallus legitimè probauerit, se fouere Ius in parte feudi paterni, per ipsum possessi retinere debet, etiam in alia parte, sic summatur *cap Cum quis si de inuest. feud. fuer. controu.*

Si vassallo, qui fecit felloniam à domino su-

fuerit remissa, videtur habere feudum ex veteri concessione; vnde transmitteret ad agnatos, si sine liberis decederet, dixit *glos.verbo, Manet, in l. 4. §. penult.ff.de pecul.*

Hæredes domini non possunt auferre feudum propter felloniam domino commissam, si dominus nihil dixit, dum vixit, vt ità inquit *glos. verbo, Manet, in l.4.§.penult.ff.de pecul.*

Feudum non potest retinere filius hæreditate paterna repudiata, quando? Vide verbo, *Filius*.

Fictio.

EST contra veritatem pro veritate assumptio, vt dixit *Bart.in l.Si is, qui num.* 21. *ff. de vsucap.* quam definitionem sequuntur doctores, & communiter receptam esse asserit *Farinac.q.*136 *& seq.* Vnde tantùm valet fictio, quantum veritas, vt dixit *glos.verbo, Mulieris placitum, in Auth.de Sanctiss.Episc. §.Sponsalibus coll.9.*

Non tamen figmento veritatis potest extingui obligatio, vt dixit *l.Si obligatum* 13.*C.de solut.* Vnde dicit *l.Si forte* 8. *ff. de castrens. pecul.* Veritatem expectamus an verè castrẽsis notitia, vel affectio fuit, non quod quis finxit; licet per fictionem Iuris veritas non confundatur, nec deleatur, dixit *glos.verbo, Non morte, in cap.Susceptũ 6.de rescrip.lib 6.*

Nota, quod sicut fingit *l. Aliquid* quod est impossibile, sic etiam potest fingere, quod nullum est, vt ait *glos.olim per tex. ibi in l. Sub conditione* 16. *ff. de solut.* Ad id verò, quod natura impossibile est, fictio non extenditur, vt *per glos.in l.*3.*ff.pro soc.*ibi. Quia ad id debet demum porrigi fictio, quod per rerum naturam non est impossibile, & *glos.vlt.in l.Talis Scriptura* 30.*§.vlt.ff. de leg.* 1. ibi. Contra Ius naturæ, ad quod lex suam fictionem non extendit.

Nota itẽ ex potestate Principis Ecclesiæ induci fictionẽ vacationis beneficij, vbi aliàs non est: naturam enim rei immutare potest in aliam, & fingere esse, quod aliàs non est verè, vt dicit *glos. verbo, Vacare, in Extrauag. Vnica de prab.*

Non est præsumptio Iuris, nec de Iure, quę dicitur fictio reciperet enim probationem contrariam dixit *glos.verbo Præsumatur, in Clem.Vnica de for. competenti, vbi apostil.*sic. Quia fictio de certo, præsumptio super incerto, & *glos.vlt.in l.Si duo* 38 *ff.de acquir.hared.* ibi. Nec admittitur probatio in contrarium, quia est fictio, nõ præsumptio, *& glos.verbo, Creditur, in l.Conficiuntur* 8 *ff.de Iure codicill.* ibi. Ità, quod non potest probari contrarium, quia magis est fictio, vt hìc super id enim, quod certum est, fingitur, super incerto præsumitur; vt supra, & dixit etiam *glos.verbo, Præsumatur, in l.vnica §.Accedit C.de rei vxor.act.*

Item nota, quod circa facta non potest fingi, sicut circa Iura, vt dicit *glos vlt. in l.Denique, ff. ex quibus causis maior.*

Nota denique, quod fictio, siue simulatio quandoq; fit ex honesta causa, quandoq; ex inhonesta, vt dixit *glos.*1.*in cap.*3.*de regular.*

Fideicommissum.

IN fideicommissis voluntas magis, quàm verba plerumq; intuenda sunt, inquit *l.Cum virum C de fideicommiss. vbi Apostill.* sic. Plerumq; dicit, quia quandoque sola verba expectantur &c. quandoque vtrumque, si scriptum voluntati adaptatur &c. alias si prorsus verba discrepant à voluntate non valent.

Etenim in causa fideicommissi (vtcumq; precaria voluntas quæreretur) coniectura potuit admitti, vt ait *l.Cum pro-*

ponebatur 66. ff. de leg. 2. vbi notat glos. vlt. quod hic coniectura sumitur pro probatione.

Cum imperfecta scriptura inuenitur, ità demum Verbum fideicommissi, vel legati, quod præcedit, vel sequitur ad communionem assumitur, si dicto scriptum congruat, dixit *l. Cum pater 79. §. Cum imperfecta, ff de leg. 2.*

Sed cum in fideicommissis voluntatem spectari conueniat, absurdum esse respondi, cessante prima substitutione patris, nepti petitionem denegari, qua totũ habere voluit auus, si nouissimus fratris quoq; portionẽ suscepisset, ait *l. Heredes mei 57. §. 1. ff. ad Trebell.*

Fideicommitti eius nõ poterit, nisi commodum aliquod ex legato consequatur, dicit *l. Si deportati 7. ff. de leg. 3.*

Non oportet admitti fideicommissum, quia hoc non iudicio eius ad eum peruenit, sed principali prouidentia, dicit *Vlpian. lib. 6. ad Sabinum in l. si arrogator 22. ff de adopt.*

Ideo fideicommissa dari possunt ab intestato succedentibus: quoniam creditur Paterfamilias sponte sua his relinquere legitimam hæreditatem, ità inquit *l. conficiuntur 8. ff de iur. codic. vbi glos. verbo, Creditur,* Sic ait. Ità, quod non potest probari contrarium, quia magis est fictio.

Et ignorantes fideicommisso adstringuntur, quibus ignorantibus emolumentum ex testamento quæritur, inquit *l. Cum pater 79. §. Surdo. ff. de legat. 2.*

Cum valet alij restituere hæreditatem interim non esse compellendum, ad fideicommissum. Post mortem enim vtrique videtur datum, dixit *l. vxorem 39. §. Scæuola ff de legat. 3.*

Sed enim, & si quis rogetur restituere hæreditatem, & vel serui decesserint, vel aliæ res perierint, placet non cogi eum reddere, quod non habet culpæ planè rationem reddere; sed eius, quæ dolo proxima est, inquit *l. Mulier. 22. §. Sed enim ff. ad Trebell.*

His verbis quicquid ex hæreditate mea superfuerit rogo, Titio restituas; Boni viri arbitrium inesse credidit (scilicet Diuus Marcus) iudicauit enim erogationes, quæ ex hæreditate factæ dicebantur non ad solam fideicommissi diminutionem pertinere, sed pro rata patrimonij, quod proprium habuit hæres destribui oportere, inquit *l. Titius 54. ff. ad Trebell.*

Quod ex hæreditate superfuisset, cùm moreretur restituere rogatus, fructus superfluos restituere videtur minimè rogatus, cum ea verba diminutionem quidem hæreditatis admittant; fructuum autem additamentum non percipiant; ait *l. Deducta 58. §. vlt. ff. eod. tit. ad Trebell.*

Si quis Titio decem legauerit, & rogauerit eum, vt ea restituat Mæuio, Mæuiusque mortuus fuerit, Titij commodo cedit, non hæredis, nisi dumtaxat, vt ministrum Titium elegerit, inquit *Marcel. in l. 17. ff. de leg. 2.* Et probat *l. Iulianus 52. eod. tit.* ibi. Fideicommissum deficiens apud Seium remanet, non ad filium hæredem pertinet, quia in fideicommisso potiorem causam habere eum, cuius fides electa sit, Senatus voluit, & nota, quòd illi Seio fuit legatum, & eius fideicommissum restituere sub conditione, quæ defecit, & ideo apud eũ remanet, nec trãsit ad hæredẽ, iuxta terminos suprad. *l. 17.*

Sed & si legatum percepit, non amplius ex causa fideicommissi cogendus erit soluere, quàm perceperit. Enim verò si pecunia accepta rogatus sit, rem propriam (quamquam maioris æstimaretur) restituere, nõ est audiendus legatarius legato percepto si velit cõputare nõ enim æquitas hoc patitur, vt quod legatorum nomine perceperit legatarius offerat, dixit *l. Imperator 72. ff. de leg. 2.*

Talem in fideicommissi causam deductum videri placuit, qualis fuerat legatus,

tus; inquit *l. Fundum instructum* 3. *ff. de fund. instruct.*

Omnimodo exactioni fideicommissi subiacere, & eum ad satisfactionem compelli, cùm ipse sibi iudex, & testis inueniatur, cuius religio, & fides à fideicommissario electa est nullis testibus, nullisque alijs aduentitijs probationibus requisitis; inquit *l. vlt. C. de fideicom.* vbi hæres tenetur iurare ad petitionem fideicommissarij, an adsit fideicommissum, de quo non constat, & *in §. vlt. de fideicom. hæredit. in Instit.* cuius verba habes in verbo, *Hæres*, & verbo, *Iuramentum*.

Si negligentia mulier emolumentum bonorum amiserit, fideicommissum esse retinendum reintegrato Iure debiti rationis est; dixit *l. Propter* 21. *ff. ad Syllanian. §* 1.

Si in fraudem legum tacitam fidem Seius accommodasset, nihil ei prodesse, si ijs verbis pater familias, cum eo loquutus esset; non enim ideo circumuenisse leges existimandum esse, cum perinde incertum sit, cui prospectum voluerit, ait *l. Lucius* 26. *§. Vlt. ff. de leg.* 1.

Cui fideicommissum debetur, etiam creditor dicitur, vt habes verbo, *Creditor*.

Fideicommissum alienari potest in redemptionem captiuorum, vt *in Auth. de restitut. post medium coll.* 8. ibi. Si verò, & in captiuorum redemptionem (hanc enim excipimus, & dicamus Deo causam) & hoc licentiam eum habere facere, & minuere etiam quartam pietatis ratione, quod omnium pretiosius nobis videtur.

De fideicommisso an dos deduci debeat; habes verbo, *Dos*.

Oportet ibi fideicommissarium conueniri, vbi vel domicilium habet, vel maior pars restitutæ hæreditatis habetur, dixit *l. Qui ita* 66. *§. vlt. ff. ad Trebell.* vbi *glos. vlt.* ampliat etiam in alijs.

Notabis textum *in l. si fundum* 94. *ff. de leg.* 1. vbi fideicommissum restituitur non in re fideicommisso relicta, sed in pretio potest restitui, vt ibi præsente, & assignatè eo, cui fideicommissum debebatur, placet non fundum, sed precium eius restitui debere.

Fideiussor.

Omni obligationi accedere potest, inquit *l.* 1 *ff. hoc tit. de fideiuss.* Et ab ea deduxit Imperator *§.* 2. *eod. tit. in Instit.*

Neminem puto dubitaturum, quin fideiussor ante obligationem rei accipi possit: iudicium verò antequam debeatur, nō posse; ità inquit *l. Non quemadmodum ff. de iudic.*

Fideiussor & ipse obligatur; & suum hæredem obligatum relinquit, cum rei locum obtineat; inquit *l. Potest* 4 *ff. de fideiuss.* & dicit *glos. Verbo, Dumtaxat, in l. Stichum* 96. *§ quod vulgò ff. de solut.* Nam fideiussor quoque reus est.

Bellissimè intelligitur hoc ipso, quod fideiubet quodammodo mandare res suas obligatas esse, dicit *l. Pomponius* 5 *ff. in quibus cau. pign.*

Nota, quòd quis fideiubendo consentit, vt ex iuribus, quæ refert dicit *glos. verbo, Consensum, in l. Exceptione* 11. *C. de euict. per tex.* ibi: Qui venditioni adeo consensum dedit, vt se etiam pro euictione obligauerit.

Sciendum est generaliter, quòd si quis scripserit se fideiussisse videri omnia solemniter acta. sic dixit *l.* 30. *ff. de verborum*.

Cum fideiussor in omnem causam se applicauerit, æquum videtur ipsum quoque agnoscere onus vsurarum, inquit *l. Quæro* 56. *ff. locat.* licet ibidem *glos. verbo, Applicentur*, dicat sic. Quod in obligatione fideiussoris non habet locum, cùm sit stricti Iuris; sed ego dubito de hac glos. limitatione; nam tex-

tus loquitur expresse in fideiussore ibi cum fideiussor &c. Verum est, quod addit (in omnem causam) & sic obligatio fideiussoria in hoc casu fuit amplissima, in alijs verò, vbi fuerit limitata; verum est, quod producet effectum limitatum, iuxtà vulgares regulas, & etiam ex dicta ratione cum fideijussio sit stricti Iuris, & ità strictè sumenda.

Si quis sub vsuris creditam pecuniam fideiiusisset, & cum reus in iudicio conuentus recusare velit sub vsuris creditam esse pecuniam, fideiussor soluendo vsuras potestatem recusandi eas reo sustulisse, eam pecuniam à reo non petiturum, sed si reus fideiussori renunciasset, vt recusaret sub vsuris debitam esse pecuniam, nec is propter suam existimationem recusare voluisset, quod ità soluerit à reo petiturum. Parum enim fideliter facit fideiussor in superiori casu, quod potestatem eximere reo videtur suo Iure vtendi. Cæterum in posteriori casu non oportet esse noxia fideiussori, si ipse pepercit pudori suo; sic dicit *Optima, & famosa l. Quintus 48. ff. mandat.*

Si fideiussor multiplicauerit summam, in quam fideiusit, sumptibus ex iusta causa factis, totam eam præstabit is, pro quo fideiusit, dixit, *l. Si mandato 45. §. Si fideiussor ff. mandat.*

Si fuerint in duriorem causam adhibiti fideiussores, eos placuit omnimodo non obligare, in leuiorem planè causam accipi possunt, vt inquit *l. Græce 9. §. Illud commune ff. de fideiuss.* quod limitabis si fideiussor se astrinxerit iuramento, vt per *Apostill. ad tex. in l. fideiussor 17. ff. eod. tit.*

Non pro pignore, sed pro pecunia mutua fidem suam obligauit fideiussor, ità dicit *l. Si in pignore 55. ff. illo tit. de fideiuss.*

Si non idoneum fideiussorem dederit, magis est, vt satisfactum sit, quia qui admisit eum fideiubentem idoneum esse comprobauit, sic *l. 3. ff. de fideiuss.* sibi enim imputent cur minus idoneum fideiussorem acceperant, dicit *l. 1. ff. de separat.*

Si fideiussorem dare non valet quis super eisdem iuratoriam exponat cautionem, inquit *Auth. Generaliter autem C. de Episc. & cleric.* Idem probat *Auth. de nupt. §. Quæ vero coll. 4.* ibi, Si autem non valuerit fideiussorem dare, tunc sub iuratoria cautione &c.

Fideiusio remittitur propter paupertatem, vt habes verbo, *Satisdatio;* & facit *l. Omnes 31. §. Præterea cum C. de Episc. & Cleric.* ibi. Nedum exceptoris pertinax, & auara proteruitas extraneos, & idoneos fideiussores flagitat, multiplex innoxiæ paupertati instigatur incommodum.

Quid autem erit, si nolit dare fideiussorem, sed pignus, ad quod non tenetur? Responde, satis est, quia facit etiam plus &c. Item quid si dedit pignus nunc vult fideiussorem dare, & pignus repetere? Responde; non potest: Item in quàtum tenetur fideiussor? Responde, Si fideiusit in scriptis, vel in causa publica, tenetur vsq; ad triennium, intra quod durat causa, vt &c. Item & plus per duos menses intra quos debet fieri contestatio; ita ponit *glos. verbo, Personali, in Auth. de exhibend. re. §. Illud quoque coll. 5.* Quando verò fideiussor velit se eximere obligatione fideiusionis, & vsque ad quantum tempus sit obligatus? Vide *glos. verbo, Ad terminum, in §. 2. de satisd. in Instit.*

Ob chirographariam pecuniam non potest creditor retinere pignus contra fideiussoris voluntatem, sed contra voluntatem debitoris tantùm dixit *glos. verbo, Obligatus in l. 2. C. de fideiuss.*

Fideiussores à tutoribus nominati, si præsentes fuerunt, & non contradixerunt, & nomina sua referri in acta publica passi sunt, æquum est perinde teneri, ac si Iu-

si Iure legitimo stipulatio interposita fuisset. Eadem causa videtur affirmatorum, qui scilicet cum idoneos esse tutores affirmauerint fideiussorum vicem sustinent; itá dicit *l. Cum ostendimus §. vlt. ff. de fideiusi. tutor. vbi glos.* alia Iura refert. Vide etiam, an hoc debeat intelligi iuxtà *l.1.§.2.ff.de magistr.conuen.* ibi. Eos, qui præsidi renunciassent, non perinde teneri, ac si ipsi dedissent. Sed si decepissent gratia fortè, aut pecunia falsa renunciantes.

Fideiussor iudicio sisti, si obligetur, fieri debet in scriptis,& si non fiat obligatur tantùm per duos menses, si causa est priuata, si vero publica sufficit confessio etiam si non adsit scriptura dixit *l. penult. C. de fideiuss. vbi ad fin.* sic. Sin autem in publica causa necessitas interueniat, tunc omnimodo attestationem pro scriptura haberi; multis enim priuilegijs propter publicas necessitates publico Iuri præstitas, non ab re est, & nos huiusmodi prærogatiuam ei condonare.

Fideiussor, quando pater pro filio intelligatur? Vide, *Pater*.

Authore laudato, si euicta res est fideiussorem (etiam si agi causam ignorauerit) conueniri euictionis nomine posse non ambigitur, ait *l.7.C.de euict.*

Fideiussor datus pro restituendis fructibus, lite mota inter dominum & colonum super dominio per triennium datur, & eo finito, debet renouari iuxta *l.litibus 19.C.de agricul.& censit.lib.11* ibi. Et talis fideiussor per triennium accipiatur, eoque impleto renouetur.

Fideiussores ciuiliter in solidum obligati cæteris quidem agentibus, vt diuidatur actio, impetrare possunt: pupillo vero agente, qui non ipse contraxit, sed in tutorem incidit, & ignorat omnia beneficium diuidendæ actionis iniuriam habere visum est: Ne ex vna tutela causæ plures variæque quæstiones apud diuersos Iudices constituerentur, dicit *l. vlt. ff. rem pupill. salu. for.*

Erroris fideiussio nulla est, inquit *l.Si quis 38.ff.de fideiuss.*

Qui fideiubet pro conductore conductoris principali Domino non tenetur inquit *Bart per tex.ibi in l.qui fideiussor. 55.ff.locat.*

Pœnas ob maleficia solui magna ratio suadet, in quibus casibus illa ratio impedit fideiussorem, quia scilicet in nullam rationem adhibetur fideiussor cum flagitiosæ rei societas coita nullam vim habeat itá inquit *l.Si à reo 71. §.vlt.ff.de fideiussor.* & idem est, ac si diceret pro crimine perpetrando non valet fideiussio; secus vero post perpætratum pro pœna.

Auxilium restitutionis fideiussori, qui adolescenti hæres extitit intra constitutum tempus saluum erit, inquit *l.Stichum 26. §. Quod vulgo in fin. ff. de solut.*

Exceptione, quæ tibi prodesse debebat vsus damnatus es. Nihil tibi præstabitur Iure mandati, quia iniuria illa, quæ tibi facta est penes te manere, quam ad alium transferri æquius est, scilicet si culpa tua iniustæ damnationis causam præbuisti.

Solemus dicere pacti exceptionem fideiussori dandam, quæ Reo competit dicit *l.Si quis Reum 6 ff.de liberat. legat. vbi Glos. verbo, Pacto*, Limitat in exceptione personali, quæ cohæret personæ.

Si fideiussor cum paciscitur, ne ab eo pecunia petatur,& per imprudẽtiam soluerit condicere stipulatori poterit. Ideo quidem reus manet obligatus ipse, autem sua exceptione tutus, inquit *l.Cum is 32.§.1.ff.de condict. indeb.*

Fideiussor mulieris in materia Velleiani tutus est proue ipsa mulier, vt in *l. Si mulier 16.§.1.ff.ad Velleian.* ibi. Ego autem puto dandam esse fideiussori exceptio-

ceptionem &c. quia totam obligationem senatus improbat.

Item fideiussori quoque, qui pro institore interuenerit, institoria competit; eius enim rei sequela est *l. Cuicumque 5. §. penult. ff. de inst. act.*

Nota, quod in casibus, etiam antequam soluat fideiussor, agit mandati: primus, si condemnetur; secundus, si diù stetit &c. Sed quantum tempus intelligitur (Diu) Responde decennium, vt infrà *ff. qui & à quibus, l. Sed si fideicommissum §. Aristo*, vel verius arbitrio iudicis, vt *de iur. iur. l. 1. in fin.* Tertius est si obtulit, & consignauit, & deposuit, vt infrà eodem. *l. Qui mutuam §. fideiussor*. Quartus, si hoc actum est, vt ad tempus teneatur &c. Quintus, si cœpit sua bona dissipare reus, vt hic alias non nisi soluat, vt supra *de condict. indeb. l. Indebitum* ita ponit *glos. vlt. in l. Lucius Titius 38. ff. mandat.*

Fideiussori soluenti ceduntur actiones. Vide verbo, *Cessio*.

Inficiantibus fideiussionem auxilium diuisionis non est indulgendum inquit *l. Si dubitet 11. § Ità demum ff. de fideiuss.*

Fideiussor si iurat, an reo prosit vide verbo, *Iuramentum*.

Non est æquũ fideiussori in necem meam subueniri inquit *l. In causa 24. ff. de minor.*

Fides.

MVltipliciter dicitur, quandoque idem est, quod Sacramentum Baptismi, vt *in cap de Iudæis 45. dist.* Item dicitur fides castitas tori, vt *in cap. Coniuges 27. q. 2. & in cap. Caue 28. q. 1.* Item dicitur fides securitas, siue pactum, vt *in cap. Noli 23. q. 1.* Item dicitur fides conscientia, vt ibi. Omne quod non est ex fide, peccatum est, vt 28. *q. 1. §. 1. & in cap. vlt. de præscrip. vbi glos. verbo, Ex fide*, ibi, idest ex conscientia. Item dicitur fides habitus mentis benè constitutæ. Item dicitur fides credulitas, secundùm quam credimus illud, quod non videmus, vt *in cap In domo de pænit. dist.* 4. ibi. Fides non habet meritum &c. ità ponit *glos. in cap. Mouet te, verbo, Nec, 22. q. 1.*

Fides ex necessitate esse non debet, vt dixit *glos. verbo, Habere, in cap. Sicut 9. de Iudæ.* vbi nemo compellitur ad fidem venire.

Cuiusquam commoditas, aut salus temporalis perficiendæ fidei, non præferenda est; dicit *cap. Primum propè fin, 22. q. 2.* hoc est salutem alterius non esse præferendam propriæ fidei.

Est etiam fides præponenda gratiæ, & potentatui, vt dixit *glos. vlt. in l. 4. C. de testib.*

Nihil est quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe, vt dicitur *in l. Inter claras 4. C. de summ. Trinit.* Iesus pacem, quam dederat reuocandam, non censuit, quia firmata erat sacramenti religione; ne dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solueret; vt inquit *cap. Innocens 22. q. 4.* Quis enim fidelis, qui non doleat fide læsa? Inquit *glos. verbo, Fidelis, in cap. Vt inquisitionis 18. de hæret. lib. 6.*

Qui in paruo fidelis est, & in magno fidelis est dicit *Aug. lib. 6. confess. cap. 10. num. 2. in fin.*

Quomodò potest fidelis esse in substantia Dei, qui carnali Domino fidem exhibere nõ potuit? inquit *cap. Si apud Carnales 23. q. 5.*

De pugnantibus pro patria, & fide habes verbo, *Patria*.

Duæ res plurimum roboris animo dant, fides veri, & fiducia, dixit *Senec. epist. 95. ad medium*.

Quædam est fidelitas, quę debetur proximo, scilicet non offendere eum, nec insidiari; non autem tenetur eum defendere &c. Alia est fidelitas, quæ debetur patri, quem quis tenetur defendere

dere verbo, *Quia*, debet patri indicare; quæ cognoscit contra eum, vt &c. Debet etiam ei reuerentiam; non autem reperio, quod quis teneatur defendere patrem, facto scilicet opponendo se, vel simili modo. Tertia est fidelitas maior, qua quis tenetur Domino suo, quem non solum tenetur non offendere, sed indicare verbo, & defendere facto; ità tenet *Bart. in extrauag. ad reprimendum verbo, Fidelitatis*, & addit, quia tota fidelitas debetur Principi: est enim Deus in terris &c. & de eo scriptum est. Diliges Deum.

Qui Domino suo fidelitatem iurat, ista lex semper in memoria debet habere. Incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile. Incolume videlicet, ne sit in damnum domino suo de corpore suo. Tutum, ne sit ei in damnum de secreto suo, vel de monitionibus, per quas tutus esse potest, Honestum ne sit ei in damnum de sua iustitia, vel de alijs causis, quæ ad vtilitatem eius pertinere videntur. Vtile ne sit ei in damnum de suis possessionibus. Facile, vel possibile, ne id bonum, quod Domino suo facere leuiter poterat, faciat ei difficile, ne ve id quod possibile erat, reddat ei impossibile. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet; quod si non fecerit, meritò censebitur male fidus; sicut ille, qui in eorum preuaricatione, vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit perfidus, & periurus; ità dicitur *in cap. De forma* 22.*q*.5. & eadem verba inuenies *in cap. Vnico de form. fidelit. in vsib. feud.* & alia de nouo fidelitatis modo vide *ibidem tit. seq. de nou. form fidel.* Alia etiam habes verbo, *Vaßallus*.

Fidelitatis fit renouatio propter mutationem ætatis, vt dictum est verbo, *Aetas*. Potest etiam is, qui succedit in locum Domini postulare, vt fiat sibi fidelitas per Sacramentum, vt ar gumentatur *glos. vlt. in l.* 3. *ff. vsufruct. quemadmod. cau.*

Singulis hæredibus Domini faciendum est iuramentum fidelitatis: Nam cum sit quasi in indiuiduo seruitus, sacramentum fidelitatis, & ipsa fidelitas in solidum debetur, vt &c. ponit *Glos verbo, Oportere in l. Si vsusfructus*, 16. *ff. de vsufruct.* & fidem susceptam implere sufficit, dixerunt Imperatores *in l. Inuitus* 17.*C. de procur.* vbi procurator ad agendum non cogitur ad defendendum.

Ex quo aliqui hactenus fideles extiterunt, præsumitur pro eis, vt inquit *glos. verbo, Quorum in §. Cumque proœm. Institut.*

Qui fidem seruari ei contra fidem nititur, graue est, & iniquum, vt inquit *glos. penult. in d. cap. vnico de nou. form. fidel.*

Nihil ità fidei congruit humanæ, quàm ea, quæ placuerant custodiri, dixit *l. Non minorem* 20.*C. de transact.*

Fidem sufficit firmare ex ipsa naturali iustitia, dicit *l. Scire* 15.*§. Consequens vers. Sufficit ff de excusat. tutor.* vbi Apostill. reddit rationem sic. Iustitia enim locum sibi non inuenit, vbi non est fides exspeculatore *in tit. de Summ. Trinit. in princip.*

Graue est fidem fallere inquit *l.* 1.*ff. de const. pecun.* vbi Apostil. sic. Nota hic pulchrum tex. qualiter fides est seruanda, & adde, quod frangenti fidem est fides frangenda eidem *l.* 1. *in fin. ff. de loc. pub. fru. coniuncto tex. in cap. Peruenit* 12. *de iur. iur. l. Cum proponas* 21. *Cod. de pact.* ibi. Nec aduersario tuo transactione vel concedendum est, nisi quæ placita sunt adimplere paratus sit; facit etiam *glos. verbo, Ex consensu in cap. Cum inter* 16. *de elect.* ibi. Sed non ne eo ipso, quod alij non seruabant compositionem, poterat redire iste ad Ius suum? Ità videtur, nec debet ei fides

des seruari; nisi cum actio est odiosa, & nisi in criminibus.

Non debet tamen quis rumpere fidem mihi, licet sibi rumpatur ab alio, vt dixit *Bald. per tex. ibi in l. Si pater C. de nouation.*

Quandoquidem fides hosti seruanda, multò magis inter amicos locum habeat necesse est, vt dixit *Ioseph de antiquit. lib. 15. cap. 8. num. 30. & in cap. Noli existimare 23 q. 1. Augustin. ad Bonifac.* ita. Fides enim, quando promittitur etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur, quantò magis amico pro quo pugnatur, & contrarium facere barbarorum est, natura enim barbaros fidem negligere dicit idem *Ioseph de bello Iudaic. lib. 1. cap. 15. num. 30.*

Nihil penes eum recidere oportet ex re, in qua fidem fefellit, dixit *l. Lege 5. in fin. ff. de leg. commis.*

Grauius est, fidem fallere ei, qui ex necessitate deponit, quàm ex voluntate, dicit *glos. verbo, Depositi in §. Actionum de action. in Instit. & in l. 1. §. Merito ff. de pos.* sic. Quippe cum quis fidem elegit, nec depositum redditur, contentus esse debet; Simplo: cum verò exigente necessitate deponat, crescit perfidiæ crimen, & publica vtilitate coercendum est, vindicandę reipublicæ causa; est enim inciuile in huiusmodi causis fidem frangere.

Habet autem plena fides suos gradus; nam quandoque quis incipit suspicari, hoc est à leui argumento in vnam partem inclinare; quandoque quis incipit opinari animum suum, aliqua ratione satis forti; non tamen quòd credat, quod non possit esse contrarium: quandoque procedit vltra, & incipit credere ità forti ratione, quòd firmiter inhæret vni parti, nec de contrario aliquo modo dubitat, & ità est plena probatio, & plena fides, & hæc naturalis dicitur; ità scripsit *Bart. de fide*, ad pronunciandum in causa *in Extrauag. ad reprimendum verbo, Summaria post princip.*

Promptam fidem intelligimus, si intra bimestris temporis spatium numerandū à die collationis in antea probauerint, dixit in casu, de quo ibi *Pont. in Extrauag. Vnica de authorit. & vs. pal.*

Filius.

VAriæ sunt filiorum species, vt satis, superque est vniuerso orbi notum, & dicit *glos. verbo, Manzeres, in cap. Nisi cum 10. de renunc.* vbi in hæc verba. Manzer propriè dicitur de scorto natus, Spurius de concubina (non intelligas domi retenta) nothus, de adulterio natus, sic dicitur notha febris, quia affligit, sicut quartana, sic nothus, quia videtur verus filius, sed non est, & omnes tales illegitimi ab honoribus repelluntur. Naturalis dicitur natus de concubina, quæ tenetur in domo, quasi loco vxoris. Legitimum, & naturalem iam scis esse ex legitimo matrimonio natum; legitimus tantùm, vt adoptiuus, & *glos. penult. in cap. Consuluit de seru. non ordin.* dicit. Spurius est, cuius pater est vulgus, & sic non potest ostendere patrem, vel si ostendit, verecundum ostendit, quem habere non licet.

Glos. autem verbo; Naturales, in §. 1. de adopt. in instit. sic dicit. Filiorum alij sunt naturales, & legitimi, vt ex legitimo matrimonio nati, vt &c. Alij naturales tantùm, vt nati ex concubina. Alij legitimi tantùm, vt adoptiui &c. Alij nec naturales, nec legitimi Iuris præsumptione, vt incestuosi &c. Alij sunt, qui prius non fuerunt legitimi, sed nunc sunt, idest efficiuntur duobus modis scilicet per Principis indulgentiam, vel subsequens matrimonium, vt &c.

Ali-

Aliter filij, aliter nepotes appellantur, vt dixit *§. vlt. qui testam. tutor. dar. poss. in Institut. vbi glos.* sic. Appellantur ab omnibus in vsu, vel consuetudine, sed secundùm veram significationem verbi (quia filius dicitur à philos, quod est amor) etiam nepos dicitur filius, etiam quilibet, quem aliquis diligit paterna dilectione. vt &c.

Tamen *in l. Quod si nepotes 6. ff. de testam. tutel.* dicitur sic. Si modo liberos dixit; cæterum si filios non continebuntur (scilicet nepotes) Aliter enim filij, aliter nepotes appellantur.

In odiosis appellatione filij non continetur Nepos, si ratio odij, quæ erat in filio, cessat in nepote; sic ponitur *in 1. summar. l. vlt. C. de nat. lib. & tex.* dicit ità: filijs enim naturalibus relinqui constitutiones quantum voluerunt, ideo prohibuerunt, quia vitium paternum refrenandum existimauerunt; in nepotibus autem non eadem obseruatio.

In l. Vxorem 39. §. Codicillis in fin. sic dicitur. Ad patrem naturalem eos pietatis intuitu pertinere; & hac de causa appellatione filiorum veniunt nepotes iuxta *§. Concubina eiusd. l. Vxorem.*

Appellatione filiorum, quod etiam naturales liberi comprehendantur; probatur *in l. Lucius 90. §. Dama ff. de legat. 2.* ibi. Quia creditur appellatione filiorum, & naturales liberos, idest in seruitute susceptos contineri.

Filij appellatione, libertinus quoq; continetur, dicit *l. vlt. ff. de Iur. delib.* vbi notat *glos. verbo, Naturalis.*

Dicamus ergo primum de naturalibus, & legitimis, & postea de alijs. Verùm, quia mihi venit in mentem *l. Liberorũ 220. ad fin. ff. de verbor. signif.* quæ loquitur de nepotibus, quos appellare possumus etiam filios vt supra proximè pono verba eiusdem, & sunt. Nec enim dulciore nomine possumus Nepotes nostros, quàm filij appellare.

Etenim idcirco filios, filiasue concipimus, ac edicimus vt ex prole eorum, earumue diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus; vbi *glos. vlt.* notat, quòd plus diligit filium pater, quàm filius patrem & reddit rationem, quia omnis res desiderat sui conseruationem, & per filios certum est, quòd conseruatur pater, ac per consequens per nepotes.

Nunc autem dicamus de filijs legitimis, & naturalibus & tales debent in timore ali, vt dixit *Augustin. de vtilit. ieiun. cap. 9.* ibi. Multis enim profuit, quod experimentis probauimus, & probamus, prius timore, vel dolore cogi, vt postea possit doceri, aut quod iam verbis dedidicerant opere sectari. *Terent. verò in Adelph. contra inquit* ibi. Pudore, & liberalitate liberos retinere satius esse, quàm metu. *Thad. autem de conuiu. diu. spiritu. & methaph sumpt. cap. 1. litt. E.* dicit. Hoc verum est, sed sicut sunt meliores, quos dirigit amor, ità plures sunt, quos corrigit timor &c. Cęterum scriptura diuina propter illos meliores dixit. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas mittit foras timorem; & propter hos peiores, qui longè plures sunt, quàm boni, ait *Sapiens prouerb. 19.* Verbis non emendabitur seruus durus; si enim te intellexerit, non obediet. Et alibi dicit. Non solum seruum, sed & filium indisciplinatum, plagis esse coercendum, nam tu quidem percutis eum virga, anima vero eius liberatur à morte.

Non autem differentiam facimus de filijs, siue masculi sint, siue fæminæ, vt habes verbo, *Masculus.*

Pater & filius natura eadem esse persona pene intelliguntur dicit *l. vlt. C. de impub. & alijs vbi glos.* sic. Vndè quòd vnus dicit, alter dicere videtur &c. Et vbi vnus est, ibi videtur esse & alter &c. Quod intellige, quo ad ea, quæ sunt Iuris secus, si facti, vt ibidem dixit

Apostil. ex Iason. Corpus filij, patris corpus dicitur, vt *in §. Sed veteres de noxal. lib. act. in Instit.* ibi. Quis enim patiatur filium suum, & maximè filiam in noxiam alij dari, vt penè per filij corpus pater magis, quàm filius periclitetur? Cùm in filiabus etiam pudicitia fauor hoc benè excludat. Et vna caro dicuntur filius, & pater, vt infra.

Filij, & patris sicut Domini, & serui eadem est non vt habes in Verbo, *Pater*.

Filij sui quidem hæredes ideo appellãtur, quia domestici hæredes sunt, & viuo quoque patre quodammodò Domini existimantur, dicit *§. Sui de hæred. qualit. & diff. in Instit. vbi glos.* declarat, qualiter Domini existimentur, & statim à morte parentis, quasi continuatur dominium, vt dixit *§. Sui autem de hæred. quæ ab intestat. in Inst.* Cur autem dicatur, quasi, habes verbo *Dominium*. Nec quia desinunt sui hæredes esse possunt desinere filij, filiæue, aut nepotes, neptesue esse, vt dicit *§. Minus ergo eod. tit. de hæred. quæ ab intest. in inst.*

Iniuria filio facta, patri etiam fieri intelligitur, vt dicit *l. 4. Incipit nec filio ff. de natal. restit.* ibi. Quid. n. interest ipsi patrono, an filio eius fiat iniuria? Nec enim debet pater vilissimus filij sui cõtumeliam ad suam vilitatem metiri, inquit *l. Sed si vnius §. Ait prætor ff. de iniur.*

Non modica ignominia filij est si parentem seruum habeat, dicit *l. 1. ff. de liberal. cau.* quoniam seruitus eius ad dolorem nostrum iniuriamque nostram porrigitur, addit *l. 2. ff. eod. tit.* Filium namque subijcit patris abiectio, dicit *glos. vlt. C. de tabular. lib. 10.*

Vnde benè sequitur quòd opera, quæ conuenit patri, præsumitur etiam filio conuenire, dicit *l. Si operarum 29 ff. de oper. liber.* & facit *cap. Contra dicimus §. Hac authoritate* ibi. Cùm vna caro probantur pater, & filius *35. q. 3.*

Filios tenetur pater alere, vt est satis, superque notum *ex l. Cum non solum 8. §. Ipsum C. de bonis, quæ liber.* Ipsum autem filium inquit tex. vel filiam, filios, vel filias, & deinceps alere, patri necesse est, non propter hæreditates, sed propter ipsam naturam, & leges, quæ & à parentibus alendos esse liberos imperauerunt, & ab ipsis liberis parentes, si inopia ex vtraque parte vertitur.

Si verò filius minor triennio fuerit, apud matrem debet ali, iuxta illud

> *Mater alit puerum trimum, trimoque minorem,*
> *Maiorem verò pascere, patris erit.*

Vt ponit *glos. penult. in cap. vlt. de conuers. infid. per tex.* ibi. Post triennium apud patrem non suspectum ali debent.

Quod autem filius teneatur matrem alere quando duo insimul concurrunt, est *tex. in l. 1. §. De seruis vers. Præterea ff. de tutel. & rat. distra.* ibi. Vtrumque igitur concurrere oportet, vt mater, & egena sit, & filius in facultatibus positus &c. Sed non tenebitur præstare ea, quæ per quam necessaria non fuerint, vt *ibidem tex. in fin.* dicit sic. Sed si munus nuptiale matri pupilli miserit tutor non eum pupillum reputaturum. Nec enim per quam necessaria est ista numeratio, dixisti etiam verbo, *Alimenta*.

Quando verò filius apud matrem debeat morari, habes verbo, *Mater*.

Quod per filium mater honoretur, si ipse vult, habes verbo, *Mulier*.

Iniquissimum quis merito dixerit patrem egere, cùm filius sit in facultatibus. Quod procedit etiam in patre incestuoso, iuxta *tex. in Auth. de incest. nup. §. 1. coll. 2.*

Filius, & seruus quoad plura æquiparantur in iure; probat *l. 3. §. 1. vers. proinde ff. de in rem. vers.* proinde, inquit tex. si seruus sumpsit pecuniam, vt se aleret, & ve-

& vestiret, secundùm consuetudinem Domini, ideft vsque ad eum modum, quem Dominus ei præstare consueuerat, in rē Domini videri vertisse Labeo scribit, ergo idem erit, & in filio, vbi *glos. verbo. Et in filio addit.* cum eadem sit ratio, vt &c. & *Apostil. ibidem* sic. Hic habes tex. expressum quod si quis mutuauit filio familias pecunias, vt se aleret, vestiret, & sibi necessaria haberet, pater tenetur de in rem verso. Ex hoc ego infero, quod si quis filio familias studenti mutuauerit pecunias ob victum, vestitum, & librorum necessariorum emptionem, tenetur pater; & pro isto facit *l. Filius familias eod. tit. in princ. facit etiam glos. pro prima conclusione in l. Si quis seruo, verbo, Corrumpi, C. de furt. & seru. corrupt.* ibi. Et nota quod idem dico in filio, cum eadem sit æquitas, quoniam interest nobis animum liberorum nostrorum non corrumpi; inquit *l. Vt tantum* 14. *ff. eod. tit. de seru. corrupt.* facit etiam *l. Serui ff. de furt.* ibi. Serui, & filij nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi tamen furti nobis non tenentur idem probat *l. Seruus 19. Cum §. Antecedenti ff. de pignor. act.* dicit namque sic. Seruus rem peculiarem, si pignori dederit tuendus est. Si liberam peculij administrationem habuerit; nam & alienare eas res potuit. Eadem, & de filio familias dicta intelligimus.

Filius quam fidelitatem debeat patri, supra dixisti in verbo, *Fides*.

Filium non posse inuenire meliorem amicum, quàm patrem notat *glos. verbo, Institueret, in l Quidam cum filium 46. ff. de hered. instituen.*

Liberto, & filio semper honesta, & sancta persona patris, ac patroni videri debet, inquit *l. 9. ff. de obseq. à liber.*

Pietatem liberi parentibus, non operas debent dicit *l. Nullum, ff. eod. tit. de obseq. à liber. & glos. in l. Patri 4. ff. Si quis à parent. fuer. manum.* ibi. Pietatem enim non operas debet filius patri. Et tex. ibidem sic. Et ideo frustra pater operas stipulabitur de filio.

Etiam de re patris dicitur filium familias arbitrum esse posse; nam & iudicem eum esse posse plerisque placet dicit *l. 6. ff. de recep. arbitr.*

Qui filio familias soluit; cùm esset eius peculiaris debitor, siquidem ignorauit ademptum ei peculium, liberatur. Si scit, & soluit condictionem non habet, quia sciens indebitum soluit, inquit *l. Si non sortem 26. §. Qui filio ff. de condict. indeb.*

Si filius familias res vendiderit, sicut pater familias, tenebitur, ait *l. Tenetur §. Si filius ff. de act. empt. vbi glos.* dicit. In omnibus enim, vt pater familias, tenetur, vt hic &c.

Cessare etiam hoc Senatus consultum, si filius familias consueuit accipere pecuniam mutuo, & pater consueuit soluere; ex tali enim consuetudine præsumitur patris voluntas, inquit *glos. verbo voluntate, in l. 2. C. ad Macedonianum.*

Sed quomodo tenetur filius homini mortali ciuiliter, & naturaliter, & non Deo immortali? Responde: mitius cum Deo agitur, vt supra *de arbitr. l. Celsus,* ità dixit *glos. verbo, Non obligantur, in l. 2. ff. de policitat.* vbi filius familias ex voto non obligatur, scilicet reali, non vero personali.

Si quis filius familias sit, & Magistratum gerat, patrem suum, in cuius est potestate, cogere poterit suspectam dicentem hæreditatem adire, & restituere. ità dicit *l. Ille, à quo 13. §. Vlt. ff. ad Trebell. & in l sequenti* sic. Nam, quod ad Ius publicum attinet, non sequitur Ius potestatis, *& in l. Cogi 16. §. Si pater eod. tit.* ità. Posse eum postulare, vt pater suus cogatur adire, & restituere hæreditatem; quamuis contra obsequium patri debitum videatur id desideraturus, & ibi glos. dicit, quia

lis nulla debet esse inter eos.

Non autem filio damus licētiam, si in integrum restitutionem petat, respuendam credens esse hæreditatem adhuc minoribus curriculis instantibus, iterum per aliam restitutionem adire præfatam hæreditatem, ne ludibrio leges fiant sæpius eandem, & amplecti, & respuere hæreditatem cupienti. Si enim, quod pater fecit, ratum non habuit, & propter hoc restitutus est, quo modo ferendus videatur iterum iudicium amplectens, quod post patris voluntatem contraria voluntate aspernandum esse existimauit? dicit *l. Cùm non solùm* 8. *§. Puerilis C. de bon. quæ liber.*

Filius, cui conceditur libera administratio peculij an donare possit? Supra habes verbo, *Administratio*.

Filio cùm sit in potestate patris, tutor, vel curator dari non potest, dixit *glos. verbo, Hæreditati, per tex ibi in d.l. Cùm non solùm* 8. *§. Sin autem C. de bon. quæ liber.*

Filius à patre datus tutor fratri, & cohæres, non perdit partem hæreditatis, etiam si se excuset à tutela, licet sit in extraneo, iuxtà *l. Tutor* 31. *§.* 1. *ff. de excusat tutor.* Et reddit rationem ibi: Cùm iudicium patris, vt filius, non vt tutor promeruerit.

Si testamentum patris, Iure factum, filius negauerit quoniam de Iure disputauit, non iudicium defuncti impugnauit, aut accusauit, retinet defuncti voluntatē; sic decidit *Papinian. in l.* 24 *ff. de ijs, qui bus vt indign.*

Filius sequi tenetur patris voluntatem licet ab intestato ei succedat, vt habes verbo, *Voluntas*; quod etiam procedit in voluntate patris præsumpta ex debita pietate, vt dixit Imperator *in. l. in testamēto* 38. *ff. de fideicommissar. libert.* ibi. Filios tamen filios debuisse manumittere eam, quam pater dilexisset.

Secundum Papiniani responsum, in quo definiuit meritò magis filios ad paterna obsequia prouocandos, quam pactionibus adstringēdos, dicit *l. Si quando* 35. *§. Illud etiam C. de inofficios. testam.*

Maximè attendendum est, ne pater aliquid aduersus filios prioris matrimonij machinari videatur, inquit *l. Si constante* 19. *C. de donat. ante nupt.* Nam quod filijs parentes non seruant, seruat lex, & Princeps per legem iuxtà Auth. nec vir, quod ex dote *coll.* 8. ibi. Res est & castitate plena, & bonis moribus congrua, & paterno, maternoque affectu plena, vt quod eis parentes non seruant, hoc post Deum, qui communis est pater omnibus (dicimus autem, qui imperium habet) per legem ijs, qui à parentibus læsi sunt seruet.

In his, quæ sunt publici Iuris filius habetur pro patre, maximè in his, quæ repræsentant duplicem personam, vt sunt Magistratus; sed in his, in quibus repræsentant duplicem personam, vt in testamenti factione, non habetur pro patre; ità ponit *Apostill. ad glos. verbo, Filius familias per tex. ibi in §.* 1 *qui testamento tutor. dar. possess. in Instit.*

Sic nota quædam facere filium propter defectum patris corpore, vel mente, dicit *glos. verbo, Manumittere in l. Cùm hæres* 52 *ff. de acquir. hæred.*

Quasi indecens est patrem à filio regi dicit *l. Is, qui* 12. *ff. de tutor. & curat.* vbi *glos.* sic. Erubescit enim &c. & in sequenti glos. sic. Et in lu. e corrigit filius patrem; pro prima conclusione facit *cap Quis dubitet* 96. *dist.* ibi. Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare? *& Auth de nupt. §. Sed quod Sanctum est coll.* 4. ibi. Erubescit enim l. Castigatores filios genitoribus statuere; idem *glos. verbo, Demens, in cap Vnico de cleric ægrot. lib.* 6. ibi. Alias erubescit lex filios esse castigatores parentum, idem per eadem

ver-

verba *glos. verbo Patria potestas*, *in l. Cùm oportet §. Non autem C. de bon. quæ lib per tex.* ibi ; Et nullo modo audeat filios familias &c. easdem res tenere, aut quomodo voluerit gubernare &c.& pro secunda conclusione facit *glos 2.in l.3 §.Si quis quasi ff.de condict. caus. dat.* ibi . Nota filium corrigere patrem, sed contra &c. Sed ibi in administratione rerum, hic autem in Iure, in quo non videtur fieri iniuria maioribus, si à minoribus melius dicatur.

In rem patris author filius esse non potest inquit *l. Quod dicimus 7. §. Vlt. ff. de auth tutor.*

Patris lætitia est scientia filij, vt *in Auth. quæ de dignit. §. Si verò, vt dixit glos. verbo, Solebat, in l. Sed Iulianus §. Quod dicitur ff. ad Macedon.* Sicut etiam filij, dignitas patris est laus, & è contra, vt dixisti verbo, *Dignitas*.

Donatio Principis facta filio familias in totum filio acquiritur, etiam quoad vsum fructum, vt *l. Cum multa 7. C. de bon. quæ lib.* vbi ponitur ratio hæc, vt enim Imperialis fortuna omnes superminet alias, ità oportet, & principales liberalitates culmen habere præcipuum.

De alijs verò bonis vsus fructus patri quęritur, & filius de hoc quæri non valet, vt dicis Vsus fructus.

Filiorum bona an censeantur aduentitia, siue profectitia in dubio ; Vide verbo, *Bona*, & adde, quod dicitur *in l. Vlt. C. de vsufruct.* ibi . Cum plerumque verisimile sit testatorem contemplatione magis filij, quam patris vsumfructum ei reliquisse; *& in l. Sancimus 36. in fin. C. de inofficios. testam.* sic . Humanitatis etenim gratia sancimus ea quidem omnia, quasi Iure aduentio eum lucrari; repletionem autem ex rebus patris substantia fieri.

Qui sibi, aut filio suo dari stipulatur manifestè personam filij complectitur in hoc, vt ei rectè soluatur, quia coniuncta sua persona stipulator efficit, vt non acquirendę obligationis gratia, sed solutionis causa personam filij adhibuisse intelligatur . Vide *l. Eum qui 56. §. Qui sibi ff. de verbor.*

Filij creditores etiam patris sunt creditores, inquit *l. Si pater 12. ff. quæ in fraud. credit.*

Bona parentum ad secunda vota transeuntium, sunt liberis, quibus debent lucra reseruari, tacitè obligata, nec patria potestas impedit istam tacitam hypothecam, vt sic summatur *l. Si quis prioris 8. §. vlt. C. de secundis nupt. vbi iuxta fin.* Sic tex. dicit . Ità tamen occasione talium hypothecarum, nec patris, administrationem filij valeât perscrutari, vel aliquam eis mouere super hoc quæstionem; cum perspicui sit Iuris, etiamsi alienata fuerint eorum bona, quæ extra memorata lucra, vel paternas res sunt, Ius hypothecæ integrum eisdem manere filijs, & ibi *glos. verbo Hypothecæ*, limitat in matre.

Non debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs, vt dicitur *in cap. Cum Apostolus 6. §. penult. de censib. & ibi glos.* sic . Ordine omni naturæ filius succedit patri, & non è conuerso &c. Vnde dixit Dominus Bulgarus cũ suus vnicus filius decessisset.

Ordine turbato succedis Bulgare nato.

Et contra parentum est votum filiorum mors, vt deducitur *ex l. Cum tali 72. ff. de condit. & demonst.* ibi . Non enim voto matris opponi tam ommosa non interponẽda cautionis interpretatio debuit, & infra ibi fuit enim periculosum, ac tristè libertum conuinctum patroni liberis eorumdem mortem expectare.

Si filius meus, me miro, moriatur incipit nepos, neptisue in eius locum succedere

dere, & eodem modo Iura ſuorum hæredum, quaſi agnatione nanciſci, inquit *l. Poſthumorum 13. ff. de iniuſt. rupt.*

Filij in bello mortui, ac ſi viui eſſe reputantur *l. Bello 21. ff. de excuſ. tutor.* ibi. Melius igitur probabitur eos ſolos in acie amittuntur, prodeſſe debere cuiuſcumque ſexus, vel ætatis ſint; hi enim pro Republica ceciderunt. Vide etiam *§. Sed qui in bello eod. tit. de excuſat. tutor. in Inſtit.*

Cum in bello pater cum filio perijſſet *Diu. Adrian.* credit patrem prius mortuum, inquit *l. Qui duos §. Cum in bello de reb. dub.* & ſubiungit ſic. Si cum filio ſuo libertus ſimul perierit inteſtati patrono legitima defertur hęreditas, ſi non probatur filius patri ſuperuixiſſet; hæc enim reuerentia patronatus ſuggerente diximus. Et *in §. vlt.* ſic. Quod ſi impubes cum patre filius perierit, creditur pater ſuperuixiſſe, niſi & hic contrarium approbetur.

Sed ſi naufragio ſimul cum patre perierit, an cõditio defecerit videamus? Et magis non defeciſſe arbitror, quia non eſt veriſimile filium eius ſuperuixiſſe. Cum autem quis ante, & quis poſtea deceſſerit, non appareat extitiſſe conditionem fideicommiſsi magis dicendum eſt, vt prædictis verbis inquit *l. Ex facto 17. §. Si quis autẽ ff. ad Trebell. vbi gloſ. verbo, Filium*, ita inquit. Scilicet impuberem, ſecus in filio pubere qui, vt fortior, præſumitur ſuperuixiſſe, & ibidem Apoſtill. ſic. Nota dicendum idem in natiuitate, quod maſculus dicatur (quando ſimul naſcuntur) prius natus, quàm fœmina, *l. Si fuerit §. Planè, & ibi Bart. ff. de reb. dub.*

Et quia filiorum mors, & ſeparatio dura eſt, vt dicit *l. Quæſitum 12. verſ. Vxores quoq; ff. de fund. inſtruc.* ibi. Nec enim duram ſeparationem iniunxiſſe credendum eſt, ideo redeamus ad filios viuos, tàm patria poteſtate, quàm ſui Iuris conſtitutos.

Tempus plus vtile conſideratur ei, qui in vtero eſt in ſui fauorem, & habetur pro iam nato, vt in *l. Cum quidam 30 ff. de acquir. hæred.* ibi. Quoniam mortis tempore, qui in vtero eſt (quantum ad moram faciendam inferioribus, & ſibi locum faciendum, ſi fuerit deditus) pro iam nato habetur.

Filium quidem nihil præiudicij paſſum fuiſſe, ſi pater eum ignorauerit, dixit *l. Vxorem 29. ff. de manum. teſtam.*

Caſus patris filio non obeſt, & dignitas aui prodeſt ità dicente *Vlpian. lib. 1. ad l. Iul. & Papiam in l. 7. § vlt. ad fin. ff. de Senator.* ibi. Et magis eſt, vt debeat, vt aui potius ei dignitas proſit, quàm obſit caſus patris, & *Papinian. in l. 9. eod. tit.* addit. Nam quæſita dignitas liberis propter caſum patris remoti à Senatu non auferenda eſt.

De filijs Doctorum, & aduocatorum dixiſti ſupra verbo, *Aduocatus*.

Filius an dicatur grauatus, quando eſt reciproca ſubſtitutio inter fratres? Vide verbo, *Subſtitutio*.

Et qui vnicum filium habet, ſi ſupremo morienti ſubſtituit, non videtur inutiliter ſubſtituiſſe; & proximus agnatus intelligitur etiam, qui ſolus eſt quique neminem antecedit, dicit *l. Qui duos x. in fin. de reb. dub.*

Filij non debent eſſe deterioris conditionis, quàm nepotes, vt deducitur *in l. Si viua matre, C. de bon. mat.* ibi. Non tamen ab re eſt, vt in hoc caſu deterioris eſſe nepotibus filij non ſinantur. Et tamen in caſu notauit *gloſ. verbo, Repudiare per tex. ibi in cap. Vnico an agnat. vel fil. defunct. poſs. reti. feu. repu. bar.* Quod deterior eſt conditio filiorum, quàm agnatorum &c.

Filius, ſi pietatem patri debitam non agnoſcit, Iure patriæ poteſtatis caſtigari poteſt, vt dicit *l. 3. C. de patr. poteſt.* & addit ſic. Acriore remedio vſurus, ſi in pari contumacia perſeuerauerit, cumque præſidi prouinciæ oblaturus dicturo

turo sententiam, quam tu quoque dici volueris.

Contra voluntatem matris tuæ libertatem in eum conferre, quem illa liberum fieri prohibuit non debes, ne videaris Iura putatis violare, inquit *l. 7. C. de testam. manum.*

Reuerentiam autem debitam exhiberi matri filios cogit, & si prouectam ad inclementiores iniurias improbitatem deprehenderit læsam pietatem vindicabit; Seuerius dicit *l. 4. Cod. de patr. potest.*

Filij loco habetur Ecclesia, seu Monasterium dicis Verbo, *Ecclesia*, quod intellige in eo, qui ingreditur monasterium, vt notauit optimè *Ias. in l. si ita quis §. ea lege n. 15. ff. de verb. obligat.*

In Ecclesia tamen filius illegitimus non poterit ministrare vnà cum patre, vt dicit *cap. Cum decorem 15. de fil. presb.* ibi. Cum indecorum sit, vt in altaris officio illlegitimus filius impudico patri ministrat, in quo vnigenitus Dei filius æterno patri pro salute humani generis victimatur.

Suffragium filij patri proderit, & è conuerso, vt inquit *l. 1. ff. quod cuiusque vniuers.* Nam quasi decurio hoc dedit, non quasi domestica persona, inquit *l. 2 ff. eod. tit.*

Filio nõ nocet patrem habuisse notarium ad decurionatum obtinendum, vt dixisti verbo, *Decurio*.

Nocet tamen filio patris delictum, de quo *in l. Quisquis § filij verò C. ad l. Iul. maiest.* ibi. Sint postremò tales, vt his perpetua egestate sordentibus sit, & mors solatium, & vita supplicium, vbi *glos. verbo, in quibus*, reddit rationem sic. Timetur, ne similes sint patribus, iuxta illud

Sæpè solet filius similis esse patri.

Et Apostill. ità. Dic tu in atrocioribus nõn inconuenit vnum puniri pro alio; in filiabus autem dicit idem tex. Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus.

Si filius tàm ignominiosam duxerit vxorem, vt dedecori sit tam ipsi, quàm patri, mulierem talem habere; dicemus & ex ea natum ad bonorum possessionem aui admitti, cùm possit auus Iure suo vti, eumq; exhæredare; nec enim minus in hoc nepote, is, qui de inofficioso cogniturus est merita nepotis, quam patris eius delicta perpendet; ità dicit *optima l. Non tantum 3. §. Si emancipatus ff. de bonor poss. con. tabu.*

Si filius patris vocem inuitam reliquerit, quam seruus detexit, & libertatem meruit. Dixi non habendum pro patroni filio, quia indignus est, inquit *l. 23 ff. de Iur. patr.* Numquid autem, vt hæres habebit Ius patronatus? Videtur, quòd sic, vt ibidem respondet glos.

Cùm filius deliquit, non vt filius contra patrem, perdit priuilegium filij, vt tradit *glos. Verbo deportasse, in l. Diu. Adrian. ff. ad l. Pomp. de parri.* vbi filius à patre fuit occisus.

Filius familias publico iudicio adulteriũ in vxorem sine voluntate patris arguere posse, dixit *l. 37. ff. ad l. Iul. de adult.* vindictam enim proprij doloris consequitur, dicit prædictus tex.

Filius familias transfuga non habet Ius postliminij, vt dicis verbo, *Transfuga*. Et miles desertor oblatus à patre quomodo puniatur? Habes verbo, *Miles*.

Rectè dictum est, si pater filij, quem in potestate habebat, tacitam fidem interposuerit non debere id filio nocere, quia parendi necessitatem habuerit, inquit *l. In fraudem 10. ff. de ijs, quibus vt indig.*

Si pater dotauerit filiam, nihilominus veniet ad patria successionem, etiam si pacta fuerit cum patre se nullum regressum habiturum ad bona paterna, vt &c. Filij enim meritis paternis magis

gis sunt ad obsequia paterna prouocandi quàm pactionibus adstringendi, vt probat *glos. verbo, Legibus in cap. 2. de ijs, qui fur. dar. poss.*

Si filius patrem, & matrem, quos venerari oportet, contumelijs afficit, vel impias manus eis infert: præfectus Vrbi delictum ad publicam pietatem pertinens pro modo eius vindicat: inquit *l. 1. de obseq. à liber.* vbi glos. sic. Publica vtilitas est talem impietatem punire.

Exhæredatur filius contra pietatem, vt notas verbo, *Pietas*. Quatuordecim verò causæ sint, propter quas exhæredari potest, & septem, propter quas è conuerso pater exhæredatur à filio, & tres, propter quas frater à fratre, vt per *glos. vlt. in §. vlt. de inoffic. testam. in Instit.* vbi his versibus continentur.

Bis septem causis exhæres filius esto,
Si patrem feriat, vel maledicat ei.
Carcere detrusum si negligat, ac furiosum.
Criminis accuset, aut paret insidias.
Si dederit grauia sibi damna, nec hosti redemit
Testari prohibet, aut dat arenæ iocum.
Si prauos sequitur, vel amat genitoris amicam
Non orthodox filia quando coit.
Sed pater ex septem si nati spernet honorem,
Hunc accusabit, dira venena dabit.
Testari vetat, aut vxorem diligit eius;
Non redemit captum, dum furit, odit eum.
Pellitur à fratre frater causis tribus, vt si
Arguit hunc sceleris, vel ei vult tollere vitam,
Vel si iacturam rerum sibi mouerit vnquam.

Filius non perdit donationem à matre factam, licet ei sit ingratus, si ipsa secundo nupserit, vt habes verbo, *Mater*.

Filius filiæ murileguli sequitur matrem; ibidem Vide.

Filius familias potest bonis cedere, vt dixisti verbo *Bona*.

Per patientiam patris videtur, & præsumitur filium esse sui iuris dixit *glos. verbo, Passus, in l. 1. C. de patr. potest. per tex.* ibi. Passus sit, vt patris familias res eius agit.

Sicut pater cogitur ex causis emancipare filium, ità filius ex causis cogitur eam accipere; dixit additio *ad glos. vlt. l. Nec auus C. de emancipat. liberor. contra eandem glos. ibidem contrarium tenentem glos. autem verbo, Non est, in Auth. quibus modis naturales effic. sui §. Illud tam. coll. 7.* dicit sic. Quæro, an compellatur filius exire patriam potestatem ex ijsdem causis, quatenus pater cogitur eum emancipare? Responde non, quia non inuenimus.

Filium autem, an teneatur pater emancipare, & quando? Vide verbo, *Pater*.

Licet seruus manumissus ex ante gesto non teneatur vt supra *de negot. gest. l. Eum actum*; secus est in filio emancipato, vt supra quod cum eo *l. 2. ita dicit glos. verbo, Distare in l. 3. §. Sed si filius ff. de pecul.*

De filijs emancipatis sic inquit *l. 1. in fin. C. de offic. prat.* Cùm se se intelligant obsequij plus debere, à quibus se meminerint sacris vinculis exutos.

Et si in contrarium fecerint etenim in potestaté patriam reuocari debent, vt dicit *l. Vnica C. de ingrat liber.* ibi. Filios, & filias, cæterosque liberos contumaces, qui parentes, vel acerbitate conuitij, vel cuiuscumque atrocis iniuriæ dolore pulsassent; legis emancipatione rescisa, damno libertatis immeritæ mulctari voluerunt.

Indulgentia concessa filio deportato non re-

restituit eum in patriam potestatem, sic summat *Bald. l. In insulam 6. C. de sentent pass.*

De filijs naturalibus, quòd debeant cum legitimis succedere sequuto matrimonio; sic inquit *l. Cum quis* 10. *C. de natur. liber.* Cùm enim affectio prioris sobolis, & ad dotalia instrumenta efficienda, & ad posterorum filiorum eãdem progeniem præstiterit occasionem. Quomodo non est iniquissimum ipsam stirpem secundæ posteritatis priorem, quasi iniustam, excludere, cùm gratias agere fratribus suis posteriores debeant, quorum beneficio ipsi sunt iusti filij, & nomen, & ordinem consequuti?

Eo ipso, quòd quis filiũ naturalẽ in extrema voluntate nominat filiũ, & hæredẽ instituit, intelligitur eum legitimasse, & hoc intellige, si alios legitimos non habet; ita dicit *gl. verbo, Filili in cap. per tuas qui filij sint leg.* vbi quatuor modos ponit legitimandi filios, quos vide ibi.

Et ibidem Apostill. sic. Qui legitimatus est per Principem non legitimatur in spiritualibus. A contrario tamen legitimatus per Papam, in spiritualibus, videtur legitimatus in temporalibus, vt ex *tex in cap. Per venerabilem* 13. *qui fil. sint legit* ibi ex quo verisimilius creditur, & probabilius reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat sæculares &c. quia cum maior in spiritualibus, tàm prouidentia, quàm authoritas requiratur, quod in maiori conceditur, licitum esse videtur, & in minori &c. Videretur siquidem monstruosum, vt qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa sæculares actus illegitimus remaneret. Vnde cum in spiritualibus dispensetur, intelligitur de temporalibus dispensatum.

Glos. tamen per dictum tex. intelligit in terris tantùm, quibus Papa habet vtramque Iurisdictionem; quia in alijs, vbi sunt Principes sæculares dicit Papam non posse mittere falcem, nec legitimare, quoad temporalia, quod quidem videtur ex eodem tex. deduci ibi. Quod non solùm in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verum etiam in alijs regionibus certis causis inspectis temporalem Iurisdictionem casualiter exercemus, non quod Iuri alieno præiudicare velimus.

Si filius se negauerit filium, quomodo poterit hoc constare? Respondet *glos. in cap. Michael de fil. presb.* in hæc verba. Si natus fuit ex illa, quam tenebat secum publicè in domo pro concubina, præsumitur enim filius illius, sicut aliquis præsumitur filius, quia natus est in matrimonio; quia pater est, quem nuptiæ demonstrant &c. & ità præsumptiuè talem dicimus filium, quem talis cohabitatio filium demonstrat, quia fuit in possessione filiationis &c. Sed si non fuit natus de tali, qualiter probabit? Responde ex eo, quòd ille vocabat eum filium, & ille appellabat eum patrem, & communiter habebatur, nominabatur filius &c. Et ex dilectione sola discernitur quis, cuius filius approbetur &c. sed videtur quòd talis nominatio non probetur illum filium, quia contrariam admittit probationem &c. benè statur nominationi &c. nisi expressè contrarium probaretur, & ibi allegat plura Iura.

Etiam naturalem filium efficere, vt deficiat conditio, dicit *l. Ex facto* 17. *§.* 1. *ff ad Trebell.* Mihi autem, addit idem tex. (quoad naturales filios attinet) voluntatis quæstio videtur esse, de quibus liberis testator senserit? Sed hoc ex dignitate, & conditione eius, qui fideicommisit, accipiendum erit.

Filij illegitimi non sunt despiciendi, sed attendendi ex ratione, quam ponit *Imperator in Auth. quib. mod. natural. effic. sui, coll.* 7. ibi. Non enim vitio, & interdictio despicienda est; sed quod est in

in necessitate curandum est, & defugiendum quidem, quod malum est, inueniendum verò vndique, quod melius est.

Spurius nec filius dicitur, inquit *glos. verbo, Parentibus, in l.1. ff. de testam. tutel.* vbi Apostill. limitat in fauorabilibus tantùm, quia in odiosis est secus, vt ibidem probat.

Spurios quoque posse ad legi in ordinem nulla dubitatio est; sed si habeant competitorem legitimè quæsitum, præferri eum oportebit &c. cessantibus verò his etiam spurij ad decurionatum, & re, & vita honesti recipientur, dicit *l.3. §. Vnico ff. de decurion.*

Nimis indignum est, nimis item impium flagitijs præsidia quærere, vt & petulantia seruire liceat, & Ius, nomenque patris, quod eis denegatum est, id altero legis colore præsumant, dixit *l. Legem Anastatij 7. §. In posterum, C. de natur. liber.* de filijs ex damnato coitu, qui vt plurimum se nominant nepotes, aut coniunctos, aut simili alio colore cùm non pòssint erubescentes patrem nominare.

Adoptiuus filius nunquam veri patris filius intelligitur, & sic in omni ferè Iure obseruari conuenit, ne imagine naturæ veritas obumbretur, videlicet, quod non translatus, sed reditus videretur, ità inquit *l. Filio 23. ff. de liber. & posthum.*

Finis.

ALiud est finis, aliud est scopus; scopus est signum, ad quod diriguntur sagittæ, finis est præmium, quod accipiunt, qui signum illud certius attigerunt, vt dicit *Cassian. coll. 1. cap.*

Quæ ad eundem finem tendunt, non sunt contraria, vt inquit *glos. verbo, Teneris, in cap. Si à iudice 10. de appell. lib. 6.*

Qui ponit principium totum supplere debet vsque ad finem, & cordi nobis est omnia cæpta ad finem perducere, quia alias opus imperfectum manet, quamuis dicat Tull. quòd nihil est in humano genere difficilius, quàm inuenire perfectionem; solus autem Deus opus imperfectum non nouit, vt inquit *glos. verbo, Militia, in cap. 1. de renunc.*

Finis aliquando spectandus, aliquando initium, & pro vtraque parte extant Iura, & glosæ; si vis scire, quando ille, quando istud sit spectandum, videas *glos. verbo, Electionis, in cap. Dudum 22. de election.* Vbi etiam, quando medium attendatur, quem tex. allegat etiam in materia *glos. vlt. in cap. 3. de censib.* Vide etiam, quæ dixi verbo, *Euentus*, vbi in dubio præsumitur talis mens fuisse à principio, sicut apparet in fine.

Contrarium probatur in casu *l. Sed Iulian. §. Proinde ff. ad Macedonian.* vbi licet à principio filius familias mutuũ non accepisset, vt in rem patris verteret, si tamen ex post facto, idest in fine, versum fuit in rem patris, cessat Macedonianum, vt his verbis apparet, sed & si ab initio non sic accepit, verùm postea in rem patris vertit, cessare &c. Intelligendumque esse ab initio sic accepisse, vt in rem patris verteret.

Sic etiam in terminis *l.3. §. Si quis palam ff. de Iur. fisc.* finis attenditur. Nam, quando testamenti tempore fuit incapaci relictum, mortis verò tempore reperitur capax, ad pænam illius tituli euitandam, finis, & non initium attenditur, vt expresse disponit *dicta l.* ibi. Et placuit exitum esse spectandum.

Nota insuper, quod quando finis habet necessariam consequentiam, ad principium ipsum, inspicimus principium, vt dixit *Bart. per tex. ibi in l. Damni §. Sabini ff. de damn. infect.*

Non potest sequentibus actibus robur accipere, cuius principium ad alium finem captum fuit, secus si initium cum me-

medijs, & fine concordat, sic summatur *l. 4. §. Si ab ignoto ff. de manumiss.*

Nota, quod instrumenta emptionis non probant fines plebatus, vel plebium, vel Curiarum, vt inquit *glos. verbo, Emptionis, in l. Præsidijs 89. §. Titio ff. de legat. 3.* cuius verba sunt. Non sufficere solùm argumentum emptionis respondi. Sed inspiciendum, an litteris, & rationibus appellatione Seianorum Gabiniana quoque continerentur.

Fiscus.

A Principio consuetudo fuit Populi Romani, vt pecuniam, quam ex tributis percipiebant, in marsupium ab initio reponerent, sed si marsupium nõ sufficeret, ad fiscum, idest ad saccum deuenirent; hoc idem & in Principe fuit, vt primo in bursa, deinde ad fiscum deueniret, idest ad saccum & sic quandoque ratio fiscalis dicitur ratio Imperatoris, ità ponit *glos. verbo, Fiscalis, in l. In Prouincijs 4. C. de numerar. actuar. lib. 12.* Verum est, quod de verbo Fiscus, eiusque sensu, significatione, & origine, quàm plurima extant scrip ta, sed nihil de illis hic ago, tum quia meæ inspectionis non est, tum etiam, quia mihi semper tædium fuit dicere, agere, & disputare de nominibus, & iam olim reprobati fuerunt Philosophi Nominales. Solùm dicam, quod fiscus Principis redditus etiam significat, constatque Canone in dictione, & oblatione, vt dicit *Apostill. glos. vlt. l. Nec 5. C. restitut. milit. ex Alciat. in l. Inter publica ff. de verbor. signif.*

Fiscus, Ecclesia, & minor pari passu ambulant, vt inquit *glos. verbo, Rebus suis, in cap. 2. de iur. iur. & glos. vlt. in l. 2. C. de priuil. fisc.* sic. Pari passu ambulant mulier, & fiscus.

Priuilegiatior est fiscus, quàm Ciuitas, dixit *glos. verbo, Molestiam, in l. 2. C. de debitor. Ciuit. lib. 11.*

Maximum est priuilegium fisci, dum potest suum debitorem, (licet ex causa) ante tempus præfinitum, ad soluendũ cogere, vt soluat vt dicitur *in l. 1. C. de condictione ex lege* ibi, vt fisco, cuius ob necessitates publicas causam potiorẽ esse oportet, debita pecunia exoluatur.

Fiscus vbique præsens est, inquit *glos. 1. in l. 1. C. de quadrien. præscript.* non ergo dici potest absens.

Fiscus non solet satisdare, dicit *l. 1. §. Si ad fiscum ff. vt legator. nomin. cau.* vbi *glos.* sic. Nam semper idoneus est, & soluendo &c. Et ibidem Apostill. ità. Non tenetur fiscus satisdare etiam nuda cautione; Ciuitas autem sic Bart. &c.

Nota, quod fraus facta fisco inducit crimen falsi, sed facta pupillo non, & sic fiscus fauorabilior est, vt dicit *glos. verbo, Excusationem, in l. 1. §. Ad testamenta ff. ad l. Cornel. de fals.*

Cum autem in locum priuati successit, etiam dare solet, inquit *l. Cum quidam 17. §. Ex locato ff. de vsur.* vbi *glos. verbo Dare*, sic dicit. Nota ergo hæredem debere vti Iure defuncti, licet ipse per se sit priuilegiatus vt hic, & confirmat *l. 2. ff. de alimen. & cib. leg.* ibi. Et licet ad fiscum bona fuerint deuoluta, ex quibus alimenta debeantur, præstanda sunt, sicut, si ad quemlibet successorẽ transissent.

Quæ non à patre, sed à genere, à Ciuitate, à rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia (scilicet confiscatis rebus patris) non enim hæc patrem, sed maiores eius eis dedisse, inquit *l. 3. ff. de interdict. & releg.*

Notabilis est *l. 1. de secund. nupt.* dum imponens pœnam ad morum correctionem eam noluit applicare fisco ex ratio-

ratione, de qua ibi. Hæc namque omnia ab hæredibus, vel cohæredibus, aut ab intestato succedentibus vendicari iubemus: ne in ijs, in quibus correctionem morum inducimus fisci videamur habere rationem; optimi namque Principis est fisci non habere rationem in detrimẽtum subiectorum, vt dixit *Imperator in l. Vnicum §. vlt. C. de cadue. tol.* ibi. Tantum enim nobis superest clementia, quòd scientes etiam fiscum nostrum vltimum ad caducorum vendicationem vocari, tamen nec illi pepercimus, nec augustũ priuilegiũ exercemus. Sed quod communiter omnibus prodest, hoc rei priuatæ nostræ vtilitati præferendum esse censemus, nostrum esse proprium subiectorum commodum imperialiter existimantes; & nunc Reges intelligite &c.

Et quod magis est post bona fisco applicata optimi Principis est pauperibus hæredibus restituere, vt alias fecit Imperator, vt constat *ex l. vnica ff. de portion. qua lib. damn. conc.* ibi. Sed Diuus Adrian. in hæc verba sententiam rescripsit. Fauorabilem apud me causam Albini filiorum numerus facit, cũ amplius Imperium hominum adiectione potiùs, quàm pecuniarum copia malim, ideoque illis paterna sua concedi volo, quæ manifestabant tot possessores etiam si acceperint vniuersa. Hæc sanè est melior, & sanctior Imperij conseruatio fiscum non ditescere pecunia miserorum; magis namque conuenit Principi clementia, quàm auaritia, vt dicit *Traianus relatus in l. 1. ff. de interdict.* in hæc verba. Scio relegatorum bona Superiorum temporum fisco vendicata, sed aliud clementiæ meæ conuenit, &c. Nec enim fiscus ditescere debet miserorum calamitatibus, inquit *l. 1. Cod. de naufrag. lib. 14.*

Malè acquisita fisco applicantur; qui successor est malè acquisitorum, vt probat *glos. verbo, exemplo, in cap. 1. de probib. feu. alien.*

Donatio facta fisco pro parte dimidia, non permittitur *ex l. 2. C. Ne fiscus, vel respubl.* ibi. Cum allegas partem rerum, vel actionum dimidiam fisco, quo magis eius iuribus protegaris, velle te donare: huiusmodi litium temporum meorum disciplina non patitur, & addit *l. 3. eod.* Abhorret à sæculo nostro sub prætextu debiti procurationem contra priuatos fiscum præstare.

Qui emit à fisco, tenetur stare locationi factæ ab eodem fisco, vt habes verbo, *Emptor*.

Quoties ad fiscum, vel portio rei pertinet vt vniuersa à procuratoribus meis distrahatur, inquit *l. vnica Cod. de vendit. rer fiscal. lib. 10 vbi glos. verbo, Distrahatur,* sic dicit. Secus in alio, qui non nisi partem suam vendere potest.

De fisci rebus venditis, ità inquit *l. si procurator ff. de Iur. fisc.* Statim fit emptoris prætio, tamen soluto, vbi notat *glos. verbo, Soluto,* sic. Non autem fide habita de pretio, & est speciale contra leges prędictas, & nota pro minoribus, & Ecclesijs &c.

Grauissimum verecundia mea duxit, vt cuius rei pretium cum bona fide esset addicta, semel fiscus acceperit eius controuersiam referas, inquit *l. 1. C. Ne fiscus rem, quam vend euinc. lib. 10.* Ego tamen vidi olim de tempore, quo aduocationis munere fungebar expeditum regium diploma contra prędictam legem, quo quam plurimi emptores fiscales fuerunt molestati super talibus venditionibus, contradicente etiam ratione *l. 2. eod. tit.* ibi. Retractare fiscum, quod semel vendidit æquitatis, honestatisque ratio non patitur, sed auaritia temporum hoc concedit.

Flu-

Flumen.

FLumina censitorum vice funguntur, vt ex priuato in publicum abdicant, & ex publico in priuatum dicit *Iurisconsultus in l.Ergo 30. iuxta fin. ff.de acquir.rer.domin.& glos.verbo, Incipit, in §.Insula eod.tit. in Instit.* sic. Nota hic, quod flumina vicem iudicum obtinent, vt dent; & auferant dominium, vt hic &c.

Fœmina.

AD imaginem Dei non est facta iuxtà sensum, de quo *Augustin.in cap.Hæc 33.q.5.* Hæc imago Dei, inquit tex.est in homine, vt vnus factus sit homo, ex quo cæteri oriantur habens Imperium Dei, quasi Vicarius eius, quia vnius Dei habet imaginem, ideoque mulier ad imaginem Dei non est facta.

De fœminarum malitia vide Ecclesiasticum *cap.25.B.17.* & ibi etiam inuenies hæc. Mulier, si primatum teneat, contraria est viro suo &c, De bonitate verò vide *eund.cap.26.* De pulchritudine vide *Pened.lib.1.de reb.Salom.cap.3.in fin.& alia Verbo, Mulier.*

Fœmina viro subdita, & penè famula est, dixit *idem August. relatus in cap. Satis 33.q.5.*ibi. Quemadmodum viri fæminas subditas, & penè famulas lex esse voluit, & non dixit famulas, sed penè; Nam si de pede Adami formaretur Eua, tunc esset famula propriè; & si de capite formaretur, poterat dici domina; sed formata fuit de costa, tamquam collateralis vt inquit *glos.verbo, Costa, in cap.vlt.dist.caus.33.q.5.* & quia fuit causa peccati, ideo remansit quasi famula *ex verbo, Dei, Genes. 3.* Vide *cap. Adam.d.33.q.5.*

Fœminarum genus garrulum, & sicut muta cicada pro miraculo est; ità silentium in fæmina latè prosequitur *Tiraq. ad leges Connubiales l.10.à num.1.vsq; ad 7.& in l.6.num.129.*

Fœminæ consilium debile, vt habes verbo, *Consilium*, & probatur *in l.Si pater 4. C.de spons.* ibi. Cum plerumque etiam ipsius fæminæ aduersus commoda propria inueniatur laborare consilium.

Idem dici potest de eius testimonio, nam varium, & mutabile semper fæmina producit, vt dicitur *in cap.Forus in fin. de verbor. signif. vbi glos.* ponit hos versus.

> *Quid leuius fumo? flamen: quid flamine? ventus*
> *Quid vento? mulier; quid muliere? nihil.*

Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulier pedes terant, quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accessibus copulatur, Fœmina conscientiam secum pariter habitantis exurit. Numquam de mulierum formis disputes. Fœminæ nomen tuum nesciant. Fœminam, quam benè videris conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere dixit *Hieronym.relat. Hospitiolum 32.in cap.dist.*

Pessimum est fœminino vocabulo etiam masculos comprehendere dicit *l.Si ità 46. ff. de legat. 2.* dicti ratione. Vide *Alciat.lib.2.parerg.cap.48.* Potest etiã ex hoc inferri, quod abominabile est in viro vox, & loquela fœminea. Et tamen in casu inuenies, quod fæmina comprehendit masculum, *vt in l.Adigere 6 de Iur.patr.* Adigere inquit tex. Iure iurando, ne nubat liberta, intelligitur etiam qui libertum iurare patitur.

Non tantum masculi, sed & fœminæ ex

vi;

virili sexu descendentes Carboniani commodum habebunt, inquit *l. 1. ff. de Carbonian. edict.*

Fœmina debilior masculo intelligitur, vt notes verbo *Masculus*, & tamen citius pubescit, sed quare citius? inquit *glos. verbo, Completum, in l. Qua ætate 5. ff. de testam.* Et respondet, quia citius sagatior &c. & quia citius viri potens, & additio ibidem sic. Vel dic secundum Bald. Quia mala herba citò crescit &c. Sed Hostien. dicit, quòd fæmina minus viuit, & ideo citius completur, vt videmus in plantis, & ista ratio est Philosophica.

Fœminæ sunt peioris conditionis, quàm masculi, vt habes dicto verbo, *Masculus*. In sententijs tamen mitius circa eas proferri debet, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus, dixit *Imperator in l. Quisquis 5. §. Ad filias C. ad l. Iul. magist.*

In successionibus autem non est facienda differentia inter masculos, & fæminas; æqualiter enim de Iure communi succedunt. Vnde qui differentias inducunt inter eas, & masculos, quasi naturæ accusatores existunt, cur non totos masculos generauit, vt vnde generentur non fiant, inquit *l. Maximum vitium C. de liber. præt.* Vide etiam optimam legem in materia *l. Lege duodecim tab. C. de legit. hæred.* cuius verba ponis dicto verbo, *Masculus*.

Maior honestas requiritur in muliere, quàm in masculo vt probat *Apostill. ad glos. verbo, Postulata in §. Est autem de hæred. instit. in instit.* vbi addit sic. Vnde turpius esset hoc nostro tempore, quòd famulus cognosceret dominam, quàm si dominus cognosceret famulã propter honestatem, quæ maxima requiritur in ipsa muliere.

Si quis virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas minus peccare videtur, multò minus si meretricia veste fęminæ non matrum familias vestitæ fuissent inquit *l. Item apud Labeonem 15. §. Si quis ff. de iniur.*

Non solum prædicta habent locum quando non necessario fœminæ sic cursitant, sed adhuc etiam in casu necessario propter honestatem arceantur fœminæ à prosequendis suis litibus, vt decreuit *Imperator Constantin. in l. Maritus 21. C. de procur.* vbi marito conceditur facultas, vt sine mandato possit pro vxore in iudicio audiri, ne fęminæ, inquit tex. prosequendi litis obtentu in contumeliam matronalis pudoris irreuerenter irruant, & conuentibus virorum, vel iudicijs interesse cogantur.

Quamuis secundùm regulas Iuris Ciuilis fœminæ à publicis officijs sint remotæ, & alibi dicatur, quod licet summæ opinionis existant, si arbitrium in se susceperint, vel si patronæ inter libertos suos interposuerint audientiam, ab omni sint iudiciali examine separandæ, vt ex earum prolatione nulla pæna aduersus earum contemptores, nullaque pacti exceptio habeatur; quia tamen iuxtà consuetudinem approbatam, quæ pro lege seruatur in partibus Gallicanis fœminæ præcellentes in subditos suos ordinariam Iurisdictionem habere noscuntur; sic inquit *cap. Dilecti 4. § Quamuis de arbitr.*

Et *glos. verbo, Procuratricem, in cap. Cùm dilecta 4. de confirm. vtil. vel inutil. per tex.* ibi ità ait. Sic ergo fœmina potest esse procuratrix, sic, & arbiter; vel dic, quod verius est, quod Papa constituit eam procuratricem. Vnde de hoc non est disputandum &c. aliàs fœmina non potest esse procuratrix &c. nisi fuerit pro miserabilibus personis, vt est Virgo Mater pro peccatoribus latè disputat *Bart. in tract. inter Virginem & Dæmon.* quem vide, si placuerit.

Pulchritudo fœminę inuitat ad matrimonium, vt habes verbo, *Matrimonium*, ideo forsan fœminæ sæculares crinibus vtun-

vtuntur, qui valdè fœminas exornant ad pulchritudinem, non verò religiosæ, vide etiam super hoc verbo, *Monialis*.

Fœmina auara est, & auarissimum genus mulierum, vt probat *glos. vlt. in l. Si à sponso 16. C. de donat. ante nupt. per tex.* ibi. Quòd si sponsa &c. donationis titulo (quod raro accidit) fuerit aliquid sponso largita.

Defectus legitimæ ætatis in fæminis non suppletur ex numero liberorum, sic summatur *l. De ijs 12. C. de admin. tutor. & tex.* sic dicit. Nec enim ignoras non multum patrocinari fœcunditatem liberorum fœminis ad rerum suarum administrationem, si intra ætatem legitimam non sint constitutæ.

Foraneus.

IN Regia vrbe, quæ & habetur, & est communis patria decenter vtiq; vtilem se ipsum præbens, nō minus, quàm in propria patria immunitate fruetur, dicit *l. Sed & reprobari 7. §. vlt. ff. de excusat. tutor.*

Forma.

FIgura cuiuscumque rei est ipsius apparens forma, vel facies, in qua rei substantia fingitur, dixit *glos. verbo, Non exigat, in Clem. vlt. de verbor. signif.*

Tunc forma dat esse rei, & ab ea sit denominatio, quando actus sine ea procedere non potest; ità inquit *glos. verbo, Constitutio, in §. Seruitus autem de iur. person. in Instit.*

Forma mutata dicitur res abesse, etiam si eius corpus maneat. Vide verbo, *Res*; nàm mutata forma propè interimi substantiam rei; Marcell. scribit, vt dicit *l. Iulian. 9. §. si quis rem ff. ad exhibendum*, vbi Bald. sic. Forma est quæ dat esse rei, & commutata forma substantiali; res non dicitur eadem, sed diuersa, & Apostill. ibidem ità. Nota istum textum, ad quod semper allegatur, quod licet sit identitas materiæ, si est diuersitas formæ, res dicitur esse diuersa, concordat *l. Si conuenerit §. Si quis sic ff. de pignor. act. & glos. verbo, De causis, in fin. in cap. Cùm causam 37. de testibus*, ità dicit. Mutata forma, & substantia quasi mutata videtur, & *glos. 1. in cap. 1.* (loquente de Altari) *de consecr. Eccles.* sic. Mutatum quoad formam amiserit per diminutionem, vel augmentum, cùm hæc sit forma rei.

Forma contractus inspici debet ad hoc, vt quis vsurarius censeatur, quia omne esse est in forma, sed non est semper verum in casu isto, dixit *glos. verbo, Ex tali forma in cap. in Ciuitate 6. de vsur.*

Commodissimè illà forma in mandatis seruanda est, vt quoties certum mandatum sit, recedi à forma non debeat. At quoties incertum, vel plurium causarum, tunc licèt alijs præstationibus exoluta sit causa mandati, quàm quæ ipso mandato inerat, si tamen hoc mandatori expediat, mandati erit actio, inquit *l. Si quis 46. ff. mand.*

Fortis.

QVi propriam potest vincere iracundiam fortior est omnibus, dixit *Plato Athenien.* dum interrogaretur quis nam fortior esset. Et ille vir fortis habetur, cuius sobrius erit animus in rebus quoque infæliciter gestis, vt idem scilicet maneat rectis consilijs peccata corrigens, dixit *Ioseph de bell. Iud. lib. 4. cap. 1. num. 30.*

Ignis aurum probat, miseria fortes viros, dicit *Senec. lib. de prouid. & in lib. Medea.*

dea cap. 3. ità. Fortuna fortes metuit, inanes premit; fortuna opes, non animum auferre potest; condicunt, quæ *Cicer lib. rectbor. art. non.* ibi. Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmius in virtute, quàm in casu præsidium collocauit.

Nec fortitudinem, quæ non est cum iustitia, laudabimus, dixit *Imperator Iustinian. in Auth. vt omnes obed. iudic.*

Fortitudo est pericula iusta contemnens, aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, prouocandorum; ità definiuit *Senec. lib. 2. de benef. cap.* 34.

Corrumpitur autem fortitudo à superabundantia, & defectu, assueti enim contemnere terribilia, & sustinere ipsa, fortis est &c. Qui sustinet pericula, & gaudet, fortis est, qui autem tristatur, timidus est, dixit *Arist. Ethicor. cap.* 2.

Fortuna.

FOrtes metuit, inanes premit &c. vt suprà proximè dixisti *ex Senec.*

An potius in fortùnam, cuius potentiæ nullis humanis rationibus resistere licet, ne sapientissimis. Vnde persuasum habemus eam omnes humanas actiones præsanxisse, vt necessaria consequantur; eamque vim fatum vocamus; quod nihil sit, quod illa non efficiat; dixit *Iosepb de antiq. lib.* 16. *cap. vlt. lin.* 10.

Et idem lib. 8. *cap. vlt. in fin.* sic. Quin & ea reputatio hoc loco subit animum, quod insuperabilis fati sit necessitas, quæ etiam si præsciatur, præcaueri tamen non potest, Sed tandiù homines sibi vana spe blandiuntur, donec in illius casses incidant. Nullus enim contra fortunam inexpugnabilis murus est, vt dixit *Senec. epist.* 75.

Quandoquidem mores cum fortuna sunt mutabiles, vt dixit *Iosepb lib.* 15. *antiq. cap.* 2. *lin.* 40. *Senec. verò epist.* 36. contrà videtur sentire ibi. In mores fortuna Ius non habet, hos disponat, vt quàm tranquillissimus ille animus ad perfectum veniat, qui nec ablatum sibi quicquam sentit, nec adiectum, sed in eodem habitu est quocumque res cadunt, *& in epist.* 83. sic. Non habet vt putamus, fortuna longas manus, neminem occupat, nisi hærentem sibi; & *epist.* 95. ibi. Nos fortunæ mala nostra tradimus, nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum.

Non est tuum, fortuna, quod fecit tuum, dari bonum, quod potuit, auferri potest; dixit *idem Senec. lib.* 1. *Epist.* 8. *in fin. & epist.* 92. sic. Sæpè maiori fortunæ locum fecit iniuria, & *glos. in casus positione l.* 1. *C. quand. Imp. inter. pupill.* sic. Nota ex hac lege, quòd fortuna dicitur iniuriari illis, quibus accidit infortunium, & alibi dicitur, quòd dicitur insidiari, & probatur *ex eod. tex.* ibi. Alijque fortunæ iniuria miserabiles, & *in l. Ius postliminij* 14. *C. de postlim.* sic. Nec tibi fortuna medij temporis, quominus res maternas successione quæsitas persequi possis, iniuriam fieri patimur.

Hoc tantum dixerim vltimam esse aduersæ fortunæ sarcinam, quod dum miserit aliquod crimē infligitur, quę perferunt meruisse creduntur. Et ad hoc, quod non debet esse, quis credulus est *ex Boet. tradit glos. verbo, Feriamus, in l. vlt. C. de accusat.*

Turpe est, vt patriæ functiones ferre non possit, quo etiam fortunæ vim se ferre profitetur dicit *l Readatur* 8. *C. de professor. & medic. lib.* 10. loquens de eo, qui se gerit, vt philosophus, & prætendit se excusare à functionibus patriæ.

Ecce par Deo dignum vir fortis cum mala fortuna impositus dixit *Senec. de diu. prouid. cap. de sustinend. impet. aduers. & de prosperit. d. lib.* sic. Nos itaque

que Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet.

In l. de pollicitationibus 8. *ff. de pollic. Iureconsult.* sic inquit. Nam & si aduersa fortuna vsus in triennium à præfecto Vrbis relegatus esset, tamen gratiam muneris, quod sponte obtulit, minuere non debet.

Non etiam debet Magistratus futuros casus, & fortunam pupillo præstare, inquit *l.* 1. *§.* 1. *vers. Si Magistratus ff. de magistrat. conu.*

Fortunam esse huius optionis iudicem, & sorte hoc esse dirimendum, vt ad quem sors peruenerit, illius sententia, in electione præualeat dixit *tex. in §. optionis de legat. in instit, & l.* 3. *C. commun. de legat.* Loquens de electione pluribus relicta, qui in eligendo sunt discordes, ità ait. In huiusmodi casibus rei iudicem fortunam esse, & sortem inter altercantes adhibendam, vt quem sors prætulerit, is quidem habeat potestatem eligendi.

Fortuitus casus.

NOn potest præuideri, inquit *cap. vlt. de homicid.* & ibidem notat *glos. vlt. & in l. Verum* 12. *§. Sciendum ad fin. ff. de minor.* sic. Quod fato contingit cuius patrisfamilias (quamuis diligentissimo) posse contingere.

In casibus autem fortuitis, qui sine culpa, & sine mora contingunt, pactum speciale est necessarium, vt inquit *glos. vlt. in l. Et Aristoni ff. mand.* quam sic summat Bartol. Per pactum potest quis se adstringere ad casum fortuitum.

Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse inquit *l. Si cum dotem §. Si maritus ff. solut. matr.*

Ea, quæ ex improuiso, casu potius, quàm fraude accidunt, fato, non noxæ imputantur, vt probat *glos. verbo, Vitam, in cap.* 1. *de pac. tenen.*

Casus fortuitus est bellum, nisi tempore contractus potuit præuideri, vt iam dixisti verbo, *Bellum.*

Furtum non computatur inter casus fortuitos, sed latrocinium, vt probat *glos. verbo, & fine, in l.* 3. *ff. Naut. caup. per tex. in §. is quoq; quib. mod. re cont. oblig. in instit.*

Nihil æquè fortuitorum capax, quàm mare, inquit *Tacit. lib.* 4. *annal. cap.* 1.

Nota pericolum non accipi pro fortuito casu, sed pro eo, vbi saltem leuissima culpa fuit, vt inquit *glos. verbo, Conductoris in l. Opus* 39. *ff. locat.*

Quod bonum est, bonos facit, fortuita bonum non faciunt; ergo non sunt bona, dixit *Senec. epist.* 88. Cum hoc tamen stat, quod quandoque fortuito quis benè dicit, inquit *glos. in l. Omnes C. de præscript. trig.*

Frater.

QVi effudit sanguinem, & fraudem facit necessariò fratres sunt ex Augustin. refertur *in cap. Immolans* 14. *q.* 1. Nam inter fratres maior inuidia regnat, vt probat *l. Cum oportet C. de bon. quæ liber.* ibi. Et filij non lugebunt, quæ ex suis laboribus sibi possessa sunt, ad alios transferenda aspicientes, vel ad extraneos, vel ad fratres suos, quod etiam grauius multis videtur esse, & melius *in Auth. de trien. & sem. §. Et quod sæpè coll.* 3. ibi. Frequenter enim quidam plurimorum filiorum constituti patres inde putantes mox substantiam diuidere in fraterno certamine eos seruant, & ad maiores adhuc, & seueriores eos contentiones adducunt, vbi *glos. verbo, Adducunt*, sic. Nam magis dolet, si fratri aliquid,

vltra partem datur, quam etiam si extraneo, vt &c. & *Crisost. super Ioannem* 7. dixit Consanguinitas enim solet quodammodo inuidiæ haberi, & *glos. verbo secundis in Auth. de nupt. §. Nec illud coll.*4. sic. Item propter inuidiam tollendam, quæ maximè oritur inter fratres; & optimè facit illud *Genes. cap.* 38. vbi fratres Ioseph ei inuiderant propter somnia, quæ tunc nondum quicquam erant, ibi, inuidebant igitur fratres sui ei.

Et tamen de Iure humanitatis, & religionis ratio non permittit, vt aduersus sororem, vel filios sororis actionum necessitates tutelæ occasione suscipias, inquit *l. Humanitatis* 23. *C. de excusat. tutor.* vbi notat *glos. verbo, Suscipias*, quod ex littera dicti textus decidatur quæstio illa. An quis possit compelli postulare contra fratres, vel sorores.

De Iure etiam tenetur frater fratrem inopem alere, vt dicis verbo, *Alimenta*; & probat *glos. per tex. ibi in l. Qui filium* 4. *ff. vbi pupill. educar. deb.* Sed non dabit prætor sorori pupilli alio patre natæ, dotem, nam & si honestè ex liberalitate tamen sit, quæ seruanda arbitrio pupilli est, vt inquit *l. Cum plures §. vlt. ff. de administrat. tutor.* Nec etiam frater dat honorem sorori, vt habes in verbo *Mulier*.

Frater quando fratri succedat, & non pater? Vide verbo, *Hæreditas*.

Nec apud peregrinos fratrem sibi quisquam per adoptionem facere poterat, inquit *l.* 7. *C. de hared. inst.* licet societas quodammodo ius fraternitatis in se habeat, vt dicitur *in l. Verum* 64. *ff. pro soc.* vbi glos. reddit rationem; dicens, quia Socij, vt fratres se diligunt.

Fraus.

Inest dolo, inquit *l. Iuris gentium §. Sed si fraudandi in fin. ff. de pact.* vbi *glos.*1. sic ait. Et secundum hoc dolus est genus, & inest fraus ei, vt species genus, vt fraus tantum dicatur cum mei commodi causa, sed dolus dicatur etiā sine meo commodo. Dolus palam, & clam committitur, sed fraus palam, vt probat *glos. verbo, Nec dolus in l.* 2. *C. de in lit. iur. per tex. in d. l. Iuris gentiū §. Dolo ff. de pact.*

Capitalem fraudem admittere est tale quid delinquere, propter quod capite puniendus sit; veteres enim fraudem pro pœna ponere solebant, inquit *l. Cum autem* 23. *ff. de adil. edict.* & infra sic. Capitalem fraudem admisisse, accipimus dolo malo, & per nequitiam, cæterum si quid errore, si quid casu fecerit, cessabit edictum.

Nota, quod durius agitur cum eo, qui fraudat legem, quàm cum eo qui fraudat hominem, vt inquit *glos. verbo, In fraudem, in l. Si Libertus* 16. *ff. de iur. patr.*

Requiritur autem fraus cum effectu in materia legis Eliæ sentiæ, vt inquit *l.* 1. *ff. de stabu lib.*

Nota etiam, quod fraus facta fisco inducit crimen falsi, sed facta pupillo non, & sic fiscus in hoc fauorabilior est, vt dixit *glos. verbo, excusationem in l.* 1. *§. Ad testamenta in fin. ff. ad l. Cornel. de fals.*

Magis fraudem rei, quàm personæ accipimus in materia fraudandi patronum, vt dicit *l.* 1. *in fin. ff. Si quid in fraud. patron.*

Prætor intelligit fraudem etiam in tempore fieri, dicit *l. Ait prætor §. Si cùm in diem, & l. Omnes, §. vlt. in fin. ff. Quæ in fraudem credit.*

Sed sufficit patrono, si nihil de suo in ne-

in necem eius libertus alienauit; quod si noluit obtinere, cum poterit &c. puto hunc diminuisse de patrimonio; actionem enim de bonis diminuit, quemadmodum si passus esset actionis diem abire, dicit *l. 1 ff eod tit si quid in fraud. patron.* Sed in fraude creditorum videtur contrarium *in l. Qui autem ibi, ff. Quæ fraud. credit.* vbi non acquirens patrimonio, de patrimonio diminuisse non intelligitur.

Non fraude caret, qui conuentus testato perseuerat, dicit *l. Ait prætor* 10. *§. Si quis particeps ff. quæ in fraud. credit.* Loquens de eo, qui emit facta sibi denunciatione ne emat.

Inque esse fraudem, quod venierit possessio, in quam habet patronus affectionem, vel opportunitatis, vel vicinitatis, vel cæli, vel quod illic educatus sit, vel parentes sepulti, an debeat audiri volens reuocare? Sed nullo pacto erit audiendus; fraus enim accipitur in damno pecuniario, inquit *l. 1. ad med. ff. Si quid in fraud. patron.*

In fraudem facere videri etiam, qui non fuit quod debet, ait *l. 4. ff. quæ in fraud. cred.*

Ex fraude lucrum non debet dari, habes verbo, *Lucrum*.

Carebit legum priuilegijs, quas fraudare conatus est quisque, vt inquit *l. Omnes 9. ad fin. C. de metat. lib. 12.* vbi glos. alia iura allegat.

In fraudem etiam tunc intelligitur quis facere, si vltra pretium medietatis acciperet pro toto, inquit *glos. verbo, Dum tamen militi detur in cap. Si vassallus penult. si de feu. def.*

Citius fraus præsumitur in persona domestici, vt dicit, & probat *glos. 2. in cap. Vnico qualiter iur. deb. vassall.*

Ex quantitate pænæ semper fraus præsumitur, vt probat *glos. verbo, Vltra, in l. Cum allegas Cod. de vsur. per text.* ibi.

Nemo autem videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt, inquit *d. l. Qui autem §. Hoc edictum, ff. quæ in fraud. credit.*

Nec etiam videtur fraudem facere, qui fraudem excludit, vt inquit *glos. verbo, Malignantium, in cap. Cupientes 16. de elect. lib. 6.* vbi additio dicit etiam in foro conscientiæ hoc procedere; probatur etiam in *l. Cum pater 79. §. Titio ff. de legat. 2* ibi. Nec videbitur dolum fecisse, cum fraudem excluserit.

Nec etiam cum fauori proprio quis renunciat, fraus committitur, vt probat *l. Potest hæres 7. ff. ad l. Falc.* ibi. Quia ea lex hæredis causa lata est, nec fraus fit ei, si Ius suum diminuat hæres.

Conditio, quæ fraudis causa adscripta est, habetur, ac si adscripta non esset, vt in *l. Seius, & Augerius 27 ff. ad l. Falc.*

Nec etiam videtur voluisse fraudare edictum, qui sibi prospicit, ne oneribus patris pupilli hæreditas implicetur, inquit *l. Si pupillus 42. ff. de acquiren. hæredit.*

Fraudis particeps conuenitur, licet lucra ad eum non peruenerint, dicit *glos. verbo Conueniri, in l. 4. §. Quamquam ff. Si quis omiss. cau. testam.*

Non verò agit conscius fraudis, inquit *glos. verbo, Conscius, in l. Ex facto in fin. ff. de negot. gest per tex.* ibi. Itá tamen si non sit conscius fraudis.

Nota, quod fraus purgatur sic, & mora interdum inquit *glos. verbo, Mutata, in cap. Cum ex eo 34. de elect. lib. 6.*

Frequentia.

Videtur ex duabus vicibus, vt inquit *glos. verbo, Frequentare, in cap. Monasteria 8. de vit. & honest. cleric.*

Nota aliquid constitui nimiæ frequentiæ vitandi causa, inquit *glos. verbo, Crebra, l. Cum alijs 6. per tex.* ibi. Ne crebra,

bra, vel quasi ludibriosa fiat curatoris creatio *C. de curat. furios.*

Fructus.

ALij naturales, vt poma, & similia: alij industriales, vt segetes, quæ industria hominis quæruntur. Item alij percepti, alij percipiendi. Et percepti dicuntur à bonæ fidei possessore quocumq; modo à solo separati, at à fructuario in horreis demum reconditi, vt infra *quib. mod. vsusfruct. amittat. l. Si vsufructuarius*. Item percipiendi dicuntur duobus modis, vel quia Dominus eos percepisset. Dic ergo, quòd naturales fructus nullus possessor, etiã bonæ fidei, facit suos, vt infra *de vsufruct. l. Fructus, ita ponit glos. Magistra in l. Ex diuerso, verbo non habendam, ff. de rei vendicat.* vbi latè de materia vide.

Et glos. verbo, Non lucrum, in l. 3. ff. de vsur. sic ait. Fructus itaque sunt quidam pendentes, quidam percepti, quidam percipiendi. Pendentes omnes fideicommissarium sequuntur, cùm quodammodo partes fundi sint, vt supra *de rei vendication. l. Fructus pendentes.* Percepti alij ante aditam hæreditatem, qui omnes ad fideicommissarium pertinent, vt infra *ad Trebellian. l. Ita tamen §. Sed si quid*. Post aditam hæreditatem percepti, alij ante moram, alij post moram. Post moram percepti, & etiam percipiendi fideicommissariũ sequuntur, vt infrà *de legat.* 1. *l. Apud Iulianum §.* 1. *& ad l. Ita tamen §. si seruum ff. ad Trebellian.* Ante moram percepti, si impendio hæredis, & opera percipiuntur, ipsum sequuntur, cæteri verò fideicommissarium, vt infra *ad Trebellian. l. Postulante fisco §.* Sed in huiusmodi, & alia latissimè ibidẽ. Vide in Materia.

Fructus intelliguntur deductis impensis quæ quærẽdorum, colligendorum, conseruandorumque eorum gratia fiunt. Quod non solùm in bonę fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verùm etiam in prædonibus dicit *l. Si à patre* 39 *§. vlt. ff. de petit. hered.* Et probat *glos. verbo, Fructus, in cap. Grauis* 11. *de restit. spol.* ibi, Nota, quod fructus dicuntur, qui supersunt deductis expensis, quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, & conseruandorum fructuum, quod locum habet tàm in bonæ fidei possessoribus, quàm in malæ fidei, etiam prædonibus &c. nam nullus casus interbenire potest, qui hoc genus deductionis impediat &c. Fructus enim intelliguntur deductis necessarijs impensis &c. Cum hac distinctione. Bonæ fidei possessor tenetur restituere tantùm extantes ante litem contestatam, & non consumptos; post litem vero contestatam vniuersos &c. Malæ fidei autẽ possessor (non tamen violentus) tenetur reddere omnes, qui probantur ad eum peruenisse ante litem contestatam, si vero fuerit violentus; tunc tenetur restituere perceptos & eos, qui percipi potuerunt per veteres possessores, vt hic &c.

Et sicuti fructus cogitur restituere is, qui procurat, ità sumptus, qui in fructus percipiẽdos fecit, deducere eum oportet, sed & si aduecturas suas dum excurrit prædia, sumptus fecerit, puto hos quoque sumptus reportare eum oportere, dicit *l. Idem* 10. *§. Idem labeo ff. mãdat.* Hoc fructuum nomine continetur quod deductis iustis sumptibus superest, ait *l.* 1. *C. de fruct. & lit. expen.*

Quod in sementem erogatur, si non responderint messes, ex vindemia deducitur, quia totius ãni vnus fructus est inquit *l. Si fundus* 9. *§. quod, ff. solut. matr.*

Fructus inter mouentia haberi *Diu. Traianus* rescripsit, vt testatur *l. vlt. ff. de requir. re.*

Fructus etiam contineri sub nomine pecuniæ,

cuniæ; habes verbo, *Pecunia*.

Omnis fructus non Iure seminis, sed Iure soli percipitur. Quoniam in percipiendis fructibus magis corporis Ius, ex quo percipitur, quam seminis, in quo oriuntur, inspiciuntur dicit *l. Qui scit, 25. ff. de vsur.*

Porro bonæ fidei possessor in percipiendis fructibus id Iuris habet, quod dominis prædiorum tributum est. Præterea cùm ad fructuarium pertineant, à quolibet sati quanto magis hoc in bonæ fidei possessore recipiendum est, qui plus Iuris in percipiendis fructibus habet?

Cùm fructuarij quidem fiant antequam ab eo percipiantur; ad bonæ autem fidei possessorem pertineant, si quoquo modo à solo fuerint separati, dicit *d. l. Qui scit ff de vsur.*

Fructus, quos ante aditam hæreditatem ex fundo hæreditario hæres cepit non aliter familiæ hercisc. iudicio præstare eum Iulian. ait, quàm si cùm sciret hæreditarium fundum esse, eos ceperit, sic *l. Inter 45. § Si familia vers. fructus ff. famil. hercisc. vbi glos. verbo, Sciret,* ità ait. Alias si putaret suum fundum, & consumpsisset fructus, vt bonę fidei possessor, non teneretur vt supra *tit. l. l 4. §. Post litē, & infra eod. l. Fundus, qui;* vel quod verius est, immo teneretur vtili actione familiæ herciscundæ, licet perceperit bona fide, nesciens se cohæredem non directa, quia non fecit, sicut hæres, vt supra *ead. l. Et puto §. 2.*

Eos, qui bona inuasissent, idest, qui cùm scirent ad se non pertinere hæreditatē, inuaserunt bona, cùm nullam causam haberent possidendi fructus, non solùm quos perceperunt, sed quos percipere debuerunt, eos præstaturos, inquit *l. Sed si 28. §. Quod ait Senatus ff. de petit. hared.* Cùm enim sit prædo de perceptis, & percipiendis teneatur, vt probat *glos. verbo Proderit, in l. si pignore §. si prædo ff. de pignor. act. Et cap. Grauis 11. de restit. spoliat.* ibi. Vt non tantùm fructus à nouo, & violento possessore perceptos, sed quos (si eis possidere fuisset licitum) possessores veteres percepissent, reddi faciatis coniuncta *glos. vlt. in cap. cum dilectus de iur. patr.* ibi. Immò & quos percipere potuisset legitimè institutus, quia est violentus possessor, *& in l. 2. C. de fruct. & lit. expens.* ibi. Sed etiam eos, quos percipere potuisset &c. exoluat ex eo tempore, ex quo re in iudiciū deducta scientiā malę fidei possessionis accepit. Hęredis quoque succedentis in vitium par habenda fortuna est, *& in l. Si de possessione 4. C. vnde vi*, ibi. In qua etiam fructus, quos vetus possessor percipere potuit, non tantùm quos prædo percepit venire non ambigitur.

In l. Falcidia placuit, vt fructus postea percepti, qui maturi mortis tempore fuerint, augeant hæreditatis æstimationem fundi nomine, qui videtur illo tempore fuisse pretiosior, inquit *Papinian. in l. 9. ff. ad l. Falc.* vbi contrarium dicit in ventre ancillæ; cuius verba ponis verbo, *Partus*.

In fideicommissariam hæreditatis restitutionem constat fructus non venire, nisi mora facta sit, aut quis specialiter fuerit rogatus, & fructus restituere. Planè fructus in quartam imputantur, inquit *l. 18. ff. ad Trebell.*

Fructibus augetur hæreditas, cum ab eo possidetur, à quo peti potest dicit *l. 2. C. de petit. hared.*

Fructus ij deducuntur in petitionem, non quos hæres percepit, sed quos legatarius percipere potuit, dicit *l. Affricanus 40. §. 1. ff. de legat.* 1. Quia quantò tardius pecuniam quis dat, tantò tardius ad fideicommissum peruenit, & medij temporis fructus perdit, inquit *l. Facta 63. §. Rescripto ff. Ad Trebell.*

Cum fundus alienaretur, quod ad eum fructusque eius attineret, vnam quandam rem fuisse, cuius omnis generis alienationem fructus sequitur, inquit

l.vlt §.penult.quæ in fraud.credit.

Nota habitando percipi fructus, sic inquit *glos.verbo,Habitãdo,in l.Si is 11.§.1.per tex.* ibi. Fructus percipiat habitando *ff.de pignor.*

Valeat consuetudo, quod fructus vnius Ecclesiæ, ad tempus alij applicentur, vt sit membrum vnius, & eiusdem corporis, cum ista Ecclesia militans sit vnica, & vnum corpus misticum faciat, ità inquit *glos.de consuetudine in Extrauag.Vnica ne Sed.vac.int.com.*

Quamuis visitatum non sit post appellationem fructus agri, de quo disceptatio fit, deponi; tamen cùm depopularentur ab aduersario æquum sibi videri fructus apud sequestrum deponi, inquit *l.Imperatores 21.ff.de appellat.*

Super liquidatione fructuum potius reo, quàm actori defertur iuramentum, vt habes Verbo, *Iuramentum.*

Si fructus perceptos quis distraxit, ne corrumperentur, æque non amplius quàm pretium præstabit, inquit *l.Item si 15.§.1 ff.de rei vendic.*

Sicut Ius diuidi nõ potest, sic nec fructus, inquit *glos.vlt.in cap.Nisi 21.de prab.*

Gratior est fructus, quem spes productior edit, inquit *glos.verbo Villam,in cap.Institutum 27.q.2.*

Frumentum.

MInimè æquum est Decuriones Ciuibus suis frumentum viliùs, quàm annona exigit, vendere, ait *l.vlt. ff. ad l. Iul. de annon.* Sed prouidere debent quanto pretio secundum qualitatem temporis sit annona vendenda, dicit, *cap.Post natalem de pac.tenend.*

Crescit inopia, si frumenta, quæ pro annona tribuuntur ad vsus alios deputare cognoscantur; cogentur enim sibi emere de publico, quæ alijs vendere potuissent, dicit *l.1.C.de frum. Vrb. Constan.* & ità experientia docuit annis retroactis.

Non debet prius frumentum nouum vendi, quàm vetera condita fuerint erogata; Et si fortè vetustate species ità corrupta est, vt per semet erogari sine querela non possit, eidem ex noua portione misceatur, cuius adiectione corruptio velata damnum fisco non faciat inquit *l.1.C.de cõd.in hor.pub.lib.* 10. Nõ ergo calumniari debent priuati, si ad exemplum huius legis idem faciant, nisi dicamus diuersam esse rationem vtilitatis publicæ à ratione priuatæ.

Fuga.

EO ipso, quod famuli, seu serui fugiunt videntur res amissas subtraxisse, vt arguit, & notat *glos. verbo, Factum, in Auth.de exhiben.re.§.Si verò Semel col. 5 per tex in princ.* ibi. Illum verò (siquidem administrator sit) iuberi omnino exhiberi reum, tamquam periurum, & sui accusatorem per fugam factum.

Eum qui scit se liberum, deinde pro fugitiuo agit, hoc ipso, quod in fuga sit, pro seruo agere, dicit *l Quod ait 10. in fin ff.de liberal.cau.* Per fugam enim se condemnat, vt ait *glos verbo,Sententia, in l. Impuberibus §. Præterea per tex.* ibi; qui suspectus sententia sua factus est, *ff.de suspect.tutor.*

Curandum est, ne quid ei, qui profugit medio tempore à debitoribus eius soluatur, ne per hoc fuga eius instruatur, dicit *l. vlt. ff. de requir. re.*

Non solùm consilij, sed etiam facti fugere est, ait *l.Bouem 43 ff.de adel.edict.*

Fugiens debitor potest capi authoritate propria, vt dixisti verbo, *Debitor*, idem in Monacho fratre, & vxore, vt dicitur in eisdem verbis.

Furiosus.

HVius omnis status, & habitus à pupilli conditione non multùm abhorret, dicit *l. Fulcinius* 7. *§.* 1. *vers. Planè ff. quib.ex cau.in possess.eat.* Cum alterum innocentia consilij tueatur alterum fati infelicitas excuset, inquit *l. Infans* 12. *ff.ad l.Cornel.de Siccar.* Idem *glos.in l.Quod infans* 60. *ff. de rei vẽdic.* & de furioso addit *l. penult. §. Vnico ff. ad l. Pompeiam de Parricid.* sufficere furore ipso eum puniri; *& in l. Diuus* 14. *ff.de offic. præsid.* ibi potes de modo pœnæ eius dissimulare, cùm satis furore ipso puniatur. Sed cum magna circunspectione in hoc procedendũ, quia multi se furiosos fingunt, sicut è conuerso multi furiosi se demostrant sanæ mentis, vt inquit *glos.magna in cap. Dilectus* 24. *de spons.* ibi. Sæpè enim furiosi sunt constituti in conspectu vmbratæ quietis &c. nec tamen sunt sanæ mentis, licet videantur.

Furor superueniens non reuocat ea, quæ sunt perfecta vigore mandati, sed impedit perficienda, vt inquit *Bart. per tex. ibi in l. si quis* 46. *ff. de acquir. hæred.*

Quandoque præsumitur quis demens ex sermonibus, quibus vtitur, vt inquit. *glos. verbo, Si probaretur, in l. Filium* 60. *ff.de acquir.hæred.* Et quandoque ex factis, nam prodigus dicitur furiosum facere exitum, vt inquit *l. Is qui* 12. *§.Vnico ff. de tutor. & curat.* & habes verbo, *Prodigus.*

Furiosus loco quiescentis, & dormientis habetur, vt probat *glos. verbo, Sicut, in cap. Vassalli post princip. de pac. const.* Non ergo furiosi authoritas requiritur, nec in hæreditate adeunda, vt dicit, & probat *glos. in l. Si nepos* 9. *ff. de ris. nupt.*

Furtum.

QVid dolo fecit, qui putauit Dominum concessurum fuisse, siue falso id, siue verè putet? Is ergo solus fur est. qui contrectauit, quod inuito domino se facere sciuit, inquit *l. Inter omnes* 47. *§. Vlt. ff. de furt.* Nec enim furtiuum est, quod sciente Domino inclusum est, dicit *l. de eo* 64. *in fin. ff. de donat. int. vir.*

Insuper cum facto etiam animum furis furtum exigit, inquit *l. Si quis* 42. *§. Sed si quis ff. ad l. Aquil.* Vnde si hæc duo concurrunt, furtum est.

Nihil autem ad furtum minuendum facit, quod, cuius sit, ignoret fur, inquit *l. Falsus* 44. *§. Qui alienum ff. de furt.*

Furtum committit, qui re deposita vtitur, vt dicis verbo, *Depositum.*

Committitur etiam in epistola subrepta, vt habes verbo, *Epistola.*

An committatur in rebus mariti. Habes verbo, *Vxor.*

Filij Nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi tamen furti non tenentur, idem in seruo, inquit *l. Serui ff.de furt.* Seruus namque eo ipso, quód Seruus, ergo fur maximè Capifer; Dominis enim suis, etiam si nihil aliud possunt, cinerem subripiunt, & fur est non solum, qui extraneo, sed etiam qui Domino suo furtum facit, vt probat *glos. Verbo, Quantò minoris, in l. Iulianus* 14 *ff.de act. empt. per l. Quod si nolit. §.* 1. *ff. de ædilit. edict.*

De his, qui à furibus emunt, est *tex. optimus in l.* 2. *C. de fur. & ser. corrup.* Curate igitur, inquit, cautè negotiari, ne non tantùm in damna huiusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis.

Etiam si partis dimidiæ nanciscar domi-

rium in seruo, qui mihi ántea furtum fecerat; magis est, vt extinguatur actio etiam parte redempta; quia & si ab initio quis partem habebat in seruo, furti agere non poterat inquit *l. Falsus 44. §. vlt. in fin. ff. de fur.* vbi *glos. verbo, Extinguitur,* reddit rationě dicens. Quia deuenit in eum casum, à quo incipere non potest.

Si plures furtum committunt, singuli in solidum tenentur, vt probat *l. vulgaris 21. §. vlt. propè fin. ff. de furt.* ibi. Nec enim dici potest pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei vniuersos, & sic fiet singulos furti teneri.

Fur de perceptis, & percipiendis tenetur, probat *glos. verbo, Proderit, in l. Si pignore §. Si prædo ff. de pign. act. per tex. in l. Si nauis §. fin. ff. de re iudic.*

Semper moram facere fur videtur, inquit *l. in re furtiua 8. ff. de condict. furt. idem l. vlt. eod. tit.* ibi. Quia videretur, qui primo inuito Domino rem contrectasset, semper in restituenda ea, quam nec debuit auferre moram facere.

Furti agere potest is, cuius interest rem non subripi. Interesse autem eius videtur, qui damnum passurus est, non eum, qui lucrum facturus esset, inquit *l. Si is, cui 73. §. Vnico ff. de furt.*

Fur furti agere non potest, vt inquit *l. Eum qui 14. §. 1. de furt.* ibi. Quia in omnium furum persona est constitutum ne eius rei nomine furti agere posśint, cuius ipsi fures sunt, idem probat *glos. verbo, Cuius interest, in §. Furti autem de oblig. quæ ex delict. nascun. in Instit.* ibi. Nam si est malæ fidei possessor, vel huius rei fur, furti non aget &c. Sed si bonum initium habuerit, vt quia sibi commodaui, vel locaui, habet furti actionem, & hic est casus, in quo fur furti agere potest, vt &c. Rei hæreditariæ nondum possessæ furtum non fit dicit *l. Contra 6. §. vlt. ff. Rerum amot.*

Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit; furatur enim, vt esurientem impleat animam. *Prouerb. cap. 6. num. 30.* Vnde secundum Bald. si tempore carestiæ aliquis est furatus panem causa comedendi, non est culpandus de furto, vt notauit *Apostill. in l. 2. §. Cum in eadem in fin. ff. ad l. Rhod. de iact.* & facit *tex. in cap. Si quis propter necessitatem de furt. cap. Discipulos de consecr. dist. 5.* & quod notatur *in cap. Ius naturale 1. dist.*

Res furtiua quando fiat vsucapibilis, vel non, vide *glos. optimam in l. Si quis vxori 53. verbo, Furti tenebitur, ff. de furt.*

Nemo cogitur indicare furem, vt probat *glos. in l. Ciuile C. de fur. & seru. corru.* vbi additio contra tenet in casu, vide tu tamen, & considera.

Furtum non computatur inter fortuitos casus, sed latrocinium, vt probat *glos. verbo, & sine, in l. 3. ff. nau. caup per tex. in §. Is quoque quibus mod. re contrah. in Instit.* In quo autem differat furtum à latrocinio, vide verbo, *Latro.*

Futurum.

OMne futurum despicitur, suadentque præsentia fructum. Ad præsens oua, cras pullis sunt meliora, dicit *glos. in l. Cum hi ff. de transact. & facit l. 1. vbi Bart. ff. de in lit. iur.* Præponderant enim præsentia futuris, & serijs, iucunda, & læta tristibus, & properata tardioribus, dicit *cap. Inter hæc hic cum il primo de pænit. dist. 3. coniunctio tex. in cap. Omnes,* ibi. Quanto ea retribui tardius putant *47. dist.*

Futura præcauenda sunt, prout possunt nam, & exempla præsentia nos cauere præmonent in futurum, vt inquit *glos. verbo, Obuiare, in Extrauag. vnica, ne Sede vacan. idem glos. in cap. 1. de seruis non ordin. & addit.* Et maior tristitia est de talibus, cũ reuocantur, quam nasca-

scatur gratia de accitis, idest vocatis &c. & sic ad cautelam futurorum aliquid fit, & præuidere quis debet, quod contingere potest; prędictus autem tex. sic. Et ideo quod infirmari, vel vituperari potest, præcaueri debet.

Nullus tamen contrahentes culpabit, quare non futurum scierunt dixit *Authenticum de nupt. in princ. coll. 4.*

Iudicium non est de futuris, vt inquit *glos. magna verbo, Debebo, in l. In lege Aquilia, ff. ad l. Aquil.* Licet tex. ibi videatur contrarium dicere in illis verbis. Sub conditione mihi pecunia debita fuerit &c. debebo quidem vincere, sed condemnationis exactio tunc competet, cùm debiti conditio extiterit, quod si defecerit, condemnatio nullas vires habebit. Quæ quidem lex notabilissima est. Sed dic, quod in ista lege non agitur pro debito sub conditione, sed pro facto, hoc est ratione chirographi deleti contra delentem, non principalem debitorem. Videas.

Tractus futuri temporis ad iudicem non pertinet, vt probat *glos. verbo, Cautionibus, in l. Pro socio 38. ff. pro soc. per tex. in l. 1. ff. de vsur.*

DE LITTERA G.

Gabella, & Gabellarij.

QVantæ audaciæ, quantæque temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est, qui nesciat, inquit *Vlpian. in l. 12. ff. de publican. & vect.* Experientia enim patet. Eorum autē conditio dura effecta est, quia debent bonos seruos ad hoc ministerium eligere, vt dicit *l. 3. eod. tit.* & tamen pessimos, & crudelissimos eligunt.

Et tamen vectigalia, & tributa exigi debent à gabellarijs suauiter, dicit *glos. verbo, Deuotionis, in l. 1. C. de comerc. & mercat.* ibi. Quia cum efficacia benignè, & cum instantia humanè conueniendi sunt, vt soluant. Verumtamen non ità, sed crudeliter, & inhumaniter excoriando procedunt.

Emptores gabellarū pro necessitate Reipublicæ possunt exigi ante diem, vel tempus, remisso tamen eis interusorio medij temporis, vt dixit *glos. vlt. in additione in l. 1. C. de condict. ex leg.*

Gabellam ad refectionem itinerum, & pontium soluit Ecclesia idem in ea, quę soluitur de plautris, vt habes verbo, *Iter*.

Genealogia, Generalitas, & Genus.

HOc vltimū verbū sumitur dupliciter aut quatenus cōprehendit genealogiā, prosapiā, seu generationē; aut quatenus sub se cōtinet species, vt (secūdū Iuristas loquor) quando promittitur homo in genere.

De primo, inquit *Crisost. hom. 4. in Matt. pōderādo c. 6. Genes.* ibi. Hæ sunt generatione Noe, Noe vir iustus &c. Rarus, & alienus genealogię modus, loco genealogiæ ponitur eius iustitia. Nō generationis nobilitate, sed iustitiæ, & perfectionis laudatur; Probati enim viri genus virtutis prosapia est. De hoc etiam verbo, *Diximus*, verbo *Arma*.

De eodē dicit *Celest. Papa in c. videtur nobis 35. q. 6.* ità. Ideo maximè parētes recipiūtur, siue, si defuerint parētes proximiores admittūtur. Quoniā vnusquisq; suā genealogiā cū testibus, & chartis cū exercitatione, & recitatione maiorum scire laborat. Quia igitur alijs melius sciunt, ideo magis admittūtur &c.

Qui enim melius recipi debent, quàm illi, qui melius sciunt? Idem probat *cap. videtur 3. qui matr. accus. poss.* per eadem verba.

Glos. verbo, Masculinam in Clem. 1. de pæn. dicit. Quod etiam si non declaretur in pœna imposita vsque ad descendentes ad secundam generationem, generatio masculina intelligatur tantum de ea, vt ibi masculina intelligebatur etiam, si non fuisset appositum, & probat *per tex. in cap. Vbicumque eod. tit. de pæn. lib. 6.*

In generando homine magis natura, & consuetudo spectanda est, quàm temporale vitium, aut valetudo, propter quam abdicatur homo à generandi facultate dicit *l. Si quis 9. ff. de liber. & posth.*

De genere verò quatenus continet sub se species, dicit *glos verbo, Non aliter in addit. in l. 1. ff. de offic. eius,* ità. Aliter est generalitas, aliud vniuersitas; nam in generalitate, quælibet species consideratur de per se; sed in vniuersitate non, quia omnes faciunt vnum totum, vt *in l. Eum, qui ædes ff. de vsucap.*

Genus à digniore parte sui summit nomen, ait *glos. verbo, Stipulatio, in l. 1. ff. de verbor. oblig.*

Ponitur aliquando genus pro specie, vt inquit, & probat *glos. in l. Non videtur ff. de iudic.*

Tantùm valet generaliter dici, quantum si singula numerentur, vt ait *glos. verbo, Enumerata, in l. Omnes C. de præscrip. trig.*

Nota, quod non tantùm valet genus, quoad speciem, quantum species, vt dicit *glos. verbo, Speciale, in cap. Procurator 38. de elect. lib. 6. & glos. penult. in cap. 2. de offic. vicar. eod. lib.* ibi. Non ergo tantum valet genus, quoad singula, quantum species; idem *glos. verbo non debet, in cap. Qui ad agendum 4. de procurat. eod. lib.*

Restringitur ergo apellatio generis circa speciem, & probat *glos. in l. Et quia 5. ff. ad Macedonian.* Multum enim interest inter genus, & speciem. Speciem enim eximi de genere placet inquit *l. Si peculium 10. ff. de manum. testam. & in cap. Dudum 14. de prab. lib. 6.* sic. Eò præsertim, quòd secundùm Canonicas, & legitimas sanctiones per speciem generi derogatur, quamquam de genere in derogante specie mentio nulla fiat, facit *l. Vxorem 39 §. fœlicissimo ff. de legat. 3.* ibi. Non esse vero simile eam, quæ nihil aliud fœlicissimo, & fœlicissimæ, nisi hæc specialiter legarit: ad filium, cui & hæreditatis suæ partem reliquit, legatum generali sermone transferre voluisse.

Genus facilius patitur debilitatem, vel anihilationem, quàm species, quia genera sunt intelligenda ciuiliter, sic dicit *glos. verbo, Non potest in additione, in cap. Is, cui 19. de prab. lib. 6.*

Generalis clausula non porrigitur ad ea, de quibus specialiter comprehenditur, vt inquit *glos. verbo, De eo in l. Sed & si 26. §. Hæc clausula ff. ex quib. cau. maior. per tex. in l. Doli ff de verb. oblig. & d. l. Vxorem §. Felicissimo ff. de legat. 3.*

Sub generalitate non veniunt grauiora, vel maiora, quàm in ipso procuratorio sunt expressa, inquit *Clem. 2. de procur.* Nec in generalitate trahitur id, quod non est specialiter cogitatum, vt probat *glos. verbo, Coarctetur, in l. Iubemus C. ad Velleian.* ibi. Contra generalitatem, vt non trahatur, nisi ad specialia, de quibus est cogitatum; verba autem tex. sunt. Eadem renunciatio ad illos contractus, & illas res, seu personas, quibus consensum suum proprium accommodauerint, coarctetur.

Nota in generali remissione dolum non contineri, probat *glos. verbo, Absit, in l. Pomponius 10. ff. de negot. gest.* per iura, quæ ibi allegat.

Vbi

Vbi est clausula specialis, non indigemus generali, dicit *glos. verbo, Cauetur, in l. Quis sit fugitiuus, ff. de adil. edict.*

Species seruitutis exprimenda est, ne si generaliter seruire dictum erit, aut nihil valeat, quia incertum est, inquit *l. In tradendis ff commun. prad.*

Nimia generalitas reprobatur, vt inquit *glos verbo, Omnia, in cap. Ad hae 10. de rescript. idem glos penult. in cap. vlt. ead. tit.* Quæ etiam dicit sic. Generalitas enim parit obscuritatem, idem *glos. 1. in cap. 2. de libel. oblat.* Vnde generaliter dictum nulli esse dictum, ait *glos. verbo, Ad neutros, in cap. Ex multa 9. de vot.*

Sic etiam à contrario, plus timeri solet, quod specialiter iniúgitur, quàm quod generaliter imperatur, vt inquit *Extrauag. 3. de prab. inter comm.* & tradit *glos. verbo, Proferenti, in Auth. de instrumen. cautel. §. Si verò moriantur coll. 6.*

Promissio in genere mediocritatem respicit. A simili quoque dispensatio in genere respicere debet tantum minoritatem, dicit *glos. verbo, Ordinari, in cap. literas 14. de fil. Presb.* vbi arguit contra, & respondet.

Vnde, qui in genere tenetur, vel in incerto, non tenetur ad id, quod melius est, sed ex bono, & æquo, vt inquit *glos. verbo, Ex bono, in l. Si quid 18 ff de adel. edict.* cuius verba sunt. Hæc omnia videntur eò pertinere, ne id, quod affirmauit, venditor amarè ab eo exigatur; sed cum quodam temperamento, vt si fortè constantem esse affirmauerit, non exacta grauitas, & constantia, quasi à Philosopho desideretur &c. Sed hæc omnia ex bono, & æquo desiderentur.

Genus perire non potest, vt inquit *glos. verbo periculum, in l. Necessario 8. & in l. Quod si 14. ff. de pericul. & commod.*

Multoties licet in genere, quod non licet in specie, & interdum est è conuerso, dicit *glos. verbo, In genere, cap. 3. de concess prab lib. 6.* Licet de specie ad genus valeat argumentum affirmatiuè, vt habes verbo; *Species.*

Gradus.

OMnes sumus filij primi gradus, & hęredes, & sic digni successione, nisi ab ea propter ingratitudinem excludamur. Potentioribus tamen nobilitate, litteratura (vt de carnis proximitate, seu alijs taceamus) pares esse non possumus, nec debemus. Est enim gradus inter Angelos, Apostolos, & alios, ità dicit *optima glos. verbo, Aequa distributione, in Extrauag. Execrabilis 4. de prab. inter comm.* Vniuersitas enim alia ratione subsistere non posset, nisi magnus ordo distinctionis graduum eam seruaret, vt dixit *glos verbo, Maioribus, in Extrauagan. 1. de verbor. sign.*

Apud Deum verò non gradus elegantior sed vitæ melioris actio comprobatur, dicit *cap. Sicut excellentiam 23. quast. 4. & ibidem glos. verbo, Non ex ordine.*

Nemo autem repentè fit summus, sed in bona conuersatione, quæ sine charitate nulla est. A minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat. Sunt itaque gradus non solùm inter virtutem, sed in eadem virtute, vt inquit *Augustin. relatus in cap Charitas est, à qua in fin. de panit. dist. 2. Et idem Augustin. relatus in cap. Qui vult ead. dist. 2. de charitate,* sic inquit. Sed numquid mox, vt nascitur, iam prorsus perfecta est? vt perficiatur nascitur, cùm fuerit nata nutritur, cùm fuerit nutrita roboratur, cùm fuerit roborata perficitur.

vltra partem datur, quam etiam si extraneo, vt &c. & *Crisost. super Ioannem* 7. dixit Consanguinitas enim solet quodammodo inuidiæ haberi, & *glos. verbo secundis in Auth. de nupt. §. Nec illud coll.*4. sic. Item propter inuidiam tollendam, quæ maximè oritur inter fratres; & optimè facit illud *Genes. cap.* 38. vbi fratres Ioseph ei inuiderant propter somnia, quæ tunc nondum quicquam erant, ibi, inuidebant igitur fratres sui ei.

Et tamen de Iure humanitatis, & religionis ratio non permittit, vt aduersus sororem, vel filios sororis actionum necessitates tutelæ occasione suscipias, inquit *l. Humanitatis* 23. *C. de excusat. tutor.* vbi notat *glos. verbo, Suscipias*, quod ex littera dicti textus decidatur quæstio illa. An quis possit compelli postulare contra fratres, vel sorores.

De Iure etiam tenetur frater fratrem inopem alere, vt dicis verbo, *Alimenta*; & probat *glos. per tex. ibi in l. Qui filium* 4. *ff. vbi pupill. educar. deb.* Sed non dabit prætor sorori pupilli alio patre natæ, dotem, nam & si honestè ex liberalitate tamen sit, quæ seruanda arbitrio pupilli est, vt inquit *l. Cum plures §. vlt. ff. de administrat. tutor.* Nec etiam frater dat honorem sorori, vt habes in verbo *Mulier*.

Frater quando fratri succedat, & non pater? Vide verbo, *Hæreditas*.

Nec apud peregrinos fratrem sibi quisquam per adoptionem facere poterat, inquit *l.* 7. *C. de hæred. inst.* licet societas quodammodo Ius fraternitatis in se habeat, vt dicitur *in l. Verum* 64. *ff. pro soc.* vbi glos. reddit rationem; dicens, quia Socij, vt fratres se diligunt.

Fraus.

Inest dolo, inquit *l. Iuris gentium §. Sed si fraudandi in fin. ff. de pact.* vbi *glos.*1. sic ait. Et secundum hoc dolus est genus, & inest fraus ei, vt species genus, vt fraus tantum dicatur cum mei commodi causa, sed dolus dicatur etiã sine meo commodo. Dolus palam, & clam committitur, sed fraus palam, vt probat *glos. verbo, Nec dolus in l.* 2. *C. de in lit. iur. per tex. in d. l. Iuris gentiũ §. Dolo ff. de pact.*

Capitalem fraudem admittere est tale quid delinquere, propter quod capite puniendus sit; veteres enim fraudem pro pœna ponere solebant, inquit *l. Cum autem* 23. *ff. de ædil. edict.* & infra sic. Capitalem fraudem admisisse, accipimus dolo malo, & per nequitiam, cæterum si quid errore, si quid casu fecerit, cessabit edictum.

Nota, quod durius agitur cum eo, qui fraudat legem, quàm cum eo qui fraudat hominem, vt inquit *glos. verbo, In fraudem, in l. Si Libertus* 16. *ff. de iur. patr.*

Requiritur autem fraus cum effectu in materia legis Eliæ sentiæ, vt inquit *l.* 1. *ff. de stabu lib.*

Nota etiam, quod fraus facta fisco inducit crimen falsi, sed facta pupillo non, & sic fiscus in hoc fauorabilior est, vt dixit *glos. verbo, excusationem in l.* 1. *§. Ad testamenta in fin. ff. ad l. Cornel. de fals.*

Magis fraudem rei, quàm personæ accipimus in materia fraudandi patronum, vt dicit *l.* 1. *in fin. ff. Si quid in fraud. patron.*

Prætor intelligit fraudem etiam in tempore fieri, dicit *l. Ait prætor §. Si cùm in diem, & l. Omnes, §. vlt. in fin. ff. Quæ in fraudem credit.*

Sed sufficit patrono, si nihil de suo inne-

in necem eius libertus alienauit; quod si noluit obtinere, cum poterit &c. puto hunc diminuisse de patrimonio; actionem enim de bonis diminuit, quemadmodum si passus esset actionis diem abire, dicit *l.1 ff eod tit si quid in fraud. patron.* Sed in fraude creditorum videtur contrarium *in l. Qui autem ibi, ff. Quæ fraud. credit.* vbi non acquirens patrimonio, de patrimonio diminuisse non intelligitur.

Non fraude caret, qui conuentus testato perseuerat, dicit *l. Ait prætor 10. §. Si quis particeps ff. quæ in fraud. credit.* Loquens de eo, qui emit facta sibi denunciatione ne emat.

Inque esse fraudem, quod venierit possessio, in quam habet patronus affectionem, vel opportunitatis, vel vicinitatis, vel cæli, vel quod illic educatus sit, vel parentes sepulti, an debeat audiri volens reuocare? Sed nullo pacto erit audiendus; fraus enim accipitur in damno pecuniario, inquit *l. 1. ad med. ff. Si quid in fraud. patron.*

In fraudem facere videri etiam, qui non fuit quod debet, ait *l. 4. ff. quæ in fraud. cred.*

Ex fraude lucrum non debet dari, habes verbo, *Lucrum*.

Carebit legum priuilegijs, quas fraudare conatus est quisque, vt inquit *l. Omnes 9. ad fin. C. de metat. lib. 12.* vbi glos. alia iura allegat.

In fraudem etiam tunc intelligitur quis facere, si vltra pretium medietatis acciperet pro toto, inquit *glos. verbo, Dum tamen militi detur in cap. Si vassallus penult. si de feu. def.*

Citius fraus præsumitur in persona domestici, vt dicit, & probat *glos. 2. in cap. Vnico qualiter iur. deb. vassall.*

Ex quantitate pænæ semper fraus præsumitur, vt probat *glos. verbo, Vltra, in l. Cum allegas Cod. de vsur. per text.* ibi.

Nemo autem videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt, inquit *d. l. Qui autem §. Hoc edictum, ff. quæ in fraud. credit.*

Nec etiam videtur fraudem facere, qui fraudem excludit, vt inquit *glos. verbo, Malignantium, in cap. Cupientes 16. de elect. lib. 6.* vbi additio dicit etiam in foro conscientiæ hoc procedere; probatur etiam in *l. Cum pater 79. §. Titio ff. de legat. 2* ibi. Nec videbitur dolum fecisse, cum fraudem excluserit.

Nec etiam cum fauori proprio quis renunciat, fraus committitur, vt probat *l. Potest hæres 7. ff. ad l. Falc.* ibi. Quia ea lex hæredis causa lata est, nec fraus fit ei, si Ius suum diminuat hæres.

Conditio, quæ fraudis causa adscripta est, habetur, ac si adscripta non esset, vt in *l. Seius, & Augerius 27 ff. ad l. Falc.*

Nec etiam videtur voluisse fraudare edictum, qui sibi prospicit, ne oneribus patris pupilli hæreditas implicetur, inquit *l. Si pupillus 42. ff. de acquiren. hæredit.*

Fraudis particeps conuenitur, licet lucra ad eum non peruenerint, dicit *glos. verbo Conueniri, in l. 4. §. Quamquam ff. Si quis omiss. cau. testam.*

Non verò agit conscius fraudis, inquit *glos. verbo, Conscius, in l. Ex facto in fin. ff. de negot. gest per tex.* ibi. Ità tamen si non sit conscius fraudis.

Nota, quod fraus purgatur sic, & mora interdum inquit *glos. verbo, Mutata, in cap. Cum ex eo 34. de elect. lib. 6.*

Frequentia.

Videtur ex duabus vicibus, vt inquit *glos. verbo, Frequentare, in cap. Monasteria 8. de vit. & honest. cleric.*

Nota aliquid constitui nimiæ frequentiæ vitandi causa, inquit *glos. verbo, Crebra, l. Cum alijs 6. per tex.* ibi. Ne crebra,

bra, vel quasi ludibriosa fiat curatoris creatio *C. de curat. furios.*

Fructus.

Alij naturales, vt poma, & similia: alij industriales, vt segetes, quæ industria hominis quæruntur. Item alij percepti, alij percipiendi. Et percepti dicuntur à bonæ fidei possessore quocumq; modo à solo separati, at à fructuario in horreis demum reconditi, vt infra *quib. mod. vsusfruct. amittat. l. Si vsufructuarius*. Item percipiendi dicuntur duobus modis, vel quia Dominus eos percepisset. Dic ergo, quòd naturales fructus nullus possessor, etiã bonæ fidei, facit suos, vt infra *de vsufruct. l. Fructus, ita ponit glos. Magistra in l. Ex diuerso, verbo non habendam, ff. de rei vendicat.* vbi latè de materia vide.

Et glos. verbo, Non lucrum, in l. 3. ff. de vsur. sic ait. Fructus itaque sunt quidam pendentes, quidam percepti, quidam percipiendi. Pendentes omnes fideicommissarium sequuntur, cùm quodammodo partes fundi sint, vt supra *de rei vendication. l. Fructus pendentes.* Percepti alij ante aditam hæreditatem, qui omnes ad fideicommissarium pertinent, vt infra *ad Trebellian. l. Ita tamen §. Sed si quid.* Post aditam hæreditatem percepti, alij ante moram, alij post moram. Post moram percepti, & etiam percipiendi fideicommissariũ sequuntur, vt infrà *de legat. 1. l. Apud Iulianum §. 1. & ad l. Ita tamen §. si seruum ff. ad Trebellian.* Ante moram percepti, si impendio hæredis, & opera percipiuntur, ipsum sequuntur, cæteri verò fideicommissarium, vt infra *ad Trebellian. l. Postulante fisco §.* Sed in huiusmodi, & alia latissimè ibidẽ. Vide in Materia.

Fructus intelliguntur deductis impensis quæ quærẽdorum, colligendorum, conseruandorumque eorum gratia fiunt. Quod non solùm in bonę fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verùm etiam in prædonibus dicit *l. Si à patre 39 §. vlt. ff. de petit. hered.* Et probat *glos. verbo, Fructus, in cap. Grauis 11. de rest. spol.* ibi, Nota, quod fructus dicuntur, qui supersunt deductis expensis, quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, & conseruandorum fructuum, quod locum habet tàm in bonæ fidei possessoribus, quàm in malæ fidei, etiam prædonibus &c. nam nullus casus interbenire potest, qui hoc genus deductionis impediat &c. Fructus enim intelliguntur deductis necessarijs impensis &c. Cum hac distinctione. Bonæ fidei possessor tenetur restituere tantùm extantes ante litem contestatam, & non consumptos; post litem vero contestatam vniuersos &c. Malæ fidei autẽ possessor (non tamen violentus) tenetur reddere omnes, qui probantur ad eum peruenisse ante litem contestatam, si vero fuerit violentus; tunc tenetur restituere perceptos & eos, qui percipi potuerunt per veteres possessores, vt hic &c.

Et sicuti fructus cogitur restituere is, qui procurat, ità sumptus, qui in fructus percipiẽdos fecit, deducere eum oportet, sed & si aduecturas suas dum excurrit prædia, sumptus fecerit, puto hos quoquę sumptus reportare eum oportere, dicit *l. Idem 10. §. Idem labeo ff. mãdat.* Hoc fructuum nomine continetur quod deductis iustis sumptibus superest, ait *l. 1. C. de fruct. & lit. expen.*

Quod in sementem erogatur, si non responderint messes, ex vindemia deducitur, quia totius ãni vnus fructus est inquit *l. Si fundus 9. §. quod, ff. solut. matr.*

Fructus inter mouentia haberi *Diu. Traianus* rescripsit, vt testatur *l. vlt. ff. de requ:r. re.*

Fructus etiam contineri sub nomine pecuniæ,

cuniæ; habes verbo, *Pecunia*.

Omnis fructus non Iure seminis, sed Iure soli percipitur. Quoniam in percipiendis fructibus magis corporis Ius, ex quo percipitur, quam seminis, in quo oriuntur, inspiciuntur dicit *l. Qui scit,* 25.*ff.de vsur.*

Porro bonæ fidei possessor in percipiendis fructibus id Iuris habet, quod dominis prædiorum tributum est. Præterea cùm ad fructuarium pertineant, à quolibet sati quanto magis hoc in bonæ fidei possessore recipiendum est, qui plus Iuris in percipiendis fructibus habet? Cùm fructuarij quidem fiant antequam ab eo percipiantur; ad bonæ autem fidei possessorem pertineant, si quoquo modo à solo fuerint separati, dicit *d.l. Qui scit ff de vsur.*

Fructus, quos ante aditam hæreditatem ex fundo hæreditario hæres cepit non aliter familiæ hercisc.iudicio præstare eum Iulian. ait, quàm si cùm sciret hæreditarium fundum esse, eos ceperit, sic *l. Inter* 45. *§ Si familia vers. fructus ff. famil. hercisc. vbi glos. verbo, Sciret,* ità ait. Aliàs si putaret suum fundum, & consumpsisset fructus, vt bonę fidei possessor, non teneretur vt supra *tit.*1.*l* 4.*§. Post litē,& infra eod.l. Fundus, qui;* vel quod verius est, immo teneretur vtili actione familiæ herciscundæ, licet perceperit bona fide, nesciens se cohæredem non directa, quia non fecit, sicut hæres, vt supra *ead.l. Et puto §.*2.

Eos, qui bona inuasissent, idest, qui cùm scirent ad se non pertinere hæreditatē, inuaserunt bona, cùm nullam causam haberent possidendi fructus, non solùm quos perceperunt, sed quos percipere debuerunt, eos præstaturos, inquit *l.Sed si* 28.*§. Quod ait Senatus ff. de petit.hered.* Cùm enim sit prædo de perceptis, & percipiendis teneatur, vt probat *glos.verbo Proderit, in l.si pignore §. si prædo ff.de pignor. act. Et cap. Grauis* 11.*de restit.spoliat.* ibi. Vt non tantùm fructus à nouo, & violento possessore perceptos, sed quos (si eis possidere fuisset licitum) possessores veteres percepissent, reddi faciatis coniuncta *glos.vlt.in cap.cum dilectus de iur.patr.* ibi. Immò & quos percipere potuisset legitimè institutus, quia est violentus possessor, *& in l.*2.*C.de fruct.& lit.expens.*ibi. Sed etiam eos, quos percipere potuisset &c. exoluat ex eo tempore, ex quo re in iudiciū deducta scientiā malę fidei possessionis accepit. Hęredis quoque succedentis in vitium par habenda fortuna est, & *in l. Si de possessione* 4. *C.vnde vi*, ibi. In qua etiam fructus, quos vetus possessor percipere potuit, non tantùm quos prædo percepit venire non ambigitur.

In l. Falcidia placuit, vt fructus postea percepti, qui maturi mortis tempore fuerint, augeant hæreditatis æstimationem fundi nomine, qui videtur illo tempore fuisse pretiosior, inquit *Papinian.in l.*9.*ff.ad l.Falc.* vbi contrarium dicit in ventre ancillæ; cuius verba ponis verbo, *Partus*.

In fideicommissariam hæreditatis restitutionem constat fructus non venire, nisi mora facta sit, aut quis specialiter fuerit rogatus, & fructus restituere. Planè fructus in quartam imputantur, inquit *l.*18.*ff.ad Trebell.*

Fructibus augetur hæreditas, cum ab eo possidetur, à quo peti potest dicit *l.*2.*C. de petit.hared.*

Fructus ij deducuntur in petitionem, non quos hæres percepit, sed quos legatarius percipere potuit, dicit *l. Affricanus* 40.*§.* 1.*ff. de legat.* 1. Quia quantò tardius pecuniam quis dat, tantò tardius ad fideicommissum peruenit, & medij temporis fructus perdit, inquit *l.Facta* 63.*§.Rescripto ff.Ad Trebell.*

Cum fundus alienaretur, quod ad eum fructusque eius attineret, vnam quandam rem fuisse, cuius omnis generis alienationem fructus sequitur, inquit

l.vlt.

l.vlt §.penult.quæ in fraud.credit.

Nota habitando percipi fructus, sic inquit *glos.verbo, Habitãdo, in l.Si is 11.§.1.per tex.* ibi. Fructus percipiat habitando *ff.de pignor.*

Valeat consuetudo, quod fructus vnius Ecclesiæ, ad tempus alij applicentur, vt sit membrum vnius, & eiusdem corporis, cum ista Ecclesia militans sit vnica, & vnum corpus misticum faciat, ità inquit *glos.de consuetudine in Extrauag.Vnica ne Sed.vac.int.com.*

Quamuis visitatum non sit post appellationem fructus agri, de quo disceptatio fit, deponi; tamen cùm depopularentur ab aduersario æquum sibi videri fructus apud sequestrum deponi, inquit *l.Imperatores 21 ff.de appellat.*

Super liquidatione fructuum potius reo, quàm actori defertur iuramentum, vt habes Verbo, *Iuramentum.*

Si fructus perceptos quis distraxit, ne corrumperentur, æque non amplius quàm pretium præstabit, inquit *l.Item si 15.§.1 ff.de rei vendic.*

Sicut Ius diuidi nõ potest, sic nec fructus, inquit *glos.vlt.in cap.Nisi 21.de preb.*

Gratior est fructus, quem spes productior edit, inquit *glos.verbo Villam, in cap.Institutum 27.q.2.*

Frumentum.

MInimè æquum est Decuriones Ciuibus suis frumentum viliùs, quàm annona exigit, vendere, ait *l.vlt. ff. ad l. Iul. de annon.* Sed prouidere debent quanto pretio secundum qualitatem temporis sit annona vendenda, dicit, *cap.Post natalem de pac.tenend.*

Crescit inopia, si frumenta, quæ pro annona tribuuntur ad vsus alios deputare cognoscantur; cogentur enim sibi emere de publico, quæ alijs vendere potuissent, dicit *l.1.C.de frum. Vrb. Constan.* & ità experientia docuit annis retroactis.

Non debet prius frumentum nouum vendi, quàm vetera condita fuerint erogata; Et si fortè vetustate species ità corrupta est, vt per semet erogari sine querela non possit, eidem ex noua portione misceatur, cuius adiectione corruptio velata damnum fisco non faciat inquit *l.1.C.de cõd.in hor.pub.lib.*10. Nõ ergo calumniari debent priuati, si ad exemplum huius legis idem faciant, nisi dicamus diuersam esse rationem vtilitatis publicæ à ratione priuatæ.

Fuga.

EO ipso, quod famuli, seu serui fugiunt videntur res amissas subtraxisse, vt arguit, & notat *glos. verbo, Factum, in Auth.de exhiben.re.§.Si verò Semel col.5 per tex in princ.* ibi. Illum verò (siquidem administrator sit) iuberi omnino exhiberi reum, tamquam periurum, & sui accusatorem per fugam factum.

Eum qui scit se liberum, deinde pro fugitiuo agit, hoc ipso, quod in fuga sit, pro seruo agere, dicit *l Quod ait 10. in fin ff.de liberal.cau.* Per fugam enim se condemnat, vt ait *glos verbo, Sententia, in l. Impuberibus §. Præterea per tex.* ibi; qui suspectus sententia sua factus est, *ff.de suspect.tutor.*

Curandum est, ne quid ei, qui profugit medio tempore à debitoribus eius soluatur, ne per hoc fuga eius instruatur, dicit *l. vlt. ff. de requir. re.*

Non solùm consilij, sed etiam facti fugere est, ait *l.Bouem 43 ff de adel.edict.*

Fugiens debitor potest capi authoritate propria, vt dixisti verbo, *Debitor*, idem in Monacho fratre, & vxore, vt dicitur in eisdem verbis.

Fu-

Furiosus.

HVius omnis status, & habitus à pupilli conditione non multùm abhorret, dicit *l. Fulcinius 7. §. 1. vers. Planè ff. quib. ex cau. in possess. eat.* Cum alterum innocentia consilij tueatur alterum fati infelicitas excuset, inquit *l. Infans 12. ff. ad l. Cornel. de Siccar. Idem glos. in l. Quod infans 60. ff. de rei vēdic.* & de furioso addit *l. penult. §. Vnico ff. ad l. Pompeiam de Parricid.* sufficere furore ipso eum puniri; *& in l. Diuus 14. ff. de offic. præsid.* ibi potes de modo pœnæ eius dissimulare, cùm satis furore ipso puniatur. Sed cum magna circunspectione in hoc procedendū, quia multi se furiosos fingunt, sicut è conuerso multi furiosi se demostrant sanæ mentis, vt inquit *glos. magna in cap. Dilectus 24. de spons.* ibi. Sæpè enim furiosi sunt constituti in conspeçtu vmbratæ quietis &c. nec tamen sunt sanæ mentis, licet videantur.

Furor superueniens non reuocat ea, quæ sunt perfecta vigore mandati, sed impedit perficienda, vt inquit *Bart. per tex. ibi in l. si quis 46. ff. de acquir. hæred.*

Quandoque præsumitur quis demens ex sermonibus, quibus vtitur, vt inquit. *glos. verbo, Si probaretur, in l. Filium 60. ff. de acquir. hæred.* Et quandoque ex factis, nam prodigus dicitur furiosum facere exitum, vt inquit *l. Is qui 12. §. Vnico ff. de tutor. & curat.* & habes verbo, *Prodigus.*

Furiosus loco quiescentis, & dormientis habetur, vt probat *glos. verbo, Sicut, in cap. Vassalli post princip. de pac. const.* Non ergo furiosi authoritas requiritur, nec in hæreditate adeunda, vt dicit, & probat *glos. in l. Si nepos 9. ff. de rit. nupt.*

Furtum.

QVid dolo fecit, qui putauit Dominum concessurum fuisse, siue falso id, siue verè putet? Is ergo solus fur est. qui contrectauit, quod inuito domino se facere sciuit, inquit *l. Inter omnes 47. §. Vlt. ff. de furt.* Nec enim furtiuum est, quod sciente Domino inclusum est, dicit *l. de eo 64. in fin. ff. de donat. int. vir.*

Insuper cum facto etiam animum furis furtum exigit, inquit *l. Si quis 42. §. Sed si quis ff. ad l. Aquil.* Vnde si hæc duo concurrunt, furtum est.

Nihil autem ad furtum minuendum facit, quod, cuius sit, ignoret fur, inquit *l. Falsus 44. §. Qui alienum ff. de furt.*

Furtum committit, qui re deposita vtitur, vt dicis verbo, *Depositum.*

Committitur etiam in epistola subrepta, vt habes verbo, *Epistola.*

An committatur in rebus mariti. Habes verbo, *Vxor.*

Filij Nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi tamen furti non tenentur, idem in seruo, inquit *l. Serui ff. de furt.* Seruus namque eo ipso, quód Seruus, ergo fur maximè Capifer; Dominis enim suis, etiam si nihil aliud possunt, cinerem subripiunt, & fur est non solum, qui extraneo, sed etiam qui Domino suo furtum facit, vt probat *glos. Verbo, Quantò minoris, in l. Iulianus 14 ff. de act. empt. per l. Quod si nolit. §. 1. ff. de ædilit. edict.*

De his, qui à furibus emunt, est *tex. optimus in l. 2. C. de fur. & ser. corrup.* Curate igitur, inquit, cautè negotiari, ne non tantùm in damna huiusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis.

Etiam si partis dimidiæ nanciscar domi-

nium

rium in seruo, qui mihi ántea furtum fecerat; magis est, vt extinguatur actio etiam parte redempta; quia & si ab initio quis partem habebat in seruo, furti agere non poterat inquit *l. Falsus 44. §. vlt. in fin. ff. de fur.* vbi *glos. verbo, Extinguitur*, reddit rationē dicens. Quia deuenit in eum casum, à quo incipere non potest.

Si plures furtum committunt, singuli in solidum tenentur, vt probat *l. vulgaris 22. §. vlt. propè fin. ff. de furt.* ibi. Nec enim dici potest pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei vniuersos, & sic fiet singulos furti teneri.

Fur de perceptis, & percipiendis tenetur, probat *glos. verbo, Proderit, in l. Si pignore §. Si prædo ff. de pign. act. per tex. in l. Si nauis §. fin. ff. de re iudic.*

Semper moram facere fur videtur, inquit *l. in re furtiua 8. ff. de condict. furt. idem l. vlt. eod. tit.* ibi. Quia videretur, qui primo inuito Domino rem contrectasset, semper in restituenda ea, quam nec debuit auferre moram facere.

Furti agere potest is, cuius interest rem non subripi. Interesse autem eius videtur, qui damnum passurus est, non eum, qui lucrum facturus esset, inquit *l. Si is, cui 73. §. Vnico ff. de furt.*

Fur furti agere non potest, vt inquit *l. Eum qui 14. §. 1. de furt.* ibi. Quia in omnium furum persona est constitutum ne eius rei nomine furti agere possint, cuius ipsi fures sunt, idem probat *glos. verbo, Cuius interest, in §. Furti autem de oblig. quæ ex delict. nascun. in Instit.* ibi. Nam si est malæ fidei possessor, vel huius rei fur, furti non aget &c. Sed si bonum ioitium habuerit, vt quia sibi commodaui, vel locaui, habet furti actionem, & hic est casus, in quo fur furti agere potest, vt &c. Rei hæreditariæ nondum possessæ furtum non fit dicit *l. Contra 6. §. vlt. ff. Rerum amot.*

Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit; furatur enim, vt esurientem impleat animam. *Prouerb. cap. 6. num. 30.* Vnde secundum Bald. si tempore carestiæ aliquis est furatus panem causa comedendi, non est culpandus de furto, vt notauit *Apostill. in l. 2. §. Cum in eadem in fin. ff. ad l. Rhod. de iact.* & facit *tex. in cap. Si quis propter necessitatem de furt. cap. Discipulos de consecr. dist. 5.* & quod notatur *in cap. Ius naturale 1. dist.*

Res furtiua quando fiat vsucapibilis, vel non, vide *glos. optimam in l. Si quis vxori 53. verbo, Furti tenebitur, ff. de furt.*

Nemo cogitur indicare furem, vt probat *glos. in l. Ciuile C. de fur. & seru. corru.* vbi additio contra tenet in casu, vide tu tamen, & considera.

Furtum non computatur inter fortuitos casus, sed latrocinium, vt probat *glos. verbo, & sine, in l. 3. ff. nau. caup per tex. in §. Is quoque quibus mod. re contrah. in Instit.* In quo autem differat furtum à latrocinio, vide verbo, *Latro.*

Futurum.

OMne futurum despicitur, suadentque præsentia fructum. Ad præsens oua, cras pullis sunt meliora, dicit *glos. in l. Cum hi ff. de transact. & facit l. 1. vbi Bart. ff. de in lit. iur.* Præponderant enim præsentia futuris, & serijs, iucunda, & læta tristibus, & properata tardioribus, dicit *cap. Inter hac hir cum il primo de pænit. dist. 3. coniuncto tex. in cap. Omnes*, ibi. Quanto ea tetribui tardius putant 47. *dist.*

Futura præcauenda sunt, prout possunt nam, & exempla præsentia nos cauere præmonent in futurum, vt inquit *glos. verbo, Obuiare, in Extrauag. vnica, ne Sede vacan. idem glos. in cap. 1. de seru. non ordin. & addit.* Et maior tristitia est de talibus, cū reuocantur, quam nasca-

seatur gratia de acceitis, idest vocatis &c. & sic ad cautelam futurorum aliquid fit, & præuidere quis debet, quod contingere potest; prędictus autem tex. sic. Et ideo quod infirmari, vel vituperari potest, præcaueri debet.

Nullus tamen contrahentes culpabit, quare non futurum scierunt dixit *Authenticum de nupt. in princ. coll. 4.*

Iudicium non est de futuris, vt inquit *glos. magna verbo, Debebo, in l. In lege Aquilia, ff. ad l. Aquil.* Licet tex. ibi videatur contrarium dicere in illis verbis. Sub conditione mihi pecunia debita fuerit &c. debebo quidem vincere, sed condemnationis exactio tunc competet, cùm debiti conditio extiterit, quod si defecerit, condemnatio nullas vires habebit. Quæ quidem lex notabilissima est. Sed dic, quod in ista lege non agitur pro debito sub conditione, sed pro facto, hoc est ratione chirographi deleti contra delentem, non principalem debitorem. Videas.

Tractus futuri temporis ad iudicem non pertinet, vt probat *glos. verbo, Cautionibus, in l. Pro socio 38. ff. pro soc. per tex. in l. 1. ff. de vsur.*

DE LITTERA G.

Gabella, & Gabellarij.

QVantæ audaciæ, quantæque temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est, qui nesciat, inquit *Vlpian. in l. 12. ff. de publican. & vect.* Experientia enim patet. Eorum autẽ conditio dura effecta est, quia debent bonos seruos ad hoc ministerium eligere, vt dicit *l. 3. eod. tit.* & tamen pessimos, & crudelissimos eligunt.

Et tamen vectigalia, & tributa exigi debent à gabellarijs suauiter, dicit *glos. verbo, Deuotionis, in l. 1. C. de comerc. & mercat.* ibi. Quia cum efficacia benignè, & cum instantia humanè conueniendi sunt, vt soluant. Verumtamen non ità, sed crudeliter, & inhumaniter excoriando procedunt.

Emptores gabellarũ pro necessitate Reipublicæ possunt exigi ante diem, vel tempus, remisso tamen eis interusorio medij temporis, vt dixit *glos. vlt. in additione in l. 1. C. de condict. ex leg.*

Gabellam ad refectionem itinerum, & pontium soluit Ecclesia idem in ea, quę soluitur de plautris, vt habes verbo, *Iter*.

Genealogia, Generalitas, & Genus.

HOc vltimũ verbũ sumitur dupliciter aut quatenus cõprehendit genealogiã, prosapiã, seu generationẽ; aut quatenus sub se cõtinet species, vt (secũdũ Iuristas loquor) quando promittitur homo in genere.

De primo, inquit *Crisost. hom. 4. in Matt. põderãdo c. 6. Genes.* ibi. Hæ sunt generatione Noe, Noe vir iustus &c. Rarus, & alienus genealogię modus, loco genealogiæ ponitur eius iustitia. Nõ generationis nobilitate, sed iustitiæ, & perfectionis laudatur; Probati enim viri genus virtutis prosapia est. De hoc etiam verbo, *Diximus*, verbo *Arma*.

De eodẽ dicit *Celest. Papa in c. videtur nobis 35. q. 6.* ità. Ideo maximè parẽtes recipiũtur, siue, si defuerint parẽtes proximiores admittũtur. Quoniã vnusquisq; suã genealogiã cũ testibus, & chartis cũ exercitatione, & recitatione maiorum scire laborat. Quia igitur alijs melius sciunt, ideo magis admittũtur &c.

Qui enim melius recipi debent, quàm illi, qui melius sciunt? Idem probat *cap. videtur 3. qui matr. accus. poss.* per eadem verba.

Glos. verbo, Masculinam in Clem. 1. de pæn. dicit. Quod etiam si non declaretur in pæna imposita vsque ad descendentes ad secundam generationem, generatio masculina intelligatur tantum de ea, vt ibi masculina intelligebatur etiam, si non fuisset appositum, & probat *per tex. in cap. Vbicumque eod. tit. de pæn. lib. 6.*

In generando homine magis natura, & consuetudo spectanda est, quàm temporale vitium, aut valetudo, propter quam abdicatur homo à generandi facultate dicit *l. Si quis 9. ff. de liber. & posth.*

De genere verò quatenus continet sub se species, dicit *glos verbo, Non aliter in addit. in l. 1. ff. de offic. eius*, ità. Aliter est generalitas, aliud vniuersitas; nam in generalitate, quælibet species consideratur de per se; sed in vniuersitate non, quia omnes faciunt vnum totum, vt *in l. Eum, qui ædes ff. de vsucap.*

Genus à digniore parte sui summit nomen, ait *glos. verbo, Stipulatio, in l. 1. ff. de verbor. oblig.*

Ponitur aliquando genus pro specie, vt inquit, & probat *glos. in l. Non videtur ff. de iudic.*

Tantùm valet generaliter dici, quantum si singula numerentur, vt ait *glos. verbo, Enumerata, in l. Omnes C. de præscrip. trig.*

Nota, quod non tantùm valet genus, quoad speciem, quantum species, vt dicit *glos. verbo, Speciale, in cap. Procurator 38. de elect. lib. 6. & glos. penult. in cap. 2. de offic. vicar. eod. lib.* ibi. Non ergo tantum valet genus, quoad singula, quantum species; idem *glos. verbo non debet, in cap. Qui ad agendum 4. de procurat. eod. lib.*

Restringitur ergo apellatio generis circa speciem, & probat *glos. in l. Et quia 5. ff. ad Macedonian.* Multum enim interest inter genus, & speciem. Speciem enim eximi de genere placet inquit *l. Si peculium 10. ff. de manum. testam. & in cap. Dudum 14. de præb. lib. 6.* sic. Eò præsertim, quòd secundùm Canonicas, & legitimas sanctiones per speciem generi derogatur, quamquam de genere in derogante specie mentio nulla fiat, facit *l. Vxorem 39 §. fælicissimo ff. de legat. 3.* ibi. Non esse vero simile eam, quæ nihil aliud fælicissimo, & fælicissimæ, nisi hæc specialiter legarit: ad filium, cui & hæreditatis suæ partem reliquit, legatum generali sermone transferre voluisse.

Genus facilius patitur debilitatem, vel anihilationem, quàm species, quia genera sunt intelligenda ciuiliter, sic dicit *glos. verbo, Non potest in additione, in cap. Is, cui 19. de præb. lib. 6.*

Generalis clausula non porrigitur ad ea, de quibus specialiter comprehenditur, vt inquit *glos. verbo, De eo in l. Sed & si 26. §. Hæc clausula ff. ex quib. cau. maior. per tex. in l. Doli ff de verb. oblig. & d. l. Vxorem §. Felicissimo ff. de legat. 3.*

Sub generalitate non veniunt grauiora, vel maiora, quàm in ipso procuratorio sunt expressa, inquit *Clem. 2. de procur.* Nec in generalitate trahitur id, quod non est specialiter cogitatum, vt probat *glos. verbo, Coarctetur, in l. Iubemus C. ad Velleian.* ibi. Contra generalitatem, vt non trahatur, nisi ad specialia, de quibus est cogitatum; verba autem tex. sunt. Eadem renunciatio ad illos contractus, & illas res, seu personas, quibus consensum suum proprium accommodauerint, coarctetur.

Nota in generali remissione dolum non contineri, probat *glos. verbo, Absit, in l. Pomponius 10. ff. de negot. gest.* per iura, quæ ibi allegat.

Vbi

Vbi est clausula specialis, non indigemus generali, dicit *glos. verbo, Cauetur, in l. Quis sit fugitiuus, ff. de edil. edict.*

Species seruitutis exprimenda est, ne si generaliter seruire dictum erit, aut nihil valeat, quia incertum est, inquit *l. In tradendis ff commun. prad.*

Nimia generalitas reprobatur, vt inquit *glos verbo, Omnia, in cap. Ad hac 10. de rescript. idem glos penult. in cap. vlt. eod. tit.* Quæ etiam dicit sic. Generalitas enim parit obscuritatem, idem *glos. 1. in cap. 2. de libel. oblat.* Vnde generaliter dictum nulli esse dictum, ait *glos. verbo, Ad neutros, in cap. Ex multa 9. de vot.*

Sic etiam à contrario, plus timeri solet, quod specialiter iniũgitur, quàm quod generaliter imperatur, vt inquit *Extrauag. 3. de prab. inter comm.* & tradit *glos. verbo, Proferenti, in Auth. de instrumen. cautel. §. Si verò moriantur coll. 6.*

Promissio in genere mediocritatem respicit. A simili quoque dispensatio in genere respicere debet tantum minoritatem, dicit *glos. verbo, Ordinari, in cap. literas 14. de fil. Presb.* vbi arguit contra, & respondet.

Vnde, qui in genere tenetur, vel in incerto, non tenetur ad id, quod melius est, sed ex bono, & æquo, vt inquit *glos. verbo, Ex bono, in l. Si quid 18 ff de edil. edict.* cuius verba sunt. Hæc omnia videntur eò pertinere, ne id, quod affirmauit, venditor amarè ab eo exigatur; sed cum quodam temperamento, vt si fortè constantem esse affirmauerit, non exacta grauitas, & constantia, quasi à Philosopho desideretur &c. Sed hæc omnia ex bono, & æquo desiderentur.

Genus perire non potest, vt inquit *glos. verbo periculum, in l. Necessario 8. & in l. Quod si 14. ff. de pericul. & commod.*

Multoties licet in genere, quod non licet in specie, & interdum est è conuerso, dicit *glos. verbo, In genere, cap. 3. de concess. prab lib. 6.* Licet de specie ad genus valeat argumentum affirmatiuè, vt habes verbo; *Species.*

Gradus.

OMnes sumus filij primi gradus, & hęredes, & sic digni successione, nisi ab ea propter ingratitudinem excludamur. Potentioribus tamen nobilitate, litteratura (vt de carnis proximitate, seu alijs taceamus) pares esse non possumus, nec debemus. Est enim gradus inter Angelos, Apostolos, & alios, ità dicit *optima glos. verbo, Aequa distributione, in Extrauag. Execrabilis 4. de prab. inter comm.* Vniuersitas enim alia ratione subsistere non posset, nisi magnus ordo distinctionis graduum eam seruaret, vt dixit *glos. verbo. Maioribus, in Extrauagan. 1. de verbor. sign.*

Apud Deum verò non gradus elegantior sed vitæ melioris actio comprobatur, dicit *cap. Sicut excellentiam 23. quæst. 4. & ibidem glos. verbo, Non ex ordine.*

Nemo autem repentè fit summus, sed in bona conuersatione, quæ sine charitate nulla est. A minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat. Sunt itaque gradus non solùm inter virtutem, sed in eadem virtute, vt inquit *Augustin. relatus in cap Charitas est, à qua in fin. de panit. dist. 2.* Et idem *Augustin. relatus in cap. Qui vult ead. dist. 2. de charitate;* sic inquit. Sed numquid mox, vt nascitur, iam prorsus perfecta est? vt perficiatur nascitur, cùm fuerit nata nutritur, cùm fuerit nutrita roboratur, cùm fuerit roborata perficitur.

vltra partem datur, quam etiam si extraneo, vt &c. & *Crisost. super Ioannem* 7. dixit Consanguinitas enim solet quodammodo inuidiæ haberi, & *glos. verbo secundis in Auth. de nupt. §. Nec illud coll.*4. sic. Item propter inuidiam tollendam, quæ maximè oritur inter fratres; & optimè facit illud *Genes. cap.* 38. vbi fratres Ioseph ei inuiderant propter somnia, quæ tunc nondum quicquam erant, ibi, inuidebant igitur fratres sui ei.

Et tamen de Iure humanitatis, & religionis ratio non permittit, vt aduersus sororem, vel filios sororis actionum necessitates tutelæ occasione suscipias, inquit *l. Humanitatis* 23. *C. de excusat. tutor.* vbi notat *glos. verbo, Suscipias*, quod ex littera dicti textus decidatur quæstio illa. An quis possit compelli postulare contra fratres, vel sorores.

De Iure etiam tenetur frater fratrem inopem alere, vt dicis verbo, *Alimenta*; & probat *glos. per tex. ibi in l. Qui filium* 4. *ff. vbi pupill. educar. deb.* Sed non dabit prætor sorori pupilli alio patre natæ, dotem, nam & si honestè ex liberalitate tamen sit, quæ seruanda arbitrio pupilli est, vt inquit *l. Cum plures §. vlt. ff. de administrat. tutor.* Nec etiam frater dat honorem sorori, vt habes in verbo *Mulier*.

Frater quando fratri succedat, & non pater? Vide verbo, *Hæreditas*.

Nec apud peregrinos fratrem sibi quisquam per adoptionem facere poterat, inquit *l.* 7. *C. de hæred. inst.* licet societas quodammodo ius fraternitatis in se habeat, vt dicitur *in l. Verum* 64. *ff. pro soc.* vbi glos. reddit rationem; dicens, quia Socij, vt fratres se diligunt.

Fraus.

INest dolo, inquit *l. Iuris gentium §. Sed si fraudandi in fin. ff. de pact. vbi glos.*1. sic ait. Et secundum hoc dolus est genus, & inest fraus ei, vt species genus, vt fraus tantum dicatur cum mei commodi causa, sed dolus dicatur etiā sine meo commodo. Dolus palam, & clam committitur, sed fraus palam, vt probat *glos. verbo, Nec dolus in l.* 2. *C. de in lit. iur. per tex. in d. l. Iuris gentiū §. Dolo ff. de pact.*

Capitalem fraudem admittere est tale quid delinquere, propter quod capite puniendus sit; veteres enim fraudem pro pæna ponere solebant, inquit *l. Cum autem* 23. *ff. de ædil. edict.* & infra sic. Capitalem fraudem admisisse, accipimus dolo malo, & per nequitiam, cæterum si quid errore, si quid casu fecerit, cessabit edictum.

Nota, quod durius agitur cum eo, qui fraudat legem, quàm cum eo qui fraudat hominem, vt inquit *glos. verbo, In fraudem, in l. Si Libertus* 16. *ff. de iur. patr.*

Requiritur autem fraus cum effectu in materia legis Æliæ sentiæ, vt inquit *l.* 1. *ff. de statu lib.*

Nota etiam, quod fraus facta fisco inducit crimen falsi, sed facta pupillo non, & sic fiscus in hoc fauorabilior est, vt dixit *glos. verbo, excusationem in l.* 1. *§. Ad testamenta in fin. ff. ad l. Cornel. de fals.*

Magis fraudem rei, quàm personæ accipimus in materia fraudandi patronum, vt dicit *l.* 1. *in fin. ff. Si quid in fraud. patron.*

Prætor intelligit fraudem etiam in tempore fieri, dicit *l. Ait prætor §. Si cùm in diem, & l. Omnes, §. vlt. in fin. ff. Quæ in fraudem credit.*

Sed sufficit patrono, si nihil de suo in ne-

in necem eius libertus alienauit; quod si noluit obtinere, cum poterit &c. puto hunc diminuisse de patrimonio; actionem enim de bonis diminuit, quemadmodum si passus esset actionis diem abire, dicit *l. 1. ff. eod tit si quid in fraud. patron.* Sed in fraude creditorum videtur contrarium *in l. Qui autem ibi, ff. Quæ fraud. credit.* vbi non acquirens patrimonio, de patrimonio diminuisse non intelligitur.

Non fraude caret, qui conuentus testatò perseuerat, dicit *l. Ait pretor* 10. *§. Si quis particeps ff. quæ in fraud. credit.* Loquens de eo, qui emit facta sibi denunciatione ne emat.

Inque esse fraudem, quod venierit possessio, in quam habet patronus affectionem, vel opportunitatis, vel vicinitatis, vel cæli, vel quod illic educatus sit, vel parentes sepulti, an debeat audiri volens reuocare? Sed nullo pacto erit audiendus; fraus enim accipitur in damno pecuniario, inquit *l. 1. ad med. ff. Si quid in fraud. patron.*

In fraudem facere videri etiam, qui non fuit quod debet, ait *l. 4. ff. quæ in fraud. cred.*

Ex fraude lucrum non debet dari, habes verbo, *Lucrum*.

Carebit legum priuilegijs, quas fraudare conatus est quisque, vt inquit *l. Omnes 9. ad fin. C. de metat. lib. 12.* vbi glos. alia iura allegat.

In fraudem etiam tunc intelligitur quis facere, si vltra pretium medietatis acciperet pro toto, inquit *glos. verbo, Dum tamen militi detur in cap. Si vassallus penult. si de feu. def.*

Citius fraus præsumitur in persona domestici, vt dicit, & probat *glos. 2. in cap. Vnico qualiter iur. deb. vassall.*

Ex quantitate pœnæ semper fraus præsumitur, vt probat *glos. verbo, Vltra, in l. Cum allegas Cod. de vsur. per text.* ibi.

Nemo autem videtur fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt, inquit *d. l. Qui autem §. Hoc edictum, ff. quæ in fraud. credit.*

Nec etiam videtur fraudem facere, qui fraudem excludit, vt inquit *glos. verbo, Malignantium, in cap. Cupientes 16. de elect. lib. 6.* vbi additio dicit etiam in foro conscientiæ hoc procedere; probatur etiam in *l. Cum pater 79. §. Titio ff. de legat. 2* ibi. Nec videbitur dolum fecisse, cum fraudem excluserit.

Nec etiam cum fauori proprio quis renunciat, fraus committitur, vt probat *l. Potest hæres 7. ff. ad l. Falc.* ibi. Quia ea lex hæredis causa lata est, nec fraus fit ei, si Ius suum diminuat hæres.

Conditio, quæ fraudis causa adscripta est, habetur, ac si adscripta non esset, vt in *l. Seius, & Augerius 27 ff. ad l. Falc.*

Nec etiam videtur voluisse fraudare edictum, qui sibi prospicit, ne oneribus patris pupilli hæreditas implicetur, inquit *l. Si pupillus 42. ff. de acquiren. hæredit.*

Fraudis particeps conuenitur, licet lucra ad eum non peruenerint, dicit *glos. verbo Conueniri, in l. 4. §. Quamquam ff. Si quis omiss. cau. testam.*

Non verò agit conscius fraudis, inquit *glos. verbo, Conscius, in l. Ex facto in fin. ff. de negoc. gest per tex.* ibi. Ità tamen si non sit conscius fraudis.

Nota, quod fraus purgatur sic, & mora interdum inquit *glos. verbo, Mutata, in cap. Cum ex eo 34. de elect. lib. 6.*

Frequentia.

Videtur ex duabus vicibus, vt inquit *glos. verbo, Frequentare, in cap. Monasteria 8. de vit. & honest. cleric.*

Nota aliquid constitui nimiæ frequentiæ vitandi causa, inquit *glos. verbo, Crebra, l. Cum alijs 6. per tex.* ibi. Ne crebra,

bra, vel quasi ludibriosa fiat curatoris creatio *C. de curat. furios.*

Fructus.

ALij naturales, vt poma, & similia: alij industriales, vt segetes, quæ industria hominis quæruntur. Item alij percepti, alij percipiendi. Et percepti dicuntur à bonæ fidei possessore quocumq; modo à solo separati, at à fructuario in horreis demum reconditi, vt infra *quib. mod. vsusfruct. amittat. l. Si vsufructuarius.* Item percipiendi dicuntur duobus modis, vel quia Dominus eos percepisset. Dic ergo, quòd naturales fructus nullus possessor, etiã bonæ fidei, facit suos, vt infra *de vsufruct. l. Fructus, ita ponit glos. Magistra in l. Ex diuerso, verbo non habendam, ff. de rei vendicat.* vbi latè de materia vide.

Et glos. verbo; Non lucrum, in l. 3. ff. de vsur. sic ait. Fructus itaque sunt quidam pendentes, quidam percepti, quidam percipiendi. Pendentes omnes fideicommissarium sequuntur, cùm quodammodo partes fundi sint, vt supra *de rei vendication. l. Fructus pendentes.* Percepti alij ante aditam hæreditatem, qui omnes ad fideicommissarium pertinent, vt infra *ad Trebellian. l. Ita tamen §. Sed si quid.* Post aditam hæreditatem percepti, alij ante moram, alij post moram. Post moram percepti, & etiam percipiendi fideicommissariũ sequuntur, vt infrà *de legat. 1. l. Apud Iulianum §. 1. & ad l. Ita tamen §. si seruum ff. ad Trebellian.* Ante moram percepti, si impendio hæredis, & opera percipiuntur, ipsum sequuntur, cæteri verò fideicommissarium, vt infra *ad Trebellian. l. Postulante fisco §.* Sed in huiusmodi, & alia latissimè ibidẽ. Vide in Materia.

Fructus intelliguntur deductis impensis quæ quærẽdorum, colligendorum, conseruandorumque eorum gratia fiunt. Quod non solùm in bonę fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verùm etiam in prædonibus dicit *l. Si à patre 39 §. vlt. ff. de petit. hered.* Et probat *glos. verbo, Fructus, in cap. Grauis 11. de rest. spol.* ibi. Nota, quod fructus dicuntur, qui supersunt deductis expensis, quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, & conseruandorum fructuum, quod locum habet tàm in bonæ fidei possessoribus, quàm in malæ fidei, etiam prædonibus &c. nam nullus casus interbenire potest, qui hoc genus deductionis impediat &c. Fructus enim intelliguntur deductis necessarijs impensis &c. Cum hac distinctione. Bonæ fidei possessor tenetur restituere tantùm extantes ante litem contestatam, & non consumptos; post litem vero contestatam vniuersos &c. Malæ fidei autẽ possessor (non tamen violentus) tenetur reddere omnes, qui probantur ad eum perueniße ante litem contestatam, si vero fuerit violentus; tunc tenetur restituere perceptos & eos, qui percipi potuerunt per veteres possessores, vt hic &c.

Et sicuti fructus cogitur restituere is, qui procurat, ità sumptus, qui in fructus percipiẽdos fecit, deducere eum oportet, sed & si aduecturas suas dum excurrit prædia, sumptus fecerit, puto hos quoque sumptus reportare eum oportere, dicit *l. Idem 10. §. Idem labeo ff. mãdat.* Hoc fructuum nomine continetur quod deductis iustis sumptibus superest, ait *l. 1. C. de fruct. & lit. expen.*

Quod in sementem erogatur, si non responderint messes, ex vindemia deducitur, quia totius ãni vnus fructus est inquit *l. Si fundus 9. §. quod, ff. solut. matr.*

Fructus inter mouentia haberi *Diu. Traianus* rescripsit, vt testatur *l. vlt. ff. de requir. re.*

Fructus etiam contineri sub nomine pecuniæ,

cuniæ, habes verbo, *Pecunia*.

Omnis fructus non Iure feminis, fed Iure foli percipitur. Quoniam in percipiendis fructibus magis corporis Ius, ex quo percipitur, quam feminis, in quo oriuntur, infpiciuntur dicit *l. Qui fcit*, 25 *ff. de vfur.*

Porro bonæ fidei poffeffor in percipiendis fructibus id Iuris habet, quod dominis prædiorum tributum eft. Præterea cùm ad fructuarium pertineant, à quolibet fati quanto magis hoc in bonæ fidei poffeffore recipiendum eft, qui plus Iuris in percipiendis fructibus habet?

Cùm fructuarij quidem fiant antequam ab eo percipiantur; ad bonæ autem fidei poffefforem pertineant, fi quoquo modo à folo fuerint feparati, dicit *d. l. Qui fcit ff de vfur.*

Fructus, quos ante aditam hæreditatem ex fundo hæreditario hæres cepit non aliter familiæ hercifc. iudicio præftare eum Iulian. ait, quàm fi cùm fciret hæreditarium fundum effe, eos ceperit, fic *l. Inter* 45. *§ Si familia verf. fructus ff. famil. hercifc. vbi glof. verbo, Sciret*, ità ait. Alias fi putaret fuum fundum, & confumpfiffet fructus, vt bonæ fidei poffeffor, non teneretur vt fupra *tit.* 1. *l.* 4. *§. Poft litẽ, & infra eod. l. Fundus, qui*; vel quod verius eft, immo teneretur vtili actione familiæ hercifcundæ, licet perceperit bona fide, nefciens fe cohæredem non directa, quia non fecit, ficut hæres, vt fupra *ead. l. Et puto §.* 2.

Eos, qui bona inuafiffent, ideft, qui cùm fcirent ad fe non pertinere hæreditatẽ, inuaferunt bona, cùm nullam caufam haberent poffidendi fructus, non folùm quos perceperunt, fed quos percipere debuerunt, eos præftaturos, inquit *l. Sed fi* 28. *§. Quod ait Senatus ff. de petit. hæred.* Cùm enim fit prædo de perceptis, & percipiendis teneatur, vt probat *glof. verbo Proderit, in l. fi pignore §. fi prædo ff. de pignor. act. Et cap. Grauis* 11. *de reftit. fpoliat.* ibi. Vt non tantùm fructus à nouo, & violento poffeffore perceptos, fed quos (fi eis poffidere fuiffet licitum) poffeffores veteres percepiffent, reddi faciatis coniuncta *glof. vlt. in cap. cum dilectus de iur. patr.* ibi. Immò & quos percipere potuiffet legitimè inftitutus, quia eft violentus poffeffor, *& in l.* 2. *C. de fruct. & lit. expenf.* ibi. Sed etiam eos, quos percipere potuiffet &c. exoluat ex eo tempore, ex quo re in iudiciũ deducta fcientiâ malę fidei poffefsionis accepit. Hęredis quoque fuccedentis in vitium par habenda fortuna eft, & *in l. Si de poffeffione* 4. *C. vnde vi*, ibi. In qua etiam fructus, quos vetus poffeffor percipere potuit, non tantùm quos prædo percepit venire non ambigitur.

In l. Falcidia placuit, vt fructus poftea percepti, qui maturi mortis tempore fuerint, augeant hæreditatis æftimationem fundi nomine, qui videtur illo tempore fuiffe pretiofior, inquit *Papinian. in l.* 9. *ff. ad l. Falc.* vbi contrarium dicit in ventre ancillæ; cuius verba ponis verbo, *Partus*.

In fideicommiffariam hæreditatis reftitutionem conftat fructus non venire, nifi mora facta fit, aut quis fpecialiter fuerit rogatus, & fructus reftituere. Planè fructus in quartam imputantur, inquit *l.* 18. *ff. ad Trebell.*

Fructibus augetur hæreditas, cum ab eo poffidetur, à quo peti poteft dicit *l.* 2. *C. de petit. hæred.*

Fructus ij deducuntur in petitionem, non quos hæres percepit, fed quos legatarius percipere potuit, dicit *l. Affricanus* 40. *§.* 1. *ff. de legat.* 1. Quia quantò tardius pecuniam quis dat, tantò tardius ad fideicommiffum peruenit, & medij temporis fructus perdit, inquit *l. Facta* 63. *§. Refcripto ff. Ad Trebell.*

Cum fundus alienaretur, quod ad eum fructufque eius attineret, vnam quandam rem fuiffe, cuius omnis generis alienationem fructus fequitur, inquit

l. vlt.

l.vlt §.penult.quæ in fraud.credit.

Nota habitando percipi fructus, sic inquit *glos.verbo, Habitãdo, in l.Si is 11.§. 1.per tex.* ibi. Fructus percipiat habitando *ff.de pignor.*

Valeat consuetudo, quod fructus vnius Ecclesiæ, ad tempus alij applicentur, vt sit membrum vnius, & eiusdem corporis, cum ista Ecclesia militans sit vnica, & vnum corpus misticum faciat, ità inquit *glos.de consuetudine in Extrauag.Vnica ne Sed.vac.int.com.*

Quamuis visitatum non sit post appellationem fructus agri, de quo disceptatio sit, deponi; tamen cùm depopularentur ab aduersario æquum sibi videri fructus apud sequestrum deponi, inquit *l.Imperatores 21.ff.de appellat.*

Super liquidatione fructuum potius reo, quàm actori defertur iuramentum, vt habes Verbo, *Iuramentum.*

Si fructus perceptos quis distraxit, ne corrumperentur, æque non amplius quàm pretium præstabit, inquit *l.Item si 15.§.1 ff.de rei vendic.*

Sicut Ius diuidi nõ potest, sic nec fructus, inquit *glos.vlt.in cap.Nisi 21.de preb.*

Gratior est fructus, quem spes productior edit, inquit *glos.verbo Villam, in cap.Institutum 27.q.2.*

Frumentum.

Minimè æquum est Decuriones Ciuibus suis frumentum viliùs, quàm annona exigit, vendere, ait *l.vlt. ff. ad l. Iul. de annon.* Sed prouidere debent quanto pretio secundum qualitatem temporis sit annona vendenda, dicit, *cap.Post natalem de pac.tenend.*

Crescit inopia, si frumenta, quæ pro annona tribuuntur ad vsus alios deputare cognoscantur; cogentur enim sibi emere de publico, quæ alijs vendere potuissent, dicit *l.1.C.de frum. Vrb. Constan.* & ità experientia docuit annis retroactis.

Non debet prius frumentum nouum vendi, quàm vetera condita fuerint erogata; Et si fortè vetustate species ità corrupta est, vt per semet erogari sine querela non possit, eidem ex noua portione misceatur, cuius adiectione corruptio velata damnum fisco non faciat inquit *l.1.C.de cõd.in hor.pub.lib.* 10. Nõ ergo calumniari debent priuati, si ad exemplum huius legis idem faciant, nisi dicamus diuersam esse rationem vtilitatis publicæ à ratione priuatæ.

Fuga.

Eo ipso, quod famuli, seu serui fugiunt videntur res amissas subtraxisse, vt arguit, & notat *glos. verbo, Factum, in Auth.de exhiben.re.§.Si verò Semel col. 5 per tex in princ.* ibi. Illum verò (siquidem administrator sit) iuberi omnino exhiberi reum, tamquam periurum, & sui accusatorem per fugam factum.

Eum qui scit se liberum, deinde pro fugitiuo agit, hoc ipso, quod in fuga sit, pro seruo agere, dicit *l Quod ait 10. in fin ff.de liberal.cau.* Per fugam enim se condemnat, vt ait *glos verbo, Sententia, in l. Impuberibus §. Præterea per tex.* ibi; qui suspectus sententia sua factus est, *ff.de suspect.tutor.*

Curandum est, ne quid ei, qui profugit medio tempore à debitoribus eius soluatur, ne per hoc fuga eius instruatur, dicit *l. vlt. ff. de requir. re.*

Non solùm consilij, sed etiam facti fugere est, ait *l.Bouem 43 ff.de adel.edict.*

Fugiens debitor potest capi authoritate propria, vt dixisti verbo, *Debitor*, idem in Monacho fratre, & vxore, vt dicitur in eisdem verbis.

Furiosus.

HVius omnis status, & habitus à pupilli conditione non multùm abhorret, dicit *l. Fulcinius* 7. *§.* 1. *vers. Planè ff. quib.ex cau.in possess.eat.* Cum alterum innocentia consilij tueatur alterum fati infelicitas excuset, inquit *l. Infans* 12. *ff.ad l.Cornel.de Sicar.* Idem *glos.in l.Quod infans* 60. *ff. de rei vēdic.* & de furioso addit *l. penult.* *§. Vnico ff. ad l. Pompeiam de Parricid.* sufficere furore ipso eum puniri; *& in l. Diuus* 14.*ff.de offic. præsid.* ibi potes de modo pænæ eius dissimulare, cùm satis furore ipso puniatur. Sed cum magna circunspectione in hoc procedendū, quia multi se furiosos fingunt, sicut è conuerso multi furiosi se demostrant sanæ mentis, vt inquit *glos.magna in cap.Dilectus* 24. *de spons.* ibi. Sæpè enim furiosi sunt constituti in conspectu vmbratæ quietis &c. nec tamen sunt sanæ mentis, licet videantur.

Furor superueniens non reuocat ea, quæ sunt perfecta vigore mandati, sed impedit perficienda, vt inquit *Bart. per tex. ibi in l. si quis* 46. *ff. de acquir. hæred.*

Quandoque præsumitur quis demens ex sermonibus, quibus vtitur, vt inquit. *glos. verbo, Si probaretur, in l. Filium* 60. *ff.de acquir.hæred.* Et quandoque ex factis, nam prodigus dicitur furiosum facere exitum, vt inquit *l.Is qui* 12. *§.Vnico ff. de tutor. & curat.* & habes verbo, *Prodigus.*

Furiosus loco quiescentis, & dormientis habetur, vt probat *glos. verbo, Sicut, in cap. Vassalli post princip. de pac. const.* Non ergo furiosi authoritas requiritur, nec in hæreditate adeunda, vt dicit, & probat *glos. in l. Si nepos* 9.*ff. de rit. nupt.*

Furtum.

QVid dolo fecit, qui putauit Dominum concessurum fuisse, siue falsò id, siue verè putet? Is ergo solus fur est. qui contrectauit, quod inuito domino se facere sciuit, inquit *l.Inter omnes* 47. *§. Vlt. ff. de furt.* Nec enim furtiuum est, quod sciente Domino inclusum est, dicit *l. de eo* 64. *in fin. ff. de donat. int. vir.*

Insuper cum facto etiam animum furis furtum exigit, inquit *l. Si quis* 42. *§. Sed si quis ff. ad l. Aquil.* Vnde si hæc duo concurrunt, furtum est.

Nihil autem ad furtum minuendum facit, quod, cuius sit, ignoret fur, inquit *l. Falsus* 44. *§. Qui alienum ff. de furt.*

Furtum committit, qui re deposita vtitur, vt dicis verbo, *Depositum.*

Committitur etiam in epistola subrepta, vt habes verbo, *Epistola.*

An committatur in rebus mariti. Habes verbo, *Vxor.*

Filij Nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi tamen furti non tenentur, idem in seruo, inquit *l. Serui ff.de furt.* Seruus namque eo ipso, quód Seruus, ergo fur maximè Capifer; Dominis enim suis, etiam si nihil aliud possunt, cinerem subripiunt, & fur est non solum, qui extraneo, sed etiam qui Domino suo furtum facit, vt probat *glos. Verbo, Quantò minoris, in l. Iulianus* 14 *ff.de act. empt. per l. Quod si nolit. §.* 1. *ff. de ædilit. edict.*

De his, qui à furibus emunt, est *tex. optimus in l.*2.*C. de fur.& ser. corrup.* Curate igitur, inquit, cautè negotiari, ne non tantùm in damna huiusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis.

Etiam si partis dimidiæ nanciscar domi- ... nium

rium in seruo, qui mihi antea furtum fecerat; magis est, vt extinguatur actio etiam parte redempta; quia & si ab initio quis partem habebat in seruo, furti agere non poterat inquit *l. Falsus 44. §. vlt. in fin. ff. de fur.* vbi *glos. verbo, Extinguitur,* reddit rationē dicens. Quia deuenit in eum casum, à quo incipere non potest.

Si plures furtum committunt, singuli in solidum tenentur, vt probat *l. vulgaris 22. §. vlt. propè fin. ff. de furt.* ibi. Nec enim dici potest pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei vniuersos, & sic fiet singulos furti teneri.

Fur de perceptis, & percipiendis tenetur, probat *glos. verbo, Proderit, in l. Si pignore §. Si prædo ff. de pign. act. per tex. in l. Si nauis §. fin. ff. de re iudic.*

Semper moram facere fur videtur, inquit *l. in re furtiua 8. ff. de condict. furt. idem l. vlt. eod. tit.* ibi. Quia videretur, qui primo inuito Domino rem contrectasset, semper in restituenda ea, quam nec debuit auferre moram facere.

Furti agere potest is, cuius interest rem non subripi. Interesse autem eius videtur, qui damnum passurus est, non eum, qui lucrum facturus esset, inquit *l. Si is, cui 73. §. Vnico ff. de furt.*

Fur furti agere non potest, vt inquit *l. Eum qui 14. §. 1. de furt.* ibi. Quia in omnium furum persona est constitutum ne eius rei nomine furti agere possint, cuius ipsi fures sunt, idem probat *glos. verbo, Cuius interest, in §. Furti autem de oblig. quæ ex delict. nascun. in Instit.* ibi. Nam si est malæ fidei possessor, vel huius rei fur, furti non aget &c. Sed si bonum initium habuerit, vt quia sibi commodaui, vel locaui, habet furti actionem, & hic est casus, in quo fur furti agere potest, vt &c. Rei hæreditariæ nondum possessæ furtum non fit dicit *l. Contra 6. §. vlt. ff. Rerum amot.*

Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit; furatur enim, vt esurientem impleat animam. *Prouerb. cap. 6. num. 30.* Vnde secundum Bald. si tempore carestiæ aliquis est furatus panem causa comedendi, non est culpandus de furto, vt notauit *Apostill. in l. 2. §. Cum in eadem in fin. ff. ad l. Rhod. de iact.* & facit *tex. in cap. Si quis propter necessitatem de furt. cap. Discipulos de consecr. dist. 5.* & quod notatur *in cap. Ius naturale 1. dist.*

Res furtiua quando fiat vsucapibilis, vel non, vide *glos. optimam in l. Si quis vxori 53. verbo, Furti tenebitur, ff. de furt.*

Nemo cogitur indicare furem, vt probat *glos. in l. Ciuile C. de fur. & seru. corru.* vbi additio contra tenet in casu, vide tu tamen, & considera.

Furtum non computatur inter fortuitos casus, sed latrocinium, vt probat *glos. verbo, & fine, in l. 3. ff. nau. caup. per tex. in §. Is quoque quibus mod. re contrah. in Instit.* In quo autem differat furtum à latrocinio, vide verbo, *Latro.*

Futurum.

OMne futurum despicitur, suadentque præsentia fructum. Ad præsens oua, cras pullis sunt meliora, dicit *glos. in l. Cum hi ff. de transact. & facit l. 1. vbi Bart. ff. de in lit. iur.* Præponderant enim præsentia futuris, & serijs, iucunda, & læta tristibus, & properata tardioribus, dicit *cap. Inter hæc hir cum il primo de pænit. dist. 3. coniunctio tex. in cap. Omnes,* ibi. Quanto ea retribui tardius putant *47. dist.*

Futura præcauenda sunt, prout possunt nam, & exempla præsentia nos cauere præmonent in futurum, vt inquit *glos. verbo, Obuiare, in Extrauag. vnica, ne Sede vacan. idem glos. in cap. 1. de seruis non ordin. & addit.* Et maior tristitia est de talibus, cū reuocantur, quam nasca-

scatur gratia de acceitis, idest vocatis &c. & sic ad cautelam futurorum aliquid fit, & præuidere quis debet, quod contingere potest; prędictus autem tex. sic. Et ideo quod infirmari, vel vituperari potest, præcaueri debet.

Nullus tamen contrahentes culpabit, quare non futurum scierunt dixit *Authenticum de nupt. in princ. coll. 4.*

Iudicium non est de futuris, vt inquit *glos. magna verbo, Debebo, in l. In lege Aquilia, ff. ad l. Aquil.* Licet tex. ibi videatur contrarium dicere in illis verbis. Sub conditione mihi pecunia debita fuerit &c. debebo quidem vincere, sed condemnationis exactio tunc competet, cùm debiti conditio extiterit, quod si defecerit, condemnatio nullas vires habebit. Quæ quidem lex notabilissima est. Sed dic, quod in ista lege non agitur pro debito sub conditione, sed pro facto, hoc est ratione chirographi deleti contra delentem, non principalem debitorem. Videas.

Tractus futuri temporis ad iudicem non pertinet, vt probat *glos. verbo, Cautionibus, in l. Pro socio 38. ff. pro soc. per tex. in l. 1. ff. de vsur.*

DE LITTERA G.

Gabella, & Gabellarÿ.

QVantæ audaciæ, quantæque temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est, quì nesciat, inquit *Vlpian. in l. 12. ff. de publican. & vect.* Experientia enim patet. Eorum autẽ conditio dura effecta est, quia debent bonos seruos ad hoc ministerium eligere, vt dicit *l. 3. eod. tit.* & tamen pessimos, & crudelissimos eligunt.

Et tamen vectigalia, & tributa exigi debent à gabellarijs suauiter, dicit *glos. verbo, Deuotionis, in l. 1. C. de comerc. & mercat.* ibi. Quia cum efficacia benignè, & cum instantia humanè conueniendi sunt, vt soluant. Verumtamen non ità, sed crudeliter, & inhumaniter excoriando procedunt.

Emptores gabellarũ pro necessitate Reipublicæ possunt exigi ante diem, vel tempus, remisso tamen eis interusorio medij temporis, vt dixit *glos. vlt. in additione in l. 1. C. de condict. ex leg.*

Gabellam ad refectionem itinerum, & pontium soluit Ecclesia idem in ea, quę soluitur de plaustris, vt habes verbo, *Iter*.

Genealogia, Generalitas, & Genus.

HOc vltimũ verbũ sumitur dupliciter aut quatenus cõprehendit genealogiã, prosapiã, seu generationẽ; aut quatenus sub se cõtinet species, vt (secũdũ Iuristas loquor) quando promittitur homo in genere.

De primo, inquit *Crisost. hom. 4. in Matt. põderãdo c. 6. Genes.* ibi. Hæ sunt generatione Noe, Noe vir iustus &c. Rarus, & alienus genealogię modus, loco genealogiæ ponitur eius iustitia. Nõ generationis nobilitate, sed iustitiæ, & perfectionis laudatur; Probati enim viri genus virtutis prosapia est. De hoc etiam verbo, *Diximus*, verbo *Arma*.

De eodẽ dicit *Calest. Papa in c. videtur nobis 35. q. 6.* ità. Ideo maximè parẽtes recipiũtur, siue, si defuerint parẽtes proximiores admittũtur. Quoniã vnusquisq; suã genealogiã cũ testibus, & chartis cũ exercitatione, & recitatione maiorum scire laborat. Quia igitur alijs melius sciunt, ideo magis admittũtur &c.

Vbi est clausula specialis, non indigemus generali, dicit *glos. verbo, Cautetur, in l. Quis sit fugitiuus, ff. ae adil. edict.*

Species seruitutis exprimenda est, ne si generaliter seruire dictum erit, aut nihil valeat, quia incertum est, inquit *l. In tradendis ff commun. prad.*

Nimia generalitas reprobatur, vt inquit *glos verbo, Omnia, in cap. Ad hac 10. de rescript. idem glos penult. in cap. vlt. ead. tit.* Quæ etiam dicit sic. Generalitas enim parit obscuritatem, idem *glos. 1. in cap. 2. de libel. oblat.* Vnde generaliter dictum nulli esse dictum, ait *glos. verbo, Ad nostros, in cap. Ex multa 9. de vot.*

Sic etiam à contrario, plus timeri solet, quod specialiter iniūgitur, quàm quod generaliter imperatur, vt inquit *Extrauag. 3. de prab. inter comm.* & tradit *glos. verbo, Proferenti, in Auth. de instrumen. cautel. §. Si verò moriantur coll. 6.*

Promissio in genere mediocritatem respicit. A simili quoque dispensatio in genere respicere debet tantum minoritatem, dicit *glos. verbo, Ordinari, in cap. literas 14. de fil. Presb.* vbi arguit contra, & respondet.

Vnde, qui in genere tenetur, vel in incerto, non tenetur ad id, quod melius est, sed ex bono, & æquo, vt inquit *glos. verbo, Ex bono, in l. Si quid 18 ff de adel. edict.* cuius verba sunt. Hæc omnia videntur eò pertinere, ne id, quod affirmauit, venditor amarè ab eo exigatur; sed cum quodam temperamento, vt si fortè constantem esse affirmauerit, non exacta grauitas, & constantia, quasi à Philosopho desideretur &c. Sed hæc omnia ex bono, & æquo desiderentur.

Genus perire non potest, vt inquit *glos. verbo periculum, in l. Necessario 8. & in l. Quod si 14. ff. de pericul. & commod.*

Multoties licet in genere, quod non licet in specie, & interdum est è conuerso, dicit *glos. verbo, In genere, cap. 3. de concess prab lib. 6.* Licet de specie ad genus valeat argumentum affirmatiuè, vt habes verbo; *Species.*

Gradus.

OMnes sumus filij primi gradus, & heredes, & sic digni successione, nisi ab ea propter ingratitudinem excludamur. Potentioribus tamen nobilitate, litteratura (vt de carnis proximitate, seu alijs taceamus) pares esse non possumus, nec debemus. Est enim gradus inter Angelos, Apostolos, & alios, ità dicit *optima glos. verbo, Aequa distributione, in Extrauag. Execrabilis 4. de prab inter comm.* Vniuersitas enim alia ratione subsistere non posset, nisi magnus ordo distinctionis graduum eam seruaret, vt dixit *glos verbo, Maioribus, in Extrauagan. 1. de verbor. sign.*

Apud Deum verò non gradus elegantior sed vitæ melioris actio comprobatur, dicit *cap. Sicut excellentiam 23. quast. 4. & ibidem glos. verbo, Non ex ordine.*

Nemo autem repentè fit summus, sed in bona conuersatione, quæ sine charitate nulla est. A minimis quisque inchoat, vt ad magna perueniat. Sunt itaque gradus non solùm inter virtutem, sed in eadem virtute, vt inquit *Augustin. relatus in cap Charitas est, à qua in fin. de pænit. dist. 2. Et idem Augustin. relatus in cap. Qui vult ead. dist. 2. de charitate,* sic inquit. Sed numquid mox, vt nascitur, iam prorsus perfecta est? vt perficiatur nascitur, cùm fuerit nata nutritur, cùm fuerit nutrita roboratur, cùm fuerit roborata perficitur.

Ita è contrario, nemo repente fit turpis, vt ex Gregor. refertur *in cap. Si sermo in fin. de panit. d. dist. 2.* & facit illud Iuuenalis,

> *Nemo repente fit turpissimus accipient te*
> *Paulatim qui longa domi redimicula sumunt.*

Si gradus parentum, vel liberorum non numerantur, vſque in infinitum intelliguntur, inquit *l. 1. verſ. Generaliter ff. de legat. præſtan.* ibi. Nec gradus liberorum, parentumue enumerauit. In infinitum igitur eis præſtabitur.

Gratia.

HÆc aut dicitur operans, aut cooperans. Prima præparat voluntatem, vt velit bonum. Secunda adiuuat, ne fruſtrà velit. Videtur tamen quibuſdam, quod eadem ſit gratia, idem donum, & eadem virtus operans, & cooperãs, ſed propter diuerſos effectus diſtinguuntur verbo; ſic inquit *gloſ. verbo, Cooperante, in Clem. 1. de magiſtr.* quam vide, quia de hac non plus mihi agendum competit, ſed de ea, quæ á Principibus ſæculi conceditur.

Gratia igitur Principis fit aliqua ex cauſa, vt in *in l. Relegati 4. in fin. ff. de pæn.* ibi. Niſi Imperator aliqua ex cauſa, & *ibidem gloſ.* ſic. Et iuſta cauſa eſt eius voluntas.

Stat gratia Principis in eius lingua, & in ſcriptura teſtimonium, & in executione commodum, vt refert *Gonzal. ſuper reg. 8. Cancellaria gloſ. 12. num. 47.*

Iuſtus autem Princeps, nec cuilibet gratia fauente, vltra quam meretur, impertitur, nec vlli hoc, quod ſui Iuris eſt ambitu ſtimulante derogat, ſed per omnia omnes honorare cupit, ſicque honore ſingulos ſubuehit, dummodo non ſit, quod alteri Iure ab altero poſſit opponi, vt proclamat *cap. De Eccleſiaſticis 25. q. 2.*

Ea ſunt noſtris officijs gratiora, quæ cùm licet nobis non impendere gratia tamen dilectionis impendimus, quia maioris gratiæ eſt impendere quod non debes, quam reddere, quod teneris, inquit *gloſ. vlt. in cap. vlt. de obſeruat. ieiunior.* Spectant igitur vniuerſi gratiam à Principe conſequi, vt dixit *gloſ. verbo, Spe, in Extrauag. Vnica de ſent. excomm.*

Indignum credimus noſtris fore temporibus, vt quibus nos, & Eccleſia ipſa exuberamus, in gratijs deficiamus in donis, ne murmurandi inde præſtetur occaſio; vnde ingratitudine neceſsitas aderat collaudandi, ne vt ſcriptura reddat onuſtum, quod liberalitas fecerat gratioſum, inquit *Extrauag. vnica de ſent. excomm.*

Gratia ſpecialis debet eſſe perpetua, & non expirat morte concedentis, vt inquit *cap. Si cui 36 de præb. lib. 6* ibi. Huiuſmodi conceſsio (quam cum ſpecialem gratiam contineat, decet eſſe manſuram) non expirat, etiam re integra per obitum concedentis ſecus, ſi ſuper prouiſione certæ perſonæ faciendæ ſit data poteſtas eidem, non ob ſuam, ſed eius, cui prouideri mandatur gratiam, vel fauorem; illa quidem expirat omnino, ſi concedens re integra moriatur; vbi *gloſ. verbo, Moriatur. arguit à cap. Si ſuper gratia de offic. delegat. eod. lib.* & reſpondet ità. Facti diuerſitas ſoluit contrarium, ibi loquitur de gratia iam facta; hic verò de facienda per executorem.

Noua gratia non ad diminutionem primæ, ſed ad augmentum debet intelligi facta, vt dicis verbo, *Priuilegium*. Aliquando tamen non ad augendam, ſed exequendam intelligitur, vt probat *Clem. 1. de præb. in fin.* ibi. Cum in conceſ-

cessione gratiæ, ad quam non augendam, sed exequendam debent (quæ de inhibitione sequuntur) referri, nullam de electione fecerimus mentionem.

Gratia ambitiosa non extenditur, sed restringitur, vt inquit *glos. verbo, Curam animarum, in cap. Non potest de preb. lib 6.* ibi, Cùm talis indulgentia, veluti ambitiosa sit restringenda, vbi etiam notat additio.

Motu autem proprio tunc solum gratia fieri censetur, cùm hoc expressè cautũ est in eadem, dicit *cap. si motu proprio 23. de preb. lib. 6.*

Si verò motu proprio facta fuerit, tunc fit interpretatio plenissima, dicit *cap. Si pluribus 24. de preb. eod. lib. 6.* & addit. Si verò ad petitionem alterius ipsa gratia fuerit per nos facta, eam hoc casu (prout Iuri congruit) restringatur. Nam motus proprius non ampliat gratiam, vel vim verborum, licet excludat subreptionem eius, pro quo scribitur, vt dicit *glos. verbo, Directas, in Clem. 2. de preb.*

Primæ generali gratia tibi factæ derogat posterior specialis, licet de illa non fecerit mentionem; inquit *cap. Quamuis 38. de preb. lib 6.*

Suggesta falsitas, vel suppressa veritas gratiam annullat, vt probat *cap. Dudum 54. vers. licet autem de elect.* ibi. Insuper indulgentiam, quam super hoc asserit, se habere inualidam reputauimus, cùm in ea falsitatem suggesserit, & suppresserit veritatem, qua tacita, vel expressa ipsam nullatenus habuisset.

Facta gratia per negligentiam est extincta, dicit *cap. Si clericus 11. de preb. lib. 6.*

Nota aliquid permitti gratia virtutis, quod aliàs non permittitur, vt inquit *glos. verbo, Virtutis in l. 1. vers. Bestias, ff. de postulan.*

Item nota quædam fieri gratias, quæ non gratis fieri non possunt, vt inquit *prædicta glos.* cum qua etiam consonat *altera glos. verbo inhumanum in l. Si furti §. si quis ff. de his, qui not. infam.* ibi. Et sic nota quædam gratis licere, quæ non gratis non licent, vt hic.

Gratiam quis non compellitur facere, si tamen iusta causa exigit, debet compelli per superiorem, vt concedat. Item indirectè quodammodo compellitur, concedere, si est idoneus. Item idem Superior istum potest cõcedere, vel repellere, quia non tenetur ei facere gratiam, nisi velit, quia nemo inuitus cogitur facere beneficium; ità ponit *glos. verbo Gratia, in cap. Bona 3. de postul. prel. vbi Apostil.* dicit hoc procedere in præsentato, non verò in postulato, quod videtur contra eundem tex. ibi. Non tam ex iustitia, quàm ex gratia postulationem ipsius non duximus admittendam, & probat *glos. verbo, De gratia; in eod. cap. Bona,* ibi. Si hoc esset, quod de gratia vocati essent, neç Ius, neç aliquod commodum sibi acquisitum fuisset &c. Vnde ipse, qui dedit, potest reuocare, & illos vlterius non admittere &c. nec tali datur restitutio, quia non dicitur spoliatus, cùm non possederit, sicut ille, qui sub conditione possidet &c. Consulo tamen facienti gratiam, vt hoc protestetur, nec præsumat sibi Ius creare in posterum, *& glos. penult. in cap. Cum inter 18. de electiõn.* ibi. Præterea hoc faciebant de gratia, ergo possunt illam reuocare quandocumque volunt &c. quia Ius nõ videtur acquisitum &c. Sed contra videtur, quia ex quo admiserunt illos vocando ad electionem, iam non possunt reuocare &c. præterea gratia concessa semel, intempestiuè reuocari non potest &c, cum non decipi, sed adiuuari beneficijs nos oporteat; & *glos. vlt. in d. cap. Bona* dicit ità. Iniuriam facere ei, si denegaret priuilegium, quod prædecessor eius habuit.

Duabus gratijs concurrentibus super eodem,

dem, illa obtinet, quæ præuenit, vt inquit *glos. verbo*, *Prius*, *in cap. Capitulum sanctæ Crucis* 50. *de rescript.* *vbi Apostill.* sic. Si intelligas in impetrando, planum est. Si in præsentando, falsum est, nisi quando gratiæ sunt æquales, & nescitur quis sit primus.

Non renunciat Iuri suo, qui gratiæ aduersarij se submittit, sic summatur *cap. Veniens* 13. *de renunc. vbi glos. verbo*, *Commisisse* ita. Et si commisit se illorum gratia, & ipsi nullam gratiam faciebant, poterat vti Iure suo.

Æquum est gratias agere, quæ pro acceptis rependuntur, & in futurum tempus fauorem conciliant, dicit *Ioseph de antiquit. lib.* 4. *cap.* 8. *lin.* 50.

Maioris gratiæ est offerre, quod non debeas, quàm reddere, quod exigeris, dixit *Hieronym. in cap. Qui sitit* 33. *q.* 5. & supra iam tetigi.

Gratis fit, quod Iure mandati quis exequitur, vt dicit *glos. verbo*, *Mandatum*; *in l. Tribus* 8. *ff. de vsufruct. ear. rer.*

Gratia muneris sponte oblati non debet minui, etiam in aduersa fortuna, vt habes verbo, *Munus*.

Omne quod gratia faciendum est, si pecunia fit, turpiter fit, vt inquit *glos. verbo*, *Repti*, *in l.* 4. *§. vlt. ff. de condit. ob turp. cau.*

Grauamen.

PLacet non plus posse grauari, quem restituere, quàm ei relictum esset, inquit *l. Filius familias* 117. *§. Apud Marcellum ff. de legat.* 1. & paulò infrà sic. Absurdum enim est eum præstare centum; maximè, si fundus centum, vel non multum pluris sit.

Qui in vno casu grauatur, debet in alio releuari vt dicit *glos. in §. Necessarius de hæredum qualit. & differ. in Instit.* *per tex.* ibi: Pro hoc tamen incommodo, illud ei commodum præstatur, & aliàs inuenitur multis in locis.

Grex.

EST numerus decem ouium, vel quinque porcorum simul, & congregatim consistentium, vt probat *glos. verbo*, *Gregis*, *in §. Sed si gregis de rer. diuis. in Instit.* & *in cap.* 1. *de elect.* Decem autem homines constituunt populum, vel turbam, vt notat *Apostill. ad d. glos. Gregis*.

Licet strictè Grex differat ab armento, quod est maiorum animalium, vt equorum, & bouum. Grex verò minorum vt pecorum, caprarum, & ouium, hoc tamen largè sumitur pro maioribus, & minoribus, quæ gregantur, vt inquit *glos. verbo*, *Gregibus*, *in Clem.* 1. *de decim.*

Grex perit, si non remanent, nisi quinque oues, vt inquit *glos. in l. vlt. ff. quib. mod. vsusfruct. amittat per tex.* ibi. Eò vsque peruenit numerus gregis, vt grex non intelligatur

Gubernator.

ILle sit, quem Deus elegit, inquit *cap. Si ergo* 8. *q.* 1. & paulò supra sic. Nulla hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Propinquis agrorum, & prędiorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi &c.

Nos, qui præsumus non ex locorum, vel generis nobilitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec vrbium claritate, sed fidei puritate inquit *cap. Nos qui* 40. *dist.*

Indecorum est, vt hi debeant Ecclesias regere, qui non nouerunt regere se ipsos,

sos, cùm ad Ecclesiarum regimen tales personæ sint admittendæ, quæ discretè præemineant, & morum fulgeant honestate; sic disponit *cap. 2. de ætat. & qualit.*

Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ità fugientibus offerendus est, inquit *Gregor. relatus in cap. In scripturis 8. q. 1.*

Officium regentis exercitum non tantùm in danda sed etiam in obseruanda disciplina consistit, sic *l. 12. ff. de re milit.*

Optimum quidem est optimatum regimen, & sic administrata republica viuere, vt hac contenti in legum, & vestra potestate sitis, inquit *Ioseph. lib. 4. de antiq cap. 8. lin. 40.*

Dum aliquis præest alicui familiæ, ea se circa subditos mensura mensuretur, vt & arridens timeatur, & ratus ametur; vt ne nimia lætitia se vilem reddat, nec immoderata seueritate odiosum, dixit *Gregor. moral. 20. cap. 2.*

Populare in gubernatorem solet accedere odium, & feri solet calamitatum culpa in eos reijci, penes quos est regimen reipublicæ, inquit *Ioseph. de antiq. lib. 15. cap. 12. lib. 20.* de quo alia vide verbo, *Præsidens.*

Non parcit populis regimen breuè dicit *glos. verbo Detrimenti, in cap. Hinc est 16. q. 1.* Et ego, prout sentio, dicam. Non placet populis regimen longum, quod videtur probari *Ex Auth. de desens. ciuit. §. vlt. ad fin. coll. 3.* ibi. Ne frequentia, & ordinatione, & continuatione curæ, & per quandam machinationem illud semper renouando fiat aliquibus infinita gubernatio.

Qui sub gubernatore est, quomodo poterit bene gubernare? Dicit *Imperator Iustinian. in l. vlt. C. de legitim. tutel.* ibi. Cui enim ferendum est eundem esse tutorem, & sub tutela esse? & iterum eundem esse curatorem, & sub cura agere? Hæc certè, & nominum, & & rerum fæda confusio est. Attendant igitur gubernatores, ne sinant se ab alijs gubernari, sed ipsi per se gubernent rectè, & iustè. Non nego tamen, quòd non consulant peritos.

Gula.

Qvinque modis nos vitium gulæ tentat. Aliquando namque indigentia tempora prænenit, sed cibos lautiores quærit. Aliquando quæ summenda sunt, procurari accuratius expetit. Aliquando autem & qualitas ciborum, & tempus congruit, sed in ipsa quantitate summendi mensuram refectionis excedit. Non numquam & abiectum est, quod desiderat, & tamen in ipso æstu immensi desiderij deterius peccat, sic *tex. in cap. Quinque de consecr. dist. 5.*

DE LITTERA H.

Habere.

Dvpliciter accipitur; nam & eum habere dicimus, qui rei dominus est, & eum, qui dominus quidem non est, sed tenet. Denique habere rem apud nos depositam solemus dicere; ità ait *l. Stipulatio ista 38. §. Hæc quoque ff. de verbor. oblig.*

Habere non licet ei, cui aliquid minuitur ex Iure, quod habuit, vt *in d. l. Stipulatio ista §. Si quis fortè ff. de verbor.*

Hæreditas, & Hæres.

Illa definitur, quod sit succesſio in vniuersum Ius, quod defunctus habuit tempore mortis; iste verò successor, nam hæres, & hæreditas tam & si duas appellationes recipiant, vnius tamen personæ vice funguntur, vt inquit *l.22. ff. de vsu cap. & in l. Legatum* 119.§.1. *in fin. ff. de legat.* 1. sic. Hæreditas personæ defuncti, qui eam reliquit, vice fungitur.

Hæres vero ab hæro dicitur, idest dominus, vt inquit *glos. verbo, Hero, in l. Item Mela §. Sed si plures ff. ad l. Aquiliam.*

Appellatione hæredis continentur liberi generaliter, in casu vero particulari feudi, & similium continetur filius tantum masculus ità glos. (quam videas, si placet) *in cap. vnico de alienat. feud. verbo, Sine filio.*

Nota etiam, quod nomen hæredis proximum significat, non vlteriorem, sed non semper, sed in quibusdam speciebus, vt inquit *glos. verbo, Media, in cap. Ex transmissa de fil. Presb.* vbi arguit in contrarium, & respondet pro solutione ità. Regulare est, vt per multas succesſiones accipiatur nomen hæredis, contraria autem specialia sunt.

Redeamus ergo ad hæreditatem, & postea de hærede dicemus. Hæreditas igitur, vt supra tetigimus, personæ defuncti vice fungitur, sicut municipium, Curia, & Societas, vt inquit *l. Mortuo* 23. *ff. de fideiuss. & l. Si is qui* 13. *in fin. ff. de vsucap.* ibi. Nam hæreditates in quibusdam vice personæ fungi receptũ est; & *in l. Denique* 13. *etiam in fin. ff. quod vi, aut clam* sic. Hæreditas Domini locum obtinet, & *in l. Non minus* 31. *ff. de hæred. inst.* sic. Quia creditum est hæreditatem dominam esse, & defuncti locum obtinere vbi glos. idem notat, & Apostilll. ibidem *ex specul.* dicit, durioris esse conditionis hæreditatem, quàm hæredem, quia etiam ante aditionem, non hæres gerit vicem defuncti.

Appellatione verò hæreditatis, nec legata, nec fideicomissa continentur, dicit *l. Titius* 94. *ff. de legat.* 3.

Hæreditates non honestiore modo titulo, sed & pleniore honore tribuuntur, inquit *l. Filium* 5. *§. legata, ff. de legat. præst.* vbi notat *glos. verbo, Pleniore*, quòd honor est, cui datur hæreditas, & dedecus, cui aufertur; vnde dicitur *in l. 3. vers. Cæterum eod. tit.* sic, Nec enim quærimus, cui acquiratur, sed cui honor habitus sit, licet quandoque, cuĩ acquiratur quæramus, vt ibidem notat *glos. verbo, Nec enim.*

Hæreditas autem semel data adimi facilè non potest, inquit *l. 1. §. vlt. ff. de ijs, quæ in testam. delen.* Fructibus verò augetur, vt dicis verbo, *Fructus.*

Et sicut aucta hæreditas prodest libertatibus, ità nocet diminuta, inquit *l. Si mortis* 18. *ff. qui & à quib.*

Augetur scilicet, & his hæreditas, decem (quæ defuncto naturaliter debebantur) in hæreditate manentibus, inquit *l. Cum quo* 56. *in fin ff. ad l. Falcid.* quod fit per retentionem, vt innuit *tex.* ibi. Manentibus &c.

Hæreditatis diminutio non attenditur in alimentis præstandis, vt habes verbo, *Alimenta.*

Soluendo hæreditas est, quæ inuenit hæredes, ait *l. Libertus* 36. *in princ. ff. de bon. libert.*

Non sic parentibus liberorum, vt liberis parentum debetur hæreditas, cum parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittat; Liberos naturæ, simul, & parẽtum commune votum dicit *l. Scripto ad fin. ff. vnde liber.* & *Paul. ad Corinth* 2. *cap.* 2. Non debent filij parentibus thesaurizare, Sed parentes filijs.

Hæ-

Hæreditas pupillariter data, & patris, & filij dicitur in simul, & vtraque debet retineri, aut repudiari, vt dicitur *in l. Sed si plures §. Filio impuberi ff. de vulgar.* ibi. Sed vtriusque debet hæreditatem habere, aut neutrius; iuncta enim hæreditas cæpit esse.

Improbum esse Iulianus existimat eum, qui solicitus est de viui hæreditate, dicit *l. 2. §. Interdum ff. eod. tit. de vulgar.*

Non propriè pars hæreditatis in vna re intelligitur, ait *l. Quamuis 14. ff. Si quis omiss. cau. testam.*

Quod ait l. Quanta pecunia erit tantam pecuniam dato: ostendit æstimationem hæreditatis, vel bonorum liberti, non ipsam hęreditatem voluisse legem prę- stari: nisi ipsas res tradere maritus noluerit; inquit *l. Si verò 65. §. vlt. ff. solut. matr.*

Princeps non admittit hæreditatem eius, qui litis causa eum hæredem instituit, vt refertur *in §. vlt. quib. mod. testam. infirm. in Instit.* ibi. Eadem oratione expressit non admissurum eum hæreditatē illius, qui litis causa Principem reliquit hæredem: nec tabulas legitimè factas, in quibus ipse ob eam causam hæres institutus erat, probaturum; nec ex nuda voce hæredis nomen admissurum, neque ex vlla scriptura, cui Iuris authoritas desit, aliquid adepturum &c. & *in l. penult. ff. de hæred. instit.* sic. Imperatorem litis causa hæredem institui, inuidiosum est; nec enim calumnię facultatem ex principali maiestate capi oportet.

Hæreditatis residuum cum iubetur restitui quid intelligatur restituendum, habes verbo, *Fideicommissum*, & verbo, *Residuum*.

Diuersum est dicere portionem simpliciter, & portionem hæreditariam, vt dicitur *in l. Marcellus 3. §. Quidam liberis ff. ad Trebell.* ibi. Quia portionem non hæreditariam testator cōmemorauit, sed simpliciter portionem, in portionem autem, & perceptiones videri cecidisse.

Nihil interest subtraxerit, an hæreditariam esse negauerit, inquit *l. Hæreditatum 68. §. Vnico ff. ad l. Falc.*

Idcirco hæreditati furtum non fit, quia possessionem hæreditas non habet, quæ facti est & animi, vt dicit *l. 1. §. Scæuola ff. Si quis testam. lib.*

Videtur impubes contrahere, qui adit hæreditatem, inquit *l. 3. in fin. ff. ex quib. cau. in poss. eatur.* & is, qui immiscuit se contrahere videtur, dicit *l. 4. eod. tit.* & infra dicit latiùs.

Neminem ex alterius facto, nec hæreditati obligari, neque exhæredari posse, ait *l. Pater familias 44. ff de hæred. inst.* Etiam si appareat contrarium de voluntate testatoris, vt in casu prædictæ legis.

Aditione hæreditatis confusa obligatio est, sed fideicommissi repetitio erat, cuius æquitas deficit ijs, qui multa ex hæreditate consumpsisse proponuntur, dicit *l. Matrem 80. ff. ad Trebell.*

Confusio hæreditatis perimit petitoris actionem, inquit *l. Sicut 75. ff. de solut. & in l. Stichum 96. §. Aditio eod. tit.* ibi. Aditio hæreditatis non numquam Iure cōfundit obligationem, veluti si creditor debitoris, vel contra adierit hæreditatem.

Postquam bona hæreditaria bonis hæredi mista sunt, non posse impetrari separationem; confusis enim bonis, & mistis separatio impetrari non poterit, inquit *l. 1. §. Præterea sciendum est ff. de separat.*

Et satis est, quòd hæres hæreditati se immisceat, licèt verbo non adeat, vt inquit *glos. verbo, Quin etiam in Clem. vnic. de concess. præb.*

Adeundo hæreditatem quis intelligitur compensare, vt dicit *l. Quæ dotis 34. ff. solut. matr.*

Hæreditate paterna repudiata non potest

filius retinere feudum; vt habes Verbo, *Filius*.

Sanctuarium Dei non conuenit Iure hæreditario possideri, vt inquit *cap. Ad decorem 5. de Instit.*

Redeundo igitur ad verbum, *Hæres*, scies, quòd & secundus hæres, & deinceps successores vnius esse vidētur, vt inquit *l. Antiquitas C. de vsufruct.*

Et sic hæredi iussum dare etiam hæredis, hæredi dari posse Adrian. rescripsit, & testatur *l. Si peculium 20. ff. de statu liber.* At vero in casu *l. Seruus., si hæredi 34. eod. tit.* sic dicitur. Hæredibus hæredis pecunia danda non est. Quod enim placuit hæredis hæredi dare oportere tūc memineris locum habere; cùm prior hæres dominus accepturus pecuniam fuerit, quæ etiam fecit deambulatoriam (vt ità dixerim) conditionem.

Hæredes enim hæredis, hæredes sunt aliquo mediante, vt inquit *glos. vlt. in l. Qui plures 23. ff. de vulgar.* vbi videas etiam Apostil. quod limitabis, si hæredes hæredis non venerint ex iudicio testatoris, vt inquit *l. Qui liberis 8. §. Hæc verba ff. de vulgar.* ibi. Sed neq; hæredes hæredis, quia non ex iudicio veniunt, & sic procedit *l. Si quis testamento 16. ff. de liberation. legat.* ibi. Nam nec hæredis hæræs agere, nec ab hæredis hærede peti potest; & licet hoc videatur contra *l. Aurelio 21. eod. tit.* ibi, Diuersum in persona hæredis, eius tamen ibi erat personale legatum

Qui testamentum Titij falsum dixit, nec obtinuit hęredi eius hęres existere non prohibendus est, quia non principaliter in Titij hæreditatem succedit; ità *Modestin. in l. 7. ff. de ijs quibus vt indign.*

Ex voluntate defuncti tantum proximior intelligitur hæres, vt probat *glos. verbo, Repetitum, ad fin. in l. Non iustam 4. C. ad Trebell.*

Hęredes sui dicuntur filij, vt habes verbo, *Filius*; Cæteri, qui testatoris iuri subiecti non sunt, extranei hæredes appellantur inquit *§. 3. de hæred. qual. in Instit. & ibidem glos. in addit.* sic. Alio modo dicitur extraneus ille, cui nihil attinet, vel non est de ascendenti, aut descendenti linea, quæ faciunt ad quæstionem de eo, qui promisit non alienare in manum extraneam.

Restituta hæreditate, is, qui restituit nihilominus hæres permanet, inquit *§. Restituta de fideicommiss. hæred. in Instit.*

Si filio exhæredato ex Trebelliano hæreditas patris restituta sit effectu quodammodo hæres est, inquit *l. 5. §. 1. ff. quod cum eo.*

Quod à tempore mortis hæres intelligitur, & retro trahitur, deducitur *ex l. Si cùm 28. §. Illud quæsitum ff. de stipulatione seru.* ibi. Quod hæredis familia ex tempore mortis funesta facta intelligitur, vbi dicit *glos. verbo, Mortis.* Quod ad quædam non est verum.

Scriptus hæres priusquam hæreditatem adeat, patrem familias mortuum inferendo, nec quis putet hoc ipso pro hærede eum gerere inquit *l. 4. ff de relig. & sumpt. fun. & in l. At si quis §. Plerique eod. tit.* ibi. Licet ex hoc ipso, neq; pro hærede gestio, nec aditio præsumatur. Plerumque enim defuncti ante sepelliuntur, quàm quis eis hæres existat dicit *d. l. 4.*

Sicut & hæres totius hæreditatis se obligat, etiam si in vna re se gerat pro hærede; nam & cum vnum Ius sit vniuersale, per vnam rem sufficit fieri restitutionem, inquit *glos. verbo, Earum, in l. Restituta 37 ff. ad Trebell.*

Adeundo hæres efficitur, nec desinit hæres esse, licet res, quæ ita relictæ sunt, auferantur, ait *l. Ex facto 43. §. vlt. ff. de vulgar.*

Hoc ipso, quòd alij quis reliquit, videtur adire, vt probat *glos. verbo, Non transeant in l. Cogi 9. Sed & similes ff. ad Tre-*

Trebell. vbi Apostill. sic. Nam sola voluntate, vel opere &c. Sed non ne restituendo videtur adire? Sicut qui soluit creditoribus, vt *C. de iur. de liber. l.* 2. Fit enim nuda voluntate, vt inquit *glos. vlt. ad fin. in l. Ita tamen* 27. *§. Si pater ff. ad Trebell.* & facit glos. supra allegata verbo, *Quin etiam, in Clem. Vnica de concess. prab.* ibi. Licet verbo; *non adeat*.

Non est æquum, quem compelli adire hæreditatem, vt emolumentum quidem hęreditatis refundat, ipse verò oneribus hæreditatis relinquatur, inquit *l. Nam quod* 14. *§. Non omnis ff. ad Trebell.*

Coactus verò adire dicitur, vt inquit *l. Apud Iulianum* 13 *ff. eod. tit.* ibi. Adijt enim vbi glos. sic. Licet coactè, & fuit hæres, quia coacta voluntas, est voluntas.

Opinio enim, vel metus, vel color eius, qui noluit adire hæreditatem, inspicitur, non substantia hæreditatis; nec immeritò; non enim præscribi debet hæredi instituto, cur metuat hæreditatem adire, vel cur nolit; cum variæ sint hominum voluntates vt dicis verbo. *Voluntas*; ità inquit *l. Quia poterat* 14. *ff. illo tit. ad Trebell.* Licet quis deliberare se dicat an adeat, cogendus est adire, non vt statim restituat, sed vt reuersus domum, si putauerit sibi expedire commodo falcidiæ, vel testamento vtatur; vel si non putauerit, restituat totam hæreditatem, ne onera patiatur; inquit *l. Si legatus* 30. *ff. ad Trebell.*

At cum substitutus filio hæreditatem adijt, postquam pupillus se paternæ miscuerit hæreditati, tunc hæreditas, & Patris, & Filij vna est, & in omni ære alieno, quod, aut patris, aut filij fuerit, etiam inuitus hæres obligatur, ait *l. Pater familias* 12. *ff. de priuileg. creditor.*

Pro hærede gerere quis videtur, si rebus hæreditarijs tamquam hæres vtatur, vel vendendo res hæreditarias, vel prædia colendo, locandoue, & quoquo modo uoluntatem suam declaret, vel verbis, vel re, dixit *text. in §. vlt. de hared. qualit. & different. in Instit.* nisi in *sepultura* vt supra dictum est.

Si defunctorum interest, vt successores habeant; interest, & viuentium, ne præcipitentur quandiu iustè deliberant, ità inquit *l. 6. ff. de interro act.* vbi etiam hæc non cogitur respondero &c. ne aut negando se hęredem preiudicet sibi, aut dicendo se hæredem illigetur, vbi *glos. verbo, Praiudicet*, sic ait. Quantum ad præsumptionem, non quantum ad legitimam probationem implēdam respectu interrogati, & interrogantis, non aliorum.

Semper contrahens intelligitur hæredibus consulere, vt probatur *in l. Tale vlt. §. 41. ff. de pact.* ibi. Cum inter contrahentes id actum sit, vt hæredibus consulatur, & *in l. Auus* 34 *eod. tit.* ibi. Quippe hæredi consuli consensum est, & *in l. Si pactum* 9 *ff. de probationibus* ibi; quia plerumque tàm hæredibus nostris, quam nobismetipsis cauemus, & *in cap. Duo fratres, de duob. fratrib. à cap. In vest. in vsibus feudor.* ibi. Vnusquisque enim sibi, suisque hæredibus videtur prospexisse.

Eodem modo non intelligitur quis voluisse suos onerare hæredes, vt probat *l. Sticho* 36. *ff. de vsufruct. legat.* vbi potius, quod se habere crederet, quàm quod onerare hæredes vellet, nisi manifestè ostendatur eam testantis voluntatem fuisse, vt onerare hæredes vellet, vt inquit *l. Qui decem* 17. *ff. de dot. pralegat.*

Maiori cum ratione ius dicentis propositum erit liberos oneribus hære-

ditarijs non sponte susceptis liberare, non inuitos ab hæreditate remouere, vt inquit *l. Si filius 12. ff. de vulgar.*

Hæredum enumeratio personaliter facta hunc effectum habet, vt exequantur in legato prestando, quod si nominati non essent hæreditarias partes debituri sunt, vt dixit *l. Si hæredes 127. ff. de legat. 1.*

Pro parte autem hæres, pro ea parte, pro qua hæres est, tenetur, ità ait *l. In conditione 9. ff. de condit. furt.*

Si plures hæredes sint, necesse habebunt vnum dare procuratorem, ne defensio per plures personas scisa incommodo aliquo afficiat actorem. Aliud est in hæredibus actoris, quibus necessitas non imponitur, aut per vnum litigent; ità dixit *l. Iam tamen, §. Iam tamen, ff. iudicat. solu.*

Multis autem in relictis hæredibus actionem quidem personalem inter eos diuidi *ex l. Duodecim tab.* pignus verò in solidum vnicuique teneri dixit *l. 1. C. si vnus ex plur. hæred. credit.* & *idem l. 2. eod. tit.*

Impij hæredes esse non debent, vt ait *glos. in l. Pland 34. §. Si coniuncti verbo, proprio. ff. de legat. 1.* Quæ loquitur de legato relicto proprio seruo testatoris, siue libertate, quod licet de iure non consistat, hæredes tamen debent soluere probatur ex *l. Quidam §. Illo C. de necessar. seru.* ibi. Non tam ità impij hęredes existant, vt liberalitatem testatoris, & seruiles labores debita remuneratione defraudare conentur, & non derelictum liceat adhuc seruis constitutis donent.

Satis impium, atque absurdum est hæredes testatoris differre voluntates, maximè cum ad libertates respiciunt, vt *in l. Ancilla 15. C. de fideicom. liber.* Vnde pœna imponitur hæredi, cui relicta est electio dandi libertatem vni ex seruis, si statim vnum non eligat quòd omnes sint liberi; prout in *l. Pœna eod. tit.* ibi. Sic enim iusto timore hæredes &c. perterriti, & voluntatem testatoris adimplere procurent.

Et nota non licere in partem velle, in partem nolle parere defuncti iudicio, inquit *glos. verbo, Compellendam, in l. A filio 15. ff. de alim. legat.*

Hæres implet detracta falcidia, si fecerit inuentarium, vt probat *glos. verbo, Complere, in Auth. de hæredibus & fal. §. Is igitur, vbi Apostill.* sic ait. Etiam si non fecerit inuentarium, hæres detrahit falcidiam *de iur. Can. secundum Panor. & Barbos. in cap. 1. de testam.*

Factum possunt hæredes nihilominus adimplere, illa subtili, & superuacua scrupulusitate ex glosa, per quam putabatur non esse possibile factum ab alio compleri, quod alij impositum est, vt inquit *l. Veteris 15. C. de contrahend. & commit.*

Nota hæredem debere vti Iure defuncti, licet ipse per se sit priuilegiatus, ita *glos. verbo, Dare, in l. Cum quidam § ex locato de vsur.* & probatur *in l. Dotale 13 ff. de fund. dot.* ibi. Hæredi quoque mulieris idem auxilium pręstabitur, quod mulieri præstaretur, vbi *glos. verbo, Præstaretur*, addit sic; licet alias priuilegium dotis hæredi non detur vt *C. de priuil. dot. lit. 1.*

Paulus respondi iure quidem proprio non hęreditario Semproniam, quę Seię (de qua quæritur) hæres extiterit controuersiam fundorum facere posse, sed in cuictis prædijs eandem Semproniam Seiæ hæredem conueniri posse, vel exceptione doli summoueri, inquit *l. Seiæ 73. ff. de euict.*

Esse iniquum plus hæredes nostros ferre, quàm feremus ipsi; proclamat

mat *l. vlt. ff. si familia furt. fec.*

Nota, quod aliquid potuit defunctus, quod hæres non potest, vt inquit *glos.* per Iura, quæ ibi allegat *in l. Sed Iulianus 9. §. Sed si ff. ad Maced.* quæ est *glos. vlt.* & alias ab hærede plenius agitur, quam à defuncto agi potuerit, vt probat *glos. vlt. in l. Pater 23. in fin. per tex. ibi ff. de pact. dotalib.*

Si defunctus scriptum reliquit, rectè ei credit hæres ad excusationem suæ conscientiæ, inquit *Bart. in Extrauagan. ad reprimendam verbo, Denunciatione, propè fin. per tex. in l. Qui cum maior. §. penult. ff. de bon. lib.* & probatur *in Auth. de Iur. iur. amor præst. post med. coll. 5.* ibi. Hæredes autem contentos esse ijs, quæ à testatore dicta sunt &c. necessitate eis imminente, aut obedire omnibus, aut vniuersa contemnere &c. Sed defuncti voluntatem ab eius seruari successoribus, ità vt in nullo ei contradicei presumatur.

Si autem non apparet de mente testatoris, tunc ad hæredem expectaret interpretatio, vt notat *Apostill. in l. Vnum ex familia super verbo, Debet, ff. de legat. 2.*

Si verò hæres noluerit interpretari, & recusauerit declarare, necesse habebit, vel Ius iurandum subire, quòd nescit, nec tale quid à testatore audiuit, vel intellexit, & si recusauerit ad solutionem coarctabitur, vt dicitur *in §. vlt. de fideicomm. hæred. in Institut. idem in fideicommisso*, de quo non constat, vt habes verbo, *Fideicommissum*.

Videtur namque hæres scire, quod sciuit defunctus, cùm sit vna, & eadem persona, vt dixit *glos. vlt. in l. Cum hæres 25. ff. de lib. legat.* Vnde hæredis quoque succedentis in vitium par habenda fortuna est, vt inquit *l. 2. C. de fruct. & lit. exp.* Hoc autem ità est, nisi propter dolum defuncti conueniatur; tunc enim in id, quod ad eum peruenit conuenietur disponit *l. de libertatib. 12. §. hæredem ff. Si quis e omissa causa testa.*

Licet autem pæna ad hæredem non transeat, attamen, quod turpiter, vel scelere quæsitum est (vt rescriptum est) ad compendium hæredis non debet pertinere, inquit *l. Quod diximus 16 §. vlt. ff. quod met. caus.* Sunt enim turpia lucra hæredibus extorquenda, vt inquit *glos. Marg. ad fin. in l. In honorarijs ff. de act.* & ratio est ne alieno scelere ditentur, vt dicitur *in l Vnica C. ex del. def. & ibi glos. Verbo scelere*, sic; turpia enim lucra ab hærede sunt extorquenda.

Cùm hæres in Ius omne defuncti succedit ignorantia sua defuncti vitia non excludit; nec enim rectè defendetur, cum exordium rei bonæ fidei ratio non tueatur, inquit *l. Cùm hæres 11. ff. de diuer. & temp.* & videtur in contrariũ *l. An vitium eod. tit.* de quo vide verbum, *Vitium*.

Toties damus in hæredem actionem de eo, quod ad eum peruenit, quoties ex dolo defuncti conuenitur, non quoties ex suo dixit *l. Quod in hærede 9. §. 1. ff. de tribut. act. in l. verò; Si homini 6. §. 1. ff. depositi* sic inuenies: quamquam enim ex dolo defuncti non solemus teneri, nisi pro ea parte, quæ ad nos peruenit, tam quia hic dolus ex contractu, reique persequutione descendit; ideoque in solidum vnus hæres tenetur; plures verò pro ea parte, qua quis hæres est, vbi glos. ità, & sic nota, ex dolo commisso in contractu teneri hæredem &c. Sed hoc fallit &c.

Sed constitutionibus subuentum est ignoro-

gnorantiæ hæredum, hoc tantum obſeruandum eſt, cum poſt mortem tutoris hæres conueniatur: non ſi lite conteſtata tutor deceſſerit, nam litis conteſtatione, & pænales actiones tranſmittuntur ab vtraque parte, & temporales perpetuantur, vt dicitur *in l. vlt. in fin. ff de fid. tutor.*

Hæres perſequitur iniuriam defuncti, & ſi fama lacerata conſiſtat, vt habes verbo, *Iniuria*, omnes verò hæredes, vel qui loco hęredis ſunt officioſe agere circa defuncti vindictam conuenit, vt inquit *l. 21. ff. de ijs quib. vt indign.*

Nemo relictus hæres, vel legibus ad ſucceſſionem vocatus, noſtrum, vel potentium nomen horreſcat, dixit *Imperator l. Nolumus 20. Cod. de teſtam.*

Non debet hæres mouere, quod defunctus tacuit, vt probat *gloſ. verbo, Non ſuccedit, in cap. vlt. de probib. feud. alien. per frideri. per tex. in l. Omnimodo §. 1. C. de inofficioſ. teſtam. & l. vlt. C. de reuoc. donat.*

Nota hæredem non poſſe defuncti mendacium allegare, vt inquit *gloſ. vltim. in l. Rem alienam 41. ff. de pign. act. per text.* ibi, vt ex ſuo mendacio arguatur, improbè reſiſtit, quominus vtilis actio moueatur.

Si hæres de iure ad eius fauorem introductum diminuet, non videtur fraudem facere, vt probatur *in l. Poteſt hæres 71. ff. ad l. Falcid.* ibi: Quia lex hæredi cauſa lata eſt, nec fraus fit ei, ſi Ius ſuum diminuat hæres.

Poteſt hæres in redemptionem captiuorum, fideicommiſſum alienare, vt habes verbo, *Fideicommiſſum.*

In legato præſtando ab hærede qualiter culpa ſit æſtimanda, videamus, an non ſolùm ea, quæ dolo proxima eſt, verum etiam, quæ leuis, aut nunquid & diligentia quoque exigenda ſit ab eo? Quod verius eſt, inquit *l. Cum res 49. §. pen. ff. de legat. 1.*

Ex dolo, & lata culpa magiſtratus tenetur hæres non pro leui, vt dixit *gloſ. in l. Hæredes, C. de mag. conue.*

Poſt moram autem hæres tenetur, etiam de caſu, vt dicitur *in l. Cum res 49. §. vlt. ff. de legat. 1.* ibi. Potuit enim cum acceptum legatarius vendere.

Hæredes non tenentur redimere alienum, quod ſuum exiſtimauit teſtator relinquendo; nam ſuccurſum eſt hæredibus ne cogantur redimere, quod teſtator ſuum exiſtimans reliquerit; ſunt enim magis in legandis ſuis rebus, quàm in alienis comparandis, & onerandis hæredibus faciliores voluntates, vt inquit *l. Vnum ex familia 69. §. Si rem tuam ff. de legat. 2.*

Non videtur hæres dediſſe, quod ità dederat, vt habere non poſsis, dixit *l. Qui concubinam 29. §. Si hæres ff. de legat. 3.*

Hæres non tenetur dare teſtamentum originale, ſed ſolum exemplum, vt dixit *l. 4. in fin. ff. famil. hercis.* ibi. Hæredem enim exemplum debere dare, tabulas authenticas apud ipſum retinere.

Confitenti hæredi modicum tempus ad ſolutionem dandum eſt, nec vrgendus eſt ad ſuſcipiendum iudicium, quod quidem tempus ex bono, & æquo prætorem obſeruare oportebit, inquit *l. Si domus, §. in pecunia legata, ff. de legat. 1.*

De

De hærede, qui ignorans rem depositam vendidit, ita dixit *l.1.§.vlt ff.depos.* Et quia dolo non fecit, non tenebitur de re; an tamen de pretio teneatur, quod ad eum peruenit? Et verius est teneri eum; hoc enim ipso dolo facit, quod id, quod ad se peruenit non redijt. Planè si possit rem redimere, & præstare, nec velit, non caret culpa; quemadmodum nec si redemptam, vel alienatione suam factam noluit præstare, causatus quod semel ignarus vendiderit.

Cùm quis debitori suo hæres extiterit confusione, creditor esse, sed si vendiderit hæreditatem, æquissimum videtur emptorem hæreditatis vice hæredis obtinere, & idcirco teneri venditorem hæreditatis, ita dicit *l.2. §. vlt.ff. de har.vel act.vend.& in l.Si ei 41.§.1. ff.de ciuit.* Redditur ratio ibi; quoniam & cum debitor creditori suo hæres extiterit, actio quædam inter hæredem, & hæreditatem proponitur, & intelligitur maior hæreditas ad debitorem peruenire, quasi solutę pecunię, quę debebatur hæreditati, & per hoc minus in bonis hæredis esse, & ex contrario &c.

Debitori tuo si hęres extitisti, actio, quam contra eum habuisti adita hæreditate, confusa est, sic ait *l.7.C.de pact.*

Non ex persona hæredum conditio obligationis immutatur, dicit *l.2.§.Ex his ff.de verb.*

Te, & Titium hæredem daturum, si spondes? Titij persona pro superuacua est comprehensa, inquit *l. Eum qui 56. §. Te ff.eod.tit.*

Hæredum interest, quos Ius monumenti sequitur *l. His consequenter 6. 1. vers. sed eum ff.fam. hercisc.*

Sufficit non in lucro versari hæredem, non etiam damnum subire, dicit *l. 3. ff. de vi, & vi arm.*

Si viuo testatore vnus ex hęredibus pecuniam sustulerit, *in fam. hercisc.* iudicium non venit, quia tunc nondum hęres erat; sic *in l. Et puto 16. ff fam.herc.* Omnia vero, quæ quis in hæreditate fecerit dolo, aut culpa in iudicium *fam.hercisc.* venit; sic tamen si quasi hæres fecerit, vt *in d.l.Et puto.*

In suis hęredibus euidentiùs apparet continuationem dominij eò rem perducere, vt nulla videatur hæreditas fuisse, quasi olim hi domini essent, qui etiam viuo patre quodammodo domini existimabantur, inquit *l. 11 .ff. de lib. & posth.*

Iuramento hæredis possunt probari expensæ funeris, & aliæ similes, vt notauit *Apostill.ad glos. verbo, Approbauerit, in l.Scimus 22.§.In computatione C.de iu.delib.* sic dicens. Ista est singularis glos. & non reperitur alibi &c. quod hæres per suum solum Sacramentum probet expensas necessarias &c. quod procedit in expensis paruis; verba vero ad glos. sunt. Approbauerit testibus, vel suo forsitan iuramẽto, & tex. itá. Quidquid in funus expendit, vel in testamenti insinuatione, vel inuentarij confectionem; vel in alias necessarias causas hęreditatis aprobauerit se persoluisse.

Suspectus hæres non ijsdem modis, quibus suspectus tutor existimatur; siquidem tutorem, non facultates, sed fraudolenta in rebus pupillaribus, vel callida cõuersatio suspectum commendat; hæredem verò solæ facultates; sic *l.Si creditores 11.ff.de priuil.cred.*

Hęredis negligentia legatarijs nõ nocet, vide verbo, *Negligentia.*

Si existimauerit hęres, si comprobauerit, si iustum putauerit, & legatum, & fideicommissum debebitur; quoniam quasi bono viro ei potiùs commissum est, non in meram voluntatem hæredis collatum; itá dicit *l. Si sic legatum 73. ff.de leg.1.*

Cùm autem semel dixerit hæres verum dare velit, mutare sententiam non potest, ait *l. Huiusmodi 86.§.Stichum, aut* Pam-

Pamphilium ff. de legat.1. idem per eadem verba l.Statuliber 11 §.vlt. in fin. ff de legat.2. & idem è conuerso, si legatario legetur alternatiuè, vt notatur, verbo, *Alternatiua*.

In ea namq; hæredis esse electionem, vtrū rerum, an æstimationis vsumfructum prēstare velit, decidit *l.Generali 32.§. vlt.ff.de vsufruct.legat.& ip l. Cum certum 4 ff.de vin.nutrit.*ibi. Liberum est hēredi, cuius velit generis oleum legatario soluere.

Non potest videri ad hēredem peruenisse, quod eius hēreditatis nomine prēstaturus est, dicit *l.Qui concubinam 29.§. Cum ità in fin.ff.de legat.3.*

Qui fortuitu, non iudicio testatoris, consequitur hēreditatem, vel legatum, non debet onerari, nec recipiendum est, vt cui nihil dederis, eum rogando obliges, ait *l.Sedet si sic 6. ff. de legat. 3. & facit l.3 ff.ad l.Aquil.* ibi. Vera autem ratione nihil legatarijs debebitur, quia magis ex stultitia emptoris habere videtur hēres institutus, quàm ex bonis defuncti. Nam & è contrario; si malè vendiderit hēres res hēreditarias, non erit hoc legatariorum detrimentum. Itá ergo commodum debet esse hēredis si benè res administrauerit. Sed & si is, qui soluendo est, legauerit, & hēres cum creditoribus deciderit (idest transegerit) vel solidum soluerit, & ob eam decisionem factum sit, vt aliquid retineret, nihil tamen legatarijs debiturum, quia eam pecuniam non ex hēreditate, sed ex decisione habeat.

Hēres testamentum non implens relictis priuatur *in Auth.de hered.& Falcid §.* Hēc quidem, vbi ista optima verba. Et nullus hanc legem duram habeat, tamquam relictis priuatus, sed considerans, quia omnibus hominibus terminus vitē est mors, & non solum ab alijs se percipere contempletur, sed cogitet, quia & ipse alijs moriens imperabit. Et si non huius legis mercatur auxilium nihil horum, quē cum omni studio disposuerat, ad effectum producit. Non enim ijs, qui sub nobis, nec qui nunc solùm sunt hominibus, sed omni etiam post hoc currenti tempore, legem ponimus.

Si non paruerit hēres voluntati, sed domū alienauerit vel extero hērede instituto decesserit, inquit *l. Peto 71. §. Fratre ff.de legat.2.& in l vlt.in fin. C. de fideicomm.* sic. Cum & in leges respeximus, quē iustis dispositionibus testatorum omnimodo hēredes obedire compellunt; & sic strictius causam exigunt, vt etiam ammittere lucrum hēreditatis sanciant, qui testatoribus suis minimè paruerint.

Sed si voluntas testatoris inepta sit, non priuandus hæres, sed laudandus erit, si non paruerit, vt *in l.Quidam 27.ff.de condit.Inst.* ibi. Laudandus est magis, quàm accusandus hēres: qui reliquias testatoris non in mare, secundum ipsius voluntatem abiecit, sed in memoriam humanē conditionis sepulturæ tradidit &c.

Qui iudicium parētis oppugnauerit, non debet ex eadem hēreditate quicquam consequi, ait *l.Quæsitum 40.ff.de acquir. hered.*

Item hēres, qui testatori non adhibuit medicum, vel malum adhibuit hēreditate priuatur, vt arguit, & probat *glos. in l. Quod si nolit 31.§.Si plures ff. de adel.edict.*

Quos indignus est hēres seruos habere, ne libertos quidem habebit, inquit *l. Si quis rogatus 53.ff.de fideicom. liber.*

Si quis fuerit hēres, cui deinde hēreditas ablata sit, quasi indigno, magis est, vt penes eum Iura sepulchrorum remaneant. Sic disponente *l. 33. ff. de relig. & sumpt. funer. vbi glos.* dicit. Non enim desinit esse hēres, vt intra *de vulg. l. Ex facto §. Iulianus.*

Cùm autem extiterit semel hēres seruus, non potest adiectus efficere, vt qui semel

mel hæres extitit, desinat hæres esse, inquit *l. Ei qui soluendo 88 ff. de hæred. instit.*

Qui superstitis bona repudiat, post mortem eius adire hæreditatem, non prohibetur, sic inquit *l. 93. ff. de acquir. hæred. vbi glos. verbo, Repudiat,* ità addit. Idem si pactum faciat &c. Idem si iuret &c.

Non est sine hærede, qui suum hæredem habet; licet abstinentem, vt ait *l. Cum quasi absente 30. §. In furiosi ad fin. ff. de fideicomm. libert.*

Si ità disposuerit testator. Si sine hærede moriaris, restituas Seio hæreditatem, videri eum de liberis sensisse, disponit *l. Ex facto 17. §. vlt. ff. ad Trebell.* vbi notat glos.

Prudens consilium testantis animaduertitur; non enim fratrem solum hæredem prætulit substitutis, sed etiam eius liberos, dicit *l. Lucius 86. in fin. ff. de hæred. instit.*

Vtique nostris videtur legibus vnam quodammodo esse personam hæredis, & eius, qui in eum trãsmisit hæreditatem, inquit *Auth. de iur. iur. amor. præst. post princ. coll. 5.*

Cùm allegas te à fratre tuo, eodemque commilitone in eisdem castris institutum hæredem: successionem eius potius castrensi peculio tuo, quàm patri, cuius in potestate es, per te quæsitam videri rationis est. Etenim peregrinationis laborem sociatum comilitij eius, & obseruandorum munerum consortium affectioni fraternæ non nihil addidisse, quinimmò vice mutua cariores inuicem sibi eos reddidisse, credendum est, dicit *optima l. 4. C. de castrens. pecul. lib. 12.*

Hæres decurrens ad solemnitates Iuris, cum ab eo legatum, vel fideicommissum petitur, soluere detrectans, non auditur, vt probat *glos. in cap. Siue Clericus qui test. sunt necess. in vsib. feud. per iura, quæ ibi.*

Exhæreditatio facta extraneo nulla est, sic probat *glos. verbo, Elogio, in l. 1. §, Pomponius ff. de Carbon. edict.* ibi. Et sic, vt extraneum exhæredo, & sic non valet, vt pote res inepta in extraneo.

Hæreticus.

IDeo diuina prouidentia multos diuersi erroris hęreticos esse permittit, vt cum interrogant nos ea, quę nescimus, sic discutiamus pigritiam, & diuinas scripturas capiamus. Propterea Apostolus ait. Oportet hæreses esse, vt probati manifestè fiant. Hi autem à Deo probati sunt, qui benè possunt docere, inquit *cap. vlt. 24. q. vlt.*

Ad hæreticorum preces si quis obtinuerit beneficium ecclesiasticum potest priuari beneficio Ecclesiastico, vt habes verbo, *Preces.*

Hipocrita.

MAlui habere cæcos, vel claudos, quàm plangere mortuos. Qui enim hipocrita est, mortuus est, *Augustin. in cap. Nolo 12. q. 1.* Et postea *in cap. Certè ead. cau. & q.* sic. Nolo habere hipocritas. Malum enim esse quis nesciat? Malum est cadere à proposito, sed peius est simulare propositum &c. Si non seruat sanctitatem foris dimidius cecidit; si verò intus habuerit simulationem, totus cecidit; & *Cicer. de offic. lib. 1.* sic. Totius iniustitiæ nulla capitaliter, quàm eorum, qui cùm maximè fallant, id agunt, vt boni viri videantur. Vnde dicit *glos. vlt. in addition. in cap. Auaritia 3. de elect. lib. 6.* Simulata æquitas, duplex est iniquitas.

Quidam sunt hipocritæ, qui, vt videantur iusti, pronunciant contra suos, vt inquit *glos. verbo, Nouimus, in cap. 1. de concess. præb. lib. 6.* vbi. Additio re-

refert *ex Host. de quodam Parisien.* si scholari, qui reuersus ad patriam pronunciabat contra Ius, iniustas causas fouens pro extraneis, vt iustissimus videretur.

Hypotheca.

HÆc si est generalis tàm præsentes, quàm futuras res comprehendit, vt deciditur *in l. Si quis 6. Qua res pignori,* & est vna de quinquaginta Iustiniani legibus famosis, quæ ità dicit. Super qua generali hypotheca illud quoque ad conseruandam contrahentium voluntatem sancimus, vt si res suas suppone dixerit, non adiecto, tàm præsentes, quàm futuras, Ius tamen generalis hypoteca etiam ad futuras res perducatur.

In l. Si quis prioris 8. §. vlt. C. de secund. nupt. ità dicitur. Occasione talium hypothecarum, nec matris, nec matris administrationem filij valeant perscrutari, vel aliquam eis mouere super hoc quæstionem, cum perspicui sit Iuris, etiã si alienata fuerint eorum bona, quæ extra memorata lucra, vel materoas res sunt, Ius hypothecæ integrum eis remanere, vbi *glos. vlt.* dicit. In matre hoc simpliciter non esse admittendum.

Superuacuum est credere agrum specialiter hypothecæ datum permissu creditoris venisse, si ipse debitor rem possideat, inquit *l. Sicut 8. §. Superuacuum ff. quib. mod.* pignus, vel hypotheca soluitur.

Quod dicitur creditorem probare debere, cum conueniebat rem in bonis debitoris fuisse, ad eam conuentionem pertinet, quæ specialiter facta est non ad illam, quæ quotidie solet cautionibus inseri, vt specialiter rebus hypothecæ nomine datis, cætera etiam bona, quæ nũc habet, & quæ postea acquisierit, ita ait *l. Et qua 15. §. 1. ff. de pign,*

Si res hypothecæ data, postea mutata fuerit, æquè hypothecaria actio competit dicit *l. Si fundus 10. §. 1 ff. eod. tit. de pign. vbi glos. verbo, Competit.* Aliud in vsufructu, & legato probat per Iura, quæ ibi.

Si distraxit debitor, & postea ad ipsum debitorem perueniat res illa distracta, non renascitur hypothecaria semel extincta dixit *l. vlt. de remiss. pign. coniun. cta glos. penult. in cap. Quamuis 8. de rescript. lib. 6.*

Hypothecaria actio definit competere, re obligata desinente esse; sed materia cum transit in materiatum definit esse & extinguitur, & incipit alia species, vt inquit *glos. penult. in l. si conuenerit 18. §. penult. ff. de pignor. act. per tex. in l. Seia §. Item quæro, ff. de aur. & arg. legat.*

Nota tolli hypothecariam sex mensibus: aliás centum annis, aliter dicit *glos 1. in l. Apud eum 7. C. de Cens. & censit. lib. 11.*

Hypothecæ alienationi consentiens ius perdit, vt habes verbo, *Creditor.*

Tempora hypothecarum Ius permutare, aut interimere, vel minuere, nullo modo patimur, inquit *Auth. vt ex action. instan. Coll. 7.*

Historiographus.

QVi historiam, & rerum propter antiquitatem obscurarum expositionem scribere se profitentur, debent quidem non negligere orationis cultum, & elegantem compositionem tum quidquid lectioni gratiam conciliat, & ademit tædium, sed præcipuè cura impendenda est veritatis studio, ne suam fidem sequentes fallant, & inducant in errorem aliquem. Scriptum reliquit *Ioseph de antiquit lib. 14. cap. 1. & in ipsius vita idem fol. mihi 563. lin. 30.* sic. Libet reprehendere iustum huius argu-

menti scriptorem, cæterosque, qui historiam polliciti veritate neglecta non verentur ad gratiam, odiumue mendacia posteritati prodere: nihilque ab instrumentorum falsarijs differunt, nisi quòd hos magis corrumpit impunitas.

Industriùs autem historiographus habetur, non qui alienam dispositionem, atque ordinem transfert, sed qui noua dicendo etiam corpus proprium conficit historiæ. *idem Ioseph in prologo de bello Iud.fol.mihi 572.lin.10.*

Homo.

QVi est animal rationale mortale, si non facit decentia rationabili natura, non decet vt dicatur homo, sed bestia; sic ait *glos. verbo, Decentem. per tex.ibi in Auth.de Monach.§.1.in princip. coll.1.*

Est nobilissima creaturarum, vt per *glos. verbo, Persona, in §.vlt.de iu.nat. in Instit.* & affert illud *Ouid.Metamor.1.*

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque videre,
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Et glos. in verbo Dignitatis in l. Cognitionum 5.ff. de var. & extraord.cogn. sic. Homo est dignior omni creatura &c. cùm omnis creatura ei seruiat, sed & Angelica natura; nam & Angelus ei seruit.

Hæc imago Dei est in homine, vt vnus factus sit homo, ex quo cæteri oriantur, habens imperium Dei, quasi Vicarius eius, quia vnius Dei habet imaginem. *Ex August.* refertur *in cap. Hæc imago 33 q.5.* Vnde dicitur *in l. Iustissimè 44. ff.de ædil.ed.* Noluerunt hominem ei rei accedere, quæ minoris est &c. vt ait Pedius, propter dignitatem hominum, & ibi *glos. verbo, Dignitatem*; est enim homo dignissima creaturarum: referens *Ouid.* iam allegatum, & *ex Virgil.* sic.

Igneus est illi vigor, & cælestis origo.

Grande profundum est ipse homo, cuius capillos tu Domine memoratos habes, & non minuuntur in te, & tamen capilli eius numerabiles sunt, quam affectus eius, & motus cordis eius; inquit *idem August.lib.4.cofess.cap.14.nu.2.ad fin.*

Cum penes similis omnium hominum natura est, non etiam facta omnes, vel plus, vel minus adimplere possint, dicit *l. Veteris 23. Cod. de contrah. vel comm. stip.*

Cum inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse dixit *Florenti. in l.3.ff.de iust.& iu. & glos. verbo, Pietatem, in Extrauag. vnica de sent. excom.* sic. Multiplex vinculum, quo homines alligantur. Qua ratione quilibet homo alij debet benefacere; nam natura cõstituit cognationem inter nos; inquit *glos. verbo, Humanitatis in l. Non tantum, ff.de appell.& in l. Culpa 37. de reg. Iur.* ibi. Cum officium homo homini debeat; & *Ioseph de antiquit lib.6.cap.15.num.50.* sic. Cùm tamen homines natura ita comparati simus, vt tum demum officiosos esse libeat, quando aut pro meritis gratia est rependenda, aut ipsi demereri quempiam cupimus, quem cumulatè aliquando beneficium repositurum speramus.

Natura magis in homine generando, & consuetudo spectanda est, quàm temporale vitium, aut valetudo, propter quam abdicatur homo à generandi facul-

cultate, inquit *l. Si quis 9. ff. de lib. & posth.*

Scire debemus, quæ in terra gignuntur ad vsum hominum creari; homines etiam gratia hominum generatos, dixit *Cicer. lib. 1. de offic. Imper. verò Iustinian* ait. Absurdum esse hominem in fructu esse, cùm omnes fructus rerum natura hominum gratia comparauerit *de rer. diu. in Inst.* quod deduxit *ex l. In pecudum ff de vsur.*

Nota tres esse hominis status; memoriam præteritorum, scientiam præsentium, & prouidentiam futurorum, dicit *glos. verbo, Prouidentia, in §. 2. proem. Inst.*

Non absurdum est animas hominum quibuscumque vasis, vel vestimentis præferri, inquit *l. Sancimus C. de sacros. Eccles.* vbi *glos. penult.* sic: Hac ratione dicas pro alimentis pauperum fieri alienationem, quia animæ hominum &c.

Cum gressus hominis à Domino dirigantur, nec sint in homine eius vitæ, corripere quidem potest, corrigere autem non valet pulsare potest, non aperire, manus comprimere, non animum mutare; ait *cap. Sicut ij in fin. 47. dist.*

Per ampliores homines perfectißima veritas reuelatur, dicit *glos. verbo, Continetur, in Extrauagan. vlt. de verb. sign.*

Liber homo non poterit locare operas suas in perpetuum, ne libertas sit inutilis, sed Io. contra; cum poßit per substitutum seruire, cum hoc non agatur, vt per se tantùm operetur, ità ponit *glos. verbo, Abscedente, in §. vsufructu. de vsufruct. in Instit.* vbi *Apostill.* sic. Periculo tamen suo, etiam si fuerit approbatus à Iudice, prout requiritur, item debet esse talis, qui aliàs principaliter per se esset idoneus. Item verum si non fuit electa industria personæ; & non posset per semetipsum seruire aliàs secus.

Tamen in quodam hominũ genere, quod dicebatur venalitium sine dubio videtur, quòd posset in perpetuum locare operas suas. Nam id genus hominum ad lucrum, vel turpiter faciendum proniust est, vt ait *Iurecons. in l. Iustißimè ff. de ædil. ed.*

Plerumque robur hominis, ætas, temporis opportunitas naturalem causam operarum mutat; dicit *l. Si non sortem §. Libertus ff. de condict. indeb.*

Sine superbia nobilem, sine inuidia potentem, sine superstitione religiosum, sine ineptia grauem, sine asperitate cõstantem, sine iactantia prudentem, & sine popularitate communem, dixit *Sidonius* debere esse hominem positum in aliquo sublimi officio.

Ille suis incrementis maior est, quem sublimitas parti honoris inclinat, & in quo nihil fortunæ amplitudinem mutasse videmus, nisi vt prodesse tantumdem poßit, quantum vellet, dixit *Plin. de Tito loquens.*

Quid erit ità stabile inter homines, vt nullam patiatur mutationem, cùm omnis noster status sub perpetuo motu consistat, ait *Imper. in Auth. de nõ alienan. §. Vt autem coll. 2.*

Variæ sunt hominũ voluntates, quorũ à negotia timentium, quorumdam vexationem, quorumdam æris alieni cumulum, tametsi locuples videatur hæreditas, quorumdam offensas, vel inuidiam, quorumdam gratificari volentium ijs, quibus hæreditas relicta est, sine onere tamen suo; ità *l. Quia poterat ff. ad Trebell.* Et naturaliter homines discordãt, dixit *Imper. in Auth. de Sanctiss. Episcop. §. 1. collat. 9. & in l. Item 19. §. Principaliter ff. de recept. arb.* ibi; propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem &c. non quoniam consentire omnes facile est, *Et in cap. Super litteris 20. de rescrip.* ibi. Diuersos intelleximus diuersa sentire, vbi glos. sic. Nam quot sunt capita, quot sen-

sententiæ &c. variæ enim sunt hominũ voluntates &c. & homines faciles sunt ad dissentiendum &c. & diuersitatem corporum sæpè diuersitas sequitur animorum.

Homines diuersæ professionis non sociabis inquit *glos. penult. in cap. Cùm causam 27. de elect.* quæ explicat verba eiusdem tex. ibi, quod secundum *l. diuinam* non fit in boue arandum & asino, nec quisquam debeat vestem induere, de lana, linoque contextam.

Grauis pœna est inter homines esse, & hominum carere suffragio dicit *glos. 1. in cap. Si aliquando 41. de sent. excom.*

Ab homine homini quotidianum periculum; nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius; tempestas minatur antequàm surgat, crepant ædificia, antequam corruant, prænunciat fumus incendium; subita est ex homine pernicies, & eò diligẽtius tegitur, quo prius accedit, dixit *Senec. Epist.* 104.

Quid homo ad malitiam semel deditus non adinueniet? Vide verbo, *Malitia*, vbi etiam quod hominum malitijs omnibus non possit via præcludi.

Scribunt homines, & horum, quæ habent amplius; scribunt autem, & minus; euenientes autem fortunæ contrarios euentus sæpius operantur, dixit *Auth. de nupt. §. Quia verò coll. 4. & in §. In fraudem quib. ex cau. man. n. lic. in Inst.* sic. Sępè enim de facultatibus suis plusquam in eis est sperant homines; idem probat *l. In fraudẽ 10. ff. qui & à quib.* ibi. Sæpè enim de facultatibus suis amplius, quàm in his est; sperant homines, quod frequenter accidit ijs, qui transmarinas negotiationes, & alijs regionibus, quàm in quibus ipsi morantur, per seruos, atque libertos exercẽt, & sæpè attriti istis negotiationibus lõgo tempore id ignorant.

Non verò sic homo simplex (imò magis stultus) inuenitur, vt in publico inuentario scribi contra se aliquid patiatur, ait *l. vlt. C. arbit. tut.*

Non satis necessarium erit deliberationis auxilium, nisi hominibus formidolosis, qui & ea timent, quæ nulla digna sunt suspicione, inquit *l. Scimus 22. vers. ex omnibus C. de iu. delib.* & de his potest dici illud Psalm. ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

Sæpè etiam litterati, & eruditi homines varijs casibus, & audiendi, & loquendi facultatem ammittunt, dixit *tex. in §. Item surdus quib. non est permiss. fac. testam. in Instit. vbi glos. verbo, Ammittunt*, addit; & maximè impij aduocati, vt in eo puniantur, in quo deliquerint.

Aliquando homines, non nisi malo suo edocti intelligunt, quid sit vtile, cùm deberẽt sapere ante acceptum incommodum, & vltro potius, quàm coacti imperata facere, dixit *Ioseph de Antiq. lib. 13. cap. 9. lin. 30.*

Multos sæculi prius homines facilius carere experta corporis voluptate, quàm eos, qui à pueritia libidinem nesciant. Ab alijs enim nota calcari, ab alijs ignota appeti, illos vitare pænitendo suauitatis insidias, quas fugerunt, hos carnis illecebras dulci titilatione corporis blandientis, dum mella putant, venena noxia reperire, dixit *Hieronymus ad Gaudent.*

Ad Præsidem Prouinciæ attinet sollicitè agere, vt malis hominibus Prouincia careat, inquit *l. Congruit ff. de off. Præsid.*

Mitius cum lege, quàm cum homine agitur, vt dicit, & probat *glos. verbo, Non obligauerit, in Auth. de nupt. §. Soluto coll. 4.* Et mitius cum Deo, quàm cum homine dicit *glos. in l. 2. §. Voto ff. de pollicitat.*

Prouisio hominis perit, vnde restauratur, prouisio verò legis non restauratur, si perditur, vt probat *glos. 1. in l. 4. ff. vt in possess. legat.*

Nemo aliter, quàm quo modo natus est, exit

exit è vita, dicebat *Epicur. Senec. vero epist. 22. in fin lib. 3.* contra sic. Falsum est peores morimur, quàm nascimur. Nostrum istud, non naturæ vitium est. Illa de nobis conqueri debet, & dicere, quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timore, sine superstitione, sine perfidia, cæterisque pestibus, quales intrastis, tales exite. Percepit sapientiam, si quis tàm securus moritur, quàm nascitur.

Facies hominis ad instar cælestis pulchritudinis facta fœdari non debet, dicit *glos. vlt. in cap. Ad audientiam, de crim. fals.*

Plus est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio, inquit *l. 1. C. de maledic.*

O si cognoscant se homines, homines dicit *August. lib. 9. confess. cap. 13.* Hominem se cognoscebat *Senec. epist. 96.* dum dicebat. Homo sum, nihil à me alienum puto.

Idem epist. 61. sic ait. Taurus paucissimorum iugerum pascuis impletur, vna sylua Elephantis pluribus sufficit, homo, & terra, & mari pascitur. Quid ergo tàm insatiabilem nobis natura aluum dedit, cum tam modica corpora dedisset, vt vastissimorum edacissimorumque animalium auiditatem vinceremus? minimè. Quantulum est enim quod naturâ datur, paruo ille dimittitur non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio.

Honestum.

NOn omne quod licet honestum est, dicit *l. Non omne ff. de reg. Iur. coniuncta lege semper in coniunctionibus eod. tit. & l. Semper ff de rit. nupt. Eleganter, vt de more Cicer. pro Cornel. Balb.* ità. Est aliquid, quod non oporteat, etiam, si licet, quicquid verò non licet honestum non est, ideoque non oportet. At non quidquid licet, id etiam honestum, & pro Rabirio Posthumo inquit. Vestri consilij, vestræque sapientiæ est iudices, spectare quid deceat vos, non quantum liceat vobis; & Claudian. Honorium admonens sic.

Sed comprime motus
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Quod est honestum vtique bonum, vt Zeno, & cæteri Stoici Philosophi aiunt. Sic nihil bonum præter honestum, & *Cicer. in suis paradox.* ità. Quod rectum, & honestum, ac cum virtute est, id solum opinor bonum, & prædicti Philosophi subijciunt. Honestum id solum esse, quod benè, & laudabiliter, & ex virtute fit, quia sicut, quod timidè, quod libidinosè, abiectè agitur turpè nuncupatur; sic quod fortiter, quod continenter, quod pulchrè agitur, honestum, decorum, pulchrum nuncupamus. Et *Arist. lib prior. Rhetor.* Honestum est quodcumque propter se eligibile existens, laudabile est, aut quodcumque bonum, bonum existens delectabile est. *& Cicer. de fin. bon. & mal.* dicit. Honestum intelligimus, quod tale est, vt detracta omni vtilitate sine vllis præmij fructibus, vt ipsum possit Iure laudari. *& Senec. epist. 82.* ità. Vnum bonum est, quod honestum est, quia nec bonum sine honesto est, & honestum in omnibus par est.

Inspicimus, quòd deceat, quod propriè respicit honestatem, dixit *glos. verbo, Decet, in Clem. vnic. de excess. Prælat.* Et ità per leges seruatur honestas, vt & verecundia castis moribus perseueret, sicut dicitur *in l. Vnica C. de Maiuma lib. 11.* Et contrarium prohibetur *in l. Si qua 4. C. de spectacul. eod. lib. 11.*

Ne honesta interpretatio non honesto quæ-

quæstu lucrum possessori faciat, inquit *l. Si possessor 55. ff. de petit. hered.*

Quando æqualiter res ab vtraque parte innotescit, honestiori defertur iuramentum, vt habes verbo *Iuramentum.*

Quædam sunt, quæ honestè conceduntur, non tamen honestè petuntur, vt notat *glos penult. in l. 2. §. vlt. ff. de origin. iur. per tex.* ibi. Hoc non peti, sed præstari solere *idem glos. vlt. in fin. in l. 1. C. de petit. bonor. subl. lib. 10.* ibi. Et nota hic, quòd quædam honestè accipiuntur quæ non honestè petuntur.

Numquam magis iudicia nostra torquemus, quàm vbi remotis vtilitatibus solùm antè oculos honestum constitit, dixit *Senec. lib. 4. de benef. cap. 11.*

Numquam in rerum honestarum certamine superari, turpe est dummodo arma non proijcias, & victus quoque velis vincere; *idem Senec. lib. 5. de benef. cap. 2.*

Honestas maximè in muliere requiritur, vt dictum est, verbo *Fæmina.*

Honor.

HVius augumentum non ambitione, sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire, inquit *l. Contra publicam 14. ad fin. C. de re milit. lib. 12. & in l. 7. C. de diuers. offic. eod. lib.* in his verbis. Ad splendioris priuilegia militiæ postea quam priorem continuo labore compleuerint, eos viuentes admittemus, qui ea voto adipiscendi honoris crediderint expetenda, non eos, qui studio cupiditatis ambierint, vt velut in meliori fortuna positi, aut ea scelera quæ prius commisisse doceantur occultent, aut ea deinceps possint impunè committere, *& in cap. Officij 38. de elect.* ibi. Quia non ambitione, sed labore ad augmentum honoris vnumquemque conuenit peruenire &c. & ambitus notari solet *Idem glos. ingerere in cap. Per nostras 26. de iurepatr.*

Non potest quis continuare honores ex eadem causa ambitionis, vt inquit *glos. in l. Nemo C. de assess. per tex.* ibi. Aliqua ambitione iterum remanere concedatur; sed quando alij non inueniuntur idonei ad officium, de quo in ea l. agitur bene poterit honores continuare, *vt in l. Liceat 12. eod. tit.* ibi. Quia qui semel cognitus est non debet ob hoc solum, quod iam probatus est improbari.

Honores autem per gradus deferuntur, veluti de Minoribus ad maiora, vt probat *glos verbo, Pertinentes in l. Quæ vtiliter 47. ff. de negot. gest. per tex. in l. Vt gradatim ff. de muner. & honor.* & addit præfata glos. Alioquin casum videtur appetere, qui ad summi loci fastigia post positis gradibus per abrupta quærit ascensum.

Fratres meos per omnia honorare cupio, sicque honore singulos subuehi, dummodo non sit, quod alteri Iure ab altero possit opponi, dicit *cap. de Ecclesiasticis 25. q. 2.* Aliorum enim honores alijs non debent esse occasio nocendi, vt inquit *glos. in reg. in iudicijs lib. 6.* Quod probat *l. 4. C. de stat. & imag.* ibi. Et aliorum honores alijs damnorum occasionem fieri non oportet.

Tunc ego honoratus sum cum singulis quibusque honor debitus non negatur, dicitur in *cap. Ecce 99. dist.* & paulò supra sic. Ego non verbis quæro prosperari, sed moribus, nec honorem esse reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco; debitum enim alteri subtrahitur, cùm alteri honor infertur indebitus, vt dicit *cap. Nullus ad fin. d. 99. dist. & in prædicto cap. Ecce* ibi. Quia vobis subtrahitur, quod alteri, plusquam ratio exigit, præbetur, & dicit Papa, vt refert *glos. vlt. de confirmat. vtil.* sic. Nec honorem meum reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco.

Honor est illi, quem Princeps vocat, vel reuo-

reuocat, vt inquit *glos. 1. in l. vlt. C. de dignit. lib.* 11.

Nota maiorem honorem deberi ijs, qui electi sunt ab Imperatore, quam ijs, qui ad eamdem dignitatem sunt electi ab alijs, vt dixit *glos. vlt. in l. Restituenda 6. C. de aduoc. diuers. iudic.*

Quæcumque procedunt quasi honoris causa schematis melioris sunt, dicitur *in Auth. vt ab illustr. in princ. coll.* 5.

Ad honorem, qui euectus est, quæ habere teneatur, dictum est supra verbo, *Homo*.

Sit honoris ista distinctio, vt ipse prior, & maior habeatur; qui prius communitatis consilio, & concordi fuerit actione ordinatus, dicit *cap. 1. de maior. & obed.* Prout in loco sede, & subscriptione dicit *glos. in cap. statuimus 15. eod. tit.* ibi. Quia secundum dignitatem cuiuscumque quilibet honorandus est in Sede &c. & qui prior est in eodem ordine, vel dignitate ordinatus in loco, & subscriptionibus præmitti debet.

Qui maior est in honore, ille non est iustior, sed qui fuit iustior, ille maior est, vt *ex Chrisost.* dixit *glos. verbo, Sublimitate, in Extrauag. vnic. de præb.* vbi etiam hæc. Quid præsumetur in dubio de sublimato, an ob sua merita, vel ex alia causa sit sublimatus? Dic præsumendum fore, quod ob sua merita, ex Iuribus, de quibus ibi, vbi alia videas.

Qui propter sublimitatem eorum, ac generis claritatem sunt potioris prærogatiuæ gratia attollendi dicitur *in eadem Extrauag. vnica de præb.*

Honor Ecclesiæ potius debet augeri, quàm minui, dixit *glos. verbo, Confirmatum, in cap. Cum accessissent 8. de constit.* & talis honor non est prætermittendus, immò quandoque lucro pecuniario præferendus, vt *per glos. verbo, Et honori, in Extrauag. vnica de præben.*

Idem obseruari debet in honore sæculari; nàm hic præponi debet omni lucro, & commodo, & erubescendum est, si commodum, vel lucrum honori præponatur, sic dictante *l. Miles 11. ff. ad l. Iul. de adult.* ibi. Quare non inique repellitur; qui commodum dotis vindictæ domus suæ præponere non erubuit.

Honor à Principe datus, perpetuus esse debet, vt dicitur *in l. Iuris peritus 33. ff. de excusat. tutor.* ibi. Et honor delatus finem certi temporis, ac loci non haberet, vbi notat etiam Apostill. Quod officialis ad beneplacitum Principis dicitur perpetuus.

Nomen honoris non debet retineri inane, vt dicitur *in l. Neminem 64. C. de decur. lib.* 10. ibi. Ne tamen indulti honoris inane nomen retinere videantur dignitatum titulis per substitutos potiantur.

Coæqualitas honoris militiæ fortior videtur omni militum priuilegio, inquit *l. Sed & si milites 10 ff. de excusat. tutor.*

Honorē, vel munus voluntariè acceptans, non perdit priuilegium immunitatis, vide *verbo, Miles, vel verbo, Priuilegium*.

Si vnus, qui habet domicilium in vna, & originem trahit ab altera Ciuitate, ad munera, & honores ab vtraque eodem vocetur tempore; præfertur illa, à qua oriundus est, verbo, *Origo*.

Quod pater non cōsentit honoribus, siue muneribus filij, ne illius patrimonium oneri subijciatur non præstat defensionem; nam ciuem patriæ vtilitatibus, quatenus potest, aufert, dicit *l. 3 §. 1. ff. de muner. & honor.*

Item non caret dolo pater, qui honore proprio omisso propter compendium, alienam institutionem maluit, vt dicitur in *l. Iulianus 26. ff. Si quis omissi. caus. testamen.* Non enim præsumitur quis excutere honorem, sicut onus, vt dixit *glos. verbo, Aliud in cap. 3. de procurat.* Si ergo excutit, latet anguis in herba; & si non latet, apparet planè, quod

quod stultius facit honorem vitans, quàm onus; optimè sic prædictis verbis loquuta est *glos. verbo, Restituuntur, in l. Murileguli C. de Murileg. lib.* 11. Sed hoc iam scis, intelligi, quoad huius mundi sapientiam; quoad verò sapientiam Sanctorum contrarium nos docent eorum exempla, qui inuiti ad honores trahuntur. In sæculo etiam aliquando quis inuitus cogitur honorem recipere, vt notauit *glos. in l. Fortissimi C. de erogat. milit. annon. lib.* 12. ibi. Nota hic honorem in recipere nolentem sic &c.

Esse aduocatum honor est, vt *l. Laudabile C. de aduocat. diu. iud.* Sed esse procuratorem onus est, honore ergo propter delictum priuandus, non onere releuandus, inquit *glos. verbo, Certis personis, in l. 1. §. Ait prætor ff. de postul.*

Et notabis pro aduocatis, quòd honor nō minuitur, si quis fuit iudex, & postea ad aduocatum transit, vt supra dicitur verbo, *Aduocatus*; diminutus autem honor est, si propter malè gesta in officio iudicis, ad idem iterum non admittatur, & ob id redeat ad aduocationem, aduocationis verò officium eum non inhonorat.

Vilibus personis non sunt concedendi honores, inquit *glos. vlt. in cap. per inquisitionem 26. de elect.* Vnde artifices ab honoribus arcentur, vt dixisti verbo, *Dignitas*.

Eodem modo, & infames, vnde dixit *glos. verbo, Periurium, in cap. venerabilem* 34. sic. Periuri non solum debent non promoueri ad honores, immò, si promoti sunt, debent repelli &c. infames enim sunt.

Vbi honor non est, ibi contemptus est; vbi contemptus est, ibi iniuria; vbi autem iniuria, ibi indignatio; vbi indignatio, ibi quies nulla; vbi quies non est, ibi mens à proposito sæpè deducitur; vbi autem per inquietudinem aliquid aufertur, ex studio minus fit ab eo, quod tollitur, & vbi minus est, perfectum non potest dici; ità ait *Hieronymus ad Heliodor.* Nota ergo, quot bonis caret, qui caret honore.

Mulieres honore maritorum erigimus, dicit *l. 13. C. de dignit. lib.* 12. & habes in verbo, *Vxor*, & verbo, *Mulier*.

Maiori reatu delinquit, qui potiori honore fungitur, & grauiora facit vitia peccatorum, sublimitas peccantium dicit *cap. Nulli fas sit 25. q.* 1. Nec debet ei honor seruari, qui se in tantum scelus deduxerit, ait *l. Senatoris filia 47 ff. de rit. nupt.*

Prohibitus minori honore ad maiorem non potest accedere, sed non è conuerso, vt dicit *Bart. in l. Relegatorum §. solet ff. de interdict. & relegat. per tex.* ibi. Potest alicui & vno honore interdici, sic tamen, vt sicut honore vno interdictum sit, non tantum eum honorem petere non possit; verùm nec eos quoque, qui & honore maiores sunt. Est enim perquam ridiculum eum, qui minoribus pænæ causa prohibitus sit, ad maiores aspirare; maioribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur.

Sed muneribus si quis fuerit prohibitus (prosequitur text.) pænæ causa nihil valebit sententia; neque enim immunitatem pæna tribuere debet. Ergo & si honoribus quis in pænam prohibitus fuerit; poterit dici, nisi honores isti habuerint mistam muneris grauem impensam, eam infamiam illi ad hoc non profuturam; *& l. seq.* ità. Sed honore quidem illum arceri puto: cæterum impendia debere præstare.

Honor, seu obsequium patronis debitus, vt non possint sine venia ad iudicium à libertis vocari, adeò potens est, vt non excuset rusticitas à pæna, vt deciditur *in l. 2. C. de Ius vocan.* ibi. Nec in ea re rusticitati venia præbeatur, cum naturali ratione honor huiusmodi personis debeatur.

Licèt honor auctus sit; conditio tamen personæ non mutatur, vt notanter dicit *l. Falsa 33. §. 1. ff. de condit. & dem.* ibi; Sed & si cui quasi liberto &c. Legatum fuerit, non idcircò legatum ammittit, quia postea ab Imperatore anulos acceperit; nam honor eius auctus est, non conditio mutata.

Cui honor datur, non modica debent dari est *optimus tex. in l. Sed & si §. pen. ff. de iudic.* ibi. Nec enim verisimile est testatorem, qui honorem habitum voluit ijs, quibus reliquit; tam modica fideicommissa in prouincia præstari voluisse. Honor est ergo cui datur, & dedecus, cui aufertur, vt inquit *glos. verbo, Pleniore in l. Filium §. Si legata ff. de condit. & dem. per tex.* ibi. Cum hæreditates non honestiore modo titulo, sed & pleniore honore tribuatur, & facit *tex. in l. 3. vers. cæterùm ff. de legat præst.* ibi. Nec enim quærimus, cui acquiratur, sed cui honor habitus sit.

Et *glos. vlt. in l. Testamento 51. ff. de man. test.* ità. Nota esse honorem administrare, & dedecus remoueri; & ibidem Apostill. verba autem tex. sunt. Vt de ijs in libertate danda cogitasse non videatur, quos pæna coercuit, & honore administrandi, vel administrandæ rei negotio remouit.

Eodem modo honor confertur illis, pro quibus oratio fit, vt inquit *glos. verbo, Frequenter, in cap. 3. de sepult.* ibi. Et quidem honor amplius videtur deferri illis, pro quibus specialis fit oratio.

Qui in honore substituitur, succedit in onere, ait *cap. Aduersus 7. in fin. de immunit. Eccles.* Et nisi testator honoret commodo pecuniario, non potest onerare, vt probat *glos. verbo, Et honores in Auth. de hæred. & falc. §. his igitur coll. 1.*

Hospitale.

Valde hoc videtur esse necessarium, cùm exinde sustentatio, vel educatio orfanis, atque egenis, & vsibus Ecclesiasticis comparetur, dicit *l. Omnia 33. C. de Episcop. & Cleric.*

In l. 2. C. de metat. & epidimet. lib. 12. hæc inuenies, in qua vel nos ipsi vrbe fuerimus, vel in qua ij, qui nobis militant, commorentur, omnium tàm metator, quàm hospitum iniquitate submota, duas dominus propriæ domus, tertia hospiti deputata, eatenùs intrepidus, & securus possideat portiones, vt in tres domus diuisæ partes primam eligendi dominus habeat facultatem. Secundam hospes, quam voluerit, exequatur. Tertiam Domino relinquendam. Plenum enim æquitate, ac iustitia est, vt qui, aut successione fruitur, aut emptor, vel extractione gaudet; electam præcipuè iudicio suam partem teneat, & relictam, *glos. per tex. ibi in l. Cunctos iudices C. eod. tit. de metat.* dicit. Et nota contra Legatos Curiæ Romanæ, qui hospitantur in domibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum illis præsentibus.

Ab hospitali molestia sunt immunes medici, magistri litterarum, & pictores, videas verbo, *Medicus*.

Hostis.

Perniciosum Romano Imperio, & proditioni proximum est barbaros, quos indigere telis conuenit, eos vt validiores reddantur instruere, dicit *l. 2. Cod. Quæ res export. non deb.*

Plus hostis communis vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo plures tenet. Plus autem superbos tenet, & de ijs plures nomine authoritatis, dixit *Augu-*

gustinus lib. 8. confessionum. cap. 4. num. 2.

Humilitas.

Sicut in contumacia persistentibus seueros nos esse conuenit; sic humiliatis, & pænitentibus locum veniæ negare non debemus, inquit *cap. Quanto 2. qu. 4.*

Humilitas autem ab humo dicitur, & vt *B. Bernard. dicit lib. de gradib. humilit.* Humilitas est virtus, qua homo verissima cognitione sibi vilescit, & post multa. Gloriosa res est humilitas, qua ipsa quoque superbia palleari se appetit, ne vilescat. Facit 8. *q.* 1. *cap. In scripturis in fin.* de talibus dicitur, quòd sub specie agni lupum gerunt. Cassianus ponens decem humilitatis indicia, ponit illud octauum. Cùm quis se reliquis inferiorem non superficie pronunciat labiorum, sed intimo cordis credit affectu. Inde dicuntur tres gradus humilitatis. Primus subdere se maiori, & non præferre se æquali; facit 21.*dist.cap.De Constantinopolitanæ in fin.* Secundus subdere se æquali, nec præferre se minori. Tertius subdere se minori facit *de pænit. dist.* 2.*cap.* 1. Prima dicitur sufficiens, & necessaria, secunda abundans. Tertia superabundans. De humilitatis efficacia, Diabolus ad Macharium (vt legitur in vitis Patrum) sic dicebat. Ieiunas interdum, & ego nullo vmquã cibo reficior; tu sæpè vigilas, me numquam sopor oppressit; humilitas tua solum me vincit; & Ambros. dicit, quòd humilitas est clauis, quę aperit regnum cælorum, & reserat mysterium scripturarum. Et *Gregor. in quarta Dominica de aduentu.* Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum, puluerem portat, & vnde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur; & vide 93.*dist. cap. Dominus, & 100.dist. cap.* Contra morem; omnia prædicta affert *glos. verbo, Humilitatis, in Clement.* 1. *de relig. dom.*

Tunc in te veram humilitatem custodies, cùm & per eam locum sublimem fugies, & per obedientiam non dimittes, inquit *cap. Nisi* 10 *de renun.*

Dum verò nimia seruatur humilitas regendi, frangitur authoritas, dixit *glos.* 1.*in cap.vlt.de maior. & obedien.*

Simulata humilitas est maior superbia, vt inquit *Apostill. in supra relata Clem.* 1. *de religios. dom.*

DE LITTERA I.

Idoneus.

Talis, vt quis reputetur in eo hæc concurrere debent. Ætatis maturitas, grauitas morum, & litterarum scientia, vt *in cap. Cùm in cunctis 6. de elect. & cap. Innotuit* 20. *eod. tit. coniuncto Tridem. sess.* 24. *de reform. cap.* 18. *vers. Peracto*, ibi. Idonei iudicati fuerint ætate, moribus, & doctrina &c. ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atque illi, & non alteri collatio Ecclesiæ fiat.

Cùm verò Ecclesiæ, quibus personæ minus idoneæ scientia, moribus, vel ætate grauia, propter hoc (vt docet experientia) non numquam perferunt in spiritualibus detrimenta, inquit *Clem.* 1. *de ætat. & qualitat.*

In illis, quibus beneficia curam animarū habentia committuntur, maior, quàm in ijs, qui ad alia promouentur, idoneitas requiritur, dicit *cap. Cùm in illis 16. de preb. lib. 6.*

Quos verò idoneos Episcopus reputauit, ad ordines, debet reputare idoneos ad beneficia, dixit *gloss. verbo, liceat, in cap. Cùm secundum 16. de preb.*

Præsumitur autem quis non idoneus, nisi probetur idoneus, vt ait *gloss. vlt. in cap. vlt. de scrutin. in ord. fac.* Idem probat *gloss. in l. Non est necesse 11. ff. de probat.* ibi. Nota ergo hic, quod præsumitur quis non idoneus, nisi probetur idoneus, vt &c. Sed contra; aliàs dicitur quemlibet idoneum præsumi, verùm id intelligitur, quoad mores, vt dixit *gloss. verbo, Dubitetur, in l. Si verò §. Qui pro rei qualitate ff. qui satisd. cog.*

Oeconomum idoneum, statuas, inquit *cap. 4. de iur. calumn. vbi gloss. verbo, Idoneum,* ità dicit. Idoneus est, dummodo causam omnino non ignoret.

Si persona idoneior accedat ad emptionem, æquè videri meliorem conditionem; proinde si quis accedat eiusdem pretij, et prior, sed qui leuioribus conditionibus, vel qui satisdationem nullam exigat, melior conditio allata videbitur, dicit *l. Eum qui 7 §. vlt. ff de indi. adiection. vbi gloss. verbo, Idoneior,* sic. Quod facit pius esse, cùm non minus ex fide, quàm ex facultatibus quis sit idoneus.

Si cum scires aliquem facultatibus labi, lucri tui gratia affirmasti mihi idoneū esse; meritò aduersus te, cum mei decipiendi gratia alium falsò laudasti, de dolo iudicium dandum est, dixit *Caius in l 8 ff de dol.*

Satis incongruum est, si cùm vnum ex his præ sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrumque videatur idoneus, dixit *cap Præsbyteros propè fin. 16 q 1.*

Qui est idoneus, immunis est satisdatione, vt probat *gloss. vlt. in l. 2 ff. de fund. dot.* Si vero minus idoneus, ab officio suo remouetur; sic magister minus idoneus, remouetur, vt dixit *gloss. verbo, Minus idoneus in cap. 1. de offic. custod.*

Idoneior tutor ille dicitur, qui rebus, & facultate potest conueniri pro qualitate etiam rerum, vt dicit *gloss. verbo, Idoneus, in l. 1. ff. de ventr. in poss. mitten.* Et si quis affirmauerit, idoneos esse tutores, fideiussorum vicem sustinet, vt dicis verbo *Fideiussor.*

Si non idoneum fideiussorem dederit, magis est, vt satisfactum sit, quia qui admisit eum fideiubentem, idoneum esse comprobauit, dixit *l. 3. vers. Planè ff. de fideiussor.*

Si plures simul agant populari actione, prætor eligat idoneiorem, inquit *l. 2 ff. de popular. action.*

Ieiunium.

Contraria diuinæ conditioni præcepta medicinæ sunt, quæ à ieiunio reuocant: lucubrare non sinunt; ab omni meditationis intentione abducūt. Ità qui se medicinis dederit se ipsum sibi abnegat, dicit *Ambros. super Psalm. 20. relatus in cap. Contraria dist. 5.*

Die autem Dominico non ieiunent; nam qui die Dominico studiosè ieiunat, non creditur esse Catholicus, *in cap. Sacerdos 26. qu. 7.*

Balneorum fomenta non quærat, qui calorem corporis ieiuniorum cupit frigore extinguere dicit *Hieronym. ad Rusticum.*

Puto, quod ieiunia, quæ Inquisitores ad veritatem eruendam solent indicere, sint tormenta, vt dicit *gloss. verbo, Tormentis in Clem. 1 de heret.*

Leuior ieiuno mors est, cruditas te dessilit, inquit *Senec. de prospen. sub lib. de diu. prou.*

Ignorantia.

QVatuor sunt, quæ videntur idem, sunt tamen diuersa, scilicet ignorantia, nescientia, error, & titubatio. Primum sumitur in mala parte, qui scilicet debet scire, & ignorat; vnde dicitur: qui ignorat, ignorabitur. Nescire in bona, & in mala; nam omnis ignorans nescit, sed non conuertitur, ita ponit *glos. in rubrica ff. de iur. & fact. ign.* De errore iam dixisti supra verbo, *Error*.

Dicas etiam, quòd nescire dicimur quod scire non tenemur. Ignorare verò, quod scire debemus, vt dixit *glos. verbo*, *Et nescit*, *in l. vlt. C. per quas person. nob. acquir.*

Matrem admirationis vocauit ignorantiam *Augustin. lib.* 13. *confess. cap* 21. *num.* 3.

De ignorantia Iuris dixit *glos. verbo non æquè, in § Suspecti autem de suspect. tutor. in Inst.* ita. Certè potest dici, quod ignorantia Iuris sit lata culpa, quod sic probo, quia omnes scire debent Iura, exceptis paucis, scilicet mulieribus, minoribus, & militibus, vt &c. ergo si quis ignorat, est in culpa lata, cùm culpa lata sit ignorare quod omnes sciunt.

In professoribus autem Iuris plusquam lata culpa erit, & turpitudo dicetur, vt probatur *in l. 2. § Seruius autem ff. de orig. iur.* ibi. Turpe esse patricio, ac nobili viro causas exoranti, Ius, in quo versaretur ignorare, vbi notat glos. non audiri illum, qui dicit se ignorare quæ tractat, & *cap* 4. *de conuers. coniugat.* sic incipit. Cùm sis præditus scientia litterarum, ignorare non debes Sanctorũ Patrum constitutioni esse contrarium.

Vnde ignorantia Iuris non excusatur, sed Facti, vt inquit *l. Liberorum § vlt. ff. de ijs, qui notam infam. vbi glos.* intelligit hoc in mare, in fæminis vero etiam Iuris error excusatur aliquando.

Eodem modo Iuris ignorantiam non prodesse, si Iurisconsulti copiam habeat, vel sua prudentia instructus sit, vt cui facile sit scire, ei detrimento sit Iuris ignorantia, vt dicit *tex. in l. Regula* 9. *ff. de Iur. & fact. vbi glos. verbo, Raro*, intelligit in lucro tantùm, in damno autem quamuis Iurisconsulti copiam habeat, tamen sibi subuenitur.

Mitius agitur cùm ignorante Ius positiuum, secus in Iure naturali, vbi nec rusticitati etiam parcitur, sicut nec parcitur mulieri contra matrimonium suum. Est enim de Iure naturali, vt inquit *glos. verbo*, *Iuris peritia in cap. Cum illorum* 32. *de sent. excom.*

Deceptum autem ignoratione facti bonæ fidei possessoris defensionem habiturum, ante motam scilicet controuersiam, ait *l. Hæredem* 17. *ff. de ijs quib. vt indig. vbi glos. verbo, Facti* sic. Secùs Iuris, & arguit in cõtrarium, & respondet ita. Tu dic quod ideo: quia ignorantia Iuris quoad fructus non constituit quem in mala fide.

Si totam hæreditatem rogatus restituere, sponte adieris, & sine deductione quartæ partis restitueris; difficile crederis per ignorantiam magis, non explendi fideicommissi causa, hoc fecisse dicit *l. Si hæres* 68 *§ vlt ff. ad Trebell & ibi glos vlt.* Intelligit, dicens per errorem scilicet Facti, non Iuris.

Mulierem Iuris ignorantia excusat à crimine falsi, de quo in *l. Diuus* 15. *vers. matri ff. ad l. Corn. de fals.* ibi. Idem in filia quæ dictãte matre sui per ignorantiam Iuris legatum sibi scripserat, vbi *glos. verbo*, *Scripserat* dicit. Iustè fæmina errat in Iure.

Non vero prodest Iuris ignorantia matri non petẽti filijs tutorem, vt habes verbo, *Mulier*. Nec prodesse mulieribus in edicti perpetui cursu de agnoscenda bonorum possessione ait *l. Iuris* 6. *C. qui admit-*

admitti. vbi addit glos. Si potuit consulere peritiores &c.

Ignorantia legum mulierem non excusat, nisi aliquando, vt dicis verbo, *Lex*, vbi de minore, & milite dicitur quod excusat. Quid in rustico? habes eodem verbo, *Rusticus*. *Et in l. pen. C. qui admitt.* ita dicitur. Sciat sibi non obesse, si per rusticitatem, vel ignorantiam facti, vel absentiam, vel aliam quamcumque rationem intra præfinitum tempus minimè petijsse noscatur; *vbi glos. verbo. Aliam*, sic ait. Sed ignorantia Iuris succurrit rusticitati &c. & ibidem *Apostill.* addit; quando dubitatur si potuit consulere peritiores, vel ne *ex Ias. & vide Barb. in cap. Cum vniuersorum de rer. permut.* vbi inquit. Quod in his, quæ sunt Iuris diuini, & naturalis, & etiam rustico sagaci non est parcendum.

Quælibet ignorantia etiam Iuris excusat à dolo, inquit *glos. verbo*, *Iusta in l. Plagij* 14. *C. ad l. Flau. de plagiar.* Idem in damno vitando, vt dixit *glos. in l. Cuius per errorem* 54. *ff. de reg. iur.* ibi. Non enim Iuris ignorantia nocet in damno vitando, & probat *l. vlt. Si pendent. appell.* ibi. Ne ignorantes negotium, vel etiam super adeunda hæreditate dubitantes, priusquam aliquod commodum sentiāt, damno affici compellantur; facit etiam *glos. verbo Contractu in Auth. de non alienan. §. quia verò in fin. coll.* 2. *& glos.* 1. *in l.* 1. *ff. de condict. indeb.* ibi. Nam non nocet Iuris Ignorantia in damno vitando.

In bonorum possessionibus Iuris ignorantia non prodest quominus dies cedat; satis est enim scire mortuum esse, seque proximum cognatum fuisse, copiamque eorum, quos consuleret, habuisse. Scientiam enim non hanc accipimus, quæ Iuris prudentibus insit, aut consulendo prudentiores assequi posse; ita *l. In bonorum* 10. *ff. de bon. possess.* *vbi glos. vlt.* sic. Hæc distinctio, potuit, aut non potuit prudentiores consulere, rarò fit, quia tantum hoc casu, quando tractamus de lucro, vt &c. In casu tamen *l. Sicut C. de præscript.* 30. dicit ibidem *glos. vlt.* inferens ex eadem sic. Nocet ergo ignorantia Iuris in damnis, & sic est contra *l. Error in fin ff. de Iur. & Fact. ignor.* & respondet, hoc speciale in odium negligentis, vt &c.

De ignorantia verò facti ita dicit *l. Si fideiussor* 29. *ff. manda.* Vbi vero ignorauerit, nihil est, quod ei imputetur &c. Et siquidem factū ignorauit, recipi ignorantia eius potest; *& in l. Si procuratorem* 8. *eod. tit.* ibi. Igitur si ignorauerunt, excusata ignorantia est.

Sed facti ignorantia ita demum cuiq; non nocet, si nō ei summa negligentia obijciatur. Quid enim si omnes in Ciuitate sciant quod ille solus ignorat? *Ait l. Regula* 9. *ff. de Iur. & Fact.* Et quod hæc talis nocebit, probant sequentia Iura. Nam talis ignorantia dicitur crassa, & supina vt in *cap. vnico de ord. ab Episcop. qui ren.* ibi. Nisi crassa, & supina fuerit ignorantia, coniuncta *glos. verbo*, *Crassa*, ibi. Tunc dicitur crassa, & supina ignorantia quando aliquid publicè fit, vel coram populo, & hæc non excusat, & *in cap. Apostolicæ* 9. *de cler. excom.* ibi. Si fortè ignorantia crassa, & supina, aut erronea fuerit &c. *& glos publicè in cap. Exceptionem* 12. *de except.* ibi. Nulli liceat ignorare quod publicè factum est &c. Et ideo non prodest alicui, si dixerit se ignorasse; dicit etiam *glos. in l. vlt. ff. de administr. rer. ad Ciu.* vbi postquam tex. inquit, pænas aduersus scientes paratas esse, addit prædicta *glos.* Nisi ei possit imputari quod nesciuit &c. alioquin punitur ignorans, quippè publicè positum ignorare non licet, vbi etiam Apostill.

Probatur etiam ex *Clem. vnica ad fin. de concess. preb.* ibi. Prædictæ vacationis notitiam impetrantem interpretamur habe-

habere, ex quo ipsa vacatio in loco, vel Ecclesia huiusmodi beneficij publicè nota erit: imputet quidem sibi, si hoc casu, quo de ipsius commodo agitur, id quoque per se, vel per alium scire potuerit, ignorauit. Cùm non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur, addit *Extrauag. vnica ad fin. ne sed. vac.*

Ignorantia igitur præsumetur, nisi notorium sit, vt dicit *glos. 1. in l. 1. ff. de recept. vbi Apostill.* sic. Alex. in l. Si tutor C. de peric. tut. in apostill. suis ad Bart. reputat istam glos. sing. ad hoc quod notorium tollit ignorãtię præsumptionem, quæ aliàs præsumeretur.

Aliquando tamen ignorantia probari debet, vt notat *glos. verbo, Ostenderis in l. Si tutor 1. C. de peric. tut.* ibi. Probas quando præsumptio est contra te, vt quia interfuisti testamento, vel publicè sciebatur, & ad domum tuam fuerat denunciatum. Et sic procedit *tex. in l. Super seruis C. qui milit. poss.* ibi. Et suam ignorantiam eo ipso, quod contra non probatur, & in casu *l. Cùm de indebi. ff. de probat. not glos. verbo, Ignorantia,* ibi. Et notabis quod probat quis ignorantiam &c. & *in l. Si cui 7. §. ijsdem criminibus ff. de accusat.* ibi. Doceatque se ignorasse accusationem ab alio institutam, vbi etiam glos.

Cùm lex dicit præsumi ignorantiam, nisi probetur scientia, inquit *glos. bona fides in cap. Si diligenti 17. de præscript.* probat etiam *glos. in l. Verius 21. ff. de probat.* ibi. Et nota ex hac lege argumentum, quod semper præsumitur ignorare, nisi probetur scire. *idem glos. verbo, Probatum fuerit per tex. ibi in l. Si legibus 16. C. de Episc. aud.* sic. Nam præsumitur ignorans, nisi probetur sciens.

Nemo videtur dolo facere, qui ignorat causam cur non debeat petere, inquit *l. Qui in ius 138. ff. de reg. Iur. & ibi glos.* ità infert; sic debitor ignorans non est improbus.

Sed & ignoranti adhuc disciplinam tyroni ignoscitur; ait *l. Desertorem 3. in fin. de re mil. & in l. Senatus 15. ff. de iur. fisc.* ibi. Et si errasse videbitur, det imprudentiæ veniam; si autem calumniæ hoc ipsum vendicet, vbi *glos. verbo, Imprudentia* dicit: idest ignorantia; *& in cap. 2. in fin. de cogn. spir.* ibi. Quia si ex ignorãtia id factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus. Nota ergo aliquem scientem teneri, qui ignorans non teneretur, infert *glos. vlt. in l. vlt. C. credit. pign. euict. & glos. pen. in l. Si fideiussores per text. ibi ff. ad Vellean.* ità. Parcitur ignoranti, non scienti. Consensum enim volumus obligari, non ignorantiam; ait *l. 3. C. de tabular. lib.* 10. & ab ea deduxit *glos. verbo, Nunc in Extrauag. vnica de preben.*

In casu vero *l. Tutor 16. §. Contrariam ff. de pig. act.* Si debitor dedit in pignus rem alienam, ignorans talem, distinguitur sic. Et quantum ad crimen pertinet, excusat eum ignorantia; quantum ad contrarium iudicium, scilicet pignoratitiæ, ignorantia eum non excusat.

Iusta ignorantia excusat à litis sumptibus, inquit *glos. verbo in litis l. Qui solidum, 80. §. Maritus vxorem ff de leg. 2* Nec etiam iusta ignorantia damnum affert *glos. in l. Inter causas 26. per tex. ibi ff. manda.*

Item nota quod ignorantia prodest, dixit *glos. verbo, Intererit in l. Sed Iulianus §. item si duos ff. ad maced.*

Ignorantia vnius prodest alteri contra scientiam eius, vt deducitur *ex l. Liberis vers. si duo ff. de lib cau.* ibi: Euenit igitur vt ei prosit, qui eum comparauit sciens, quod alius ignorauit, vbi *glos. verbo Ignorans* dicit. Nota quòd innocens nocentem excusat; hunc eundem

dum tex. allegat *glos. verbo, vtrique in d.l.Sed Iulianus §.Non solum ff.ad Trebell.* dicens. Immo è contra; ignorantia alterius alteri deberet prodesse, vt &c. Nam in eo tex. dicitur sic. Sed & si alteruter ignorauit &c. Verius dicendum est vtrique alterius scientiam nocere &c. Et contrariũ probat *l.Non solùm 22.ff.de lib.cau.* ibi. Nec alterius scientia alteri nocebit, vel ignorantia proderit, si eum emptor liberum esse nesciit, postea autem scire cæpit, hoc ei nocebit, quia tunc ignorauit, sed si tunc sciuerit, postea autem dubitare cæperit, nihil proderit, & hæredi, & cæteris successoribus scientia sua nihil nocet. Sed quid si duo specificauerint vnus bonâ, alter mala fide? Videtur vnius scientiam alteri nocere, vt nulli quæratur vt &c. E contra; quod vtriq; vt alterius ignorantia alteri prosit &c. Tertio videtur quod totum ignoranti vt &c.ita ponit *glos. verbo, Suo nomine, in l. Adeo 7 §.Cùm quis ff.de acquir.rer. dom.*

Non contemnit disciplinam qui ignorauit militem dicit *l.Si ignorans 52.ff.locat. vbi glos. 2.* ait. Ergo non contemnit clericalem habitum, qui clericum Laici more incedentem verberat, vel castigat. Ne talis ignorantia ei, cùm sit sine culpa, præiudicialis existat; inquit *cap Si beneficia 20.de preben.lib.6 & in l. Genero 8. ff. de ijs qui not. infam.* ibi. Ne ignorantia puniatur.

Sed non omnis, qui ignorat, immunis est à pæna; ille enim ignorans potest excusari à pæna, qui quod disceret non inuenit; illis autem hoc ignosci non debet, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt, dicit *cap. vlt. 37. dist.*

Etiam in casu *l. Is qui ff. quib. mod. vsusfruct. ammitt.* ignorans fructum ammittit, vt ibi. Si verò ignorauit, puto eum ammittere fructum, non enim eo, quod habet, vtitur, sed eo, quod putauit se habere.

Nota insuper quòd ex ignorantia, qua quis redditur dubius, affligitur homo, & molestatur, vt dicit *glos. verbo Scrupulum in Extrauag. vnica de offic. deleg. int. com.*

Non videtur experiundi facultatem habuisse, qui ignorauit, vt probat *glos. verbo Sex mensium in l.2.C.de ædil. act.*

Neque etiam sententijs per statuta quorumcumque ordinum prolatis ligari volumus ignorantes, dummodòtamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina, dixit *Papa in c. vlt. de constitut. lib. 6.* Debet enim ignorantia probabilis esse excusata, vt dicit *glos. verbo, Reuocari in c.2. de procurat. eod lib.* Alioquin probabilis ignorantia damnum afferret, quod esse non debet, vt per *glos.verbo, Acceptum ad fin. in l. Si ante 7 ff.iud.sol.* & probat *tex in §.rectè de mandat.in instit.* ibi. Alioqui iusta, & probabilis ignorantia tibi damnum afferret, quod non est ferendum contra Iura iam supra allegata, & *Auth.de Ecclesiast.tit. §.pen.in fin. coll. 9.* ibi. Ipsum quidem dominum propter ignorantiam indemnem seruari.

Ignoranntia verò affectata non excusat, vt probatur *in cap. Cum inhibitis §. Si quis verò de clandestin. despons.* ibi. Cùm illi taliter contrahendo non expertes scientiæ; vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Æquipollent ergo scientia, & affectat. Ignorantia; *glos. in cap. 2. de temp. ord. lib.6. per tex.* ibi. Scienter, seu affectata ignorantia &c. Dicitur autem affectata, ex quo scire potuit, sed noluit; imò dissimulauit, vt ibidem d.glos.

Nec insuper excusabit ignorantia in proprio facto, non enim est probabilis, vt dixit *glos. verbo Etiam si ignarus in l. Item quæritur 14. § Si gemma ff. locat.* & probat *cap. vlt. de iniur.* ibi. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo verisimiliter posse contin-

gere

gere vel iacturam; & facit *glos. verbo, Debet in l. Qui fundum 7. §. Seruus meus, ff. pro empt.* ibi. Item non debere quem factum suum, vel quasi ignorare.

Contra inquit *glos. verbo, Constit. in l. Inter 26. ff. de pact. dot.* dum dicit ita. Videtur quod ignorantia facti proprij toleretur per tex. ibi Vir. &c. retinere potuit, si lapsus errore non retinuit &c. non improbè receptionem desiderare constetit; & facit etiam *l. In fraudem 10. ff. Qui, & à quib.* de qua iam dixisti supra verbo, Homo, vers. Scribunt homines &c.

Non est etiam excusabilis ignorantia in factis coniunctorum, vt deducitur ex *l. Si filium 37. C. de lib. cau.* ibi. Qui tam proxima necessitudine coniunctus, eius conditionis ignorantiam simulare non potest; & in *l. Octaui gradus 9. ff. und. cogna.* ibi. Quia verisimile non videbatur tam coniunctum sanguine, defuncti valetudinem ignorasse.

Longè minus is, cuius negotia gesta sunt ignoras, aut contraxisse, aut deliquisse intelligi potest, inquit *l. Ex maleficijs §. Si quis absentes, vbi glos. ff. de act.*

Nec etiam ignorantia excusat in assumēdo quis loco sibi non competente, vt habes verbo Locus.

Nec in eo, qui inuestituram facit, vt in *cap. 1. de inuest. de re alien. fact.* ibi. Sed in eo nulla est differentia, qui inuestituram fecit, vtrū sciuerit, vel ignorauerit, vbi glos. dat rationem ibi. Quia scire debuit.

Alieni verò facti ignorantia, tolerabilis error est, dicit *l. 5. ff. pro suo* & iam supra dictum est. Quod ita tamen interpretandum est, vt probabilis error possidentis vsucapioni non obest. Probatur etiam prima cōclusio ex ratione *l. Doli mali 19. ff. de nouat.* ibi. Quia in priuatis contractibus, & pactionibus, non facilè petitor potest, quid inter eū, qui delegatus est, & debitorem actum est. Nam qui ignorat nec accipere id quod incertum est, potest, ait *l. Locus 26. ff. de acquir. poss.*

Ignorantia emptori prodest, quæ non in supinum hominem cadit, dicit *l. Et si 15. ff. de contrah. empt.*

Item nota regulam secundum quosdam, quòd ignorans rei vitium non tenetur, vt dicit *glos. quanto minoris in l. Iulianus 14. per tex. ibi ff. de act. empt.* & subijcit ita. Fallit in quinque casibus. Primus est, in capitatione prædij, vt &c. Secūdus in vase non integro vēdito. Tertius in vase vitioso locato vt &c. Sed in locato, quod est verius. ad omne interesse tenetur etiam ignorans, sed in alijs prædictis, quanto minoris esset empturus; item idem est in pecore morboso; itē in tigno vitioso &c. Isti autē quinq; casus sunt speciales, secundū quosdam, vt ignorans teneatur hic. Tu dic è contra regulariter ignorantē teneri. Et ista regula fallit in duobus casibus tantùm. Primus in seruo fure, & est ratio specialitatis, quia emptor scire debet quòd si seruus, ergo fur &c. Secundus est in prędio tributario, vt &c. & hoc ideo quia ex quo prædium erat prouinciale, per consequens emptor debuit scire tributarium *l. fin. C. fin. cens.*

Verū in eo, quod prædicta glos. inquit de seruo vēdito, videtur decidere cōtrariū tex. in *d. l. Iulianus 14 ff. de act. vēd.* ibi. Quid tamē si ignorauit furē esse, asseuerauit autem bonæ frugi, & fidū, & caro etiam vendidit? Et puto teneri, atqui ignorauit; sed nō debuit facilè quę ignorabat, asseuerare. Inter hūc igitur, & eū, qui scit, interest; quoniam qui scit præmonere debuit furē esse, hic non debuit facilis esse ad temerariam indicationē.

In eo autem, quod prædicta glos. tradit de vase vitioso, & pecore; probatur ex *l. Sed addes 21. §. 1. ff. locat.* ibi. Siquis vasa vitiosa locauerit &c. tenebitur in id quod interest, nec ignorantia eius erit excusabilis &c. & ibi. Si pecora mortua sint &c. quod interest, pręstabitur, si scisti; si ignorasti, pensionem non petes, vbi glos. verbo, Herba mala, sic.

Sed cur aliter ? Responde : quia in dolijs ignorare non debuit; in pascuis verò iustè potuit ignorare; nam quæ facilius sciri possunt, si ignorantur, facilius coercentur.

Tenetur etiam locator ex conducto, siue sciuit, siue ignorauit in casu *d.l. Sed addes §. Si inquilinus*, ibi verius est ex conducto teneri, siue scit, siue ignorauit, officio enim iudicis continetur, vt cogat eum editum, & facultatem inquilino præstare.

Vtilius est posse eum adire, qui nescit portionem, si cætera, quæ oportet eum scire, non ignoret, inquit *l. Illud 1. in fin. ff. Si pars har. pet. vbi glos. verbo Catera* quærit quæ sint ista ? Et respondet inter alia, quod sciat pure, vel sub conditione &c. Item conditionem testatoris, non suam; *l. Hares institutus in fin. l. Quod si dubitet, l. Sed & si sua, & l. Is adquem ff. de acquir. hared.*

Cum hæres in ius omne succedit defuncti, ignorantia sua, defuncti vitia nõ excludit, nec enim rectè defendetur cùm exordium rei bonæ fidei ratio non tueatur; sic *l. Cum hares 11. ff. de diuers. & temp.* Et licèt contra dicat *l. An vitium eod. tit.* ibi loquitur de singulari, hic verò de vniuersali successore, vt respondet hic *glos. vlt.*

Vnde si hæres rem, quam testator depositam apud se habebat, vendiderit, & posset illam redimere, & præstare, nec velit, non caret culpa, quemadmodum nec si redemptam, vel alia ratione suam faciat, noluit præstare, causatus quod semel ignorans, vel ignarus vendiderat, vt dicit *l. 3. ff. deposit.* Sed in *l. Testator filium 92. §. maritus vxorem ff. de legat. 2.* sic disponitur. Propter iustam ignorantiam tàm mulieris, quàm emptoris, hæredem mulieris, vt fundus apud emptorem remaneat fideicommissario dare debere pretium. Licet aliàs & ignorantes adstringantur fideicommisso, quibus ignorantibus ex testamento quæritur vt inquit *l. Cum pater 79. §. Surdo ff. de legat. 2.*

Ignoranti etiam accrescit; nã cùm etiam inuito ergo etiam ignoranti, vt dicit *glos. vlt. in l. haredi de acqui. har.* per tex. ibi. Reliquæ partes accrescunt &c. Licet hæres ignoret, & è conuerso, si ignoranti, ergo inuito, vt probat *glos. vlt. in l. Arbitrium 44. ff. fam. hercisc.*

Ignorans etiam ille dicitur, cui fuit dictum, sed non credidit, vt probat *l. 2. ff. quod fals. tut.* ibi. Si, inquit, actor ignorauit. Labeo, & si dictum sit ei, ex bona fide non crediderit.

Procuratoris ignorantia excusatur, vt in *l. Si defunctus 15. ff. de procur.* ibi. Inscium quidem procuratorem teneri, satis inciuile est.

Ne propter malitię ignorantiam bis eandem pecuniã consequatur dicit *l. Apud 4. §. Item quaritur vers. denique ff. de dol. except.*

Titubans pro ignorante habetur, vt verbo, *Titubans*.

Impeditus.

POtest esse tam ex parte actoris, quàm rei, quàm etiam iudicis ad effectum ne currant tempora. *vt not. in summario l. 1. ff. de diu. & temp.* & ibi in text. enumerantur causæ impedimenti. sic. Proinde siue apud hostes, siue Reipublicæ causa absit, siue in vinculis sit, aut sic tempestate in aliquo loco, vel regione detineatur, vt neque experiri, neque mandare possit, in ea causa est, vt experiundi non habeat potestatem. Planè is, qui in ea valetudine impeditur, vt mandare possit, in ea causa est vt experiundi habeat potestatem. Illud vtique neminem fugit, experiundi potestatem non habere eum, qui prætoris copiam non habuit.

In l. Si cui 38. §. vlt. ff. ex quib. caus. maio. sic di-

Sic dicitur. Planè si infirmitate impeditus continuare iter non potuit, habebitur ratio humanitatis, ficut haberi solet & hyemis, & nauigationis, & cæterorum, quæ casu contingunt.

Impeditus etiam dicetur secundus in gradu, si nescitur quod primus petierit necne; vt in *l.Si plures 9.ff.de bon.poss.* ibi. Quandiu incertũ sit petierit necne, posteriori diem non procedere constat; pro quo facit quod alias dicitur in *l.1.§.vlt.C.de annal.except.* ibi. Quis enim incusare eos poterit, si hoc non fecerint, quod & si maluerint, minimè adimplere, lege obuiante valebant.

Mora excusationis impeditus est, quominus liberaretur, excusationem rectè probari, inquit *l.Si eum ipse 42.ff.de excusat.tut.*

In arduis impeditus non compellitur procuratorem constituere dixit *glos. verbo, Procuratorem, in cap. Cupientes 16.de elect.lib.6.*

Item nota quod cum aliquid impeditur propter quod vnum, eo semoto, tollitur impedimentum, vt probat *glos.verbo, Authoritas in l.vlt ff.de diuort.*

Sed si non commodè per alium locum seruitute vti potest, non videtur seruitutis impediendæ causa id fieri dicit *l. 2. in fin. ff. de religios. & sumpt. funer.*

Voluntarium, & exquisitum, seu procuratum impedimentum neminem excusare debet; dicit *glos. verbo, In totum post princ. in Extrauag.Vnica ne Sed. vac. int. com.*

Impensa.

HArum tria sunt genera, seu species. Necessariæ, vtiles, & voluptariæ. Primæ dicuntur illæ, quibus non factis res erat peritura; vel deterior futura. Vtiles, quibus non factis, res non erat peritura; sed eis factis res est melior futura. Voluptariæ vero, quæ tantùm rem exornant, vt Iuribus, quæ allegat, ponit *glos.famosissima in §.Item si de dote de act. in Inst. verbo, Impensas,* quam ibidem *Apostill.* magistram vocat, & meliorem de toto Iure in sua materia. Eandem diuisionem impensarum tradit *glos. deducto in l.In fundo 39.ff. de rei vend.* vbi etiam sequentia inuenies.

Item aliæ pro fructibus. Quæ tribus modis sunt, vt *sup. de petit.hered. l.Si à domino, vel à patre §.fin.* Aliæ gratia rerum *vt infr. de imp. in reb. dot. fact.l.3. §.Nos.* De impensis ergo fructuum dicas; semper ex fructibus deduci &c. Si vero gratia rerum, hoc est, ad perpetuam rei vtilitatẽ; aut de nouo faciendo, aut de reficiendo; nam hæc inter se differunt, vt &c. Si de nouo faciendo, & est bonæ fidei, habet exceptionem, non vero actionem &c. Si autem cæpisset esse malæ fidei, eligitur media via &c. Si autem semper malæ fidei donasse videtur &c. Nullum enim sibi obligare voluit vt &c. Si vero in reficiendo, siquidem à bonę fidei possessore; aut necessario, vel vtiliter, & tunc habet doli exceptionem in totum; aut voluptariè, & tunc permittitur ei auferre sine læsione prioris status rei: eo addito, vt si tantum percepit ex fructibus, quantum fecit sumptibus; fiat hinc inde compensatio, & est benè notandum &c. Alias enim bonæ fidei possessor semper facit fructus suos &c. Quod autem de voluptarijs dixi, verum est, nisi dominus sit paratus soluere; si vero sit malæ fidei, necessarias impensas in reficiendo officio iudicis sibi conseruat, non per exceptionem doli. Et caue tibi, quia hic iudicis officium non habet locum, nisi cùm ipse, qui malæ fidei est, possidet; postea vero vtiles sine

læsione prioris status rei potest auferre. Voluptarias quidem dicunt, & eum posse auferre; alij dicunt quod perdit, quod & verius est; sed obstat *l. Vtiles 42. de qua infra proximè.*

Dicuntur etiam expensæ necessariæ sine quibus negotium expediri non potest &c.& sufficit si credat expedire, licèt non expediat, vt dixit *glos. verbo, Expensa in c. vt Præterita 45. de elect.* Quæ quidem semper excipiuntur in omni casu. In hæreditate probat *l. Hæres furiosi 54. ff. petit. hæred.* ibi. Exceptis videlicet impensis, quæ circa eandem substantiam, tàm necessariò, quàm vtiliter factæ sunt.

Planè si potest in eo differentia esset, vt bonæ fidei quidem possessor omnino impensas deducat, licèt res non extet; in quam fecit &c. prædo autem non aliter, quàm si res melior facta fit, inquit *l. Si planè 41. ad fin. ff. eod. tit. de petit. hæred.* Nam prædoni probè dicetur non debuisse in alienam rem superuacuas impensas facere, vt tamen potestas ei fiat tollendorum eorum, quæ sine detrimento ipsius rei tolli possunt, inquit *l. Vtiles 42. ad fin. ff. de petit. hæred.*

Igitur reddet impensas, vt fundum recipiat, eo vsque dumtaxat quo pretiosior est. Et si plus pretij fundo accessit solum quod impensum est, inquit *l. In fundo 39. ff. de rei vendic.* & prosequitur, finge pauperem, cui si reddere id cogatur laribus sepulchrisq; auitis carendum sit &c. vbi glos. explicat; itaut careat laribus auitis, idest, eis rebus, quas non est verisimile quod propter aliquid alienaret; prout dicebat *Naboth Regi Achab. 3. Reg. 31.*

Si vult habere rem mulier, reddere ea, quæ impensa sunt marito debet, aut si non vult, pati debet tollentem, si modo recipiant separationem; cæterum si non recipiant, relinquenda sunt. Ita enim permittendum est marito auferre ornamentum, quod posuit, si profuturum est ei, quod absoluerit; sic *l. Pro voluptarijs 9. ff. de imp. in reb. dotal. fact. & in l. Ait prætor §. per hanc actionem ff. quæ in fraud. cred.* ibi. Nam arbitrio iudicis non prius cogendus est rem restituere, quàm si impensas necessarias consequatur.

Si minor mihi infantem donauerit, deinde eum vendicet, exceptione doli mali repellendus est, nisi alimenta reddat, & si quis alius sumptus probabilis in eum factus sit; inquit *l. Apud Celsum §. Item quæritur ff. de dol. except.*

Eum, cui aufertur hæreditas, impensas aut doli exceptione rettenturum, aut actione negotiorum gestorum repetiturum dicit *l. Hæreditas 53. ff. de petit. hæred.*

Nota quod impensæ possunt tribus consequi modis, vt notauit *glos. vlt. in §. Certè de rer. diu. in Instit.* ibi. Expensas repetam per A. idest per actionem, vt &c. Item & per E. idest per exceptionem, vt hic. Item per O. idest officium iudicis vt &c.

In casu *l. Si in area ff. de condict. indeb.* per E. tantùm consequi possunt impensæ, vt ibi. Nullo alio modo, quàm per retentionem impensas seruare posse.

Impensæ necessariæ dotem minuunt, vt in *l. Dote 61. ff. de rit. nupt.* ibi. Exceptis impensis necessarijs, quæ ipso iure dotem minuere solent; & in *l. Conueniri 5. ff. de pact. dot.* ibi. Et si conuenerit, ne ob impensas necessarias ageretur, tale pactum non est seruandum; quia tales impensæ dotem ipso Iure minuunt. *Et glos. vlt. in cap. 1. de donat. int. vir.* ita distinguit. Expensæ necessariæ minuunt dotem ipso iure; vtiles verò non, sed petuntur actione mandati, vel negotiorum gestorum;

rum; voluptariæ permittuntur abradi sine læsione prioris status, *& in l. vlt. ff. de fund. dotal.* sic. Ego non tantum necessarias, sed etiam vtiles impensas præstandas à muliere existimo, nec puto fundum deteriorem esse, si tales sunt lapidicinæ, in quibus lapis crescere possit.

Quod dicitur necessarias impensas dotē minuere, sic erit accipiendum, non vt ipsæ res corporaliter diminuantur; etenim absurdum est diminutionem corporis fieri propter pecuniam; nō enim, ipso Iure, corporum, sed dotis fit diminutio; ibi ergo admittimus diminutionem ipso iure fieri, vbi non sunt corpora, sed pecunia; nam in pecunia, ratio admittit diminutionem; ita dicit *l. Quod 5. ff. de imp. in reb. dot. fact. & in l. 1. ff. de dot. praleg.* ibi. Impensæ autem ipso iure dotem minuunt; sed quod diximus ipso iure impensis dotem minui, non ad singula corpora, sed ad vniuersitatem esse referendum.

Sed aduerte quod propter impensas prædictas mulier non cogatur rem vendere, iniquum enim esse compelli mulierem rem vendere, vt impensas in eam factas soluat, si aliunde soluere non potest, quod summam habet æquitatis rationem, vt dicit *l. Vtilium 8. ff. de imp. in reb. dot fact.*

Cùm dos confertur, impensarum necessariarum fit detractio, cæterarum non, inquit *l. 1. ff. de collat. dot.*

Negotiorum autem gestorum, si circa res meas aliquid impenderit, non (in id, quod ei abest quia improbè ad negotia mea accessit) sed in quo ego locupletior factus sum. habet contra me actionem; inquit *l. Si pupilli 6. §. Sed si quis ff. negot. gest.*

Impendia exequendi mandati gratia facta, si bona fide facta sunt restitui omnino debent; nec ad rem pertinet, quod is, qui mandasset, potuisset, si ipse negotium gereret, minus expendere, ita dicit *l. Si quis 27. §. Morte, vers. impendia ff. mandat.*

Etiam si non profuerint impensæ, sufficit quod sine dolo fiant, vt debeantur, vt dicitur in *l. Prætor ait 9. §. 1. ff. de bon. author. iud.* ibi. Sufficit igitur sine dolo malo erogasse, etiam si nihil profuit erogatio; idem procedit in materia de in rem verso, vt in *l. 3. §. 1. ff. de in rem vers.* ibi. Et regulariter diximus toties de in rem verso actionem esse &c. quotiesque aliquid ita consumpsit seruus, vt aut rem meliorem haberet dominus, aut non deteriorem. Neque enim spectamus an bono domini accesserit, quod consumptum est, sed an negotium domini, vbi *glos. verbo, Deteriorem*, sic ait. In his duobus casibus non est voluntas domini necessaria, fuerunt enim impensæ necessariæ, vt &c. In voluptarijs enim eius voluntatem, vel præcedere, vel sequi oportet &c.

Proinde si seruus sumpsit pecuniam, vt se aleret, & vestiret secundum consuetudinem domini, idest vsque ad eum modum, quem dominus ei præstare consueuerat, in rem domini videtur vertisse, Labeo scribit; ergo idem erit in filio dicit *l. 3. §. 1. vers. Proinde ff. de in rem vers.* Erunt autem impensæ moderatæ, non tamen sic, vt cogatur seruis carere pro quātitate sumptuum, vt inquit *l. Si seruus 25. ff. de pign. act.* & addit. Sicut enim negligere creditorem dolus, & culpa non patitur, ita nec talem efficere rem pignoratam, vt grauis sit debitori ad recipiendum &c. Alioquin non est æquum, aut quærere me alios creditores, aut cogi distrahere quod velim receptum, aut penuria coactum relinquere me tibi.

Impensæ in re deposita factæ, non apud quem depositum sit, sed eius, qui deposuit fiunt dicit *l. Si ex Asia 12. ff. deposi. vbi glos.* sic. Secus in incommodato &c. quia

quia tantùm gratia accipientis contrahitur. Ille namque tenetur ad impensas, cuius gratia actus fit, vt summat *Bald. l. Sed & si 11. §. Quo autem ff. ad exhiben.* cuius verba sunt. Et Labeo ait ibi exhibendum, vbi fuerit res, cùm lis contestaretur, periculo autem, & impendijs actoris perferendam, perducendamue eo loci, vbi actum sit. Quod limitabis iuxta *text. in l. 3. §. Item si ff. de aliena. iud.* ibi. Quia si tecum ageretur; tuis impensis id opus tollere deberes &c.

Etiam qui eijcitur propter pẽsionem non solutam repetit expensas vtiliter factas, dicit *Bart. in summario per text. ibi in l. pen. ff. locat.*

Ad vsufructuarium pertinent modicæ impensæ, vt dicitur in *l. Hactenus 8. ff. de vsufruct.* ibi. Modica igitur refectio ad eum pertinet &c. *vbi glos.* sic quærit. Sed quæ erit modica impensa in prædictis? Responde duorum aureorum, *vt supra de dolo l. oleum §. fin.* Vel dic melius iudicis arbitrio, *vt infra de iur. delib. l. 1. § fin.* vltra quam si quis impẽdit, repetit à proprietario, vt &c.

Cibariorum impensæ naturali etiam ratione ad eum pertinent, qui vtendum accepisset, sed id, quod de impensis diximus, ad maiores impensas pertinere debet. Modica enim impendia verius est vt (sicut cibariorum) ad eundem pertineat; dicit *l. In rebus 18. §. possunt ff. commoda.*

Æquius est vel frustra non numquam impendia fieri, quàm denegare aliquando alimenta ei, qui aliquo casu dominus futurus est, dicit *l. 11. ff. de ventr. in possess. mitt.* de qua iam supra verbo *Alimenta.*

Religiosus litigans cum monasterio, eiusdem monasterij impensis ali debet, vt *in cap. Ex parte 11. de accusat.* ibi. De rebus monasterij expensæ necessariæ, donec causa debitum finem accipiat, ministrari, coniũcto *c. pen. in fin. eod. tit.*

Funeris impensæ debent fieri secundum iustum, & æquum, vt dicitur in *l. At si quis 14. ad med. ff. de relig. & sumpt. funer.* in hæc verba. Æquum autem accipitur ex dignitate eius, qui funeratus est, ex causa, ex tempore, ex bona fide, vt neque plus imputetur sumptus nomine, quàm factum est: debet enim haberi ratio facultatum eius, in quem factum est, & ipsius rei, quæ vltra modum sine causa consumitur &c. Sciendum est nec voluntatem testatoris sequendam si res egrediatur iustam sumptus rationem; pro modo enim facultatum debet sumptus fieri &c. & infra iudex &c. interdum sumptum omnino non debet admittere modicum factum, si fortè in contumeliam defuncti hominis factus sit.

Impensæ paruæ ab hærede in funus factæ, & inuentarij confectionem probantur iuramento ipsius hęredis, vt est dictum verbo, *Hæres.*

Qui consentit in suo ædificare, & non soluit impensas, dolo videtur facere, vt dicit *l. Purè 5. ff. de dol. except.* ibi. Dolo enim feci, si passus sum eum ædificare, & nòn reddo impensas.

Ex qualitate impensarum præsumitur an animo repetendi fecerit quis, an non, vt dicitur *in summ. l. Vtrum 48. ff de donat. inter vir.* Et tex. sic. Sed coniectura eius rei ex modo, & genere impensæ non difficilis est, vbi *glos. vlt.* ita. In dubio autem præsumam non donare.

Ob sumptus nulla re vrgente, sed voluptatis causa factus eum, de quo quęritur actionem non habere, dicit *l. ex duobus 28. ff. de negot. gest.*

Si mutua pecunia domum Dominicam exornauit tectorijs, & quibus alijs, quæ magis ad voluptatem pertinent, quàm ad vtilitatem, non videtur versum, quia nec procurator hoc imputat, nisi fortè mandatum Domini, aut voluntatem habuerit, nec debet ex eo onerari domi-

minus, quod ipse facturus non esset. Quid ergo? pati debet dominus creditorem hoc auferre sine domus suę videlicet iniuria &c. inquit *l. 3 §. 1. vers. Sed si ff. de in rem vers.*

Si quid procurator citra mandatum ad voluntatem fecit permittendum ei auferre quod sine damno domini fiat, nisi rationem sumptus ipsius dominus admittat, *ait l. Idem 10. §. Idem Labeo, vers. Idemque ff. manda.*

Sũptibus voluptatis causa ab emptore factis adolescentẽ onerãdum nõ esse, qui tamen ab eodẽ ædificio ita auferri possunt, vt in facie pristina, idest, quæ fuit ante venditionem ædificium esse emptori posset permitti, oportere, dicit *l. Si sine 33. §. Interposito, ff. de admin. tutor.*

Si quis sumptuosè fecit, nihil autem percipit fructuum, æquissimum erit rationem horum quoque in bonæ fidei possessore haberi, ait *l. Quod si 40. ff. de petit. hæred.*

Modicas impensas non debet arbiter curare, *l. Omnimodo 12. ff. de impens. in reb. dotal. vbi glos.* intelligit vsque ad duos aureos, vel verius arbitrio Iudicis vt supra dictum est.

Non potest quis petere impensas, quas ipse alias facturus esset, nisi adsit alia causa, propter quam maiores fecit, vt ponit *glos. vlt. in cap. pro sexto de proc.* ibi. Quia si alias fuisset iturus ad Curiam non posset petere expensas factas, nisi quatenus plus expendisset propter longiorem moram.

Nec credo compensandas, vel deducendas in hoc casu expensas, quas domi facturus esset, secundum quod dicere consueuimus in victore, vt inquit *glos. verbo, Moderatas expensas in cap. Statutum 11. §. Insuper de rescript. lib. 6.* Loquens de iudice cui debentur expensæ, si extra suum domicilium proficiscatur propter aliquam causam.

De impensis ratione violentiæ factis, agitur *in cap. Dilecti 37. de for. comp.* vbi hæc. Mandamus quatenus eisdem de pecunia ipsa cum iustis, & moderatis expensis, & congrua satisfactione damnorum, vsuris omnino cessantibus, satisfacias, vt teneris, vbi *glos. verbo, Expensis* sic ait. Expensæ istæ moderatæ esse debent &c & non superfluæ, siue delicatę &c. Sed qualiter probabuntur expensæ, & damna illata propter hoc? Expensæ probabuntur per iuramentum illius, qui eas fecit præmissa taxatione à iudice &c. & ita hoc est notatu dignum, quòd expensæ, & damnum datum per dolum, siue violentiam, vel rapinam postquam constiterit de violentia per testes, probantur per iuramentum de quo etiam latius vide verbo, *Damnum,* & verbo, *Interesse*; probatur etiam *in cap. Cum olim, 14. de priu.* ibi. In expensis, quas per quadriennium occasione huiusmodi negotij iuraueras te fecisse, damnarunt, vbi *glos. verbo, Iuraueras,* sic. Probatio ista expensarum per iuramẽtum solum fit, & nota quod super prædictis expensis potius actori, quàm Reo defertur iuramentum, vt habes verbo, *Iuramentum.*

Nota etiam, quòd secundum quãtitatem petitam impensæ fieri debent, vt dixit *glos. verbo quantitate, in l. 3. C. de fruct. & lit. expens.* Vnde dicit *text. in Auth. de appellat. §. Illud etiam 3. coll 4.* Euenit vt super minimis causis maximi nostri iudices inquietentur, & homines propter minimas causas magnis fatigentur dispendijs: vt forsitan totius litis æstimatio ad sumptus iudiciales nõ sufficere, *& in Auth. vt determ. sit num. cler. §. 1. post princ. coll. 1.* ibi. Nam si non aliquis ferret libenter eum, qui vltra substantiam suam expendit, quomodo non, & de his nobis cogitandum est? Non enim oportet ad mensuram expensarum quærere etiam possessiones (hoc enim simul ad auaritiam, impietatemque perducit) sed ex ijs, quæ

quæ sunt; expensas metiri.

Non est igitur faciendum id, in quo plus expenditur, quam de commodo percipitur, vt dixit *Bart. in summ. l. Mediditerranea C. de annon. & tribut. lib.* 10. *per tex.* ibi. Vt plus haberet dispendij translatio, quàm deuotionis illatio.

Parcitur in expensis etiam ratione personarum, vbi aliàs non parceretur, vt dicis verbo, *Persona*.

Triplex est genus expensarum, quę fiunt in causis, vel negotijs generaliter ad totam Ecclesiam pertinentibus, & fit contributio secundum facultates, vt qui plus habet, plus soluat. Aliæ sunt expensæ pertinentes tantùm ad bona discreta, puta ad dignitatem: tunc de illis bonis fieri debent expensæ dummodo sufficiant. In expensis verò, quę pertinent ad bona communia, de communibus, hæ fieri debent, vt dicit *glos. verbo*, *Discreta per tex. ibi in cap. Cupientes* 16. *de elect. lib.* 6.

Ad expensas verò superuacuas, vel honoris causâ, sicut esset salicare plateam, non tenentur Ecclesiæ, sed ad alias necessarias impensas pontium &c. vt inquit *glos. verbo*, *Monitionibus*, *in cap. Nos Romanorum, de pace const.*

Diminutio ad sumptus fieri debet ex pecunia numerata, si ea non fuerit ex ijs rebus, quæ patrimonium onerare magis impendio, quàm augere fructibus consueuerunt, inquit *l.* 1. *ad fin. ff. de ven. tr. in possess. mitt.*

Offilius, impensæ verbo, Negat pretium significari, sed eos dumtaxat sumptus, quos in eum postquam emptus esset, fecisset dicit *l. Quibus* 40. *ff. de condit. & dem.*

Imperitia.

Errore detegitur vt dicitur in *l. Si per errorem ff. de iurisd. omn. iudic.* ibi: Quid enim tam contrarium consensui est; quam error, qui imperitiam detegit.

Imperitia cohæredum iurisdictionis formam immutare non potest, dicit *l. Si filia* 20 *ff. famil. hercisc.* Nec oportet eum qui certi hominis fidem elegit, ob errorem, aut imperitiam hæredum affici damno, vt inquit *l. Mandatum* 57. *ff. mand.*

Celsus etiam imperitiam culpæ annumerandam scripsit &c. & quod imperitia peccauit culpam esse, quippe vt artifex, inquit, conduxit; ita dicitur in *l. Si quis fundum* 10. *§. pen. ff. locat.*

Siquidem vitio materiæ factum sit, non erit ex locato actio, si imperitia facientis, erit. Nisi periculum quoque in se artifex receperit; tunc enim & si vitio materiæ id euenerit, erit ex locato actio, *l. Item quæritur* 14. *§ Si gemma ff. eod. tit.*

Aequè non tenebitur si fortè per imperitiam, vel rusticitatem ignarus edicti prætoris, vel Senatusconsulti apparuerit; ait *l.* 3. *§. Si quis ignorans, ff. ad Syllan.*

Imperator, & Imperium.

Vt imperialis fortuna omnes supereminet alias, ita oportet, & principales liberalitates, culmen habere præcipuum, inquit *l. Cum multa* 7. *C. de bon. quæ lib.* Et de donatione facta inter Imperatorem, & Augustam, sic inquit *l vlt. C. de quadr. præscript.* Et ita hoc videatur imperiale esse priuilegiũ, qui enim suis consilijs, suisque laboribus pro toto orbe terrarum, die, noctuque laborant; quare non habeant dignam sua pręrogatiua fortunam? Intelligo istam fortunam esse tam donantis, quam donatarij. Donare quippe fortuna est, & beatior, quàm accipientis fortuna; non loquor de miseris auaris, qui in donando, non fortunam, sed infor-

infortunium reputant.

Dignum est, vt cuius præcellimus munere, illi omnino pareamus in opere, sic dixit *Freder. Imper. in cap. 1. de pac. tenen.*

Adoraturus æternitatem nostram, inquit *l. 2. C. de fabricens. lib. 11. vbi glos. vlt.* sic. Duo impropriè hic dicuntur, nam non est æternus &c. Item nec adoratur, nisi solus Deus. Dicitur autem æternus, quia Imperium semper durat, vt inquit *glos. in l. 3. Cod. de veter. numism. eod. lib.* vbi nominatur æternalis vultus. Adorare etiam dicitur, profunda illa reuerentia, quæ solet fieri Imperatori, vel Regi, vt sæpè in sacr. pag. 3. Reg. 1. ibi. Inclinauit se Bersabee, & adorauit Regem; & alibi. Nec talis adoratio est illa latriæ, quæ soli Deo debetur.

Vocatur etiam Imperator Pontifex, vt inquit *glos. principi in cap. 2. de maior. & obed.*

Antoninus dixit Eudemoni. Ego quidem mundi dominus, L autem Maris l. Rhodiorum iudicetur nautica, in quibus nulla nostrarum ei lex aduersetur; ita *l. pen. ff. ad l. Rhod. de iact. & ibi glos. in Apostill.* sic. Habemus hic tex. quòd Imperator est dominus totius mundi, concordat *tex. in cap. In apibus 7. q. 1. & glos. in cap. Ius quaritum 3. dist.* quod qualiter intelligatur vide per *Bart. in l. 1. §. Per hanc ff. de rei vindic. Bald. & Ang. in l. Benè à Zenone Cod. de quadr. præscript.* Et si vis aliqua curiosa super hoc videre; videas *D. Mayam lib. 1. obseruat. iur. cap. 1. à num. 64.*

Imperatoriam maiestatem non armis solùm decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, vt vtrumque tempus, & bellorum, & pacis rectè possit gubernari; & Princeps Romanus non solùm in hostilibus prælijs victor existat, sed etiã per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, & fiat tam Iuris religiosissimus, quàm victis hostibus Imperator magnificus *§. 1. proœm. Inst. vbi glos.* sic. Quare quod erat armorum attribuit legibus, & è contra. Et respondet, vt ostenderet alterum alterius auxilio semper egere.

Nota Imperatorem vocari legum patrem. Vnde & leges sunt ei subiectæ, vt dicit *glos. in Auth. de incest. nupt §. 2 coll. 2.* ibi. Nos tamquam legis patres; Vnde si super aliqua lege dubium oriatur ad eum debet remitti, vt dicis verbo, *Lex*, & *glos. 1. in Auth. de instrum. caut. coll. 6.* ibi. Nec mirum si Imperator dicit quòd nouit, quia omnia sunt in pectore suo &c. Item est pater legum &c. Item ipse est anima legum.

Quapropter decet tantæ maiestati eas seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur, vt dicitur in *l. Ex imperfecto 23. ff. de legat. 3.* cum alijs, quæ habes verbo, *Rex; & in l. 3. C. de testam.* ibi. Licet enim lex Imperij solemnibus iuribus Imperatorem soluerit; nihil tamen proprium Imperij est, quàm legibus viuere. Vnde non est credendum Romanum Principem, qui iura tuetur simplici verbo totam obseruationem multis vigilijs excogitatam, atq; inuentam velle euerti, vt *in l. Si quando 25. C. de inoffic. testam.*

Æqualitatis, & iustitiæ sumus amatores, quàm in omnibus alijs, & in consortijs volumus obtinere, dicit *Imperator in Auth. de non eligend. 2. nuben. §. vlt. coll. 1.* Et soli Imperatori licet inspicere inter æquitatem, & ius, & facere interpretationem, vt dicis verbo, *Interpretatio.*

Imperator debet secundum conscientiam iudicare, vt dicit *Apostill. ad glos. verbo, Punitur in l. 1. ff. ad l. Cornell. de fals.* ibi. Fallit in iudice, qui est supra leges, vt Papa, & Imperator, quia debent secundum conscien-

scientiam iudicare, vt per ea, quæ ibi allegat.

Imperator clemens quando sine lege facit, erubescit, vt dixisti Verbo, *Clementia*.

Omnibus à nobis dictis, Imperatoris excipiatur fortuna, cui & ipsas Deus leges subiecit, legem animatam commit tens hominibus; sic dicitur in *Auth. de Consul. in fin. coll. 4.*

Amat castitatem Imperator, vt ipse dixit *in §. 1. quib. mod. tutel. fin. in instit.* ibi. Nostra autem maiestas dignũ esse castitate nostrorum temporum existimans benè putauit; quod in fæminis etiam antiquis impudicum esse visum est, idest inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculis extendere.

Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei à superna collata clementia, Sacerdotium, & Imperium, illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex uno, eodemque principio vtraque procedentia humanam exornat vitam. Ideoque nihil sic erit Imperatoribus studiosum, sicut Sacerdotum honestas, dicitur in *Auth. quomod. oport. Episcop. §. 1. coll. 1. Et in Auth. de non alienan. §. Sinimus coll. 2.* sic. Cum nec multum differant ab alterutro Imperium, & Sacerdotium, & res sacræ à communibus, & publicis.

Imperator per labores proprios omnibus bonis custodire Rempublicam sperat, vt habes verbo, Labor, & in *Auth. vt iudices sine quoquo suffrag. in princ. coll. 2.* ibi. Omnes nobis dies, ac noctes contingit cum lucubratione, & cogitatione degere semper volentibus, vt aliquid vtile, & placens Deo à nobis collatoribus præbeatur &c. vt nostri subiecti sub omni quiete consistant sollicitudine liberati; nobis in nosmetipsos pro omnibus cogitationem suscipientibus per omnem namque curiositatem, & inquisitionem subtilem discurrimus illa agere quærentes, quæ vtilitates nostris subiectis introducendo, omni eo onere liberent, & omni damno extrinsecus illato. *Et in §. Quantam eod. tit.* ibi. Quia omnem pro vestra vtilitate perferrimus laborem.

Et in §. 1. eod. tit. sic dicit. Considerauimus enim, quia licet quæstus immodicus imminuitur imperio; attamen nostri subiecti incrementum maximum percipient; si indemnes à iudicibus conseruentur, & Imperium, & fiscus abundabit vtens subiectis locupletibus.

Nostræ serenitatis sollicitudo remedijs inuigilat subiectorum, nec cessamus inquirere, si quid sit in nostra Republica corrigendum, ideo namque voluntarios labores appetimus, vt quietem, alijs præparemus; dicit idem Imperator in *Auth. vt diuin. iussion. coll. 8.*

Et in Auth. vt nulli iudic. §. Quoniam verò coll. 9. sic. Nos enim reos quidem ex legibus pęnas sustinere volumus; damna vero subiectis nostris, aut lucrum ex hoc iudicibus, aut eorum hominibus, siue officialibus fieri, nullatenus concedimus.

Imperialis beneuolentiæ proprium iudicamus commoda Subditorum inuestigare, & eorum calamitatibus diligenti cura mederi. Similiter Reipublicæ bonum statum, ac dignitatem imperij omnibus priuatis commodis præponere; dixit *Imperator Lotharius in cap. 1. de probibit. feud. alien. & in cap. 1. eodem tit. per Fririder.* ita. Imperialem decet solertiam ita Reipublicæ curam gerere, & subiectorum commoda inuestigare, vt Regni vtilitas incorrupta persistat, & singulorum status iugiter seruetur illæsus.

Et in cap. 1. de pac. Constan. in hæc verba. Imperialis clementiæ immensa

serenitas mansueta, eam semper in subditis suis dispensationem fauoris, & gratiæ habere consueuit, vt quamuis districta seueritate excessum delicta debeat, & possit corrigere, magis tamen studeat propitia tranquillitate pacis, & pijs affectibus misericordiæ Romanum Imperium regere, & rebellium insolentiam ad debitam fidem, & debitæ deuotionis obsequium reuocare.

Cognoscant omnes, quia & maximorum, & mediocrium, & paruulorum nobis cura est, & nihil est tale, quod a nostra sollicitudine remoueamus; dicitur in *Auth. de defens. Ciuit. §. Et iudicare ad med. coll. 3. Et Iustinian. in l. Ampliorem 37. C. de appell.* inquit. Ampliorem prouidentiam subiectis conferentes, quàm forsitan ipsi vigilantes inueniunt.

Imperator appellat se militem, vt dixit *glos. verbo, Commilitones in l. 1. ff. de milit. testam.*

Vocat etiam se Senatorem, vt in *l. Ius Senatorum*, in quo, & nos ipsos numeramus. *C. de dignit. lib. 12. & glos. in l. Nemo eodem tit.* ibi. Ergo nec Senatores, qui pars nostri corporis sunt.

Per Imperatorem acquiritur hominibus, vt probat *glos. verbo, Seruus, in proœm. Decret.* huius namque debet esse propositi, quilibet Imperator, vt augeat, licet hoc non semper faciat, vt aliàs dixit *glos. verbo, Semper Augustus in proœm. inst. ad princ.* Nota tamē quòd si recuperat, dicitur augere *vt in proœm. præd. §. Quorū* ibi. Iterū ditioni Romanæ, nostræq; additæ Imperio & ideo etiā Imperator alienare nō potest, vt notat *gl. per tex. ibi in l. omnes 8. C. de fundi patrim. lib. 11.* Tamen in *l. vlt. C. de locat. fund. Ciuil. lib. 11.* dicit sic. Prædia domus nostræ &c. Sanè quia non ex omni parte excludenda non est largitas principalis rem diuinæ domus suæ Imperator si velit donabit &c. ei &c. Et ibi *Ioann. de Platea* tractat questionem illam. An liceat Imperatori donare res Imperij? Et concludit quòd non.

Imperator quæ munera non recipiat, vide verbo, *Munus*.

Imperatorem litis causa hæredem institui inuidiosum est. Nec enim calumniæ facultatem ex principali maiestate capi oportet, inquit *l. penult. ff. de hæred. instit.*

Imperator est Iudex in causa propria, sicut Papa, *vt in cap. Cum venisset coniuncta glos. 2. post med.* ibi. Sed dic quòd Papa &c. *de iudic.* ita dicit *Apostill. in l. 3. per tex.* ibi. Sententia Imperatoris Antonini Augusti *ff. de his, quæ in testam. delen.*

Imperator tollit immensum; & subrogat meritum, vt dicitur in verbo, *Infinitas*.

Interpretatur etiam voluntatem defuncti, cuius solius est interpretari; nam & iura interpretari eius est, vt supra dixisti, & prædicta omnia dixit *glos. verbo, Cui in l. ex verbis 14. C. de donat. int. vir.* Quia igitur Imperium propterea Deus de cęlo cōstituit, vt difficilibus imponat, quæ apud eum sunt bona, & leges aptè secundum naturæ varietatem, vt ipse dixit Imperator in *Auth. de instrum. caut. coll. 6. in §. 1. & vide glos. verbo, Ad regem in cap. Causam 7. qui fil. sint legit. & in l. 1. C. de veter. iur. enuel.* sic. Deo authore nostrum gubernante Imperium, quod nobis à cælesti maiestate traditum est, & bella fæliciter peragimus, & statum Reipublicæ sustentamus, & ita animos nostros ad Dei Omnipotentis adiutorium erigimus, vt neque armis confidamus, neque nostris militibus, neque bellorum ducibus, vel nostro ingenio, sed omnem spem ad solam prouidentiam referamus summæ Trinitatis.

Virtutibus Romani promeruerunt Imperium, vt inquit *Hieron. in cap. Omnes deinceps 28. q. 1. vbi glos.* intelligit de virtutibus politicis.

Imperium habere ex fortuna est, vt supra iam dictum est, & dicit *glos. verbo, Concessimus in cap. Priuilegia de pac. Constan.* vbi affert illud vulgare.

Si fortuna volet fies de rethore Consul &c.

Imperium semper est, vt dixit *glos. verbo, Principaliter, in l. Et quia ff. de iurisd. omn. iudic.* per tex. *in Auth. quomo. oport. Episc. §. vlt. coll. 1.* Supra iam allegato.

Quid maius, quid sanctius Imperiali est maiestate? vel quis tantæ superbiæ fastidio tumidus est, vt regalem sensum contemnat? Cum & veteris Iuris conditores constitutiones, quæ ex Imperiali decreto processerunt, legis vim obtinere delucidèque definiant, dicit *l. vlt. C. De legat.* Et ad interrogationem prædictam respondens glos. in casus positione dicit. Apostolicus, qui confirmat Principem.

Plus imperium hominum adiectione, quàm pecuniarum copia augeri malim, dixit *Adrian. Imperator, vt refertur in l. Vnica ff. de port. qua lib. damnat. conc.*

Imperio magna ab vniuersis secreta debentur, vt ij tantum locum habeant habitandi, quos legitimus maiestatis nostræ vsus, & Reipublicæ disciplina delegit, inquit *l. Quæcumque C. de oper. pub.*

Multorum Imperium non modo moram affert rebus strenuè gerendis, sed non rarò plùs nocet, quàm prodest, dixit *Iosephus lib. 4. antiq. cap. 48. num mihi 40.*

Nec imperare sibi, nec prohibere quisquam potest, dicit *l. penult. ff. de recep. arb. vbi glos.* sic. Ideo quia verbum in imperatiuo modo non habet primam personam. Ego dicerem (ni fallor) quia Imperium datur in inuitum; si ergo quilibet sibi posset imperare, & prohibere, sequeretur tolli liberum arbitrium, quod nec Deus vult tollere; vnde etiam par in parem non habet imperium, *vt in cap. Innotuit 20. de elect.*

Quem magis admirabilem, quàm qui imperat sibi quam qui se habet in potestate, dixit *Senec. lib. 5. de benef. cap. 7. & in epist. 114. ad fin.* Imperare sibi maximum imperium est.

Qui benè parere nouit, etiam benè imperaturus est vbi ad potestatem peruenerit, dixit *Iosaph. citato lib. 4. de antiq. cap. 8. num. 10.*

Impossibile.

TRibus modis potest dici, aut natura, aut iure, aut facto Impossibile de iure æquiparatur naturæ impossibilitati, vt dixit *glos. verbo, Impossibilem in extrauag. vltima de verbor. signif.* ibi. Impossibile &c. Scilicet de iure, cuius impossibilitas, & naturæ æquiparari consueuerunt, & *glos. verbo, Non possit perdere ibi in l. vlt. ff. quæ sint, sin. appellatà.* Et sic nota æquiparari impossibilitatem iuris, & naturæ.

Quod impossibile est, nec stipulatione potest comprehendi, dicit *l. Verum 31. ff. de regul. Iur.* Non enim toleratur in iure impossibilitas, vt dixit *glos. verbo, Impossibilitatem in d. Extrauag. vlt. de verbor. signif.* Vnde verba contractuum debent trahi ad possibilem, non impossibilem intellectum, vt dicitur in *sum. l. vlt. C. de contrah. & committ. stip. Et in l. vnica, C. de sent. quæ pro eo* ibi. Ne dum in infinitum computatio reducitur, pro sua impossibilitate cadat.

Quod valde difficile est de facto, impossibile

bile reputatur, vt probat *glos. verbo, Peregrè in l. Qui ex liberis* 11. *ff. de bonor. possess. sec. tab. & glos. vlt. in §. Pœnales de act. in Inst.* ibi. Vnde dicitur non posse fieri, quòd cum difficultate fieri potest. Impossibilium ergo nulla est obligatio, vt dixit *Iureconsult. in l. Impossibilium ff. de regul. Iur.*

Impossibile.

IMputandum est ei, qui minus perito se committit, dicit *glos. in l. Si quis* 7. *ff. de institor. act.* per tex. in fin. ibi. Quoniam sibi imputare debet, qui eum præposuerit.

Nota etiam imputari ei, qui nimis credulus est, vt tenet *glos. in l.* 1. *ff. de eo per quem factum erit* per tex. ibi. Sibi eum imputare debere, qui credulus fuerit.

Non autem imputabitur ei, qui facultatem non habet ad agendum vt dicitur *in l. Si pupilli, §. vlt. ff. de negot. gest.* ibi. Quamquam hoc ei imputari non possit, cur alios debitores non conuenerit, quoniam conueniendi eos in iudicio facultatem non habuerit, qui nullam actionem intendere potuit; & in *l. Cum quidam* 17. *§. Si populo ff. de vsur.* ibi. Quid enim potest imputari ei, qui soluere etiam si vellet, non potuit? vbi *glos. prædicto verbo, Non potuit,* ita. Et sic nota quod non imputatur alicui, si non facit quod, & si facere vellet, non posset, vt, &c.

Et ita nota illud generale, quod si per me non stat, mihi non imputatur, dixit *glos. vlt. ad fin. in cap. Ex ratione* 8. *de appellat.*

Incendium.

SIne culpa fieri non potest, vt dicit *l. si venditor* 11 *ff. de peric. & comm.* Nam sine alicuius culpa non fit facile incendium, vt ita inquit *glos. in l. Si modo* 62. *ff. de leg.* 1.

Quod ait prætor de damno dato ita demum locum habet, si dolo malo damnū datum sit. Nam si dolus malus absit, cessat edictum. Quemadmodum ergo procedit quod Labeo scribit. Si defendendi mei causa vicini ædificium orto incendio dissipauerim, & meo nomine, & familiæ iudicium in me dandum? Cum enim defendendarum mearum ædium causa fecerim, vtique dolo careo. Puto igitur verum non esse quod Labeo scribit, ita Vlpian. in *l.* 3. *propè fin. ff. de incend. ruin. naufra.*

Incertum.

TAm in contractibus, quàm in vltimis voluntatibus vitiat, vt probat quoad primum *l. Sed si ita* 10. *ff. de stipul. seru.* ibi. Quia incertum est vtri eorum acquisierit actionem Idcircò inutilis stipulatio existimanda est vbi *glos.* 1. sic. Nota quod ratione incertitudinis neutrum valet; idem in *l. Si seruus* 21. *eod. tit. & glos. verbo, Nihil fecit in l. Adhuc* 33. *ff. de vsufruct.* ibi. Ratione incertitudinis neutrum valere, vt &c. probat etiam *l. Cum duo* 20. *ff. de indi. adiect.* ibi. Quod si incertum sit ad vtriusque pretium addiderit à priori emptione non videtur discessum, vbi *glos. vlt.* sic. Nota ergo quod in dubio nihil valet, vt hic: idem in datione tutoris, vt si non appareat quis &c. idem in legato &c. idem in institutione hæredis &c. idem in adeunda hæreditate &c. idem in duobus concurrentibus

Propter incertum fructuum euentum rescindi placita non possunt, inquit *l. Si ea lege* 17. *C. de vsur.* vbi sic summat *Bald.* ratione incertitudinis futurorum fructuum aliquod iudicatur iustum; idem probat *l. Oleo* 23. *eod. tit.*

BB Pro

Pro euitando iure incerto aliqua introducuntur, vt probatur in *l. Vsusfructus 69. ad fin. ff. de vsufruct.* ibi. Commodissimè tamen (ne per singula animalia facultatis fructuarij propter discretionem difficilem ius incertum sit) sufficit eundem numerum per singula quæque genera ferarum finito vsufructu domino proprietatis assignare, qui fuit, cæpti vsusfructus tempore.

Neminem vsucapere ratione incertitudinis, inquit *glos. per tex. ibi in l. Qui cum pro harede 6. §. 1. ff. pro empt.*

Qui ignorat, nec tradere, nec accipere id, quod incertum est, potest, inquit *l. locus 26. ff. de acquir. possess.*

Species seruitutis exprimenda est: ne si generaliter seruire dictum erit, aut nihil valeat, quia incertum est, dicit *l. In tradendis 8. ff. commun. prad.*

Etiam in libertate legata duobus seruis hæredibus institutis ab eo, qui non erat soluendo, contra legem Aeliam sententiam, quæ prohibet testatori, qui soluendo non est, instituere seruos suos, nisi tantùm vnum ratione incertitudinis, libertas relicta inutilis est, vt inquit *l. 43. ff. de hared. instit.* ibi. Inuicem enim eos sibi obstare. Et minimè propter incertitudinem videtur portio legata, dixit *glos. verbo, Haredes in l. Si ita 44. ff. de legat. 2.*

Nota alternationem facere incertitudinem, & nocet, quandoque non nocet, ait *glos. verbo, Alternatione, in l. Prator edixit §. Quod autem ff. de iniur.*

Incerta, vt Sixtus Papa scribit, nemo Pontificum iudicare præsumat. Et quamuis vera sint, non tamen credenda, nisi quæ certis inditijs comprobantur; nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur, sic *cap. Si quis diuinis 20. q. 5.*

Inconstantia.

REpellitur, vt dixit *glos. verbo, Totam in l. Impubes ff. de Carbon. edict. & glos. vlt. in l. Filia 20. C. de inoffic. testam.* ibi. Reprobatur enim inconstantia.

Incontinenti.

MOx, idest incontinenti, nullo actu contrario intermedio, dixit *glos. verbo, Mox in cap. Quia propter 42. de elect. & glos. in cap. 1. verbo, Incontinenti de mutu. petit.* ibi. Istud, Incontinenti, intelligendum est nullo actu medio interposito, & est simile illi, mox.

Sed qualiter intelligitur illud incontinenti, an vsque ad triduum, an sine interuallo, an quàm citò potest? Quærit. *glos. 1. in cap. An sit 42. de appell.* & respondet quòd modò sic, & modò sic secundùm varietatem casuum, & Iuris dispositionem.

Nam in *l. Quod ait 23. §. vlt. ff. ad l. Iul. de adult.* sic dicitur. Sed dum adulterum occidit, profugit filia, & interpositis horis apprehensa est à patre, qui persequebatur, incontinenti occidisse videbitur.

At in *l. 3. C. de error. aduocat.* sic dicitur. Ex continenti, idest triduo proximo; & in *l. Cum specialis 16. C. de iudic.* ibi. Illicò, idest intra triduum.

Et in materia reconuentionis proponendæ inquit *glos. vlt. in Auth. & consequenter C. de sent. & inter loc.* sic. Sed quando dicitur fieri incontinenti? responde. Ante apertos testes, vt dicimus in denunciatione euictionis. *glos.* verò *verbo, Illicò in l. Litigatoribus 14. C. de appell.* ita. Illicò antequam ad alia diuertat, *& glos. verbo, Is, in §. Recuperanda de interdict. in Inst.* ibi. Quod incontinenti accipe, antequam ad

ad alios actus extraneos diuertat, vt &c.

Præsumitur aliquid ex eo, quod incontinenti est, subsequutum, dixit *glos. verbo, Incontinenti, per tex. ibi in cap. Officij 38. de elect.*

Indicium.

DIcitur quia rem indicat, vt ait *glos. l. Indicia 16. C. de rei vendicat.* Sunt autem indicia minus quàm semiplena probatio vt dixit *glos. in l. Cùm probatio 7 ff. de probat.*

Debent autem probari per duos testes, vt probat *glos. verbo, Indicijs in l. vlt. C. famil. hercisc.* quæ reputatur singularis per *Bartol. & Paul. ibi vel indicijs*, dum tamen duobus testibus probetur, vt &c.

Indicia certa, quæ iure non respuuntur, non minorem probationis, quàm instrumenta continent fidem, inquit prædicta *l. Indicia 19. C. de rei vendic.*

Indiuiduum.

PRopter hoc, quòd non possum per me, possum per alium dixit *glos. vlt. in l. Si communem ff. quemadmodum seruitut. ammit.* per tex. ibi. Tamen propter pupillum ego retineo; ex ratione scilicet, de qua in princ. ibi. Quia indiuiduum est.

Idem in feudo, in quo ratione rei indiuisibilis licitum deprehenditur, quod aliàs non liceret: sicut aliàs licitè petitur in solidum, quod aliàs pro parte peti non posset, quia res est indiuisibilis, vt probat *glos. verbo, Subsistere in cap. E contrario de inuestit. de re alien. fact. Idem glos. 1. in cap. Vnico de fratr. de nou benef. inuest.*

Victoria vnius alijs proderit. Quisquis defendit, solidum debet restituere: quia diuisionem hæc res non recipit; sic dicit *l. loci corpus §. Si fundus ff. si seruit. vendic.*

Parte indiuidua irritata, totum irritatur, vt probat *glos. verbo, Manserunt ad fin. in l. Quemadmodum C. de agric. & censit. lib. 11.*

Circa indiuiduum sola inchoatio nihil operatur, vt dicit *glos. in l. Furiosum 9. C. qui testam. fac. poss. & glos. vlt. ibidem* sic. Nihil enim videtur facere, qui partem indiuidui facit, vt hic. Vnde in indiuiduis non procedit argumentum de toto ad partem; quoniam ad partem diuidi non potest. In his verò, quæ sunt diuidua, benè procedit, vt quod iuris est de toto quoad totum, idem de parte quoad partem, vt dixit *glos. verbo, Non posse in l. Per fundum 11. ff. de seruit. rustic.*

Induciæ.

ALiæ sunt, quæ dantur in bello, aliæ, quæ dantur in causis forensibus. De primis nota quod treugua, seu induciæ magis accedunt Guerræ, quàm paci; & quod de Guerra, & treugua idem est iudicium; Item quod tempore treugæ non est tutus accessus, ita dicit *glos. verbo, Vassalli in cap. Vassalli de pac. Constan.*

De secundis. Ad hoc dantur induciæ deliberatoriæ, vt intra illas deliberet, an cedat, vel contendat, vnde debebat consulere principalem dominum: ergo induciæ tales esse debebant, quòd possent illum requirere. Terminus enim semper est constituendus secūdum distantiam locorum, & negotij, & personarum qualitatem. Ex hoc patet quòd huiusmodi induciæ arbitrariæ sunt, aliæ verò induciæ, puta quæ dantur ad appellandum, non sunt arbitrariæ; ita ponit *glos. verbo Cedere in cap. Dilectus 11. de procur.*

An

An autem induciæ datæ à lege possint abbreuiari per iudicem? tradit *glos. verbo, Recissius tempus in cap. Cùm sit 5. de appell.* vbi pro, & contra allegat iura, & tu latius dicis supra verbo, *Dilatio*.

Indulgentia.

ALiud est indulgentia, aliud restitutio; hæc enim omninò in statum pristinum aliquem reducit, vt in *l. 1. ff. de postull.* Illa vero solam pœnam remittit, & infamia remanet, vt dixit *glos. verbo, Eximi ad fin. in d. l. 1.*

Aequissimum est dominorum vltioni non obstare indulgentiam ipsorum; quam quo quisque pleniorem est expertus, eo grauiorem sceleris sui pœnam merebitur, dixit *Iureconsult. in l. 3. §. vtrum in fin. ff. ad Sylaniam*.

Infamia.

TRibus modis hæc infertur, scilicet ipso iure, item per sententiam, item ex genere pœnæ; ita ponit *glos. vlt. in l. vlt. C. ex quib. cau. infam. irrog.*

Etiam dicitur infamia facti, quæ grauat opinionem, vt inquit *glos. verbo, Infamia, in cap. Ex literis 5. de furt.* De hac etiam loquitur *l. Palam §. vlt. ff. de rit. nupt.* ibi. Si deprehensa quidem sit, damnata autem non sit, notata erit? Ego puto & si absoluta sit post deprehensionem, adhuc tamē notam illi obesse debere, quia verum est eam in adulterio deprehēsam; quia factum lex, non sententia notat.

Non solum autem ea, quæ facit, verum ea quoque, quæ fecit, & facere desijt, lege notatur. Neque aboletur turpitudo, quæ postea intermissa est. Non est ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam elegit, dicit *l. Palam 43. ff. de rit. nupt.*

Infamis est qui contra promissionem, & contra sacramentum venit dicit *glos. verbo, Priuatos, in l. Quoties 17. Cod. de dignit. lib. 12. glos. verbo; Infamia in l. Si quis maior 41. Cod. de transact.*

Eius est infamia, qui facit iniuriam, vt dixit *Augustin. in cap. Inter cætera post medium 22. q. 4.*

Apud Romanos etiam vincere sine præcepto ducis infamiæ est dicebat Titus militibus suis, vt testatur *Ioseph. lib. 6. de bello Iudaic. cap. 5. num. 30.*

Infames consueuerunt fugere loca nationis suæ, dixit *glos. vnica in cap. Cum deputati 16. de iudic.*

Infames nō admittūtur ad dignitatem, vt dixisti verbo, *Dignitas*.

Statim vt infamis est miles esse desinit, quia iam non posset stare vbi Princeps, dixit *glos. 1. in l. Frustra, C. de re milit. lib. 12.*

Licet seruus possit fieri plus seruus, & excommunicatus plus excommunicari tamen infamis non plus infamari, dixit *glos. verbo Dubitatio est in l. Aut damnum 8. ff. de pæn.* probat etiam *gl. verbo Exilij in l. 2. C. vt intra cert. temp. crim. quæst. term.* ibi. Nota ergo quod infamis non potest plus infamari, & tex. sic. Et si persona vilior fuerit, cui damnum famæ non sit iniuria.

Propter delicta paucorum eum infamatum reputare nōn debet, cuius apud bonos, & graues læsa opinio non extitit, dicit Papa *in cap. Inquisitionis 21. §. vlt. in fin. de accusat.* vbi *glos. verbo, Paucorum* sic quærit. Sed quot appellabis paucos, vt non dicatur infamatus? Pauci dicuntur quadraginta &c. millia dicūtur pauci &c. Credo quod maior pars vicinia requiratur, quia fama loci requiritur, non fama aliquorum.

Ea, quæ pater in testamento suo increpans filios scripsit, infames quidem filios

liós iure non faciunt; sed apud bonos, & graues opinionẽ eius, qui patri displicuit, onerant; sic *l.14.Cod. ex quibus cau.infam.irrog.*

Infamis testis post pænitentiam an valeat? Vide verbo, *Pænitentia*.

Hoc ipso quod conceditur dignitas infami, videtur remitti infamia, vt dicit *gl. verbo, Penitus in l. Imperialis 23. vers. Similes verò, C.de nupt.*

Infamia non tollitur per veniam, sed pæna. Vide verbo, *Venia*.

Licet culpa per pænitentiam tollatur, infamia tamen non aboletur, dixit *glos. verbo, Sed dumtaxat in cap. Nisi cum 10 de renunt. & in cap. Eufemium 2.q.3* sic. Quamquam animas per pænitentiam saluare possimus, infamiam tamen abolere nõ possumus; vbi hoc dictum declaratur, *& glos. verbo, Volumus in cap. Cum te 22. de re iudic.* sic declarat. Hoc intelligi quando infamia fuit irrogata per iudicem laicum, quia si per Ecclesiasticum benè potest; *& glos. verbo, Infamia, in cap. si aduersus 11. de haret.* sic. Et ita potest Papa infamiam irrogare quoad forũ ciuile, quia & tollere eam potest. *Arg. supra qui filij sint legit. cap. Per venerabilem.*

Infinitas.

A Iure reprobatur, vt in *l. Non distinguemus §. Quæsitum ff. de recep. arbitr.* ibi. Ne finis non sit; & ibidem *glos. d. verbo, Non sit,* inquit. Vitanda est infinitas, vt hic, *& C. de sacros. Eccl. l. Finalis, & l. Fideicommissa 11. §. si quis decem, ff. de leg. 3.* ibi. Non enim onerandus est hæres, vt in infinitum quoties perdiderit, restituere ei tantundem debeat; *& in l.1. §. si cui, ff. vt legatorum nomin. cau.* ibi. Non eo pertinet &c. aut onerandus sit hæres in infinitum, vbi *glos.* sic. Nota de infinitate vitanda.

In gradibus tamen liberorum quando nõ exprimitur certus, in infinitum intelligitur, *vt in l.1. vers. Generaliter ff. de legat. præst.* ibi. Nec gradus liberorum, parentumue enumerauit. In infinitum igitur eis præstabitur.

Nec etiam quis in infinitum obligatus esse debet stipulatione, vt ait *l. Qui bona 13. §. vlt ff. de damn. infect.* vbi *glos.* notat vitandam esse infinitatem; procedit etiam in æstimatione libertatis, *vt in l. Procurator 8. §. vlt. ff. rem rat. haber.* ibi Quia æstimatio libertatis ad infinitum extenderetur.

Idem, & maiori cum ratione in vita procedit, *vt in l. Vt inter 19. Cod. de sacros. Eccles.* ibi. Ne videamur in infinitum hanc extendere longissimum hominũ tempus eligimus, & non aliter centum annorum, vbi notat glos. infinitatem vitari.

Idem in computatione pænarum, probat *l. Vnica, C. de sent. quæ pro eo*, ibi. Ne dum in infinitum computatio reducitur pro sua impossibilitate, cadat, cum sciamus esse naturę congruum eas tantummodo pænas exigi, quæ vel competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine conclusę statuuntur; vbi *glos. verbo, Non ex quibusdam* sic. Quę enim immensæ sunt cadunt, vt &c. & sic nota de infinitate vitanda, *& in Auth. de Eccles. rer. immob. alien. §. 1. coll. 5.* ibi. Quod effusum quidem, & immensum est remouentes, quod autem & optimum, & meritum subrogantes.

Et in cap. 2. de rescript. lib. 6. ibi. Cum in multis Iuris articulis infinitas reprobetur, vbi *glos. 1.* sic. Merito reprobatur infinitas, quia multitudo est Canonibus inimica; *& glos. verbo, Non est in l. Mutus 43. ff. de procur.* ibi. Vt euitetur infinitas *& glos. vl. in l. 77. ff. de contrah. empt.* ibi. Et sic nota infinitatem, vel nimietatẽ vitandam; probat etiam *gl. in l. Martius 61. ad fin. ff. locat.* ibi. Quia in infi-

in infinitum non debet obligari, nam infinitas euitatur.

Infinitas rei licitum, vel illicitum; nec iuuat, nec excludit, vt dixit *glos. verbo, Vsque in infinitum in cap. 2. de ijs qui feud. dar. poss. & glos. verbo, In infinitum in cap. similiter de l. Corradi*, ibi. Nota hic infinitas licitum, vel illicitum non vitiat, nec excusat, *Et in cap. Vnico, verbo, In infinitum de natur. successi. feud.*

Iurare autem in infinitum licet, inquit *l. 4. §. Deferre. ff. de in lit. iur. vbi glos.* inquit. Nota infinitatem amplectendam.

Si verba sunt apta ad infinitatem, tolleratur infinitas, vt dixit *Bart. per tex. ibi in l. Si ita 56. ff. de fideiuss.*

In litibus est odiosa infinitas, vt habes verbo, *Lis*.

Infirmitas.

PRælatus infirmus non repellitur, sed datur ei Coadiutor, & famuli ægri, quos curamus, nobis seruire intelliguntur, & tempore infirmitatis pascendi sunt, dixit *glos. verbo, Infirmitas, in in cap. Ad audientiam 15. de cleric. non resid.* Et reddit rationem ibi. Hoc ipso satis puniuntur, quia non debet dari afflictis afflictio. Non enim debet ei pæna in culpam verti &c. immo potius est miserandum, & compatiendum, nec duplici damno debet aliquis affici, tenet etiam *glos. verbo, Aegrotanti in cap. 1. de cleric. ægrot.*

Satius arbitramur quamlibet interim infirmitatem ad pænam peccati, quàm ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit, & compatiendum quàm puniendum, vel etiam aliquo modo feriendum, dicit *cap. Indicas 3. q. 9. & in l. Si cui 38. §. vlt. ff. ex quib. cau. maior.* ibi. Planè si in infirmitate impeditus continuare iter non potuit, habebitur ratio humanitatis, sicut haberi solet, & hyemis, & nauigationis, & cæterorum, quæ casu contingunt.

Litis timor comparatur timori infirmi, qui timet mortem probat *glos. verbo, Contractum in l. Quisquis 6. C. de postulan.* Iste namque timor facit habere religionis dilectionem, & dum cessat, cessat etiam amor prædictus, vt dixit *glos. in cap. 3. de renunc.* his versibus.

Dum fero langorem, fero Religionis amorem,
Expers langoris, non sum memor huius amoris.

Item si quis sanus aliàs, ac robustus tempore iudicandi leuissima febre correptus fuerit; aut si quis tam veterẽ quartanam habeat, vt in ea omnibus negotijs superesse soleat, poterit dici morbum non habere, vt dicit *l. Quæsitum 60. ff. de re iudic.* Non enim debet talem infirmitatem in alterius læsionem conuertere dixit *glos. verbo, Infirmitatem ff. ad l. Aquil.* loquens in terminis dictæ legis *Idem §. 1. ff. eod. tit.*

Alia est infirmitas, quæ culpæ adnumeratur, vt in *l. Idem 8. §. 1. ff. ad l. Aquil.* ibi. Nec videtur iniquum, si infirmitas culpæ adnumeretur; cum affectare quis non debeat in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam alij periculosam futuram.

Malorum mores infirmitas animi non excusat, dicit *l. 1. C. Si aduersus delictum, & in l. Iusto 44. §. Eum qui, ff. de vsucap.* ibi. Ne langor animi damnum etiam in bonis afferat.

Quid aliud animorum salus videtur, quàm probitas? Quid aliud ægritudo, quàm vitia? dicit *Boeth. lib. de consolatio.*

Ingenium.

NIhil aliud est nisi natura cuique ingenita, vt probat *Bened. de reb. Salomon. lib. 1. cap. 18. num. 1. in fin.* Istud verò acutius est in primis horis diei, vel post somnum, quando aliquis est recens, vt inquit *glos. verbo Indefessoin l. Vnica, C. de Iustinian. cod. confirm.*

Facilimè tenera conciliantur ingenia ad honesti, rectique amorem. Adhuc docilibus, leuiterq; corruptis inijcit manum veritas, si aduocatum idoneum nacta est, dixit *Senec. epist.* 109.

Et epist. 81. *idem Senec.* sic. Cogito mecum quàm multi corpora exerceant, quàm ingenia pauci, quantus ad spectaculum non fidele, & lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas solitudo.

Lectio alit ingenium, & studio fatigatum, non sine studio tamen reficit. Apes debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt; deinde quidquid attulere disponunt, ac per fauos digerunt; idem *Senec. epist.* 84. *aliàs* 85. Quem vide quæso. Vnde *Plin. 2. lib. 7. epist. 9. ad Fuscum*, ita dicit. Quemadmodum terra varijs, mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur.

Regalis ingenij mos est in præsentium contumeliam ammissa laudare, & his virtutem dare, vera dicendi, à quibus iam audiendi periculum non est, dixit *Senec. lib. 6. de benef. cap.* 32.

Ingratus, & contra.

INgratus est, qui beneficium reddit sine vsura, vt dixit *Senec. epist.* 82. Ingratitudo inimica est animæ, exanimatio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens, siccans fontem pietatis rorem misericordiæ, & fluenta gratiæ, vt ex D. Bernard. tradit *Basil. in quadragesim. tom. 4. fol. mihi* 40.

Qui festinat vtique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et vt breuiter dicam, qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet, qui inuitus debet, ingratus est, sic optimè, vt solet *Senec. lib 4. de benef. cap. vl. & idem cap.* 17. sic. Omnes ergo ingrati sunt tantum? & timidi omnes; illi in primis qui videntur audaces, adijce, & ambitiosi omnes sunt, & impij omnes.

At qui hoc ingrati est non esse contentum præfato tépore, dicit idem *Senec. lib. 5. de benef. c.* 17. Loquens de querela decedentium, qui breui tempore vixerunt.

Nemo si ingratus est, non miser erit, non differo illum, statim miser est, idem *Senec. d. epist.* 82.

Omnes autem stulti, & mali sunt; omnes ergo ingrati sunt; idem *Senec. lib. 5. de benef. cap.* 15.

Multos experimur ingratos, plures facimus, quia alias graues exprobatores, exactoresque sumus; aliàs leues, & quos pauló post muneris sui pæniteat; aliàs quæruli, & minima momenta calumniãtes gratiam corrumpimus omnes, num tantum postquam dedimus beneficia, sed etiam dum damus &c. gratus aduersus eum quisque esse potest, qui beneficium, aut superbè iniecit aut iratus impegit, aut fatigatus, vt molestia careret, dedit; errat si quis credit responsurum sibi, quem dilatione lassauit, expectatione torsit. Eodem animo beneficium debetur, quo datur, & ideo non est negligenter dandum, *Senec. lib. 1. de benef. cap. 1. & lib. 2. cap.* 1. sic. Ingratum est beneficium, quod diù inter manus dãtis hęsit, quod quis ægrè dimittere visus est, & sic dare tamquã si sibi raperet. Proximus est autem neganti, qui dubitauit nullamq;

meretur gratiam &c. Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit, quoniam &c. Nulla res carius constat, quàm quę precibus empta est.

Et denique ex eodem *Senec. lib. 3. de benef. cap.* 1. Ingratus est qui beneficium accepisse se negat; ingratus est qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium qui oblitus est. Illi enim, si non soluunt, tamen debent, & extat apud illos vestigium, & aliquando ad referendam gratiam conuerti ex aliqua causa possunt &c. hic numquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est.

De iure verò quando dicatur mater ingrata, vt non possit filij testamentum impugnare, vide verbo, *Mater*. vbi etiam quòd ob ingratitudinem non poterit mater reuocare donationem factam filio, si ad secundas conuolauerit nuptias, & ibidem quando poterit reuocare.

Ingrati liberi perdunt ius libertatis recuperandæ per emancipationem dicis verbo *Filius*.

Hæres non poterit ingratitudinem excitare, quam defunctus non inculauit, vt dicitur in *l. Omnimodo* 30. *C. de inoffic. testam.* ibi. Nam si nullam eorum, quasi ingratorum, fecerit mentionem non licebit eius hæredibus ingratos eos nominare, & huiusmodi quæstionem introducere.

Per ingratitudinem dicitur res perdita, & donator iniuria affici, vt in *l. vlt. C. de reuocan. donat.* ibi. Ne sit cuiquam licentia, & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris, & ipsum iterum donatorem, suasque res perdere, & præfatis malis ab ingrato donationis acceptore affici.

De illa tamen ingratitudine loquor, per quam beneficium ammittatur; non enim ad hoc sufficit omnis occasio, per quam fidelis accepti beneficij videtur ingratus, sed sunt quædam (vt ita dixerim) egregiæ ingratitudinis causæ, quibus beneficium secundum mores Curiarum solet adimi; ità inquit *cap. Vnicum in quib. cau. feud ammitt.* Si cupis eas videre, vide *tit. seq qua fuit prim. cau. benef. ammitt.*

Purgatur ingratitudo per ingressum Religionis, vt dixit *glos. verbo Ingratos in Auth. de Sanctiss. Episcop. §. Sponsalib. collat. 9.*

Et vt finem apponamus verbis de quibus agimus cum gratitudine, dixit *Senec. lib. 2. cap. 22.* Qui gratè beneficium accepit, primam eius pensionem soluit.

Inimicus.

Nota quòd dicitur quis duobus modis inimicus capitalis. Vno propter criminalem accusationem; altero quia ad mortem se oderunt; vt dicit *glos. verbo, De crimine in Auth. de testib. §. Si vero coll. 7.* Idem dicendum, si fuerit lis super omnibus bonis, vel eorum maiori parte, vt per *glos. verbo, Quæstiones in d. §. Si verò*, ibi. An sit causa de eius statu, quæ mortis accusationi assimilatur; item si de bonis, an de omnibus, vel maiori parte, vt &c. *& glos. verbo, Si capitales in §. Inimicitia de excusat. tutor. in Inst.* ibi. Capitales accipe, quia accusabat eum de aliquo crimine, quod ingerebat pœnam capitis, vel quod ingerebat pœnam sanguinis; vel insidiabatur vitæ ipsius. *Et glos. verbo, Inimicos in cap. Cum oporteat 19. de accusat.* sic. Illæ dicuntur graues inimicitiæ, quæ sunt de statu hominis, vel de bonis eius; *glos. 2. in l. Licet 16 ff. de recept. arbitr.* sic. Inimicitiæ capitales duobus modis sunt, siue quia ad mortem sibi minantur, siue de crimine capitali se accusant, vt &c.

Et non solum intelliguntur inter accusantem, & accusatum, sed etiam inter domesticos, & amicos accusatoris, & accusa-

cusati, vt notat *glos. in cap. De cætero, verbo, Aemulorum 2. q. 6. per text. in l. Sciendum §. 2 ff. de lenon.*

Vnde dicitur *in cap. Accusatoribus 3. q. 5.* ita. Accusatoribus inimicis, vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis morantur, aut suspecti sunt, non credatur, ne irati nocere cupiant, ne læsi se vlcisci velint.

Sicut amici adulantes peruertunt, sic inimici litigantes plerumque corrigunt, dixit *Augustin. lib. 9. Confess. cap. 8. num. 3.*

Non debet quis se credere suis capitalibus inimicis, dicit *cap. Accedens 4. vt lit. non contest.* Cùm enim habet inimicitias cautius debet custodire, dixit *glos. verbo, Inimicitias in l. Si merces 28. §. Culpæ ff. locat.*

Si aliquis habeat inimicum, & dubitet offendi ab illo, potest adire iudicem, & implorare officium eius, vt illum compellat ad prętandum ei securitatem de non offendendo; ita notauit *Apostil. ad tex. in l. 4. C. de ijs qui ad Eccles. confug.* cuius verba sunt. Nam si quis aliquid contra leges à quibusdam sibi existimet perpetrari, liceat ei adire iudicem, & legitimum postulare præsidium.

Non omnes inimicitiæ repellunt testem, nisi maximæ, dixit *glos. verbo, Nimis, in cap. Accedens 4. vt lit. non contest.* vbi idem in iudice, & maiori cum ratione; nam quid gratius, & amabilius dare quis inimico potest, quàm si ei ad impetendum commiserit, quem lædere fortè voluerit? vt inquit *tex. in cap. vlt 3. q. 5.*

Nullá pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris inimicus, & sic non est deterior pestis, quàm fictus amicus. Non odium grauius, quàm simulatus amor, dicit *glos. verbo, Hostis, in cap. Si inimicus 93. dist.* & ibidem in tex. ex Beato Petro ita dicitur. Et est multò nequior hostis hic, quàm illi, qui foris sunt, & euidenter inimici sunt; hic enim per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt gerit; *& glos. in l. Lata 27. C. de donat.* ibi sic notat de familiari inimico; quia nulla pestis &c.

Et publicæ vtilitatis interest, non ex inimicitia creationes fieri debere, sed æstimatione vera, & commodo reipublicæ, dicitur *in l. vnica, Cod. Si propter inimicit. creat. fact. fuer. lib.* 10.

Nemini Religioso parum esse debet inimicitias aliorũ non exercere, aut agere malè loquendo, nisi eas etiam extinguere facto bene loquendo, studuerit, dicit *cap. Iniustum 11. q. 3.*

Iniquitas.

De ea dicitur quòd omnia pręcipiat, vt dicit *glos. verbo Præcipitatione, in Clem. Pastoralis de sent. & re iudic. & glos. vlt. in cap. Non in perpetuum 24. q. 3.* ibi. Iniquitas enim omnia præcipitat; virtus autem lenta est, & omnium percunctatrix, & Origen. sic. Læta virtus cunctatrix ante iudicat, quàm incipiat quid decorum, quid honestum sit. Iniquitas autem omnia præcipitat.

Simulata æquitas duplex est iniquitas, quia malum facit, & abutitur bono ex *Diuo Gregor. tradit glos. verbo, Sanctitatis in Clem. 1. de religios. dom.* vbi etiam *Apostill. ex D. Augustin.* sic. Simulata humilitas est maior superbia.

Cui licentia iniquitatis eripitur, vtilius vincitur; quoniam nihil est infelicius fælicitate peccantium, qua pęnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut interior hostis, roboratur, dixit *Augustin. relatus in cap. Paratus prope fin. 23. q. 1.*

Quæ inuitus emptor accipere non cogeretur, iniquum esse non permitti venditori, dicit *l. Si vina 7. ff. de pericul. & commod. rei vend.*

Non

Non est verisimile quid iniquè præfectum prætorio facere, vt tradit *glos. verbo, Sine magni in Auth de appell. §. 1. coll. 4.*

Vnde potest deduci regula pro constitutis in dignitate, quod non præsumetur de illis quicquam iniquum agere.

Initium.

QVoniam principium potissima pars est cuiusque rei; inquit *glos. verbo, Et vilioris in cap. Sedes 15. de rescript.* Et benè vniuersa geruntur, si rei principium fiat decens, & amabile Deo, vt dicit *Auth. quomod. oport. Episcop. & Cleric. §. 1. coll. 1.* Ideò semper in principio in omnibus actionibus nostris curare debemus, quod ipsi Deo fuerit gratum, recta intentione peragere, vt processus sit facilior, vt probat *glos. verbo, Opinari in Auth. de consang. & vter. fratr. coll. 6.* Et à contrario vix bono peraguntur exitu, quæ malo sunt inchoata principio, *vt in cap. Miramur 61. dist.*

Vnde dicit *tex. in Auth. vt iudic. sin. quoquo suffragio §. 1. coll. 2.* Vno principio illicito dato, necesse est plurimas manus circumire, à quo deduxit *glos. verbo, Paratur in cap. Quibusdam 1. q. 1. & glos. verbo, Peruenerunt, in Extrauag. vnica de maio. & obed.* ibi. Quia ex vno malè initiato regimine mala multa sequuntur, nam ad vnum malum frequenter aliud sequitur.

Initia igitur sunt in potestate nostra, de euentu autem fortuna iudicat, vt dixit *Senec. lib. 2. epist. 14.* à quo habuit originem illud Hispanicum,

Los principios son del hombre,
Los fines de la fortuna.

Et ita cum in omnibus homo det principium, regulariter dici potest quod initium attenditur; & primò in contractibus pro regula ponit *glos. l. 1. §. Non solùm, ff. deposit.* ibi. Initium enim contractus spectandus est; *& in l. Si procuratorem 8. ff. mand.* ibi. Vniuscuiusque enim contractus initium spectandum esse, & causam; *vbi glos aliàs concord. & in l. Si id quod 19. §. Si filius ff. pro soc.* ibi. Initium enim in his contractibus inspiciendum est, *& in l. Si tamen 14. ff. ad Maced.* ibi. Initium contractus &c.

Cùm initio rectè emptio sit contracta, vix bonæ fidei iudicio conuenire eo pacto stari, quod alteri captiosum sit, inquit *l. Si id quod 7. in fin. ff. de rescind. vend.*

In possessione tradēda initiū etiā attendi dicitur *in l. Si aliena 10 ff. de vsucap.* ibi. Et obtinuit Sabini, & Cassij sententia traditionis initium esse spectandum; *& in l. Qui fundum 8 §. Si quis bona fide, ff. pro empt.* ibi. Cùm enim semel fuerit ammissa possessio, initium rursus recuperatæ possessionis spectari oportet; facit etiam *l. Cum hæres 11. ff. de diu. & temporal.* ibi. Nec enim rectè defendetur, cum exordium rei bonæ fidei ratio non tueatur; probat etiam *Apostill. in l. Si filius famil. 18 ff. de verbor. oblig.* ibi. Nota initium esse spectandum; *& in l. vlt. ff. de stipul. seru.* ibi. Potestas eius tunc, cùm id contraheret, nostra fieret; vbi *glos. verbo, Nostra,* sic; quia initium inspicitur in acquirendo; *& l. Clam possidere, ff. de acquir. possess.* ibi. Non enim ratio obtinendæ possessionis, sed origo nanciscendæ, exquirenda est, *& in l. 2. §. Si seruus, ff. pro empt.* ibi. Initium vsucapionis intueri debemus, sicut in emptis rebus placuit; *& in l. Si is qui 15. §. Si quis bona fide eod. tit.* ibi. Non vsucapiet, quia initium secundæ vsucapionis vitiosum est; *& glos. verbo, Effecto, in l. vlt. C. Si quis igno. rem. min.* ibi. Cùm initium sit inspiciendum in vsucapione,

ne, *& l. vnica ad fin. C. de vsucap. transform.* ibi. Ab initio eam bona fide capiat.

Et pro regula ponitur in *l. Nouissima* 19. *ff. de iudic.* ibi, In quibus tempus nominatim expressum non est, ad principium stipulationis refertur. Ait etiam *l.* 10. *ff. de act.* Quæcumque gerimus, cum ex nostro contractu origidem trahant, nisi ex nostra persona initium obligationis sumant, inanem nostrum actum efficiunt, & in *l. Quamquam* 4. *ff. de aqua pluu.* ibi. Fuit enim dominus, cùm opus faceret; *& ibidem glos. fuit*, sic; Nota initium esse spectandum.

In delictis etiam initium attendi, dicitur in *l. si quis* 7. *ff. de furt.* ibi. Quia origo furti in seruitute facti non fuerit manifesti; *& in l. Si ego tibi mandauero* 6. *ff quod vi aut clam* ibi. Et magis est etiam me teneri, qui initium rei præstiterim coniuncta *glos. verbo*, *Tunc in cap. Decreuit* 14. *de haret. lib.* 6. ibi. Vt sic inspiciatur initium &c. facit etiam *l. Qui cum natu* 14. *ff. de bon. lib.* ibi. Benignè erit dicendum ignosci ei debere, qui minor cæpit. Conducit etiam *tex. optimus in l.* 1. *§. Vlt. ff. commodat.* in illis verbis. Vsque adeo vt etiam si pubes factus dolum, aut culpam admiserit, hac actione non teneatur, quia ab initio non consistit.

Ex cuius textus ratione dixit *glos. verbo, Postmodum in cap. Cum bona* 8. *de atat. & qualit.* Loquens de suspensis, qui non possunt obtinere beneficia, licèt postea sint absoluti, cum tempore obtenti essent inhabiles; sic quia in talibus principium considerandum est. Et *glos. vlt. in cap. Ex litteris* 6. *de transact.* ita. Ergo licet postea tõsuram acceperit, non proficeret ei &c. principium enim in talibus considerandum est vbi namque principium deficit, nihil super ædificari potest, vt dicit *glos. vlt. post princ. in cap. Vnico de lit. con test.*

Non potest sequentibus actibus robur accipere, cuius principium ad alium finem captum fuit; secus si initium cum medijs, & fine concordat; sic summatur *l.* 4. *§. Si ab ignoto, ff. de manumiss.* Nec ex post facto poterit conualescere, quod ab initio non valebat, ait *cap. Auditis* 29. *de elect.* Licet *glos. in l. Si quis* 17. *ff. de rit. nupt.* dicat contrarium ibi. Quod enim ab initio non valet, ex post facto conualescit.

Nota quòd non valet negotium, cùm in eum casum deducitur, à quo incipere non potest, vt probat *glos. verbo, Sed si in l. Si res* 13. *ff. de iur. dot. & glos. l. Si à me* 11. *ff. de iudic.* sic. Quia in eum casum peruenit, à quo non possit incipere per tex. ibi. Quoniam nec ab initio inter nos potuit iudicium consistere, & maximè secundùm eorum opinionem, qui etiam ea, quæ rectè constiterint, resolui putant, cùm in eum casum reciderint, à quo non potuissent consistere; vt dicit *Iurisconsult. in l. Existimo* 98. *ff. de verbor. obligat. vbi notat glos.* regulam istam non esse veram generaliter; pro ea tamen regula facit *l. Si sub vna* 136. *§.* 1. *eod. tit. vbi glos. verbo, Euanescit*; agitur etiam de prædicta regula *in l. penult. §. Etsi placeat eod. tit.*

Origo rei non potest conferri in tempus, in quo debet extingui, sic summatur *l. Iulianus* 21. *ff. de iur. dot.* per verba illius tex. ibi. Aliud ab initio in id tempus, quo matrimonium futurum non fit. Qui enim ponit principium, totum supplere debet vsq; ad finem, vt inquit *glos. verbo, Militiæ, in cap.* 1. *de renunc.*

Quandoque finis trahit ad se principium, *vt inf. de adimen. legat. l.* 3. Quandoq; è contra principium trahit finem, vt infra *de legat.* 3. *l. Si quis in principio*, ita dicit *glos. vlt. in l. Qui Sella.* 7. *§. Vnico, ff. de seruitut rustic.*

Nihil refert verum ne ab initio sine causa, quid datũ sit, an causa propter quã

quid

quid datum est, sequuta non sit, inquit *l. 4. ff. de condict. sine caus.* vbi sic summat *Bart.* Paria sunt ab initio aliquid esse tale, vel ex postfacto deuenire ad tale, & facit *l. Item 20. §. 1. ff. de petit hared.* ibi. Nunc condemnandum, licet in initio nihil possedit. Idem procedit in materia de in rem verso iuxta *l. Sed Iulianus, §. Proinde ff. ad Macedonian.* ibi. Sed & si ab initio non sic accepit, verùm postea in rem patris vertit cessare &c. intelligendumque esse ab initio sic accepisse, vt in rem patris verteret.

Proinde nó originem iudicij spectandam, sed ipsam iudicati, veluti obligationem, ait *l. 3. §. Idem scribit, ff. de peculi.* vbi *glos.* sic. Nota originem non inspici in actione, super qua cœpit esse iudicium, vbi in contrarium arguit.

Etiam in materia donationis, de qua in *Auth. de nupt. §. Quia vero coll. 4.* non attenditur initium, vt dicit tex. ibi. In omnibus talibus non ab initio donationes, aut scriptura respicienda, sed qui vocatur euentus, considerandus est; probat etiam *l. In mortis 22. ff. de mort. cau. donat.* ibi. In mortis causa donationibus, non tempus donationis, sed mortis intuendum est. Sed hoc ideo, quia ista donatio non accipit vim, nisi de mortis tempore.

Cæterum quandoq; initium esse spectandum, quando finem, quandoque medium, inquit *glos. verbo, Ab initio in cap. 3. de cens.* & affert illud,

Cum media semper gaudebam ludere forma,
Maior enim medij gratia rebus inest.

Et ibidem affert Iura pro, & contra. Et denique quando principium, quando finis sit expectandus, vide *glos. in cap. Dudum 22. de elect.* vbi distinguitur.

Iniuria.

Generaliter dicitur omne, quod non iure fit. Specialiter aliàs contumelia, quæ à contemnendo dicta est, inquit *Imperator in princ. de iniur. in instit.*

Non puto autem nec verecundiæ, nec dignitati, nec pietati conuenire non iure facere, inquit *l. Creditores 7. ff. de vi priu.* & addit. Itaque omne, quod non iure fit, iniuria dicitur.

De hoc etiam dicit *l. Si per imprudentiam 51. ff. de euict.* sic. Iniuria enim, quæ emptori fit, authorem non potest contingere, & *in cap. Nonnulli 28. de rescript.* ibi. Cùm autem per iudicium iniurijs aditus patere non debeat, quas Iuris obseruantia interdicit, vbi *glos.* sic Quia non debent inde nasci iniuriæ, vnde Iura oriuntur idem *in cap. Qualiter, & quando 18. de accusat.* ibi. Ne inde nascantur iniuriæ, vnde iura nascuntur; & in *l. Meminerint C. vnd. vi.* ibi. Ne inde iniuriarum nascatur occasio, vnde iura nascuntur.

Non videtur iniuriam facere, qui vtitur iure suo, dicitur *in cap. Cum Ecclesia Vulterana 13. de elect.* vbi *glos. verbo, Iniuriam* reddit rationem dicens. Quia & si noceat alij, ita vt auferat ei consueta commoda, dum tamen non faciat animo nocendi, non dicitur facere iniuriam.

Iuris etiam executio non habet iniuriam, dicit *l. Iniuriarum 13 ff. de iniur.* Non enim Legislator iniuriam fieri patitur, vt dicit *Imperator in l. Ius postliminij 14. C. de capt. & postlim.* Quin potius tenetur iniuriarum, qui contra ius sciens vtitur iniusta consuetudine, vt dicit *glos. verbo, Vsurpatum in l. Iniuriarum ff. de iniur.*

Nota quòd petitio damnorum super diminutione patrimonij competit; actio

verò

verò iniuriarum datur ad vindictam, ideo vna non impedit aliam, ita dicit *glos. verbo, De damnis in cap. Si Canonici 2. de offic. ordin. lib. 6.*

Volenti non fit iniuria, vt dicitur *in l. In diem 9. ff. de aqu. pluu.* ibi. Ne dominus ignorans iniuriam accippiat; nullam enim potest videri iniuriam accipere, qui semel voluerit, *& in l. 1. §. vsq; adeo ff. de iniur.* ibi. Quia nulla iniuria est, quæ in volentem fit.

Quilibet etiam minor potest prosequi iniuriam Ecclesiæ suæ, ne trahatur in peiorem statum, licet aliàs coniuncta persona repellatur, si agat contra voluntatem eorum, sed hic nō est ita, quia quilibet agere tenetur pro Ecclesia; ita dicit *glos. verbo, Per exceptionem in cap. Cùm olim 34. de testib.*

Illatam iniuriam Ecclesiæ Papa non potest remittere de Iure communi, vt inquit *glos. verbo, Iniuriam in Extrauag. vnica ne sede vac.* Quod videtur intelligendum de iniuria, quatenus contumelia, non verò de qua vsque modo agimus.

De iniuria vero, quatenus dicitur contumelia, sic ait *Augustin. in cap. inter cætera post med. 22. q. 4.* Iniuria quippe iniustè irrogata eius est infamia, qui facit.

Si quis putauerit nostra nomina lacessanda, si hoc ex leuitate contemnendum est, si ab insania, miseratione dignum, si ab iniuria remittendum; portat hæc Imperatoris verba *glos. 2. in cap. 1. de maledic.*

Iniuria ex affectu fit, damnum ex culpa, ait *l. Qui seruum 33. ff. de act. & oblig.*

Quod in religionem diuinam committitur, in omnium infertur iniuriam, inquit *l. Manichaos C. de hæretic.*

Atrox iniuria dicitur, quæ fit Sacerdoti, vide verbo, *Sacerdos*.

Crescit etiam contumelia ex persona eius, qui iniuriam facit, dicit *l. Sed si vnius 17. post princip. ff. de iniur.* Et tantò maior est iniuria, quantò à pluribus admissa est, vt inquit *l. Si plures 34. ff de iniur.*

Iniuriam facit iudici is, qui dat pecuniam alicui, vt faciat ferre sententiam ad sui fauorem, vt inquit *glos. vlt.* ibi. Et per hoc de iniuria, quam iudici fecisse videntur, damnati videntur, in *l. Qui explicandi C. de accusat.*

Maior committitur iniuria, quę fit in domo iniuriati, vt probat *gl. verbo, Sciens in cap. 1. quib. mod. feud. ammitt.* & videtur tex. in *§. Sed & lex, de iniur. in institut.* ibi. Vel domum suam vi introitam esse:

Si fortè cadaueri defuncti fit iniuria, cui hæredes, bonorumue possessores extitimus; iniuriarū nostro nomine actionem habebimus, spectat enim ad existimationem nostram, si que iniuria ei fiat, idemque est, & si fama eius, cui hæredes extitimus, lacessatur, dicit *l. 1. ad fin. ff. de iniur.*

Non interest ipso patrono an filio eius fiat iniuria, ait *l. Nec filio 4 ff. de natal. restit.* Patronus autem potest facere Liberto suo iniuriam, & eius vxori, vt habes verbo, *Aduocatus*.

Iniuriandi non datur licentia aduocatis, nisi quantum exposcit litium vtilitas vt dicis verbo, *Dominus*.

Iniuriarum actio datur aduersus eos, qui aliquid diminuendę alterius opinionis causa confecerint, vt habes verbo *Opinio*.

Nota quod etiam quis mihi bonum faciendo, facit mihi iniuriam, vt dixit *glos. per tex. ibi in l. si seruus 27. §. Et si puerum* quis castrauerit, & pretiosiorem fecerit, *ff. ad l. Aquiliam*.

Quis dicetur suorum iniuriam prosequi? Certè qui prosequitur iniuriam, pro quibus testimonium dicere non potest, qui sunt vsque ad septimum gradum; ita dicit *glos. verbo, Suorum in l. Si fæmina C. ad Turpil.*

Tueri quis Ius suum debet, non verò iniu-

vt extat constitutum in aliquibus Regnis, & Prouincijs, & non simpliciter ad petitionem cuiuslibet concedi debet inquisitio; vidi namq; in casu concedi inquisitionem similem, & fuerunt factæ graues expensæ, damna, & extorsiones iniustæ, nec crimen aliquod extabat, & tamen ille, qui inquisitionem prædictam impetrauit, fuit admissus sine cautione, & postea quæ relati, seu inquisiti, innoxij reperti sunt, & expensas, damna, vexationes, tormenta, & vincula experti, non potuerunt eorum satisfactionem recuperare.

Plerumque in sermone copiosa est egestas humanæ intelligentiæ, quia plus loquitur inquisitio, quàm inuentio; & longior est impetratione petitio, & operosior est manus pulsans, quàm sumens, dixit *Augustin. lib. 12. confess. cap. 1.*

Glos. vlt. in cap. Sicut 25. de accusat. Loquens de inquisitoribus qui testes interrogant sic dicit. Et istis inquisitoribus minus creditur, quàm alijs officialibus, quia alijs creditur quam diù contrarium probetur.

Intellectus.

BOnus nec commodatur, nec emitur, & puto si venalis esset non haberet emptorem, vt aliàs dixisti ex *Senec. ep. 27. ad fin.* Verissima quidem sententia, omnes namque præsumunt habere intellectum, vt potiùs de eo possint venditionem celebrare, quàm emptionem, licet aliàs illo totaliter careant, & ità videmus quotidie

Quædam sunt, quæ melius possunt intellectu percipi, quàm electione exprimi, vt dixit *glos. penult per tex. in cap. Apostolicæ 9.* ibi. Quod quidem magis potest ex ostensione facti, quàm expressione alicuius statuti cognosci de donat. Idem *glos. vlt. cap. vlt. de Sacramen. non iterand.* vbi alia iura.

Intellectus infirmitas non debet damnum in bonis afferre, vt dixit *Iurisconsult. in l. Iusto 44. §. Eum qui, ff de vsucap.* ibi. Ne languor animi damnum etiam in bonis afferat.

Vitiosus intellectus tacitus non subauditur, inquit *glos. verbo, Vt non, in l. Titia 134. §. Idem respondi ff. de verbor. oblig.*

Qui non intellexit, si tamen debuit intelligere, tenetur, vt dixit *glos. vlt. in l. Quod te 5. ff. si cert. petat. per tex.* ibi. Sed cum quæritur an per te stetit, animaduerti debebit non solum si in potestate tua fuerit id, necne, aut dolo malo feceris, quominus esset, vel fuerit, necne. Sed etiam si aliqua iusta causa sit, propter quam intelligere deberes, te dare oportere. Tu tamen reperies infinitos, qui perspicaci intellectu concipiunt, conspiciuntque, & firmiter resoluunt sibi dari debere, dare autem numquam.

Intentio.

HAnc simplicem vtriusque Deus considerat, duplicitatis autem tam ex parte recipientis, quam ex parte præstantis, & verborum aspernatur, & odit, vt dicitur in *cap. Qui peierare 22. q. 5. & in cap. Cum cõtingat 24. de rescrip.* sic. Cæterum in his omnibus puram, & prouidam te conuenit habere intentionem.

Intentio præ omnibus attenditur, siue in contractibus, siue in vltimis voluntatibus, vt per iura, quæ *glos. verbo, Nec intentio, in Extrauag. 3. de verbor. signif.* Et in mandato dicit *glos. vlt. in cap. Mandatum 38. de rescript* ibi. Item intentio mandantis consideranda est &c.

Per verba intentio exprimitur, dicit *glos. verbo, intentio, in cap. Petitio 9 de procur.* vbi in princip. ità ait. Sic patet

quòd

quod quamuis verba generalia, siue dubia ponantur in instrumentis procurationis, recurrendum est ad intentionem constituentis. Sic etiam de priuileg. &c. & in rescriptis, & in beneficijs conferendis &c. Et illa est causa, quia verba debent deseruire intentioni, & non intentio verbis.

Intentio vbi fuerit dubia, seu ambigua, quomodo interpretetur? Vide Interpretatio.

Interdictum.

VEl est Ecclesiasticum, vel Ciuile, de quo multi extant tituli, in eo iure, vt vnde vi, quorum bonorum, quorum legatorum, & alia, vt in suis titulis, digestis, & Codice.

De primo loquitur *tex. in cap. Si sententia 16. de sent. excomm. lib. 6.* ita. Cùm verò alicuius terræ populus interdicto nodatur, singulares ex eo personę, quasi interdictas esse constat (ne sententia effectu careat, cum diuinorum auditio, & Sacramentorum perceptio, populo, vt vniuersis non competat) non debent alicubi &c. audire diuina.

Debet autem sententia interdicti rationabiliter ferri, vt dicitur in *cap. 3. de offic. ordin.* ibi. Interdicti, vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit, vbi *glos. d. verbo. Rationabiliter*, sic ait. Quod semper præsumitur, donec contrarium probetur, & seruanda est à subditis siue iusta, siue non, vt de excommunicatione dixisti.

Honestius est personas potius quàm Ecclesias interdicere, non enim Ecclesiæ delinquunt, sed personæ, & Ecclesia pro delicto alicuius interdici nõ debet, sed ille, qui deliquit, puniatur; non enim qui non peccauerunt debent puniri, nisi ille, qui deliquit, sit dominus loci, quia tunc propter delictum eius terra supponitur interdicto; ita dicit *glos. 1. in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maior. part. Capituli.*

In cap. Petistis 20. in fin. de priuil. sequentia verba inuenies. Ne videantur de alieno fletu ridere vos in pænam præsuntionis eorum quamdiù ipsi violauerint interdictum, de nostra licentia celebretis, vbi glos. in fin. sic.

Me non impugnet, qui me defendere debet.

Quam plura mala pariat interdictum refert *Extrauag. 2. de sent. excomm. inter commun.* dicens. Prouide attendentes, quod vt frequentius, quamuis non sine causa, sine culpa tamen multorum interdicti sententiæ proferuntur. Quoque sunt nonnulli iudices nimis prompti ad proferendas easdem, etiam in negotijs, siue causis, quæ interdum plus ex cupiditatis, quàm qualitatis radice perspicuis indicijs procedere arguuntur. Quodque interdicti tempore diuina organa suspenduntur, & laudes, nec ecclesiastica sacramenta ministrantur, vt solent; tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia, præsertim per oblationem frequentem hostię salutaris; adolescentes, & paruuli participantes rarius sacramenta minus inflammantur, & solidantur in fide; fidelium tepescit deuotio, hæreses pullulant, & multiplicantur pericula animarum.

Vnde non debet ferri interdicti sententia nisi, vt dictum est, cum magna rationabili, & vrgenti causa. Sublatio verò eius non cùm magna, & si expresè qui protulerit sibi non retinuerit talis interdicti sublationem, videbitur eam Ordinario permisisse, vt inquit *glos. verbo, Ab excommunicatione in Extrauag. Vnica de torneament.* ibi. Sublationem ergo interdicti sibi nõ retinuit, quare Ordinario eam permisisse videtur.

De

De interdictis vero Ciuilibus extat *l. Communi 7. §. Inter verſ. Iulianus ff. comm.diuid.quæ ita dicit.* Placuit etiam poſt annum in eum, qui vi deiecit interdictum, reddi. De eodem interdicto. Vnde vi dicit *gl. verbo, Complices, in cap. Ex parte 15.de for.compet.* Quod tenetur quis eo, ſiue fecit, ſiue complices eius, ipſius mandato, ſiue etiam ratum habuerit. De alijs, ſi vis, vide in prædictis titulis, ff.C.& Inſt.

Intereſſe.

HOc dicitur vel circa rem, vt puta, ſubtraxiſti inſtrumenta, quibus poſſeſſio Eccleſiæ firmatur, vel alterius, teneris aliud damnum, quod contingit propter abſentiam inſtrumentorum. Quoddam dicitur intereſſe extra rem, puta, debui tibi frumentum, & quia non dedi ſuo tempore familia tua fame perit; ita ponit, & probat per iura, quę ibi *gloſ.verbo Damnorum in cap.In noſtra 8.de iniur.*

Intereſſe in tantum competit, in quantum mea interfuit, ideſt quantum mihi abeſt, quantumque lucrari potui, dicit *l. ſi commiſſa 13.ff.rem rat. hab.* Ex quibus verbis dicit ibi *Bald.in Apoſtil.* allegatus ſic definiri poſſe intereſſe.

Ex omni ſtipulatione facti, tacitè intereſſe ſtipulari videor, niſi fiat vt dicit, & probat *gl.verbo, Dari, in l.ſtipulationes 72.ff.de verbor. oblig.* quam ibidem dicit ſingularem Apoſtill. Et ſic intereſſe poteſt conſequi actor, ſi petijt fieri, & ſi non faceret, petijt intereſſe, vt dixiſti verbo, Factum.

In ſtipulationibus, quæ quanti ea res eſt, promiſsionem habent commodius certam ſummam comprehendere, quoniam plerumque difficilis probatio eſt, quanti cuiuſque interſit, vt inquit *l.vlt. ff.de prætor.ſtipul.*

In materia autem actionis furti intereſſe intelligitur, quando agitur de damno vitando, non verò de lucro captando, vt dicitur *in l.Si is cui 73.§.vntco ff. de furt.* ibi. Quia furti agere poteſt is, cuius intereſt rem non ſurripi. Intereſſe autem eius videtur qui damnum paſſurus eſt, non eius, qui lucrum facturus eſſet.

Notabilis *gloſ.verbo, Iurauerit, in l.Semper 15.§.In hoc interdicto ff.quod vi, aut clam,* dum dicit ſic. Argumentum quod actor non habeat neceſſe probare intereſſe ſuum, quòd petit, ſed tantum Sacramento habet illud declarare &c. Et hoc accipe quando pro dolo, ſecus ſi pro culpa, quia tunc legitimè eſt probandum, verba autem tex.ſunt. Sed quod interfuerit, aut per iuſiurandum, quod in litem actor iurauerit, aut ſi iurare non poſsit, iudicis officio ęſtimandum eſt. *Et gloſ. verbo, Per teſtes in cap.vlt.de ijs, quæ vi* : ita. Et ſic intereſſe, quod ſurgit ex maleficio probatur iuſiurandum; ſecus eſt ſi ſurgit ex contractu, quia tunc per teſtes probandum eſt. *Et in cap. Dilecti, verbo, Expenſis de for.comp.* ſic. Intereſſe verò aliundè veniens per teſtes probandum eſt. Et paulò ſupra ita. Quia difficilè eſt probare intereſſe &c. & iudex hoc intereſſe requirere debet per ſuam ſubtilitatem, de qua materia ſcilicet damni, & intereſſe dari propter violentiam. Vide verbo, Impenſæ, & verbo, Damnum.

Intereſſe pro fructu computari, quia aliàs æſtimari non poteſt, dicit *gloſ. verbo, Non prohiberi in l.Loci corpus §.1.ff. Si ſeruit.vendic.*

In emptione ſi venditor tacuit, quæ declarare debebat, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præſtaturum ei, dicit *l. Iulianus 14.ff.de act. empt.*& ibi *gloſ. verbo, Interfuit,* ſic. Venit enim intereſſe in hac actione, vt &c. Sed hic venit etiam id, quod extra rem, vt hic di-

dicit, quia propter mendacium interesse est præstandum, vt probat *glos. vlt. in d. l. Iulian. ad fin. per tex. in l. 1. §. 1. ff. de eo per quem fact. er.*

Non continet pretium tantum, sed omne, quod interest emptoris seruum non euinci, planè si in tantum pretium excessisse pròponas, vt non sit cogitatum à venditore de tanta summa &c. qui minimo pretio venijt, iniquum videtur in magnam quantitatem obligari venditorem, cum & forte idem mediocrium facultatum sit; non vltra duplũ periculum subire eum oporteat, dicit *l. Titius 44. in fin. cum lege sequenti ff. de act. empt.*

Cæterum bono viro non conuenire credere venditoris interesse, quod animo sæuientis satisfactum non fuisset, ait *l. Si venditor 6. ff. de seru. expor.*

In locatione autem dicit *l. si fundus 36. ad fin. ff locat.* sic. Nam & si colonus tuus fundo frui à te, aut ab alio prohibeatur, quem tu prohiberi, ne id faciat, possis, tantum ei præstabis, quanti eius interfuit frui, in quo etiam lucrum eius continebitur. Sin verò &c. propter vim maiorem, aut potentiam eius nõ poteris, nihil amplius ei, quàm mercedẽ remittere, aut reddere debes.

Interpellatio.

NOn esse necessariam interpellationẽ dicit *glos. verbo, Si conditio in l. Libertis, § 1. ff de aliment. legat. per l. Magnam, C. de contrah. & comm. stipul.* ex ratione, de qua ibi. Quia dies certa interpellat.

Per interpellationem extraiudicialem mora non incurritur, vt dicit *Apostill. per tex. in l. Cum postulassem 44. ff de damn. infect.* Sed intelligitur, secundum *Bart.* in his, quæ solùm per officium iudicis possunt conueniri, verba autem d. tex. inuenies verbo; *Mora*.

Ille dicitur interpellatus, qui facit vt non interpelletur, notat *Apostill. in l. 1. §. Quid sit ff Quod vi, aut clam* dicens illum tex. esse singularem, cuius verba sunt. Eum quoque vim facere, qui cum sciret se prohibendum, per vim monitus est, ne prohiberi possit.

Interpretatio.

IN contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficijs quoque plenissima est interpretatio adhibenda, inquit *cap. Cum dilecti 6. de donat.* idem per eadem verba *glos. vnica in l. Princeps 21. ff. de verb. signif & in cap. Quia circa 22. de priuil.* ita. Ac in beneficijs plenissima sit interpretatio adhibenda.

Et potius interpretãda est res, vt valeat, quàm vt pereat dixit *glos. verbo, Cùm noluerit, in cap. Cum super 23. de offic. deleg.*

Sic etiam facienda est interpretatio, vt nulli sit morosa, & secundùm ius, item secundùm quòd minus est captiosa, vt dicit *glos verbo, Iuri communi. in cap. Cum dilectus de consuetud. & glos. vlt. in cap. Cum olim eod. tit.* ibi. Item quod in obscuris semper interpretatio debet fieri, vt nulli sit captiosa; vnde si talis fuerit, & dura, aut seuera, non admittenda, vt dicit *Iureconsultus in l. 2. ff. de custod. reor.* ibi. Sed hæc interpretatio prædura, & omnium seuera est; Si verò fuerit fortuita, vel excogitata admitti poterit, vt inquit *l. Omnes C. de præscript. trig.* ibi, vel à fortuita, vel excogitata interpretatione, vbi *glos.* reddit rationem, scilicet quia fortuito quandoque quis benè dicit.

Si quis intentione ambigua, vel oratione vsus sit, id quod ei vtilius est, accipiendum est, dicit *l. 66. ff. de iudic. vbi glos.* sic. Et nota quod ei permittitur interpretari, qui dicit in iudicio; idem in Principe &c. idem in prætore.

Inca-

In casu autem *cap. 2. de elect. glos. verbo, Corrumpi*, dicit sic. Nota hìc dubia in deteriorem partem interpretari &c. Argumentum contra *cap. Estote de regul. Iur.* ibi. Hoc loco nihil aliud præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur, & respondet dicta *glos. Ideo in d. cap. 2.* interpretari in deteriorem partē, quia frequentius laici faciunt id de quo in eo agitur, & Iura ad ea, quæ frequentius eueniunt, adaptantur.

Eius est interpretari, cuius est condere. Dicas quod hoç habet locum, cum verba ambigua sunt, & obscura, quia tunc eius est interpretari, vbi vero aperta sunt, potest iudex dicere. Non obstat priuilegium, ità *ponit glos. vlt. in cap. Cum venissent 12. de iudic.* Pro prima regula facit *cap. vlt. de concesi. preb. lib. 6.* ibi, Vt vnde præfatæ constitutionis reuocatoriæ processit editio, interpretatio eius quoque procedat; idē *Apostill. per tex. in l. In pratorijs 9. ff. de prætor. stip.* ibi. Eius est interpretari, cuius est condere, tex. verò sic ait. In prætorijs stipulationibus si ambiguus sermo acciderit, prætoris erit interpretatio, eius etenim mens æstimanda est.

Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cuiusque capit interpretationem, dicit *l. Capienda 129. ff. de reg. Iur. vbi glos.* ponit exemplum in legato de re aliena facto, quod præsumitur ex affectione testatoris circa legatarium sciuisse alienam.

Interpretatio iuris, & æquitatis soli Principi licet, vt habes verbo, *Princeps*; vtrum autem liceat etiam cōsuetudini? est *glos. verbo, Nobis solis in l. 1. C. de legib.* sic. Sed non ne consuetudo potest interpretari &c: Et præterea nonne Senatus potest interpretari? Distingue: quædam est interpretatio generalis, & in scriptis redigenda, & ista soli Imperatori competit; quædam est generalis, & necessaria, & in scriptis non redigenda, quæ compətit consuetudini.

De interpretatione voluntatis defuncti, & iurium, vide verbo *Imperator*.

Cum manifestissimus est sensus, testatoris, verborum interpretatio nusquam tantum valeat, vt melior sensu existat, dixit *Imperator Iustinian. in l. 2. C. de liber. præt.*

Ne honesta interpretatio non honesto quæstu possessori faciat, inquit *l Si possessor 55. ff. de petit. hared.*

Munus & officium boni interpretis est sic se gerere, vt qui lecturus est sic intelligat, quod legit, quemodo ipse exponens intelligit, vt inquit *Thad. super Esai. cap. 23 fol. mihi 430. D.*

Interpretes an dicantur testes, vel ne. Dic breuiter quod non, sed potius expositores dicuntur, vt inquit *Apostill. in l. 1. §. Eadem ff. de verb. obligat.* ad text. ibi. Siue per verum interpretem.

Interrogatus.

QVædam interrogationes faciendæ sunt ante litis contestationem quæ non debent omitti. Ante litis contestationem reus debet interrogari an possideat rem, quæ petitur ab eo. & pro qua parte, vel si desijt dolo possidere? Et si quis respondeat se non possidere, cum ipse possideat, si actor hoc probauerit, res auferenda est illi, & dari actori, quamuis non probat rem suam esse; hæc interrogatio omitti non debet, ne iudicium delusorium sit, inquit *glos. verbo, Responsionibus, in cap. Cum causam de iuram calumn.* Et prosequitur sic. Et aliæ interrogationes plures faciendæ sunt; puta an sit hæres; vel quota ex parte sit hæres, & an in potestate seruum habeat, cuius nomine no-

ne noxali iudicio agitur? Item an quadrupes, quæ damnum dedit, sit eius? Item an ex testamento sit hæres. Item an ædes sit sua, ex qua damnum timetur &c. Item quod respondeat, cuius ætatis sit reus, si de ea dubitetur &c. Item quandoque & ante litis contestationem, & post litis contestationem vbicumque æquitas mouet iudicem debet interrogare &c. pars ad interrogationem aduersarij respondere non cogitur, tamen si responderit, tenet responsio &c. Et certum debet respondere.

Sed non semper cogitur dicere, credo, vel non credo, quia potest dicere dubito, vt dicit *glos. verbo, Dubitas, per tex. ibi in l. Siquidem 6. C. de except.*

Nihil interest neget quis, an taceat interrogatus, an obscurè respondeat vt incertum dimittat interrogatorem, dicit *l. de ætate §. Nihil ff. de interrog. act.*

Institutus.

DE suis proprijs bonis non potest grauari, sed de bonis tantum testantis, dicit *glos. verbo, Tenebuntur, in l. Cohæredi 41. §. 1. ff. de vulgar. per tex.* ibi. Nec fideicommisso propriæ facultates filij tenebuntur.

Ius institutionis, & substitutionis est potentius iure accrescendi, probat *glos. verbo, Patris in l. Qui patri 59. ff. de acquir. hæred.*

Instrumentum.

HOc duobus modis potest sumi, vel prout est instrumentum rerum, siue, prout aliàs dicitur, scriptura. Primo modo, instrumentum est apparatus rerum diutius permansurarum, sine quibus non potest exerceri possesio, vt *ff. de fund. instruct. l. Quæsitum 1. respon.* Et sunt instrumenta fundi, quæ fructus quærendi, cogendo seruandi gratia comparata sunt, vt *ff. de fund. instr. l. Instrumenta in princ.* ita tradit *glos. verbo, Instrumento, in §. Si quis ancillas de legat. in inst.*

Instrumentum autem cuiusque rei necesse est alterius generis esse, dicit *l. vlt. ff. de fund. instr.*

De secundo autem quatenus instrumentum est, scriptura, aut publicum dicitur, aut priuatum, de vtroque ait *glos. verbo, Authentica; in cap. 2. de fide instrum.* ita. Instrumenta publica perpetua firmitate nituntur ad damnum, & commodum vtriusq; partis &c. Priuata vero ab aduersario scripta, ita quod constet, vel à quocumque dummodo partium, vel testium subscriptione fulcita sint, in actione personali robur obtinent firmitatis &c. In reali verò instrumentorum manu publica confectum præponitur tali instrumento priuato, nisi priuatum habeat trium, vel amplius subscriptionem testium &c. Priuata verò instrumenta valent in præiudicium eorum, qui illa subscribunt, ad commodum verò eorum minimè.

Debet autem instrumentum cõtinere nomen Imperatoris, & annũ eius, & Consulis, Indictionem anni, mẽsem, & diem iuxta *Auth. vt præpon. nom. Imp. coll. 5. vbi glos. verbo, Actore*, inquit. De consuetudine apponendum annum Dominicę Incarnationis sub pæna nullitatis. In instrumentis verò priuatis obligationis realis nõ requiritur dies, nec Consul, vt notat *Apostill. ad glos. verbo, Consule in l. 2. §. Idem labeo, ff. de aqu. pluu. arcen.* Et circa appositionem diei, & loci. Vide etiam verbo, *Dies*.

Appellatione instrumentorum non continentur scripturæ priuatæ, vt dixit *Apostill. ad glos. 1. C. de iur. iur. propter calumniam, quæ glos.* sic ait. Litteras dic priuatas, instrumentum publicum,

cum, & prædicta Apostill. reddit rationem, quia ibi ponuntur, vt diuersa, & probat hoc argumento dicens, quod si datur terminus ad producẽdum instrumentum, post terminum poterunt produci scripturæ priuatæ.

Nota quòd instrumenta fieri possunt in chartis rasis, vt dicit *glos. in l. Charta per tex. ibi ff. de bonor. possess secund. tab.*

In instrumentis præsumuntur omnia esse solemniter acta; sed in hoc est differentia, quòd si in instrumentis tabellionũ non exprimitur causa, non præsumitur pro ipso instrumento. Aliàs autem qui allegat solemnitatem, siue circa sententiam, siue circa instrumentum, ipsam probet; & licet per verba instrumentorum non appareant instrumenta solemniter acta, possunt probari per testes, vt dicit *glos. penult. post med. in cap. Sicut 16. de re iudic.*

Quot signa sunt plura in chartis, tantò cautiora sunt instrumenta, vt dicit *glos. verbo, Ipsis ad fin. in Auth. de tabell. §. 1. coll. 4.*

Instrumentum vicem habet duorum testium, vt probat *glos. verbo, Esse credendum, in l. Antiqua 23. C. ad Vellean.* Est enim eadem vis in instrumẽtorum, & testium, vt per *glos. verbo, Testationem, in l. Falsam, C. si ex fals. instrum.* & ibidem etiam altera *glos. verbo, Fidem*, ibi. Testium; nam & ipsi instrumenta dicuntur.

Quinimo testes pręferuntur instrumento, & merito, quia potius credendum est viuæ voci, quàm mortuæ, vt dicit *glos. in cap. Tertio loco, verbo, Testium, de probat.* vbi contra arguit dicens. Quod fides instrumentorum pręualet testibus; tu eam videas.

Ego vero inuenio *tex. in cap. Cùm Ioannes 10. de fid. instrum.* sic dicentem. Quia & si eandem vim obtineant instrumentorum fides, & depositiones testium in litibus exercendis; non tamen quod libet instrumentum tantĩ debet esse momenti, vt trium, vel plurium idoneorum testium depositionibus præseferatur *& in cap. Peruenit 4. de testib. cogen.* ęquiparantur testes instrumentis, vt ibi. Instrumenta quorum appellatione testes continentur.

Creditur instrumento producto ex Archiuio publico, etiam si subscriptionem non habeat, vt dicit *glos. verbo, Per libros, in cap. Cùm causam 13. de probat. & in cap. Ad audientiam 13. de præscrip. verbo, Censualem*, ibi. Et instrumento producto de Archiuio publico creditur, vide etiam alia verbo, *Scriptura*.

Si instrumentum est commune pluribus, mos est, vt sit apud digniorem, & præbeat ille alijs copiam authẽtici instrumenti ad scribendum, vt testatur *glos. verbo, Morem in l. Procurator 7. C. de edend.*

Instrumentum, quod quis approbat pro se, tenetur recipere contra se vt dixit *glos. per tex. ibi in cap. Cum olim 19. de cens.*

Vetustate consumptis instrumentis nulla fides adhibetur, dicit *glos. verbo, Duximus innouanda, in cap. Cùm dilecta 4. de confirm. vtil.* & ponit argumentum contra dicens, quod instrumentis vetustate consumptis, vel à muribus rosis sic adhibenda fides. In hoc videtur bonum consilium, quod ponit *glos. verbo, Reparare per tex. ibi in Auth. de hæred. & falcid. §. 1.* ibi. Argumentum pro instrumentis antiquis, & ferè consumptis, vt possint, & debeant renouari, & ego vidi ita fieri aliquoties.

Si quis in aliquo documento alterius faciat mentionem documenti, nullam ex hac memoria fieri exactionem, nisi aliud documentum, cuius memoria in secundo facta est, proferatur, aut alia, secundùm leges probatio exhibeatur, quia & quantitas, cuius memoria facta est,

est, pro veritate debetur, sic inquit *Auth. vt sponsalitia larg. §. Et hoc insuper col. 9. à quo deducta fuit Auth si quis, de edend.*

Instrumenta emptionis non probant fines plebatus, vel plebium, vel Curiarum, dicit *glos. verbo, Emptionis in l. Pradijs 89. §. Titio, ff. de legat. 3.*

Instrumentorum lectio non recitantem, sed quem tenor scripturæ designat, adiuuat, inquit *l. Ad probationem 21, C. de probat.*

Si esset dubitatio in instrumento recurretur ad imbreuiaturam, quæ protocollum dicitur. Hodie autem hoc nō est in vsu, sed vel in quaterno, vel prorsus alia charta fiunt huiusmodi rogationes, vt dicit *glos. verbo, Protocollum in Auth. de tabel. §. Illud quoque coll. 4.* Et si in instrumentis aliquid defuit, potest per testes probari, vt notauit *Apostill. ad glos. in l. 1. C. de vsur.*

Ad emptionis probationem non est indicijs alijs opus; sed instrumentorum furtum monstrare sufficit, vt inquit *l. Si de possessione 20. C. de probat. vbi glos. vlt.* intelligit furtum ab aduersario factum, & ibidem *Apostill.* addit sic. Quo casu si potest probare instrumentum esse subtractum, licèt testes non deponant de eius tenore statur iuramento perdentis.

In instrumentis ab eadem parte productis sibi contradicentibus eorum nulli fides adhibetur, vt dixit *glos. verbo, Contraria in Auth. de test. §. Et licet coll. 7.* In testibus verò contrarijs creditur veraciori, vt ibidem tex. probat.

Instrumentum, quod vacillat per duos testes contra illud indirectè disponentes, an valeat? vide verbo, *Scriptura*. Et quibus testibus impugnetur, vide verbo, *Testis*.

Falsorum instrumentorum sententia vsque ad viginti annos valet retractari veritate comperta, inquit *cap. Cum venerabilis 6. de except.*

Nota quod instrumentum dicitur reprobatum eo ipso, quod cum iudici ostenditur contrarium, iudicat, vt dicit *gl. verbo, Reprobasse in cap. Suborta. 21. de re iudic.*

Instrumento superlineato, vel rasurato fides non debet dari, sic disponente *tex. in cap. Cùm venerabilis 7. de relig. domib.* ibi. Instrumento prædicto nullam fidem penitus adhibendam propter superlinearem scripturam, & rasuram in loco suspecto factam, vbi videlicet annotatio temporis recensetur &c. inualidum esse cognouimus, vt potè, propter prædicta, de iure suspectum; vbi *glos. verbo, Annotatio temporis*, sic. Idem esset in Indictione, in qua citius comprehenditur falsitas, & *glos. vlt. in fin.* addit sic. Item hoc ipso quòd instrumentum falsatum fuit, sufficiebat ad imponendum ei silentium.

Nota quod instrumentum non est totum vitiosum ratione partis; alij contra vt dicit *glos. verbo, Firmis ad fin. in l. Si ex falsa 42. C. de transact.* tex. verò videtur probare primam conclusionem, dum dicit. Illa tantummodo causa, vel pars retractetur, quæ ex falso instrumento composita, conuicta fuerit, alijs capitulis firmis manentibus.

Restitutio instrumentorum est signum renunciationis, secus si restituat pignus, inquit *glos. vlt. in cap. 2. de consuetud.*

Inuentarium.

MOdum, illud faciendi inuenies in *l. Scimus 22. C. de iur. deliber.*

In inuentario pro fisco faciendo scribi debet qualitas fundi, an sit sterilis, vel fertilis, iuxta *l. Si quis C. de bonor. proscrip.* ibi. Et quod sit ruris ingenium, vbi notat glos.

Si quis in inuentario scripserit quid contra se creditur, vt in *l.vlt. C.arbitr. tutel.* Sin autem inuentario publicè facto &c. & ipse per huiusmodi scripturam confessus fuerit ampliorem quantitatem substantię; non esse aliud inspiciendum, nisi hoc, quod inscripserit &c. neque enim sic homo simplex, imó magis stultus inuenitur, vt in publico inuĕtario scribi cŏtra se aliquid patiatur.

Negligens tutor in conficiendo inuentario suspectus habetur, vt in *l.vlt.§.vlt. C.arbitr.tutel.* ibi. Scituris tutoribus, & curatoribus, quod si inuentarium facere neglexerint, & quasi suspecti &c. vbi *glos.verbo, Suspecti,* dicit sic. Violenta est hæc præsumptio.

Non faciens inuentarium, falcidiam non deducit, vt in *Auth.de hered. & falcid. §.Hinc nobis vers.si verò,* ibi. Sed dabit ei pœnam exactio suæ malignitatis, cur transcenderit leges, ex quibus cautè omnia agens, nihil poterit damnificari; sed ex diuerso etiam, quæ sunt ex falcidia lege lucrari.

Inuentarium prohibetur fieri de rebus mobilibus, & semouentibus, quando agitur de succedendo in bonis decurionum, iuxta *l.2.C.Quando.& quibus quar. pars deb.* ex ratione de qua ibi. Quid enim tam durum, tamque inhumanum est, quàm publicatione, pompaque rerum familiarium, & paupertis detegi vilitatem, & inuidiæ exponere diuitias?

Inuidia.

INter pares, vel quasi regnat, vt inquit *glos.verbo,Teneri,In l.Si eis 14.§.Eum qui ff.quod met.cau.* ideo crebrius ĭnter fratres, & consanguineos inuenitur, vt probatum est verbo, *Frater*. Vnde dixit *Ioseph.lib.5.de antiq.cap.5.nu.10.* de *Saule* Rege nouiter electo, sic. De regno tantùm tacuit, ne ea res, vel credita inuidiam, vel non credita vanitatis opinionem contraheret; quamuis enim & amicus esset, & cognatus, tutius tamen, ac consultius arbitratus est silentium reputans credo humanæ naturæ infirmitatem, quod nemo constans in amore, sed etiam si manifesto diuino suffragio felicitas contingat, tamen alios sibi præferri iniquè, & inuidè ferunt. *Et de bello Iudaic.lib.1. cap.3.nu. 3.* sic. Omnem beneuolentiam, iusq; naturæ cedere, nullamque optimatum affectionem tantum valere, vt inuidiæ perpetuò possit obsistere.

Non potest quisquam & inuidere, & gratias agere, quia inuidere querentis est & mæsti; gratias agere gaudentis, dixit *Senec.lib.3.de benefic.cap.3.*

Inuidia, idest excellentia, vnde inuidia sæpè nascitur, dixit *glos.verbo, Inuidia, in cap. Quoniam vetus 24. q. 1.* vbi ad propositum tradit, quòd cum duo certarent de electione, & vnus allegaret de nobilitate alterius, alius ex aduerso respondit. Piscatori Petro fabri filio successorem quærimus, non Augusto.

Inuitus.

NOn solùm ille dicitur, qui contradicit; verùm etiam, qui non consentit, vt in *l.In eo Iure 45.ff.de rit.nup.* ibi. Inuitum accipere debemus eum, qui non cónsentit, nec se ab ignorante diuerterit, rectiùs enim hic inuitus dicitur, quàm qui dissentit, & *ind.4.ff.de seruit. vrban.* ibi. Inuitum autem in seruitutibus accipere debemus, non solùm qui contradicit, sed & qui non consentit. *Et in l.Fil.fam.8.ad fin ff de procur.* ibi. Inuitum accipere debemus non eum tantùm, qui contradicit, verũ etiam quoq; qui consensisse non probatur, vbi dicto verbo, non probatur sic ait. Nota taciturnitatem consensui

non

non comparari, sic & in seruitute imponenda &c. Item in furto &c. Item in eo, qui impedire non potest, & in eo, qui erubescit loqui &c. Item in eo qui scit ius suum durare, & ibidem iura in contrarium conciliat.

Nemo inuitus cogitur vendere, vt in *l penult. C. de contrah. empt.* ibi. Quia grauis videtur iniuria, quæ inani honestatis colore velatur, vt homines de rebus suis aliquid cogantur inuiti &c. Vnusquisque suo arbitratu quærere, vel probare possit emptorem; nisi lex specialiter quasdam personas hoc facere prohibuerit. Non enim æquum est inuitum suo pretio res suas vendere, vt dicit *l. 9. ff. rer. amot.* & facit etiã *l. Nec emere C. de iur. deliber. & l. Nec quasi 70 ff. de rei vendicat.* ibi. Ne in potestate cuiusque sit per rapinam ab inuito domino rem iniusto pretio comparare. Aliquando tamen iusto prætio cogitur quis vendere vt in *l. Si quis 12 ff. de religios. & sumpt. funer. vbi glos. verbo Compellere*, alia iura allegat; & Romæ multoties hoc fit vigore Bullæ, quæ dicitur de iure congrui.

Quæ inuitus emptor accipere non cogeretur, iniquum esse non permitti venditori, inquit *l. Si vina 7. ff. de peric. & commod.*

Iniquum est procuratorem cogi iudiciũ accipere, propter quod suspectus videri potest, qui præsente domino non obtulerit pecuniam dicit *l. Si reus 73. ff. de procurat.*

Qui ignorantibus potest, etiam inuitis potest, vt infert *glos. vlt. in l. Arbitrum 44. ff famil. herciss.* per tex. ibi. Igitur & præsentibus cæteris, & inuitis, poterit, vel vnus arbitrum poscere; & facit etiam *glos. vlt. in l. Hæredi 31. per tex.* ibi. Reliquæ partes accrescunt &c. licet hæres ignoret *ff. de acquir. hared.* Verba autem *d. glos.* sunt. Ignoranti ergo accrescit, nam cùm etiam inuito, ergo & ignoranti.

Tamen *glos. in l. Inuito 70 ff. de reg. iur.* inquit. Inuitus nemo gaudebit. Et inuiti possunt trahi ad bonum, vt ex multis probat *Augustin. relatus in cap. Displicet tibi cum sequentibus 23. q 4.*

Et sic ei inuito fit bonum, inquit *glos. verbo, Acquiescit in l. Non tantum 6. de appellat.* vbi Appellatio admittitur à quocumque interposita pro condemnato ad supplicium, etiam eo inuito; & serui inuiti libertatem consequuntur, vt inquit *glos. verbo, Nemini in l. vlt. C. de testam. manum.* emancipatio autem non datur inuito, vt per prædictã *glos.* Nam in his, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis non posse quid fieri altero inuito, siue redigatur filius, siue eximatur inuitus, dixit, *glos. verbo, Non est in Auth. quib. mod. natur. effic. sui, §. Illud tamen, coll. 7.* Aliàs generaliter inuitus quis cogitur ad magistratum, vt dicit *glos. verbo, Nolentes in l. vlt. C. de silentiar. & decur. lib. 12.*

Da operam ne quid vnquam inuitus facias, quidquid necesse futurum est. Repugnanti, non volenti necessitas est, in volente necessitas non est. Ita dico qui imperia libens excipit, partem acerbissimam effugit seruitutis, facere quod nolit. Non qui iussus aliquid facit miser est, sed qui inuitus facit. *Senec. epist. 62.* Cui addo illud *Augustin. lib. 1. confess. cap. 12.* vbi. Nemo inuitus benè facit, etiam si bonum est, quod facit.

Ira.

IVstitiam Dei non operatur: quia qui iratus est in aliquem, & sententiam profert, & si ille quantum ad se iustam reportet sententiam, iste tamen, qui non amore iustitiæ, sed liuore odij in eum sententiam dedit, iustitiam Dei (in quam perturbatio non cadit) non immittatur, vt dicitur in *cap. Episcop.* pra-

*praebit.in fin.*11.*q.*3.& etiam quia iratus nunquam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter parum, & nimium, & Caton.

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Curandum quoque est ne ira quemquam subrepat, faciatque citius, quod non licet, dixit *Damasus Papa in cap.Relatum in fin.*5. *q.*2. & consonant verba *cap.Illa* 11.*q.*3.ibi. Illa præpositorum solicitudo vtilis est. Illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vendicat; restringenda potestas sub ratione est, nec quid agendum prius quàm concitata ad tranquillitatem mens redeat; nam commotionis tempore iustum putat omne quod fecerit.

Ira sæpè etiam innocentes ad crimen adducit, quia dum iustò amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora committimus, vt dicitur in *cap.Ira* 15.*q.*3.

Iracundi celeriter irascuntur, & quibus non oportet, & pro quibus non oportet, & magis quam oportet, sed citò desistunt, quod in ipsis opportunum est, vt dixit *Aristot.*4.*Ethicor.*7. Si quis verò est, qui pro quibus oportet, non irascitur, videtur nec sentire, nec dolere, nec resistere; seruile verò est passim contumelias perferre, & suos negligere, dicit idem *Arist.* & subijcit. Qui pro quibus oportet, & quando, & quanto tempore oportet irascitur, mansuetus est, & laudandus; ira ergo aliquando virtus est, & laudabilis, & non irasci in vitio reponitur, & probat Psalmista. Irascimini, & nolite peccare.

Satius est post tunicam relinquere pallium, quàm pro seruandis rebus transitorijs tam acriter in alios exardescere, inquit *cap.suscepimus* 10.*de homicid. vbi Abb.inquit;* Non licere Ecclesiasticis personis occidere pro bonis, & *glos.* 2. sic. Clericus verò sua defendendo, non debet armis resistere, nec aliquem propter res interficere, vide etiam *glos. verbo Bonis in cap.Dilecto* 6.*de sent.excomm.lib.*6.

Quidquid calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quàm perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse, dicit *l.*49 *ff.de reg.iu.* & *l.*3.*ff.de diuert.vbi glos.* hic. Iracundia excusat à culpa &c. Item minuit delictum &c. Item contractum rescindit, vbi ponit argumenta in contrarium, & *glos.verbo, Calore, in cap. penult. de conuers. coniug.* reddit rationem dicens, quia inconsultus calor calumniæ vitio caret &c. Tempore enim furoris iustum putat esse quod facit &c Et hoc verum est, nisi post calorem consentiat.

Irenarchæ, qui ad Prouinciarum tutelam quietis, & pacis per singula territoria faciunt stare concordiam à decurionibus iudicio præsidum Prouinciarum idonei nominentur; inquit *l.vnica, C.de Irenarch. lib.*10. Dicuntur autem Irenarchæ quasi arcentes iram; quia iræ sumendæ in turbatores publicę quietis & pacis gerunt monarchiam. Apud Lusitanos in aliquibus Ciuitatibus à decurionibus constituitur quidam publicanus, qui curam istam gerit, & condemnare facit in pœnis istos perturbatores quietis, & iracundos, & dicitur vulgari vocabulo Prendeiro das brauas, hoc est publicanus, seu arrendatarius super iracundis. Cur autem vtantur Lusitani nomine fœmineo, scilicet brauas, & non masculino, videtur quia fœminæ sint magis iracundæ.

Irregularitas.

AD eam incurrendam requiritur voluntas; & actus, vel quod fit data opera rei illicitæ, vt deducitur ex *cap.*

Di-

Dilectus 13. *de homicid.* ibi. Cum idem capellanus, nec voluntate, nec actu homicidium perpatrauit, nec dedit opem illicitæ rei, vbi *glos. verbo, Nec actu*, sic dicit. Qui tamen solus non sufficit, vt reddat hominem irregularem, nisi adsit voluntas, vel culpa &c. nisi scandalum aliud induceret, vt ibi. In promouendo tamen secus est; quia solo actu redditur irregularis &c. *& Ioann. Andreas ibidem in Apostill.* ita ait. Non video quod differant promouendus, & promotus quoad irregularitatem prouenientem ex actu. Mihi tamen videtur quód differant, saltem ad facilius impetrandam dispensationem, nam facilius dispensatur promotus ab irregularitate, quàm promouendus, vt experientia accipimus.

Nota ergo quod solum scandalum reddit hominem irregularem, vt prędicta *glos.* supra, & ita tenet *altera glos. verbo, Scandalum in cap. Ex litteris* 14. *eod. tit. de homicid.*

Propter metum quod quis possit esse causa, vt procedatur ad pænam sanguinis, non debet quis non conqueri de suis malefactoribus, vt dicitur *in cap.* 2. *de homic. lib.* 6. in hæc verba. Alioquin si Prælati, aut Clerici propter metum huiusmodi (quia iudex ad pęnam sanguinis posset procedere de suis malefactoribus, taliter conqueri non auderent daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi.

Irregularitas an tollatur per ingressum Religionis, vide verbo Religio.

Iter.

NOn tam necessariam refectionem itinerum, quàm riuorum esse, dicit *l. vlt. ff. de riu.* & reddit rationem sic. Quoniã nõ refectis riuis omnis vsus aquæ auferretur, & homines fite necarētur; & sanè aqua peruenire nisi refecto riuo non potest; at non refecto itinere difficultas tantum eundi, agendique fit, quæ temporibus æstiuis leuior est.

Refectionem itineris, & pontium agnoscit Ecclesia propter communem Reipublicæ necessitatem, in qua etiam Ecclesiæ continentur. Idem & in gabella plaustrorum, quæ soluitur ad portam, quia illud soluitur, eò quod plaustra destruunt Ciuitates, & vias, & oportet quòd quotidie reficiantur viæ, vt dicit *glos. verbo, Munitionibus in cap. Nos Romanorum, de pac. Constan.*

Ratione commoditatis, & ne detur detrimentum vicino potest quis cogi vendere iter, vt notauit *glos. verbo, Compellere, in l. Si quis* 12. *ff. de religios. & sumpt. fun. per tex.* ibi. Præses etiam compellere debet iusto prætio iter ei præstare, ita tamen vt iudex de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum.

Ratione longinqui itineris, & ne quis detrimentum rei familiaris sustineat, aut Curiæ suæ desit, exactor in scriptis remittet ad Curiam quid exactum, quidue non habeat, vt dicitur in *l. Apparitores C. de exact. tribut. lib.* 10. ibi. Ne longinqui itineris diuersitate susceptor adductus, & Curiæ suæ desijt, & rei familiaris detrimenta sustineat.

Post sententiam definitiuam non sufficit iter arreptum, nisi viua voce appelletur, quia ibi est opus facto, alias iter arreptum nihil operaretur, nisi quis incontinenti appellet viua voce, & aliud ante sententiam, quam post dicit *glos. verbo, Facto, in cap. Dilecti* 52. *de appellat.* vbi agitur de materia appellationis per itineris arreptionem.

Iteratum.

NOn monstratur esse, quod nescitur esse factum, dicit *cap Solemnitates ad fin. de consecr. dist. 4. & in cap. Cum itaque ead.* ibi. Quoniam non potest in iterationis crimen venire quod omnino factum esse nescitur.

In Sacramentis non est aliquid iterãdum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum, dicit *cap. 1. de Sacram. non iteran.*

Iteratio auget pœnam, vt inquit *glos. in l. 1. ff. de iur. patr.*

Iterum non debet quis compelli redire ad exactum onus, vt dicit *l. 52. C. de eur. lib. 10.* sic. Quis tam inueniri iniquus arbiter rerum potest, qui in Vrbibus magnifico statu præditis, ac votiua Curialium numerositate locupletibus ad iterationem quemquam transacti oneris compellat?

Iudex.

DIctus quasi Ius dicens populo, siue quod iure disceptet. Iure autem disceptare, est iustè iudicare. Non est ergo iudex, si non est in eo iustitia, dicit *cap. Forus 10. de verbor. signif.* Dum igitur in iudice consistit nostrum Apolecta, ratio exigit quòd de iudice latiùs quàm de omnibus, in hoc opere tractemus, & ideo ne mireris, si tam copiosè, vt infra loquimur.

Per quam necessarium est iudices esse, satis, per se patet, dixit *Pompon. in l. 2. vers. Post originem ff. de orig. iud.* ibi. Per eos, qui iuri dicendo præsunt, effectus rei perducitur. Parum est enim ius in Ciuitate esse, nisi sint qui iura reddere possint, & refert *glos. verbo, Constituti, in cap. 1. §. Homicidium de pac. tenen.*

Iudicis officium latissimè patet, vt in *l. 1. ff. de iurisdict. omn. iudic.* Quædam ergo sunt, in quibus officium iudicis imploratur, potest enim iudex supplere de iure quæ aduocatis desunt. Item interrogare debet quoties æquitas eũ mouet, etiam post in causa conclusum. Item locum habet officium iudicis in omnibus, quæ contingunt post litem contestatam circa rem petitam, vt in fructibus perceptis post litis contestationem, siue damnum detur in causa, ea enim, quæ post litem contestatam accidunt, valdè pertinent ad officium iudicis. Vndè omnia, quæ contingunt ante litem contestatam, petuntur officio iudicis, & non iure actionis. Illa vero, quæ contingunt ante litem contestatam, specialiter debent peti in libello, & nisi fuerint petita, iudex de illis non pronunciabit. Et in multis alijs locum habet iudicis officium, vt omnia prædicta ponit *glos. verbo, Iudicis officium in cap. 2. de offic. iudic.* & infrà in specie de magis notabilibus dicemus.

Glos. verò *in l. Si deposita 4. C. depos. verbo, Exceptione* reducit iudicis officium ad triplex, sic. Vnum, quod principaliter intenditur, per quod restitutiones petuntur, vt &c. & aliud, quod inhæret arbitrarijs, & hoc perit pereunte actione principali vt &c. Est tertium, quod inhæret actionibus bonæ fidei.

Ad officium non debet iudex aduehi per dona, vel munera sicut dicitur in *Auth. vt Iudi. sine quoquo suffrag. §. 1. coll. 2.* ibi. Quomodo enim valerent collatores; cùm ex aliquo tempore Imperatores semper lucrari ex prouentu iudicum cogitarent, & merito hos sequerentur etiam gloriosissimi præfecti ex hac iniustitia, & damnis extrinsecus illatis &c. Si præsides gentium quicumque &c. puris procuraremus manibus, & ab omni abstinere acceptatione pro illis &c. Et ipsi sine mercede per-

percipiant nihil omnino dantes. Quoniam qui aurum dat, & ita administrationem emit, non dat hoc solum quantum occasione ad inuentum est suffragiorum, sed & aliud extrinsecus addit amplius occasione commodi &c. & sic vno principio illicito dato plurimas necesse est manus circumire eum, qui donationem facit &c. & ita iurabant non accepturos, nec daturos quicquã vt in *Auth. Ius iurandum quod praestatur ab ijs qui administr. accip. & in §. Illud videlicet, vers. oportet iuxta fin.* ibi. Dedignantes imitari eos, qui ante nos impetrauerunt, qui pecunijs ordinabant administrationes, sibimetipsis auferẽtes licentiam administratoribus nocentibus increpandi iustè, & ipsi ea, quae percipiebant, celando iusti putati, & proprios collatores propter hoc abripere à malis iudicibus non valentes.

Et sicut sine suffragio accepit administrationem sic eam puris custodire manibus Deo, & nobis pro ea redditurus rationem dicit *d. Authentic. vt Iud. sin. quoquo suffragio, §. Sic igitur, & in §. Si quis autem*, ibi. Puras enim exigimus esse Prouincialibus Iudicibus manus, *& in Auth. de mandatis principum §. 1. vers. Oportet coll. 3.* Vnde illud quod gratis accepistis &c.

Postquam autem est in iudicem constitutus iuramentum prestat, & de eo sic ait. *l. Non nouam, C. de iudic.* attendentes ad sacras scripturas, & Dei praesentia consecrati ex maiori praesidio lites dirimant, sciturj, quod non magis alios iudicant, quam ipsi iudicantur: Cum etiam ipsis magis, quam partibus terribile iudicium est. Siquidem litigatores sub hominibus; ipsi autem Deo inspectore adhibitas causas proferunt trutinandas.

Ad iudicem pertinet indeuotos, & egentes necessitate cum omni exigere fortitudine in nullo flexos: Deuotis autem paternè se exhibere: Deinde nostros subiectos reseruare vndique sine violentia nihil ab vllo illorum percipientes, sed aequi sint in iudicijs, aequi vero in publicis disciplinis exequentes quoque delicta, innoxios quidem vndique custodientes: Eos qui puri sunt: reis autem poenam imponentes secundum legem, & ita praesidentes tamquam patres filijs diligentes eos, qui sunt innocentes, vt ita dicitur *in d. Auth. vt Iudices sine quoque suffr. §. Eos autem*.

Caueant iudices, & prudenter attendant in causarum processibus nil vendicet odium, vel fauor vsurpet, timor exulet praemium, aut expectatio praemij iustitiam non euertat, sed stateram gestent in manibus lances appendant aequo libramine inquit *cap. 1. de sent. & re iudic. vbi glos.* ponit versus quibus haec quatuor comprehenduntur.

> *Quatuor ista timor odium, dilectio census*
> *Saepè solent rectos hominum peruertere sensus.*

Hos etiam portat *glos. verbo: amore, in Clem. 1. de barat.* vbi text. sic. Omni carnali amore odio vel timore, aut cuiuslibet commodi temporalis affectione summotis.

Omnes Iudices à pecunijs, ac patrimonijs manus abstineant, nec alienum iurgium putent suam praedam, inquit *l. 3. C. ad l. Iul. repetund.* Et quod nullum munus accipiant habes verbo *Munus*, vbi solum esculenta, & poculenta, & expensas moderatas, si extra suum domicilium proficiscantur, possunt recipere. Et in *Auth. de Quaestore post medium, vers. Maximè coll. 6.* ibi. Puris manibus omnia agere, & administratores habere non sordidos, nec turpi acceptione paratos, sed purè, & liberè ministrare.

Non licet iudici vendere iustum iudiciũ, & si liceat aduocato vendere iustum patrocinium, & Iurisconsulto rectum consilium, vt inquit *Augustin. in cap. Non licet* 11.*q*.3. Oportet enim fine lucri, & dignitatis respectu iudicare, & iustitiam omnibus alijs rebus anteponere; hæc enim iniuria in Dei contumeliam recidit, quasi verò is infirmior sit habendus, quàm illi, quorum potentia metu præter ius fertur calculus. Nam Dei potentia est iustitia; ergo qui in magnatum gratiam præuaricatur, potentiores illos, quàm Deum facit, vt inquit *Ioseph. de antiq. lib.* 4. *cap*.8. *fol. mihi* 104.*lin*.10.

Bonis malè vtuntur, qui pro temporali lucro iustè iudicant, tales quippe ad veritatem, non iustitiæ defensio, sed amor præmij prouocat; quibus si spes nummi subtrahitur, confestim à iustitiæ veritate recedunt. Acceptio nummorum præuaricatio veritatis est. Vnde & pro iusto dicitur qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. Sic dicitur in *cap. Qui rectè iudicat*, & præmium remunerationis expectat, fraudem perpetrat in Deum, quia iustitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit 11.*q*.3.

Propterea enim iudices gratis facimus, & iusiurandum eos subire, vt vnicuique interpellanti iustitiam seruent, secundum nostras leges, dicit *Imper. in Auth. vt diffin. iud. §.* 1. *iuxta fin. coll*. 9.

Iudici fit iniuria per oblationem pecunię ad sententiam proferendam, vt dixisti verbo, *Iniuria*, Doni verò causa permittitur accipere, vt dixit *glos. verbo, Ab ijs in l. Lex Iulia, ff. ad l. Iul repetund.* nam, vt inquit *Vlpian. in l. Solent* 6. *de offic. pro Consul.* Non in totum xenijs abstinere debebit, sed modum adijcere, vt nec morosus se in totum abstineat, nec auarè modum xeniorum excedat &c. Nam valdè inhumanum est à nemine accipere, sed passim vilissimum, & omnia auarissimum.

Si vero iudices se furtis, & sceleribus fuerint maculasse conuicti ablatis insignibus, & honore exuti inter pessimos quoque, & plebeos habeantur, nec sibi posthac de eo honore blandiantur quo se ipsos indignos iudicauerunt, vt in *l. Iudices* 12. *C. de dignit. lib.* 12. *& in l.* 3 *C. de offic. praefect. prat.* sic. Si quos iudices, vel propter aduersam, vel longam valetudinem, vel propter negligentiam, aut furtum, vel simile aliquod vitium sublimitas tua inutiles esse repererit, ijs ab administratione remotis &c.

Ex quibus iuribus satis colligitur quòd iudicare est honor, & dicit *glos. verbo, Aliud in cap.* 3. *de procurat. lib.* 6. ibi. Quod iudicare licet sit onus, tamen est honor; procurare verò est onus tantum, & vile officium, *& glos. verbo, Probari, iuxta fin. in cap. Si contra* 4. *de offic. delegat. in* 6. ibi. Sed non ne honor est iudicem esse? vbi Apostill. respondet; sic. Et quod in dubio iudex non præsumitur se pronunciaturum iudicem, dum verè iudex non est.

Debet esse iudex amator iustitiæ, vt dicis verbo, *Iustitia*, & duos sales habere debet, vnum sapientiæ, ne sit insipidus, alterum rectæ conscientię, ne sit *Diabolus*, vt tradit *Iason in l. Rem non nouam* 12. *C. de iudic. vbi glos. in casus positione, ex Bald. in l.* 2. *coll. vlt. C. de sent. ex breuil. reci.* Peritus enim debet esse, nec quærere debet ab alijs, quid eum loqui oporteat. Tamen si illiteratus sit, & habeat consuetudinem causarum, siue peritiam iudicandi, potest ei causa committi, vt inquit *glos. verbo, Impedimento, in cap. Sciscitatus* 13. *de rescript.*

In

In Auth. de iudicib. in princ. coll. 6. sic dicitur. Non enim existimauimus oportere habere iudicum quorumdam nomina, maxime legum ineruditorum; deinde nec causarum habentium experimentum &c. illi autem nec cingulum habentes, nec nobis ministrantes, nisi potuerint per se noscere, quod iustum est, sed aliunde emendicare iudicandi honestatem, quomodo non maximum vitium erit Reipublicæ, non eis, qui ex se quid agendum sit, sciant lites tradere, sed finere eos quærere alios, à quibus liceat discere, quæ ipsos in iudicando eloqui decet, & *ibi glos. verbo, Qui ense* sic ait. Nota quòd iudex non debet esse illiteratus, sic nec aduocatus &c. nec medicus sine Physica, nec chirurgicus sine chyrurgica &c. nec Doctor indoctus, nec instructor instruẽdus &c. & si cuius rei peritia ab aliquo exigitur, si nõ habeat, est in culpa.

Quid enim obstaculi est homines, qui alicuius rei peritiam habent, de ea iudicare? cum sciamus, & militares magistratus, & omnes tales homines per vsum quotidianum iam esse approbatos, vt & audiant lites, easque dirimant, dicit *l. Certi iuris 15. C. de iudic.*

Glos. 1. in proem. decretalium sic. dicit. Ad similitudinem quinque sensuum corporis, quos quilibet, qui iudicat, habere debet, aliter nõ est idoneus iudex.

Iudicis, & officij imperitia partibus obesse non debet, inquit *glos. verbo Restiterit in l. Quoniam 21. C. de appellat.*

Iudex, qui per imprudentiã iudicat ex quasi maleficio tenetur, vt dicit *glos. verbo. Ex damno in l. maleficijs §. Si quis absentis ff. de act. & tex. in eadem lege §. Si iudex ibi.* Et peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudẽtiã, ideo videtur quasi ex maleficio teneri; vbi *glos. verbo Peccasse* reddit rationẽ, quia imperitia culpæ annumeratur.

Obseruandum est Ius reddendi, vt in adeundo quidem facilem se præbeat, sed cõtemni se nõ patiatur; vnde mandatis adijcitur, ne præsides Prouinciarum in vlteriorem familiaritatem Prouinciales admittant, nam ex conuersatione æquali contemptio dignitatis nascitur.

Sed & in cognoscendo, nec excandescere aduersus eos, quos malos putat, nec precibus calamitosorum illachrymari oportet, idest non est constantis, & recti iudicis cuius animi motum vultus detegit. Et summatim ita ius reddere debet, vt auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat; ita *Calistratus in l. 19. ff. de offic. præsid.*

Iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi, respondendi, obijciendique præbita patientia ab eo, vt ibi actio ambarum partium illuminata sit pleniter: nec litigantibus iudex prius velit sua sententia obuiari, nisi quando iam peractis omnibus nihil habeant in quæstione, quod proponant, & tamdiù actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perueniatur. Frequenter interrogari oportet nec aliquid prætermissum fortè remaneat, quod annecti conueniat *cap. vlt. 30. q. 5. vbi glos. verbo, Cuncta*, addit. Non tamen erit ita curiosus in omnibus, quia quædam licèt sciamus, debemus dissimulare.

Et in cap. Sicut 22. de spons. ad fin. sic. Quod si de ijs non constat ad plenum tamdiù adhuc cognoscas de causa, donec super his sufficienter instruaris.

De iudicibus maioribus dicit *l. vnica, ff. de offic. præfect. prætor.* sic. Credidit enim Princeps eos, qui ob singularem industriam explorata eorum fide, & grauitate ad huius officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientia, ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicaturus.

Circũspectus iudex, ac discretus motũ animi sui ex argumẽtis, & testimonijs, quę

aptiora esse compererit, confirmabit; inquit *cap. præterea 27. de testibus.* Quod autem debeat esse discretus maximè in causis grauibus, tenet *glos. verbo, Discretus in cap. Vt officium 11. § Verum de haret. lib. 6.* ibi. Semper enim qui graues causas Ecclesiasticas audiunt, debent esse discreti.

Et de singulis circumstantijs prudenter inquirens, de causis videlicet personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine plenè conscribas; mandat *Pontifex in cap. Cum causam 37. de testibus*, *vbi glos. verbo, Circumstantijs*, sic, Alias non peruenitur ad veritatem, & verbo, De causis, ita. Causam enim scientiæ debet inquirere iudex, quam si non reddiderit, non valebit dictum testis &c. Si verò iudex non quæsierit, & testes simpliciter dixerint se scire, valebit; vnde versus.

Auditus, visus, persona, scientia, fama.

Et ex Ouid. de trist. eleg. 1.

Iudicis officium est vt res, ita tempora rerum,
Quærere .....

Et in l. Non nunquam 72. ff. de iudic. ibi, Hoc autem æstimare oportet eum, qui ius dicit pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis; *& in l. Iudices 9. C. Eod. tit.* ibi. Oportet in primis rei qualitatem plena inquisitione discutere, & tunc vtramque partem sæpius interrogare, nunquid noui addere desideret?

Et in cap. Cum Ioannes 10. de fid. instrum. sic ait Papa. Cum iudex, qui vsque ad prolationem sententiæ debet vniuersa rimari, possit interrogare de facto quoties dubitationis aliquid occurrerit. Vnde dicitur iudicans, cuncta rimatur, & discutit leges, casibus applicat, Canonum decreta secernit, sic morbis aggrauatus medicum, sic virtus constans in medio sapientem, prudentemque deposcit, ne si quisquam regatur, vt appetit, confestim corruat.

Quid si iudex processit in tenebris? Credo quod valeat processus, licèt procedi non debuerit, dummodò aliud non impediat, & iudex honestus sit, inquit *glos. verbo, Licet, in cap. Consuluit 24. de offic. delegat.*

Sententiam verò omnibus modis, legibus, & moribus consonantem proferat iudex, vt in *Auth. iubemus, C. de iudic.* quod fallit in iudice, qui est supra leges, vt Papa, & Imperator, quia debent secundùm conscientiam iudicare, ex his, quæ *Apostill. ad glos. verbo, Punitur, in l. 1 ff. ad l. Cornel. de fals.* Si autem duo, vel amplius fuerint cognitores litis, & aliquid inter eos emergat dissonantiæ, etiam sic iubemus vnumquemque eorum, secundum quod ei videbitur, dare suam sententiam, dicitur in *Auth. vt iud. non expect. coll. 9.*

Iudex si quid aduersus legis præceptum in iudicando dolo malo prætermiserit, legem offendit, dicit *l. Non quidquid 40. § 1 ff. de iudic. & in l. Si filius 15. eodem tit.* ibi. Iudex tunc litem suam facere intelligitur, cùm dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. Dolo autem malo hoc facere videtur, si euidens arguatur eius vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordes, vt veram æstimationem litis præstare cogatur.

Iudex verò bonus nihil ex arbitrio suo facit, & proposito domesticæ voluntatis, sed iuxta leges, & iura pronunciat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil præparatum, & meditatum de domo defert, sed sicut audit, ita iudicat, & sicut se habet natura, decernit, obsequitur legibus, non aduersatur, examinat causæ merita, non mutat. Discite iudices sæculi, quem iudicando teneatis effectum, quam

quam societatem, quam synceritatem ex *D. Ambrosio ita refertur in cap. iudicet 3. q. 7.* & infra sic. Qui iudicat voluntati suæ obtemperare non debet, sed tenere quod legum est &c. In iudicando cordi magis est custodia veritatis, quàm obedientia voluntatis & *Cicer. pro Rabirio posthumo*, sic Vestri consilij, vestræque sapientiæ est iudices spectare quid deceat vos, non quantum liceat vobis. Vnde Claudian. Honorium admonens ita dicebat.

.... Sed comprime motus
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Si lex iusta, & necessaria est, supplet prætor in eo, quod legi deest inquit *l. Quia 11. ff. de præscript. verb. vbi glos. penult.* notat quòd vbi deficit lex, supplent alij.

Sicut ipse legislator æquitatem sequitur, ita & iudicẽ sequi oportet, licet quandoque non ita sequatur, inquit *glos. verbo, Aequo iure, in l. Inter filios, Cod. famil. hercisc.*

In his verò, super quibus ius non inuenitur expressum, procedas æquitate seruata, semper in humaniorem partem declinando secundum quod personas, & causas, loca, & tempora esse videris, dicit *Papa in cap. vlt. de transact.* Quãdo potius æquitas, quàm ius, & è conuerso sequenda est, habes verbo *Aequitas.*

Nota quòd secundùm conscientiam iudex iudicat, quia hoc videt, vt iudex; vt per *l. Si irruptione, §. vlt. ff. fin. regund. probat glos verbo, Testificatione, in l. Lex quæ tutores 22. C. de administr. tutor. & glos. verbo, Ex habitu in §. 1. quib. mod. tutel. finia. in Instit.* ita. Nota pro opinione Mar. qui dicebat iudicem secundum conscientiam debere iudicare, & ibidem additio hæc. Vide tu Canonista notata per *glos. in cap. 1. extra de offic. Ordin. & de offic. deleg. cap. Pastoralis, §. Quia vero* in notula argumentum contra Hugon. vbi glos. concludit iudicem, secundum allegata, & probata, debere in nomine Domini iudicare, & conscientiam læsam deponere & ibi recitatur illud dictum Psalmographi. Trepidauerunt timore &c. Opiniones in hac materia variæ varijs in Doctoribus inueniuntur, diuersa dantibus consilia; sed inter cætera videtur conscientiam reddere tutiorem, consilium Cepol. Quod inter suas cautelas continetur. Procuret, inquit, iudex in tali cõstitutus anxietate apud accusatum, vt alium in ipsius iudicis locum subrogari petat, ipsum eundem iudicem in testem se producturum allegando, & eo pacto iudex à iudicandi officio causa testimonij remotus deponet pro accusato, quæ sibi dictabit conscientia, contra quam facere est ad Gehennam ædificare *cap. Litteras, § Nos autem, vers. Omne quod de restit. spol.* Consilium illud, quod re vera tutissimum putatur fundamentum habet in *cap. Dilecto extra de testib.*

Apostill. verò ad d glos. verbo, Ex habitu, sic inquit. Dic si quid est notum iudici, vt iudici debet iudicare secundum conscientiam, si, vt priuato, secundum allegata &c. Quod verum in iudice, qui est infra legem. Nam si est supra, vt Papa, vel Princeps (vt supra tetigisti) vt cumque sit ei nota veritas debet secundum eam iudicare *l. 1. C. si aduersus venditionem; idem glos. penul. in fin. in §. Si minus de action. in Inst.* in hæc verba. Quia non secundum conscientiam, sed secundùm allegata debet iudicare & pronunciare &c. nisi habeat conscientiam, vt iudex, & ibidem *Apostill.* sic. Nota secundum *Iason.* quod iudex, qui est supra legem, vt Papa, Imperator, &c. cuius dictum habetur con-

pro lege. Debet semper secundum conscientiam suam iudicare, qualitercumque ea in habeat, siue ex actis, siue non, aliàs peccaret. Item nota quòd executor tenetur exequi sententiam, etiam contra propriam conscientiam, nisi in causa criminali, & corporali, quia tunc iudex non debet exequi contra suam conscientiam vt pulchre per eum.

Iudex subtilitates non debet inquirere, vt habes verbo, *Subtilitas*; Laborare verò debet ad veritatem inueniendam, vt dixit *glos. vl. in l. 2. C. de edend. per tex.* ibi. Ad inuestigandam veritatis fidem, iubebit.

Respiciendum est iudicanti, ne quid, aut durius, aut remissius constituat, quàm causa deposcit. Nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso iudicio, prout quæq; res expostulat, statuendum est. Plane in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent. *l. 11 ff. pæn.*

In grauioribus pænis seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi, sic ait *l. 12. ff. de pæn. & l. Hodie 13. eod. tit.* ita. Quam vult sententiam ferre, vel grauiorem, vel leuiorem, ita tamen, vt in vtroque moderationem non excedat; neque videri clementiorem lege, quæ hoc disponit, dicit *Auth. de iudic. §. Oportet, coll. 6. vbi glos. verbo, Neque*, sic. Nam semper lex mitior esse debet, quàm iudex possit esse. Tamen quandoque adesset dubium, recurrendum est ad arbitrium boni viri, idest iudicis, qui debet esse medius inter extrema, vt dixit *glos. verbo, Exigit in Extrauag. 2. de sepult. int. comm.* Quod autem omittitur à lege, non debet omitti à religione iudicantis, dixit *glos. vlt. ad med. in cap. vlt. de capitan. qui cur. vend.*

Prospicere debet iudex ne lites ex litibus oriantur, dixit *glos. verbo, Suscitantur, in cap. Cõtingit 5. de fid. instr.* Quinimò debet materiam discordiæ amputare; & si potest primo loco partes ad concordiam reuocabit, inquit *glos. verbo, Specificares in cap. Conquerente 16. de offic. Ord.* Et plus dicit *glos. verbo, Iurisdictione in l. Aequissimum, ff. de vsufrut.* in hæc verba. Arg. quod potestas, & iudex possunt cogere litigatores ad pacem, & transactionem faciendam causa dirimendarum litium. Verum non placet tale argumentum ex d. tex. Nam loquitur tantum in materia rixæ, & ne veniant ad arma, vt patet ibi. Cur enim, inquit Iulianus, ad arma, & rixam procedere patiatur prætor, quos potest iurisdictione sua componere? Benè fateor quod *l. Quidam existimauerunt 21. ff. Si cert. pet.* dicit sic. Humanius, mihi facturus videtur prætor, si actorem compulerit ad accipiendum id, quod offeratur, cùm ad officium eius pertineat lites dirimere; sed casus istius tex. diuersus est, quia loquitur in actore petente decem, quorum quinque reus confessus est, & tunc licet quidam existimarent non posse cogi actorem ad illa quinque recipienda, tamen Vlpian. visum fuit humanius posse iudicem cogere, vt recipiat, non verò dicit quòd possit cogere ad concordiam, & adhuc in eo casu innuit quod de rigore non potest cogi actor recipere prædicta quinque, dum ait humanius &c. & sic probat *glos. vlt. in cap. 1. de mut. petit.* ibi sic est hic argum. Quod iudex primo, si potest, debet partes reducere ad cõcordiam per tex. ibi. Rationes partium audientes concordia, vel iudicio vtriusque partis negotium terminetis; in dubio autem potest cogere, vt infra dicis vers. non debet. Neque etiam obstabit *l. Properandum 11. C. de iudic.* ibi. Nam si ipsi noluerint, nullus tam audax inuenitur, qui possit inuito iudice litem protelare; quia loquitur in lite prolongata vltra triennium, quod quidem prohibetur,

tur, vt ibi. Non esse concedendum eis vlterius lites, quam triennij spatium extendere. Hoc enim iudicialis magis esse potestatis, nemo est, qui ignoret. Sic admonet *Sancta Sinodus* tàm ordinarios, quàm alios quoscumque iudices, vt terminandis causis, quanta fieri poterit breuitate studeant, ac litigatorum artibus &c. Seu alia parte iudicij differenda modis omnibus &c. oc. currant *cap. 1. sess. 25. de reform.*

Parat viam expeditioni negotij, prouidet domino absenti, occurrit partium laboribus, & inutilibus expensis, ad ista omnia tenetur iudex, vt inquit *glos. verbo, Intricati, in cap. Si duo 6. §. vlt. de procurat. lib. 6.* Supplet enim iudex de iure, & de facto notorio, non occulto, vt per *glos. verbo, Excommunicatus in cap. 1. de except. eodem lib.* & addit sic. In causis electionum supplet indistinctè de facto.

Accedit etiam ad locum, de quo est contentio, vt dicitur in *l. Si irruptione, §. vnico ad fin.* ibi. Et (si ita res exigat) oculis etiam suis subiectis locis; *ff. fin. regund. & in cap. Quia iudicante 9. de præscript.* ibi. Hortamur igitur, vt ad loca, de quibus est contentio, accedentes, eam in vestra præsentia faciatis terminare, & ibidem *glos. verbo, Ad loca,* sic. Hic potest sumi argumentum, quod iudex potest iudicare secundum quod nouit, & non secundum allegata. Et nota quod iudex, qui contra conscientiam, vel contra iustitiam in grauamen alterius aliquid fecerit propter gratiam, vel propter sordes, per vnum annum nouerit se suspensum, & si durante suspensione ingesserit se diuinis, irregularis efficitur, cum quo solus Papa dispensat, & in veram litis æstimationem condemnabitur, vt &c.

Non tamen debet nimium festinare ad sententiam, vt dixit *glos. verbo, Iustam ad fin. in cap. Cùm Bertoldus 18. de re iud. & probat l. 2. C. de senten. ex breuil. recit.* ibi. Vt iudices, quos cognoscendi, & pronunciandi necessitas tenet, non subitas, sed deliberatione habita post negotium sententias ponderatas sibi ante formet, hoc tamen faciet cum temperamento; quandoquidem enim nimia morositas, & cunctatio in iure dicendo, & in causis, & litibus dicendis, non parum iniustitiæ continet, & in materia dandæ possessionis *l. Si finita 15. §. Si fortè. ff. de damn infect.* sic. Probandum est non debere prætorem festinare ad decernendum, vt iubeat possidere. In excommunicationis vero sententia proferenda, numquam morositas nocebit, & festinatio sine maturitate pœnam meretur, vt in *cap. 1 de sentent. excom. lib. 6.* ibi. Vt pœna docente discant iudices quàm graue sit excommunicationum sententias sine maturitate debita fulminare.

Negligentes iudices puniuntur iuxta *l. Iudices 10. C. de annon. & trib. lib. 10.* ibi. Negligentes, ac desides fuisse constiterit, omnia, quæ in administratione perceperunt emolumenta, reddere compellantur; vbi notat *glos. & in cap. Quoniam contra, verbo, Negligentiam deprobat,* sic. Si culpa, vel negligentia iudicis, pars aliqua damnum incurrat, iudex totum resarciet &c. Et iudex, qui negligit iustitiam facere, litem facit suam. Maiori cum ratione diligens esse debet circa carceratos, & si negligens. Indignus est iudiciali honore, vt in *l. vlt. ff de custo. reo.* ibi. Iudicem vero desidem, ac resupina ceruice tantum titulum gerentem, extorrem impetrata fortuna.

Iudicis hæres tenetur de dolo, & lata culpa, non vero de leui, vt dicis verbo, *Hæres.*

Nota quod quidam sunt, qui impediuntur, vt iudices esse non possint. Natura, vt surdus. Item lege impeditur, qui à Senatu remotus est propter infamiam. Item moribus, vt fœminæ, ita po-

ponit *glos. verbo, Eandem, in cap. Cum 41. de offic. deleg.*

De iudice filio familias habes verbo, *Filius* de quo dicit *glos. pen. in cap. 3. de aetat. & qual.* sic. Nihil interesse an iudices in potestate, an sui iuris sint. Si autem fuerit minor 25. ann. poterit etiam sententias proferre ex ratione de qua in *l. Quidam 57. ff. de re iudic.* ibi. Princeps enim ei, cui magistratum dedit, omnia agere decreuit.

Non debet iudex fauere magis vni parti, quàm alteri, & si fauet, non debet esse iudex, sed in dubio potest fauere cui vult, vel cogere partes ad concordiam, vt dicit *glos. verbo, Fauere in cap. Venerabilem 34. de elect.* Sicut etiam è conuerso vbi interest tertio, puta reipublicæ, seu Ecclesiæ, vel priuato, vel vbi periculum animarum imminet potest iudex compellere partes ad litigandũ, vt dixit *glos. penult. in addit. in Clem. Quamdiu 4. de appellat.* Habet enim iudex prouidere vtilitati causæ, & partium, *glos. verbo, Valeat in Clem. vlt. de verb. sign.*

Periculosum est coram suspecto iudice litigare, ideo suspectis iudicibus Sedes Apostolica causam de certa conscientia non committit; dicit *tex. in cap. Cũ inter 5. de except.* Vnde Canonicus non potest esse iudex concanonici sui propter familiaritatem, quæ veritatem aliquando impedire solet. Testis verò potest esse Canonicus pro Canonico, cùm etiam frater pro fratre possit testificari ea ratione, quia facilius inueniuntur iudices, quàm testes; vndè facilius repellitur iudex, quàm testis, iudex enim recusatur pro modica causa, vt si esset oriundus de terra impetrantis. Item si iudex est Suffraganeus eius, item consanguineus. Quandoq; tamen aliquis potest esse iudex, qui non potest esse testis, vt pater in causa filij. Et criminosi possũt esse iudices, sed nõ testes. Item iudex recusatur; vel si alius ei adiungitur, qui habet cõsimilem causam. Sed si daretur iudex contra alium Canonicum non poterit recusari, quia par affectionis causa suspicionem remouet; ita omnia prædicta tradit *glos. verbo, Cùm sint eius socij, in cap. Cum R. Canonicus 35. de offic. deleg.* vbi hos versus.

Subiectus, dominus, & commensalis amicus,
Incola, Canonicus, attingens, & inimicus,
Si causam similem delegatus tueatur,
Vel si patronus fuit olim, tunc moueatur.

Quod autem iudex, qui similem causam habet, suspectus habeatur, satis probat *cap. Causam quia 17. de iudic.* ibi. Quia verò cum eundem Archidiaconum similis pene causa contingat, nimis fauorabilis alteri parti videretur, vbi *glos. 1.* sic. Et ita videtur quòd iudex, qui habet consimilem causam, causæ sibi commissæ possit recusari &c. Simile est in teste.

In re verò propria iniquum admodum est alicui licentiam tribuere sententiæ, inquit *l. vnica, C. Ne quis in sua caus.* vbi notat *glos. verbo, Deberi.*

Non omnis amicitia repellit iudicem, sed maxima; sicut nec omnes inimicitiæ repellunt testem, nisi maximæ, ita *glos. verbo, Nimis, in cap. Accedens, 4. vt lit. non contest.*

Obseruandum est ne is iudex detur, quem altera pars nominatim petit, id enim iniqui exempli esse, inquit *l. 47. ff. de iudic.* Si tamen ad vtriusque partis, vel procuratorum petitionem fuerit datus, recusari non poterit, vt in *cap. Cùm olim 7. de caus. possess.* ibi. Iudices recusare minimè debuerunt, cum causa prædictis iudicibus delegata fuisset de vtriusque partis procuratorum assen-

sensu, vbi *glos. verbo, Iudices*, miratur de hoc, de quo habes verbo, *Procurator*.

Non debet autem recusatus iudex super ipsa recusationis causa pronunciare ex ratione *cap. suspicionis 39. de offic. deleg.* ibi. Suspicionis causa contra iudicem assignata, non ipse (qui forsan prouocatus obesset) vbi *glos. verbo, Forsan*, notat quod ideo dicit (forsan) quia nō debet iudex propterea moueri, quia nō facit ei iniuriam, cùm vtatur iure suo &c. & hoc ei à iure concessum &c. sed refert se ad id, quod contingere solet, licèt non debeat moueri; tamen indignantur pro maiori parte, de quo ego fui multoties testis oculatus.

Quod si iustam recusationis causam noluit admittere, à tali grauamine licitè potuit appellare, quodque post appellationem huiusmodi est præsumptum, iudicari debet irritum, & inane, dicit *cap. Super 27. §. vlt. de offic. deleg.* Quin etiam iudex, qui post appellationem pronunciare audet, indignus officio debet reputari, vt in *l. Post legatum 5. §. Qui accusauit, ff. de ijs quib. vt indig.* ibi. Quidam, & præsidem indignum putant, qui testamentum falsum pronunciauit, si appellatione intercedente &c.

In recusatione iudicis non oportet causam dicere, & sic nec probare, dixit *glos. in l. Quia poterat, ff. ad Trebell.* sed ibidem Apostill. ait. Tu dic hanc glos. intelligendam esse de iure ciuili. De iure verò Canonico est inserenda causa in recusatione iudicis, & coram arbitris electis probanda, secundum Doctores, & ita est in praxi.

Si pendente iudicio iudex efficiatur infamis, vel suspectus, potest repelli. Item si medio tempore excommunicatur, sed eo absoluto reassumit iurisdictionem, vt dicit *glos. in cap. Sciscitatus 13. de rescript.*

Iussus iudicis facit licitum, quod aliàs non liceret, sic dicit, & probat *glos. verbo, Qui iussu ff. de his qui not. infam.* & *facit l. 1. §. Si pecunia, ff. deposit.* ibi. Non contra legem depositi fit cum vel authore prætore, vel honestis personis interuenientibus hoc euenerit; facit etiam *glos. verbo, Imputandum, in l. Ait prætor 7. ff. de minor. per tex.* ibi. Si prætor decernat &c. nihil computandum.

Vnde qui iussu iudicis aliquid facit, non videtur dolo facere, quia parère necesse habet *l. Non videtur 128. de regul. iur. vbi glos. sic.* Si verò non exequatur officium suum, dico nullatenus parendum, etiamsi ius præcipiat, nisi in reuerentiæ exhibitione, vt &c. Nec obstat quod iurant subiecti parère omnibus præceptis, quia restringitur ad ea, de quibus verisimiliter actū est &c. In casibus non solùm non obedire, sed etiam debent resistere officiales sui, vt &c. licet alias dicat *glos. verbo Admonitus in Auth. de hered. & falcid. §. Si quis autem*. Neque enim iudicis authoritas debet esse ludibrio. Et quod iudici non semper sit obediendum, habes verbo, *Obedientia*.

Si autem quis iudicem decipit, pœnam meretur, vt in *l. 17. ff. de his qui not. infam.* ibi. Debuit enim coerceri, quæ prætorem decepit. Iustum est equidem, vt in eum iura insurgant, qui ius, & iudicem, & partem eludit inquit *cap. 1. de appellat. lib. 6.*

Tantumdem in bonæ fidei iudicijs officium iudicis valet, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio, dicit *l. Quia 7. ff. de negot. gest.* Non verò vltra id, quod in iudicium deductum est excedere potestas iudicis potest, inquit *l. vt fundus, ff. com. diuid.* licet aliquando excedat, sed iniustè, vt per *glos. in l. Si is 20. ff. com. diuid.* ibi. Motu iudicis iniustè fortè, sed tunc ipse iudex tenetur &c.

Item videndum est an possit iudex, qui de-

detulit iusiurandum non sequi id, sed vel prorsus absoluere, vel etiam minoris condemnare, quam iuratum est, & magis est vt ex magna causa, & postea repertis probationibus posit; ita *l. 4. §. vlt. ff. de in lit. iur. & in l. 5. eod.* sic. Item & si iuratum fuerit licebit iudici vel absoluere, vel minori condemnare.

In summa æquitatem ante oculos habere debet iudex, qui huic actioni aditus est inquit *l. Quod sit, §. 1. in fin. ff. eo quod cert. loc.*

Nec quælibet vox iudicis habet vim sententiæ, ait *gloss. magna post med. in l. Caius 39. ff. de pig. act. & probat l. Ex stipulatione 7. C. de sent. & interloq.* ibi. Nec vox omnis iudicis iudicati continet authoritatẽ &c. & prosequitur sic. Vox paciſci suadentis præsidis actionem perimere (si quam habuisti) minimè potuit.

In pronuncianda sententia sedere debet vt præcipitur *in cap. vlt. de sent. & re iud lib. 6. vbi gloss. vlt.* sic. Anima enim sedendo, & quiescendo fit prudentior, & *Hieron. super Daniel. 8.* ibi. Antiquus dierum sedit, ita ait, sedens describitur, vt maturitas sententiæ comprobetur, & *gloss. verbo, Sedero in Auth. vt ab illustr. coll. 5.* ibi. Nota hic expressè iudicem debere sedere cum iudicat, & aduocati, siue litigantes stare per tex. ibi. Ne cogantur, aut sedere cum iudicibus cum iudicant &c.

A iudice vocatus, siue iustè, siue iniustè, ad iudicem venire tenetur, alias punitur, vt contumax, tradit *gloss. per contumaciam in cap. Veniens, in fin. 15. de accusat.* vbi etiam quando non teneatur; prætoris autem est existimare an sua sit iurisdictio; vocati autem est non contemnere authoritatem prætoris, ait *l. Si quis ex aliena, ff. de iud.* Sanè quoties res vrget cogendi sumus ad prætorem venire, inquit *l. 1. §. Sed excipiuntur, ff. de fer.* Potest tamen iudex parcere contumaci, vt tenet *gloss. verbo, Vt conuincatur in cap. Cum olim 7. de dol. & contuma. & in cap. Consuluit 24. verbo, Gratiam,* sic. Ecce quanta potestas datur iudici, vt possit parcere contumaci in præiudiciũ alterius &c. Item licet iudex possit parcere in ferendo sententiam termino constituto, non tamen potest ei parcere in expensis, & sumptibus, alioquin ipse de suo restituet expensas &c. Sed videtur quod de iure mero teneatur expectare vsque in diem sequentem &c. vel saltem in suprema hora diei possit iudicare &c. Et hoc, quia iudex matutino, vespere, mane, & meridie iudicare potest &c. Sed videtur contra &c.

Apostill. ad cap. Quamuis 10. de elect. lib. 6. dicit, quod iudex præfigens parti terminum ad comparendum coram superiore, non se intromittit; vnde Episcopus potest illum præfigere exempto per tex. ibi. Nullatenus intromittant, sed præfigant dictis partibus terminũ peremptorium.

Ad officium iudicis pertinet prouidere partibus de aduocatis; si alias habere non possint; debet etiam attendere, vt æqua distributio aduocatorum fiat, vt dicit *gloss. verbo, Implorando, in cap. 1. de off. iud.*

Ad arbitrium iudicis spectat assignare tempus, quando non fuit expressum. Vide verbo, *Tempus*.

Potest iudex arctare, prorogare, & interpretari inducias à lege concessas, vt tenet *gloss. verbo, Temperantes, in cap. Cupientes 16. de elect. lib. 6. gloss. vero verbo, Quindecim, in eodem cap.* sic dicit. Sed nunquid iudex datus à Papa illos dies poterit abbreuiare, vel prorogare? Dic quòd non, cum sit tempus limitatum à iure, sicut nec dies, qui dantur ad appellandum &c. Et qui dantur ad integram restitutionem petendam. Poterit tamen præuenire terminum sibi statutum, sed terminum, quem

quem ius parti assignat, non potest arctare, nisi vbi ius hoc permittit, vt ita ponit *Apostill. ad glos. verbo, videtur in Clem. 2. de appellat.* pro prima conclusione facit *glos. verbo, Tempus, in cap. Cum sit 5. de appellat. per tex.* ibi. Nisi fortè iudex &c. Tempus fuerit moderatus; de quo vide etiam verbo, *Tempus*, & verbo, *Terminus*. Est autem *tex. in l. 4. §. Si quis de re iudic.* sic dicens. Sed siquidem minorem diem statuerit iudex tempore legitimo; repletur ex lege quod sententiæ iudicis deest, vbi *glos. verbo, Supra*, sic. Nota quod supplet lex quod omittit homo.

Porro discretus iudex in assignatione peremptorij, non debet iurisdictionem suam, nisi necessitas exigat, adeo coarctare, inquit *cap. Coarctare 24. in fin. de offic. deleg.*

Iudicis scripturæ an credatur? Habes verbo, *Tabellio, & in cap. Quoniam contra 11. de probat.* sic dicitur. Nec pro ipsius præsumatur processu, nisi quatenus in causa legitimis constiterit documentis; vbi *glos. in verbo, Præsumatur*, ita. Sed nunquid correcta sunt iura, quæ dicunt quod semper præsumitur pro his, quæ a iudice facta sunt? Dicit Io. super hoc, quod semper creditur sententiæ iudicis, vbi constat de processu causæ, sed vbi reuocatur in dubiũ de processu iudicis, non est præsumendum pro iusto ordine, nisi probetur per acta; nam & victores nõ aliter potientur sententijs, nisi eas ostenderint rectè latas &c. Vide statim infra vers. Licet iudex, & vers. relatione.

Iudices debent ostendere partibus relationem, quam faciunt superiori alids poterit appellari, & quoties se relaturum pollicetur, illicò litigatoribus acta edere tenetur; ita dicit *glos. verbo, Vria, in cap. Cùm olim 33. de offic. delegat.*

An teneatur iudex apponere causam in sententia? Videas verbo, *Sententia*.

Licèt iudex non semper ad vnam speciem probationis mentem suam applicet, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, & alijs, quæ in eius præsentia proponuntur, formet animi sui motum, & tanta sit iudicialis authoritas, vt semper pro ipso præsumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur, ait *cap. In præsentia 6. de renunc.*

In prætorijs stipulationibus, si ambiguus sermo acciderit, prætoris erit interpretatio, eius etenim mens æstimanda est, inquit *l. 9. ff. de prætor. stip.*

In arbitrarijs verò se habebit iudex quasi vir bonus, vt dicitur *in l. Sed si vnius 17. §. Prætor ait, ff. de iniur.* ibi. Arbitratu iudicis, quasi viri boni, vbi *glos. verbo. Quasi*, sic. Nam iudex bonus vir dicitur.

Prætor se tutorem dare non potest; sic prælatus à se ipso prælaturam accipere non potest, quia differentia debet esse inter dantem, & accipientem, ita ponit *glos. verbo, Valeat, in cap. Vt singula 4. de offic. Archip.*

Iudex omnia potest, quæ ad suam iurisdictionem pertinent, & sine quibus causa expediri non potest, vt inquit *glos. vlt. in cap. 1. de offic. deleg. & est tex. in cap. Præterea 5. eodem tit.* ibi. Quia ex eo quod causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.

Quod iudex facit, tenet; donec intelligit reuocatam iurisdictionem; & quandiù seruus habetur pro libero, valet sententia illius, vt inquit *glos. verbo, Ad illum in cap. Auditis 8. de procurat.* Sed si faciat contra ius, non tenebit. Nec enim prætoris factum iuri derogare oportet, dicit *l. 1. in fin. ff. de fer.*

Vbi autem iudex determinat aliquid, quod determinare non debuerat, licet illud in totum mutare non debeat, ve-

rum referre ad Principem debet, vt ex authoritate eius illud permutetur, dicit *l. Solent. §. Sicut. ff. de offic. proconsul. & in l. Moris est 9. §. Sed enim ff. de pan.* ibi. Sed hoc non potest efficere, qui sententiam dixerit, verum referre ad Principē debet; vt ex authoritate eius pœna, aut permutetur, aut liberentur.

Relationi iudicum creditur, donec probetur contrarium, inquit *glos. verbo, Noscitur, in cap. Ex litteris* 10. *de excess. pralat.* Et pro his, quæ à iudice sunt acta, præsumitur quod omnia sint rectè celebrata, ait *cap. Bona* 23. *de elect. vbi glos. verbo, Prasunt.* sic. Sed hodie non præsumitur pro iudicis processu in præiudicium alterius, nisi quatenus constiterit legitimis documentis; idem confirmat altera *glos. verbo, Et si tres in cap. Dilectus* 32. *eod. tit.* dum ita ait? Sed non est verum quod iudicibus credatur, nisi quatenus &c. Ego tamen inuenio *in d. cap. Bona*, hæc verba. Et si propter authoritatem iudiciariam præsumamus pro his, quæ acta sunt à legato &c. Quid igitur sequendum? Id, quod determinat *cap. Quoniam contra de probat.* ibi. Nec pro ipsius præsumatur processu, nisi quatenus in causa legitimis constiterit documentis; & facit *l. Ne in arbitris, C. de recept. arb.* ibi. Huiusmodi litigatorum, vel solius arbitri sermones minimè esse credendos; vbi notat *glos. verbo, Sermones, & ibidem Apostill.* sic. Iste versus cum glos. semper allegatur quòd non statur dicto iudicis, vel arbitri de gestis, vel actis coram eis.

Cum inepta proponitur actio, iudex non debet statim illam corrigere si est dubia, quia licet debeat supplere de iure; de facto tamen supplere non debet, sed debet absoluere reum, cùm postea perpenderit ineptam ex probationibus; sic *glos. vlt. in cap. Examinata* 15 *de iudic.*

Quoniam sæculares iudices in exhibenda iustitia personis ecclesiasticis sæpè in iudicio sunt remissi, in fauorem Ecclesiæ introductum est, vt malefactores suos, qui sacrilegi sunt censendi, venerabilium locorum rectores possint, sub quo maluerint iudice, conuenire; ita dicit *cap. Cum sit generale* 8. *de for. comp.* Ergo per casum ab speciali non poterunt Ecclesiastici iudices in alios casus se intromittere, etiam data negligentia iudicis sæcularis, nec ego vnquam tale vidi. *Sed glos. verbo, Vacante in cap. Licet ex suscepto* 10. *eodem tit.* sic ait. Iste est ergo vnus casus, in quo iudex Ecclesiasticus potest se immiscere iurisdictioni sæculari, scilicet cum superior non inuenitur. Alius est cum iudex sæcularis negligit facere iustitiam &c. & alios ponit, & refert ex Host. versus sequentes:

Hareticus, symoni seruus, periurus, adulter,
Pax, priuilegium, violentus, sacrilegusque,
Si vacat Imperium, si negligit ambigit, an sit
Suspectus iudex, si subdita terra, vel vsus
Rusticus, & seruus, peregrinus, feuda, viator,
Si quis paniteat, miser, aut sit, causaque mixta,
Si denunciat Ecclesia quis iudicat ipse.

In casu negligentiæ probat etiam *glos. vlt. in cap. Ex tenore* 11. *eodem tit. de for. comp.* ibi. Item hic habes quod iurisdictio perditur per negligentiam per tex. in illis verbis. Dummodò per iudicem sęcularem possit iustitiam obtinere; alioquin non obstante ipsius contradictione, causam ipsam ratione præuia terminetis; facit etiam *glos. verbo, Exceptionibus, in cap. Ex parte* 15. *eodem tit. de for. comp.* ibi. Nisi prius iudex

dex sæcularis fuerit requisitus, & negligens &c. & ibi. Et postquam constiterit de negligentia procedant alij. Quod in iudicibus Ecclesiasticis vnus propter negligentiam perdat iurisdictionem, & alter postea procedat in causa, tenet *glos. verbo, Delegato, in cap. Vt debitus 59. de appellat.*

Generaliter de iure cognoscit iudex Ecclesiasticus inter laicos, vbi habet temporale dominium. Item in matrimonialibus, & spiritualibus causis, & in ecclesiasticis criminibus; ita *glos. verbo, de Iure, in cap. 2. de except. lib. 6.* vbi alios enumerat.

In delictis iudex condemnare debet iuxta qualitatem personæ, temporis, ætatis, & sexus, vide verbo, *Pœna*.

Si iudex crimen repertum non vindicat, tegere; vt conscius criminose festinat, inquit *l. 2. C. de comerc. & mercat.* à qua deduxit *glos. verbo, Certiorare, la 1. in cap. Item qui dominum, quæ fuit cau. benef. ammitten. in vsib. feud.*

Peccantes tenere, & non alios pro alijs, aut ex quibus nati sunt viuis, qui crimina præsumpserunt; sed neque pignorationes facere propter peccantem, aut criminis vindictam proprij lucri causa inferre, aut delinquentium res propriũ lucrum facere. Nos enim reos quidem ex legibus pœnas sustinere volumus; damna verò subiectis nostris, aut lucrum ex hoc iudicibus, aut eorum hominibus, siue officialibus fieri nullatenus concedimus, vt ne propter rerum desiderium inueniantur iniustè aliquos castigantes, aut peccantes vendere; dicitur in *Auth. vt null. iud. §. Quoniam verò coll. 9. vbi notat Apostill.* & dicit esse hunc §. elegantissimum, & Philosophiæ plenum.

Et sic iudices, non res, sed delinquentes punire debent, vt præcipitur *in Auth. de manda. princ. §. Oportet autem coll. 3.* ibi. Non enim res sunt, quæ deliquerunt, sed qui res possident. Sed contra faciunt, & quidem eos, qui digni pœna sunt, dimittunt, illorum vero bona capiunt. Benè verum est quod possunt facere in casu ne illudantur, vt dicit *l. Electio 26. ff. de noxal. act.* ibi. Id enim prætor introduxit, ne illuderetur prætor, non etiam vt lucrum faceret. In reliquis vero si iudex, qui habet purgare culpam, & illam in bonum pœnæ commutare, turpe lucrum à possessore extorquere tenetur, vt dicit *glos. verbo, Largiatur per tex. ibi, in Extrauag. 1. de sent. excom. inter com.* maiori cum ratione in se non admittet.

Si iudex pronunciauerit, non probasti pepercit ei; si autem pronunciauerit, calumniatus es, condemnauit eum, & quamuis nihil de pœna subiecerit, tamen legis potestas aduersus eum exercebitur. Nam, vt Papinian. respondit, facti quidem quæstio in arbitrio iudicantis est. Pœnæ vero persequutio non eius voluntatis mandatur, sed legis authoritati reseruatur, sic inquit *l. 1. ff. ad Turpill.*

Singuli, vniuersique iudices cognoscant in publicis criminibus non oportere emendicatis vti suffragijs decretorum, aut relationibus a publicis personis destinandis credere, sed rei veritatem inquirere, præcipit *l. 4. C. de accusat.*

Circa aduocatos patientem esse proconsulem oportet, sed cum ingenio ne contemptibilis esse videatur; nec adeo dissimulare, si quos causarum concinnatores, vel redemptores deprehendat, inquit *Vlpian. in l. Nec quicquam 9. §. Ob decretum ff. de offic. pro cons.*

Par parem cogere non potest dixit *glos. 1 per tex. in l. 4. de recept. arb.* ibi. Nam magistratus superiores, aut pari imperio qui sunt, nullo modo cogi possunt. Sed nunquid delegatus à Papa coget arbitrum, qui cognoscit de suspicione sua? Dic quod sic. Arg. ex *l. vlt. C. de iudic. tenet præd. glos.* Pro prima conclusione facit tex. in *l. Ille à quo*

Digitized by Google

13.§.*Tempestiuum,ff.ad Trebell.*ibi. Et dicendum est prętorem quidem in prętorem, vel consulem in consulem nullum imperium habere, sed si suæ iurisdictioni se subijciant, solet prætor in eos Ius dicere &c. Quod etiam intellige, licet sit minor iudex, cui se maior subijciat, vt infert *glos.verbo, Maior in l. Est receptum ff.de iurisd.om.iud.* ibi. Ergo & Imperator si habeat litem cum aliqua Vniuersitate, vel priuato homine.

Pertinet ad officium iudicis, qui de hæreditate cognoscit vniuersam incidentem quæstionem, quæ in iudicium deuocatur, examinare; quoniam non de illa, sed de hæreditate cognoscit vniuersam incidentem quæstionem, quæ in iudicio deuocatur, examinare; quoniam non de illa, sed de hæreditate pronunciat, ita *l.1.Cod.de ord.iud.* hac eadem ratione procedit *tex.in cap.3. de donat. inter vir.* ibi. Vos qui de matrimonio cognouistis, & de dote (quæ est causa incidens) accessoriè cognoscere debuistis; sed ibidem Apostill.notat quod in Gallia nullo modo possunt, etiam accessoriè cognoscere.

Vnde iudex actionis est etiam reconuentionis, vt in *l.Cum summi alias l. Cum Papinian.summi, C.de sentent.& interloq.* ibi. Cuius enim in agendo seruat arbitrium, eum & contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur. Et sic iudex cognoscit incidenter quod non cognoscit principaliter, infert optimè *glos. verbo, Quoquo modo in cap. Vt inquisitionis 18.de haret.lib.6.*

Iudici autem statim, atque iudex factus est, omnium rerum officium incumbit, quæcumque in iudicio versantur. Ea autem, quæ ante iudicium contingunt, non valde ad eum pertinēt, nisi fuerint ei nominatim iniuncta, inquit *l. Aediles 23.ad fin.ff. de adil. ed.* Verumtamen quod legibus omissum est, non omittetur religione iudicantium ad quorum officium pertinet eius quoque testimonij fidem, quod integræ frontis homo dixerit perpendere, inquit *l. Quasitum 13.ff.de testibus.* Quin etiam vbicunque periculum animæ vertitur supplet, prout etiam supplet ea, quibus omissis non valeret processus; & cauere debet iudex ne sibi illudatur, & ne in vacuum partes vexentur, prout dicit *glos. verbo, Contumacia in cap.Cupientes de elect. in 6.*

Si aliqua ratio allegatur, & alia ratio mouet iudicem, quæ non allegatur, iudex ex officio suo potest eam supplere, & secundum illam procedere, sic ponit *glos verbo, Capitulum in cap. Ex parte 10.de conc.prab.& facit cap. Bona 3. de postul.pral.* ibi. Nos igitur auditis quæ de facto, & iure fuerant allegata, plenius etiam pro vtralibet partium curauimus allegare. Quòd quidem sine dubio procedit in his, quæ sunt de iure, vt in *rub.Cod.vt qua desunt aduocat. part. iud.suppleat.* In his vero, quæ de facto sunt, quādo possit supplere videas *glos. in d.cap.Bona,* & post sententiam quando possit supplere, infra dicis.

Licet æstimatoria actum fuerit, officio tamen iudicis continebitur, vt reddito mancipio pretium recipiatur, ait *l.Bouem 43.§.Aliquando ff. de adil. ed.* Et ecce habes tex. permittentem aliud in condemnatione deduci, quam quod in petitione fuit deductum, vt ibidem notauit *glos. verbo, Officio.* Sed hoc quia contra æquitatem esset, si venditor, & rem, & pretium haberet ad *l. Curabit, C. de act.empt.* Et quia iudex etiam quantum ad futurum tempus prospicit partibus, vt dixit *glos. verbo ad integrum in cap.Quarenti 26.de offic.deleg. l.1.§.1.ff.de vsur.* ibi. Quid enim pertinet ad officium iudicis post condemnationem futuri temporis tractus? Prouidet tamen iudex aliquando in futurum, sicut in seruitutibus, & alimētis, & circa expensas, licet dicat lex quòd

tra-

tractus futuri temporis non spectat ad iudicem; id enim locum habet in vsuris, quæ sunt odiosæ, vel non spectat, ita quod statim detur actio, vt dicit *glos. verbo, prouideri in cap. 2. de homicid. lib. 6.*

Si in obscuro sit, procliuior debet esse iudex ad comprobandam donationem, dicit *l. Cum his status 33. in fin. ff. de donat. int. vir.* In contrarium tamen erit circa compensationes in *l. vlt. C. de compensat.* ibi. Hoc itaque iudices obseruent, & non procliuiores ad admittendas compensationes existant, nec molli animo eas suscipiant; sed iure stricto vtentes, si inuenerint eas maiorem, & ampliorem exposcere indaginem, eas quidem alij iudicio reseruent.

Ea, quæ post litem contestatam accidunt, potissimum ad iudicis officium pertinent, dixit *glos. verbo, Post litem in l. Si tertius 6. §. Officium ff. de aqu. plu.*

Prætor autem beneficium suum nemini vult esse captiosum, inquit *l. Paulus 8. ff. de prætor. stipul.* Quod in iudicibus criminalibus non procedit, dum promittunt beneficia reis, vt delicta confiteantur: Benè verum est, quod habet iudex arbitrium in pæna, quando à lege non imponitur, vt dicis verbo, *Arbitrium*, & verbo, *Pœna*. Notabis tamen quòd criminalis iudex rarò applicat illud. Ne delicta maneant impunita.

In crimine læsæ maiestatis quomodo se debeat iudex agere, dicitur verbo, *Delictum*.

Si plures simul agant populari actione, prætor eligat idoneiorem dicit *l. 2. ff. de popul. act. & in l. Si plures 16 ff. de accusat.* ita. Iudex eligere debet eum, qui accuset, æstimatis accusatorum personis, de dignitate, vel ex eo, quod interest, vel ætate, vel moribus, vel alia iusta de causa. Nec ob hoc potest dici quod in iudicijs detur acceptio personarum, vt notat *glos. in regula in iudicijs 12. lib. 6.* Cum lex præcipiat in prædicto casu; & adhuc in alijs eadem glos. sic ait. Licèt iudex vti non debeat in iudicijs acceptione personarum &c. tamen vtile est in arbitrarijs iudicem gratiosum habere &c. Caueat tamen iudex ne in facienda gratia incurrat pænam Constitutionis *de re iudic. Cum æterni*.

Generaliter verò iudices se debent gerere, prout disponitur in *Auth. de mandat. princ. §. Deinde vers. vl. in fin. coll. 3* in his verbis. Talem vero temetipsum præbebis in omnibus, & publicè, & priuatim, vt terribilis quidem sis delinquentibus, & indeuotis circa fiscalia; mansuetissimus autem, & mitis omnibus placidis, & deuotis, & paternam eis exhibens prouidentiam.

Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in se ipso quid condemnet. Iudicet ille, qui non agit eadem, quæ putauerit punienda, ne cum de alio iudicat, in se ferat sententiam. Iudicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur; ita ait *cap. Iudicet 3 q. 7. & cap. Plerumque 11. q. 3.* sic. Plerumque contingit, vt iudicis locum teneat, cuius ad locũ vita minimè concordat; ac sæpè agitur vt, vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat; sæpè in ligandis, vel soluendis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur; vnde fit, vt ipse ligandi, aut soluendi potestate se priuet. Si autem per imperitiam, vel seueritatem fecerit, non oberit ei, qui leuius crimen intentauit, vt dicitur in *l. Qui cum natu 14. ff. de bon. lib.* ibi. Neque enim imperitia, aut seueritas iudicantis obesse debet patroni filio, qui crimen leuius intentauerit. Nocebit tamen ipsi iudici imperitia eius peccasse vtique aliquid intelligitur, licet per imprudentiam, ait *l. vlt. ff. de var. & extraord. cogn.* vbi glos. sic. Nota teneri aliquem ex im-

ex imprudentia; quod procedit in eo, qui profitetur iuris prudentiam, vt est iudex de quo loquitur prædicta lex, & iam supra dictum est.

Nota quod iudex de eo, quod fit coram eo, potest in testem duci, sic infert *glos. verbo, depositionibus, in cap. Inter dilectos de excess. prælat.*

Quod facit iudex, debitor fecisse videtur, ait *glos. verbo, Exceptione, in l. x. ff. nevis fiat ei.*

Iudex non exemplis, sed legibus iudicare debet. Non enim si quis non benè æstimatur, hoc & aliorum iudicum vitium extendi oportet, cùm non exemplis, sed legibus iudicandum sit, neque si cognitionales sint amplissimæ præfecturæ, vel alicuius maximi magistratus prolatæ sententiæ; sed omnes iudices nostros veritatem, & legum, iustitiæ sequi vestigia sancimus proclamat *l. Nemo iudex, C. de sent. & interloqut.* Vbi autem sententiam protulerit, siue benè, siue malè, functus est officio suo, dicit *l. Postquam 55. ff. de re iud.* Et ex quo iurisdictio eius expirauit, partes non poterunt ei iurisdictionem dare, quia consensus priuatorum iudicem non facit eum, qui nulli præest iudicio, vt dicit *glos. verbo, Procedere, in cap. Significantibus 38. de offic. deleg.*

Benè verum est quod ea, quæ ad consequentiam pertinent, priori tamen sententiæ desunt circa condemnandum, vel absoluendum reum debet supplere, scilicet eodem die, vt inquit *l. Paulus 42. ff. eod. tit.* Prout etiam grammaticā, & verba mutare tenore sententiæ perseuerante benè potest, vt tenet *glos. vlt. in l. 3. C. comminat. epist.*

Sed nunquid iudex post decem dies potest mutare suam interloquutoriam? Videtur quòd non, quia postea transit in rem iudicatam, sicut etiam in definitiua, ait *glos. vlt. in cap. Cum cessante 60. de appellationib.* vbi ponit argumētum in contrarium, & respondet sic. Potest dici, quòd licet transeat in rem iudicatam quoad hoc, quod non possit post decem dies appellari nó tamen quoad iudicem, qui non possit reuocare suam interloquutoriam.

Debent iudices de vsuris cognoscere, & certam facere condemnationem, dicit *l. in summa 59. §. 1. ff. de re iud.*

Si in diuersis summis condemnent iudices minimam summam spectandam esse dicitur Iulianus scripsisse *in l. Inter pares 38. ff. eodem tit. de re iud.* Semper enim iudices sequuntur quod minus est, dixit *glos. vlt. in l. vlt. ff. de prætor. stip. per. text.* ibi. Et ad exiguam summam deducitur.

Si verò dissentirent sententia plurium obtineret ait *l. Pomponius 36. in fin. eod.* nisi in casu *cap. Pastoralis 14. de rescript.* vt notauit ibidem *glos. verbo, Plures, & in Auth. vt iud. non expect. coll. 9.* ita. Si autem duo, vel amplius fuerint cognitores litis, & aliqua inter eos emergat dissonantia; etiam sic iubemus vnumquemq; eorum secūdum quòd videtur ei, dare suam sententiam in illis verbis. Hic non statur iudicio maioris partis, vbi alios casus tradit. Tunc autem vniuersi iudices intelliguntur iudicare, cùm omnes adsunt, ait *l. 37. ff. illo tit. de re iud.*

Potest iudex iudicare sic, vel sic, sed postquam pronunciauit, non potest facere, quin effectus sequatur, vt deducitur ex *l. Ordine 15. ff. ad municip.* ibi. Cum facti quidem quæstio sit in potestate iudicantium, iuris autem authoritas non sit.

Iudicantium iniquitatem, vel imperitiam tollit, & corrigit appellatio vt ibidem dictum est. Nec ob appellationem oportet iudicem iniuriam sibi fieri existimare, vt dicit *l. Et in maioribus 20. C. de appellat.* nisi appellatio inutilis interponatur, vt in *l. vlt. C. Quando prouoc. non est necess.*

Appellatione autem iustè, & ritè interposita,

sita, iudex, à quo appellatur (quia illi appellanti omnino suspectus est) eum non debet ad respõdendum super alijs compellere, nisi pro crimine valde graui, & manifesto, inquit *cap. Proposuit 24. de appellat.* Poterit tamen aliqua, vt tenet *glos. verbo, Quicquid, in cap. Non solum de appellat. lib. 6.* ibi. Quia quædam possunt iudices, à quibus appellatum est, sicut est reformare appellationem appellanti; cum sibi turbata fuit, omittere tamen debet articulum, super quo appellatum fuit. Si autem iniustè appellatum fuit, ab interloquutoria partes ad priorum iudicum reuertantur examen iuxta *cap. insinuante 25. in fin. de offic. deleg. vbi glos. vlt.* sic Hoc iustum est vt reuertatur ad eum, quem iniustè dimisit.

Quod si pars appellans aliquid illicitum attentat, eo ipso se indignam facit appellationis beneficio, & procedit iudex à quo appellatum est; perinde ac si non fuisset appellatum, vt dicit *glos. verbo, Reducendum, in d. cap. Non solum de appellat. lib. 6.* A quibus verò iudicibus non appellatur, supra dictum est verbo, *Appellatio*; ad fin.

Etiam antequam appelletur, non poterit iudex procedere in causa vt in casu *cap. Cum super 23. de offic. deleg.* ibi. Quamuis solus abbas, antequam appellaretur ab eo, iuxta formam litterarum nostrarum, procedere potuisset, quia tamen pro eo, quod cum ipso Episcopo interloquutus est, appellationem prius ab eodem Episcopo interpositam non tenuisse de iure sine ipso cum posset, & nollet negotio interesse, per consequẽtiam confessus est se non posse mandatum Apostolicum adimplere, nec suæ intentionis extitit, vt sine coniudice suo aliquid definiret, & cũ eo, qui iam iudex esse desierat, aliquid super prædicto negotio, ritè disponere non valebat, voluntate, ac potestate sibi mutuo aduersantibus; cum noluerit quod potuerit, & quod voluerit adimplere nequiuerit, quod à duobus factum fuerat, effectum non potuit de iure obtinere.

Et quoniam hic recidit de delegatis iudicibus tractare, aliqua alia dicamus. Ponamus quod tres iudices sunt sub illa forma, quod si non omnes &c. Tertius malitiosè non venit, nec se excusat quid fiet? Ad hoc dicas quod citare non possunt eum, vt veniat, sed admonere possunt vt veniat & rogare, & si non veniat vsque ad tertiam monitionem, vel rogationem, nec aliquid rescripserit, vel si dixerit velle interesse, & non venerit, tunc possunt alij procedere quia præsumitur nolle venire, vel non posse interesse, & talis præsumptio habebitur pro responsione illius, scilicet quod non velit, vel non possit venire; & sic statim remanet iurisdictio apud alios, ita resoluit *glos. 1. in cap. Cum causa 22. de offic. deleg.*

Iudex à nobis delegatus vices nostras gerit, vnde in causa illa superior est, & maior illis, quorum causam suscepit terminandam, ait *cap. Sanè 11. eod. tit.* Nam & is, cui mandata est iurisdictio, fungitur vice eius, qui mandauit, non sua, vt inquit *l. Solet 16. ff. de iurisd. om. iud.*

Nota pro iudicibus delegatis, vt non debeant discedere à verbis rescripti, vt ita notat *glos. vlt. per tex. ibi in l. Pedius ff. de recept. arbitr. & facit cap. Cum olim 32. de offic. deleg.* ibi. Cum in rescripto nulla de illis mentio haberetur, nec ad ipsos potuerit iurisdictio prorogari cum procurator ad illa solummodo intelligatur constitutus, quæ in commissionis litteris inueniuntur expressa. Quod tamen non intelligas in accessorio, quia licet de eo non fiat mentio in rescripto, delegatus poterit de eodem cognoscere, vt in *cap. Prudentiam 21. §. Sexta in fin. de offic. delegat.* ibi. Explorati

quidem Iuris existit, vt delegatis iudicibus, quibus principale committitur, & accessorium committatur; qui tex. notabilis mihi videtur, dum habet pro accessoria causam excommunicationis, quæ opposita fuit contra actorem ne audiretur ad effectum, vt iudices delegati possint eum absoluere ab excommunicatione lata ab alio, quæ aliàs videtur omnino diuersa ab ea, in qua dicta opponitur exceptio, nisi fortè dicas quòd vbi primum illa opponitur in causa principali, iam fit eius accessoria; vel (prout notatur in *Summario eiusd. tex.*) quod excommunicatio erat propter causam delegato commissam. Et in hoc sensu procedit *glos. vlt. ibid.* dum dicit. Et sic absolutio est accessorium, quia sine illa causa principalis procedere non potest quia non auditur, nisi absoluatur actor.

Potest etiam delegatus contra Episcopũ procedere vsque ad suspensionem, & interdictum, iuxta *cap. Sanè* 11. *de offic. deleg.* ibi. Ita quòd iudex secundum negotij qualitatem procedens, Episcopo vel ingressum Ecclesiæ, vel Sacerdotale officium interdicat, aut etiam terram illius, quæ ad iurisdictionem suam pertinet, speciali interdicto supponat.

Si iudices sunt ordinarij, vno absente reliqui possunt procedere, cum quilibet per se habeat iurisdictionem; in delegatis, vel arbitris secus est; quia vno absente reliqui nihil possunt facere, nec tenet quòd fit ab eis; licet enim quilibet habeat iurisdictionem in solidum, eam per se non possunt exercere quia loco vnius intelliguntur, ita *glos. verbo, Teneatur, in cap. prudentiam* 21. *de offic. deleg. & probatur in cap. Causam matrimonij* 16 *eodem tit.* ibi. Quia cum causa duobus committitur, sentẽtia vnius non tenet; & in *l.* 20. *ff. de recept. arbitr.* Si in tres, inquit Celsus, fuerit compromissum, sufficere quidem duorum consensum, si præsens fuerit & tertius; alioquin absente eo, licèt duo consentiant, arbitrium non valere, quia in plures fuit cõpromissum, & potuit præsentia eius trahere eos in aliam sententiam.

Sed pone quòd duo procedant, & tertius postmodum habeat ratum, quod illi fecerunt, nunquid valet sententia, sicut valet in electione? Dico quòd non valet sententia talis per ratihabitionem tertij cùm ab initio nulla fuerit, vnde postea ratificari non potest. Quid si partes consentiant, vt duo procedant, nunquid valebit talis processus tertio non veniente, nec se excusante? Non credo quod partes possint illis dare iurisdictionem, ita ponit *glos. d. verbo, Teneatur in allegato cap. Prudentiam de offic. deleg. ad fin.* quam sequor in delegatis, in arbitris vero à partibus electis contrarium mihi videtur, cùm tota illorum iurisdictio à partium consensu procedat.

Pone insuper quòd plures Archidiaconi sunt in aliqua Ecclesia, & Papa mandat Archidiacono talis Ecclesiæ sine additione nominis vel cognominis, ita quod non apparet de quo senserit, cum plures sint Archidiaconi, quis ergo erit iudex? videtur quod nullus, sed videtur quod ille sit iudex, quem impetrator elegerit; ita resoluit *glos. verbo, Substitutum in cap. Quoniam abbas* 14. *de offic. deleg.* & prosequitur ita. Hic satis patet quod ille, quem elegerit actor erit iudex, quia de illo sensit, cum impetrauit litteras; sed si communi consensu partium partes concordassent, & consensissent non distinguendo de quo, quid erit, cum modo dicat actor de vno, & reus de altero, nec potest constare de quo intellexerunt, quia non concordant? Hic dicere possum quod ille sit iudex, cui primo sint litteræ præsentatæ &c. Sed si esset simul præsentatio facta, tunc qui dignior est, sed si es-

si esset æqualiter digni, sorte dirimatur.

Delegatus supplet negligentiam alterius delegati, vel Ordinarij, sicut Ordinarius supplet desidiam legati, inquit *glos.vlt.in dict. cap.Prudentiam, §.Sexta de offic.delega.& glos.1. in cap. Cum causa 22.eod.tit.* sic. Nec est inconueniens vt vnus delegatus suppleat negligentiam alterius delegati; sic etiam Ordinarius supplet desidiā delegati&c.

Delegatos tamquam delegantem honorare debent partes, iniuria autem illorum ad eum pertinet, cuius delegatione funguntur; vt inquit *glos.verbo, Delegāti in cap.Cum olim 33.de offic. deleg.*

Ordinarius iudex non debet iudicis delegati mandato resistere violenter, sed apud ipsum instare, vt differat, donec nobis rei veritas innotescat, ita præcipit *cap.Si quando 8. de offic. delega. vbi glos.* sic. Aliàs appellet, sed non admittat preces. Nam, vt inquit tex. *in cap.Sane 11.eod.tit.* Iudex à nobis delegatus vices nostras gerit; vnde in causa illa superior est, & maior illis, quorum causam suscepit terminandam. Ideoque si Episcopus, vel alia persona, quæ non sit de iurisdictione illius in causa, quam ei delegamus, rebellis, aut contumax fuerit, secundum qualitatem facti, poterit vel interdicti, vel suspensionis sententia à iudice delegato compelli.

Sed hoc valdè notabile est, quòd licet exhibeatur sententia delegati, ei tamen non creditur, nec præsumitur pro sententia, nisi ostendatur commissio, nec creditur iudici, si se delegatum dicit; ita *glos. verbo Iniungo, per text. ibi in cap. Cùm in Iure peritus 31. de offic.delegat.* & addit; quia non statur verbo eius, si dicit iuramentum à partibus interpositum.

Expirat autem delegati iurisdictio sententia lata, & executioni demandata; item finitur mortuo iudice, cui proprio nomine scribitur. Item per mortem illius, contra quem litteræ impetrantur re integra. Item reuocato mandato, & per secundas litteras, quæ expressam faciunt mentionem de primis. Item si iudex remittat causam superiori. Item elapso termino commissionis. Item si re integra moriatur delegans. Item per legitimam recusationem. Item per appellationem legitimam. Item per delationem appellationis, ita ponit *glos.vlt.in cap.In litteris 9. de offic. deleg. & glos. verbo, Procedere, in cap.Significantibus 38.eodem tit.* sic. Iudex siue benè, siue malè pronunciando functus est officio suo &c. Sic etiam ipso facto sine pronunciatione ammittit quis iurisdictionem alium sibi associando, qui iurisdionem non habet &c. Et si referat negotium ad Superiorem &c. vel si dicat tantum referre velle negotium &c. Non tamen amittit minor iudex iurisdictionem suam per præsentiam maioris, vt tenet *glos.verbo, Publicare in l. In hac 30. C. de donat.* ibi. Et sic nota minorem iudicem non debere amittere iurisdictionem suam, licèt maior iudex sit præsens. Verùm debitam reuerentiam ei tribuere debet, vt in *l.1.C.de offic. præf. Vrb.* ibi. Itaut inferior gradus meritũ superioris agnoscat, vbi notat *glos. & in l.5.Cod.de offic.rect prou.*ibi. Prioris gradus iudicibus ab inferioribus competens reuerentia tribuatur, sed vbi publica tractatur vtilitas, & si minor iudex veritatem inuestigauerit, nulla maiori irrogatur iniuria.

Nũquid delegatus à Papa coget arbitrũ, qui cognoscit de suspicione sua? ita quærit *glos.1.in l.4. ff.de recept. arbitr.* & respondet quòd sic arg. ex *l.fin.C. de iudic.*

A iudice nõ delegatur iurisdictio ante ingressũ suæ iurisdictionis. Est enim perquam absurdum, antequam ipse nanciscatur iurisdictionē alij eā mandare, quā non habet; sed antea fecerit, & ingressus

prouinciam in eadem voluntate fuerit, credēdum est legatum habere iurisdictionem, non ex inde ex quo mandata est, sed ex quo prouinciam proconsul ingressus est; ita formaliter disponit *l.3 vers.vlt.ff.de offic.proconsul.* Sed hodie *in Auth.de collator.§.Ad hae sancimus. coll.9.* in hæc verba disponitur. Antequam verò in prouincijs veniant iudices, damus eis licentiam vices agentes suas instituere qui debeant omnia vsq; ad suam præsentiam agere, quæ possunt ipsi iudices facere; citra tamen nouissimum supplicium, aut membri incisionem. Si verò fuerit nudus minister nō delegat, vt per *glos.1.in Clem.vnica de offic.deleg.vbi Apostill.sic .Barb.in cap. Quoniam contra falsam*, *coll.* 12. dicit per hanc glos. quod nudum ministeriū non est delegabile, secus si est iudex, *l. A iudice, C. de iud. Panor. in cap.1. de test. cog.*

Postquam vero iurisdictionem habuerint iudices, curam debent habere ne potentiores vsurpent Iura sibi non competentia, neque patrocinium præstent, quod iniustum sit. Neque enim eis sibi fit cura cuiuslibet sint talia agentes dominij; sufficit namque eisdem per omnia ad perfectam fortitudinem & lex, & Imperij fauor, vt dicitur in *Auth. de manda. princ. §. Patrocinia. coll.3.* Sed dubito certè an sufficiat, cùm alias dubitauerit etiam *Imperat. in Auth.vt omn.obed.iud. §. Nec latet* nos quia forsan nec sufficiat hoc ad perfectissimam causæ medelam; cùm iudicantibus potentiores magis quàm iustitiam volentibus &c. præstent *coll.* 5.

Nota quod iudex non debet habere consilium cum aduocatis litis, & quod imponit finem dictis eorum quando sibi videtur; ita dicit *glos.verbo Remotis in l.3.ff.de his, quæ intest.del.*

In bonæ fidei iudicijs permittitur iudici æstimare ex bono, & æquo quid debeat restitui; in quo & illud continetur, vt quid inuicem actorem præstare oportet, eo compensato, in reliquo damnetur reus, vt inquit *glos. verbo, Bonæ fidei, in l.Sed & si 22.ff.sol.mat.*

Supplet etiam iudex de facto quod notū est ei, non vt iudici, vt notauit *glos.verbo.Si solus, in l.2. C.de tempor. & reparat.* Et maximè si contra absentem pronunciauerit iuxta *l.Ampliorem 37. C.de appellat.* ibi. Si autem absens fuerit, nihilominus iudicem per suum vigorem eius partem adimplere, & ibidem *glos.d.verbo, Adimplere in additione,* sic. Tu dicas cum Bart. non esse speciale in hoc casu; imo regula est secundum eum quod vbicunque contra absentem potest perueniri ad diffinitiuam, iudex pro eo potest supplere de facto. Considerat namque quod vtrique expedit, vt dicit *glos.vlt. per tex.* ibi. Iudex æstimauerit in *l. Potest 27. ff.delegat.* 1. Melius autem erit quando proceditur contra absentem vocare affines, & amicos eius, vt notauit *glos.in l.vlt.ff.vbi pup.educ.deb.per tex.* ibi. Euocatis affinibus, atque amicis tutoris, prætor edicto proposito causa cognita, etiam absente tutore, decernet.

Iudex coget filios exhiberi debitam matri reuerentiam, vt dicis verbo, *Filius*, Et quemadmodum facilis est circa bonorum possessionem ei dādam ventris nomine: ita calumniam eius impunitam non relinquere, inquit *l.1 ff.simul. ventr.nom.* Pronunciat etiam an venter sit necne mariti, & quidquid pronunciauerit pro iure seruabitur. Placet enim eius rem iudicem ius facere, vt in expresso per *Vlpian.in l.3.ff.de lib. agnosc.*

Si dissensio, aut contentio inter patrem, & filium fuerit; pronior tamen debet esse prętor ad consentiendum patri, ait *l.Si pupillorum 7.ff.de reb.eo.& ibi glos.* sic. Et est ratio, affectio. Non debet tamen aduersus pupillos obseruari, quod

quod pro ipsis excogitatum est, & pendere status eorum, cum iam posset indubitatus esse, vt dicit *l.3. propè fin. ff. de carb. edict.*

Ius dicentis propositum est liberos oneribus hæreditarijs non sponte susceptis liberare, non inuitos ab hæreditate remouere, *l. Si filius 12. ff. de vulgar.* Plus autem tribui à Prætore ei, qui fideicommissum petit, quàm testator voluerit absurdum est, vt ait *l. Facta 63. §. Si sub conditione ff. ad Trebell.* Et si fuerit dubium quantum pro legato, vel fideicommissò prçstari debeat, vt quando relinquitur puero, vel iuueni, non adiecta certa quantitate ad discendum aliquod arteficium, prætor, aut arbiter ex defuncti voluntate, & ætate, & conditione, & natura, ingenioque eius, cui relictum erit, statuet, quod potissimũ arteficium hæres docere eum sumptibus suis debeat; prout disponitur in *l. Sticbus 12. ff. de leg. 3.*

Sic etiam si dubitabitur de authoritate interposita à tutore, qui falsus dicitur, & prætor decreuerit ratum se habiturum quod illa authoritate gestum est, valebit per eiusdem prçtoris tuitionem licèt non ipso iure, vt deciditur in *l. 1. in fin. ff. quod fals. tut.*

Cum prætor causa cognita per errorem, vel ambitiosè iubet hæreditatem ex fideicommisso restitui, etiam publicè interest restitui propter rerum iudicatarum authoritatem, inquit *l. Seruo 65 §. Cum. ff. ad Trebell.*

Iussui prætoris non debet anteponi pactio, vide verbo, *Pactum*.

Iussus iudicis in secundo decreto habet vim tituli, habes verbo, *Iussus*.

Iussum iudicis excusare, dicit *glos. verbo, Actionem in l 4. ff. de aqu. pluu. arc. per tex.* ibi. Et si iussu iudicis compulsus opus restituerit non esse sepulchri violati actionem.

Iudex cogit procuratorem ad respõdendum, vel non administrandum iuxta *l. Eum qui 3. C. de procurat.* ibi. Euoca ad prætorem, qui aut tibi respondere cogetur, aut ab administratione negotiorum secundum formam iurisdictionis prohibebitur.

Iudex antecellit dignitatibus, & potestatibus tantum ex ea parte deriuans, quantum sine omni iniuria, ac detrimento honoris alieni vsurpat, dicit *l. 3. ff. de offic. præfect. Vrb.* Singuli tamen iudices sciant cellioribus viris, & ijs, quorum non nunquam iudicio prouehuntur honorificentiam debitam esse præstandam, vt præcipitur *in l. 2. C. de offic. diu. iud.*

Debet iudex inquirere de conditione testis, vt inquit *glos. verbo, De nominibus in l. 1. §. 1. ff. de magistr. conuen. per tex.* ibi. Si præses prouinciæ remiserit, vt se de nominibus instruant &c.

Nemo iudex aliquem officialem ad eam domum, in qua mater familias degit, cum aliquo præcepto existimet esse mittendum, vt eandem in publicum protrahat, ait *l. 1. C. de offic. diu. iud.* Refrænare tenetur notarios, iuxta *cap. Statutum 11. §. Notarium de rescript. in 6.* ibi. Notarium verò, vel notarios in causa sibi commissa scribentes (qui vt plurimum in exigendo salario metas rationis excedunt) vt ad ipsum spectat officium prudenter refrænet. Si verò iniustè agat, potest ei resisti, vt in *l. Omnes 33. C. de decurion. lib. 10.* ibi. Quoniam vt pertinaciæ iudicis sui resistat, liberam ei contradicendi permittimus facultatem; *& ibi glos. vlt.* sic. Nota officialem posse, vel debere resistere iudici, & sic subditi prælato malè agẽti. Ne ergo tale detur inconueniens, seruet iudex in omnibus fidem, & synceritatem, vt dicit *l. Decernimus 14. C. de Episc. aud.* ibi. In negotijs audiendis fidem, ac synceritatem geminam præbiturum &c.

Inuitus tenetur iudicare, non autem recipere compromissum, vt probat *glos. ver-*

verbo, Concessum in l.2.Cod. de proxim. sacr.scrin.lib.12. Ex quo tex.infert ibi. *Ioan.de Plat.*quòd potestas potest compellere peritos, & aduocatos, vt dent sibi consilium in causis etiam criminalibus.

In defectum iudicis licet alicui se facere iudicem, aliás non, sed suum amitteret, vt tenet, & probat *glos.in l. Generali 54.C.de decurion.lib.10.* Alia regula est quod quicumque causam habuerit à suis iudicibus iudicetur, & non ab alienis idest à suæ iustis iudicibus prouinciæ, & non ab extraneis, vt disponit *cap.Scitote ad fin.6.q.3.*

Si iudex executor sciat sententiam iniustam exequi, nihilominus tenetur eandem, nisi apud Superiorem efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat; ita inquit *cap.Pastoralis 28.§.Quia verò de offic.deleg.* Quod autem iudex non debeat exequi Principis diploma in multis casibus, nisi prius illud renunciet Principi, & idem secũdo præcipiat, est *tex.optimus in Auth.de mãda.Princip. §. Deinde coll.3.* cuius verba inuenies verbo, *Princeps*.

Iudex successor tenetur exequi, quæ à prædecessore sunt facta legitimè, vt in *Auth.vt null. iud. §. Et hoc verò coll.9.* ibi. Si vero præcepta cuiuslibet iudicis sint &c. sic qui factus fuerit iudex suscipiat, & exigat, si legitimè facta sunt; si vero contra legem, aut publicum facta sunt, hæc pro non scriptis facta iubemus. Si vero ad lęsionem est fisci, nihil super ea omnino agi, nunciare vero nobis primum, vt secunda nostra fiat de hoc iussio. Cætera de iudice executore, vide verbo, *Executor*.

Iudicium.

HAbet quinque significationes. Primo modo est actio, vt iudicium fam.ercisc. idest actio. Secundo modo est lis, siue controuersia, vt iudicium pendet de hæreditate. Tertio modo est authoritas, vt negotia Ecclesiastica non sunt iudicio laicorum disponenda. Quarto modo est forus. Vt causa iurispatronatus debet definiri iudicio ecclesiastico, idest in foro Ecclesiæ. Quinto modo est arbitrium, sic enim arbiter est, iudex, ergo arbitrium est iudicium. Sexto modo est vltima voluntas, vt iudicium testatoris non debet esse cassum. Septimo est quæstio vt iudicium ambiguum est ad Papam referendum. Octauo modo iudicium dicitur esse discretio; vt furiosus, & infans non possunt esse iudices, quia carent iudicio, hoc est discretione. Nono est sententia, vt iudex punire potest eos, qui suo neglexerint parere iudicio, idest sententiæ. Decimo est instantia, vt iudicium perit triennio. Vndecimo est discussio, vt hic. Duodecimo est potestas iudicandi. Decimo tertio est pernicies, vnde *Apostol.1. ad Corinth. 11.* Iudicium sibi manducat idest perniciem sibi manducat. Decimo quarto est pęna in *Matth.5.* Qui occiderit reus erit iudicio, idest pæna; sic in *Ioann. 5.* ibi. Qui verò mala in resurrectionem iudicij, idest pænæ æternæ. Vltimo iudicium dicitur esse processus iudicialis &c. prædicta ponit *glos.in rubr.Extrauag.de iudic int.eom.vers.*Nota insuper quæ his versibus continentur.

Actio, lis, author, forus, arbiter, vltima velle,
Quæstio, discret, senten, instan, discussio posse,
Pernicies, pæna, processus iudicialis.

Quæ etiam tradit *glos.verbo, Iudicium in §.Præterea quib.non est permiss.fac.test in Instit.*

Nota etiam quod interdum iudicium ponitur pro eo, quod pręcedit sententiam

tiam, interdum pro condemnatione, interdum pro discretione, interdũ pro vltima voluntate, vt per *glos. in regula in iudicijs lib. 6.* Differt autem iudicium à concilio, cum hoc inter consentientes; iudicium veru in inuitum detur, vt dicit *glos. verbo, Concilium in l. 1. C. vindict. lib.*

Integrum est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur, dicit *cap. Prudentiam in fin. de offic. deleg. idem glos. verbo, Duas, in cap. vt officium 11. §. Verum de haret. lib. 6.* dicit etiam *glos. verbo, Continetur in Extrauag. vlt. de verbor. sign.* ibi. Consueuit enim esse integrum iudicium, quod plurimorum iudicio comprobatur, & quod à pluribus quæritur, facilius inuenitur &c. Et in *Clem. 1. de sent. excom.* sic. Iudicium integrum, quod plurimorum sententijs comprobatur volumus obseruari &c. Et in *cap. Extra 64. dist.* ibi. Integrum enim est quod plurimorum sententijs confirmatur.

Iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur. Iudicium autem Ecclesiæ non numquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit, & falli, ita dicitur in *cap. A nobis 28. de sent. excom.*

Humanum iudicium quatuor modis peruertitur: timore dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pertimescimus. Cupiditate, dum præmio alicuius animum corrumpimus. Odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur. Amore, dum amico, vel propinquo contendimus præstare auxi ium; ita ex D. Gregor. refertur in *cap. Quatuor 11. q. 3.*

Temerariũ iudiciũ plerũq; nihil nocet ei, de quo temerè iudicatur, ei autẽ, qui temere iudicat ipsa temeritas necesse est vt noceat. *Aug. in c. temerariũ 11. q. 3.*

Pessimum est de suspicione, aut extorta confessione quemquam iudicare; cum magis sit inspector cordis Dominus, quàm operis. Non potest autem humano condemnari examine, quem Dominus suo reseruat iudicio; si omnia namque in hoc sæculo vindicata essent, locum diuina iudicia non haberent, inquit *cap. Si quandoque 15. q. 6.*

Graue non oportet videri pijssimis mentibus vestris cuiusquam retractari iudicium; quia veritas sæpè agitata magis splendescit in lucem *cap. Graue 35. q. 9.* Et maximè in futurorum euentibus, quia in illis sic humani fallitur incertitudo iudicij vt quod coniectura probabili ex nunc interdum attenta consideratio vtile pollicetur; reperiri damnosum quandocumque contingat: non numquam quod cōsultè statuitur, ex sanioris inspectione iudicij consultius reuocatur, vt in *Extrauag. vnic. de torneam.*

In dubio non erit credendum vt quis eligat viam ad impugnanda sua iudicia, inquit *glos. verbo, Exharedauerit in l 3. §. 1 ff. de lib. & posth.*

Idcirco iudiciorum vigor, iurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat vltionem dicit *l. Nullus 3. C. de Iuda.*

Iudicium autem confertur in præteritum, non in futurum, ait *glos. vlt. in l Si legatum 12 ff. de cond. & dem. idem glos. magna verbo, Debebo, in l. In lege Aquilia 14. ff. ad l. Aquil.* ibi. Iudicium non est de futuris. Et licet tex. videatur contrarium innuere in illis verbis. Sub conditione mihi pecunia debita fuerit &c. Debebo quidem vincere, sed condemnationis exactio tunc competet, cum debiti conditio extiterit, quod si defecerit, condemnatio nullas uires habebit, quæ quidem lex notabilis est, dum de futuro videtur iudicium concedere contra *l. Non quemadmodum ff. de iud.* ibi. Iudicium verò antequam debeatur, non posse & *glos. prædictas.* Tamen facilis est responsio, si consideres quod in ea non conceditur

iudi-

iudicium pro debito de futuro, sed pro facto de præterito, scilicet pro iniuria, & damno dato ratione chirographi deleti contra delentem illud, non vero contra principalem conditionalem debitorem.

Qui ante solutionem agit pignoratitia, licet non rectè egerit, tamen si offerat in iudicio pecuniam, debet & rem pignoratã & quod sua interest consequi, ita *l. Si rem 9. §. vlt. ff. de pign. act. vbi Apostill.* reputat tex. singularem ex *Bald.* ad hoc quod ius superueniens, pendente iudicio, actori in re de qua litigat ex causa de præterito, fundat actionem ab initio malè institutam.

In iudicio cæptum intelligitur negotium per solam præsentationem, ita *glos. verbo, Cæterum, in cap. 3. de rescrip.*

Quasi contrahitur in iudicio, inquit *glos. vlt. in l. Defensor 22. ff. de tut. & rat. distrab. & glos. vlt. in cap. 1. de procur.* ibi. Et per iudicium quædam alienatio fit, in iudicio enim contrahitur; *& l. 3. §. Idem scribit, ff. de pecul.* sic. Nam sicut stipulatione contrahitur cum filio, ita iudicio contrahi. Proinde non originem iudicij spectandam, sed ipsam iudicati, veluti, obligationem, vbi *glos.* sic. Nota originem non inspici in actione super qua cæpit esse iudicium vbi arguit in contrarium. An autem valeat iudicium cum filio familias sine paterno consensu? Habes verbo, *Pater.*

Regulariter tantum valet quod fit extra ius, quàm quod fit coram iudice, dicit *glos. & inter acta in l. Cum scimus 21. C. de agric. & cens. lib. 11.*

Iudicium in inuitũ redditur, ideo potius actori credendum est, alioquin semper negabit reus se consensisse, ait *l. Inter stipulantem, §. Si Stichum ff. de verb. obligat.* Vnde dicitur quod vexat *l. Etiam §. 1. ff. de petit. hæred.* ibi. Ne singulis iudicijs vexetur.

Non est æquum aut iudicio adstringi, ad inficiationemue compelli, eum qui sine iudicio dare partem suam paratus est. *l. Ex iudicatum 16. ff. iud. sol.* Et sola oblatio debiti in iudicio sufficit, inquit *glos. verbo, Deposita, in l. Nec creditores 9. C. de pign. act.* & habes verbo, *Debitum.*

Si quis priuilegio, quod habuit antequam susceperit iudicium, velit se excusare, non est audiendus, semel enim agnoscendo iudicium, renunciat excusationem, ait *l. Prætor 13. ff. de excusat. mun. vbi glos. verbo, Agnoscendo,* sic. Nota quod ipso facto renunciauit, & quod possint fieri aliqua re integra, quæ postea non possint.

Iure ciuili id cautum est venire in iudicium, non solum de quo actum est, vt veniret, sed id non venire, de quo nominatum est ne veniret, inquit *cap. Cũ Ecclesia 3. de caus. poss. vbi glos. verbo, In iudicium,* ita. Illa enim veniunt, quæ includi possunt in actione proposita &c. & vult tex. innuere quòd non solum illud videtur esse deductum in iudicium, quod expressum est, sed totum illud, quod non est exceptum, vt ibidem notat *glos.* vnde ad excludendam præscriptionis exceptionem omne ius videtur deductum in iudicium, licet in specie non deducatur, vt dicis infra in verbo, *Præscriptio.* Nota tamen quod dicit *l. Illud 43. ff. de petit. hæred.* Illud quoque ait tex. vt post acceptum iudicium, id actori præstetur, quod habiturus esset si eo tempore, quo petijt, restituta esset hæreditas, interdum durum est.

Non autem potest videri in iudicium venisse, id quod post iudicium acceptum accidisset; ideoque alia interpellatione opus est, inquit *l. Non potest, ff. de iudic.* ad idem est *tex. in l. Non quemadmodum in fin. eodem tit. & notat glos. verbo, Prouideri, in cap. Prælatis, de homic. lib. 6.*

Nec

Nec contra facit tex. coniuncta *glos. in l. 1. C. de sent. quæ sin. cert. quant.* cui respondebis cum *Gam. decis.* 110. *num.* 35.

Propter identitatem personarum etiam vbi aliud petitur, tamen dicitur iudicium idem, vt tenet *glos. pen. & fin. in §. Si minus de act. in Instit. & glos. verbo. In eodem iudicio §. Si quis aliud eod. tit.* sic. Et dicitur idem iudicium propter identitatem personarum, & iudicis, tamen verè aliud est. Dicitur autem aliud iudicium hoc ipso, quòd mutatur iudex, *vt dicit glos. verbo. Alio iudicio in l. Non à Iudice 64. §. vnic. ff. de iudic.*

Separatorum diuisum est iudicium, deducitur *ex l. Etiam 30. §. 1. ff. de minor.* per tex. ibi. Si species, in qua pupilla in integrum restitui desiderat, cæteris speciebus non cohæret, nihil proponi cur à tota sententia recedi actor postulans audiendus sit.

Nota quod quædam permittuntur extra iudicium, quæ in iudicijs non, vt *notauit glos. verbo Forsitan per tex.* ibi *in l. Mutus 43. ff. de procurat.* Et in illis iudicium prætor non dabit, iuxta *l. Iusiurandum 34. §. pen. ff. de iur. om. iud.* prout denegatur ex causa, sicut dicit *glos. ibidem. sic.* Nota iurisdictionem denegari ex causa.

Denegatur etiam iudicium diebus feriatis, & festiuis iuxta *cap. 3. de fer.* nisi propter necessitatem, vel pietatem, vt tenet *glos. verbo A. Lecia in d. cap. 3.*

Suspenditur vero iudicium actione, vel exceptione præiudiciali proposita, vt dixit *glos. 1. in l. pen. ff. de noxal. act.* ibi. Quia præiudiciales sunt tales actiones per illum tex. ibi. Sustineri debet iudicium quoad de statu eius dicetur.

Nocturno tempore cessat iudicium ex ratione *tex. in. cap. Consuluit 24. de offic. deleg.* ibi. Nè verò iudicium Ecclesiasticum exerceatur in tenebris, quia iuxta testimonium veritatis, qui malè agit, odit lucem &c. Nos tamen eam procedendi horam congruam intelligimus, ex qua possis ante noctis tenebras perficere quod incumbis.

Claudicare non debet iudicium, ac satis videtur absurdum, si actore impugnante, reo defensionis copia denegetur: quia sic condemnaretur multoties absoluendus, ità *cap. Cum inter de except. facit glos. verbo Consentiret in cap. Insinuante 25. de offic. delegat.* ibi. Possit sicut eius aduersarius Absurdum enim esset iudicium in vnam partem declinare, & non in alteram. Nec in iudicio debet esse personarum acceptio, vt inquit *glos. 1. in cap. vlt. de mut. petit.*

Solemnitas iudiciorum hodie recessit ab aula, ait *glos. in l. Si pignora 50. ff. de euict.* Iudiciarius vero ordo est seruandus in causis, licet in matrimonialibus non omnino, vt *in cap. 1. vt lit. non contest.* ibi. Quòd licet iudiciarius ordo in alijs controuersijs sit seruandus, & in matrimonialibus causis non vsquequaque seruetur, &c.

Nullus dubitat quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum vt absoluatur, qui est innocens, quærit *cap. Nullus 4. de præsumpt.*

Iurisdictio.

Licet hoc verbum respectu Alphabetici ordinis, quo vtimur, hic non haberet locum; tamen quia ratione materiæ, de qua in præcedentibus agimus, habet, ideo æstimauimus nunc de eo agendũ. Iurisdictio igitur est potestas de publico introducta cum necessitate Iuris dicendi, & æquitatis statuendæ; & dicitur à Iure & d tione, quasi dicat de Iure potestas; diuiditur autem sic. Alias merum imperium, alias mistum, alias stat in suo nomine, ità

ponit *glos. verbo, Iurisdictione in Auth. de defensor. Ciuit. §. Iusiurandum in fin. coll. 3.* Si autem vis omnes species, definitiones, & declarationes, tam iurisdictionum, quàm imperij scire, vide quæ ad *tit. ff. de iurisd. om. iud.* Sub arbore, & eius declaratione dicũtur; nostræ namque inspectionis non est omnia transcribere, sed ea tantum, quæ floridiora, & ad Apolecta nostrum aptiora visa sunt.

Duæ sunt iurisdictiones altera Ecclesiastica, altera sæcularis, de quibus dicitur intelligi illud *Luc. 22. Ecce duo gladij hic.* Minor autem est iurisdictio sæcularis, Ecclesiastica, vt dicit *glos. vlt. in cap. 2. de except. lib. 6. & probat cap. Solitæ 6. de maio. & obed.* ibi. Sed Pontifex in spiritualibus antecellit quę tantò sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori &c. & ibi. Præterea nosse debueras quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli, luminare maius, vt pręesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli hoc est, vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, idest spiritualibus, maior est; quæ vero carnalibus, minor; vt quanta est inter solem, & lunam, tanta inter Pontifices differentia, & reges cognoscatur; *cap. Duo sunt 96. dist. & cap. Nouit, de iud.* & in hunc sensum intelliguntur verba *Extrauag. Vnam sanctam, de maio. & obed. int. com.* ibi. Oportet gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subijci potestati, iuxta quæ optimè *Nauarr. in d. cap. Nouit, de iud. notab. 4. num. 125.*

Cum hoc tamen stat quod prædictæ duæ potestates, seu iurisdictiones sibi inuicem deseruiunt circa diuersos fines, vt dicitur in *cap. Quoniam 10. dist.* Quoniam inquit *Cyprian. Imperatori Iuliano,* idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia discreuit vtriusque potestatis &c. vt etiam Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent; & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur; idem per eadem verba ponit *Nicol. Papa, in cap. Cum ad verum 96. dist.*

Vnde cum sint diuersæ potestates prædictæ, non debet altera in alteram se ingerere, vt dixit *glos. vlt. in cap. Si duobus, §. fin. de appellat.* ibi. Et ita patet quod iurisdictio temporalis non pertinet ad Ecclesiam, nec de ea debet se intromittere in præiudicium sæcularis iudicis &c. nisi cum vacat Imperium &c tunc enim propter defectum iudicis sæcularis benè ad Papam appellabitur &c. vel etiam quando ita necessarium fuerit in ordine ad finem spiritualem, & salutem animarum, & sic per indirectum, seu minus principaliter, vt innuunt verba *tex. in cap. Per venerabilem 13. vers. Rationibus qui fil. sint leg.* ibi. Quod non solum in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verum etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus. Adnotato aduerbio (casualiter) quod significat iurisdictionẽ ecclesiasticam exercitam casu, quo finis, & bonum spirituale animarum ita necessario postulauerit, vel consequutiuè, seu accessoriè iuxta *cap. 3. de don. inter vir.*

Si ergo Ecclesiastica potestas non se ingerit in sæcularem, nisi in casu necessario, cum sit maior, minus se ingeret sæcularis in Ecclesiasticam, cum sit minor; & insuper incapax istius iurisdictionis; adeo vt nec possit à par-

à partibus in arbitrum elegi, vt dicit *glos. verbo, Formam iuris in cap. Legitima 2. de appellat. lib. 6. & probat cap. Contingit 8. de arbitr.* ibi. Quia non decet vt laicus in talibus arbitretur, licèt vna cum Ecclesiastico possit, vt ibidem notauit *Panor. nu. 4.* vbi etiam ponit diuersitatis rationem, cur non possit committi causa spiritualis.

Quæ sunt iurisdictionis possunt committi clericis inferioris gradus, nó verò quæ Episcopalis ordinis, iuxta *cap. Aqua 9 de consecr. Eccles. vbi glos. pen.* assignat rationem diuersitatis dicens quod iurisdictio sola voluntate, & verbo committitur, & reuocatur, sed collatio sacramentorum non confertur sola voluntate, vel verbo, imò facto est opus &c.

Datur etiam iurisdictio per consuetudinem, vt probat *cap. 1. §. 1. de appellat. lib. 6.* ibi: De consuetudine competat in hac parte &c. coniuncta *glos. ibidem verbo, De consuetudine*, quæ dat iurisdictionem; idem *glos. verbo, De consuetudine in cap. Romana 5. de sent. excom. lib. 6.* & iam dictum est verbo, *Consuetudo.* Idem dicas ex indulgentia, *vt in cap. Cum contingat 13. de for. comp.* ibi. Ex indulgentia, vel consuetudine speciali huiusmodi valeant iurisdictionem sibi vendicare.

Insuper delictum dat iurisdictionem ei, qui aliàs eam non habet, vt dicit *glos. 1. in cap. Licet 20. de for. comp.* idem dicitur in causa dubitationis, vt per *glos. verbo, Sententiam, in l. 2. C. si cont. tus.*

Sicut subditus non potest à se eijcere iurisdictionem Episcopalem, sic nec prælatus suam iurisdictionem, inquit *glos. 2. in cap. Cum venerabilis 25. de censib.*

Perpetuatur autem iurisdictio tam ordinarij, quàm delegati per citationem, & per eam, seu conuentionem præuenitur, vt per *glos. in cap. Proposuisti 19. de for. comp.* & quoad primam conclusionem probat etiam *glos. verbo, Contestata in cap. Relatum 19. de offic. deleg.* Et per quemlibet iudicialem actum, etiam præter citationem, iurisdictio perpetuatur, vt inquit, dici solere, *glos. verbo, Incepta, in cap. Ne aliqui 10. de heret. lib. 6.* & probat *cap. Licet 30. de offic. deleg.* dum duobus delegatis in causa datis quoquomodo fuerit inceptum iudicium viuente vtroque si postea alter moriatur, poterit superstes vtriusque vices adimplere.

Prorogatio iurisdictionis fit de tempore ad tempus, vt notauit *glos. vlt. per tex. ibi in l. 1. C de iur. om. iud.* quandoque de personis ad personas, & quandoque de re ad rem, vt probat *glos. præd.* Nota tamen quòd in causa appellationis non datur prorogatio, & ratio est, quia causæ appellationum sunt misti imperij, & pertinent ad authoritatem superioris, vnde, & vtraque parte consentiente, non possunt ventilari apud iudices incompetentes; ita ponit *glos. verbo, Secundum mores in cap. In causis, de pac. Constant.*

Non etiam datur prorogatio in iurisdictione delegata quoad alias personas non expressas in commissione *vt in expresso tex. in cap. Petro 40. de offic. deleg.* ibi. Cum & si aliàs iurisdictioni præesse dicaris, quia in dictum I. nullam iurisdictionem habebas; iurisdictionis prorogatio nulla noscitur extitisse, cùm huismodi delegata iurisdictio ad alias personas nequeat prorogari.

Non mandat quis iurisdictionem, antequam nanciscatur eam; est enim per quam absurdum alij eam mandare, quam non habet, vt dixit *Iureconsult. in l. 4. vers. vlt. ff. de offic. proconsul.* à quo sumpsit *glos. in cap. Pastoralis 14. §. 1. de rescript.*

Nota in ijs, quæ sunt voluntariæ iurisdictio-

tionis non posse quid fieri altero inuito, siue eximatur filius, siue redigatur inuitus, siue quod pater eximere compellatur, inuitus, vt dicit *glos. verbo, Non est. in Auth. quib. mod. nat. effic. sui, §. Illud tamen, coll.* 7. Nisi in quatuor casibus, quos tradit *glos. vlt. §. vlt. quib. mod. suspatr. pot. sol. in Instit.*

Subdelegatus habet eandem iurisdictionem, quam delegatus; nam vt inquit *tex. in cap. Ex litteris 29. de offic. delegat.* demandata iurisdictio delusoria videretur, si subdelegatus huiusmodi coerctionem aliquam non haberet.

Non expirat iurisdictio minoris iudicis in præsentia maioris inquit *glos. verbo, Non potest in cap. 2. de offic. deleg.* Et licet videatur contra *tex. in cap. veniens 8. eod. tit.* vbi minor legatus Papæ ad aduentum legati de latere, qui est maior, non exercet iurisdictionem, tamen non obstat, cum non expiret, sed tantum suspendatur, ob reuerentiam, vt ibi pro Sed. Apostol. reuerentia; quod declarauit ibidem *glos. vlt.* in illis verbis. Interim suspensum est officium eius; eo verò recedente reassummit illud.

Imperitia hæredum iurisdictionis formã immutare non potest, dicit *tex. in l. Si filia 20. ff. fam. ercisc.*

Denegatur iurisdictio ex causa, vt inquit *glos. verbo, Non dabit per tex. in l. Iusiurandum 34. §. pen. ff. de iur. iur.* ibi. Iudicium ei prætor non dabit.

Expirat verò iurisdictio delegata à conjudice per mortem ipsius, si eo viuente delegatus vti ea non cæperit, vt in supra citato *cap. licet 30. de offic. delegat.* ibi. Quod si iurisdictione à suo sibi collega delegata, eo viuente, vti non cæperit; quia mandatum huiusmodi re integra, morte mandatoris expirauit, non habet solus officium iudicandi.

Expirat etiam prædicta iurisdictio delegata à legato per discessum ipsius à prouincia, si antea non sit per citationem perpetuata, vt in *cap. Nemini 10. §. vnic. de offic. delegat.* ibi. Secus vero si causas duxerint delegandas aliquibus, cum iurisdictio istorum expiret, si ante illorum discessum horum citatio non præcesit; vbi *glos. pen.* sic. Et ita patet quod recedendo à Prouincia sua expirat iurisdictio, sicut per mortem: ergo si citatio præcesit, valebit commissio post recessum, & sic per citationem perpetuatur iurisdictio, vt per *glos. vlt.* ibidem.

Si expirat iurisdictio delegati in termino peremptorio partibus assignato post congruam horam peremptorij, non expectabit iudex contumacem; si vero non expirat, potest expectare in alterã diem; sic summariè dicitur in *cap. Consuluit 14. de offic. delegat. & tex.* verba sunt. Hos autem credimus distinguendum vtrum iurisdictio duret post terminum peremptorium, an expiret in illo? Si durat in diem alteram, æquitate suadente, poteris expectare, nec erit pars contumax, peremptorio elapso, citanda, nisi gratiam fecerit ei benignitas iudicantis; si autem expiret, nisi partes, cum id nouerint, se tibi præsentauerint ea hora, qua congruè possis procedere ad exequendum, ne frustra iudicialis instantia euanescat. Nam semel extincta iurisdictio amplius non reuiuiscit, vt dicunt doctores per *tex. in l. Qui res 98. §. Aream, ff de solut.* ibi. In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest, & *cap. Quaris de consecr. dist. 4.* ibi. Vt semel regeneratus &c.

Iuramentum.

Triplex inuenitur. Voluntarium, quod ex voluntate datur, suscipitur, & reculatur, & extra iudicium fit, vt in *l. Iusiurandum* quod ex conuentione extra iudicium defertur, *ff. de iur. iur.*

Item

Item necessarium, quod necessitate imposita à iudice defertur, & suscipitur, vt *arg. ff. de in lit. iur. l. vlt.* Nec enim potest hoc sacramentum referri vel recusari, nisi prætendatur iusta causa recusationis vt *C. de reb. cred. l. Generaliter, §. Sin autem.* Item iudiciale, quod sic dicitur à iudicio, quando scilicet pars parti sacramentum in iudicio defert, quod non est necesse subire, sed potest recusari, & referri, *vt C. eod. de reb. cred. l. Delata, & l. Generaliter, §. Sin autem;* ita ponit *glos. vlt. in §. Item si quis postulante de action. in Instit.*

Tria requiruntur concurrant in omni iuramento, scilicet veritas intentionis, iudicium discretionis, & iustitiæ impletio, vt dicit *glos. in l. 4. C. de reb. cred. in additione.* Et propter hoc forsan quidam subtili reuerentia tenti, nec verum sacramentum præstare patiuntur, vt dicitur *in l. vlt. C. de fid. instr. & in l. Quæ sub conditione, ff. de condit. inst.* ibi. Alij perquam timidi metu diuini numinis vsque ad superstitionem. Alij vero faciles sunt ad iurandum contemptu religionis, vt in *ead. l.* Et si dubitantes iurant, anceps periurium subire videntur, vt habes verbo, *Periurus.* Quare dubitans petat inducias ad deliberandum, & dabuntur ei, vt per *glos. 2. in cap. Cum causam 6. de iur. cal.* ibi. In sacramento de veritate dicenda potest dubitare, vnde habebit inducias ad deliberandum, si dicat se dubitare &c. Et etiam vbi de calumnia iuratur datur tempus ad deliberandum, probat etiam *l. Iusiurandum 34. ff. de iur. iur.* ibi. Aut spatium dandum, vt certioretur, vbi *glos.* sic infert. Ergo liquet manifestè, quod non sufficit iurare se credere, sed præcisè sic esse, vel non esse. Ex debito vero iuramento non tenetur quis, nisi ad interrogata respondere, inquit *cap. Cum dilectus de accusat.*

In sex casibus licitè iuratur, quos ponit *glos. verbo, Pro vnitate, in cap. Significasti 4. de elect.* in his versibus.

Pax, & fama, fides, reuerentia, cautio damni,
Defectus veri sibi poscunt magna caueri.

Si iuramentum licitum vis dicere, cerne, quis, cui, quid, per quod, ad quid, quomodo; quando, inquit *glos. vlt. in cap. Tua 11. de iur. iur.*

Iurabunt ad sancta Dei Euangelia corporaliter à se tacta, dicit *Clem. 1. §. Porro de hæret.* vbi *glos. Tacta,* sic. In corporali iuramento non sufficit præsentia, sed requiritur tactura Euangeliorum; & in *Extrauag. vnica de Auth. & vs. pall.* ibi. Nisi obijcientes firment corporali præstito iuramento. Non tamen hoc procedit in Episcopis, & presbyteris, qui solùm propositis, sed non tactis Euangelijs iurant iuxta *cap. vlt. de iur. calum.* ibi. Propositis tamen, sed non tactis Euangelijs; sicut in dicendo testimonio, à te videtur huiusmodi iuramentum exhibendum, vbi *glos. pen.* dicit. Quandoque tamen tangit sacra.

In calumniæ iuramento quinque capitula continentur, quæ ponit *glos. verbo, Calumnia, in cap 1. illo tit. de iur. cal.* quę his versibus declarantur.

Illud iuretur, quod lis sibi iusta videtur,
Et si quæratur, verum non inficietur,
Nihil promittetur, nec falsa probatio detur,
Vt lis tardetur, nulla dilatio petetur.

Et semper quod quisque credit, & existimet est iurandum *l. 2. §. Quod obseruari, C. de iur. iur. propt. cal.* vbi *Apostil.* affert prædictos versus.

Præ-

Præstatur autem ab vtraq; parte non obstante quacumque consuetudine, vt in *cap.Caterũ 5.eod.tit.de iur.cal.*ibi. Præstari faciatis ab vtraque parte, consuetudine, quæ legi contraria est, non obstante. Nec poterit ab aliquo remitti; quia non pro commodo priuatorum, sed pro communi vtilitate posita est lex, vt inquit Imperator in *d.l.2. §.Sed quia C.de iur.iur.propt.cal.dand.* Poterit tamen remitti tacitè, vt notat ibid. *glos.* remitti, & statim in fin. Potest etiam dari illa ratio posita in *l.1.C.eod. tit.* ibi. Nam sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescitur. Sed aduerte quod non est de substantia iudicij, vt decidit *cap.1. de iur.cal. lib.6.* ibi. Cum huiusmodi iuramenta de calumnia præstari ab initio de substantia ordinis iudiciarij non existat.

In causa spirituali præstat excipiens iuramentum calumniæ, siue quod malitiosè hoc non proponit, inquit *glos.verbo, Iuramento, in cap. Dilectus 32. de elect. & probat.d.cap.1.§.2. de iur. cal. lib.6.* vbi de nouo præcipitur dari, licet de iure antiquo non daretur, eo quod in spiritualibus præsumebatur quod semper esset Deus in memoria, & sic non calumniarentur litigantes.

Qui iusiurandum defert, prius de calumnia iurare debet, si hoc exigatur, ait *l. Iusiurandum 34.§.Qui ff.de iur.iur.vbi glos.verbo, Exigatur,* notat sic. Quod sacramentum calumniæ potest remitti tacitè, cum demum sit præstandum, si exigatur; notat etiam *glos.verbo, Exigitur, per tex. ibi in l. De pupillo 5. §. Qui opus, ff.nou.oper.nunt.*

Si filius familias iusiurandum detulerit, & iuratum sit, danda est actio, quasi contractum, sic dicit *l. Depositi, ff.de pecul.* & ibidem notat *Apostill. ex Bald.* alibi melius non probari, quam hic quod per Iusiurandum quasi contrahitur, sicut per sententiam.

De alieno facto nemo inuitus tenetur delatum iuramentum præstare. Graue enim videbatur, & ignorantes, & inuitos tutores sub alieni compendij emolumẽto, etiam periuriũ anceps subire, vt dicit *l.4.ff.de in lit.iur. vbi Apostill.* hæc verba: Sic nota secundum Bald. quod quis non cogitur iurare de facto alieno, & aliena conscientia, nec debet quis grauare conscientiam suam ratione officij, quod gerit, sed salutem suam præferre cuicumque officio; probat etiam *glos.vlt. in cap. Ex rescripto 9.de iur. iur.* ibi. Quia simpliciter factum alterius iurare non poterant, nec promittere. De conscientia enim sua iurare debet, non de alieno facto, cum iniquum sit aliquem iurare de alieno facto, hæres, vel successor, vel filius per *l.Marcellus, §.1. ff. rer. amot. tradit cap. Vnicum de not. feud.* licet ibidem dicat contrarium de l. Lombard.

Qui iurauit aliter quàm ei delatum est, iterum iurare debet, ait *glos.vlt.in cap. Causam quæ 8.de elect.*

Qui delatum iuramentum reuocat, iterũ non poterit deferre ex ratione *l.Si quis 11. C.de reb. cred.* ibi. Satis enim absurdum est redire ad hoc, cui renunciatum putauit, & cum desperauit probationem, tunc denuò ad religionem conuolare, & iudices nullo modo eos audire ad tales iniquitates venientes. Nec etiam auditur ille cui defertur, volens referre in casu *l. Marcellus 11 §.vlt ff rer.amot.* ex ratione, de qua ibi. *glos.* in additione.

Ei soli nocere debet Iusiurandum, qui detulit, inquit *l. Eum qui 8.§.Si petenti, ff. de publ.in rem act.*

Iusiurandum alterius alteri neq; prodest, neque nocet. Matris igitur iusiurandũ partui non proficiet, nec nocebit *l.3.in fin. ff. de iur. iur.* & addit *l. 10.* Quia non debet alij nocere, quod inter alios actum est; probat etiam *l. Nam postea*

quam 9. §.vlt.eod.tit. ibi. Si aduersus alium velit prærogatiua iurisiurandi vti nihil ei proderit.

Nec matrem pupilli admittendam, & si parata esset iurare, inquit *l. 4. ff. de in lit. iur. vbi glos.* sic. Quia credimus quòd in infinitũ iuret amore filiorum, cum nullus affectus vincat paternum, &c.

Iurare autem in infinitum licet, ait *d.l.4. §.Deferre, ff.de in lit.iur.* quod debes intelligere de iuramento, de quo ille titulus loquitur. Alias nec pluries iuratur, vt in *Auth.In isto, C.de iur. propt. cal.* ibi. Ne sæpius iuretur in causa ex ratione, de qua *glos. verbo, Iurandum, in l.Qui bona 13. §.Si quis stipulatus, ff. de damn. infect.* ibi. Quia Sacramentum, quod semel est verum, semper erit verum, vnde non iuratur plus, licet tex.in eo casu dicat quòd iterum iuretur. Item qui iurauit aliter quàm ei delatum est, iterum iurare debet, vt per *glos. vlt. in cap. Causam quæ 8. de elect.*

An prælatus iuret nomine suo, & in animas conuentuum, vel maioris partis, vide verbo, *Abbas, & Prælatus*. Et an iuramento Episcopi possit fieri deterior conditio Ecclesiæ? Verbo, *Episcopus*.

Verum est Sacramentum testatoris, & hæredis; licet alibi dicatur quod multùm discrepet iusiurandum hæreditarium à principali sacramento, dixit *glos. verbo, Præstanda, in cap. 2. Si de inuestit. int.dom. & vassal.* Singulis hæredibus domini faciendum est sacramentum fidelitatis, vt arguit *glos. verbo, Oportere, in l.Si vsusfructus 16. ff. de vsufruct.* ex ratione, de qua ibi. Nam cum sit quasi indiuidua seruitus, sacramentum fidelitatis, & fidelitas ipsa in solidum debetur.

Hæredis iuramento probantur expensæ factæ in funus, inuentarij confectionem & alias necessarias causa hæreditatis, dicitur verbo, *Hæreditas*.

Hæredem necesse habere, vel iusiurandum subire, quòd nihil tale à testatore audiuit, vel recusantem ad fideicommissi vel vniuersitatis, vel specialis solutionem coarctari inquit *§.vlt.de fideicom. hæred.in inst.*

Iusiurandum loco probationis cedit, imo quasi probatio dicitur, vt per *glos. verbo, Absoluendus in cap.2. Si de inuestit. int.dom.& vassall.& glos.pen. ad fin. in cap.vnic.de feud.cog.* Nam & iuramenti præstatio est probatio, inquit *glos. verbo, Offerre, in l.Generaliter, §.Illo, Cod. non num.pec.* quod an sit verum, vide latissimè *Hipol.de probat.*

Iuris præsumptionem elidit iuramentum, vt ex *cap.vlt.qui matr. accus. non poss.* ibi. Nisi proprio iuramento firmauerit, quod postea dedicerit ea quæ obiecerit, dicit ibidem glos. in hęc verba. Nota hic quòd plus valet iuramentum vnius, quàm præsumptio Iuris, quia per istud iuramentum eliditur iuris præsumptio.

Et per iusiurandum quis suam innocentiam probat, vt dicitur in *l. Si furti. §. Qui iussu in fin. ff. ijs qui not. infam.* Sic ergo præsumitur pro aliquo ratione iuramenti infert *glos.in cap.Ad audientiam 13.de præscript.*

Nota tamen dari potius sacramentum reo, quàm actori, quia fauorabiliores sunt rei, nisi ex contumacia reus veniat damnandus, vel agatur de expensis ab actore factis; tunc enim actori, quia melius scit; si autem vterque sciret æqualiter, vel etiam vna persona est plus suspecta, quàm altera, honestiori sacramentum defertur, vt tenet *glos. verbo, Iureiurando in Auth.de nupt §.Quæ verò coll.4.* Si autem sint æquales, intrat rei fauor, vt supra.

Si non potuerit qui vim sustinuit, quæ perdidit singula comprobare taxatione à iudice facta per personarum, atque negotij qualitatem, sacramento æstima-

mationem rerum, quas perdidit, manifestet, nec liceat ei vltra taxationem à iudice factam iurare, ita *l. Si quando 9.C.V nde vi, vbi glos. verbo, Manifestet*, ait. Ratione ergo difficultatis, & in odium violenti stamus iuramento. Difficile est enim probare omnia vtensilia, vt dixit altera *glos. verbo, Comprobare, in d.l.Si quando*; Habes etiam de hoc in verbo, *Interesse*. In contrario autem iudicio depositi non datur hoc iuramentum in litem ex raione de qua tex. in *l. Ei apud quem ff.depos.*

Creditor etiam iurat in casu *l.3.C.de iur. dom.impetr.* super quantitatem vsurarum, & damnorum sibi illatorum vitio rei pignoratæ, cuius dominium impetrauerat, & quam debitor vult reluere offerendo debitum infra tempus in dicta l.constitutum, vt probatur in illis verbis. Et liceat ei creditori, qui iam dominus factus est offerre debitum cũ vsuris, & damnis vitio eius creditori illatis, quorum quantitatem creditor debet suo iuramento manifestare; *glos. vero ibid.verbo, Recuperare*, dicit quod prædicta non obseruantur, nisi consuetudo, vel statuta Ciuitatum.

Per iuramentum potest dari noua dilatio, vt dicis dicto verbo, *Dilatio*, & per iuramentum probatur ignorantia verbo, *Ignorantia*.

Per iusiurandum transactum videri, inquit *l Quod si deferente 22.ff.de dol.* & addit; stari enim religioni debet.

Iusiurandum vicem rei iudicatæ obtinet, non immeritò; cum ipse quis iudicem aduersarium suum de causa sua fecerit, deferendo ei iusiurandum, dicit *l. 1.ff.quar rer.act.* Non tamen extenditur de vna re ad aliam, vt in *l. Quoties, §. vlt.ff.de act.* ibi. Non esse dandam exceptionem quasi de alia re iuratum sit; & facit *cap.Ad audientiam 4. de ijs qua vi.* ibi. Non obstante iuramento, quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur.

Nec de persona ad personam extenditur, vt supra dictum est, & probat optima *l.1.§.1.ff.quar.rer.act.* Si fideiussor, inquit, iurauerit, siquidem de persona sua tantum iurauerit, dabitur exceptio reo.

Nec etiam extenditur ad ea, de quibus non fuit cogitatum in iuramẽto, & quæ tunc non extabant, vt tenet *glos. 1. in cap.2.de renunc.& verbo, In mente per tex.ibi in cap.Ad nostram 21.de iur.iur.* Sed restringitur ad ea de quibus verisimiliter est actum, vt dixit *glos. in l. Non videntur 128.ff.de reg.iur.vbi Apostill.* illam dicit valde notabilem ad hoc, quod iuramentum simpliciter præstitum superiori per subiectum de obediendo ei, intelligitur semper in licitis, & honestis, & in verisimilibus, & in his, quæ spectant ad eius officium, aliàs autem non.

Iuramento quandoque inest tacita conditio ad *l. vlt. C. non num.pec. vbi notat glos.verbo, Sacramenti*, & idem probat *cap. Quemadmodum, cum sua glos. de iur. iur.* Vt si licitæ rei fuerit; quia legibus expressum est illicitæ rei iusiurandum seruari non oportere, vt dicit *Auth. quod eis, C. de nupt.* Nec iuramentum licitè seruari potuit, quod contra canonica instituta illicitis pactionibus informatur, vt in *cap. Si diligenti de for.comp.& ibi glos.vlt.* sic ait. Ergo patet quod si contractus non tenet, siue pactum; iuramentum de obseruando ipsum contractum, vel pactum non tenet, neque obligat &c. & quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Probat etiam *glos. vl.in c. Dilecti 13.de maior.& obed.* ibi. Nota quòd iuramentum non extenditur ad ea, quæ de iure præstanda non sunt, licet super his iuretur. Iuramentum enim non fuit inuentum, vt esset vinculum iniquitatis &c. & iuramenta præstita contra statuta Canonum non tenent &c. Et quia iuramentum illud

præ-

præstitum fuit in damnum Ecclesiæ vnde non tenuit. Nec enim iuramenta, sed periuria sunt dicenda, quæ contra vtilitatem Ecclesiæ, & sanctorum Patrum veniunt instituta, inquit *cap. 1. de ijs, quæ fi. à maior. part.* De illa vero materia, scilicet quando validum fit, vel nullum iuramentum ratione nullitatis contractus, cui apponitur, si cupis, latius videre, vide *glos. magn. & magistram in cap. Item Sacramenta, verbo, Super contractibus de pac. tenend. in feud.*

In iuramento de quo *in cap. Constitutus 19. ad fin. de rescript.* & alijs similibus semper intelligitur authoritas maioris, excepta, vt inquit, ibidem *glos. verbo, Iuramento,* & prosequitur ita. Item si talis conditio inest iuramento, numquam est necessaria dispensatio in tali iuramento, quia si displicet Papæ non est ligatus tali iuramento, &c. sed ideo dicitur authoritas Superioris excepta, quia non præiudicatur ei quin possit facere. Verius videtur quòd conditio talis subintelligitur in huiusmodi iuramentis, & hoc ideo, quia super re alterius, vel quasi, iuramentum tale præstatur, & de re alterius præcisè iurari non potest, imò esset anceps periurium &c. & ideo authoritas D. Papæ in talibus intelligitur tacitè excepta, licèt non excipiatur expresè.

Nec periurat qui legis licentia contra Sacramentum venit, vt dicit *glos. verbo, Agitur, in l. 1. ff. de act. empt. & glos. verbo, Extorta, in Auth. Sacramenta puberum, C. Si aduer. vend.* sic. Non videtur deierare, qui ex legitima causa contrauenit; facit etiam *glos. verbo, Permittitur in Auth. Quod eis, C. de nupt.* vbi alias affert causas.

Nec etiam ille, cui non est seruata pacti conditio iuxta *cap. 3. de iur. iur.* ibi. Nec tu ei etiam si promissum tuum, iuramento firmasses, vel fidei obligatione interposita conditione firmasses, aliquatenus teneris, si constat eum conditioni minimè paruisse.

Nec insuper qui necessitate compulsus contra iuramentum facit, vt in *cap. Querelam 30. de iur. iur.* ibi. Contra suum iuramentum non necessitate, sed voluntate, & ibidem *glos. verbo Necessitate,* sic. Nota quod necessitas excusat à periurio &c. & legem non habet &c.

Nec denique dicitur infringere iuramentum qui in melius illud commutat, vt per *glos. verbo, Commorari ad fin. in cap. Tua nos 14. de iur. iur.*

Alias non est tutum quemlibet contra suum iuramentum venire, nisi tale sit quod seruatum vergat in interitum salutis æternæ; nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra iuramentum proprium, ne authores periurij videamur, dixit *Pontifex in cap. Si vero de iur. iur. & Imperat. in l. 2. Cod. Si aduers. vend.* sic. Neque perfidiæ, neq; periurij me authorem tibi futurum sperare debuisti; *& in Auth. de nupt. §. Quæ vero post princip. coll. 4.* ibi. Nec sinere talia subire iuramenta, in quibus omnino periurium promptum est, probat etiam primam conclusionem *glos. magn. in cap. 2 de ijs quæ vi.* ibi. Et iuramentum super hoc factū tenet, dum tamen tale sit factum super quo iuratur, vel quod promittitur, vel traditur, quod seruari possit sine interitu salutis æternæ; alias non tenet iuramētum, *& glos. vebo, Venire, in cap. venerabilem 34. de elect.* quod ampliat *glos. verbo. Salutis æternæ, in cap. Cum dilectus 6. eod. tit. de ijs, quæ vi.* in salute corporali.

An teneatur impubes suum seruare iuramentum? Respondet *glos. 1. in addit. Auth. Sacramenta puberum, C. si aduers. vend.* ita Doctores communiter tenent teste *Bart.* hic quòd si impubes est proximus pubertati, ita quod in eo cadat delictum, tunc obligatur iuramēto &c.

quia sicut peccando, & peierando obligatur Diabolo, ita & Deo.

Iurisiurandi contempta religio satis Deũ vltorem habet, dicit *l.2. C. de reb. cred. & l. Nam sufficit periurÿ pœna 23. ff. de dol. gloſ.* explicat, idest diuina vltio. Quod intelligi debet in iuramento voluntario litis decisiuo iuxtà terminos *l.1.C.eod.tit.de reb. cred.* Nam necessarium potest retractari per instrumenta de nouo reperta, vt ibidem notat *gloſ.*

Dominus inter iuramentum, & loquellam nostram nullam vult esse distantiã, quia sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium ex *D.Chrisost.refertur in cap.Iuramenti huiusmodi 22.q.5.*

Qui in religionem diuinam committit, in omnium fertur iniuriam, & publicũ crimen committit, dicit *gloſ. verbo, Grauius in cap. Vergentis 11. de hæret.*

Nota quòd sacramentum reuocatur prætextu periurij, vt in casu *Auth. vt lice. mat. & aui. §. Quia vero verſ. Si autem coll.8. dicit gloſ. verbo, Testimonium,* licèt ibidem dicat quòd regulariter est contra. Neminem vero diuini timoris contemnendo iusiurandum arbitramur immemorem, inquit *Imperator, in l. vl. C. ad l. Iul. pecul.*

Denique per legem posse remitti iuramentum vltra supra dicta habes in verbo, *Lex*, Item ex consensu partium. Item quando tractatur de ventre inspiciendo in renunciationem, quam faciunt obstetrices etiam sine iuramento, vt per *gloſ. 1. in l. Iurisiurandi 8. C. de testi.*

Ius.

GEneralenomen est; & ideo dictum quia iustum est. Continet autem multas species, vt in *cap. Ius 1. dist.* Est namque aut naturale, aut gentium, aut Ciuile, vt *in cap. Ius autem, ead. dist. & in princ. de iu. nat. gent. & Ciu. in Instit.* vbi de cuiusque definitione. Est etiam ius publicum, vt in Sacris, Sacerdotibus, & Magistratibus, *cap. Ius publicum ead dist.* Priuatum vero non solum dicitur priuilegium, quasi priuata lex, & quia in priuatum feratur, vt *in cap. Regula verſ. vlt. & cap. Priuilegia, dist. 3.* Quod aliàs dicitur speciale, cuius contrarium est ius commune, vt per *gloſ. verbo, Nunciatione, in l. de pupillo 5. §. Si quis ff nou. oper. nunc.* Sed etiam potest dici omne quod cuilibet competit vel ratione personæ, vel rei, vel etiam actionis, vt in *§. vlt. illo tit. de iu. nat. in Instit.* de quibus singillatim agitur per Iustin. in ijsdem instit. nam de primo tractat *in lib. 1. à tit. 3. de Iur. personarum vsque ad fin.* de secundo, *lib. 2. & 3. vsque ad tit. de obligat.* & de tertio, *lib. 4. toto tit. de action. vt notauit gloſ. in §. vlt. dict. tit. de iur. nat.*

Est etiam ius canonicum, quod licet aliquando diuinum nominetur ad differentiam legum Ciuilium, vt in *cap. 1. de iur. cal.* ibi. Nos itaque diuinæ, & humanæ legis, & in *cap. fin. 3. q. 5.* ibi. Diuina, idest Ecclesiastica, & lato modo diuinum appellatur per *Couar. practic. cap. 31. sub num. 2.* Tamen quia istud ius non dedignatur Ciuile imitari, adeo vt etiam in causis Ecclesiasticis, vbi contrarium non disponitur per Canonicum seruandum sit, vt in *cap. 1. de nou. oper. nunciat.* ibi. Sacrorum instituta Canonum principum constitutionibus adiuuantur, *& gloſ. verbo, In ætate. in cap. Cum dilectus 32. de elect.* ibi. Vbi enim iura Canonica non contradicunt legibus, imo concordant, illis stabo; ideo inter vtrumque distinctionem non facimus, & quod

de vno dicimus, de altero etiam intelligimus, nisi quando aliud expresse in contrarium inuenitur, & in hoc sensu procedit *tex. in cap.* Ius ciuile est quod quisque populus, vel Ciuitas sibi propriũ diuina, humanaque causa constituit.

De iure naturali aliqua dicis infra verbo, *Natura*.

Ius autem gentium omni humano generi commune est. Nam vsu exigente, & humanis necessitatibus, gentes humanæ iura quædam sibi constituerunt. Bella etenim orta sunt, & captiuitates sequutæ, & seruitutes, quæ sunt naturali iuri contrariæ; & hoc iure gentium omnes pene cõtractus introducti sunt, vt inquit *Imp. in §. Ius autem de iu. nat. in Instit. & in cap. Ius gentium dist.* 1. sic. Est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera pacis, induciæ, legatorum non violandorum religio &c. Hoc inde ius gentium appellatur, quia eo iure omnes fere gentes vtuntur.

Ius verò ciuile, licèt strictè dicatur quod quilibet populus, vel Ciuitas sibi constituit, vt supra, tamen lato modo, & communi vsu loquendi intelligitur illud, quod in lib. digestorum, C. & Auth. continetur, quod alias ius cõmune appellatur. Si verò volumus propriè, & strictè loqui cum *Vlpian. in l. 6. ff. de iust. & iu.* Ius ciuile est quod neq; in totum à naturali, vel gentium recedit, neque per omnia ei seruit. Itaque cùm aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium, idest ciuile efficimus. Et constat ex legibus plebescitis, Senatuscõsultis, decretis Principum, & authoritate prudentium, vt per *Papinian. in l. 7. eod. tit.* Definitur à Celso per eundem Vlpian. relato in *l. 1 ff. de iust. & iu.* quod sit ars boni, & æqui, cuius merito quis nos Sacerdotes appellet. Iustitiam namque colimus, & boni, & æqui notitiam profitemur; æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes; bonos non solum metu pænarum, verum etiam præmiorum, quàm exhortatione efficere cupientes: veram nisi fallor, Philosophiam, non simulatam, affectantes.

Alia etiam significatione ius dicitur locus, in quo ius redditur, appellatione collata, ab eo, quod fit, in id, vbi fit; quem locum determinare hoc modo possumus: vt vbicumque prætor salua maiestate Imperij sui, saluoque more maiorum ius dicere cõstituit, rectè ius appelletur; sic per *Paul. in l. pen. vers. Alia ff. de iust. & iu.*

Iuris sapientia est quidem res sanctissima, & quæ precio nummario non sit æstimanda, nec dehonestanda, dicit *Vlpian. in l. 1. vers. Proinde. ff. de var. & extraord. cog.* optimus quidem tex. pro multis clientulis, qui nec taxata salaria soluere volunt suis aduocatis, & procuratoribus, non cõsiderantes quòd talia non dantur pro scientia, sed pro labore extrinseco, scripturarum, informationum etiam in voce, articulorum, aliorumque inumerabilium, & insuper non attendentes quod sicut illis donatur scientia, vt notat ib. *glos verbo Aestimanda per l. Aquilius ff. de donat.* tenentur ipsi saltem naturaliter ad remunerationem ex *l. Sed & si lege 28. §. Cõsuluit ff. de petit. hered* ibi. Ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligauerunt.

Iuris professionem esse de liberalibus studijs innuit *Imp. in l. 1. C. Qui etat. vel profess. lib.* 10. ibi. Cum vos liberalibus studijs operam dare affirmetis, maximè circa iuris professionem, licet dicat ibidem glos. quod non est verum.

In regijs Ciuitatibus, & non in paruis Villis, siue Castris iura docenda sunt, vt notat *glos. verbo*,

Ad villas. in cap. Ex tua 12. de cleric. non resid. Vidi tamen in hoc meo incolatu contrarium, doceri in paruis locis illa prima iuris rudimenta institutionum, & illis tantum, elapso anno, doctorari quamplurimos, sed an iuris essent periti, nescio; vnum scio quod de quadraginta annis, & vltra iuris professioni semper incubui, & neque vnum iota, nec apicem vnum vtriusque præteriui, quem non perlegerim, & tamen fateor me quicquam nescire; si prædicti doctores docti euaserunt, gratias Deo referant pro scientia infusa, vel perspicaciori ingenio, & felici memoria, sed à communiter accidentibus mihi videntur tales ius, in quo non versati sunt, scire non posse; & minus ea tueri. Parũ est autẽ iura condere, nisi qui ea tueatur existat, vt dicitur in *Extrauag. vnica de Iudi. int. com. & in l. 2. §. Post originem ff. de orig. iur. coniuncta glos. verbo, Constituti, in cap. 1. §. Hominicidium de pac. tenend.*

Fieri debent iura cum multo cõsilio, dixit *glos. per tex. in cap. 2. de reb. eccles. lib. 6. verbo, Consultissimo*, idest cum multo consilio. Et quod medicamenta morbis exhibent, hoc iura negotijs *glos. 1. in cap. Cæterum 5. de iuram. calum. & verbo, Morbo, in cap. vlt. de elect. in 6.* quod deduxit *ex Auth. Hæc constituit. in princ. coll. 8.*

Insurgunt iura contra eos, qui ius eludunt, vt in *cap. 1. in fin. de appellat. lib. 6.* Non enim oportet ius calumniari, neque verba eius captare, sed qua mente dicetur, animaduertere ait *l. penult. ff. ad exhib. & in l. Tutoris 40. §. Tutor.* ibi. Non est leuis culpæ contra iuris authoritatem detrectare *ff. de admin. tut.* Nec etiam negligi debet, vt in *cap. 3. de supplen. neglig. prælat.* ibi. Ne igitur ius nostrum negligere videamur &c.

Et in sceleratos, maximè criminibus pessimis notatos, insurgunt, & armantur, vt per *Imp. in l. Cum vir 31. C. ad l. Iul. de adult.* ibi. Iubemus insurgere leges, armari iura gladio vltore.

Qui contra ius venit, peccat: dicit *Apostill. ad cap. 2. de concess. præb. lib. 6.* ibi. Nota quòd contrauemens iuri, peccat &c. imò incurrit infamiam per tex. ibi. Damnabiliter contra Lateranen. Concilium. Vnde contra ius non admittitur supplicatio, prout dicitur in *Summario l. 3. C. de adoption.* ibi. Non debet admitti supplicatio contra ius non expressa causa dispensationis, quod procedit etiam in ordine iuris peruertendo, vt in *cap. 25. de appellat.* Qua fronte, inquit, nos consulere valeas, cum dicaris ordinem iuris perturbare, vbi glos. sic: Nam iure posset ei dici, peccasti, quiesce. Neque enim credendum est Rom. Principem, qui iura tuetur totam obseruationem multis vigilijs excogitatam, atque inuentam velle euerti, ait *l. Si quando, 35. C. de inoff. testam.* Sed benè illa interpretatur, vt dicis verbo, *Imperator*.

Iura considerant effectum, non formulam verborum, inquit *glos. verbo, Fecit in l. Legitimos 5. ff. de legit. tut.*

Sicut prouident iura, quòd opportunitas ad malum tollatur, ita prouident ne opportunitas ad bonum tollatur, notat *glos. per tex. ibi in cap. Cum ex eo 34. de elect.* Et non obstante omni prouidentia, semper machinationes humanæ faciunt ambiguitatem insurgere, vt vix inueniatur quid certum, clarumque; sicut dicitur in *proem. Clem.* ibi. Quoniam nulla iuris sanctio, quantũcumq; perpenso digesto consilio ad humanæ naturæ varietatem, & machinationes eius inopinabiles sufficit, nec ad decisionem lucidam suæ nodosæ ambiguitatis attingit: eo præsertim quòd vix aliquid adeo certum, clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus (quibus iura iam posita mederi non possint) in dubium reuocetur. Vnde prouenit eiusdem iuris mutatio, & va-

rietas, vt dixit *Iurisconsf.in l.Iusiurandum 34 §.pen.ff.de iur.iur.* ibi Forsitan ex diuersitate rerum, vel personarum quibusdam emergentibus quæ varietatem inducunt, & ibidem notauit glos. Alias expedit concordare iura iuribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) euitari *cap.Cum expediat 29.de elect.lib.6.*

Nec etiam possunt dari iura super incerto facto, vt in *cap de muliere 6.*ibi. Certum nobis nihil postea expressisti, nihil certum inde tibi possumus respondere *de spons.* cui consonat *l.Vt responsum* i congruum accipere possis, insere pacti exemplum *C.de transact.& glos. verbo, Soluere post med.in Extrauag.vnica de elect.* ibi. Nam tibi super incerto à iure non determinato, quærenti certum dare nequeo responsum.

Ex quo sequitur quòd cùm futura sint incerta, super illis non datur ius; sed super tempus præsens, vt optimè dicitur *in l.Continuus 137.§.Cum quis ff. de verb.oblig.* ibi. Nec ad rem pertinet, quod Ius mutari potest, & id, quod impossibile nunc est, postea sit possibile fieri. Non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum præsentis æstimari debet stipulatio.

Ius terminum finitum dicitur habere, facta vero sunt infinita, vt deducitur ex *l.2.ff.de iur.& fact.ig.* ibi. Cùm ius finitum esse, & possit, & debeat, facti autem interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat. Verùm doctores nostri illud quasi infinitum reddunt infinita volumina scribêtes; sed vt adimpleatur scriptura, quæ dicit, faciendi libros infinitus est numerus, qua forsan motus ipse hunc congero.

Non prius iuris ratio, quàm persona quærenda est, inquit *l.Quidam referũt 14 ff.de iur. codicill.* Et vbi ratio diuersa non datur, eadem iuris dispositio dari debet, vt dicis in verbo, *Ratio*. Sed quid si in iure non reperitur cautum, nec possit de similibus ad similia, & de ratione eadem argumentari? Videtur Principem consulendum, cùm alias nõ possimus aliquid sine lege afferere, vt in *Auth.de non elig.secund.nub.§.Optimum itaque,* ibi. Nec quælibet est lex tale aliquid dicens *coll. 1. & in Extrauag.vnic. de vot.* ibi. Cùm nec de iure diuino, nec per sacros reperiamus Canones hoc statutum. Erubescimus enim cum sine lege loquimur, vt in *Auth. de trient.& sem.§.Consideremus, coll.3.*

Vel etiam dici potest quod seruari debet æquitas, vt in *cap. vlt.de transact.* ibi. In his vero, super quibus non inuenitur ius expressum, procedes, æquitate seruata. Quando autem æquitas potius, quam iuris rigor, seruanda sit? dixisti verbo, *Aequitas*, & notas in verbo, *Seueritas*.

Ius summum sępè summam malitiam esse, dixit Terent. in Heautontimorumen.& vulgariter dicitur summa iniuria, quod videtur probari in *l. Si seruũ 91.§ Sequitur.ff de verb.oblig.*ibi. Ette enim hanc quæstionẽ de bono,& æquo; quo in genere plerumque sub authoritate iuris scientiæ perniciosè erratur. Et ideo, secundùm Canones, non iuris ciuilis rigor, sed æquitas seruatur, vt notauit *glos.per tex.in cap.Sæpè 18.de rest. spol.* ibi. Vnde non obstante iuris ciuilis rigore sancimus &c. & dicitur in *cap.1. de dol.& cont.* quod in Ecclesiasticis personis, & negotijs rigor, & districtio iuris non requiritur, attestante *Salomone Eccles.7. cap.* Noli esse nimis iustus, & affertur *in cap. Serpens de panit.dist.1.*

In turbatione Regni etiam iuris rigor seruari non potest, vt dixit *glos.vlt.in cap. vlt de transact.* Licèt alias iuris executio non habeat iniuriam, *l.Iniuriarum 13.§.Is qui, ff.de iniur. glos. verbo, Iure licito in l.3.§.1.ff.quod met.cau.& in l.4.verbo, Actionem, ff.de aqu.pluu.arc.*

In materia stricti Iuris, seu eiusdem rigoris,

tis, & æquitatis non prætereamus *tex. optimum in l.8.C.de iud.Placuit(inquit Constan.Imper.)* in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ,æquitatisque scriptæ,quàm stricti iuris rationem. Strictũ autem ius,vel ratio stricti iuris dicitur tribus modis.Primo ad differẽtiã actionis bonæ fidei,& sic accipitur *in §.Actionum de act.in inst.* Secundo quod est adeo strictum ius, idest firmatum, vt nullo modo possit ab eo recedi, & in hoc sensu procedit *l. Prospexit,ff. qui, & à quib.* ibi. Quod quidem per quam durum est, sed ita lex scripta est. Tertio cum latius, mitiusue quam dictet æquitas aliquid statuatur, & in hoc procedit *d.l.Placuit*, vt notauit ibidem *glos.vlt.* Cùm autem inter æquitatem, & ius dubium erit, ad Principem recurrendum, dicit *l.1.C.de legib.* ibi. Inter æquitatem, iusque interpositam interpretationem nobis solis, & oportet, & licet inspicere.

Ius antiquum seruandum est, inquit *l. 1. prope fin ff. ad Tertyll. & facit cap.A nõ facto in fin.50.dist.* ibi.Quotiescumq; in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur,illius Concilij sententia magis teneatur,cuius antiquior, & potior extat authoritas. Nam tantæ authoritatis est,vt etiam si sit correctum per nouum ius, adhuc antiquum allegari poterit ad declarationem noui, licet non ad decisionem, vt in *l. 1. C. de lat. lib.toll.* ibi. Ad similitudinem antiquæ, & probat *glos.verbo,Sed vt in §.1.de testa.in Instit.in addit.*ibi. Sed dic quod licitum est scire, & allegare ius correctum ad declarationem Iuris noui, non ad decisionem.

Quæ sunt de iure communi difficilius tolli possunt, inquit *glos. verbo, Inutilem ad fin in l.1.§.1.ff.quib.mod.pig.sol.* & ideo quod ad illud redditur,extendendũ, vt dixit *glo.in cap.Statutũ de preb.lib.6.* ibi. Per hanc redditur ad ius commune extendenda est igitur, quæ valde celebrátur per *Couar 3.var. cap. 6. num.4.* idem per eadem verba *glos. verbo, Numerandum, in cap.Statutum 3.de appellat.lib.6.*

Iuris solemnitas seruanda est, fallit inter mercatores, quia potius apud eos seruatur fides, & æquitas, ita notat *Apostill.ad glos.verbo, Solemnia, in l.1.ff.de iniust.rupt.* Nec etiam apices iuris attendendi, maximè in bonę fidei iudicijs, vt in *l.Si fideiussor 29.§.Quadam tamen, ff.manda.* ibi. De bona enim fide agitur, cui non congruit de apicibus iuris disputare, sed de hoc tantum debitor fuerit, necne, à quo deduxit *glos.1.in cap.Dilectis 6.de iudic.* vbi prohibentur iuris subtilitates in causis; si vis verba eius vide verbo, *Subtilitas*.

Quod ipso iure venit, non est necesse vt declaretur,iuxta *l.Quæsitum 9.§.1 ff.de distract.pig.* ibi. Superuacuum est, quia ipso iure ita res se habet, etiam non adiecto eo.

Quod iuris est de toto quoad totum,idem de parte, quoad partem vulgariter deducitur ex *l.Quæ de tota re vendicanda* dicta sunt,eadem & de parte intelligenda sunt *ff.de reiuend.sed glos.verbo,Posse in l.Per fundum 11.de seruit.rust.* dicit sic. Item aliud, quod non est idem iuris de parte, quoad partem, quod de toto quoad totum, & ibidem additio ita. In indiuiduis non procedit argumentum de toto quoad partem, quoniam in partem diuidi non potest &c. In his verò,quæ sunt diuidua,benè procedit. Hic potest notari quód iura sunt indiuidua, nec partes illas discretas habent, vt dixit *glos.verbo,Si certa in l.Si consensit,§.2.ff.quib.mod.pig.sol. & glos.vl.per tex.in cap.Nisi 21.de prabend.* ibi. Quoniam sicut ius diuidi non potest &c.

Quod ius permittit, & Princeps permittere videtur, dixit *glos verbo, Non licet in l.Legatam 5 ff.de admin.rer.ad ciu.* Et quod iure subsistit, reuocari non debet

bet *l.Si priusquam* 8.*C.de distract.pig.* Nec prætoris factum iuri derogari oportet *l.*1.*in fin.ff.de fer.*

Vigilantibus, & non dormientibus iura subueniunt, dicitur in *l.Pupillus* 24. *ad fin.ff.quæ in fraud.cred.* ibi. Sed si vigilaui meliorem meam conditionem feci; quia ius ciuile vigilantibus scriptū est *l.Vt perfectius*, ibi. Sed sit aliqua inter desides, & vigilantes differentia, *C.de annal. except. cap. Dilecto* 28. ibi. Sibi enim imputare poterit pars aduersa, si negligens fuerit in sua iustitia prosequenda, *de verb.signif.* & notat *glos. verbo, Incuria, in cap. pen. de consuet.* Non etiam fauet ius delicatorum vocis, dixit *glos.verbo, Non potest, in l.Vt pomum, ff.de seruit.* Nec succurrit decipientibus, sed deceptis, nec stultis, sed errantibus, vt inquit *tex. in cap. pen.de rer.permut.* ibi. Cum igitur deceptis, & non decepientibus iura subueniant, vbi *glos. verbo, Deceptis*, sic. Quia stultis non consueuit succurri, sed errantibus. Quid ignorantibus ius? Respondet *l.Regula* 9 *ff.de iur.& fact. ignor.* ita. Sed iuris ignorantiam non prodesse &c. Si Iurisconsulti copiam habeat, vel sua prudentia instructus sit, vt cui facile sit, scire, ei detrimento sit iuris ignorantia, quòd rarò accipiendum est, & ibi *glos.verbo, Rarò*, sic intelligit, sed in lucro tantum; in damno autem quamuis Iurisconsulti copiam habeat, tamen sibi subuenitur, vt supra &c. cui consonat altera *glos.verbo, Cōtractu, in Auth.de non alienan. §.Quia vero in fin. coll.* 2. ibi. Nec sibi nocet iuris ignorantia in damno vitando, & latius dixisti verbo, *Ignorantia*, vbi etiam in damnis nocet iuris ignorantia in odium negligentiæ, & quod in naturali iure non licet errare.

Iuris peritorum quod sit sequenda sententia. Habes verbo, *Peritus*.

Testatoris error nō facit ius, sed vniuersitatis sic, vel Principis &c. sic dicit *glos. in verbo, Ornamētorum* 39.*ff.de aur.& arg.lega.*

Iura non præiudicant alicui, vt dixit *Imperator in l. Cum scimus nostra iura nolle præiudicium generare cuiquam, C. de agricol.& censib.lib.*11.

Ius publicum valde priuilegiatum est, vt testatur *Imperator in l.pen.ad fin. C.de fideiussor.* ibi. Multis enim priuilegijs propter publicas necessitates publico iuri præstitas, non ab re est; & nos huiusmodi prærogatiuam ei condonare. Vnde contra illud longi temporis præscriptio non obstat *l. Diligenter* 9. *C. de aquaduct.lib.*11. ibi. Vt ius suum regiæ Ciuitatis restituatur, & quod publicum fuit, aliquando minimè sit priuatum, sed ad omnes vsus recurrat &c. nec longi temporis præscriptione profutura. Nec tolli potest pactionibus *l. Neratius* 20. *ff. de religios.* ibi. Quia pacto h[illegible] ius publicum infringi nō possit, *l.Quidam* 6 *ff.de admin.tut.* ibi. Nemo enim ius publicum remittere potest huiusmodi cautionibus, aut mutare formam antiquitus constitutam, & in *l.Cerdonem* 42.*ff.de oper.lib.* ibi. Nam iuri publico derogari nō potuit, qui fideicommissariam dedit libertatem.

Fortius est ius, quod spectat ad aliquem iure singulari, quàm quod expectat iure communi, seu collegij, & facilius euellitur secundum, quàm primum. Hinc est quod ius collegij non transit in monasterium per professionem, sed ius priuati benè transit; sic dicit *glos. magna in additione in cap. Beneficium* 4.*de regular. lib.*6.

Item nota quòd vbi in diuersis personis ius priuatum concurrit cùm communi, & extraordinarium cum ordinario, priuatum, & extraordinarium communi, & ordinario præferuntur; & hoc facit prærogatiua illorū, per quos specialia sunt concessa; item fauor illius, pro quo concessa est res. Secus si in eadem persona concurrerent, quia tunc primò

mò debet vti ordinario, quàm extraordinario; ita ponit *glos. verbo, Mallent, in Extrauag. vnica ne Sed. vac. int. com.*

De iure suo, non vero de alieno quisque agere debet, vt inquit *l. vti frui 5. ff. si vsusfruct. pet.* ibi. De suo enim, non de alieno quemquam agere oportet. Nec propter metum periculi temerè ius suum indefensum relinquere, dicit *l. Illud 43. ff. de pet. hæred.*

Quid autem si quando egit, ius non habebat, sed pendente iudicio ei superuenit? Respondet *Apostill. ad l. Si rem 9. §. vlt. ff. de pignor. act.* in hunc modum, *Bald.* hic reputat hunc tex. sing. ad hoc, quod ius superueniens pẽdente iudicio actori in re, de qua litigat ex causa de præterito fundat actionem, ab initio malè institutam; verba autem dicti tex. ita se habent. Qui antè solutionem agit pignoratitia, licet non rectè egerit, tamen si offerat in iudicio pecuniam, debet & rem pignoratam, & quod sui interest consequi.

Nota quod diffidentia iuris permittit variare, vbi non est ius alteri acquisitum, vt per *glos. verbo, Diffidere in cap. Bona 4. de postulat. prælat.* Quod intellige de iure in re, non ad rem, vt dicitur in *Extrauag. vlt. de elect. int. com.* ibi. Dummodo in eis Ius in re, licèt ad rem non sit aliquibus acquisitum. Et tamen in *Extrauag. vnica de offic. deleg. int. com.* sic dicitur. Ius ad rem expectantibus dicta beneficia ante competens, ex ratione immutari nõ debet; nam nec cuilibet gratia fauente, vltra quam meretur, impertior, nec vlli hoc, quod sui iuris est, ambitu stimulante derogabo; dicitur in *cap. De ecclesiasticis 25. q. 2.* & plus dicit *glos. verbo, Innouata, in cap. Non solum de appellat. lib. 6.* ibi. Vnde sicut ius alicui non debet auferri, ita nec spes ad ius.

Licet aliquando quis possit priuari suo iure sine culpa, vt in *cap. Antiqua 23. de priuileg.* quod loquitur de Patriarchali Hierosolymitana Ecclesia, quæ fuit prima olim, & nunc est vltima propter paupertatem, vbi *glos.* 2. sic ait. Et sic priuata fuit iure suo sine culpa, quod esse non debet regulariter, hoc tamen fuit non sine causa &c. quod fit pluribus modis. Vnde versus.

Paupertas, odium, vitium, fauor, & scelus, ordo
Personas spoliant, & loca iure suo.

Priuatur etiam quis iure suo propter maius bonum, & sine culpa punitur, vt dixit *glos. verbo, Ereximus in Extrauag. vnica de offic. deleg. int. com.*

Est autem æquius quod propter ius in re seruetur ius ad rem, quàm propter ius ad rem extinguatur ius in re, vt aliàs in casu dicit *glos. verbo, Consuetis in cap. Si is 39. de præben. lib. 6.*

Dolo malo non videtur habere, qui iure suo vtitur, dicit *l. 3 ff. de libe. hom. exhib.* Nec est quod ei imputetur, qui Iuris sui conseruandi facit, vt ait *glos. verbo, Defendendarum in l. 3 ff. de incend. rui.* per tex. ibi. Cum enim defendendarũ mearum ædium causa fecerim, vtique dolo careo.

Non debet alterius collusione, aut inertia, alterius ius corrumpi. Sed rectius dicitur etiam alterutri eorum permittendum agere, vt alterius ius incorruptum maneat, dicit *l. Si pariter 9. ff. de lib. cau.* loquens in causa serui communis, quod possit alter dominus agere absente altero.

Ei, qui alio iure venit, quàm eo, quod amisit, non nocet id, quod perdidit, sed prodest id, quod habet, ait *l Si filius 42. vers. Paulus notat, ff. de bon. libert.* Quando vero in eadem persona iura diuersa concurrunt, quid dicendum, inuenies verbo, *Persona*. Duplicia vero iura habentes præferuntur vnum ha-

habentibus tantùm, probat *glos. Vlt. in fin. in l. Vlt. C. com. de success.*

Cùm vnum Ius est vniuersale per vnam rem sufficit fieri restitutionem, vt inquit *glos. Vbo earum in l. restituta 37. ff. ad Trebell.* & hac ratione Iuris vniuersalis procedit *tex. in l. 4. §. pen. ff. de pecul.* ibi. Si ære alieno exhauriatur peculium serui, res tamen in causa peculiari manet. Nam si aut seruo donasset debitum dominus, aut nomine serui alius domino intulisset, peculium suppleretur, nec esset noua concessione domini opus, vbi *glos. Vbo. Manet* ita dicit. In hæreditate idem &c. In dote idem &c.

Iuris accrescendi ratio ponitur in *l. Meuio 42. ff. de legat. 2.* ibi. Quia cum separatim, & pars fundi, & totus legatus sit necesse est vt ea pars, qua cessat pro portione legati cuique earum, quibus fundus separatim legatus est, accrescat.

Iura, vel incorporalia poni inter immobilia bona, incorporalia enim præscribi habent, vt immobilia, sic ait *glos. Vbo. iura in cap. 2. de reb. Eccles. lib. 6.* Cum hoc tamen stat, quòd nec possideri intelligitur Ius incorporale, vt inquit *l. 4. §. si viam ff. de vsu cap.* licet quasi possideri dicatur. Ius autem possessum illibatum, intemeratumque seruari dicit *Imperat in l. Possessores 12 C. de fund. patrim. lib. 11.*

Absurdum est plus Iuris habere eos, qui possessionem dumtaxat vsusfructus, nō etiam dominij adepti sunt, ait *l. 3. ff. si vsusfruct. petat.*

Iura ammissa non restituuntur, licet res in pristinum statum redierit, *glos. 1. ex tex. in cap. Vnico Quid iur.* si post alienat. in vsib. feud.

Iura cum sunt obscura quid? Vide Verbo. *Obscuritas.*

Iustitia.

DE ea congruit aliqua hic dicere post verbum Ius, cum de vtroque insimul agat *tit. ff. de iust. & iur & Imperat eod. in Instit.* vbi definitur. Quod sit constans, & perpetua volontas Ius suum vnicuique tribuens. Secundùm verò *Aristotel. lib. 1. Ethic. cap. 4.* Iustitia est habitus secundùm quem iustus dicitur operatiuus, secundum electionem iusti, & distributiuus, & ipsi ad alium, & alteri ad alterum, non sic, vt eligibilis quidem plus ipsi, minus autē proximo; nociuus autem a contrario, sed æqualis eius, quod secundum proportionalitatem, similiter autem alij ad alium. *Cicer. autem lib. 3. Rhetor. art. nou.* dicit. Quòd iustitia est æquitas Ius vnicuique tribuens pro dignitate cuiusque; & *lib. 2. Rhetor art. veter. cap. 9.* sic. Iustitia est habitus animi communi vtilitate conseruata suum cuique tribuens.

Iustitia in se virtutes complectitur omnes, in iustitia namque simul omnis virtus est, quoniam perfectæ virtutis vsus est. Perfecta autem est, quoniam habens ipsam, & ad alterum potest virtute vti, non solùm ad se ipsum, inquit idem *Aristotel. d. lib. 5. Ethic. cap. 2.* & paulo post dicit. Optimus autem, non qui ad se ipsum virtute vtitur, sed qui ad alterum. Hoc enim opus difficile. Hæc igitur iustitia, non pars virtutis est, sed tota virtus; & è contrario iniustitia, non pars malitiæ, sed tota malitia est.

Vnam quidem esse perfectissimam virtutem arbitrandum est omnibus hominibus, quæ Iure omnibus distribuit, hæc est ex causa cognominata iustitia. Etenim vnamquamque aliarum virtutum, nisi subsequantur huius bona, fiet nihil horum, quæ competunt. Itaque

by Google

nec fortitudinem, quæ non est cum iustitia, laudabimus, dixit Imper. in *Auth. vt omn. obed. iud. coll. 5.*

Iam ipsam sapientiam sequitur semper sociata iustitia, iustitiam virtus animi non relinquit, virtutem comitatur castigata sobrietas, inquit *Ioseph. in tract. de Machab. post princ. fol. mihi 865.*

Et hanc probo esse iustitiã, quæ suum cuique ita tribuit, vt non distrahatur ab vllius persona iustiore petitione, ait *l. Bona fides 31. ff. deposit.*

Iustitia ita cunctorum sensibus beneficium diuinitatis attribuit, vt & qui nesciunt iura, rationem tamen veritatis cognoscant. *Cassiodor. lib. 26. epistol. & lib. 22.* sic. Iustitia omnes clarificat, quos sui participatione sublimat.

Iustitia ad rem gerendam necessaria est, cuius tanta vis est, vt ne illi quidem, qui maleficio, & scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere; nam qui eorum cuipiam, qui vna latrocinantur, furatur aliquid, aut palam eripit, is sibi ne in latrocinio quidem reliquit locum, ille autem, qui archipirata dicitur, nisi æqualiter, dispertiat, aut occiditur à socijs, aut relinquetur, dicit. *Cicer. liber. 2. de offic.*

Parum est iustitiam tenere, nisi & diligas, qui tenent, tenent, qui diligunt zelantur; amator iustitiæ inquirit iustitiam, & prosequitur eam; porro omnem iniustitiam persequitur, dixit *Bernard. ad Eugen. lib. 3. de considerat. & sapiens lib. sap. cap. 1. incipit.* Diligite iustitiam qui iudicatis terram; & alibi. Vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

Pro se quisque colat iustitiam, expulsisque omnibus vitijs ex animo purgatas mentes ad Deum conuertite, & in eius veneratione constanter perseuerate. Hæc enim facientibus breui omnia bona venient, & in primis noua libertas, & victoria de hostibus, quæ neque armis, neque robore corporum, neque copiarum multitudine consequi licet; non enim his rebus Deus præmia proposuit, sed probitati, ac iustitiæ, dicit *Ioseph. de antiquitat. lib. 6. cap. 2. numer. 50.*

Fructus diuinus est sæpius iustitiam recenseri, dicitur in *cap. Graue 35. q. 9.* Vnde Ecclesia dicitur cultrix iustitiæ, vt dictum est Verbo Ecclesia; priuatus verò sæpè obuiat iustitię, *vt in cap. Vnico ad fin. de alienat. feud.*

Iustitiam diligunt, & honorantur Imperatores, vt in *l. Eos §. 1. C. de appellat.* ibi. Cum votum gerentibus nobis aliud nihil in iudicijs, quàm iustitiam locum habere debere, necessaria res fortè transmissa; non excludenda videatur. Et *in Auth. de æqual. dot. §. 1. coll. 7.* ibi: Vt per omnia iustitiam, & æquitatem honoremus, & vbi præsumitur quòd iustitia oppressa sit, diligentius iubetur examinari causa, *l. Addictos 29. C. de appellat.* ibi: Diligentius examinetur vbi per errorem, vel gratiam cognitoris oppressa putatur esse iustitia.

In omni gente, qui facit iustitiam acceptus est Deo, inquit *cap. Ad decorem 5. de instit.* Debet autem fieri ex voluntate; sicut enim peccatum opus sine voluntate non facit, ita & iustitia ex opere non consummatur, nisi & voluntas affuerit, *vt per Chrisost. in cap. sicut 32. q. 5.*

Exercenda est iustitia iuxta formam *cap. Disciplina 45. dist.* in hæc verba. Disciplina, vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur &c. Miscenda est ergo lenitas cum seueritate, faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neq; nimia benignitate soluantur &c. Sit ergo districtio iustitię, quæ feriat, sit & cõsolatio baculi, quę sustẽtet, sit itaq;

amor

amor sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæuiens; sit pietas, sed non plusquam expedit, parcens. Ex quo tex. *deducit glos. Vbo. Misericorditer in cap. Exhibita 22. de homicid.* quod vbi iustitia obseruatur, misericordia exhibetur; idem *glos. Vbo. liberalem in cap. Sedes Apostolica 15. de rescript.* Iustitia verò sine misericordia, crudelitas est, dixit *Senec. in lib. de Clement.*

Impia iustitia est humanæ fragilitati non ignoscere, nam non ciues damnare, sed emendare potius, & corrigere oportet; Tene rigorem in discretione iustitiæ, & misericordiam in definitione sententiæ, inquit. *Isidor. lib. 2. Soliloq. cap. 49.* Taliter quòd in exercitio iustitiæ debet iudex medium tenere inter nimiam seueritatem, & excessiuam benignitatem, vt supra proximè dictum est; & notabiliter dixit *Iureconsultus in l. Obseruandum 19. ff. de offic. præsid.* ibi. Sed & in cognoscendo, neque excādescere aduersus reos, qui malos putat, neque precibus calamitosorum illachrymari oportet. Ipsum ergo moneat iustitia, non carnalitas, vt dicit *glos. Vbo. Nouimus in cap. 1. de concess. preb. lib. 6.* & addit ita. Et est hoc contra quosdam hypochritas, qui vt videantur iusti pronunciant contra suos vbi additio ait ex Host. de quodam Parisiensi scholari, qui reuersus ad patriā pronunciabat contra Ius, iniustas causas fouens pro extraneis vt iustissimus videretur.

Iustitia autem locum sibi non inuenit, vbi non est fides, vt *ex Specul. in tit. de Summ. Trinit. in princip. tradit Apostill. ad tex. in l. Scire 15. §. Consequens vers. sufficit ff. de excusat. tut.*

Cultum suum iustitia perdit quando silentia iudicij obstrepentium turba perfundit, dicit *glos. Vbo. Exceptiones in Clem. Vlt. de verb. sign.*

Si quis suo domino iustitiam facere noluerit, feudum, quod tenebat, perdet, ait *cap. Item qui dominum, qua fuit cau. benef. ammitt. vbi glos. Verbo Iustitiam dicit* idem procedere à contrario.

Citò violatur auro iustitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat, dicitur *in cap. Pauper 11. q. 3.*

In omne æuum pene ex potentibus processerunt inanes, ex diuitibus autem pauperes, dum patrum iniustitiam soboles est sequuta. & non cogitant, neque reputant quoniam quod ipsi quasi per se machinantur potestatibus vtentes, hoc forsan contra eos, qui ex eis procreantur, agunt, non eadem potentia, sequentes sobolem, quæ illos sequitur; ita dicit Imperat. *in Auth. vt omn. obed. in d. vers. Qui sero coll. 5. & Propheta psalm. 107.* Propter iniustitias enim suas humiliati sunt. Seruemus ergo iustitiam, vt à Deo, & hominibus exaltemur.

Iustus.

EX dictis de iustitia apparet, quis sit iustus. Sicut enim nullus est bonus, qui non gaudet bonis operationibus; sic neque iustum aliquem, vtique quis diceret non gaudentem iusta operatione, vt inquit *Philosoph. 1. Ethic. cap. 4. & lib. 2.* Videtur amoris virtutem maximum esse, gaudere quibus oportet, & quæ oportet odisse.

Iusti vocabulum non ammittit, qui per pœnitentiam semper resurgit, inquit *Hieronym. ad Rustic. relatus in cap. septies de pænit. dist. 3.* & confirmatur *ex Ambros. in apolog. David. in cap. Ille rex de pænit. ead. dist. 3.* ibi. Sancti, qui consummare certamen pium gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi forte, vt homines corruunt, naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine fortiores, & acriores ad curren-

dum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, vt non solum nullum attulisse existimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiua cumulasse &c. Quod peccauit conditionis est, quod supplicauit correctionis, lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam ita incidisse naturæ est, diluisse virtutis.

Idoneum Sacrario locum existimantes, vbi vir iustus haberet domicilium, dicit *Ioseph. lib. 6. de antiquit. capit. 2. num.* 40.

Nota aliquid esse iustum, cuius contrarium iustius est, inquit *glos. Verbo. Non iusti in l. exigendi 13. C. de procurat.* per tex. ibi. O hoc quidem repellere à procuratione, cum iudex non iniusti posuit, sed multò iustius fuit &c.

Iustum vtique erit medium damni, & lucri, dixit *Aristotel. lib. 5. Ethic. cap. 2.*

Iussus.

HOc verbum sumitur pro nomine in *l. si seru. 32. §. 1. vers. Idemque ff. de vsufruct.* ibi. Quoniam iussum pro nomine accipimus.

Differt autem à mandato. Iussus enim necessitatem imponit, mandatum non, vt probat *glos. in reg. Rationabile de reg. iur. in 6.* idem *glos. Verbo Iussus in §. sed hoc de Attil. tut. in Inst.* ibi. Mandatum est quod non importat necessitatem, hic iussus, qui importat; & *Verbo Iussione in §. Nos autem eod. tit* ibi. Quia mandatum est ex voluntate, sed iussus necessitatis.

Aliquando tamen æquiparatur mandato vt in *l. 1. ff. quod iuss.* ibi. Sed ego quæro an reuocare hoc iussum, antequam credatur, possit? Et puto posse, quemadmodum si mandasset, & postea ante contractum contraria voluntate reuocasset, & me certiorasset, vbi *glos. Verbo Quemadmodum prope fin.* sic ait in eo, quod hic dicit de certioratione est argumentum contra infra *de Manum. vind. l. 4. §. 1. & de acqu. hared. l. si quis §. Pater.* Sed certè hoc dicitur hic, vt per hoc appareat aliquis transgressor mandati, nam & sine ea certioratione, quod factum est, non tenet, nisi in iudicio, *vt C. de satisd. l. Vnica.* probat etiam dicta *l. si quis in §. sed si quis postquam* iussit, pænitentiam agit, prius quam adiret, nihil egit adeundo, & in mandato est etiam *tex. in cap. Vlt. de procurat. lib. 6.* ibi. Sanè si procurator antequam contraxerit, à domino fuerit reuocatus, contractum postmodum matrimonium, licèt tam ipse, quam ea cum qua contraxit, reuocationem huiusmodi ignorarent, nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequiuerit.

Quando dispositio requirit iussum, debet præcedere, non sequi, dicit *glos. Verbo Ante omnia in addit. Clem. Vnica de for. competent. & probat dict. l. si quis §. Iussum.* ibi. Iussum eius qui in potestate habet non est simili tutoris authoritati, quæ interponitur perfecto negotio, sed præcedere, *vbi glos. præcedere sic.* Item nota hæc specialia in iussu, vt præcedat, alias tamen valet sequens ratihabitio quantum *præambulum* mandatum, & in *l. 65. ff. ad Trebell.* ita inquit *Iure consult.* Seruo, inuito domino, vel ignorante, non rectè restituitur hæreditas, sed si postea ratum habuerit confirmabitur. Nec quia hæreditatis acquisitioni similis est hæc restitutio iussum præcedere oportet.

Nota quod iussus maioris excusat, vt dicit *glos. 2. in l. Non est 66. ff. de rit. nupt.* Nota etiam quod iussus iudicis excusat, & facit licitum, quod alias esset illicitum, vt per *glos. Verbo Imputandum in l. Aut Prætor. ff. de min.* per tex. ibi. Quid si prætor decernat &c. an possit esse securus? Puto autem si allegans com-

compulsus sit &c. nihil ei imputandum Quod limitabis quando esset aperte contra legem, vt dictum est verbo Iudex.

Iussus Iudicis in secundo decreto habet vim tituli dicit *Apostill. ad l. Damni 18. §. Si pupillus vbi etiam glos. verbo Publiciana ff. de damn. infect.*

Iussu prætoris non anteponitur pactio. Vide verbo pactum.

In ciuile est inuitum hominem iubere facere, quod facere non potest inquit *l. Moris est 9. prope finem ff. de pan.*

Non qui iussus aliquid facit, miser est, sed qui inuitus facit dicit *Senec. Epist.* 62.

DE LITTERA L.

Labor.

NIhil sine labore vita dedit mortalibus dicit *Hieronym. ad Paulin.* & est sapientis dictum, sicut auis ad volandum ita homo ad laborem natus, vt per *Quintil. lib. 1. inst. orat. cap.* 1.

Omnes ergo laborare debent, qui enim non laborat, non manducat, vt scripsit *Paul. 2. Ad Thessalon. cap.* 3. Episcopus laborat, & propter labores non debet Ecclesia derelinquere, vt in *cap. Nisi cum pridem §. Verum* ibi. Propter laboris angustias, aut persecutionis incursus non debes deserere sponsam tuam *de renunc.* Imperator laborat, & labore remp. tuetur, *vt ipse dicit in Auth. de Lenon. §. 1. in fin. coll.* 2. ibi. Labores nostros per quos in omnibus bonis custodiri nostram remp. speramus. In militia est labor inquit *glos. in l. Si cum militaribus laboribus C. de rest. mil.* & in ea, & extra eam per labores ascenditur ad dignitates, vt in *l. 3. C. de tyron. lib.* 12. ibi. Nec enim patimur quenquam celsiorem gradum obtinere, nisi cui, & laborum assiduitas, & stipendiorum prolixitas suffragatur, & in *l. 2. in fin. C. de offic. magistr. offic.* ibi. Vt is gradu cæteros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecit anteire, & dixisti in Verbo honor: labor namque est gloriæ Pater, omnis laus in actione consistit, & Deus otiosis non adest, vt dicit *Xenophon. lib. de rep. Lacedem. & tradit Cic. de nat. Deo. lib.* 2. Vnde lex Draconis otiosos capite plectebat, vt *ex Diodoro refert Cassan. in Catalog. glor. mund. in principio p.* 11. quæ hodie obseruari debebat, vt arcerentur tot otiosi. Et ideo non est mirum si leges plerumque cogunt, & compellunt homines ad exercendas artes, quas nouerint, vt dicit *Luc. de Pen. in l. Mecanicos C. de excus. art. liber. lib.* 10. imo, & qui ab aliquo alendus est tenetur operas ei præstare *glos. vlt. in l. sicut 48. ff. de oper. libert.* ibi. Nota vxorem operari viro &c. & ibi; Debet operari ibi vnde, & alimentari.

Generosos animos labor nutrit dicit *Senec. Epist.* 31. vbi etiam sic, labor, bonum non est, quid ergo est bonum? laboris contemptus, *& Cic. Tuscul.* 2. ipse labor quasi callum abducit dolori.

Non autem debet labor in damnum verti, vt dicitur in *l. vlt. C. de alluuion. vbi glos. verbo Doleant* sic, nam cum labor in damno est, mortalis crescit egestas.

Nec etiam nimius labor debet esse dicit nãq; *Cassiod. lib. 5. epist.* Incerta est vita illorum, qui nimia fatigatione lassantur *& lib.* 1. Sic interdum assidui labores, & ip-

& ipsas ingratas faciunt dignitates, & nimis corrumpunt vires, vt per *Arist. 2. Ethic. cap. 2.*

Danda est remissio, meliores acrioresque quieti surgunt, nascitur ex assiduitate labor, animorum hebetatio quædam ac languor dicit *Senec. lib. 1 de tranquil. anim.* Diu laborans eget requie, vt per *Arist. 8. Polit. & 4. Ethic. & Cic. lib. 1. de offic. Hinc D. Thom. 22. q. 168. dicebat* hominem refocillatione indigere, quia non potest continuè laborare. Hinc etiam iure ciuili sunt immunes labore veterani milites in *l. vlt. C. de mancip. & colon. lib.* 10. ibi Cæterum eos qui castrensibus stipendijs otia quieta meruerunt iam veterani constituti, nequaquam placet tela in vsum vomeris ligonisq; conuertere *& l. 4. C. de apparitor. magistr. milit. lib.* 12. ibi ita videlicet post completam militiam ab omnibus indictionibus tam militiarium quam ciuilium iudicum semper habentur immunes.

Si ergo otia quieta vultis tam in hac quã in æterna vita, labores appetite, & non recusetis, non enim perueniri potest ad magna præmia, nisi per magnos labores, vt dicit *Gregor. Papa homil. 37. in Euangel.*

Laicus.

SPiritualia iudicio laicorum disponi non debent. Adeo vt nec in illis possit Arbiter esse laicus inquit *glos. verbo veri contrariam in cap. Sacrosancta 51. de elect. & probat tex. in cap. contingit 8. de arbitr.* ibi. Ne super rebus Spiritualibus compromittatur in laicum; quia non decet, vt laicus in talibus arbitretur. Et ibidem *glos.* sic. Sed si compromittatur in clericum, & laicum authoritate tamen superioris videtur quod valeat &c. Alias authoritate propria hoc facere non possent: & magis dignum adtrahit ad se minus dignum, vt sic potius resualeat, quam pereat.

In casu tamen *cap. vbi periculum 3. §. Praterea de elect. lib. 6.* Potestas secularis Ciuitatis, in qua mortuus fuerit Summus Pontifex, poterit contra Eminentissimos Cardinales exequi contenta in illo tex. vt ibidem *dicit glos.* sic, Nota casum in quo laicus authoritate Canonis potestatem habet in Clericum.

Iure communi cum Ecclesia laicus vtitur priuilegio Ecclesiæ vt dicis verbo Priuilegium, & verbo commune vers. ratione communionis.

Ratione delicti erit laicus inforo Ecclesiæ dicit *glos. verbo ab Ecclesia in constitutione Fredrich. post l. 1. C. de Episc. & cler.*

Possũt laici compelli officio Iudicis eleemosynas facere: inquit *Apostill. ad cap. Exyt de verb. sig. lib. 6.* Super illis verbis. Nec opera misericordiæ subtrahentur.

Laicus potest res suas, & patriam armis tueri, & præuenire hostes, sed clericus non: *dicit glos. 2. in cap. Suscepimus 10. de homicid.*

Latitare.

EST (*vt Cicero definit*) turpis occultatio sui, sic ait *Vlpian. in l. Fulcinius 7. §. 1 ff. quib. ex caus. impos. ea.* Et prosequitur. Potest enim quis latitare non turpi de causa, veluti qui tyranni crudelitatem timet, aut vim hostiu m, aut domesticas seditiones &c. Animus enim latitantis quæritur quo animo latitet, vt fraudet, an alia causa *Vbi glos. sic.* quomodo ergo animus probatur? Responde quia hoc dixit aliquibus, vel quia dixeram ei quod cras daturus erã ei libellum.

Adeo autem latitatio animum, & affectum occultantis se desiderat, vt rectè dictum sit furiosum non se occultare, quia

quia se non occultat, qui suus non est. *d.* §. 1. & addit, idemque & in prodigo dicendum est cæterisq; qui curatorum ope iuuantur. Nec enim quisquam propriè latitare eos dixerit.

Idem tex. sic prosequitur. Illud sciendum est posse quidem, & in eadem ciuitate esse, & latitare: & in alia ciuitate esse, & non latitare. Etenim qui in alia ciuitate sit, copiamque sui faciat in publico, ibique appareat, an latitet videamus? sed hodie hoc iure vtimur, vt siue quis eodem loco agat, si tamen occursum creditoris euitet latitare videatur.

Non intelligas latitare eum, qui breui spatio latuit, sed cum tractu aliquo latère, quemadmodum factitare est frequenter facere, vt dixit idem *Vlpian. in citata l.* 1. §. 1. *verf. latitare autem ff. quib. ex cau. in poss. ea.*

Latro.

Differt a fure. Fures namque vocamus qui occulte, & sine armis furantur. Eos verò qui violenter aggrediuntur aut cum armis, aut sine armis in domibus, aut itineribus, aut in mari. latrones nuncupantur, vt in *Auth. vt null. iud.* §. *vlt. coll.* 9. & ibi *not. Bart. num.* 4. & per eadem verba, *Auth. sed nouo iure C. de seru. fugit. not. etiam Bart. in l. Capitalium* 28. §. *Famosos ff. de pæn.* cuius optima verba sunt. In ijs locis vbi grassati sunt furca figendos compluribus placuit: vt & conspectu deterreantur alij ab ijsdem facinoribus: & solatium sit cognatis, & affinibus interemptorum, eodem loco pœna reddita in quo latrones homicidia fecissent.

Latronum receptatores sine quibus latro diutius latère non potest coercendos esse dixit *Iurecons. in l. Congruit ff. de offic. præsid.*

A fure, & latrone differt prædo, qui bona inuadit cum sciat ad eum non pertinere, & nullam causam habere possidendi ea, vt in *l. Sed si* 28. §. *Quod ait* Senatus eos qui bona inuasissent *ff. de petit. hæred.* qui tenetur fructus non solum perceptos, sed etiam quos percipere debuit restituere, vt ibidem. De hoc inquit *tex. in cap. In litteris* 3. *de restit. spol.* sic. Prædo etiam est secundum rigorem iuris restituendus.

Nemo autem prædo est qui pretium numerauit, sed vt emptor, vt inquit *l. Etiam* 13. §. *Sed si quis ff. de petit hæred.*

Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius, cauendus est latro, dicitur *in cap. tres personas* 23. *q.* 4.

Laus.

Est danda illis qui ea digni sunt, vt facit Imperator compositoribus noui codicis in *l.* 1. §. 1. *C. de nou. cod. fac. vbi notat Bart nu.* 8. & dicit N. e secundo quod quis debet dicere laudes, & dignitates eorum de quibus hic &c.

Ille etiam est laudandus qui est inuentor alicuius ordinationis, siue dispositionis, licet non æquè perfectè ad inuenerit, quia facile est inuentis addere dicit *glos. verbo laudamus, per tex. ibi. in* §. *Cæterum post med. de legit. agnat. success. in Inst.* Nec fraudandi sua l ude bene merentes, vt aliâs per *Ioseph. de antiq. lib.* 3. *cap.* 3. *ad fin.* ibi Malens dignos sua laude non fraudare. Nam (*vt dicit Senec.*) Profanatur laus, & vilescit vulgo communicata; at merentem laudare iustitia est.

Sunt autem quidam assentatores qui placendi studio omnia laudant, & nihil aduersantur putantes minimè oportere se molestos esse. Alij sunt è contrario in cunctis dessidentes, nec offendere quicquam verentes, qui in humani, & con-

contentiosi vocantur medius aute n inter hæc extrema laudat, quæ oportet,& repellit contraria,ita dicit *Arist. lib.4. Ethic.*

Si laudare merentes iustitia est, immeritis, & male facientibus laudem dare iniustitia, & adulatio est, *vt in cap. Si quis diaconus post med. 50. dist.* ibi. Quæ est ista iustitiæ inimica bonitas palpare criminosos, & vulnera eorum vsque in diem iudicij incurata seruare? Inde talis laudator tanquam socius in crimine, vel delicto tenetur, vt dicit *l. 1. ff. de seru. corrupt.* ibi. Imo & si erat &c. furtum facturus, hic vero laudator eius propositi extitit, tenetur. Non cum oportet, laudando augeri malitia, a quo deduxit *glos. vlt. in §. Interdum de oblig. quæ ex delict. in Inst.*

Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus iudicante te, nec eripietur damnante te. Cum autem non peccator laudatur in desiderijs animæ suæ, nec qui iniqua gerit benedicitur, sed laudatur homo propter aliquod bonum, quod dedisti ei, at ille plus gaudet sibi laudare, quam ipsum bonum habere, vnde laudatur: etiam iste te vituperante laudatur. Et melior iam ille qui laudauit, quam iste qui laudatus est: illi enim placuit donum Dei, huic amplius placuit donum hominis, quam Dei. *Augustin. lib. 10. confess. cap. 36.*

Legatarius, & Legatum.

Legatum est quædam donatio testamento relicta, vt dicit *Iureconsi. in l. legatum 37. ff. de legat. 2. idem ait Imp. in §. legatum de legat. in Inst.* & a defuncto relicta ab hærede præstanda. Aliter definitur a *Florentin. in l. 119. ff. de legat. 1. dicens legatum est delibatio hæreditatis*, qua testator ex eo quod vniuersum hæredis foret, alicui quid collatum velit. In tantum autem legatarij tenentur ab hæredibus legata petere, vt si aliter se ingerant in possessionem legatorum possint hæredes vigore interdicti quorum legatorum recuperare possessionem ipsorum legatorum, vt postea ab ipsis legata recipiant legatarij. *vt in l. 2. ff. quor. legat.* ibi. Vt quod quisque legatorum nomine, non ex voluntate hæredis occupauerit, id restituat hæredi. Etenim æquissimum prætori visum fuit vnumquemque non sibi ipsi ius dicere occupatis legatis; sed hoc ab hærede petere. Nam possessio legati non transfertur in legatarium sine facto, & voluntate hæredis; licet transeat dominiū, vt in *l. A Titio 66. ff.* de furt. ibi quia ea quæ legantur, recta via ab eo qui legauit, ad eum, cui legata sunt, transeunt. Et notauit *glos. verbo habuerit in l. Peculium §. Sed si per tex. ibi ff. de pecul.* in illis verbis, Sed recta via ad legatarium transit &c. & ibi. Et quia etiam ignoranti legatario dominium prædictum acquiritur.

Pluribus actionibus vti potest legatarius ad petendum sibi legatum relictum, scilicet reiuindicatione, hypothecaria, vel personali ex testamento, vt per *Imper. in §. Nostra autem delega. in Instit.* Non autem ea mente datum est legatarijs pluribus actionibus vti, vt simul omnibus vti possint, sed vt laxior eis agendi facultas sit, ex vna interim quæ fuerit electa legatum petere, sicut ita in expressa verba dixit *Iureconsul. in l. Cum filius 78. §. varijs ff. de legat. 2.*

Siquis legatum aut portionem sibi datam agnouerit, a contra tabulas bonorum possessione repellendus est, inquit *l. Si post 10. §. Aliàs autem ff. de bon. possess. con. tab.* Quod non intelligas si legatarius ignorauit crimen fuisse admissum in testamento, quia tunc non impeditur testamentum impugnare,

re, & accusationem instituere; vt in *l.* 3. *C. ad l. Corn. de fals.* ibi. Cum crimen admissum ignorans legatum consequutus sis: tamen non impedieris accusationem instituere, *vbi glos. verbo* ignorans firmat primam conclusionem sic. Quia si sciens praeiudicat sibi quasi transgreditur, vt innuit a contrario sensu.

Iustam habet ignorantiam legatarius, cui homo legatus est, si haesitet quotam partem vendicare debeat inquit *l. qua de tota §. vnico ff. de rei vendic.*

In legato generali legatarij esse electionem dicit *Bart. in summ. tex. l. Si seruus* 111. *§. Cum homo de legat.* 1. per illa verba Respondi verius dici electionem eius esse cui potestas sit qua actione vti velit, idest legatarij. Et in alternatiuis idem dicendum ait *l. Lucio Titio* 23. *ff. de legat.* 2. ibi. Potest legatarius, vel vsumfructum, & post quam elegerit variare non poterit, licet antea ignoraret sibi relictam alternatiuam, vt in *l. Si is cui* 19. *ff. de legat.* 2. *ibi.* Amplius mutandae vendicationis ius non habet, coniunctis verbis antecedentibus, & subsequentibus; vbi idem dicitur de haerede, cui data fuit electio legati praestandi. Et in his terminis notabis haeredem teneri dare mediocre, vt non pessimum, nec optimum *l. Si hares* 113. *ff. de legat.* 1. ibi. Quoniam illud verum est, vt non pessimum det. *l. legato* 37. *eod. tit.* ibi id esse obseruandum ne optimus, vel pessimus accipiatur, & in probatione probat *l. Si quis argentum* 35. *C. de donat. ibi.* quibus voluerit non tamen peioribus. Quando autem legatario, & quando haeredi intelligatur data electio? *Vide glos. verbo vendicare in d. l. Lucio Titio.* Post annum, vel biennium quam decessero haeres dato. Post biennium videtur legatum, quia haeredis erit potestas in eligendo *l. Si ita* 44. *§. Si ita ff. de legat.* 2.

Si legatarius rogetur ad praestandum aliquid per fideicommissum, & alias expendit quantum in legato accepit, non est cogendus fideicommissum à se relictum praestare, quoniam nihil ex testamento videtur capere, qui tantum erogat quantum capit, vt dicit *l. Ciuitatibus* 125. *§. vlt. ff. de legat* 1. licet aliquando legatarius, tantũ eroget quantum ex testamento cepit, potest tamen ei aliquod interesse venire, vt in casu *l. Si cui fundus* 56. *ff. de legat.* 2. Si cui fundus (Inquit Iurecons.) centum dignus legatus fuerit: si centum haeredi vel cuilibet alij dederit vberrimum videtur esse legatum: nam alias interest legatarij fundum potius habere, quam centum. Saepe enim confines fundos etiam supra iustam aestimationẽ interest nostra acquirere.

Si quis Titio decem legauerit, & rogauerit eum, vt ea restituat Maeuio, Maeuiusque mortuus fuerit, Titij commodi cedit, & non haeredis, nisi si dumtaxat, vt ministrum Titium elegerit, ita Marcellus in *l. Si quis* 17. *ff. de legat.* 2.

Res legata vendita ad funus testatoris nõ auferri debet emptori, vt legatario prę stetur iuxta *l. At si quis* 14. *post princ. ff. de releg. & sumpt. fun.* ibi. Res emptori auferenda non est, quia bonę fidei possessor est, & dominium habet, qui authore iudice comparauit, legatarium tamen legato carere non oportet, si potest ab haerede praestari: quod si non potest, melius est legatarium non lucrari, quam emptorem damno affici.

Legatarius si celauerit testamentum perdit legatum *l. Si legatarius* 25. *C. de legat.* ex ratione de qua ibi, vt non accipiat fructum suae calliditatis, qui voluit haeredem haereditate sua fraudare, sed huiusmodi legatum illi quidem auferatur, maneat autem quasi pro non scripto apud haeredem; vt qui alij no-

cendum esse existimauit ipse suam sentiat iacturam.

Legatum Ecclesiæ relictum de cuius nomine dubitatur, pauperiori debet præstari habes verbo Ecclesia vers. Ecclesiæ legato relicto.

Mista est actio contra eos qui relicta Sacrosanctis Ecclesijs, vel alijs venerabilibus locis legati, vel fideicommissi nomine dare distulerint, vsque adeo, vt etiam in iudicio vocarentur, tūc enim, & ipsam rem, vel pecuniam, quæ relicta est dare compelluntur, & aliud tantum pro pœna. Inquit *Imperator in §. Ex maleficijs vers. Item de act. in Instit.* vbi etiam not. *glos. & in §. Sed furti eod.* sic. Sed illa, quæ de ijs competit, quę relicta venerabilibus locis sunt, non solum inficiatione duplicantur, sed etiam si distulerit relicti solutionem quousq; iussu magistratuum nostrorum conueniatur.

Adeo legata locis pijs, & venerabilibus sunt fauorabilia, vt etiam si indebitè soluta fuerint, non posse repeti dixerit *Imperat. in §. vlt de oblig. quæ ex quasi contr. in Inst.* ibi, sed tantummodo in ijs legatis, & fideicomissis, quæ Sacrosanctis Ecclesijs, & cæteris venerabilibus locis, quæ religionis, & pietatis intuitu honorantur relicta sunt, quæ si indebita soluantur non reputentur.

Ex eodem pietatis intuitu legatum relictum seruo testatoris sine libertate tenetur hæres præstare, licet alias de rigore iuris non deberetur, vt habes verbo hæres.

Vtile legatum relictum non vitiatur per inutilem in eodem dispositionem notauit *Bart. in l. si Seruus 111. §. Si seruus alienus* liberasse iussus, & legatus sit: peti eum ex legato posse ait. Nam cum libertas nullius momenti sit, absurdum esse ait per eam legatum infirmari, quod alioquin valeret si solum datum fuisset *ff. de legat.* 1.

Legatum rei alienæ, vt teneat, ex affectione testatoris circa legatarium sumitur interpretatio, quod testator sciuerit alienam; inquit *glos. in l. Capienda 129. ff. de reg. iur.*

Si cui legetur cum quatuordecim annorum erit certo iure vtimur, vt tunc sit quatuordecim annorum cum eos impleuerit, ita dicit *Vlpian. in l. Si cui 51. ff. de legat.* 1.

Creditorem cui res pignoris iure obligata à debitore legata esset, non prohiberi pecuniam creditam petere, si voluntas testatoris compensare volētis, euidenter non ostenderetur respōdit *Paul Iurecons. in l. 87. ff de legat.* 2. Si verò fideiussor creditori legasset, quod ei deberet, an legatum valeat? quærit Iulianus in *l. 12. de legat.* 1. Et ait creditoris quidem nihil interesse verum debitorem habere ex testamento actionem, interest enim ipsius liberari: quippe conueniri a fideiussoris hærede non poterit: ex quo tex. notat ibidem *glos. verbo non poterit*, quod expressum est inualidum, scilicet creditori legatum: & tamen valet tacitum.

Et sicut ab initio non consistit legatum ex post facto non conualescit: quemadmodum nec res mea legata mihi, si post testamentum factum fuerit alienata, quia vires ab initio legatum non habuit, dicit *l. Cætera 43. §. 1. ff. de legat.* 1. Et à contrario Papinianus scripsit vtile esse legatum, quod semel cōstet, non enim placuit sententia existimantium extinctum esse legatum, quia in eam causam peruenit à qua incipere non potuit, inquit *Imperator in §. Si quis debitori vers. ex contrario de legat. in instit.*

Si numerus nummorum legatus sit, nec appareat quales sint legati: Ante omnia ipsius patris fam. consuetudo, deinde regionis in qua versatus est, exquirenda est, sed & mens patris fam. & legatarij dignitas, & charitas, & necessitudo item earum quæ præcedunt, vel

vel quæ sequuntur summarum scriptæ sunt, spectandæ sunt, inquit *l. Si seruus plurium 53. §. vlt. de legat. 1. & in l. quidam 30. de legat. 2.* ita. Quia summa adscripta non est, potest tamen videri tanta summa legata, quanta ei rei sufficiat si modo non appareat aliam fuisse defuncti voluntatem, aut ex magnitudine eius pecuniæ, aut ex mediocritate facultatum quas testator reliquit, tunc enim officio Iudicis secundum æstimationem patrimonij, legati quantitas definiri potest.

In Legato generali nomina debitorum non contineri, dicit *l. Gaius seius 88. ff. de legat. 2.*

De Legato singulis annis relicto, sic ait *l. Si in singulos 4. ff. de ann. leg.* Et primi anni purum, sequentium conditionale. Videri enim hanc inesse conditionem, si viuat, & ideo mortuo eo ad hæredem legatum non transire coniuncta reg. *l. Vnica §. Sin autem aliquid sub conditione C. de caduc. toll.* nisi in persona liberorum, vt dicit *glos. verbo Conditorem in l. Is cui sub conditione 43. ff. de act.* quam ibidem dicit singularem *Apostill.* Sed quid si dictum annuum legatum relictum fuerit sine adiectione summæ? Verior sententia Neruæ est quod testator præstare solitus fuerit, id relictum videri: sin minus ex dignitate personæ statui oportebit *l. Si cui 14. ff. de ann. legat.*

Et de legato ad liberum arbitrium hæredis relicto, sic inquit *l. Fidei commissa 11. §. Si fideicommissum ff. de legat. 3.* Ideoque post primam voluntatem non erit arbitrium hæredi dicendi se noluisse.

De legato autem inæqualium pensionum etiam ad arbitrium, vel electionem hæredis, sic ait *l. Si legatum 3. ff. de ann. legat.* Et puto eas deberi (nisi testator specialiter electionem dederit hæredi) quas vir bonus fuerit arbitratus, vt pro facultatibus defuncti, & dispositione patrimonij debeantur: sed & si fuerit adiectum boni viri arbitratu: hoc sequemur, vt proportione patrimonij sine vexatione, & incommodo, hæredis fiat.

In alienam voluntatem conferri legatum non potest non enim vtiliter legatum si dicatur, si Mæuius voluerit Titio decem do. prout expressis dictus verbis respondit Modestinus *in l. nonnunquam 11. ff de condit. & demonstr.* licet alias per indirectum, vel tacitè possit in alterius voluntatem legatum conferri, vt in eadem *l.* dicitur. Vnde processit regula, expressa nocent, non expressa, non nocent, cum qua finitur prædicta *l. Nonnunquam.*

Idem legatum, quando possit pro parte acceptari, & pro parte repudiari? habes verbo Seruus, vbi dicis quod si seruo communi legatum relinquatur potest à dominis acceptari, & repudiari, quia ad hunc effectum seruus communis, quasi duo serui sunt *ex l. Si fundum 83. §. Si seruo communi ff. de legat. 1.*

Si plures sunt hæredes, qui ad legatum præstandum fuerint personaliter numerati, debent esse æquales ad illud dandum, vt dicit *l. Si hæres 127. eod. tit. de legat. 1.* & reddit rationem sic. Quia personarum ennumeratio hunc effectum habet, vt exequantur in legato præstando, & addit. Quod si nominati non essent hæreditarias partes debituri sunt,

Eum qui pluribus speciebus iuris vteretur, non sæpius eandem rem eidem legare, sed loqui sæpius, inquit *l. Mæuius 68. §. Eum qui ff. de legat. 2.* Etiam si sit legatum dotis, vt in *l. Lucius 90. §. Impuberem eod. tit.* ibi respondi non videri de dotis legato duplicando testatorem sensisse. Potius namque creditur, quod onerare hæredes non velint, dicit *l. Sticho 36. ad fin. ff. de Vsufr. legat.*

Legans aurum suum id videtur legare,

quod testamenti tempore fuisset *l. Si ita* 8. *ff. de aur. & arg. leg.* & addit. Quia præsens tempus semper intelligitur, nisi aliud comprehensum sit. Nã cum dicit vestem meam, argentum meum; hac demonstratione, meum, præsens, non futurum tempus ostendit. Quid autem de auro, quod tunc habebat in actione? distinguendum esse ait *Pompon. in l. scribit* 36. *eod. tit.* in hæc verba. Nam de eo quod debetur, sine dubio, vt puta si auri libras stipulatus fuerit hoc aurum, quod ei debetur ex stipulatu non pertinet ad vxorem, cum illius factum adhuc non sit, id enim quod suum esset, non quod in actione haberet, legauit. In aurifice falsum est si aurum dederit, itaut ex eo auro aliquid sibi faceret; Nam tunc licet apud aurificem sit aurum, dominium tamen non mutauit, manet enim eius qui dedit. Si verò legasset vxori, quod eius causa emptum, paratum sic est, id videtur legasse, quod magis illius quam communis vsus causa paratum est, respondit idem *Pompon. in l. Quintus Mutius* 11. *eod. tit. de aur. & arg. legat.*

Solutio legati, & translatio in aliam speciem facta a testatore extinguit legatum, vt summat *Bart. in l. Seia,* 6. *eod. tit. per text. ibi*. Neque enim fieri posse, vt legatum & fideicommissum durare existimetur: cum id quod testamento dabatur in sua specie non permanserit, & quodam modo extinctum sit: vt interim omittam quod etiam dissolutione ac permutatione tali, voluntas quoque videatur mutata.

Certo corpore legato, demonstratio posita non perimit legatum, dicitur in d. *l. Quintus Mutius* 6. *ff. de aur. & & arg. leg.*

Cum imperfecta scriptura inuenitur, ita demum verbum fideicommissi vel legati, quod præcedit, vel sequitur ad communionem assumitur si dicto scriptura congruat, dicit *l. Cum pater* 79. *§. Cum imperfecta ff. de legat.* 2.

In legato ciuitati relicto ad aliquid faciendum, quod non licet, disponit *l. legatum ciuitati* 16. *ff. de Vsufr. leg.* ita Spectaculum edi voluerit in ciuitate, sed tale quod celebrari non liceat: iniquum esse hanc quantitatem, quam in spectaculum defunctus destinauerit lucro hæredum cedere, igitur adhibitis hæredibus, & primoribus ciuitatis despiciendum esse in quam rem conuerti debeat fideicommissum, vt memoria testatoris alio, & licito genere celebretur.

In quo loco sit legatum præstandum? Si quæras respondit *l. Cum res* 49. *ff. de legat.* 1. in hunc modum. Sed si res alibi sit quam vbi petitur, primum quidem constat, ibi esse præstandam, vbi relicta est, nisi alibi testator voluerit; nam si alibi voluerit ibi præstanda est, vbi testator voluit, vel vbi verosimile est eum voluisse, & in *l. Si seruus* 111. *eod. tit.* sic. Quoniam rem legatam eo loco præstare hæres debet, in quo a testatore sit relicta: & ibidem *glos. Verbo Petere* sic. De iure quod est tribus locis, vbi est maior pars hæreditatis, item vbi hæres habet domicilium item vbi res est.

Legati fructus ad quos teneatur hæres legatario habes verbo hæres, & ibidem an debeat soluere ex acquisitis per eum.

Dolo carere non videtur hæres, si iam mota controuersia hæreditatis legata sine cautionibus det: *ait l.* 41. *ff. ad l. Falcid.*

In fideicommissaria libertate quamuis quis modicum legatum fuerit consequutus, necesse habet seruum suum manumittere. Pecuniarum enim fideicommissum si diuisum fuerit, satis iniuriam facit, tam libertati, quam commissario. Satius est igitur eum, qui agnouit legatũ onerari, quam liberta-

tem

tem intercidere. Inquit *l. Si debitor* 45. §. 1. *ff. de fidei comm. libert.*

Legatus.

Legatorum officiũ quod apud omnes gentes exercetur, & de iure gentium est, & inuiolabiles sunt, vt *in cap. Iusgentium* 1. *dist. ibi* legatorum non violandorum religio, & in *l. vlt. ff. de legation. sic Pomp. dicit*. Si quis legatum hostium pulsasset contra ius gentium id commissum esse existimatur: quia Sancti habentur legati. Multiplex autem est legatorum species quos Papa mittit, quidam enim sunt nuntij, & non iudices, vt illi qui pro aliqua ambasciata, vel propter aliquod nudum ministerium exercendum missi sunt. Alij sunt legati iudices quos Papa facit ordinarios in certa prouincia, & isti etiam sunt multiplices nam quidam sunt legati nati, quidam legati de latere, quidam legati non de latere neque nati, sed missi: vt per *Abb. in rubric. de offic. legat. & per tot tit.* de omnibus prædictis tractat ad quem õnino te remitto.

Legatus debet mitti litteris signatis; Nã sine signatis apicibus non est Rom. Ecclesiæ vnde cumque legationem suscipere, neque mittere, *vt dicitur in cap. Victor Honorius cum seq.* 97. *dist. & in extrauag.* 1. *de elect. int. com.* ibi. Nunquam enim Apostolicę Sedis moris fuit absque signatis apicibus vndecumque legationem suscipere. Neque asserenti cum mandatis principis se venisse credendum est, nisi hoc scriptis probauerit, nec similiter creditur asserenti se legatum; dicit *ead. extrauag. & infra* ibi Sed nunquam dicenti se delegatum sedis eiusdem creditur, vel intenditur, nisi de mandato Apostolico fide doceat oculata, licet aliquando Nicolaus Papa vnum receperit sine prædictis litteris, vt apparet ex *cap. vlt. d. dist.* 97. ibi. Nos tamen vos in illo honorantes eiusque grauitatem, & eloquiorum illius iuridicas cognoscentes assertiones: nihilominus eum, & ei (sicut honestum fuit) credidimus.

Legatus potest facere constitutionem in sua prouincia, quæ etiam durat eo recedente. Generalem tamen non potest facere, quia non habet potestatem in homines non suæ prouinciæ; volũtariã tamen quandoque exerceret in eos. ita ponit *glos. Verbo legatus in cap. Ex parte* 31. *de verbor. sig.*

Commissionem alij factam specialiter legatus impedire non potest, & si sententia iam fuerit promulgata, non poterit ipse legatus (nisi super hoc mandatum speciale receperit) eam quodammodo irritare, ita disponit *cap.* 2. *de offic. legat.*

Non poterit etiam legatus dispensare cũ filio præsbyteri, vt immediate succedat in Ecclesia in qua pater habuit beneficium, vt *in cap. pen. de fil. presb. & ibidem notat glos. pen.* sic. Patet quod legatus D. Papæ non potest cum talibus dispensare, licet habeat generalem legationem. Sed videtur *contra infr. de offic. legat. cap. Quod translationem*, vbi legatus exercet ea, quæ tantum sunt Sedi Apostolicæ reseruata, scilicet excommunicatos propter violentas manus in clericos, absoluere, sed illud iam introductum est ex consuetudine, ex certa scientia Papæ, & ita est ac si Papa specialiter committeret; & ita per generalem legationem non transferuntur ea, quæ specialiter tribuuntur &c. vel forsitan iste legatus erat tantum legatus in prouincia sua & isti legati, qui non mittuntur de latere Papæ &c. non habent tam largam legationem, sicut illi, qui mittuntur de latere Papæ &c. Vnde satis posset dici, quod Cardinales legati, qui quasi

pars

pars corporis Papæ intelliguntur, possunt cum talibus dispensare, sed alij non possunt, vltra id quod specialiter in eorum priuilegio cōtinetur, & quod illi habeant maiorem authoritatem, & potestatem patet, quia præsentibus legatis de latere Papæ, isti non debent tunc suæ legationis officium exercere.

Si quis appellaret ad Papam posset ne legatus illum compellere litigare coram se? Non. ita respondit *glos. Verbo legationis in cap.* 1. *de offic. legat.* & reddit rationem, scilicet, quia quolibet omisso ad eum posset appellare. Alij verò legati Cardinales, vel alij qui mittuntur de latere Papæ habent maiorem iurisdictionem, tam contra exemptos, quam contra alios, saluis his tantum, quæ Sedi Apost. reseruantur specialiter, vt inquit *glos. Verbo vniuersas in cap.* 1. *de offic. legat. Vide etiam glos. Verbo reseruata in cap. quod translationem eod. tit.*

Excommunicatis pro iniectione manuum violenta, Ecclesiæ Rom. legati, qui de ipsius latere non mittuntur extra prouinciam sibi commissam, vel ibidem si huiusmodi manuum iniectores illud contingat aliunde accedere. Et qui Ecclesiarum suarum prætextu legationis sibi vendicant dignitatem, etiam subditis (quamuis in prouincia sua existentes) beneficium absolutionis impertiri non possunt, inquit *cap* 9. *de offic. legat. vbi glos. verbo mittuntur*, sic infert; Ergo si missus sit a latere Domini Papæ potest absoluere omnes, siue de sua legatione sint, siue non &c. Tales enim legati postquam egrediuntur vrbem quousque reuertantur in vrbem beneficium absolutionis impēdunt, & ita obseruant de facto, & hoc introductum est in fauorem animarum, vt periculum moræ euitetur pro quo facit ratio a *glos. vlt. post med. allata in dict. cap. Excommunicatis* 9. ibi illi vero qui mittuntur de latere Domini Papæ, & ipsi pars corporis eius esse intelliguntur.

Si in legatione regis esset quis, & vocaretur a legato Papæ, quod excusaret eum authoritas Regis si in legatione Regis inuentus fuisset *arguit glos. Verbo legat. per tex. in cap. Cum parati* 19. *de appellat.* ibi. Quod in legatione Regis esses, & ideo non potuisses ad vocationem prædicti Cardinalis accedere, & arguit etiam in contrarium, & soluit sic. Si mandatum Regis præueniat mandatum cuiuslibet prælati post Dominum Papam, tunc Regi obtemperandum est, si ab ipso teneat regalia &c. Quod si Papa vocat eum postea, exemplo Petri relictis omnibus etiam regalibus, sequatur Papam.

Quod legati Apostolici non debeant in Episcoporum domibus hospitari tenet *glos. in l. Cunctos iudices C. de metat. & epidemet. lib.* 12.

Legitima.

Quæ iure naturæ filijs debetur ab intestato est tertia pars bonorum illius de cuius hæreditate agitur, vel medietas secundum numerum filiorum *vt in Auth. de trien. & semiss. §.* 1. *collat.* 2. in hæc verba. Siquidem vnius est filij pater, aut mater, aut duorum, vel trium, vel quatuor, non triuncium relinqui eis solum, sed & tertiam propriæ substantiæ partem, hoc est vncias quatuor: & hanc esse definitiuam mensuram vsque ad prædictum numerum. Si vero vltra quatuor habuerit filios, mediam eis totius substantiæ relinqui partem, vt & exuncium sit omnino, quod debetur singulis, ex æquo quadruncium, vel exuncium diuidendum &c. aquo sumpta fuit *Auth. Nouissima lege* cautum est, si quatuor sint filij vel pauciores, & substantia deficientis triens, si plures sint semis debeatur eis &c.

&c. *C. de in offic. testa. glos. ult. eod. tit. in inst. & in cap. Cum simus de regular.* ibi legitima iure naturæ debita &c. quę erit tertia illius patris, quæ sibi ab intestato debetur, vel medietas secundum numerum filiorum. Idem intelligas si turbato naturæ ordine pater succedat filio, neque enim in hac materia legitimæ aliqua constituitur differentia inter descendentes, & ascendentes. Nam vt bene dicit *Bald. in l. Si arrogator num. 8. ff. de adopt.* Omnes quibus debetur legitima sunt pares. Et hinc est quod ita reijcitur omne grauamen de legitima ascendentium, sicut de legitima descendentium, vt in *l. Pantonius §. 1. ff. Si apar. quis fuer. man.* ibi fideicommissa non cogetur pater præstare ex sua parte &c. eadem, quæ & in filio dicenda sunt.

Si legitima ab hæredibus impediatur solui, reddi iubetur iuxta dispositionem *l. si quis testamento 33. C. de in offic. test.* his verbis. Sed & aliam tertiam partem quantitatis, quæ fuerat in testamento derelicta modis omnibus reddere cogatur, vt auaritia eius legitimis ictibus feriatur.

Repletionem autem legitimæ ex rebus substantiæ patris fieri, dicit *l. scimus C. eod. tit. de inoffic. testa.* Renunciatio verò legitimæ nunquam facta intelligitur, nisi expresse fuerit, vt in *l. Si quando §. Et generaliter ibi* Nisi hoc specialiter siue in Apocha, siue in transactione scripserit, vel pactus fuerit, quod contentus relicta, vel data parte de eo quod est nullam habeat quæstionem *C. eod. tit.*

Lex.

MVltipliciter definitur, aut per quiditatem, & substantiam, aut per effectus, qui ex ea sequuntur, aut etiam per causas efficientes seu in esse producentes. Primo namque per *Papinian. in l. 1. ff. de legib.* ita, lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum: delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahũtur coerctio, communis reip. sponsio. *Martian. vero in l. 2. ex Demosthen. sic ex graeco in latinũ eod. tit.* ait. Lex est cui omnes homines decet obedire: tum propter multa, & varia, tum maximè quia omnis lex est inuentio quædam, & donum Dei: decretum autem hominum sapientium coerctio autem voluntariorum, & non voluntariorum peccatorum Ciuitatis autem compositio communis: secundum quam omnes decet viuere, qui in ciuitate sunt. *Et ibidem ex Chrysippo eodem modo de graeco in latinum* sic. lex est omnium Diuinarum, & humanarum rerum regina. Oportet autem eam etiam præcidere ex bonis, & malis, & principem, & ducem esse: & secundum hoc, regulam esse iustorum, & iniustorum. & eorum quæ naturæ ciuilia sunt animantium: *Per Iustinian. in princ. de iu. nat. in Inst.* Lex est, quod populus Rom. Senatoris Magistratu interrogante veluti consule, constituebat, *vbi glos. breuiter deducens ex d. l. 2.* dicit. Lex est Sanctio Sancta iubens honesta, prohibens contraria. *Et cap. lex est constitutio scripta 1. dist. vbi addit glos.* iustum præcipiens, & cõtrarium prohibens, & in *cap. Si Ecclesia 23. quæst. 7. in fin.* sic. Leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo *& dist. 2.* ita lex est constitutio populi, qua maiores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt. Et tandem *Senec. ad Lucill. Epist. 37. Lex est, quæ ratione consistit.*

Omnis autem lex, aut permittit aliquid, vt vir fortis petat præmium; aut vetat &c. aut punit. dicit *cap. Omnes 3. dist. Et 4. dist.* in hæc verba. Erit autem lex honesta, iuxta posibilis secundum natu-

naturam, & secundum consuetudinem patriæ. Loco temporique conueniens necessaria, & vtilis: manifesta quoque ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat: nullo priuato cõmodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta. Ideo autem in ipsa constitutione ista consideranda sunt; quia cum leges institutæ fuerint, non erit liberum iudicare de ipsis, sed oportebit iudicare secundum ipsas.

Lex enim debet esse honesta, & iusta, & nullam continere obscuritatem, inquit *glos. Verbo ambiguum in cap. vlt. de const. & addit* ne per obscuram constitutionem in laqueum incidamus, non enim laqueum debemus iniicere &c. nec debet nos inducere per legem obscuram, vel dubiam ad id a quo nos cohibere debet &c. cum nihil sit legi ita proprium, quam claritas, dicit *glos. Verbo Clara per tex. ibi in l. Nos omnia clara esse cupientes C. de pact. conuen. & Verbo lucem in extrauag. 1. de concess. præb.* ibi. Nam nihil est proprius legi quam claritas &c. & simplicitas magis quam difficultas placet legi. Et in *Auth. de testa. imperfect. §. 1. coll. 8.* ibi. Quid enim sic proprium est legum, sicut claritas, maxime super defunctorum dispositionibus.

Nobis in legibus magis simplicitas, quã difficultas placet, dicit *Imper. in §. Sed quia de fideic. libert. in Inst. vbi glos. in addit.* sic. intellige de simplicitate, quæ est contraria fraudi. non autem de fatuitate, quia illa est damnabilis *l. 3. §. fin. de suspect. tut. & in §. Caterum de legit. agna. succes.* ibi. Sed simplicitatem legibus amicam amplexa &c. Neque enim captiosa debet esse lex, *vt in l. Si rem 41. ff. de vsucap.* ibi, quia contra, statui captiosum erit *vbi not. glos. vlt. sic*. Not. quod captio euitatur vnde emanauit vulgaris illa regula, quod remedia legis non debent esse captiosa; Amatur namque veritas a legibus, vt dicit *Imp. in l. vnica C. de dedit. lib. toll.* ibi. Ea tantummodo volumus in nostris legibus esse, quæ re ipsa obtinent.

Si ergo leges amant iustitiam, diligunt veritatem, prohibent his contraria ne mireris si. *Papa Ioan. 8. in cap. vlt. 16. quæst. 3.* dicat illas diuinas ibi. Sed venerandę Romanæ leges diuinitùs per ora principum promulgatas, & notauit *glos. verbo Diuino* ibi nota diuinitus leges factas &c. *in l. vlt. C. de præscript. long. temp. per tex.* ibi. Ideo enim nostri maiores subtilissimo animo, & diuino quodam motu ad actiones, & earum iura peruenerunt &c. & *in Auth. Habita C. ne fil. pro pat.* ibi. Diuinarum atque Sacrarum legum &. Dicuntur etiam sacratissimæ, vt probat *glos. Verbo ignorans in cap. vnic. de controu. int. dom. & empt. feu.* ibi. leges enim Sacratissimæ, quæ constrigunt hominum vitas ab hominibus sciri debent, &c. & ob eas legislator, etiam Sacratissimus vocatur in *l. Scimus 22. ad fin. princ. C. de iur. de liber.* Appellantur etiam leges venerandæ, *vt in l. 1. C. de bon. mat.*

Per leges sustentatur Respublica, sicut per arma, inquit *glos. per tex. ibi.* Et ad ipsius Reip. sustentationem in *l. 1. §. C. de nou. cod. facien.* Istorum etenim alterum alterius auxilio semper eguit. Et tam militaris res legibus in tuto collocata est, quam ipsæ leges armorum præsidio seruatæ sunt, dicit *Imp. in l. 1 C. de Iustin. Cod. vbi glos. Verbo Auxilio* sic. Nam & leges indigent armis &c. *& in addit.* ponitur remissiuè an arma sint digniora legibus, & miles sit præferendus doctori, & vtrum Reip. plus prosit Iurecon̄sultus, an miles, ad quod allegatur *Bald. in l. proœm. ff. veter. in fin.* quem videas, & *Cicer. lib. 1. offic. in orat. pro Murena.*

Legibus etiam viuit imperium, vt in *l. 3. C. de*

C.de testam. Vnde licet *Imperator*, Princeps, Rex, & omnes superiorem non recognoscentes, legibus soluti sint de honestate eas seruare debent ex ratione *d.l.* 3. ibi licet enim lex Imperij solemnibus iuris Imperatorem soluerit, nihil tamen proprium est imperij; quã legibus viuere, *& in l.* 4. *C. de legib.* Imperator Theodos. & Valentin. ad senatum ita dixerunt. Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. Adeo de Authoritate iuris nostra pendit authoritas, & re vera maius imperium est summit tere legibus principatum. Et in *l. Ex imperfecto* 23. *ff. de legat.* 3. *sic*. Decet enim tantæ maiestati ipsas seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur, & in *§. vlt. quib. mod. testam. infirm. in Inst.* ibi. Licet enim (inquiunt) legibus soluti simus, attamen legimus viuimus: sicut è conuerso lex per Imperatorem viuit, cum Imperator legum pater dicatur habes Verbo Imperator vers. Nota Imperatorem.

Proditur autem lex, vt appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam genus humanum, vt honestè viuat, alterum non lædat, ius suum vnicuique tribuat, informatur, vt dicit *Gregor. in proœm. Decretal. vers. Ideoque* lex. Et contra sceleratos, & crimina perpatrantes insurgit, & armatur *in l. Cum vir* 31. *C. ad l. Iul. de adult.* ibi. Iubemus leges insurgere, armari iura gladio vltore, vt exquisitis pænis subdantur infames.

Non tamen obligat bene facere, vt dicitur in *cap. Ad fidem* 23. *quæst.* 5. *ibi*. Sic igitur quod aduersus vos leges constitutæ sunt; non eis bene facere cogimini; sed male facere prohibemini. Nam bene facere nemo potest, nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera voluntate, & notauit *glos. Verbo lex. in dict. proœm. Decretal.* ibi. Namque per leges nemo facere bene cogitur, sed male agerẽ prohibetur. *Et in cap. Ad reprimendam* 8. *de Offic. ordin.* Verbo Malitiam; vbi per eadem verba; & addit. Et hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur; & vt boni inter malos viuant quietè. Ad ædificationem namque bona est lex, si quis ea legitimè vtatur; quia finis eius est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, vt dicit *August. lib.* 12. *confess. cap.* 18.

Vnde dicit optime *Ioseph. lib.* 2. *contra Apion. num.* 40. quod virtus legislatoris est meliora considerare, & his qui vsuri sunt legibus, quas posuerit, satisfacere. Populi vero est, vt in omnibus, quæ constituta sunt, perduret, & neque felicitate procedente, neque calamitatibus, aliquid horum omittet. Nihil enim tam studiosum in omnibus rebus inuenitur, quam legum authoritas, quæ, & diuinas, & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit, vt dicit *Imper. in l.* 1. *C. de vet. iur. enucle*. Debet etiam legis conditor esse æquitatis fautor. *l. Hac lege* 8. *C. de pact. conuent. glos Verbo.* Aequo iure *in l. Inter filios C. fam. bersic.*

Legem autem breuem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur velut emissa diuinitus vox sit. Iubeat, non disputet; nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. ita inquit Senec. Epist. 95. Verumtamen aliquando vidi vnam (non in iure communi) cum latissimo prologo disputantem, & ratiocinantem, sed ideo quia in ea reuocabatur altera in vim contractus celebrata, & necessarium fuit rationes adducere ob quas reuocabatur, quibus non obstantibus adhuc non paruum remansit dubium, an posset reuocari, de quo non disputo, quia nostrum Apolecta non permittit.

Debet etiam lex imponi rebus non verbis, *vt in l.* 2. *C. com. de legat.* ibi. Nos

enim non verbis; sed ipsis rebus legem imponimus, & in *l. vlt. C. de vsur.* ibi. Hoc certe erat non rebus, sed verbis tantummodo legem imponere; quod intelligit *glos. vlt. in dict. l. 2. dicens*, idest sensum non verba spectamus iuncta *l. vbi pure* 10. *§. Vnic. ff. ad Trebell.* ibi. Nec verba spectantes Senatusconf. sed sententiam, quibuscumque verbis, dum testator senserit, vt hæreditas sua restituatur; & *l. scire oportet* 15. *§. Aliud ff. de excus. tut.* ibi. Sed & si maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult. Vnde optime dixit *glos. Verbo Ausu temerario in extrauag. Vnic. de praben.* Permissum est enim verba legis offendere, seruata mente.

Ad futura non vero ad præterita, lex intelligitur iuxta *l. Iubemus* 29. *C. de testam.* ibi. quid enim antiquitas peccauit, quæ præsentis legis inscia, pristinam sequuta est obseruationem, & *l. Diua memoria* 65. *C. de decurion. lib.* 10. ibi. Cum conueniat leges futuris regulas imponere, non præteritis calumnias excitare, & *c. vlt. de const.* ibi. Cum leges, & constitutiones futuris certum sit dari formam negotijs, non ad præterita facta trahi, nisi nominatim in eis præteritis caueatur, vbi *glos. Verbo Futura* sic etiam limitat, nisi sit constitutio iuris naturalis, quæ etiam ad præterita respicit.

Ad ea, quæ raro accidunt, nec leges, nec legislatores attendunt, vt dicitur *in Auth. Vt sine probibit. ad med. coll.* 7. ibi. Nam quod raro fit (sicut etiam vetus sapientia docet) non obseruant legislatores, sed quod fit plerũq; & respiciunt, & medentur, & *Celsus in l. 3. ff. de legib sic.* Nã ad ea potius debet aptari ius, quę & frequenter, & facile quã ad ea quæ per raro eueniunt. *comuncta l. antecedenti.*

In casu, qui dubitabilis est responsum datum a lege, non in eo, qui indubitabilis est, debere intelligi. dicit *glos. verbo de eo in l. quod habes 9. ff. de Carb. edict.* Quæ autem legibus definita sunt mutari non licet: quæ autem legibus expressa nõ sunt arbitrium, sequuntur humanæ voluntatis, inquit *cap. Vnaquaq; ad fin. 13. q. 2. & in cap. De causis 4. de offic. delegat. & §. Vnico* sic. Si tale fuerit negotium quod certa exinde pæna in Canonibus exprimatur eandem infligas: alioquin ipsos pro delicti qualitate, & causa secundum tuum arbitriũ punire procures. Quod vero in legum potestate est positum nõ egebit aliqua extrinsecus dispositione. *dicitur in Auth. in med. lit. non fier. sacr. form. coll. 8.*

Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, vel vbi aliquid statuit nos vltra non procedimus dicit *glos. in l. de pretio ff. de public. in rem act.* vbi ponit contrarium dicens, quod supplere debemus, & videtur probari, *ex tex. in l. quia 15. ff. de præscript. verb.* ibi. Si lex iusta, & necessaria est, supplet prætor in eo, quod legi deest, & ibidem notauit *glos pen.* dicens, Nota hic quod vbi deficit Lex, alij supplent, & probat ex *tex. in l. quæsitum 13. ff. de test.* ibi. Verumtamen quod lege omissum est, non omittetur religione iudicantium, ad quorum officium pertinet &c. notauit *glos. in l. Oratio 16 ff. de spons.* dicens nota, suppleri vbi deficit lex. per tex. ibi. vt suppleatur, quod orationi deest. Vide etiam *glos. Verbo postea in l. liceat 16. ff. de recept. arbitr.* & pro, & contra adducit *glos. pen. in l. Si rem 29. ff. de euict.* Nos ergo sequimur æquitatem in qua lex deficit, ait *glos. Verbo vtimur in l. Sicut 21. ff. de iud.*

Et a contrario supplet lex, quod homo omittit, vt dicit *glos. Verbo supra in l. 4. §. Si quis ff. de re iud.* cuius verba sunt. Sed siquidem minorem diem statuerit, iudex tempore legitimo, repletur ex lege, quod sententię iudicis deest probat etiam *glos. verbo a lege, in Auth. vt cler.*

apud

*apud.propr. Episc. §. Ergo Coll.*7. ibi. Supplet lex in quo homo defecit.

Sed quomodo audebit quis supplere, quod legi deest, sine lege, cum alias ipse legum pater dicatur in *Auth.de trien. & sem. §. Neque illo post princ. coll.*3.quia cum hoc non lege agimus, erubescimus? Dic quod satis lege facit dum ipsa permittit; Nam nec videtur contra conuentionem venire, qui cum licentia legis facit, nec periurat, qui legis licentia, contra sacramentum venit, vt dixit, *glos. Verbo Agitur in l.* 1. *ff. de act. empt.* & insuper si ratione faciat, lege facere videbitur, nam vbicumque ratio habet locum, & lex. *vt per glos. in l. Non omnium ff. de legib.* & quod magis est sufficit ratio ad limitationem legis, *vt in l. Scire oportet §. Sufficit ff. de excusat.tut.*ibi.ex ipsa naturali iustitia *l. Cũ ratio ff.de bon.damn.* alias *l. Vnica ff. de port. quæ liber.damn. cap. Cum Verbis in fin. de elect.* ibi. Tam rationes, quam Canones. *capit. Secundo requiris in fin. de appellat. vbi Abb. num.* 14. *in fin.* ibi. licet hoc iure non probetur, sed ratio naturalis dictat: *idem in cap. Ratio nulla num.* 1. *de preb.* lex est quidquid in ratione consistit. Et conducit illa generalis, & vulgaris regula. Quod cessante legis ratione, lex ipsa cessare debet *l. Adigere ff. de iur.patr.* ibi. Quamuis nulla persona lege excipiatur, tamen intelligendum est, de ijs legem sentire, qui liberos tollere possunt; Itaque si castratum libertum iure iurando, quis adegerit, dicendum est non puniri patronum hac lege.

Si vero dubitetur de intellectu, seu interpetratione legis, ad eius conditorem recurrendum esse dicit, *glos. Verbo declaramus in cap. vlt. de constit.*ibi. quia nullus alius posset eam declarare, seu interpretari, quia ad eum pertinet interpretatio, ad quem pertinet constitutio &c. Et si super priuilegijs Sedis Apost. quæstio oriatur, non vult Papa de ipsis per alios iudicare. *& probatur in Auth. in med. lib. non fier.sacr. form. coll.* 8. ibi. Si vero aliqua dubitatio iudici de aliqua fiat lege: nunciet ad nostram potestatem, & a nobis expectet causam scriptam declarationem, aut interpretationem, & secundum eam decidat litem.

Nunquam autem legum correctio fit nisi, vbi expressa inueniatur, vt deducitur ex vulgari *l. Præcipimus C. de appellat. & ibidem glos. vlt: cit.* Ita quod non mutatur, stat. Nec propter duritiam legis debet ipsa non seruari, *vt in l. Prospexit ff. qui & a quib.* ibi.quod quidem per quam durum est, sed ita lex scripta est, & ibi *notat glos. in fin.* Quod non licet verba legis offendere.

Et minus licebit ipsam legem transcendere, quia si faciet, transgressionis pœnas sustinebit. *Auth. de hered. & falc. §. Hic nobis coll.* 1. ibi. Sed dabit ei pœnam exactio suæ malignitatis, cur transcenderit leges, ex quibus caute omnia agens, nihil poterat damnificari. Non solum autem, contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet, sed etiam, qui fraudulentem saluis verbis legis, sententiam eius circumuenit, vt dicit *Paul. Iureconf. in l. Contra* 28. *ff. de legib. & Imp. in l. vlt. C. de assessor.* ibi. Cum in legem cõmittant, & ijs qui vigorem eius scrupulosis, & excogitatis artibus eludere festinaret.

Nec etiam ludibrio debent esse leges, vt dicit *Imp. in l. Cum non solum §. Puerilis C. de bon. q.lib. glos. penult. in l. Si quando* 15. *C. de test.* non debent enim leges irrideri, *vt notauit glos. in Auth. de æqual. dot. §.* 1. *coll.* 7. *per tex.* ibi. Irrideri videatur vndique lex, qui autem contemnunt fraudant, & transgrediunt, pœnas incurrunt, inter quas illa est, quod benefitio legis contemptæ non potiatur *l. Scimus* 22. *§. Sin vero C. de iur. de liber.* ibi. Nec le-

gis nostræ beneficio perfruatur, quam contemnendam esse censuerunt, *vbi not. glos. censuerunt*, quod qui legem spernit, non debet eius auxilio vti *l. Omnes 9. ad fin.* ibi. Carebit legum priuilegijs, quas fraudare conatus est. *C. de metat. lib. 12. & l. Auxilium in fin. ff. de minor.* ibi. Non fit ætatis excusatio aduersus præcepta legum ei qui dum leges inuocat contra eas cōmittit. *l. Filio 48. §. 1. ff. de rit. nupt.* ibi, quia contra legem maritus fit non habere eum hoc legis beneficium. *cap. Bona 25. de elect.* ibi. Frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem à quibus iuribus deduxerunt *glos. Verbo Ex delictis in l. 4. ff. quod cum eo, & glos. vlt. in cap. Constitutus 23. de appellat. probat etiam cap. contingit 45. de sent. excomm. & denique cap. 14. de vsur.* sic incipit. Quia frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem.

Sed quid dicendum an delinquens contra vnam legem, aliarum perdat beneficium? Ego non credo, quod propterea perdat beneficium alterius, quia sic puniretur in eo, quod non deliquit; sufficit ergo quod amittat legis beneficium, quam contempsit. ita respondit *glos. 1. in dict. cap. quia* (vbi tu videas Apostill. disputantem optimè de hoc) *& pro glos. videtur optimus tex. in l. Ex facto 43. §. vlt. ff. de vulg.* ibi. Qui in fraudem legum fidem accommodat, adeundo hæres efficitur, nec desinit hæres esse licet res, quæ ita relictę sunt, auferantur, vnde & ex secundis tabulis in tantum hæres esse potest, in quantum scriptus est. Satis enim punitus est in eo in quo fecit contra legem.

Si in fraudem legum tacitam fidem Seius accommodasset, nihil ei prodesse, si his verbis Pater fam. cum eo locutus esset. Non enim ideo circumuenisse minus leges existimandum esse, cum per inde incertum sit cui prospectum voluerit, ita *l. Lucius 126. §. vlt. ff. de legat. 1.* Fraudandæ etiam legis causa adscripta conditio pro non scripta haberi dicitur? Verbo conditio.

Durius agitur cum eo, qui fraudat legem, quam cum eo, qui fraudat hominem dicit *glos. Verbo in fraudem l. Si libertus 16. ff. de iur. patron.*

Priuatorum cautione legibus non esse refragandum constitit sic *ait l. quod de bonis 15. §. 1. ff. ad l. Falcid.* Cum etiam hoc quidem, quod contra leges actum est, ita ponat, ac si neq; a principio gestum sit. vt inquit *Auth. de non alienan. in princip. coll. 2. vbi glos.* intelligit quantum de iure, quantum vero ad ipsum factum pro infecto haberi non potest. Licet alias possit fingere lex aliquid, quod est impossibile, & quod nullum est, vt *dicit glos. Verbo Olim per tex. ibi in l. Sub conditione 16. ff. de solut.* comprobatur etiam prima conclusio *ex l. Iubemus 14. §. 1. ad fin. C. de Sacros. Eccles.* ibi. Quia ea, quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt, *& ex l. Non dubium C. de legib.* ibi. Vt ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est.

Ex dictis videtur inferri, quod consuetudo non præualeat contra legem, & satis probatur *ex tex. in l. 3. §. Si quis vers. quid tamen ff. de sepulch. viol.* ibi. Quid tamen si lex municipalis permittat in ciuitate sepeliri post principalia rescripta an ab hoc discessum sit videbimus; quia generalia sunt rescripta, & oportet imperialia statuta suam vim obtinere, neque enim legi per cōsuetudinem fit præiuditium, vt dictum est *Verbo Consuetudo Tamen glos. Verbo Sepeliri in d. l. 3. §. Si quis*, dicit quod consuetudo superueniens vincit legem. *Et verbo Minuendarum in l. in summa.*

2. ff.

2. *ff. de aqua. plu.* ibi. Item lex, & natura cedunt vetustati: sicut à contrario natura, & loci vetustas cedunt legi superuenienti. Nec mirum videtur, quia consuetudo etiam dicitur lex, vt per *glos. in l. vlt. C. de iur. Reip. lib.* 11. ibi. secundum consuetudinem, quæ est lex per tex. ibi. Si secundum legem ciuitatis, & quemadmodum posterior lex derogat priori, sic consuetudo, quæ est lex posterior, derogat legi anteriori: prout ita videtur innuere *glos. verbo de consuetudine in §. igitur procem. Instit.* ibi. Nota legem tolli per desuetudinem, vel contrariam consuetudinem, & iterum eandem consuetudinem per superuenientem legem tolli, quod intelligit ibidem Apostill. dicens si in tali non vsu sit implicitus vsus contrarius, alias non.

Derogatur etiam lex per Canones disponentes in contrarium, vt dicit *glos. verbo Ambitionis* ibi. Succumbit ergo lex Canoni, vbi est ei contraria *in l. Priuilegio* 12. *C. de Sacros. Eccles.* per tex. ibi. Omnes sane pragmaticas sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos interuentu gratiæ, vel ambitionis elicitæ sunt, robore suo, & firmitate vacuatas cessare præcipimus. Verum autem Papa possit tollere legem ciuilem? Habes in Verbo Papa. Interim tamen nota hæc verba, quæ ab ipso met Papa dicuntur *in cap. 1. de nou. oper. nunciat.* Sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari ita, & Sacrorum statuta Canonum principum constituitionibus adiuuantur. Et quæ ab *Imp. in Auth. vt cler. apud propr. Episc. coll. 6.* ibi. secundum sacras, & diuinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges, & aliquando dicuntur vim Apostolicam habere, *vt notauit glos. vlt. in l. Adigere 6. ff. de iur. patr.* ibi. Nota legem vim Apostolicam obtinere, vt remittat iuramentum.

Leges legibus concordare promptum est *ait l. Vnica C. de inoffic. test.* & si concordia non poterit fieri seruabit Iudex *l. Si præses* 32. *ff. de pœn.* quæ ait. Sed si vtriusque legis crimina obiecta sint, mitior lex erit sequenda, nec de superfluitate legis calumniabis, si aliquas tales inuenias, cum sanctius sit de tali superfluitate notari, quam de imperfectione; Nam inter leges illa videtur imperfecta in qua nulla pœna deuiantibus sancitur, vt dixit ex *Ioann. Andr. & Macrob. glos. Verbo Pœna in extrauag. Vnica de censib. int. com.*

Lex semper mitior esse debet, quam iudex possit esse, vt probat *glos. Verbo. Neque in Auth. de iudicib. §. Oportet coll. 6.* Nam mitius agitur cum lege, quam cũ ministro legis *glos. Verbo Aculeos in l. 1. C. vt intr. cert. temp. crim. quat. ter. glos. 1. in l. Celsus 28. ff. de arbitr. & in Auth. de nupt. §. Soluto Verbo. Non obligauerit coll. 2. & in cap. Illa* 39. *de elect.* vbi ponit hunc versum.

Supplicium Leuius dat ius, quam iura ministrans.

Et id fortè, quia plus est contemnere legem viuam, quam mortuam, vt dicit *glos. Verbo Causis prope med. in c. Bona* 23. *de elect.*

Aliquando rigor legis potest pactis mitigari priuatorum *l. vlt. §. vlt. C. de tempor. & reparat.* ibi. Legum enim austeritatem in hoc casu volumus pactis litigantium mitigari. Et a fortiori authoritate legis. Si enim pactis conuentis hoc fieri conceditur, & in vsu quotidiano hoc versari aspicimus, quare non ipsa legis authoritate hoc permittatur? *dict. l. vlt. C. de fideiussor.* Aduerte tamen, quod sicut publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, vt plenius venientibus casibus, & necessitatibus pro communi vtilitate satis fiat: sic frequentius legem solue-

uere exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu petentibus indulgere nihil aliud est quam ad leges transgrediendas aditum aperire, vt disponit *Conc. Trid. sess. 25. de reformat. C. 18.* Et ex clementia oriretur calumniæ occasio, vt alias dicit *Imp. in Auth. de exhib. re §. illud quoque coll. 5.* ibi. Nunc autem studio machinantur nostrarum legum clementiam, occasionem facientes suarum calumniarum; & ibidem notauit *glos. Verbo Calumniarum dicens*. Volebant enim quod clementia legum sit calumniæ occasio, vnde illud omnia mala exempla sunt orta a bonis rebus.

Leges emmendare non piget Imperatorem, vt dicis *Verbo Correctio vers. Et ita*. Maxime cum multoties temporum, & rerum varietas, variare leges, & statuta inducas, *habes Verbo Tempus* & ad id sunt optima verba *tex. in Auth. vt fact. nou. const. in princ. coll. 5.* ibi Semper legum nobis occasiones motorum negotiorum præbuerunt causæ. Et *in Auth. vt defunct. seu fun. cor. eod. coll. in princ.* ibi. Qui varietatem causarum conijciunt, non facile ad culpam veniunt, si veritatem examinent: quosdam namque verisimile est multitudinem legum, quæ per singula nobis adijciuntur culpare, non considerantes, quia opere semper vocante consonas causis leges compellimur, cum semper inopinabile emergat, & alijs, quæ iam imposita sunt mederi non valeat. *Et in Auth. quib. mod. nat. collat. & iam 5.* ibi. Quia nulla lex neque Senatus consultum prolatum in Republica Romanorum videtur ad omnia sufficienter ab initio promulgatum, sed multa indigere correctione, vt ad naturæ varietatem, & eius machinationes sufficiat.

Non debet igitur reprehensibile iudicare Canonum conditor, Canones à se vel suis prædecessoribus editos, vel aliqua in eisdem Canonibus contenta reuocare, modificare, vel suspendere studeat, si ea obesse potius viderit, quã prodesse prout dicit *Pont. in extrauag. 2. de verb sig.* Nam nonnunquam, quod consulte statuitur, ex sanioris inspectione iudicij consultius reuocatur. Ait *Extrauag. vnica de torniam.* Notabis tamen, quod licet lex abrogetur, eius ratio manet, & allegari poterit. Secundum *glos. Verbo substantia in addit cap. 1. de rest. spoliat. lib. 6.*

An lex derogans debeat facere mentionem de derogata? sic distinguendo respondit *glos. verbo. Nullam in cap. veniens 19. de præscript.* Et vna lex non debet facere de alia mentionem; sed illud obtinet in legibus communibus, quas princeps habet in scrinio pectoris sui &c. secus in legibus priuatis, quarum non habet memoriam &c. sicut nec habet memoriam rescriptorum, & sic de priuilegijs fieri debet mentio, vt ibidem, & dictum est *Verbo Derogatio, & infra Verbo Priuilegium*.

Quoties noua lex constituitur ad eas species pertinere non videtur, quibus specialiter ipsa lege pæna addita est. *ita glos. Verbo ante sententiam post med. in cap. vt debitus 19. de appellat. ex l. Sanctio legum 41. ff. de pæn.*

Nec etiam lex extendenda est ad personas de quibus non loquitur, sic decidente *Iureconf. in l. Si vero §. De viro ff. solut. matr.* ibi. De viro hæredeque eius. lex tantum loquitur; de socero successoribusque soceri nihil in lege scriptum est: & hoc Labeo, quasi omissum annotat. In quibus igitur casibus lex deficit non erit nec vtilis actio danda. Si vero eadem detur ratio videtur extendenda, *vt dicit Apostill. ad glos. Verbo Beneficijs in Clem. dispendiosam de Iud.* ibi. hic notat Imol. exorbitantia extendi exidentitate rationis; sed ego non extentionem, sed comprehentionem voco. Nota insuper ex *Bald.*

in

in l. 3. C. de indict. vid. toll. numer. 1. Quod vbi lex corrigitur respectu vnius personæ, non tamen ponderata qualitate personæ, sed qualitate actus: talis correctio porrigitur ad omnem personam, quæ est de substantia actus.

Non debet, quod rite, & secundum leges ab initio actum est, ex alio euentu resuscitari, inquit *l. Sancimus, 25. C. de admin. tutor.* cum alijs, quæ dicta sunt, *Verbo Factum*. Secundum leges id fieri dicitur, quod iure concessum est, vel antiqua consuetudine cuius memoria non existit hęc enim æquipollent, vt dicit *glos. Verbo generalibus in Extrauag. 2. de sepultur. inter com.* Contra verò leges actum, qui accusat laudabilis est, vt dicit *Imp. in Auth. de non alienan. §. vlt. coll. 2.* ibi. laudabilis enim huiusmodi est, & calumniatoris effugiet nomen, qui causam contra leges factam redarguit; author pietatis, & vtilitatis sacris domibus factus.

Quod lex dat priuatus auferre non potest, vt probat *glos. Verbo minus in auth. quib. mod. nat. §. Ergo coll. 7.* & habes *Verbo lucrum*. Publica enim vox priuatæ præiudicat, vt alias dixit *glos. Verbo Igitur in l. Testamento 90. ff. de hæred. instit.* quæ loquitur de lege publica, & testantis dispositione priuata. Vnde dicitur *in l. 58. ff. de legat. 1.* Nemo potest in testamento suo cauere, ne leges in testamento suo locum habeant. Coniuncto *cap. si diligenti. & glos. 1. ibi de for. comp.* Et his, quæ supra dicis, quod priuatorum cautionibus non fit legi præiudicium. Cum eo tamen stat, quod mitiùs est præceptum legis, quam testatoris, *vt per glos. vlt. in l. filio 7. ff. vt legat. no. cau.*

Legis præsumptio pro manifesta probatione habetur, vt deducitur *ex l. Si qui 34. C. ad l. Iul. de adult.* ibi. Hi si post modum in nuptias suas consortiumque conuenerint: facinus illud in quo fuerint accusati manifesta fide, atque inditijs euidentibus publicabunt.

Lex de fraude loquens intelligi debet de fraude cum effectu, vt dicitur *in l. 1. ff. de statulib.* ibi. Quoniam fraus cum effectu in lege Aelia Sentia accipitur.

Quod ait lex quanta pecunia erit, tantam pecuniam dato, ostendit æstimationem hæreditatis, vel bonorum libertati, non ipsam hæreditatem voluisse legem præstari, nisi ipsas res tradere maritus voluerit. *Ita inquit l. Si vero 65. §. vlt. ff. solut. matr.*

In omni lege, vel edicto excepta semper intelligitur rationalis excusatio, vt dicit *glos. 1. in cap. De cætero 11. de sent. excom.* & paulò infra. ibi. Quantumcumque præcise scribatur, exceptiones legitimæ excipiuntur.

Lex, etiam consulit, vt notauit *glos. in l. Sicut 8. §. Illud ff. quib. mod. pig. sol. per tex.* ibi. Tutius tamen est &c. Alia etiam significatione, lex consulit minoribus, & eorum consilio, quasi parum infirmo resistit, vt in *in l. Minor 20. ann. ff. de seru. exportand.*

Vtilitas vitæ non patitur eam laqueis legum innodari probat *glos. Verbo noua ratione in l. 4. ff. de cond. ob turp. cau. per tex. in l. Quæ adulterium C. ad l. Iul. de adulter.*

Legem principi non posse imponi, dixit. *Pont. in cap. Ex insinuatione 10. de appellat.* ibi. licet enim non potuerit nobis legem imponere, vt eam teneremur intra dictum terminum expedire, poterit tamen ipsi principi lex indicari; vt dicit *glos. verbo Iustitia ad fin. in cap. Vnico de Schismat. lib. 6.* ibi. Lex enim indicari sibi potuit, sed imponi non potuit.

Nec sibi nemo dicere legem potest, vt a priore voluntate ei recedere non liceat inquit *l. Si quis in princ. 22. ff. de legat. 3. & facit l. Quod autem §. Idemque ait vers. vxori ff. de donat. int. vir.* ibi. Quia venditor siue donator non sibi legem

gem vult imponi, nec possit. Sed ei, qui accepit, & *l. Lucius Titius* 40. *in fin. ff. de fideicom. libert.* ibi. Qui non sibi legem dixisset, sed legatario, vbi *glos. vlt.* sic non enim potuit. Poterit tamen suæ rei legem, quam voluerit dicere, *vt in l. ob res* 20. *ff. de pact. dotal.* ibi. Si extraneus de suo daturus sit dotem, quid quid vult pacisci (etiam ignorante muliere) potest. legem enim suæ rei dicit.

Libellus.

QVam plures significationes habet, quas poterit per te videre apud *specul. in tit. de libell. §.* 3. vnam ponit, *glos. Verbo Ex libellis in l. Seruis Vrbanis* 97. *ff. de legat.* 3. dicens libellis, idest panibus albis, quo pane non vtuntur rustici, sed grosso. Sumptus autem in significatione, qua aliquid in iudicium petitione deducitur, potest definiri, quod sit breuis membrana actoris petitionem continens, & eius caussam, & actionem complectens; vel libellus est scriptura agentis quæstionem continens, & futuram actionem depromens, vt per eundem *Specul. §.* 3 *in princ. Bertacb. in suo rep. Verb. libellus in princ.* Dicitur vero paruus liber propter sui breuitatem, sicut codicillus dicitur paruus codex. vt per prædictos doct.

Duæ sunt libellorum species scilicet Criminalis, & tunc dicitur inscriptis. Item conuentionalis, seu postulationis, qui in ciuilibus porrigitur, vt per eundem *Spec. sup. §.* 2. *& notatur in Auth. Offeratur C. de lit. contest.* Ideo inscriptio dicitur in criminalibus libellus, cū in eo præcedere debeat subscriptio, quæ res adiuncta est, ne facile quis prosiliat ad accusandum: cum sciat inuitam sibi accusationem non futuram prout prædictis Verbis dicit *l. Si cui crimen* 7. *ff. de accusat. & in l.* 3. *eod.* ibi. Item subscribere debebit, is qui dat libellum, se professum esse, vel alius pro eo si litteras nesciat.

Iste autem libellus criminalis, quid continere debeat? *ponit glos. Verbo Secretarium in l. In caussis* 16. *C. de accusat.* & licet ibi dicat, non apponendum esse diem neq; horam commissi criminis, id intelligi debet, quod Actor non teneatur in libello declarare, sed si à reo petatur ad effectum suæ coarctatæ defensionis faciendæ, tenebitur Actor declarare talem diem, & horam, atque ita videtur eadem glos. sentire dum ait. Non dies, vel hora apponatur ab initio, ex post facto ergo si petatur debet apponi, & ita est in praxi in huncq; sensum debet intelligi *l. libellum* 3. *C. de accusat.* ibi. Neque diem neque horam inuitus comprehendit.

Per libellum famosum, non intelligi læsam opinionem dicit, *l. vnic. C. de famos. libell.*

In libello, qui in ciuilibus porrigitur, res, caussa, & actio ponenda sunt inquit *glos. Verbo loco in l. de pupillo* 5. *§. Qui nunciat per tex. ibi ff. nou. oper. nunc. vbi Apostill.* ait sic. Fallit forte in libello generali per optim. *glos. Verbo Et perinde in l.* 1. *ff. de edend. vbi etiam Bart. not. & probare videtur l. vlt. C. de annal. except.* vbi generalis petitio admittitur.

Debet etiam talis libellus dari clarus, vt reus possit deliberare, an velit cedere, vel contendere, vt notauit *Bart. in dicta l.* 1. *num.* 1. *ff. de eden.* qui tex. ita ait. Qua quisquam actione agere volet eam prius edere debet. Nam æquissimum videtur eum, qui acturus est, actionem edere, vt perinde sciat reus verum cedere, an contendere vltra debeat, & si contendendum putet, veniat instructus ad agendum, cognita actione, qua conueniatur.

An sit necesse ponere in libello illa verba soli-

solito saluo iure, addendi, vel diminuendi? Respondit *glos. Verbo Iure addendi in c. Inter dilectos de fid.instr.* sic. Sed non est necesse, quod ponatur, nisi quis velit ponere ad cautelam, quia vsque ad litis contestationem potest mutari, vel addi, vel diminui in libello.

Per libelli oblationem perpetuatur actio; & res efficitur litigiosa, vt dicit *glos. verbo contestata in cap. Relatum 19. de offic. de legat.*

Liber.

FAciendi plures nullus est finis: dicit *Ecclesiastes ci.2.* & tamen vulgus incaute dicit igni esse tradendos cui *Bonifac. Pap. respondens in proœm. 6. decretal. prope fin.* ait libros destrui, & alios non sine maximis dispendijs laboribus, & expensis de nouo fieri oportere, *& ibi glos. Verbo laboribus*, notat maximos labores esse in libris scribendis, quos ego satis in præsenti expertus sum.

Non nego, quod multorum librorum lectio reprobetur, prout optime dicit *Senec.lib.1. Epist. 2.* ibi. Illud autem vide ne ista lectio multorum authorum, & omnis generis voluminũ habet aliquid vacuum, & instabile; certis ingenijs immorari, & enutriri oportet, si velis aliquid trahere. quod in animo fideliter sedeat, nusquam est, qui vbique est. *& Epist.45.* sic. Non refert, quam multos, sed quam bonos habeas, lectio certa prodest, varia delectat. Qui quo destinauit peruenire vult, vnam sequatur viam non per multas vagetur, non ire istud, sed errare est. Verum cum tot sint homines, quot ingenia, & non omnes eadem, sed quilibet diuersum habet, necesse est, vt plures sint libri ad tot ingenia. Abeat igitur in desuetudinem dictum vulgi (qui communiter errare solet) & scriptura, quæ solui non potest, stabit in perpetuum. Stabunt etiam Sacrarum legum volumina dum antea immensa, nunc ad mediocrem, seu meliorem modum peruenerunt, *vt in l. Sancimus 24. C. de nupt.* Et eodem modo Sacri, & Diuini Canones, ad quorum memoriam reducendam nostrum præsens. Apolecta dirigitur.

Per librum probari affirmatiuam, & negatiuam, notauit *glos in casus positione in l. Iustum C. de eden.* vbi tex. dicit, quod rationes publici libri debent edi. Quod etiam probat *Clem. Vnica §. Cæterum de vsur.* ibi. Ad exhibendum cum de vsuris agitur suarum codices rationum censura ipsos decernimus Ecclesiastica compellendos. Et in isto verbo quærit *glos.* an credatur eius iuramento, si dicat perdidisse codices? & negatiuè resoluit, nisi probetur amissio, cum causa hoc est, incendio, ruina &c.

Per libros antiquos probatur diuisio Diœcesum, sufficit, quod in libro authentico scriptum est, vt dicit, *glos. Verbo Censualem in cap. Ad audientiam 13. de præscript. vbi Apostill.* sic. Adde, quod libro censuali Ecclesiæ in loco non suspecto seruato, creditur.

Rationes defuncti, quæ in bonis eius inueniuntur ad probationem sibi debitæ quantitatis solas sufficere non posse sæpe rescriptum est. Eiusdem iuris est, & si in vltima voluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas sibi deberi significauerit, *ita l.6. C. de probat.* per quam dicunt probari, quod liber collegij non probat. Coniuncta *l. 7.* ibi. Exemplo perniciosum est, vt ei scripturæ credatur, qua vnusquisque sibi annotatione propria debitorem constituit, *eod. tit. & l. Inter chartulas C. de conuen. fisc. debit.* quam vero probationem libri rationum priuati faciant tradit. *Bart. in l.*

Nuda ratio num. 7. ff. de donat. Vide etiam *in l. Admonendi numer. 36. ff. de iur. iu.* Et quod in dependentibus amera nostra voluntate liber rationum plene probet, tradit idem *Bart. in l. Nesennius num. 4. ff. de negot. gest.*

Liberalitas.

EST mediocritas in dandis capiendisq; pecunijs, quia liberalis dabit, & erogabit in quibus oportet, vnde. Si quis dederit, quibus non oportet, aut non honesti gratia, liberalis non dicitur. Sic dicente *Arist. 4. Ethic. cap. 5. & in cap. 1.* ita. Liberalis est, qui secundum vires patrimonij erogat, & in quibus oportet, vbi etiam dicit. Non in multitudine datorum, sed in dantis habitu liberalitas consistit.

In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum, & personarum. Rerum, vt non omnia vni, sed singulis quædam præstentur, vt pluribus prodesse possimus. Personarum, vt primum iustis, deinde peccatoribus. Ita dicitur in *cap. Fratrem nostrum ad fin. 86. dist.* Et si vis scire alia, quæ in liberalitate concurrere oportet, vide omino *tex. in cap. Non satis cum quatuor sequentibus ead. dist.* ne omnia transcribam.

Largiri, & auxiliari amicis, aut extraneis delectabilissimum est, dixit *Arist. 2. Polit.* ideo si quis largiatur turbata facie non liberalitatem exercere dicendus est, nam vt dicit *Isidor. in lib. 2. soliloq.* Quidquid largiris cum hilaritate largire. Liberalitas ergo hilari vultu, sermone iucundo exercenda est, & *Apost. ad Corinth. 2. cap. 9.* Hilarem datorem diligit Deus. Nec enim debet existimari detrimentum, quod liberali animo sumendum hominibus permittitur: quia non in hoc Deus abundantiam bonarum rerum largitur, vt his soli fruamur, sed vt de nostro etiam alios honoremus, vt dicit *Ioseph. lib. 4. antiquit. cap. 8. num. 40.*

Sicut neque iustum, vtique aliquis dixerit non gaudentem iusta operatione, ita nec liberalem non gaudentem liberalibus operationibus, dicit *Arist. 1. Ethic. cap. 4.*

In principe bene sedet liberalitas, præsertim in Papa *audi Innocent. tertium in capit. 11. de rescript.* sic Sedes Apostolica consueuit exhibere sepetentibus liberalem. Nam Ecclesia nemini debet claudere greminum, vt dicitur in *l. vlt. §. Sed quia C. de Summ. Trinit.*

Si auaritia semper odiosos, amabiles, & claros largitas facit; & ob id liberalitas, valde extollitur, & opulentius iura succurrunt liberalibus, quam cæteris pro quo facit *l. Ex hæredátum 49. in fin.* ibi. Pinguius enim donatori succurrere debemus, quam ei, qui verum debitum persoluere compellitur coniuncta *l. Sequenti*, ibi. Ne ex liberalitate sua inops fieri periclitetur, *ff. de re iud.* Nisi captiose fuerit collata, liberalitatem enim captiosam interpretatio prudentium fregit, vt alias inquit *l. Cum Aquiliana ff. de transact.*

Liberalitas etiam latius interpretatur, vt dicit *glos. Verbo ex qua in l. Proinde 7. §. 1. ff. de stipul. seru.* ibi. Cum liberalitas latius interpretanda sit, quã hic in stipulatione, quæ non est ex causa liberalitatis, & *glos. Verbo Patrono in l. Si vero §. Inde Papirianus ff. manda.* ibi. Ergo ratione primæ liberalitatis, & hoc præsumitur &c.

Qui obsequijs suis liberalitatem patronum prouocauerunt, non sunt digni, quo eam retineant, cum cœperint obsequia negligere, cum magis in eos collata liberalitas ad obsequium inclinare debeat, quam ad insolentiam erigere, dicit *l. 1. C. de reuoc. donat.*

Qui debitum naturale soluit, etiam liberalitatem dicitur exercere, vt probat *l. 1.*

l. vnic. C. de impon. lucr. descrip. l. 10. ibi. In tam enim necessarijs sibi coniunctisque personis sub liberalitatis appellatione debitum naturale persoluitur.

Qui vero necessario tenetur aliquem eligere, non exercet liberalitatem, vt probat *l. vnum ex familia 69. §. 1. ff. de legat. 2.* ibi. Non enim facultas necessariæ electionis, propriæ liberalitatis beneficium est. Quid enim est, quod de suo videtur reliquisse, qui quod relinqui omnino reddere debet? Sed quid dices in Episcopo conferente beneficium? *Audi glos. vlt. in cap. relatum 9. de præbend.* sic dicentem. Quia Episcopus non habet liberalitatem necessariæ electionis, &c. & in necessitate non est liberalitas &c. liberalitas est, vt ei prouideat sine coactione, & licet necesse habeat conferre beneficium; non tamen habet necesse conferre isti, vel illi, & ita si conferat tibi: gratiam facit, cum iam tibi non teneatur conferre, & sic liberalitas, & necessitas circa diuersa referuntur; quod ex eodem tex. videtur probari ibi concedas liberaliter, & facit illud *Senec. lib. 6. de benef. cap.* 13. ibi. itaque debes, non quod redimis, sed quod eligis &c. præfers me alijs &c.

Quod autem in necessitatibus nemo liberalis existat, habes in Verbo. Necessitas id tamen tolerabile, & excusabile est, sed valde crudele, & insupportabile quod nemo sit liberalis ei, qui indiget iuxta illud. Dum fueris Felix &c. vt affert *glos. Verbo liberalis in l. Rem legatam 18. ff. de adim. legat.* Vide etiam *Bart. ibi. num.* 1. vbi declarat quomodo intelligatur illud, nemo in necessitatibus existit liberalis.

Nunquam tam plene occurrere vlla liberalitas potest, vt cupiditates illorum quæ crescunt, dum explentur exsatiet dixit *Senec. Epist.* 49.

Liberatio.

Est donatio, vt dicit *Bart. in l. Actione num. 6.* C. *de transact. & probatur ex l. In ædibus 9. ff. de donat.* ibi. Potest enim, & citra corporis donationem valere donatio: veluti si donationis causa, cum debitore meo paciscar, ne ante certum tempus petam, & *l. Contra iuris 29. §. 1. ff. de pact.* ibi. Vt si donandi causa pactus sit de non petenda pecunia. Capere enim videtur eo, quod liberatur dicit *l. Nesenius 22. §. Si debitori ff. ad l. Aquil.*

Quatuor modos relinquendi liberationem in testamento ponit idem *Bart. in l. 3. num. 1. ff. de liberat. lega.* ibi. Primo relinquo, quod tibi debeo, *vt in l. 1. eod. tit.* Secundo damno hæredem meum non petere, *vt in l. 2. in princ.* Tertio, si lego liberationem, *vt in d. l. 3.* Quarto si lego Chirographum, *vt in ead. l. 3. §. 1.* Et hæc omnia important legatum liberationis, vt prosequitur idem met, *Bart. in §. Nunc de effectu citata l. 3.*

In generali liberatione non contineri dolose facta, sed tantum scrupulosam inquisitionem, dicit *glos. vlt. in l. Non solum 9. §. Si hæres ff. de lib. legat. per tex.* ibi. Si hęres vetitus sit agere, cum eo qui negotia defuncti gessit, comissa sit, vt & testator videatur id sensisse, probat etiam *l. Aurelio 21. §. 1. in fin.* ibi. Si quid dolo curatores fecerunt, si quæ res testatoris penes eos sunt, eo nomine conueniri eos posse: *eod. tit. & idem l. qui plures 12. ff. de admin. tut.* ibi Quoniam eius liberatio, quod ex tutela percepit, aut dolo contraxit, non est relicta.

Facilior, qnis est ad liberandum, quam ad obligandum, vt dicitur *in l. Arrianus 46. ff. de act.* ibi. de liberando ex diuerso, vt scimus faciliores ad liberationem.

 Spe-

Species acquirendi est liberare Dominum ab obligatione dicit *l. 11. ff. de accepti lat.*

Liberat autem me is, qui quod debeo promittit, etiam si nolim, dicit *l. si Stichū, 8. §. Vlt. ff. de nouat.* sed quomodo si liberatio facta inter contrahentes requirit partium consensum, & præsentiam? vt per *glos. in l. Non solum §. Si liberationis, quam sequitur ibidem Bart. n. 1. ff. de lib. legat.* tu, cum videto. Ego vero vidi *l. Soluendo 1. ff. neg. gest.* quæ ait: soluendo quisque pro alio licet inuito, & ignorante liberat eum. Quod autem alicui debetur: alius sine voluntate eius non potest iure exigere. Naturalis enim simul, & ciuilis ratio suadet alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis, & inuiti nos facere posse, deteriorem non posse. Et sæpe alieno facto quem liberari tenet *glos. verbo Alieno facto in l. Si ex duobus 9. ff. eod. tit. de negot. gest.* in casu eiusdem *l. 9.* dicitur sic. Sed & illud esset iniquum eum, qui non prohibuit alieno facto liberari.

Non etiam liberatur debitor si pecunia creditoris ipsi creditori esset data. Quoniam quoties suos nummos accipit creditor non contingit liberatio debitori, vt inquit *l. Si mandauero 22. §. Si mandauerim ff. mandat.*

Nec liberabitur alter si cum altero agatur, non enim electione, sed solutione liberantur, inquit *l. 1. §. Si apud duos ff. deposit.* loquens de duobus apud quos fuit factum despositum. Et in terminis pœnæ legis Aquiliæ, sic dicit *l. Item Mela §. Sed si plures ff. ad l. Aquil.* Et si cum vno agatur, cæteri non liberantur, Nam ex lege Aquilia, quod alius præstitit, alium non liberat, cum sit pœna, vbi notat *glos. eodem verbo Pœna*, dicens, bona ratio, quod non liberet vnus alium, & opponit in contrarium. In pœna vero tituli de his, qui deiec. vnus soluens alterum liberat *iuxta l. 3. eod. tit.* ibi. Sed si cum vno fuerit actum cæteri liberabuntur. Et in noxali actione, dicit *l. 4. §. Cum dominus ff. de noxal. act. sic*. Vna autem pœna exacta, quam actor elegerit, altera tollitur, de quo latius videas *glos. magnam in l. Si ex duobus 17. eod. tit. de noxal.*

Qui tempore liberatur non est similis soluenti dicit *glos. Verbo. exierit, in l. Item 18. §. quod adÿcitur ff. de const. pecun.* sed in *l. Si pupillus 46. ff. de admin. tut. in fin.* sic inquit Iureconf. Is autem qui tempore liberatus est, non ei similis est qui nihil habet, sed ei qui satisfecit. *Apostill. ad dict. glos.* exierit, dicit quod præscribens est similis soluenti, quo ad quid, non tamen in omnibus similis est enim soluenti, quo ad damnum creditoris.

Libertas.

SI hanc sumas quatenus est prœmium virorum bonorum, quæ dicitur summa libertas. Diffinitur à secundo Philosopho, quod nihil aliud sit, quam hominis innocentia. Ideo Cicer. in lib. paradox. Solum sapientem appellat liberum; nam si mali, & insipientis, serui nequissimi appellantur; boni & sapientes, liberi dicuntur: quia vbi Spiritus Domini, ibi & libertas; & quisquis hoc spiritu ducitur etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra Authoritate. Iusto enim lex non est posita: sed vbi Spiritus Dei ibi libertas, vt dicit *Vrban. Pap. in cap. Duæ ad fin. 19. quæst. 2.* Per habitum namque virtutis sensualitas spiritui, & rationi adeo subijcitur, vt à sensualitate homo efficiatur immunis, & libertatem quandam consequatur. Quod intelligas à seruitute peccati, non autem à seruitute, qua viri, quantumque perfecti, sunt adstricti Ecclesiasticis Prælatis, & seculari-

laribus Principibus. Nam virtus, qua homo subijcitur homini, ad corpus pertinet, non ad animam, quæ manet libera. Licet ergo per habitum virtutis ab effectibus animæ liberemur, non tamen ab affectibus corporis, vt probat *Apost. ad Roman. cap.* 7. Filij ergo Dei per gratiam quamuis sint liberi ab spirituali seruitute peccati, non tamen à corporali, qua Ecclesiasticis, vel temporalibus sunt districti, & in hoc errarunt hæretici Beguardi, & Beguinæ de quibus in *Clem. Ad nostrum de haret.* asserentes, quod illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis non sunt humanæ subiecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur.

Principes tamen non debent nouam imponere seruitutem, nec antiquam augere, sed libertatem, quam sibi maiores conseruare desiderant, minoribus suis bona voluntate conseruent: vt dictum fuit *in Lateranensi Concil. relat. in cap. Prohibemus* 7. *de censib.*

Libertatem vero si sumas quatenus contrariam seruituti; *Diffiniuit Imp. Iustin. in §. Et libertas de iur. pers. in Instit.* Quod sit naturalis facultas eius, quod cuique facere libet: nisi si quid vi aut iure prohibetur. Et sicut illa naturali iure continetur, sic ista ex iure gentium introducta est, vt dicit *Iureconf. in l. Si id quod* 64. *ff. de condict. indeb.*

Libertas inæstimabilis res est, dicit *l.* 107. *ff. de reg. iur. & in l. Non est singulis* 137. Infinita æstimatio libertatis: & in *l.* 1. *§.* 1. *vers. Sed cum liber homo ff. de his qui deiecer.* ibi. Quia in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest. *Et in l. vlt. eod. tit. ibi quia* liberum corpus nullam recipit æstimationem, & in *l. Procurator* 8. *§. vlt. ff. rem rat.* hab. ibi. Aestimatio libertatis ad infinitum extenderetur, *& in l. Status liberorum* 9. *ff. de statulib. sic*. Libertas enim pecunia lui non potest, nec reparari.

Dicitur libertas res spiritualis, & ideo potest venire in commutationem cum alio Spirituali, vt tenet *glos. Verbo, eo tenore, in cap. Eo libentius de seru. non ord.*

Leges magnopere fauent libertati iuxta *l.* 1. *§. vlt. in fin. C. de manumission.* ibi. Maxime pro libertate, quam & fouere, & tueri Romanis legibus, & præcipuè nostro numini peculiare est, *& l. vlt. C. de patr. potest.* ibi. Libertati a maioribus tantum impensum est, vt patribus quibus ius vitę in liberos necisq; potestas olim erat permissa, libertatem eripere non liceret, & in *Auth. vt libert. de cater. §. vlt. coll.* 6. ibi. Nobis autem omne extat studium subsistere libertates, & in nostra florere, & augeri Republica, & in *l. Cum Syllanianum* 11. *C. de ijs quibus vt indig.* ibi. Et maximè libertatibus, quas semper Philosophia amplectitur, *vbi glos Imperfectum* intelligit Philosophiam sciẽtiam legalem. Et quod magis est. Multa contra iuris rigorem pro libertate sunt constituta, vt inquit *l. generaliter* 24. *§. Si quis tutorem ff. de fideic. libert.*

Libertas non priuata, sed publica res est, vt vltro is qui eam debet, offerre debeat, inquit *Iureconf. in l. Si quis rogatus* 13. *ff. de fideic. libert.* Vnde nemo prohibendus est libertati fauere *l.* 3. *§. Si eum vers. hoc interdictum ff. de lib. hom. exhib.* Quin imo datur etiam inuito, vt dicis Verbo *Seruus*. Et semel data non infirmatur, vt in *l.* 2. *C. de fideic. libert.* ibi posterior euentus non infirmat libertatem ita datam, vbi casus est notabilis fuit namque testamentum falsum declaratum, & tamen datur solum hæredi repetitio viginti aureorum, quos soluet manumissus in tali testamento.

Grande beneficium est libertatem dare, di-

dicit *l. 1. ff. de bon. lib. ibi.* Ad remunerandum, tam grande beneficium, quod in libertos confertur, cum ex seruitute ad ciuitatem Romanam perducuntur. Vnde dixit *Iurecons. in l. Paulus respondi 39. de fidei commiss. libert.* Qui si serui sint, nihil gratius ijs præstari posse, quam libertatem.

Neque pupillum neque rempub. cum pro libertate iudicatur in integrũ restitui posse dicit *l. Illud 9. ff. de appell.* Quia semel pro libertate dictam sententiam retractari non oportet ait *l. Si dolo 25. ff. de dol.*

Patientiam consensui cõparari liberalitatis fauore notauit *glos. Verbo. Sciente in Auth. Si seruus C. de episc. & cleric.* Et volunlatem tacitam, præferri expressæ fauore libertatis dicitur Verbo voluntas, nec mireris, quia fauor libertatis sæpè, & alias benigniores sententias exprimit, vt inquit *l. Pœnalis §. vlt. ff. ad l. falcid.* Bene verum est, quod si fideicõmissaria libertas detur, non verba tantum fidei comissi, sed & mentem testatoris necessariam esse dicit *l. generaliter 24. in fin. ff. de fideic. lib.* tamen intellige, vt ibi. Sed cum præsumptione libertas præstita esse videbitur, hæredis est contrariam voluntatem testatoris probare.

Potior, est legato libertas, dicit *l. Titio 95. §. Serui ff. de cond. & dem.* & ibi summat *Bart.* sic fauor libertatis fauori nuptiarum præfertur. Quod intelligas iuxta *l. qui testamento 38. ff. de legat. 2.* Quia toties libertas efficacior est legato, quoties vtiliter data est.

Venientes ab intestato tenentur libertatem dare illi, quam testator dilexit, vt testatur, *Iurecons. in l. In testamento 38. ff. de fideic. lib.* decreuisse imperatorem ibi. Et interloquutus est, etiam si nihil ab intestato pater petijsset, pios tamen filios debuisse manumittere eã quam pater dilexisset.

Nihil facit ad interpellandam iurisdictionem eius, qui de fideicomissaria libertate cognoscit priuilegium cuiusque, vel ciuitatis, vel corporis, vel officij, in quo quisq; est, vel conditio personarum, ita inquit *l. Neque infantes 36. ff. de fideic. libert.*

Libertas a testatore, vni ex seruis eligendo ab hærede relicta, si mox hæres non eligat, omnibus seruis competit, dixisti Verbo Electio. Cum satis impium atque absurdum sit, hæredes testatoris differre voluntates maxime cum ad libertates respiciunt, vt inquit *l. Ancillam 13. C. de fideic. lib.* Nam, qua ratione decretum, & a Diuo Securo constitutum est in rem moram esse circa pecuniaria fideicommissa, quę minoribus relicta sunt, multo magis in libertatibus hoc idem admitti, ait *Iurecons. in l. Cum vero 26. §. Apparet ff. de fideic. lib.* & ibi reddit *glos. rationem Verbo,* Multo, dicens: quia plus fauetur libertati, quam ætati.

Quid ergo si plures sit seruos rogatus manumittere, & ad quorundam precium sufficiat, quod relictum est: ad omnium vero non sufficiat, an cogẽdus sit quosdam manumittere? interrogat, *Iurecons. in supracitata l. generaliter 24. §. Proinde ff. de fideic. liber.* & respondet, Putem deberi eum cogi, vel eos quorum pretium patiatur manumittere. Quis rectè dixerit, ordinem scripturæ sequendum: Quod si ordo non appareat: aut sortiri eos oportebit, ne aliquam ambitionis, vel gratiæ suspicionem prætor subeat, aut meritis cuiusque allegatis arbitrari eos oportet. Quod autem qui primi in scriptura nominati fuerint erunt liberi, patet etiam ex *l. Si quis 24. ff. qui & a quib. Si quis* (inquit) habens creditores, plures manumiserit non omnium libertas impedietur, sed qui primi erunt, liberi erunt, donec creditoribus suum soluatur. Nec enim humanum erit ob rei pecuniariæ quæstionem libertati moram

ram fieri dicit *l. Si purè 37. ff. de fideic. lib.*

Agnoscens testatoris voluntatem tenetur libertatem præstare fideicomissariam iuxtà eiusdem testatoris dispositionem ita decidit *Vlpian. in l. Si debitor 45. ff. de fideic. liber.* ibi. Et siue plus sit in pretio, siue minus cogitur libertatem præstare: Si modo semel agnouit voluntatem; & confirmatur ex ratione *§. 1. in fin.* ibi. Satius est igitur eum, qui agnouit legatum onerari, quam libertatem intercidere.

Libertatis fauore seruus relictus ab altero hæres, offerens alteri domino partem seu pretium partis suæ, liber erit vt dicitur in *l. Si seruus 18. ff. de vulgar. & pup. subst.* ibi. Aequitatis ratio suggerit, vt ipse pretium partis suæ domino offerens possit, & libertatem, & hæreditatem consequi.

Etiam si quis seruus fuerit venditus tali pacto, ne vnquam liber fieret adhuc poterit, eo non obstante, ad libertatem peruenire ex *l. 3. §. vlt. ff. ad Syllan.* ibi. si hac lege distractus quis ne manumitteretur. poterit propter hoc, quod in commune vtile est, ad libertatem peruenire.

Qui inuicto defuncto poterat libertatem extorquere, is liber esse iussus non magnum videtur beneficium a defuncto consequi, imo nihil commodi sensisse, sed magis sibi debitam accepisse libertatem dicit *l. Si seruo 84. ff. de hæred. instit.*

Nec ignorantia, nec timor, nec etiam ignauia eius cui relicta est libertas, libertati potest præiudcium afferre: sic decidente *Iureconf. in l. Cum vero 26. §. Appareat ff. de fideicomis. lib.* ibi. Plerumque enim per ignauiam, vel timiditatem eorum quibus relinquitur libertas fideicomissaria, vel per ignorantiam iuris sui, vel per authoritatem, vel dignitatem eorum a quibus relicta est, vel serius petitur, vel in totum non petitur fideicomissaria libertas, quæ res obesse libertati non debet.

Generaliter, quoties quis iustis rationibus ductus, vel non iustis, sine calliditate tamen, putauit se liberum, & in libertate moratus est: dicendum est hunc in ea causa esse, vt sine dolo malo in libertate fuerit, atque ideo possessoris commodo fruatur. Ita inquit *l. Igitur 12. ff. de liber. caus.* Non autem melioris conditionis erit, qui dubiæ libertatis est, quam qui certæ, dicit *l. Ordinata 24. iuxta fin. eod. tit.* Idem dicas in fugitiuo licet speciem libertatis habeat, vt alias dicit *glos. Verbo Abesi. in l. 1. C. de ædil. act.*

Libertas, quæ seruo alieno data est non consentiente domino non valet, nec confirmatur si postea dominus serui hæres extiterit illi, qui libertatem donauit. Dictum est supra verbo *Confirmatio*. Tamen non statim extinguitur fideicommissaria libertas, sed differtur quoad possit. Ità Inquit *Imp. in §. libertas in fin. de sing. reb. per fideic. in Instit.*

Si priuatus coactus à populo manumiserit, quamuis voluntatem accommodauerit tamen non erit liber; ità expressè, *ait l. 17. ff. qui & à quib.* Item non fit liber si mentitus dominus ne à magistratibus castigaretur dixit esse liberum; non enim fuit voluntas manumittendi eadem lex. ait.

Nec libertatem de supremis iudicijs constringere, quem posse dixit *Iureconf. in l. Si fratres 53. §. Idem respondit ff. pro Soc.*

Libertas perniciosa, & ingrata in seruitutem redigenda est, vt dicitur *in cap. Octaua discussio 12. quæst. 2.* ibi. Talium enim status, qui contra Episcopum, vel patronam Ecclesiam nituntur, decidi potius, quam conseruari conuenit, vt quorum libertas perniciosa est, sit salutifera seruitus, & qui superbire voluerunt adepta libertate, proditi discant

scant obedire subiecti.

Qui igitur libertatem consecuti sunt (quæcumque illa sit) debent eam bonis manibus conseruare, prout optime dixit *Ioseph. de antiquit. lib. 6. cap. 2. numer.* 10. in hæc verba viri Israelitæ, quando quidem nec hostis infestus esse desinit, & Deus vestris precibus flexus propicius esse incipit, oportet non votis tantum libertatem expetere, sed eo totis viribus incumbere, vt vel nunc tandem illa potiri contingat. Cauete ergo ne vestris met moribus hac indigni reddamini, sed pro se quisque colat iustitiam, expulsisque omnibus vitijs ex animo purgatas mentes ad Deũ conuertite, & in eius veneratione constanter perseuerate. Hæc enim facientibus breui omnia bona venient, & in primis noua libertas & victoria de hostibus: quæ neque armis, neque robore corporum, neque copiarum multitudine consequi licet, non enim his Deus præmia proposuit, sed probitati, ac iustitia.

Pulchrum esse pro libertate mori, dixit idem *lib. 3. de bell. Iud. cap.* 11. *vbi* alia videas.

Libertum libertæ non contineri ait *l. Modestinus* 105. *ff. de verb. signif.* nisi in casu *l. Adijgere 6. ff. de iur. patr.* vt notasti supra verbo *Fæmina vers. Pessimum est.*

Contra patronum libertus, nec verba aspera proferre debet, vt dicitur in *l.4. C. de obseq. patr. præst.* ibi. Nam si qua tibi pecunia debebatur, siue de rebus aduersus patronum disceptatio fuerat, non protinus ad litigandum currere debueras, maximè autem si hoc facere auderes, sine atrocitate, certe verborum æquitatem petitionis tuæ commendare potuisti, omni honore patrono debito reseruato.

Libido.

HAec ex voluntate peruersa fit, & dum libidini seruitur, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, vt dixit *Augustin. lib.* 8. *confess. cap.* 1.

Ex vino. Libido profluit habes Verbo *Vinum.*

Iniusta libidinum desideria nulla de cætero venia defendit, dicit *l. Legem Anastasij 7. §. in posterum C. de nat. liber.*

Et si libidine intemperatæ cupiditatis ex actorum lectione exarsisse te cognitũ est, tamen cum ancillas compressisse, & non liberas stuprasse detectum sit, ex eiusmodi sententia grauatam potius opinionẽ tuam, quam infamia afflictam esse manifestum est, ita dicit *l.* 25. *C. ad Iul. de adulteri.*

Licentia.

HOc verbum procedere à verbo, licet, dicit *Bart. in l. Alio hærede num.8. ff. de alim. & cib. legat.* Quod tantum est dicere, quantum licitum sit, vt in *l.1. C. de Sacros. Eccles.* ibi. Habeat vnusquisq; licentiam &c. vbi idem *Bart. numer.*48. dicit quod dictum verbum importet liberam voluntatem; licet in *d. num.8. ad fin.* dicat, non importare nisi tantum arbitrium boni viri. Vide tamen *Franc. Aret. in l. In actionibus ff. de iur. iur.*

Verum licentia præcedere debeat actum; quærit *glos. Verbo ante omnia in addit. in Clem. vnic. de for. comper.* & respondet, quod quando dispositio requirit iussum, debet præcidere, non sequi; Authoritas autem debet adhiberi in ipso actu in continenti ante vel post. Consensus vero potest præcedere, vel sequi, sed licentia debet præcidere, vt

in d.

in d. Clem. dicitur. Sed in hoc inuenio *tex. in cap. Auditis* 29. dicentem, quod consensus subsequens non potest ratificare actum præcedentem de elect. ibi, quoniam electio, quę fuerat irrita ipso iure per subsequentē cōsensum nō potest esse rata, & ecce quod cōsensus non sufficit subsequi: inuenio etiā, quod dicit *Ant. Franc. in addit. ad Abbat. in cap. licet* 17. *de regular.* quod licentia testandi concessa clerico. vel Episcopo intelligitur etiam de testamento prius condito illudque facit valere, & ecce quod licentia non est necesse, quod pręcedat. Item in licentia, quæ requiritur ad venditionem rei emphiteoticæ, sufficit, quod illam dominus directus post celebratam venditionem, tacitam præstet per receptionem pensionis a nouo emptore, vt per *Ias. in l. qui in aliena numer.* 40. *ff. de acquir. hared. & Alex. cons.* 118. *num.* 8. *vol.* 4. Hic intrat magna Doctorum caterua distinguentium, quando scilicet licentia requiritur ad substantiam actus, quod sēper præcedere debet, quando vero ad solemnitatem sufficit, quod subsequatur; tu eos vide, quia nostrum Apolecta de eis non tractat. Et tamen ne cogites, quod ipsos non viderim dico, quod contrarium his, quæ supra proximè dixi de licentia data ad testandum decisum fuit in *Rot. apud Verall. decis.* 258. *seu* 1. *de testam. par.* 3. vbi dictum fuit in tali casu necessarium esse, quod præcedat licentia, & non sufficit, quod subsequatur, tu sequere, quod melius, & verius tibi videbitur, & si multos desideras perlegere vide quos *Gonzal. sup. reg. Canc. glos.* 47. *num.* 48. vbi etiam alia plura de materia licentiæ, quæ non transcribere volo cum non sint de textu, nec glossis.

Licentiam ab Episcopo concessam regularibus ad audiendas confessiones non possunt Episcopi reuocare sine causa, vt dicit *glos. Verbo concesserint.* ibi. quam sine causa reuocare non possunt in *Clem.* 2. *de sepultur.* Quam notabis etiam quando Episcopus denegat licentiam regularibus præsentatis, & electis à suis superioribus ad audiendas confessiones, quod possint taliter electi, & præsentati, non obstante denegata licentia; confessiones audire, & absoluere pænitentes vigore eiusd: in *Clem.* cuius verba iam supra, Verbo Confessarius posita sunt.

Licitum, & contra.

NOn omne, quod licet honestum est, dicit *l. Non omne ff. de reg. iur. & l. semper ff. de rit. nupt. coniuncta l. semper in coniunctionibus eod. tit. de reg. iur.* Eleganter *Cicer. pro Cornelio Balbo his verbis.* Et aliquid quod non oporteat, etiam si liceat, quicquid enim non licet honestum non est, ideoque non oportet. At non quicquid licet id honestum, & *pro Rabirio Posthumo* inquit. Vestri consilij vestræque sapientiæ est iudices spectare quid deceat vos non quantum liceat vobis, & *Claudian. admonet Honorium* sic dicens.

Sed comprime motus
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse licebit
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Et apud *D. Paulum* 1. *ad Corinth.* 6. inuenio ita; Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Tunc autem non expedit id quod licitum est, quando vsus ipsius affert impedimentum ita explicauit *glos. Verbo omnia in cap. Aliud quidem* 11. *quæst.* 1. quod deduxit *ex cap. Sic enim* 28. *quæst.* 1. ibi. Aliud enim ibi facere non licet, hic autem licet, ita sane, vt ipsum licitum partim quidem expediat, partim vero non ex-

expediat. Expedit tunc, quando non solum per iustitiam, quæ coram Deo est, permittitur, sed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum salutis infertur: veluti cum dat consilium non nubendi Apostolus Virginibus &c.

Absit autem, vt ea quæ propter bonum, ac licitum facimus, aut habemus, si aliquid per hæc præter nostram voluntatem, cuiquam malum acciderit, nobis imputetur, vt dixit *Augustin. relatus in cap. De occidendis 23. quæst. 5.* A contrario. Hoc aliqui licitum, ex animo fit illicitum, vt inquit *glos. Verbo Per ipsos in Clem. vnic. de excess. prælat.*

In dubio omnia præsumuntur licere, vt probat *glos in l. 2 ff de probat.* liciti verò prætextu, nõ debet illicitum cõmitti, inquit *glos. Verbo concutiendos in l. Illicitas §. Illicita per tex. ibi ff. de offic. præsid.*

Illicito reprobato, quod est licitum approbantes, inquit *tex. in cap. Dilectus 19. post med de preben.*

Multoties licet inter aliquos, quod inter alios non liceret, veluti inter homines eiusdem collegij, vel professionis licet, quod inter extraneos non liceret, vt notat *glos. Verbo, & si per alium, in Clem. 3. de procurat.*

Licitum etiam est expressè, quod tacitum non liceret, vt ponit *glos. Verbo succedant in cap. Filia vero de success. feud. & glos. Verbo Nominatim per tex. ibi, in cap. Et quia vidimus de ijs, qui feud. dar. poss.* ibi. Ergo expressim per pactum licet, quod alias non liceret.

Illud etiam nota, quod ex rei qualitate licitum deprehenditur, quod alias non liceret, *glos. 1. in capit. vnic. de feud. March.* Idem dicas ratione loci, vt infra Verbo *locus*.

Licitum etiam est sine pretio, quod cum pretio non liceret, & a contrario, non est licitum gratis, quod pretio non liceret, & est licitum pretio, quod gratis non liceret, vt omnia probat *glos. 1. in cap. vnic. de benefic. fratr.*

Ratione indiuisibilitatis licitum etiam fit, quod alias non liceret, vt dicis Verbo *Indiuiduum*, cui consonat, quod dicit *glos. Verbo, feudum, in cap. 1. de lege Corrad.* ibi. Licite cum vniuersitate transit, quod per se transire non potest. Nam licitum est in solidum, quod pro parte non liceret.

Aliquando est, quid licitum in specie, quod in genere non licet, vt ponit *glos. Verbo à decimo octauo in cap. 1. de pac. tenend.*

Ex personarum qualitate, & differentia licitum deprehenditur, quod alias non liceret, vt probat *glos. Verbo in Clericorum in capit. 1. si de inuest. int. dom. & vassal.*

Absurdum est, vt cui non licet etiam cum minimis iuxta Sacras regulas communicare: Liceat etiam ei de suis pene maioribus iudicare *cap. Miramur 24. quæst. 1.*

Qui rem illicitam admisit non auditur in eadem in licito, optimus *tex. in l. Qui bona fide 13. §. Si quis iuxta ff. de damn. infect.* ibi. Fieri passus sit, de damno infecto ei postea cauendum non erit; quia rem illicitam admisit.

Illicitorum veniam postulantem oportet etiam à multis licitis abstinere inquit *cap. Aliud quidem 11. quæst. 1.* Et hoc voluit *Gregor. Pap. in homil. 20. in Euang. ad med.* ibi. At si quis in fornicationis culpam, vel fortassè (quod est grauius) in adulterium lapsus est, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit, & illicita perpetrasse. Et hoc modo intelligit illud *Lucæ 3.* Facite fructus dignos pænitentiæ. Nam *vt idem Greg. ait 3. Moral. cap. 6* solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis caute restringit. Et alias dixit *Plutarch. Oportet* aliquando abstinere a licitis, vt assuescas procul abesse ab iniustis.

Quod

Quod illicitè publicè, vel priuatim exactum est: cum altero tanto passis iniuriam exoluitur, inquit *l. locatio, alias, licitatio 9. §. quod illicite ff. de public. & vectigal.*

Licitatio.

NIhil aliud est, quam pro re vendenda, vel etiam locanda, pretij oblatio, vt deducitur *ex l. 1. C. de fund. patrim lib. 11.* ibi. Sed nec auelli eas ab his posse, nec si licitatio fuerit ab alio præmissa coniuncta *glos. verbo licitatio* ibi. In locationibus enim, & venditionibus prædiorum fiscalium non patrimonialium locus est adiectionibus.

Post licitationem acceptam, & emptionem celebratam non posse emptorem priuari re dicit *l. 4. C. de diuers. præd. Vrb. lib. 11.* ibi. Eos, qui actione prima fundorum iuris patrimonialis &c. possessores effecti fuerint, firmum dominium tenere decernimus, nec vlterius vacillet vniuscuiusque possessio, sed teneat quisque ius proprium, quod dato pretio roboratum est.

In licitationibus, an secundus offerens, primum offerentem liberet? Vide *Bart. in l. Licitatio num. 1. ff. de public. & vectig.* negatiue tenentem *& numer. 4. in fin.* tenet quod si primus offerens velit, pænitere poterit antequam alius promittat, & sicut publicè mercatum facit, ita publicè reuocet. Non autem erit locus pænitentiæ, si notarius stipulatus fuerit dictam oblationem, quia tunc inter ementem, & vendentem fuit orta obligatio, vt per eundem *Bart. d. num. 4.* Regulariter vero licitator inuitus non cogetur ad recipiendam rem ne detur processus in infinitum, vt optime dixit *Paul. Castr. in l. A Diuo Pio §. Sed si emptor ff. de re iud.*

In diuisione rerum communium, etiam admittitur licitatio, *vt in l. 3. C. com. diuid.* ibi. Ad licitationem non nunquam etiam extraneo emptore admisso, maxime si se non sufficere ad iusta pretia, alter ex socijs sua pecunia vincere vilius licitantem profiteatur, & in iudicio familiæ herisc. multoties fieri solet, quando hæredes inter se discordant, vel dicunt aliquam rem esse minori pretio appretiatam.

Lingua.

SEptuaginta fuisse linguas totius orbis terrarum constat *ex cap. Septuaginta 16. dist.* ibi. Et ad formam septuaginta discipulorum, vel totius orbis terræ linguarum. Tres harum vtiles esse ad fauorem fidei Christianæ, dicit *Clem. 1. de Magistr.* ibi. viris Catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus vtuntur infideles præcipuè abundare Sãctam affectamus Ecclesiam, qui infideles ipsos sciant, & valeant Sacris institutis instruere, Christicolarumque collegio per doctrinam Christianæ fidei, ac susceptionem Sacri baptismatis aggregare &c. & ibi statuentes vt in quolibet locorum ipsorum teneantur viri Catholici sufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ, & Caldeæ linguarum notitiam. Et ibidem dicit *Card.* quod linguæ Sacræ totum mundum distinguentes, sunt tres, scilicet Hebraica, Græca, & Latina, & quod Hebraica, fuit vna omnium nationum.

Græca autem communior est, quam latina, vt dicit *Imp. in Auth. de non alienan. §. Nos igitur vers. Alienationis coll. 2.* ibi propterea hanc proposuimus & protulimus, & non paterna voce legem conscripsimus, sed hac communi, & græca, vt omnibus sit nota propter facilem interpetrationem, & ibidem notat *glos. Verbo voce*, sic dicens, sed in

in græca, quæ est magis communis, vt hic dicitur. Nam græcam sciunt græci; item latinos oportet scire propter interpetrationem, & translationem, vt patet per multas leges translatas. Et è contra linguam nostram Græci vilipendiunt, nec eam scire volunt, vnde tantum nobis est communis, præterea (vt legitur in diuinis) quando Hebraica lingua transferebatur in latinam, prius in græcam transferebatur, vt facilius ex ea sumeretur in latinam &c. hæc omnia *glos. allegata*. Sed hodie magis cõmunis est latina, vt videmus, sic sunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Sæpè vero non posse benè fieri trãslationem de vna lingua in aliam dicit *glos Verbo Inepta in l. 1. per tot. ibi ff. de excusat. tut.*

Lingua nobis nota vbi debemus, ne rediamur, vt habes Verbo *Sermo*.

Linguam nuncium cordis appellauit *Bald in cap. Mandatum de rescript. & Polit. in rub. de fid. instr. sub num.* 1 *dicit* Cor est imperator linguæ *iuxta illud Ex abundantia cordis os loquitur, & l. Labeo 7. §. Idem Tubero ff. de supellect. legat.* ibi. Nam vocis ministerio vtimur, cæterum nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitauerit.

Bene verum est, quod multoties lingua facile Labitur in id, quod non antea mens cogitauit, in quo casu venia conceditur, vt dicit *Modestinus in l. Famosi 7. ff. ad l. Iul. maiest.* ibi, & an cogitauerit, & an sana mensis fuerit: nec lubricum linguæ ad pænam facile trahendum est, à quo deduxit *glos. Verbo minima in cap. Cum te 23. de re iud. glos. Verbo Calore in cap. pen. de conuers. coniuga* ibi. Et lubricum linguæ facile ad consequentiam trahi non debet &c. & hoc verum est, nisi post calorem consentiat, *vt in l. Quicquid calore iracundia, vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse ff. de reg. iur.*

Sit ergo omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum cogitans, & recogitans prius, quæ loqui debeat: sciens linguam modicum quidem membrum esse, & magna exaltare Ignem esse, & vniuersitatem iniquitatis, constitutam in membris nostris, maculantem totum corpus, & nullum hominem eam domare posse, inquietum malum, & plenum veneno mortifero, vt per *Iacob 3. cap.*

Dicebat quidam, linguam semper certe, sed in conuiuio præcipuè retinendam, & reprimendam esse, vt ait *D. Gregor. lib. 1. moral. cap. 5.* Sed conceptum sermonem tenere, quis poterit? dicit *Eliphaz Themanites Iob. capit. 4. in princ.* Vnde Cato virtutem primam esse putauit compescere linguam, vt refert *glos. in procem. Clem. verbo Silentio,* vbi refert etiam ex Ouid. sine tit.

Quis minor est unquam, quam tacuisse labor.

Et ex Simo. dixisse me quandoque pænituit, tacuisse nunquam.

Nunquid vir verbosus iustificabitur? interrogauit, *Sophar. Naamathites Iob. cap. 11. in princ.* & Respondit *Psalmista in psalm.* 138. vir linguosus non dirigetur in terra, nec enim in multiloquio deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua prudentissimus est. *Prouer. cap.* 10. 19. & propter peccata labiorum ruina proximat malo, & de fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis. Et qui custodit os suum custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala *Prouer. 12. 11. & 13. & sæpè alibi.*

Nihil tam facilè quam vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit plus miratur, inquit *Hieronym. in epist. ad Nepotian.*

Lis

Lis.

ALiquando ponitur pro instantia, vt in *l. Cum lite mortua ff. iudic. solu.* Aliquando pro ipso iure in iudiciū deducto *l. litem C. de procurat.* ibi dicit *Ias. in l. Postquam liti sub num.* 10. *C. de pact.* & addit sic. Tamen vere comprehendit instantiam, & eius principale *l. litis nomen coniuncta glos. ff. de verb. sig.* Dicitur etiam lis causa, & vtraque diffinitur, quod sit res, quæ habet in se cōtrouersiam in dicendo positam cum certarum personarum interpositione; sed differunt tantum in hoc, quod lis est ante litem contestatam, & post, causa vero post litem contestatam, ita ponit *glos. Verbo litibus in l.* 1. *ff. de testib.* *Sed in cap. ex parte* 30. *de verb. sig.* sumitur, & dicitur lis cum fuerit contestata, & probat optime ex multis *Felin. in cap. super quæstionem num.* 6. *de offic. de legat.* quem videas vbi omnino in materia causæ, & litis.

Lis autem tunc contestata videtur cum Iudex per narrationem negotij causam audire cœperit, sic inquit *l.* 1. *C. de lit. contest.* Et contestatio ipsa dicitur litis exordium, vt inquit *glos. Verbo litis contestatio in d. cap. Ex parte* 30. *de verb. sig. & in cap. Dudum* 14. *vers. licet autem ita inuenies*, Cum non per positiones, & responsiones ad eas factas, sed per petitionem in iure propositam, & responsionem factam contestatio litis fiat de elect. & in *glos. Verbo litis contestatione in Auth. de exhibend. re. §. illud quoque sic.* Litis contestatione, scilicet narratione proposita, & responsione sequuta. Quid vero si loco responsionis, exceptionem reus proponat? *Vide tandem glos.*

Tempus litis contestatæ attenditur, ad hoc, vt quis locupletior factus dicatur, habes infra *Verbo locupletior*.

Sola litis contestatio perpetuat actiones vsque ad quadraginta annos dicit *glos. Verbo Annalem in cap. Pastoralis* 11. *§. vnic. de offic. ordinar.* comprobat *l. Aliam* 29. *ibi. quod nemo dixerit lite contestata ff. de nouat.*

Litis contestatione, & pœnales actiones transmittuntur ab vtraque parte, & temporales perpetuantur, inquit *l. vlt. in fin. ff. de fideiuss. tut.*

Post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse, ita decidente *l. Sed & si lege §. Ante litem ff. de petit. hæred.*

Ea quæ post litem contestatam accidunt potissimum ad iudicis officium pertinent, inquit *glos. Verbo Post litem in l. Si tertius* 6. *§. Officium ff. de aqua pluu. arc.*

In *cap. relatum* 19. *de offic. delegat.* sic dicitur Si lis fuerit ante prędecessoris nostri obitum contestata, mandatum morte mandatoris nullatenus expirauit, & ibi *glos. Verbo Contestata, sic ait quod dicit hic*, Secundum leges locum habet; si ante litem contestatam moriatur mandator, expirat mandatum, vt hic dicitur, quia lis non dicitur cœpta nisi per litis contestationem &c. Secundum Canones non consideratur tantum litis contestatio, sed sufficit sola citatio (*iuxta cap. Gratum hoc tit. de offic. deleg.*) ante mortem mandatoris ad perpetuandum rescriptum, vnde citatione præmissa non finitur mandatum per mortem mandatoris &c. Sed si citatio non præcedat mortem, statim expirat mandatum &c. & sicut res litigiosa efficitur per libelli oblationem &c. eodem modo iurisdictio delegati per solam citationem. Et facit *glos. Verbo Exordium in cap. Super Quæstionum* 27. *de offic. de legat.* ibi Exordium litis potest appellari, quoad perpetuandum rescriptum, citatio &c. vel quoad faciendam rem litigiosam oblatio libelli, R. o insinuata &c. pro-

priè

priè vero exordium litis est contestatis.

Iura illa, quæ dicunt, quod lite non contestata non tenet processus, loquuntur in negotijs principalibus; Vnde satis potest dici, quod nihilominus valet processus in exceptionibus dilatorijs, & emergentibus, licet lis in his non fuerit contestata, & nullo iure cauetur, quod in his processus non teneat contestatione omissa, ita ponit *glos. Verbo ex confessione in cap. Prudentiam 21. §. Sexta. de offic. delegat.*

Lite etiam non contestata proceditur in casu *cap. Interposita 70. §. vlt. de appellat.* Sane (inquit) parato aliquo probare grauamen propter quod duxerat appellandum, & parte aduersa se contumaciter absentante potest, super hoc, lite non contestata, procedi licet nondum litis contestatio facta fuerit in ipso appellationis articulo, vel negotio principali: quia cum in hoc casu iniquitas prioris iudicis arguatur, non est rigor iuris (ex quo sequi posset causæ perplexitas) requirendus, *vbi glos. notat* & alium casum *in capit. 2. de offic. iud. & alios in tit. vt lit. non contest.*

In petitione hæreditatis post litem contestatam tam fructus non venditarum rerum, non solum qnos perceperunt, sed quos percipere potetant etiam omni modo reddere compellantur, inquit *l. 1. C. de petit. har. & ibi glos. Verbo post litem* sic. Vel qualemcumque scientiam, vel controuersiam. Et nota quoddam speciale circa huiusmodi vniuersales actiones scilicet petitionis hæreditatis, & fam. hersic. vt tantum opereretur, controuersiæ motio, quantum litis contestatio, quantum ad vsuras, & fructus. Et hoc optimè probat *d. l. Sed & si 28. §. Ante litem ff. de petit. hæred.* ibi. Quin imo post controuersiam motam &c. Cæpit enim scire rem ad se non pertinentem possidere is qui interpellatur, *& l. Si quid 34. §. Sicut eod. tit.* ibi. Ante petitam hæreditatem, postea vero, & ipse prædo est, & in *l. Cum fundus 41. ff. si cert. pet.* ibi: Per iudicium acceptum causa omnis restituenda sit, idest omne, quod habiturus esset actor si litis contestatæ tempore fuisset solutus.

Malum est litigare. In primis dixit *Apostolus 1. ad Corinth 6.* Delictum est in vobis, quod lites habetis inter vos. Nam vt dicit *Bald. 1. in cons. 218. incip. petita venia sub num. 1. vers. quoad personas lib. 3. ex Senec.* Cum pari contendere anceps est; cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum. Non ergo seruos Dei litigar oportet, vt inquit *glos. in capit. vnic. de syndic. & tex.* sic. Expedit enim pro paruo incommodo a strepitu causarum seruos Dei esse quietos, de honestate saltim, vt intelligit ibidem *gloss. & in cap. si cui quæst. 7.* ibi. Quia seruum Dei non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes.

Deinde sunt in lite labores, *vt in cap. nulli 28. de rescript.* ibi. vt fatigatus laboribus, & expensis liti cedere, vel importunitatem redimere compellatur, & in *cap. 1. de appellat. lib 6.* de quo infra. Lites criminibus materiam creare noscuntur, ait *glos. verbo lites in cap. 1. ne cler. vel monach.* Magna contritio est in animo eorum, qui litigant quousque lis finiatur, dicit *glos. Verbo contritione in Auth. de iudicib. §. Audient igitur coll. 6.* Vnde dicit *glos. Verbo contrarium in l. Quisquis 6. C. de postul.* quod propter timorem litis, quis omnia daret sicut infirmus propter timorem mortis.

Insuper litigatorum sermones minime esse credendos dicit *l. Ne in arbitrio C. de recept. arbitr.* A cupiditate generantur lites, vt dixisti *supra Verbo Cupiditatis.* Et denique, vt alia taceam. qui circa lites versantur omnia mala nouerunt; vt inquiunt *glos. in l. ab Anastasio C. manda.*

manda. Curt. sen. cons. 55. *num.* 1. Quapropter dicit optime *glos. in l. Item* 4. *ff. de alienat. Iudic.* Factum eius non improbat prætor, qui lites execratur; & maluit re carere, quàm sæpius litigare, *& tex. in ead. leg.* 4. §. 1. sic. Non tamen eius factum improbat prætor; qui tanti habuit re carere, ne propter eam sæpius litigare: sed eius dum taxat, qui cum rem habere vult litem ad alium transferre, vt molestum aduersarium pro se subijciat.

Vnde contra lites multa in iure disponuntur. Nam *in cap. Nonnulli* 28. §. *Sunt & alij de rescrip.* dicitur. Cum autem lites restringendæ sint potius quam laxandæ, & ibidem *glos. sic*. Per rescriptum Principis lites sopitæ suscitari non debeant &c. imò tales à limine iudiciorum debent expelli, qui volunt lites suscitare. Nec sub prætextu nouorũ instrumẽtorum lites debent instaurari *iuxta cap. Inter monasterium* 20. *de re iud. coniuncta l. ad solutionem C. de re iud.* ibi. Nec enim instaurari finita rerum iudicatarum authoritas patitur.

Propter lites finiendas fuit vsucapio introducta, vt inquit *l.* 5. *ff. pro suo* vsucapio rerum (ait) constituta est, vt aliquis finis litium esset; Nam vtilitas est in fine litium, vt dicit, *glos. Verbo vtilitate in l. Et an eadem* 14. *ff. de re iud.* & propter litium finem à transactione non receditur *l. Fratris tui* 10. *C. de transact.* ibi. Nullus enim erit finis litium, si a transactionibus bona fide interpositis cæperit facile discedi.

Vnde cordi principis est lites minuere, & à laboribus releuare subiectos, vt dixit *Papa in supra citato cap.* 1. *de appellat. lib.* 6. *& in cap. Constitutis* 12. *de procurat.* ibi. Nos autem finem litibus imponere cupientes. Et *in l. vlt. C. de fid. instr.* ibi. Neque adhuc lis viuere speratur: cum satis durum est huiusmodi querelę indulgere: ne in infinitum causæ retractentur, & contrarium aliquid nostro eueniat proposito, & in *l. Properandum C. de iudic.* ibi. Ne lites fiant pene immortales, & vitæ hominum modum excedant. Ob quam rationem non admittitur compensatio probationibus factis in causa, vt in *l. vlt. C. de compensat.* ibi. Satis enim miserabile est, post multa forte variaque certamina, cum res fuerit approbata, tunc ex altera parte, quæ iam pene conuicta est opponi compensationem &c. litem autem pristinam sententia criminali componant.

Modus litium multiplicatus summam atque inexplicabilem facit difficultatẽ, & ideo prohibetur *in l. singulis* 6. *ff. de except. rei iud.* ibi. Ne aliter modus litium &c. Vnde sicut ad officium iudicis pertinet lites minuere *l. Quidam existimauerunt* 21. ibi. Cum ad officium eius pertinet lites dirimere *ff. si cer. petat.* sic prospicere debet ne lites ex litibus oriantur, vt dicit *glos. Verbo suscitantur in cap. contingit* 5. *de fide instr. & probat l. Si quis* 11. *ad fin. C. de reb. cred.* ibi. Ne repetita lite finis negotij alterius causæ fiat exordium.

Licet alias in iudicio, quasi contrahatur, & sic videretur, quod in eo non posset dari pænitentia, tamen ad tollendas lites datur, si facta sit ante litem contestatam, *vt dicit glos. vlt. per tex. ibi in l. Is qui se* 26. *ff. de rei vind.* Et sic nota ante litem contestatã, licere pænitere, vt hic. Et ad tollendas lites arbitri fuerunt introducti, iuxta *l. Quamuis* 43. *ff. de recept. arbitr.* ibi. Non enim differendarum litium causa, sed tollendarum ad arbitros itur.

Triplex est remedium finiendarum litium sententia, transactio, & iusiurandum, & hoc est maximum inquit *glos. in l.* 1. *ff. de iur. iurand.*

Si quis autem non obstantibus laboribus & malis, quæ lites secum portant, & nota

nota inſaniæ atque ſorditatis de quibus ſupra, illas auſerit proſequi, ſciat dubiam rem amplecti. Eſt enim dubius iudicij euentus, vt per *gloſ. vlt. in l. Lucius Titius 78. §. vlt. ff. ad Trebell. & in Verbo decenter. in l. 1. ff. de dol.* ibi. Nam euentus iudiciorum eſt incertus, *& notat Bart. per tex.* ibi. & euentus executionis poſsit eſſe incertus *in l. quod debetur 52. ff. de pecul.*

Sciat etiam notam malitiæ, ſaltim præſumptæ, incurrere, *vt in Clem. vnica de ſequeſtr. poſſ.* ibi. Ad compeſcendas litigantium malitias. Hic poteſt quæri, An qui habet ius in cauſa principali poſsit vti cauillationibus, & malitijs, ad repellendas ab aduerſario factas? Et reſpondet *gloſ. Verbo Malignantium in cap. Cupientes 16. de elect. lib. 6.* ita; Conſueuit dici, quod qui habet ius in principali cauillationes, & malitias aduerſarij poteſt per alias repellere; nec videtur fraudem facere, qui fraudem excludit, & ibidem additio dicit etiam in foro conſcientiæ ex multis late diſputat Couar. *lib. 1. var. cap. 2. quem vide.*

Inſuper ſciat, quod ſi calumniatus fuerit, in expenſis, & litis ſumptibus condemnabitur, vt iam dictum eſt ſupra Verbo Calumnia, nec in litibus maledici, nec conuiciari poterit, vt etiam ſupra *dicitur Verbo Aduocatus.* Nec verboſus erit, vt in *l. Ampliorem 37. §. In refutatorijs C. de appellat.* ibi. Caueant tam litigatores, quam libellorum dictatores verboſis vti aſſertionibus &c. ſed ſola hæc eis incumbere, quæ compendioſa narratione cauſas poſsint explanare, gaudent enim breuitate moderni, vt ibidem *ſummat Bart.*

Vlterius ſcire debet, quod bellum aggreditur, nam ſi aduocatus militare dicitur, *vt ſupra vidiſti eodem verbo;* multo magis pugnat ipſe litigans cui cauſa principaliter tangit, & nec nudi contendere, nec inermes inimicis opponere nos debemus, vt dixit *Bonif. in cap. 1. de reſt. ſpol. lib. 6.* Et ob id non poterit omnes aduocatos ſibi ſumere, ne aduerſarius careat armis, & defenſione, & ſi contra fecerit incurrit pænam *l. Prouidendum 6. verſ. Si quis autem C. de poſtulan.* à qua fuit deductum *c. Infames §. Si quis 3. quæſt. 7.* in hæc verba. Si quis autem ex litigatoribus detectus fuerit ſeparatim tractaſſe cũ pluribus (ſcilicet aduocatis) & aduerſario ſuo ſubtraxiſſe paris defenſionis copiam, oſtendet procul dubio iniquam à ſe litem fouere: & authoritatem iudiciariam à ſe deluſam experietur. Nec poterit in reconuentione declinare iudicium, quod in actione elegit *iuxta l. Si idem cum eodem 11. §. 1. ff. de iur. omn. iud.* ibi, Ne in poteſtate calumnioſa aduerſarij mei ſit an apud eundem litigare poſsim.

Nec etiam poterit in duriorem aduerſarium litem transferre ſub pæna dupli parti aduerſæ applicanda, vt fuit dictum *Verbo Aduerſarius*, & facit *cap. vlt. vt lit. pend. lib. 6.* ibi. Ne propter nouos aduerſarios, qui malitioſe interdum ſurrogantur litigia prorogari contingat. Nec fiſco donare, vt in *Verbo Fiſcus.* Nec etiam principi iuxta *l. Res, quæ 22. prope fin. ff. de iur. fiſc.* ibi. Lites donatas ſe non ſuſcipere Diuus Pius reſcripſit, cum alijs, quæ ibidem *gloſ. verbo lites.* Nec etiam per viam vltimæ voluntatis, vt dicis *Verbo Hæres.*

Nec lite pendente poterit vti priuilegio, ſeu indulgentia ſuper re litigioſa impetrata tacita veritate, vt dicit *gloſ. per tex. in cap. vlt. vt lit. pend.*

Et denique ſi fuerit lis ſuper electione vno defuncto non exiſtimare debet ſuperſtes, quod ita obtinebit, vt notabiliter dixit *gloſ. Verbo Electi in cap. 1. vt lit. pend. lib. 6.* ibi. Licet enim appareat defuncto amplius non deberi, non propter hoc ſequitur ſuperſtiti viuenti deberi.

Qui litis æstimationem sustinet emptoris loco habendus inquit *l. si propter 22. ff. rer. ammot.* Commutatione vero litis, alia res incipit esse ait *l. 3. C. ad exhibend.*

Sine mandato pro socijs absentibus agere potest quis si sint consortes eiusdem litis, ita dicit *glos. Verbo Socijs in capit. Cum M. 9. de constitut.* debet tamen cauere de rato, vt ibi. Notabis tamen ad propositum, quod quamuis actio ex empto cum singulis sit proportione qua socij fuerunt, non cogetur emptor cū multis litigare iuxta *l. Iustissime 44. ff. de adil. edict.*

Si lis oriatur inter prælatum, & capitulum, adeatur superior, & ille dabit Collegio curatorem ad litem ipsam, cuius officium cessabit finita lite, ita ponit *glos. Verbo debeant in cap. Edoceri 21. de rescript.*

Litigantium fauore præsumitur tempus appositum in lege, Statuto, & arbitramento, vt dicis Verbo Tempus. Et ideo pacisci possunt litigantes super eo vt dicitur *in l. vlt. §. vlt. C. de tempor. repar.* ibi. Legum etenim austeritatem in hoc casu volumus pactis litigantium mitigari; vbi etiam dicitur, quod iuri appellandi, & fatalibus poterit renunciari. Quando vero quis videatur ipsi liti renunciare? habes in Verbo *renunciatio.*

Qui fraude aduersarij desistit à lite non videtur destitisse dicit *Bart. per tex. ibi in l. Eum qui 21. ff. de inoffic. testa.*

Secundum legitimas sanctiones lis, quæ in consistorio Principis speratur inferri absque damno moræ intacta permanet donec ipsam faciat introduci: dicit *Pontif. in cap. Ex insinuatione 10. ff. de appellat.* Alias non sufficit litem instituere, si non in ea perseueret iuxta *l. Nam & si 15. §. 1. ff. de inoffic. testam.*

Licet citius incidi lites, & negotia debeant, vt non longitudo temporis eis officiat, & maximè agricolis, quorum & præsentia superflua, & agriculturæ vacatio damnum, & ipsis possessoribus facit. vt in *Auth. de quattor. coll. 6 & in Auth. de testib. §. quia vero coll. 7.* ibi. Sed oportere omnino velocitatem eis imponere secundum, quod Iudex existimauerit hoc fieri, & maiori cum ratione in litibus Monachorum, *vt in Auth. Apud quos oport. cau. dic. Monach. coll. 6.* ibi. Sed accelerari lites sancimus monachis illatas, vt non meus illorum occupetur circa lites solicitudinem, sed velociter liberati sacris operibus obsecundent. Tamen non debent dirimi lites negotio incognito, vt dicit *l. Nec causas 15. C. de appellat.* ibi. Quoniam verendum est ne lis incognito negotio dirimatur &c. & multo minus contra inauditam partem, *vt in cap. 1. de caus. possess.* ibi. Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus diffinire cum concord.

Quamuis sit regula vulgaris, quod nemo possit cogi ad litigandum (de actore loquor, cum reus inuitus litiget) tamen vbi interest tertio, puta Ecclesiæ, Reipublicæ, vel priuato, vel vbi periculum animarum imminet: potest Iudex compellere ad litigandum, vt dicit *glos. pen. in addit. in Clem. Quandiu 4. de appellat.*

Qui male litem prosecutus est in sumptibus condemnatur licet sit respublica, *vt in l. Qui solidum 80. §. Etiam ff. de legat. 2.* ibi. Nec aliud seruabitur in litis sumptibus, si ratio litigandi non fuerit, *vbi glos. verbo lites* sic ait, & nota sit ratio &c. quia iusta ignorantia excusat a litis sumptibus. *Et glos. Verbo deinceps in Extrauag. Cum inter de verb. sig.* ibi. Alias causa probabilis erroris litigantem excusat &c. & opinio doctoris magni inducit causam probabilis erroris.

Res litigiosa est de cuius dominio causa mouetur inter petitorem, & possesso-

rem iudicariâ conuentione, ita inquit *Auth. litigiosa C. de litigios.* Et sic controuersia orta super possessione, non facit rem litigiosam, & super res litigiosas nouum priuilegium impetrari non potest, inquit *glos. in cap. 1 Verbo litigiosa de confirma. vtil.*

Vitium litigiosi non afficit rem, vt probat *glos. 1. in l. Alienationis 28. ff. de verb. sig.* nec habet locum in actione personali, vt dicit *Bald. in Auth. litigiosa C. de litig. vide eundem cons. 40. p.1. & cons. 332. p.3.*

Rei litigiosę non dicitur alienatio per diuisionem factam inter hæredes, vt supra iam dictum est *Verbo Alienatio.*

An litigiosi vitium detur, quando est quæstio super vsufructu? *glos. d. Auth. litigiosa Verbo Dominio respondet affirmatiuè*, cũ vsusfructus habeat instar proprietatis, & ibidem *Bald. num. 2.* dicens cũ eadem *glos.* secus esse in aliis seruitutibus, quæ non sunt partes dominij.

Litigiosi vitium afficit etiam ignorantes cum distinctione de qua in *l. vlt. C. dicto tit. de litigios. vbi sic ait Iustin.* Censemus, vt si quis lite pendente, vel actiones, vel res quas possidet ad alium quendam transtulerit, siue scientem, siue ignorantem: vitio litigiosi contractus subiacere: distinctione quadam inter contrahentes obseruanda, vt siquis sciens, vel ad donationes, vel ad venditiones, seu ad alios contractus accesserit, cognoscat se compellendum non tantum rem redhibere, sed etiam pretio eius priuari, non vt lucro cedat ei, qui rem alienauit, sed vt etiam alia tanta quantitas ab eo fisci iuribus inferatur. Si autem ignorans rem litigiosam emerit &c. tunc irrita rei alienatione facta pretium cum alia tertia parte recipiat. Iustum est enim propter dolosam, & absconditam machinationem, cum non emptori manifestauerit rem in iudicium fuisse deductam: in tertia parte pretii (sicut iam etiam disposuimus) eum puniri.

An dictum litigiosi vitium contrahatur in Ecclesiasticis beneficijs? & qualiter quærit idem *Bald. in d. Auth. litigiosa num. 1.* & sic respondet. Dicit Innoc. quod non id quod petitur conferri, sed id, quo collato, fit quæstio ad quem pertineat; quia quando beneficium petitur conferri, imploratur quodam modo actio personalis, & in personali non contrahitur vitium litigiosi.

In criminali iudicio an res efficiantur litigiosæ quærit idem met *Bald. in l. vlt. num. 8. C. illo tit. de litig.* & respondet allegando *l. Post contractum ff. de donat. & l. Chirographis 18. §. 1. ff. de adm. tut.* ex quibus deducitur, quod non nisi post sententiam diffinitiuam, quæ reum condemnet.

Litania.

AD eas tenentur venire omnes clerici in Ecclesia superiori, vt notatur *in cap. Cum inter de re iud. & in cap. Quando presbiteri ibi.* Cum vero ad litanias, vel ad consilium venerint, 38. *dist. tradit Felin. in cap. Dilectus de offic. ordin. num. 7.* ibi. omnes clerici Episcopatus tenentur singulis annis venire ad litanias ad Ecclesiam maiorem per tex. ibi. Aequiparantem litanias & concilium. Et certum est, quod omnes tenentur venire ad concilium, ergo ad litanias hoc procedit de iure, sed Secundum Domi. ibi non seruatur de consuetudine. Et ibidem probat, quod exempti non teneantur venire.

Celebrantur vero de consuetudine triduo ante ascensionem Domini, quod fuit constitutum in Concilio Aurelianensi, vt patet *ex cap. Rogationes, idest litanias de consecrat. dist. 3.* Et licet in eo tex. dicatur, quod prædicto triduo ieiunetur *glos. ibidem* intelligit de consilio, non de præcepto, cum alias sit dis-

dispositum *in cap. Ieiunium §. Non autem LXXVI. dist.* quod a Paschate Resurrectionis vsque ad Penthecostem, non ieiunandum sit, & ideo quælibet prouincia vti poterit ad libitum, & seruare suam consuetudinem. In alma Vrbe seruatur *d. §. Non autem* in nostra Elborensi non ieiunatur, sed ab æsu carnium abstinetur, & vtrobique fit bene in sensu suo, *vt notat glos. d. cap. Rogationes.*

Notabis tamen, quod litaniæ non possunt cantari per laicos, nisi clerici intersint cum cruce, & multoties fit contrarium maximè in prouincijs in quibus crebro fiunt processiones cum litanijs pro petenda pluuia, vel serenitate, & laici se ingerunt absque clericis, prohibente *tex. in Auth. de Sanctissim. Episcop. §. Presbyteris autem prope fin. coll. 9.* ibi. Omnibus autem laicis interdicimus litanias facere sine Sanctis Episcopis, & qui sub eis sunt reuerendissimis clericis. Qualis enim est litania in qua Sacerdotes non inueniuntur, & solemnes orationes faciunt? Sed & ipsas honorandas cruces, cum quibus, & litanijs ingrediuntur, non alibi nisi in venerabilibus locis reponi: Et si quando opus vocauerit ad litanias celebrandas, tunc solum ipsas sanctas cruces, accipere eos, qui consueti eas portare solent.

Litteræ.

HArum, quam plures sunt species. Aut enim sunt Papales, quæ Apostolicæ dicuntur, Aut Episcopales, vel capitulares, vel aliorum, dignitatem aliquam obtinentium. Sunt etiam litteræ monitoriæ. Et denique sunt aliæ priuatæ, quæ alio nomine dicuntur Epistolæ, de quibus omnibus singillatim aliqua breuiter, prout nostrum Apolecta patitur dicemus.

Litteræ Apostolicæ ad beneficia quædam dantur in forma communi, & istæ Eædem appellantur in forma *cap. Cum secundum Apostolum de prabend.* item & literæ iustitiæ, quæ omnia idem important. Et dicuntur in forma communi, quia olim Papæ non solebat grauare ordinarios in collatione beneficiorum, nec concedere litteras gratiosas, sed solebat scribere contra ordinarios, vt ipsi prouiderent illis, quos promouerant ad ordines; & quia hoc est iustum, & debitum, *vt in cap. Episcopus & c. Non liceat de praben.* ideo hæ litteræ sunt appellatæ de iustitia, & quia sunt fundatæ in *d. cap. Cum secundum* appellatæ sunt in forma cap. Cum secundum. Item solent appellari in forma pauperum, quia scribitur pro pauperibus dumtaxat secundum illam formam, *vt in cap. Si pauper. de prabend. lib. 6.*

Quædam sunt literæ gratiosę, quando scilicet Papa volens alicui facere gratiam confert sibi beneficium, vel mandat conferri non habito respectu ad supra dicta, vt in *Clem. Gratia de prabend. & cap. Gratia eod. tit lib 6.* vt omnia ponit *Abb. in cap. Postulasti 27. in prim. notab. de rescript.* & ibidem *Felin. etiam in princ. vers. Dum declarat etiam.*

Nota quod qui habet modicum beneficium, nihilominus tenetur inde facere mentionem, & multæ aliæ conditiones intelliguntur sine quibus litteræ non valent, ita dicit *glos. Verbo mentionem in cap. penult. de rescript.* vbi ponit versus, quibus notantur omnes dictæ conditiones.

Clericus, indigena, dignus pauper, residensque.
Reditus vt pateant, scriptis sunt ista notanda.

probat etiam *glos. Verbo. sustentari, in cap. Cum teneamur 6. de prabend.* ibi.

zed by Google

Si vero dixerit se nullum beneficium assecutum cum habuerit tenuè, non valent litteræ. Sed quid si non habet beneficium, habet tamen patrimonium ex quo bene poterit sustentari, tenebitur de eo facere mentionem? Et licet variæ sint opiniones, communis tenet quod in litteris iustitiæ est facienda mentio de patrimonio, tu tamen videas *Abb. in dict. cap. Postulasti de rescript. num.* 3. vbi etiam ponit quæstionem an habens patrimonium sufficiens possit bona conscientia beneficium impetrare, *& num.* 4. dicit, quod non suscipit indigne beneficium dummodo bene expendat.

Qui litteras subreptitie obtinet, sciat nullas esse, vt est satis superque notum, & dicitur *in Clem.* 1. *de prabend. vbi glos. Verbo Momenti* sic ait. Inferas ex hoc tex. quod cum obreptio vitiet litteras beneficiales ipso iure, processus vigore talium factus est nullus, licet secus sit in litteris iustitiæ.

Nota quod non sufficit narrare seriem facti in litteris Papæ, nisi causa facti adijciatur, ita *glos. Verbo Causa in cap. Dilectus* 26. *de rescript.* Et litteræ in narratione facti, si erratum fuerit, possunt incunctanter abradi inquit *cap.* 3. *de fid. instr.* vbi agitur de materia abrasionis litterarum, de qua tu etiam habes supra Verbo Abrasio.

In litteris Domini Papæ nihil debet imminutum esse, & cum multa deliberatione, & maturitate traduntur. Vnde non est verosimile, quod aliquod vitium possit ibi remanere, ita dicit *glos. Verbo, O, in cap. Ex parte* 11. *de fid. instr.* & vere cum multo moderamine debent fieri, & concedi, vt non possint reprehendi. Quandoque tamen ipsum Papam fallit obliuio, vt inquit *glos. Verbo Moderemur in cap. Cum adeo* 17. *de rescript.*

Literæ tamen super obtinendis beneficijs impetratæ, debent (cum sint ambitiosæ) restringi, sic decidit *cap. Quamuis* 4. *de prabend. lib.* 6.

Literæ posteriores debent prioribus præiudicium generare inquit *cap. Bona* 3. *de Confirm. vtil. & in cap.* 3. *de restit. spol.* sic. Si vero post sequentium receptionem literarum sententia lata fuerit, ea non obstante iuxta tenorem ipsarum appellatione postposita procedatis, *vbi glos. vlt. ait*. Ideo quia iurisdictio per primas literas attributa, reuocata erat, Vnde nulla fuit sententia lata post receptionem secundarum.

Si autem in posterioribus de prioribus non fuerit facta mentio, firmæ priores manent *cap.* 2. *de dol. & cont.* ibi. Quoniam in posterioribus literis non fuit facta mentio priorum, nec in eis nomina continebantur Ecclesiarum, quæ in prioribus posita fuerant, sed indefinitè dicebatur super quibusdam Ecclesijs &c. secundum formam priorum literarum (non obstantibus posterioribus) terminetis, *& in cap. significauit* 48. *de appellat.* ibi. Prius conuentus non debuit per literas posteriores, in quibus nulla fiebat mentio de prioribus conueniri. Quid si iudices priorum, & posteriorum dubitent de reuocatione, nec in vnam possunt concordare sententiam? Respondet *cap. Pastoralis* 14. *de rescript. ita.* Quod nisi posteriores prioribus, vel è conuerso duxerint deferendum, simul in vnam sententiam concordare (quamuis plures sint ex vna parte, quam ex altera) per arbitros communiter electos a partibus huiusmodi concertatio sopiatur. Et ibidem *notat Abb.* asserens, quam plurima in materia.

At *in cap.* 2. *de offic. delegat.* sic dicitur. Sane si a nobis super aliqua causa litteræ impetrantur, & aliæ postea (non facta mentione priorum litterarum) Litteræ opponuntur, si iudicibus innotuerit, donec Rom. Pontif. consulant,

lant, & suam ex inde plenius cognoscant voluntatem executioni supersedeant vtrarumque *vbi glos.* 1. dupliciter soluit; Quam videas, & *glos. magnam in cap. Ex tenore* 16. *Verbo, negotio de rescript.* videas etiam *glos. Verbo Ambigitur in d. cap. Pastoralis eod. tit.* vbi sic. Illæ enim solæ valent, quæ primo iudici præsentantur citatione facta per ipsas vt &c. facit etiam *glos. Verbo Non obstantibus in cap ex parte* 12. *de offic. de legat.* ibi. Sed hodie in litteris pro beneficijs obtinendis illæ solæ præualent, quæ primo præsentantur, ad idem est *glos. Verbo. Si dicat in cap. vt debitus* 19. *de appellat.* vbi sic. Et ita patet, quod ille, qui primo suas litteras exhibet iudici, siue præuenit alium in citatione facienda &c. ille obtinebit &c. Et ita non refert, quæ sint primæ, vel secundæ litteræ re integra existente.

Litterarum tempus andatæ, vel receptionis consideretur? dictum est supra *Verbo Data*. Est autem notabile, vt tempus receptionis consideretur in casu *cap. qualiter* 9. *de cler. non resid. vt ibidem notauit glos. verbo redierit*, vbi etiam sic ait. In litteris contra vsurarios tempus subsequens, non tempus datæ consideratur, & arguit in coutrarium.

Ab excommunicato litteræ impetratę, an valeant? vide *glos. Verbo Excommunicatus. Et glos. Verbo Excommunicationis in capit. Dilectus* 26. *de rescript.* ita ait. Hic habes, quod si excommunicatus impetrat litteras, vel rescriptum tacens de sua excommunicatione, quod non valent litteræ: tum quia tacuit processum iudicis &c. tum quia tacuit vitium suum, tum etiam, quia ingessit se communicationi hominum propter quod puniendus est &c. Vnde inconueniens esset, quod ex eodem facto consequeretur pænam, & commodum.

Litteris Episcopi creditur sic *glos. per tex. in cap. ad probandum de re iud. ibi.* Sicut per Metropolitani litteras perhibetur, & *glos. Verbo Authenticas in cap. Cum in Ecclesijs* 10. *de maio. & obed.* ibi. Item est argumentum hic, quod litteris prælatorum creditur in præiudicium aliorum &c. Item habes hic, quod litteræ prælatorum dicuntur. Authenticæ.

Litteræ remissoriæ debent causam continere, *vt in cap.* 1. *de tempor. ordin. lib.* 6. ibi. Per eius patentes litteras causam rationabilem continentes quare ipsum nolit, aut nequeat ordinare; & ibi notat *glos. Verbo, litteras in fin.* quod non sufficit licentia, nisi exprimatur causa.

Etiam præpositi, & capituli litteris creditur, vt dixit *glos. Verbo Præpositus in cap. Cum inter* 16. *de elect.*

Litteris etiam dignitatum, & officialium standum est, vt dicunt *doct. per tex. in cap. post cessionem de probat.* ibi. Per litteras iudicis ordinarij (quibus standum est, donec probetur contrarium) *Bart. per tex. ibi. in l. Si publicamus §. de rebus num.* 1 *ff. de publican.* quod intellige in ijs, quæ ad eorum officium spectant, *vt per Bald. in rub. C. de fid. instr. num.* 33.

Ex dicto tex. *in cap. Post cessionem deducunt etiam doct.* quod litteris definitoris religionis credendum est, si publico sigillo eiusdem Religionis fuerint munitæ, & ponit *Ias. in repetit. l. Admonendi ff de iur. iur. numer.* 91. *vers. Bene verum est*, quod si scriptura priuata haberet sigillum publicum, & Authenticum alicuius Regis, Principis, vel communitatis &c. tunc plenam fidem faceret. Debent autem litteræ esse signatæ, nec tales dicentur, vbi nomen deest, *vt per glos. Verbo Delecta in capit. inter dilectos* 6. *de fid. instr.*

Litteræ monitoriæ, executoriæ, tributoriæ

toriæ non tribuunt ius in rem, sed iudicis officium implorant, *vt in cap. veniens de renunciat.* Et prædictæ executoriæ, & præceptoriæ non conceduntur, nisi præcedant monitoriæ, & si concedantur nullæ sunt, *vt in cap. Ex insinuatione 37. de rescript.* ibi. Mandamus quatenus si nullę monitorię, super hoc præcesserint executorijs supersedeatis &c. Etiam in priuatis litteris aliquæ dicuntur monitoriæ, vt statim infra.

Litteræ propriè dicuntur priuatæ, vt dicit *glos. in l. 1. C. de iur. iur. propter calum.* ibi litteras, dic priuatas, instrumentum publicum, & ibidem *notat Apostill.* quod appellatione instrumentorum, non continentur scripturæ priuatæ, quia *in d. l. 1.* ponuntur vt diuersa, & est argum. Si datur terminus ad producendum instrumentum, quod post terminum. poterunt produci scripturæ priuatæ.

Per litteras quis loqui videtur sicut per nuntium, vt dicis Verbo *Nuntius.* Et per eas obligatur *l. Si procurator 65. ff. de procurator.* ibi. litteras suas ad aduersarium dirigere debebit, quibus significet, quem aduersus eum procuratorem, & in qua causa fecerit, ratumque se habiturum, quod cum eo actum sit. Hoc enim casu litteris eius approbatis, velut præsentis procuratorem interuenire intelligendum est &c. & hic *glos.* ita infert, litteris ergo statur. Sed quia tex. dicit litteris approbatis ibidem *Bart.* dicit, quod duobus modis fit primo per notarium, secundo per testes.

Si autem non fuerint approbatæ, non tenetur negans cognoscere: Cum nec alienas litteras possit cognoscere, vt suas: imo etiam quandoque vix suas, cum aliter iuuenis, aliter senex scribat, vt probat *glos. Verbo eos in Auth. de trien. & sem. §. Studium prope fin. vers. Si autem coll. 3.* & hoc vltimum probat *Auth. de Instr. caut. §. 1. coll. 6.* ibi. Quando litterarum dissimilitudinem sæpe, quidem tempus facit. Non enim ita quis scribit iuuenis, & robustus, ac senex, & forte tremens. Sæpè autem hoc languor facit, & quidem hoc dicimus, quando calami, & attramenti immutatio similitudinis per omnia aufert puritatem. & ibi etiam agitur de litterarum comparatione ad quam requiritur trium præsentiam testium. Agitur etiam de dicta comparatione *in Auth. de ijs, qui ingred. ad appell. §. vlt. coll. 5.* ibi. Quia oportet ex publicè confectis instrumentis fieri comparationem. & non ex alijs, quæ a quoquam scribuntur &c. & quispiam voluerit secundum eas, quæ ab aduersario proditæ sunt, litteras fieri examinationem, non accusetur hoc tanquam non recte fit factum. Cui enim ipse credidit, & quod protulit is contra quem, & ex quo suas affirmat allegationes; hoc non accuset: neque prohibeat comparationem litterarum ad eũ fieri; &c. Neque enim sibi resistit, & quæ affirmabit, hæc accusabit.

Litteræ priuatæ monitorię simplices non obligant, sed cum aliquo obligante additamento, vt est optimus *tex. in l. Si filius 7. ff. de tutel.* vtrumque probans ibi. Agnouisse autem videtur, siue gessit, siue gerenti filio consensit; siue omnino tutelam attigit. Vnde cum filio quidam scripsisset, vt diligenter tutelam gereret, Cum scias (inquit) periculum ad nos pertinere: dixi hunc quoque agnouisse. Plane si solum monuit filium, non videtur agnita. Præceptoriæ vero obligant, quæ alias dicuntur, quod iussu, vt in *l. Dominos in princ. C. quod cum eo.* Dominos (inquit tex.) ita constringi manifestum est actione prætoria, quæ appellatur, quod iussu, si certam numerari præceperint seruo, actori ve pecuniam. Non autem commendatitiæ, vt per eun-

eundem tex. ibi. Neque familiares Epistolæ &c. vt iam dixuti Verbo Epistola.

Mittentes litteras ad Papam, in quibus mendacium continetur, sunt suspensi ab officio, & beneficio, ita est tex. in *cap. Tam litteris 33. de testib.* ibi. Qui contra electū litteras nobis sub nomine maioris partis capituli destinauerunt) cum constet per attestationes prædictas) longe maiorem partem capituli non fuisse consciam huiusmodi litterarum, ab officio, & beneficio denuncietis esse suspensos.

In antiquis lapidibus, vel columnis litteræ antiquæ positę probant, vt dicit *glos. Verbo Per libros antiquos in capit. Cum causam 13. de probat.* ibi. Item si reperitur scriptura in aliqua columna, vel lapide ei statur *per tex. in cap. Sane vlt. 24. quæst. 2.* ibi. & in sacris disticis scripserunt, intelligendo *cum glos. ibidem*, quod disticæ sunt columnæ, vbi imagines patrum in suo catalogo ponuntur, de quo vide *doct. in d. cap. Causam*. Vnde litteræ in lapidibus antiquis sculptæ, fines probant, *vt per Hyppolit. in rubr. C. de probat. numer.* 211. notabis tamen, quod dicitur in summario *l. Monumentorum C. de relig. glos.* quod litteræ, quæ sunt in lapide monumentorum non faciunt fidem licet ibidem *Bart.* dicat, quod litteris antiquis sit credendum vide *Bald. in Auth. quas actiones C. de Sacrosanct. Eccles.*

Litteras per cifras non probare, quia non sunt in vsu deducitur *ex tex. in l. Sed cum patrono in fin. ff. de bonor. possess.* ibi. Nobis Scriptæ tabulæ non continentur edicto, quia notas litteras non esse Pedius lib. 21. ad edictum scribit, *vbi glos. verbo Notis* dicit, idest signis numerorum, vt algorismus &c. de quo *Bart. in l. quoties* dicit contrarium esse in testamento militis, quod valet, & probat licet per notas, & cifras incognitas.

Litteras alienas si quis aperit, & aduersæ parti ostendit, tunc in pœnam falsi incidit *Bart. in l. 2. ff. ad l. Cornel. de fals. ibi*. Quæro quid de eo, qui aperit litteras? Respondeo. Si quid in illas litteras aperiret, & aduersario mittentis ostenderet; tunc incidit in pœnam falsi, vt &c. si aperit ipsemet, & videt, non alij ostendit, tunc non puto, quod incidit in pœnam falsi, sed punietur aliter extra ordinem crimine stellionatus, pro quo facit optime *cap. cum olim 33. de offic. delegat.* ibi, Sigilla violauit illorum, & scripta quæ nobis fuerant præsentando non erubuit aperire, *vbi glos. Verbo Sigilla*.

Tenetur etiam de falso, qui litteras non præsentat ei ad quem sunt directæ, sed alteri, vel abradit nomen alterius, & inscribit nomen suum, vt tenet *glos. Verbo. Et quid in l. Titio 36. ff. ad municipal.* ibi, qui non restituit, idest non dedit Titio; & dic quod multum deliquit, quia crimen falsi, & ibidem *notat Bart.*

De litteris autem quatenus scientiam indicant habes *Verbo scientia*. Et de litteratis hominibus inquit *cap. de multa de prabend. sic*. Circa litteratas personas, quæ maioribus beneficijs sunt honorandæ cum ratio postulauerit. *Et glos. Verbo litteratis in Extrauag. vnic. de praben.* sic. Ipsorum enim scientia est circa spiritualium administrationē potissimum necessaria, & circa veram corporalium, quamplurimum opportune.

Litterati nobiles personæ censentur, & nobilibus æquiparantur *in d. cap. de multa, & ibidem not. doct.* & in specie *Abbas num 5. ibi*. Nota bene, quod personæ litteratę æquiparantur nobilibus, & sic debet Ecclesia honorare personas litteratas, non solum Verbo, sed etiam facto, vt subueniendo eis pinguius de redditibus Ecclesiæ præ alijs minus litte-

te-

teratis, & hoc non prouenit ex alio, nisi quia scientia prodest nedum habenti, sed etiam toti vniuersali Ecclesiæ. Nam mundus sine litteris regi non posset, *vt in Auth. Habita C. ne fil. pro pat.* & alibi dicit tex. quod Ecclesia vniuersalis admodum ad sui regimen indiget viris litteratis in *cap. Cum ex eo de elect. lib.6.* Et propter hanc causam Ecclesia dispensat cum volentibus ire ad studium litterarum, vt possint se absentare ab Ecclesijs etiam curatis per septemnium, & non teneantur interim promoueri ad Sacerdotium, *vt in d. cap. cum ex eo.*

Illiterati vero cum facile possint decipi a tutela excusantur item a postulando repelluntur, item a iudicando, item a clericatu, ita dicit *glos. Verbo quibus in Auth. de Tabbellien. §.1. coll.* 4. per tex. ibi. Maxime quando litteras sunt ignorantes &c. quibus facilis est, & inconuensibilis denegatio horum, quæ pro veritate secuta sunt, Sed quod illiteratus possit esse iudex supra dictum est Verbo Iudex.

Locatio.

POtest diffiniri, quod sit personæ, vel rei ad vsum facta concessio mercede in pecunia numeranda conuenta. Rerum autem locatarum duo esse genera, vt aut idem reddatur; quod locatur, aut eiusdem generis, dicit *Iurecons. in l. In naue Saupheli* 34. *ff. locat.*

Non solet locatio dominium mutare, dicit *Vlpian. in l.* 42. *ff. locat.* nec possessionem mutat, vt in *l. Si pignus* 37. *ff. de pignor. act.* (Si pignus, inquit tex.) mihi traditum locassem domino per locationem retineo possessionem, qui casus notabilis est cum alias propriæ rei locatio nulla fit, & ita glos. 1. ibidem ait sic. Ratione enim possessionis locatio, & præcarium suæ rei est, vt &c.

Ad probationem rei propriæ. siue defensionem non sufficit locatio ei facta, qui post de dominio cœperit contendere inquit *l.* 23. *C. locat.* à qua deduxit *capit. Inter dilectos in fin. de fid. instr.*

Licet emptorem fundi necesse non sit stare colono, cui prior Dominus locauit, *vt in l. Emptorem C. locat.* tamen si emerit à fisco tenebitur, vt in *l. cognouimus C. de mancip. & colon. lib.* 11. vbi sic inquit *gl.* Et nota speciale, vt teneatur stare colono fauore fisci, ne fiscus ei teneatur.

Inuecta, & illata in prædium vrbanum locatum sunt omnia tacite hypotecata pro pensione, siue sciuerit, siue non, dominus prædij, Secus est in illatis ad prędium rusticum: quia ea sola sunt hypotecata, quæ dominus sciuerit, rationem differentiæ portat *glos. Verbo Coloni in §. Item seruiana ac act. in Instit.* ibi. Quia Sancta Rusticitas, omnia palam habet, sed inquilinus etiam clam multa apportat quæ locator ignorat.

Si quis timoris causa emigrasset an debeat mercedem nec ne? Respondet *Iurecons. in l. Habitatores §. Iterum ff. locat.* sic. Si iusta causa fuisset cur periculum timeret, quamuis periculum vere non fuisset, tamen non debere mercedem, per quem *text. tenent doct.* quod propter pestem superuenientem potest locatam domum, conductor dimittere absque obligatione soluendi pensionem videas, quos *Bertach. in suo repertorio, Verbo locatio in princ.*

Locanti operas, quando debeatur merces, *Vide verbo operas*, & ibidem an possit per alium seruire.

Locationis merces, quando non exprimitur, quod soluitur ex consuetudine habes *Verbo Merces.*

Lo-

Locupletior.

DE diuitijs iam supra aliqua sunt dicta, *in Verbo Diuitia*, hic verò, quando quis locupletior factus dicatur; quia in iure multoties hæc Verba inueniuntur, Si locupletior factus sit; *Et glos. Verbo locupletior in l. vlt. C. de vsucap. pro empt.* sic ait. Quod tribus modis euenit, vel quod habet pecuniam, vel quod aliud emptum ex ea, vel quod talem rem emit, quam de suo emisset necessario, licet modo perijt. Et ille text. loquitur de pupillo vendente rem, qui exceptione submouetur si illam vult vendicare, si locupletior ex venditione factus est, cuius verba sunt, quæ sequuntur. Sed si locupletior emptoris pecunia factus, post pubertatem occasionem iuris ad iniquum trahat compendium, doli mali exceptione summouetur.

In terminis autem venditionis à pupillo factæ scias, quod ex vno latere tantum constat contractus, nam qui emit obligatus est pupillo, pupillum autem sibi non obligat, vt istis verbis dicit *l. Iulianus §. Si quis à pupillo ff. de act. empt.* & ex altero latere claudicat contractus, vt ibidem *notat glos.* Limitando, nisi sit locupletior. Nam hoc natura æquum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem dicit *l. nam hoc ff. de condict. indeb.*

Locupletior dicitur quis effectus, si tempore litis contestatæ habeat, vt in *l. In pupillo 4. ff. de except.* ibi. Illud tempus inspicitur an pecuniam, vel ex ea aliquid habeat, quo petit, *& in l. in pupillo 47.* ibi. Si quæratur, quo tempore sit locupletior, tempus, quo agitur inspicitur &c. nam hoc ipso, quod non est pauperior factus, locupletior est *ff. de solut. & glos. Verbo locupletior in l. Si fructus 8. C. de donat. int. vir.* ibi. Quod est si tantumdem de suo erogatura erat quod inspicitur tempore litis contestatæ.

Si ipsa res, quæ ad alium peruenit, interijt non esse locupletiorem dicemus: si vero in pecuniam, aliam ve rem conuersa sit: nihil vltra quærendum est, quis exitus sit; sed omnimodo locuples factus videtur, licet postea depereat. Nam & imperator Titus Antoninus, Claudio Frontino de pretijs rerum hæreditariarum rescripsit ob id ipsum peti hæreditatem ab eo posse, quia licet res, quæ in hæreditate fuerant apud eum non sint: tamen pretium earum locupletem eum vel sępius mutata specie faciendo obliget, ac si corpora ipsa in eadem specie mansissent, ita dicit *Iulianus in l. Si ipsa 18. ff. de eo, quod met. cau.* quæ valde notabilis est secundum *Bart.*

Locus.

MVltipliter accipitur vno modo pro quantitate mensurante rem extra vt sunt tempus, & locus secundum *Philosophum*, & tunc per eundem diffinitur *lib. 4. Phisic.* Quod sit terminus corporis continentis immobilis primum. Alio modo sumitur pro parte fundi. Tertio modo pro efficacia argumenti, vt est locus maxima, vel differentia maxime secundum, quod dicitur ab Artistis. Locus est sedes argumenti, vel illud a quo extrahitur argumentum, vnde versus.

Est locus atque loci, sunt artes, sunt loca terra.

Quarto modo pro conuenienti statu, & sic accipit. Horatius cum dicit.

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

Quinto modo pro congregatione habitantium intra metas vnius loci, vt in *extrauag. 2. de sent. excom. inter com.* & ibi omnia prædicta affert *glos. Verbo locus*, & iura, in quibus dicit ea probari ad quam te remitto.

Locus religiosus olim de iure ciuili fiebat per illationem cadaueris, vt per *Vlpian. in l. 2. ff. de relig. & sumpt. fun.* Locum (inquit) in quo seruus sepultus est religiosum esse Aristo ait. Hodie vero de iure Canonico non fit sine Authoritate Pontificis, iuxta *cap. Ad hæc 4. de relig. dom.* ibi. authoritate Pontificis destinatus cum sit religiosus &c. *glos. Verbo Si terram in cap. In Ecclesiastico 13. quæst. 2.* ibi. Dico quod terra fit sacra, vel religiosa authoritate Pontificis, non ex eo, quod mortuus infertur ad locum &c. sed secundum legem secus est &c. Si autem vis scire, quomodo hodie, tam de iure ciuili, quam Canonico constituatur locus religiosus. *Vide Dec. in cap. quanto col. pen. vers. Et notandum de iud.*

Locus in quo est pars principalior inspici debet, vt dixit *Paul. in l. Cum in diuersis 44. ff. de religios. & sumpt. fun.* ibi. Mihi autem videtur illum esse religiosum locum, vbi quod principale est, conditum est, idest caput cuius imago fit, vnde cognoscimur, etiam supra dictum est Verbo Caput. In loco sacro non solum facere vetamur, sed & factũ restituere iubemur, hoc propter religionem inquit *l. 2. §. Si quis nomine ff. ne quid in loc. pub.* Differunt autem locus sacer, & locus religiosus, vt per citatam *glos. Verbo Si terram in d. capit. In Ecclesiastico 13. quæst. 2.*

In honesto loco non licet inhonestas annotare personas inquit *l. 4. C. de spect. lib. 11.* Tamen *glos. Verbo sciens in cap. 1. quib. mod. feud. amitt.* sic dicit. Ratione loci licitum deprehenditur, quod alias non liceret, licet alias sit contra vt &c. hoc tam varie, quoniam maiorem iniuriam putauerit legislator in eius domo fieri, quam alibi.

Locus publicus non dicitur, licet per eum publicè eatur, vt deducit *Bart. in l. 1. §. Summa ff. de ijs, qui deiec. numer. 3.* per tex. ibi. Parui autem interesse debet vtrum publicus locus sit, an vero priuatus dum modo per eum vulgo iter fiat. Dicitur vero publicus vbi Iudex solet sedere ad ius reddendum, *vt not. doct. per tex. in cap. Biduum vers. Adeundi 2. quæst. 6.* ibi. Si in publico sui copiam fecerit, & tradit *Card. in Clem. 2. §. Similiter quæstion. 2. de appellat.*

Si reus non potest ire ad iudicem, cum locus tutus non sit, iudex tenetur locum prouidere securum, vel committere causam in loco non suspecto: ita inquit *glos. Verbo Iudicium in cap. Cum R. 35. de offic. delegat.*

Non solum dicitur locus incommodus propter inimicitias, sed etiam si excedat duas diætas, vnde extra prouinciarum terminos non est facienda citatio, nisi ex speciali iussione Principis, ita dicit *glos. pen. in cap. Ex parte 47. de appellat.*

Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus, dicit *Senec. Epist. 52.*

Vicinus locus dicitur intra duas diætas, vt per *glos. Verbo nedum in Extrauag. vnic. de præbend.* ibi. hoc casu vicinæ Ecclesiæ, vel distantes intelligentur iuxta communem patriæ consuetudinem, vel opinionem &c. licet quandoque loca dicantur, vicina intra duas diætas distantia *glos. vero in l. 4. §. Si tam vicinum ff. de dam. infect. Verbo si tam vicinum*, ita dicit. Vt per centum milliaria, & ibidem *Additio* sic. Bart. hic quærit quis dicatur locus vicinus adde vltra eum, *glos. notab. in cap. Filius verbo vicinarum de pen. lib. 6.* quæ tenet, quod hoc committitur iudicis arbitrio, vt etiam his tenet *Bart. &*

notatur per Innoc. in cap. Calumnia extra de pen. per Bald. & Cyn. in l. Si vicinis C. de nupt. secundum Alex. de Imol. hic.

Quem vero locum dicunt remotum? quęrit *glos. Verbo remotis in cap. Cum nullus 3. de tempor. ordin. lib. 6.* & respondet ita de citra, & vltra montes, sed hoc est falsum, quod solum talis locus dicatur remotus, quia aliud est dicere, valde remoti, &c. aliud remoti &c. sed videtur, quod remoti dicantur, vltra prouinciam, vel vltra duas diętas &c. vel extra vnam, satis crederem hoc arbitrarium iudici, quis locus dicatur remotus.

Propter locorum distantiam est valde difficile, & impossibile reputatur discernere, quem de duobus defunctis, primo mortuum fuisse, *vt ponit glos Verbo Peregrè per tex. ibi. in l. qui ex liberis 11. ff. de bon. possess. secund. tab.*

Ratione mediocritatis negotij, & longinquitatis loci committitur causa ad partes, *ita glos. vlt. & in sum. per tex. ibi. in l. cum post 26. C. de appellat.* Multa enim propter distantiam permittuntur, quę alias prohibentur, vnde versus.

Non facit ergo parum distantia longa viarum.
Prorogat inducias aufert onus impedimentum.
Cogit adire forum conseruatus dominorum.

prout omnia ponit *glos. Verbo locorum distantiam in cap. Cum litteris 1. de rest. in integr.* vbi exemplificat.

Locus contractus intelligitur, vbi solutio destinata est, *iuxta l. Aut vbiquisque 3. ff. de bon. auth. iud.* ibi. Contractum autem non vtique eo loco intelligitur, quo negotium gestum sit: sed quo soluenda est pecunia. Quod si pluribus locis conuenit, in arbitrio eius est, quo loco exhibeat, dicit *l. Ei qui §. 1. alias l. Et apud quem §. 1. ff. depos it. vbi glos.* ait. Nota argum. quod cum quis duo alternatiuè promittit vtrumque sit in obligatione.

Quo ad decisionem causę locus contractus attenditur, quod vero ad ordinationem iudicij, locus vbi lis vertitur, iam dixisti supra *Verbo Contrahere, & consuetudo.*

In loco delicti puniri debent delinquentes, habes supra Verbo *Latro.*

Congruum est, ergò inde etiam corporaliter euelli, vbi quisq; illecebris deseruiuit. Nam locus vbiquisque prauè vixerit in aspectu mentis apponit, quod sępè ibi quisque cogitauit, vel gessit, ita dicitur *in cap. valeat 81. dist.*

Infames consueuerunt fugere loca nationis suę, dicit *glos. vnica in cap. Cum deputati 16. de iudic.*

De tempore ad locum idem est iudicium, *sic summat Bart. l. vlt. ff. de condict. tritic.* & verba tex. sunt. Litem ęstimandam Cassius ait. Quanti fuisset eo die, quo dari debuit, si de die nihil conuenit: quanti tunc cum iudicium acciperetur. Idemque iuris esse in loco, vt primum ęstimatio sumatur eius loci, quo dari debuit, si de loco nihil conuenit, is locus spectaretur, quo peteretur.

In tempore certo, & limitato a iure, locorum varietas, varietatem iuris non inducit, dicit *glos. Verbo commodè post med. in cap. Cupientes 16. de elect. lib. 6.* & Verbo partibus *in cap. 1. de stat. monach. eod. lib.* ibi. Quia varietas locorum iuris varietatem regulariter non inducit, & probat *tex. in l. vlt. C. de tempor. in integr. rest.* ibi. Ex differentia enim locorum aliquod induci discrimen, satis nobis absurdum visum est. *vbi glos. Verbo, discremen*, sic Alias autem aliquando inducitur vt, &c.

Interdum locus, vel tempus non patitur plenius deliberandi concilium, dicit

l.1. in fin. ff. de exercit. act. Et quandoque res celeritatem desiderat *l. 1. ff. de dam. infect. ista ponit glos. Verbo necessitas in cap. Constitutionem 9. de sent. excom.*

Locus prior debetur antiquiori in dignitate, dixisti supra *Verbo Dignitas*, locus vero tyronum est omnium posterior dicis *Verbo Miles*, Aliquando tamen, quod vltimum est tenet locum primi, vt notauit *glos. per tex. in l. Si donata 37. §. 1. ff. de donat. int. vir.*

Locus interdum dicitur plenus, vt qui possidetur, interdum dicitur semiplenus, vt ille in quo est causa legatorum, vel rei seruandæ causa interdum vacuus, ita ponit *glos. Verbo loci, vacantis in §. Quod autem de vsucap. In Inst.*

Lucrum.

PLus quidem habere quam quæ sui ipsius, lucrari dicitur, minus autem his, quæ a principio damnificare dixit *Arist. 5. Ethic. cap. 2.*

Lucratiuas autem res eas tantummodo volumus appellari, quæ hæreditatis, legati, fideicomissi iure, mortis causa donationis, vel cuiuslibet postremæ voluntatis arbitrio ad quempiam dilabuntur. Inter viuos etiam donatio, simplici liberalitate confecta, lucratiuæ merebitur, & nomen inquit *Imperator in l. 1. C. de impon. lucrat. discript. lib. 10.* Donatio vero propter nuptias non dicitur lucratiua ex ratione de qua in eadem *l. ibi*. Nec enim iuris optimi est matrimonium cum tot tantisque suis difficultatibus opprimatur, aduentitijs etiam cummulare ponderibus: quæ lex non viget Florentiæ vbi (sicut accepi) factis nuptijs soluitur, quædam portio ex dote, ac si lucratiua esset causa.

Species lucri est ex alieno largiri, & beneficij debitorem sibi acquirere inquit, *l. Si pignore 56. de furt. idem ponit Apostill. ad capit. 3. Ne Cler. vel Monach.*

Traditum est duas causas lucratiuas in eandem rem concurrere non posse dixit *Imperator in §. Si res aliena delegat. in Inst.*

Nec enim sine onere debet esse lucrum dixit *glos. in l. Si sine 20 ff. de posit. & probat l. vnica §. Pro secundo C. de caduc. tollen.* ibi. Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus etiam ei annexum contemnit, & *l. vlt. C. de legit. hered.* ibi. vt non solum lucrum sentiant, sed etiam grauamini subiugentur, vt in *l. Humilioribus 14. C. de susceptor. lib. 10.* ibi. Neque enim æquum est, vt ad officium lucra, ad curialem susceptionis cãtum damna pertineant. In casu tamen *l. de illa 23. ff. pro soc. dicit glos. vlt. ibidem* sic. Nota quem amplecti lucrum, & ad damnum, vel onus non teneri, *vt hic, & C. de legit. tut. l. 1. in fin.* verba vero dictæ *l. De illo sic se habent*. Nec compensandum commodum &c. cum damno &c. nec posse d c: socium abstinere commodo, &c. Si damnum petit,

Sicuti lucrum omne ad emptorem hæreditatis respicit, ita damnum quoque debet ad eundem respicere, *ait l. 2. §. Non solum ff. de hered. vel act. vend.*

Et in Socijs ita dicit *lex Cum duobus 12. §. Quidam in fin. ff. pro soc.* Nam sicuti lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet. Aequum est enim, vt cuius participauit lucrum participet, & damnum dicit *l. Si igitur 56. eod. tit.* Nota tamen in hac materia societatis quod lucrum commune potest esse, licet alterius sit pecunia, vt habes *Verbo Opera*.

Compensationem fieri lucri cum damno dicit *l. Si duorum 13. in fin. ff. de act. empt.* ibi. Sed rectius est in omnibus supradictis casibus lucrum cum damno

com-

compensari, & si quid deest emptori, siue pro modo, siue qualitate loci, hoc ei resarciri.

Illius debet esse lucrum, cuius est periculum vt dixit *glos. verbo. Et legata omnia in l. Iulianus §. Si quid seruo, ff. de act. empt.* Adeo vt si conueniat quis de periculo, censeatur etiam de lucro conuenire, licet non exprimatur, vt dixit *glos. verbo. Periculo in l. Idem 10. §. Si mandauero, ff. mandat.* ibi. Nam conueniendo de periculo, tacitè, & de lucro conuenire videtur per tex. ibi. Quamuis si periculo suo credidisset, cessaret in vsuris actio mandati. Et probat *tex. in l. vlt. §. Sed cum C. de furt. & seru. corrupt.* ibi. Vbi enim periculum, ibi & lucrum collocetur, ne sit damno tantum deditus, qui rem commodatam, accepit, sed liceat ei etiam lucrum sperare.

Non esse eandem rationem damnum sentire, & lucrum non facere dixit *glos. verbo Faciat in l. Periculum 26. ff. de dam infect.* cuius verba iam supra posita sunt verbo Damnum. Idem voluit *glos. verbo, affuerit, in l. Post legatum 1. §. Qui accusauit, ff. de ijs, quib. vt indig.* dum ait. Et non est par ratio lucri ad damnum, & probat *l. Si quis C. de codicill.* ibi. Non enim eademque ratio videtur amittere debita, & lucra non capere. Et de hinc prouenit, quod facilius non admittitur lucrum, quam damnum admittatur, & hoc vult *l. At Si quis 14. post princ.* ibi. Melius est legatarium non lucrari, quam emptorem damno affici, *& l Qui autem §. Simili modo ff. quæ in fraud. cred.* ibi. Nec videtur iniuria affici, cum ei lucrum extorqueatur, non damnum infligatur, & in *l. vlt. in fin. eod. tit.* ibi. Nunquid non æquè actio in eum dari debeat, quoniam magis detrimentum non patitur, quam lucrum facit.

Nec ob id aliquando desinit haberi ratio lucri, vt in *l. 3. §. vlt. ff. de eo, quod cert. loc.* ibi. Quid si merces solebat comparare, & an lucri ratio habeatur, non solius damni? Puto, & lucri habendã esse rationem, vbi *glos. verbo solebat* sic ait. Hic diligenter attende, quod vbi quis lucri, quod facturus fuisset, petit rationem haberi, habenda est coniectura ex eo, quod facere solitus est, vt ita demum eius lucri ratio habeatur, si ita lucrari consueuit, sed vbi passus est damnum, non inspicio an sit damnum pati, quia in incertis, non certis, locus est coniecturis.

Cum in actione non habetur ratio lucri, nec affectionis debet haberi ratio, dicit *glos. Verbo Palam est in l. Eum, qui 14. §. An pater ff. de furt.*

Colonus, qui non fruitur etiam pro lucro agere potest, *vt in l. Si fundus 36. ad fin. ff. locat.* ibi. Nam & si colonus tuus fundo frui a te, aut ab alio prohibeatur, quem tu prohiberi, ne id faciat, possis, tantum ei præstabis, quantum eius interfuerit frui, in quo etiam lucrum eius continebitur, & glos. ibi. Verbo lucrum dicit ita. Est autem hic casus specialis, vt lucrum veniat sicut, & alias, sed regulariter contra.

Qui rem experiendam recipit, quidquid ex re interim lucratur domino reddere debet, ita summat *Bart. l. Apud 22. ff. de præscript. verb.*

Minoribus datur restitutio etiam propter lucrum, *vt in l. & si 8. ff. de minor.* ibi. si res eius venierit, & existat, qui plus liceatur an in integrum, propter lucrum restituendus sit? Et quotidie prætores eos restituunt, vt iterum admittatur licitatio.

In maioribus vero, sit inquit *l. Sciendum 18. ff. ex quib. caus. maior.* In ijs casibus restitutionis auxilium maioribus damus, in quibus dumtaxat rei persequendæ gratia queruntur, non cum, & lucri faciendi causa ex alterius pœna, vel damno auxilium sibi impertiri desi-

siderant. Et alias dicit *cap. Quamuis 8. de rescript. in 6.* Cum talis restitutio (vbi aliud non exprimitur) intelligatur fieri sine iuris praeiudicio alieni.

Ex alieno damno non debet quis lucrari, inquit *l. itaque 29. ff. de dolo l. Idem 10. §.1. ff. mandat.* ibi. quia bonae fidei congruit, ne de alieno lucrum sentiat, & in *l. rescriptum 12. §.1. ff. de distract. pig.* ibi. ne ex aliena iactura sibi lucrum acquirat. Nec debet maritus lucrari ex damno mulieris, sufficit enim maritum indemnem praestari, non etiam lucrum sentire, ait *l. Quoties 17. ff. de iur. dot.* quod etiam in pupillo procedit ex *l. Si Fundus §.1. ff. de reb. eor.* ibi. Adhuc doli exceptionem obstare si lucrum captet pupillus ex damno alieno.

Neque ex propria fraude, quis lucrum sentire debet. Iniquum enim praetor putauit in lucro morari eum, qui sensit lucrum ex fraude, id circo extorquendum ei lucrum putauit, inquit *l. Ait praetor §. vlt. ff. quae in fraud. cred.* quod etiam procedere in haeredibus dicit *l. In haeredem 5. ff. de calumn.* ibi. Nam constitutum est turpia lucra ab haeredibus extorqueri, licet crimina extinguantur à qua deduxit *glos. magna ad fin. in l. In honorarijs ff. de act.* per eadem verba, *& verbo Scelere in l. Vnica C. ex del. defunc.* & habes supra Verbo delictum, quod lucrum impium ex delicto non datur.

Nec in alienum lucrum conuerti alienum metum, dicit, *glos. Verbo remoueri, in l. 2. C. Siquis aliq. testa. prohib.*

Qui ex mea culpa sentit lucrum non potest mihi obijcere culpam dixit *glos. vlt. in l. pen. §. vlt. ff. solut. mat.* per optimum textum *in l. Cum in fundo 85. §. Quod si mulier ff. de iur. dot.* ibi. Nihil iam in dote habet, quod actione dotis consequatur ab eo, cui quod non vtendo amisit vsum fructum imputari non potest ex quo ipsa lucrum habet, vbi *glos. Verbo, ex quo notat* praedictam conclusionem, & addit ita. Sed si ita simpliciter dicatur apertissimè falsũ est. Nã fallit in omni vsuscapione pro donato; sed certè haec, quae culpam obijciebat, agebat, non possidebat. Item agendo, & culpam obijciẽdo petebat id ipsum, quod habebat. Vnde merito repellitur, quasi non possit obijcere culpam, ex qua ipsa lucrum sentit, quod & ipsa habet.

Lucro, concordiam maritalem praeferri oportere dicit *l. Reprehendenda C. de Institut.*

Quod a lege datum est lucrum priuatis auferre, modis omnibus non valebit, inquit *Auth. de nupt. §. Sed hac quidem coll. 4.*

Quicumque tempore messis, vel vindemiae, non necessitate, sed cupiditate comparat v.g. duobus, & seruat, vt vendat quatuor, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus, ait *cap. Quicumque 14. quaest. 4.*

Luctus.

LVgere, & deplorare, & lamentari eos qui de hac vita decedunt expusillanimitate contingit, dicit *Chrysostom. relatus in cap. Vbicumque 13. quaest. 2.* Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lacrymas, si non nimiae decurrerunt, si ipsi illas repressimus, nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant. Per lacrymas argumenta desiderij quaerimus & dolorem non sequimur, sed ostendimus. Nemo tristis sibi est. O infelicem stultitiam. Est aliqua, & doloris ambitio, nemo libenter ad id reddit, quod non sine tormento cogitaturus est, ita dicit *Senec. Epi 3. 64. Vide etiam Epist. 100.*

Augustin. vero lib. de paenit. relatus in cap. Sunt plures ad mod. de paenit. dist. 3. ita

ita ait. Satis durus est, cuius mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare; sed sciat culpabiliter se durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati non ostendit lacrymis, & ibidem adducitur, per *glos.* illud *Iuuenal.*

Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Minore tumultu funera planguntur nonnunquam.

Lugendum itaque est pro peccatis. ita, vt vberrimæ fluant lacrymæ: pro amico mortuo, oculi non videantur sicci, non autem ita lacrymæ defluant ne videatur quis ad deplorandum conductus, vt olim moris erat in funere (& adhuc viget in aliqua prouincia) de quo ait horat. in art. poetica.

Vt qui conducti plorant in funere dicunt.
Et faciunt maiora dolentibus ex animo.

Sed quot sunt plorantes propinquorum mortem, qui solum, vt dolorem ostendant, lugent, vel forsan præ nimia lætitia lacrymas non continent, nam licet illas in mæroris insignia natura proferat, etiam magnum gaudium consequi voluit, vt alias dixit *Ioseph. de antiquit. lib. 12. cap. 2. num. 20.* vel etiam quia vident hæreditatem tenuem sibi relictam. Non ergo certum mæroris signum est lugere. Vnde luctus ille, quo antiquitus fœminæ tenebantur pro deplorandis maritis derogatus fuit per *l. Decreto 15. C. ex quib. caus. infam. irrog.* ibi luctu fœminarum diminuto; tristior habitus, cæteraque hoc genus insignia mulieribus remittuntur, vbi notat *glos.* quod prius mulieres tenebantur, sed contra vir vxorem lugere non tenebatur, nec etiam iure veteri.

Lugere autem, vt solum videatur infelix stultitia est, vt supra ex Senec. etiam si peccata deplorentur hoc enim hypocritarum est, & abominabile, non enim qui deflet ita, dolorem habet, nec pænitet qui spectatores quærit: nam vt dixit *Martial lib. 1. Epigramm. 34.*

Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

bene verum est, quod lacrymæ pro mortuo debent produci, vt dicit *Ecclesiastic. cap. 38. 17.* ibi. Fili in mortuum produc lacrymas &c. & fac luctum secundum merita eius vno die, vel duobus propter detractionem.

Luctus tempore crudele, & impium est aliquem molestare etiam in his, quæ de iure licent, vt est optimus *tex. in Auth. vt cum de appellat. cog. §. Hac autem coll. 8.* ibi. Sed in præsenti quendam cognouimus cuiusdam mortui genitorem, à sepultura filij sui redeuntem, nomine debiti tenuisse. Ideoque pium, & humanum esse perspeximus talem crudelitatem hac lege pijssima coercere.

Minime maiores lugendum putauerunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venit. Quod si filius patrem, aut pater filium occidisset, sine scelere etiam premio afficiendum omnes constituerunt, dicit *Marcell. lib. 5. ff. in l. 35. de relig. & sumpt. fund.*

Lu-

Ludus.

VAria fuerunt ludorum genera. Alij honesti, & verecundi. Alij impudici, & infames, vt patet ex. *glos. Verbo Ad ludos in l. Annuam 6. ff. de ann. legat.* ibi. Ad ludos sacros, quibus honestas, & verecundia moribus castis seruata perseuerat &c. & ibi. Aliud si impudicos, nam tunc non præstaretur in perpetuum, sed nullo modo, vel in aliud opus reip. expenderetur de primis, sic ait *l. 1. C. de spectac. lib.* 11. Non inuidemus, sed potius cohortamur amplectenda populi felicis studia Gymnici, vt agonis spectacula reformentur &c. Promptius permittimus, vt integra voluntas est, quæ volentium celebratur expensis, *& in l. vnica C. de Maium eod. lib.* ibi. ita vt seruetur honestas, & verecundia castis moribus perseueret. De secundis sic dicit *l. vnica C. de Gladiator. eod. lib.* Cruenta spectacula in otio ciuili, & domestica quiete non placent.

Alij sunt ludi, in quibus pecunia fortunæ comittitur viribus, vt in tabulis, aleis, & alijs, quam plurimis, qui omnes sunt prohibiti personis Ecclesiasticis, vt in *Auth. de Santiss. Episcop. §. Interdicimus autem iuxta finem* ibi. Interdicimus autem Sanctissimis Episcopis, præsbiteris, Diaconibus, & subdiaconibus lectoribus, & omnibus alijs cuiuslibet venerandi Collegij, aut schematis constituti ad tabulas ludere, aut alijs ludentibus participes fieri, aut inspectores &c. *vbi glos. Verbo Schematis* quærit sic. Quid de Schachis? & respondet, possunt, cum non fortunæ viribus, sed naturali ingenio consistat ille ludus. Item nunquid ad tabulas gratis possunt? responde non &c.

Prohibitus est etiam alearum ludus non solum Ecclesiasticis, sed etiam secularibus vt est optima *l. vlt. C. de religios. & sumpt. fun.* Alearum vsus (inquit Imperator Iulian.) antiqua res est, & extra operas pugnatorum concessa. Verum pro tempore prodijt in lacrymas multa millia extranearum nationum suscipiens. Quidam enim nec ludentes, nec ludum scientes, sed numeratione tantum, proprias substantias perdiderunt, die noctuque ludendo argento, apparatu, lapidibus, & auro. Consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare, idest Deo maledicere conantur: & instrumenta conficiunt. Commodis igitur subiectorum prospicientes hac generali lege decernimus, vt nulli liceat in publicis, vel priuatis locis, vel domibus ludere, neque inspicere, & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur, & actionibus competentibus repetatur ab ijs, qui dederunt, aut eorum hæredibus: aut his negligentibus, & eorum procuratoribus, vel patribus, seu defensoribus, repetat fiscus non obstante, nisi quinquaginta annorum præscriptione. Et ibidem reseruantur quinque ludi, qui permittuntur, sed non vltra vnum solidum, licet ludentes sint diuites.

Prædicta autem lex approbata est per Sacros Canones *in cap. Episcopus, & ibi glos. 35. dist. & in cap. Clerici* 15. ibi. ad aleas, & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint *de vit. & honest. cler. vbi notat Abb. & in capit. Inter dilectos* 11. *de excess. prælat.* ibi. Nos tamen qui ex officij nostri debito pestes huiusmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuosos (occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis materiam deuenitur) penitus improbamus. Et cum ita sit nihil aliud videmus magis in vsu, quam ludum, & quod peius est inter Ecclesiasticos; si eos talis vsus (vt melius dicam) abusus, & corruptela excuset, vi-

viderint ipsi, cum vsus perniciosus non debeat esse impunitus, vt *dixit glos.* 2. *in cap. continebatur* 8. *de homicid.* Nec nouum est, quod ludi sint de iure Codicis, & Pontificio prohibiti, cum etiam olim iure ff. iam fuissent, *vt in l.* 2. *ff. de al. lus. & aleat.* ibi. Senatusconsult. vetuit in pecuniam ludere præterquam si quis certet hasta, vel pilo iaciendo, currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat.

Indignos, & pessimos, imo seruiles, & quorum effectus iniuria est, ludos exercere. Quis enim ludos appelleteos ex quibus crimina oriuntur? dicit *imperat. Iust. in proœm. Digestorum.*

Si in alea rem vendam, aut ludam, si euincatur de euictione teneri non debeo, ita dicitur *in l.* 2. *ff. quar. rer. act.* & ab ea deduxit *glos. Verbo Ad aleas in cap. pen. de vit. & honest. cler.* ibi. & si quis existens in alea rem vendiderit, non tenetur de euictione.

In eadem glos. sic quæritur. Nunquid potest repeti, quod perditur in alea? & respondet. Dicunt quidam, quod non, sed pauperibus est eroganda pecunia illa. Nam cum turpitudo versatur in vtraque parte, melior est conditio possidentis. Alij dicunt, & melius, quod possit repeti, & prius dixerat altera *glos. quæ est vlt. ff. de alc. lus. per tex.* ibi. Aduersus parentes, & patronos repetitio eius, quod aleæ lusum est, vtilis ex hoc edicto danda est, & clarissime decisum est *in d. l. vlt. C. de relig. & sumpt.* relatis verbis, ibi nulla sequarur condemnatio, sed solutum reddatur, & actionibus competentibus repetatur. Vnde quæstio talis disputatione non indiget. Si tamen cupis videre disputatam cum alijs quatuor, scilicet an valeat consuetudo in contrarium. An ex mutuo facto in ludo oriatur actio. An valeat transactio ibi facta, & an rem vendens in ludo teneatur de euictione lege *Abb. in d. cap. Clerici de vit. & honest. cler. à num.* 12. cum sequentibus.

Lusor est fortunæ tentator, dicit *Bald. in rubr. C. de condict. ob turp. caus.*

Qui per lusum fugauit pecus tenetur de damno, *vt in l. In furti* 51. *ff. de furt.* ibi. Cum eo qui pannum rubrum ostendit, fugauitque pecus &c. Sed & si non furti faciendi causa hoc fecit, non debet impunitus esse, lusus tam perniciosus.

Luxuria.

HAec propriè intelligitur de carnis delictis, alias minus proprie cuiusque rei abusio dicitur luxuria, vt dixit *glos. Verbo per luxuriam in l.* 1. *ad fin. ff. de ædil. edict.* ibi. Per luxuriam proprie, vel dic propter abusum vini, nimium cuiusque enim rei dicitur luxuria, *vt in l. ex damni* 40. *ff. de damn. infect.* ibi. Licet enim in hoc magna erogatio facta est, attamen ex damni infecti stipulatione moderatam æstimationem faciendam: quia honestus modus faciendus est, non immoderata cuiusque luxuria facienda, & ibi notat *glos. luxuria* idest prodigalitas, *& in l. Et mulieri*, quæ luxuriose viuit ff. de curat. fur. *vbi glos.* vtrumque intelligit dicens. Nota Interdici bonis meretrici. quia prodiga est suæ personæ, per quod præsumitur, & rerum, vel di: luxuriose prodigali luxuria &c.

Luxuria igitur propriè sumpta, est appetitus inordinatus venereorum secundum *S. Thomam* 22. *quæst.* 153. Res veró venereæ sunt antecedentia ipsum scelus: scilicet apparatus, colloquia, locus constitutus conuiuia, basia, tactus, nam ab ipsis argumentum sceleris inducitur, vt in *Topic. Marc. Tull. Cic.* vnde versus.

Visus, & alloquium, tacitus post oscula factum.

ita ponit *glos. Verbo in ipsis in l. quod ait 23. ff. ad l. Iul. de adult.*

Maritorum luxuria vxores valde exasperat habes Verbo *Maritus*.

Non amplius habebit castitatem luxuria dicitur *in Auth. de restitut. & ea quae par. §. vlt.* à quo deducit *glos. vlt. in l. His solis C. de reuocan. donat.* ibi. Nec enim amplius castitate debet haberi luxuria, *& glos. Verbo volumus in cap. Statutum 15. de haret. lib. 6.* ibi. Et hoc æquum ne plus habeat luxuria, quam castitas, *glos. vero vlt. in l. Si ea 22. C. ad l. Iul. de adult.* vbi adulterium non accusatur eius, quæ meretricis more venalem se præbuit, infert ita, sic ergo habet plus luxuria, quam castitas, *& in cap. Fraternitatis 34. dist.* vbi post mortem vxoris, quis habens concubinam permittitur ordinari cum alias non permitteretur si habuisset secundam vxorem, *ex quo glos. verbo, Non patitur, ibidem* sic dicit. Ecce casus, vbi plus habet luxuria, quam castitas: quia castus repelleretur si contraxisset cum secunda; sed fornicator non, ad idem facit *cap. Quia circa 6. coniuncta glos. de bigam.* ibi. Nota mirabile, quod plus habet luxuria, quam castitas. Ratio posita per *glos. verbo non patitur*, non placet, ideo illam non refero.

Videtur autem assignari *in cap. Debitum de bigam.* ibi. cum duo sint in coniugio videlicet consensus animorum, & commistio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in Spiritu inter Deum, & iustam animam ad quod pertinet illud, quod dicit Apostolus, qui adhæret Deo est vnus Spiritus cum eo: Reliquum vero designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum, & Ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod *Euangelista* testatur. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: profecto coniugium illud, quod non est comistione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per incarnationis misterium est contractum: iuxta quod Paulus exponens illud, quod dixerat Protoplastus. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, & propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, statim subiungit, hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo, & Ecclesia. Cum ergo propter Sacramenti defectum inhibitum sit ne bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad Sacros ordines promoueri, quoniam nec illa est vnica vnici, nec iste vnus vnius &c. Si ergo non obstante defectu Sacramenti permittitur secundum, & alia plura matrimonia, contenti sint bigami, cum hoc, sed maneant irregulares, nec ob id plus habent luxuriosi, qui vxores nō duxerunt, cum ipsi non habuerint, nec contraxerint talem Sacramenti defectum, & satis puniti sint in admissione peccati, in quam bigami non incidunt, & sic, qui in vno oneratur, in alio non grauatur, & contrario, qui in vno releuatur in alio grauatur:

Ad tex. vero *in l. Si ea 22. C. ad l. Iul. de adult.* facilis est responsio. Nam ibi non habet plus luxuria, quam castitas, quin potius in odium luxuriæ non excusatur ibi adulterium, seu stuprum, vt ibidem intelligit, *glos.* Ex eo enim, quod illa cum non esset meritrix, sed virgo, & meritricio more se venalem præbuit, non poterit accusari stuprum.

Pessima est luxuria, & non solum ei, qui in illam incidit nociua, sed etiam ei, cum qua contrahit luxuriosus, optimum inuenies tex. id probantem *in l. Si quis 8. ff. pro empt.* vbi contrahens cum

tum luxurioso non vsucapit, etiam emendo, & pecuniam ei pro re empta, dando lege ibi hęc quomodo enim mala fide emisse videtur, qui à domino emit? nisi forte, & is, qui à luxurioso,& protinus scorto daturo pecuniam, seruos euenit non vsu capit.

Si illam pessimam dicimus luxuriam, quæ naturaliter, sed non legitimè exercitur, quo nomine appellabimus illam, quæ contra naturam? non adest, nec inuentum fuit nomen quo declararetur, ideo nefandum dicitur, quia fari nequit, & per antonomasiam videtur illam appellare Imperatorem, scelus in *l. Cum vir* 31. *ff. ad l. Iul. de adulter.* Cum vir (inquit) nubit in fæmina viros paritura, quid cupiatur, vbi sexus perdidit locum? vbi scelus est, quod non pro fuit scire? Vbi venus mutatur in alteram formã? vbi amor quæritur, nec videtur? Iubemus insurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel futuri sunt rei.

DE LITTERA M.

Magister.

QVi magis, quam cæteri diligentiam, & sollicitudinem, rebus quibus præsunt, debent, hi Magistri appellantur, ita *l. quibus præcipua cura* 57. *ff. de Verb. sig. & ibi glos. verbo appellantur* sic. Nota in docente exigi solertiam; exigitur etiã fides, & scientia. Ideo dicebat Christus Nicodemo, tu es Magister in Israel & hæc ignoras? in quo differat Magister à doctore, vide *glos. & Card. in Clem.* 1. *de magistr. Host. in sum. eod. tit.* §. 1. Magistri etiam dicuntur cuiuslibet artis, etiam mechanicæ, vt in *d. tex. & glos.*

Magistros studiorum doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia ait *l.* 7. *C. de professor. & med. vbi glos. verbo Moribus*, ait scilicet, qui omnes diuitias excedunt, & in *l. vnic. C. de professor. qui in verb. Constant. lib.* 12. *sic.* Si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstrauerint, si docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque disserendi se habere patefecerint, & cætu amplissimo iudicante digni fuerint æstimati; cum ad viginti annos obseruatione iugi, ac sedulo docendi labore peruenerint placuit honorari, à quo tex. deduxit *glos. verbo, quorum in proœm. Instit.* ibi. Eligendus est enim talis Magister, qui in se laudabilem vitam probis moribus monstrauerit, & peritiam docendi, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem, & copiam disserendi se habere patefecerit.

Magister etiam debet esse humilis, & benignus auditoribus, & humiliter docere, non cum austeritate, & potentia. Austeritatis enim nimiæ increpatio, nec correctionem recipit, nec salutem. Et nimia sæuitia præceptoris, culpæ comparatur. Modica tamen, & leuis coerctio conceditur magistro, ita vt excommunicationem non incurrat. Hæc sæuiendi audacia, debet concedi, nec paterna diligentia omitti, ita ponit *glos* 1. *in cap. vlt. de maior. & obed. & in l. Item quæritur* 14. §. *Iulianus ff. locat. sic tex.* Quamuis enim magistris leuis castigatio concessa sit, tamen

hunc modum non tenuisse.

Magister nobilitatur per Scholarem, vide verbo Nobilitas.

Magistros litterarum pro necessarijs artibus, vel liberalibus disciplinis, nec non picturæ professores (si modo ingenui sunt) hospitali molestia, quoad viuent liberari præcipimus ait *l. 8. C. de Metat. lib. 12.* Eos autem, qui primis litteris pueros inducunt non habere vacationem Diuus Antoninus rescripsit: sic dicit *l. vt gradatim §. quoties ff. de muner. & honor. idem l. 2. §. vlt. ff. de vacat. muner.*

In magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non nouit, ita *capit. Cum in magistrum 49. de elect. idem cap. Ordinatoe 59. dist. & cap. Officij 38. eod. tit. de elect.* ibi. Maximè pro eo, quod antequam esset discipulus, voluit esse magister, *& in cap. 1. in fin. 48. dist. sic.* Miserum est eum fieri magistrum, qui nec didicit esse discipulus.

Quid iniquius est, quam impia sapere, & sapientioribus doctoribusque non credere? Sed ad semetipsos recurrunt, & ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt, ita ait *capit. Quid autem 24. quæst. 3. & glos. verbo Anteponunt in Extrauag. vnica de relig. dom.* sic. Qui non ad propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, non ad Euangelicas authoritates, sed ad semetipsos recurrunt, magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt.

Magistris pro dignitate natalium mercedes præstantur. ita ait *glos. in l. quaro 65. ff. de iur. dot.* sed non dicit ibi, ista dignitas natalium, an consideranda sit ex parte magistrorum, an verò ex discipulorum, tamen in *l. Cum plures 13. §. cum tutor ff. de admin. tut.* ex parte discipulorum dicit ibi. In primis mercedes praeceptoribus non quantas minimas poterit, sed pro facultate patrimonij pro dignitate natalium constituet, & alimenta seruis &c. Alia vide Præceptor.

Magistratus.

QVatuor esse ordines magistratuum notat *glos. Verbo Tribuuntur in l. 1. ff. de offic. eius cui mand. est iurisd.* sic dicens Illustres spectabiles, & clarissimi, & simplex magistratus. *Ias. vero in eadem l. 1. num. 1.* dicit sic. Ad euidentiam premitte secundum *Bart.* quod magistratuum quinq; sunt ordines super illustres, illustres, spectabiles, clarissimi, & infimi. Et quia materiam accuratè vltra alios expeditè, agit tu eum vide.

Magistratus municipales dicuntur priores Ciuitatis, vt deducitur ex *glos. in l. Item magistri ff. de pact.* dicuntur etiam defensores Ciuitatis, vt per *Bar. in l. Ea qua §. Magistratus num. 1, ff. ad municip.* & cognoscunt tantum de vilibus causis, vt per eundem *in l. 1. num. 1. ff. de offic. eius.*

Potest, quis inuitus cogi, ad magistratum, vt dicit *glos. Verbo Nolentes in l. vlt. C. de Silentiar. lib. 12.*

Magistratus potest conueniri, inquit *glos. verbo in facturi l. Quemadmodum 29. §. Magistratus ff. ad l. Aquil.* de quo vide *Bart. in l. Nec magistratibus numer. 1. ff. de iniur.* Et quod possit accusari durante tempore officij, quando accusatio est tempore peritura idem *Bart. in l. Marito §. Illud num. 1. ff. ad l. Iul. de adult.*

Ma-

Magnificentia.

Est virtus in expendendo magnitudinis factura. Pusillanimitas autem contraria *Arist. lib.1. Rethor. & lib. 4. Ethic.* dicit, quod non versatur circa omnes res pecuniarias, sicut liberalitas, sed solum ad sumptuosas pertinet, & sic liberalitatem magnitudine excedit; Et subijcit, quod qui in paruis aut mediocribus pro dignitate sumptus facit, hic magnificus non dicitur: sed is, qui in magnis facit sumptum conuenientem operi, itaut opus dignum sit illo sumptu, & sumptus dignus illo opere, & hæc faciet magnificus cum voluptate, ac profusione quadam: nam computandi rationandique diligentia, magnificentiæ contraria est, itaque magis cogitabit quemadmodum pulcherrimum, & speciosissimum sit, quod sit, quam quanti constet. Et paulò post inquit, quod in omnibus ad agentem habetur respectus quis ipse sit, & quibus præditus facultatibus, quia non sufficit opus illud dignum esse illo sumptu, sed etiam oportet authorem decere, & ideo infert pauperem magnificum esse non posse, cum ei non adsit, quod cum decentia erogare possit, & si faciat fatuus est. Deinde adijcit, quod magnifici est domum parare diuitijs congruentem, & illis maximè sumptus facere quæ sunt permansura diu. Et sic magnificentia est sublimis quædam liberalitas circa sumptus ingentes, & magnos, vt siquis ad vsum populi theatrum ædificet. *In Auth. de consul. §. 1. in princ. coll. 4.* sic dicit Imperator. Non enim ad plurimos venit magnitudo substantiæ transcendens etiam magnificentiam animæ non mensura rei, sed propria magnitudine proueniens, quem *glos. ibidem Verbo Transcendens,* sic explicat. Non transcendens mensuram rei, vt expendas plus, quam possis, sed secundum propriam mensuram proueniens exanimi virtutibus.

Magnificus etiam Rex dici potest. Et magnificentia epitheton est etiam Regi conueniens eo quod magna facit. Et sic in *cap. Nouit de offic. legat.* Papa magnificum vocat Francorum Regem ibi tuæ magnificentiæ respondemus, vbi *notat Abb. post num. 2.* dicens, quod hoc verbum, Magnificentia, conuenit tantum Regi, & satis patet ex vocabuli Etymologia, nam dicitur magnificentia, quasi magna faciens, & sic magnificus, quasi magna pertractans. *Bart. autem in l. In his quæ C. de præd. nauicula lib. 11.* dicit, quod ad probandum hominem magnificum, seu magnanimum præsumitur ex magnitudine ædificiorum.

Maior.

Appellatione maioris venit maior viginti quinque annorum, vt dicit *glos. verbo Perfecta in §. Ita tamen de fiduc. tute in Instit* ibi. Nam quoties fit mentio de ætate perfecta, vel de maiore annis, de viginti quinque annis intelligitur per tex. *in l. vlt. C. de his, qui ven. ætat.* ibi. Et legitimæ ætatis fecerit mentionem, vel si se absolutè dixerit perfectæ ætatis, illam tantummodo ætatem intellectam esse videri volumus, quæ & viginti quinque annorum curriculis completur coniuncta *l. Cum filio 48. §. vlt. ff. de legat. 3.* Nisi in matrimonijs, in quibus maior intelligitur, scilicet duodecim annorum fœmina, & quatuordecim annorum masculus, alia habes in verbo ætas.

Maiores idest ascendentes post tritauum. Nam parentes vsq; ad tritauum, apud Romanos proprio vocabulo nominantur:

tur: vlteriores, qui non habent speciale nomen maiores appellantur, vt inquit *Paul. in l. Iurisconsultus 10. §. Parentes ff. de gradib. & Vlpian. in l. 4. ff. de in ius voc.* Et quidam vsque ad tritauum parentem appellari aiunt: Superiores, maiores dici &c. sed in materia de qua in illo tit. vt scilicet descendentes non posint sine venia in ius vocare parentes intelliguntur parentes vsque in infinitum, & ita obtentum fuisse testatur ibidem Vlpianus. Propriè vero dictum verbum, Maiores, vltra tritauum intelligitur, vt per *glos. verbo Maiores in l. 1. C. de impon. lucr. descript. lib. 10.* ibi. Licet propriè vltra trinepotem, & tritauum comprehendant. Et qui maiores intelligantur *Vid. Anchar. in repit. cap Canonum statuta de Constitut.*

Maiores natu dicuntur nobilitate, antiquitate, dignitate, scientia, ita ponit *glos. vlt. in cap. lex est 2. dist.* Maioritas enim consistit in multis, *vt per glos. verbo Maioris in cap. Si pluribus 24. de prabend. lib. 6.* & allegat *cap. Super eo 22. de test.* ibi, Vir superior est diuitijs & nobilitate, potentia, vel honore, & ibidem *in d. cap. Si pluribus*, maioritas intelligitur de præbenda maioris valoris, *& in cap. Sedes 15. de rescript. glos. Verbo. Maiores* Verbum istud multis modis intelligit. Quam videas. Si placet.

Ego dico maiorem, qui iustior est, vt dixit *Ex Chrisost. glos. Verbo sublimitatem in extrauag. vnica de prabend.* ibi. Nam non qui maior est in honore ille est iustior, sed qui fuit iustior, ille maior.

Dicitur autem maximum, quod principalem gradum tenet. Nam superlatiuum vni soli competit, ita inquit *glos. Verbo Caterum in Clem. Exiui de verb. sig.*

De maiori parte dicis infra Verbo Pars.

Mala fides.

HAec dicitur, quod sit vitium personæ respectu possessionis, & ita ponit *Bald. in l. Siquis diuturno in addit. num. 5. ff. si seru. vend. per l. vitia possessionum* à maioribus contracta perdurant, & successorem authoris sui culpa comitatur. *C. de acquirend. possess.*

Et malæ fidei possessor dicitur, qui habet conscientiam rei alienæ, *vt in cap. Si virgo 34. quast. 2.* ibi. Sicut in iure prædiorum tandiu quisque bonæ fidei possessor rectisimè dicitur, quandiu se posidere ignorat alienum. Cum vero scierit, nec ab aliena posesione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibetur: tunc iustè iniustus possessor vocabitur, & facit *l. Sed si lege 28. §. De eo ff. de petit. hared.* ibi. Quod si ab initio quidem iustam causam habuit adipiscendæ posesionis: postea verò conscius ad se nihil hæreditatem pertinere, prædonis more versari cæpit &c. Parui enim refert ab initio quis dolosè in hæreditate, sit versatus, an postea hoc facere cœperit, notat *Abb. in cap. vigilanti num. 1. de prascript.* ibi. Nota secundo, quod is dicitur possessor malæ fidei, qui habet rei alienæ conscientiam, per tex. ibi. Aliena se nouerit &c.

Triplex autem est malæ fidei possessor scilicet improbus, improbior, & improbissimus. Improbus est, qui habet titulum, & posesionem ab authore possessore bonæ fidei, ipse tamen emptor est malæ fidei, quia scit rem non esse venditoris. Improbior est, qui à fure, vel inuasore emit scienter. Quidam est improbissimus, sine vllo posidendi colore, vt ipse principalis fur, inuasor colonus posesionis interuersor, creditor post quam est ei satisfactum, ita per iura, quæ allegat tenet *Bald. in*

l. 3.

l. 5. C. de condict. ex leg.

Vnde improbissimus malæ fidei possessor dicetur, qui inuadit possessionem vacantem rei alienæ, hic enim prædo reputatur *in l. vlt. C. vnde vi.* ibi. Sancimus talem possessorem, vt prædonem intelligi, & infra reddit rationem sic. Omnes autem scire debent, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere. Cum talis dispositio in furti actione iam dudum veteribus legibus definita est, dicentibus, Si quis alienam rem aduersus domini voluntatem attigerit, furti actione teneatur.

Improbus malæ fidei possessor præsumitur, qui contra legem mercatur *ex cap. Qui contra de reg. iu. in 6. l. Quemadmodum in fin. C. de agricol. & censit. liber. 11.* ibi. Malæ fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui contra legis interdicta mercatur.

Post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse, quin imo post controuersiam motam, Quanquam enim litis contestatę mentio fiat in Senatusconsulto, tamen, & post motam controuersiam omnes possessores pares fiunt, & quasi prædones tenentur, & hoc iure vtimur. Cæpit enim scire rem ad se non pertinentem possidere is, qui interpellatur, ita dixit *Vlpian. in l. Sed & si §. Etiam ff. de petit. hæred.* quem intellige quo ad fructuum restitutionem tantum, vt per *glos. in l. Item 15. §. vlt. verbo Moram ff. de rei vindic.* vide etiam *tex. cum glos. in l. qui scit 25. verbo percipiendos ff. de vsur.* Cum dicto Vlpiani consonat etiam *l. 2. C. de fruct. & lit. expen.* ibi. Exoluat ex eo tempore, ex quo, re in iudicium deducta, scientiam malæ fidei possessionis accepit. Hæredis quoque succedentis in vitium par habenda fortuna est.

Neque bonæfidei possessores ante controuersiam illatam videntur esse, qui debitum officium pietatis scientes, omiserunt, dicit *l. 1. C. de ijs quib. vt indig.* Loquens de hærede, qui omisit vindicare necem defuncti, qui priuatur hæreditate etiam cum fructibus ante litem motam.

Mala fides semel contracta non desinit ex post facto deducitur *ex glos. 1. iuxta fin. in cap. In causis de pac. Constant.* ibi. Cum enim mala fides sit facti, non potest pro infecto haberi *l. In bello §. facta ff. de capt. & postlim. reuers.* & ponit exemplum V. g. quando per citationem inducitur mala fides, & instantia illa perijt, non tamen illa mala fides perit, cum distinctione tamen de qua ibi. Vnde dicit *glos. vlt. in l. 1. C. de long. temp. præscript.* præsumi, quem malæ fidei, eo quod aliquando fuit.

Non omnis emptio proderit, sed ea, quæ bonam fidem habet. Proinde hoc sufficit me bonæfidei emptorem fuisse, quamuis a non domino emerim, & ille callido consilio vendiderit. Neque enim dolus venditoris mihi nocebit. In hac actione non oberit mihi si successor sim, & dolo feci, cum is in cuius locum successi bona fide emisset, nec proderit si dolo careo, cum emptor, cui successi dolo fecisset, ita dicit *l. Eum, qui 8. §. Prætor ait ff. de public. in rem.* qui intelligi debet, quo ad effectum actionis publicianæ, de qua in eo tit. agitur.

Notabile est argumentum, quod facit *glos Verbo contra in d. §. Prætor ait per tex.* ibi. Sed enim si seruus emerit, dolus eius spectandus est, non meus, vel è contra; Dicens sic. Et ex hoc sume argumentum, quod inspiciatur bona fides procuratoris, & non domini Filij, & non patris; Et ratio est, quia titulus fundatur in persona ipsius contrahentis: ergo acquirens habet vti adminiculo ex persona eius.

Malæ fidei possessores eius, quod in rem alienam impendunt, non eorum negotium gerentes, quorum res est, nullam ha-

habent repetitionem: nisi necessarios sumptus fecerint. Sin autem vtiles, licentia eis permittitur sine læsione prioris status eos auferre, ita *l. Domum 5. C. de reiuend.*

Mala fides in dubio non præsumitur, nisi probetur, vt dicit *glos. in l. Non ex eo, quod* duplum qui à matre tua comparauit euictionis nomine stipulatus es, alienæ rei scientia conuincitur: nec opinio eius ex hoc læditur, vt malæ fidei emptor existimetur *C. de euict.*

Quando autem præsumatur vide plures casus *per Bertach. in relatos hoc verbo.*

Maledicere.

DE Deo est, quomodocunque verba turpia cõtra Deum proferre etiam excommuni vsu, vt notatur *in cap. 1. & 2. de maledic.* Et si de Papa maledicat quis punitur *in d. capit. 1. vbi notat glos. Verbo Temeritate*, quod Papa non mandat ibi puniri talem iniuriam ratione personæ, sed quatenus contingit Romanam Ecclesiam, quam iniuriam remittere non posset; sicut potest Imperator, & Princeps de quo maledicitur. Nam *in l. Vnic. C. Siquis Imp. maled.* sic legitur. Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus &c. maledicto nomina nostra crediderit lacessanda &c. nolumus eum pœna subiugari, neque durum aliquid nec asperum volumus sustinere: Quoniam si id ex leuitate processit, contemnendum est: si ex insania; miseratione dignissimum, si ab iniuria, remittendum. Quamuis *glos. ibidem Verbo Remittendum* intelligat, ad ipsum Imperatorem, non ab ipso, quod probat ex eod. tex. ibi. hoc ad nostram scientiam referatur, vt ex personis hominum dicta pensemus, & vtrum prætermitti an inquiri debeant censeamus. Nostris temporibus vidimus quendam male dicentem, qui vt insanus missus fuit in hospitale dementium, & ibi vti talis tractatus, ad maiores migrauit.

Malitia.

HOminum succrescente malitia, quod prouisum est ad remedium tendit ad noxam dicit *Pontif. in cap. 1. de excep. lib. 6.* Quid enim homo ad malitiam semel deditus non adinueniat? *Imperat in Auth. vt ij, qui oblig. se hab. perhib. res min. §. 1. coll. 6. & ibi glos. verbo Adinueniat* sic. Nota malitiosum omne malum posse cogitare, ibidem per eadem verba *glos. Verbo Machinationis in prooem. Clement.* Multæ enim sunt viæ hominum ad malitiam inquit *glos. verbo Elusionem in cap. Pro illorum de censib.* Et sunt tot vt omnibus viam præcludi non possit, malas enim hominum voluntates ad plenum cohibere non possumus. Nihil enim est, quod homo semel deditus malitiæ non adinueniat, dicit *glos. verbo Possibile in cap. vt circa 4. de elect. lib. 6.*

Malitia sua cuique non debet esse lucro; *probat l. Apud 4. §. Item quæritur vers. Marcellus ff. de dol. except.* ibi. Iniquum esse communem malitiam petitori, quidem præmio esse: Ei vero, cum quo ageretur, pœnæ esse, cum longe æquum sit ex eo, quod perfidè gestum est actorem nihil consequi, *& in l. 1. ff. de dol.* ibi. Ne illis sua sit malitia lucrosa, vel istis simplicitas damnosa, & in *l. Si legatarius 25. C. de legat.* ibi. Vt non accipiat fructum suæ calliditatis, qui voluit hæredem hæreditate sua defraudare, vel huiusmodi legatũ illi quidem auferatur, maneat autem, quasi pro non scripto apud hæredem: vt qui alij nocẽdum esse existimauit, ipse suam sentiat iacturam.

Neque malitijs indulgendum est, si tectorium, puta quod induxerit picturasque

cor-

radere velit nihil laturus, nisi vt officiat *l. Infundo 39. ff. de rei vendic.* nota tex. qui quotidie potest dedudici in practicam, *& in cap. Plerumque 23. de rescript.* ibi. Cum igitur non sit malitijs hominum indulgendum. Sed magis punienda est malitia, quam negligentia, dicit *glos. verbo Grauiori in cap. Nihil 44. de elect.* quod deduxit à cap. *Ad falsariorum 7. de crim. fals.* ibi. Vt in istis, & illis malitia grauius, quã negligentia puniatur.

Nota quod propter malitiam alicuius cõuincendam citari debet ex abundanti, ita dicit *glos. In casus positione ad fin. in cap. Cum olim 7. de dol. & contum. per tex.* ibi. Volentes igitur adhuc misericorditer agere cum absente, vt eius malitia conuincatur &c. legitimè citetis.

Cum in eis ætatem suppleuisse malitia videatur, *dicit cap. de illis 9. de dispensat. impub. l. Si alterius C. si min. se mai. dix.* ibi. Cum malitia suppleat ætatem, restitutionis auxilium tam sacris constitutionibus, quam rescriptorum authoritate denegari statutum est.

Malitias litigantium compescendas dicit *Clemen. vnic. de sequest. possess.*

Malitia augetur ex laude, *dicis Verbo laus.*

Arbitror hoc ex malitia nostra ortum habere, vt quemadmodum nos fallaces sumus, & tales nos cognoscimus, tales cæteros arbitramur, Nam quia sæpius Deo, & hominibus, ego sum mentitus, arbitror neminem mihi promissa redditurum, dixit *Oleast. Super Genes. cap. 35. in moral.*

Sed qualiter malitia probatur? quærit *glos. verbo. Nullatenus in cap. Super litteris in fin. de rescript.* & respondet Certe ex perspicuis inditijs, puta ex qualitate personæ, & ex forma rescripti.

Cum renunciatur improbitati statim adijcitur virtus. Egressus enim malitiæ, virtutis operatur ingressum, eodemque studio, quo crimen excluditur innocentia copulatur, *dicitur 33. quæst. 1. c. Cum.*

Malum, & Malus.

Ex vno malè initiato regimine mala multa sequuntur; nam ad vnum malum frequenter aliud sequitur, inquit *glos. Verbo Peruenerunt in Extrauag. vnica de maior. & obed.*

Cuius causatum est malum, ipsum quoque malum est dixit *glos. vlt. in cap. Cum Clerici 11. de censib.* Malum autem præcedens aggrauatur per subsequens ab illo, vt per *glos. verbo & adulterio in cap. Sicut 9. de testib.* Et malum ab homine frequentius nullum pertinacius, vt dixisti *verbo Homo.*

Amare mala, maximum malorum est, vt dixit *Senec. Epist. 39.* ibi. Et mala sua (quod malorum vltimum est) amant, & alia habes *Verbo Voluptas.* Nullum tamen sine autoramento malum est. Auaritia pecuniam promittit &c. inquit idem *Senec. Epist. 70.* Vbi etiam hæc. Nullum malum gloriosum est, mors autem gloriosa est, mors ergo non est malum, & comprobat esse quid indifferens; & sic mors inter illa est, quæ mala quidem non sunt, tamen habent speciem mali &c. Illa quoque res morti nos alienat, quod hæc iam nouimus, illa ad quæ transituri sumus; nescimus qualia sint, & horremus ignota.

Sub obtentu boni, malum non est faciendum sic dicit *glos. 1. in cap. 3. ne Cler. vel Monach.* vbi inuenies quando malum permittitur, vt maius euitetur.

Non est inconueniẽns, aut impossibile, vt bonum male acceptum producat malum, quemadmodum quandoque malum bene acceptum producat bo-

num, vt dicit *Augustin. sup. Euangel. Ioann. Et ex hoc inquit glos. Verbo, credatur, in capit. vides 23. quaest. 6.* quod nunquam creditur fuisse malum, quod factum est bonum per tex. ibi. vt in ea nunquam fuisse credatur.

Absit quod ea, quae propter bonum facimus nobis imputentur, si praeter voluntatem nostram alicui malum contingat, ita ait *glos. vlt. in cap. Ioannes 23. de homicid.* quin imo malum factum excusatur per bonam intentionem, & si bono zelo fit propter bonum, vt dixit *glos. per tex. ibi in cap. dixit Sara verbo praetexuit 32. quaest. 4.*

Diffugiendum quidem, quod malum est, inueniendum verò vndique, quod melius est, dixit *Imp. in Auth. quib. mod. nat. effic. sui coll. 7. & addit. Pontif. in Clem. exiui de verb. sig.* sic. Cum non solum, quod malum esse dignoscitur, sed & omne, quod speciem habet mali, sit à viris perfectis specialiter euitandum, & *glos. not. 1. in cap. Constitutus 4. de pact.* sic. Item nota, non solum à malo, sed etiam ab omni specie mali, abstinendum esse, per tex. ibi. Quia igitur huiusmodi transactiones speciem continent Simoniae &c.

Insuper aduerte, quod nisi fiat, quod bonum est, à malo abstinere non sufficit, vt dixit *Pontif. in Clem. 3. de paen. & deducit Bart. in sum. ex tex. ibi in l. Illa 50. ff. de verb. sig. & glos. in l. Qui liberos 19. in fin. ff. de rit. nupt.* sic. Nota facere videtur malum, qui non studet ad bonum. *Et Hieronym. ad Rustic.* ita. Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus, quin potius faciendum est bonum, vt declinemus à malo.

Sicut plura bona sunt paucioribus anteponenda, sic & pauciora mala, pluribus malis dixit *Cic. in Topic. cap. 22.*

Mala proximorum non praesumat prius quisquam credere, quam probare: mala vero audita nullum moueant: nec passim dicta absque certa probatione quisquam vnquam credat, sed ante audita diligenter inquirat: ait *cap. Deus omnipotens 2. quaest. 1.*

Aliquando homines, non nisi suo malo docti, intelligunt, quid sit vtile; cum deberent sapere ante acceptum incommodum, & vltro potius, quam coacti, imperata facere dixit *Ioseph. de antiquit. lib. 13. cap. 9. num. 30.*

Is mos est malorum omnium, vt quoties aliquod nefarium facinus aggrediuntur, nihil non sibi permittant nullo respectu diuini numinis; cum autem suis sceleribus inciderunt in periculum, tum demum in mentem venit Deus, per cuius inuocationem, & testimonium volunt eripi fingentes se cuncta illius arbitrio permittere idem *Ioseph. lib. 17. antiquit. cap. 9.*

Mali nec bonum habere merentur dixit *glos. vlt. in l. vnic. C. de integrat. lib.* Quin imo acta praua malorum, potius quam verba sententiarum, ipsos faciunt paena condignos. Et eo ipso, quod quis peccat, correctionem meretur: & quanto plus differtur punitio, tanto plus paena crescit, & gentibus perniciosius in exemplum transit, sic ait *Extrauag. qui sint rebell.* Eo autem ipso, quod quis parcit malo, intelligitur nocere bono dicit *glos. verbo Dispensationem in cap. 1. de pac. constan.*

Non debet esse melioris conditionis malus, quam bonus, dicit *glos. in l. Non solum 13. verbo Praedonis ff. de noxal. act. per tex.* ibi. Nam absurdum videretur eos quidem, qui bona fide possiderent excipere actionem, praedones verò securos esse. Quando verò videmus malignum ditescere non subruamur, & quando videmus bonos mala pati, non turbemur; illic corona, illic supplicia. Est, & alia ratio; quia non potest, vel malus in omnibus esse malus, sed habeat aliqua bona: neque bonus in omnibus esse bonus, sed ha-

habet aliqua peccata, Cum ergo prosperitatem malus habet malo capitis sui est, ita *Chrisost. relatus in cap. quid ergo 3. dist. de pœnit.*

Sanctius est autem prodesse etiam malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos; dixit optimè *Senec. lib. 4. de benef. cap. 28.* cui consonat illud *August. in lib. Enchirid. cap. 27.* melius enim iudicauit de malis benefacere, quã mala nulla esse permittere.

Procliuis est malorum æmulatio, & quorũ virtutes assequi nequæas, cito imitaris vitia, dixit *Hieronym. ad Latam.* Vnde videbatur, quod facienda est separatio malorum a iustis, & tamen *August. relatus in capit. pen. prope fin. 7. quæst. 1.* contrarium his verbis asserit. Maius malum cõmittimus in separatione bonorum, quam in coniunctione malorum fugiamus. Tali non imputat Deus sua peccata, quia non fecit, non aliena, quia non approbauit, non negligentiam, quia non tacuit, non superbiam, quia in vnitate permansit, & ibidem notat *glos. Verbo Abel.* quod qui malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est, quod bonus non est.

Sed plane sæpè, & mali persequuti sunt bonos, & boni malos, illi nocendo per iniustitiam, isti consulendo per disciplinam, illi immaniter, isti temperanter, illi sæuientes cupiditate, isti charitate: nam qui trucidat non considerat quemadmodum laniet: qui autem curat, considerat quemadmodum secet, ille persequitur sanitatem, iste putredinem, idem *August. in cap. Nimium sunt post med. 23. quæst. 4.* & ad fin. sic. Non enim propter malos sunt deserendi, sed propter bonos mali tolerandi.

Non enim, qui bonus permanet polluitur si societur malo, sed qui malus est in bonum conuertitur, si boni exempla sectetur, vt dixit *Hieronym. lib. 1. sup. osee relatus in cap. vlt. 32. quæst. 1.* Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est; quia nonnunquam, quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur, ait *cap. Ancillam 23. quæst. 2.*

Si vero mali non imitantur bonos, flagellis tribulationum sunt cohibendi à malo, & prouocandi ad bonum, vt dum timore pœnæ malum in desuetudinem ducitur, abhorreatur: bonum vero ex consuetudine dulcescat, vt in *cap. vlt. prope fin. 23. quæst. 6.* vbi mali ad bonum coguntur in illis verbis ibi. Si bonum ad quod mali coguntur semper inuiti tolerarent, & nunquam voluntarij seruirent inutiliter cogerentur ad illud &c.

Malorũ mores infirmitas animi non excusat, dixit *glos. verbo Paucis in cap. Matthæus 23. de Simon. & Verbo excusat in cap. 1. de sent. Excom.*

Detestanda est ergo iniquorum peruersitas abstinere nesciens a vetitis, nec gaudere debito modo concessis, vt dixit *Pontif. in capit. 2. de Concess. prab. lib. 6.*

Mandans, et Mandatum.

Appellatione mandantis hortator non venit, vt deducitur ex *l. Si vero 12. §. Cum quidam ff. manda.* ibi. Rogo te, vt commẽdatum habeas Sextilium &c. & ibi non obligabitur mandato: quia commendandi magis hominis, quam mandandi causa scripta est, melior tex. *in l. Ob hæc 20. ff. de his, qui not. infam.* ibi. Non enim, qui exhortatur mandatoris opera fungitur, & ibi *Bald. num. 2.* Nec etiam persuasor venit, vt *ex l. 1. §. Idem Pomponius*, ibi. Sin vero persuaseris mihi &c. tecum nullam esse actionem *ff. deposit.* Nec etiam consultor *ad l. Cum pater 79. §. mando ff. de legat. 2.* ibi. Sed obtentu consilij dis-

differunt namque mandatum, & consilium, vt per *Bald. d. l. Ob hac numer.* 4. Et omnia prædicta ponit *glos. verbo Exhortatur in eadem l.* ibi. Nota qui exhortatur non mandat &c. Item qui cōmendat non mandat &c. qui consulit, vel permittit non mandat &c.

Mandatum autem est officium ab eo, qui gratuito suscepit exhibendum, vt diffinit *glos. in rub. ff. manda.* quam approbat ibidem *Bald. sub num.* 1. Vnde mandatum nisi gratuitum, nullum est; nam originem ex officio, & amicitia trahit; Contrarium porrò officio est merces. Interueniente enim pecunia, res ad locationem, & conductionem pertinet, vt dicit *Paul. Iurecons. in l.* 1. *ff. mand. & in l. Si eum in fin.* ibi. Quod si gratuitæ operę fuerint mandati ages *ff. de exercit. act. vbi glos.* sic mandatum enim gratis habet fieri, *& in l. Si tibi* 13. ibi. Quia & mandata gratuita esse debent *ff. de præscript. verb. & l. Si tibi* 14. *eod. tit.* ibi, Neque mandatum, quia non est gratuitum.

Item mandatum non imponit necessitatem, sicut iussus, vt dicit *glos. in reg. rationabilem lib.* 6. *& glos. iussu in §. Sed hoc de Attill. tut. in Instit.* ibi. Mandatum est, quod non imponit necessitatem, hic iussus, qui importat, *& in §. Nos autem Verbo Iussione eod. tit.* ibi. Quia mandatum est ex voluntate, sed iussus necessitatis. Vnde dixit *Bald. in l. Si mandator C. quod cum eo.* mandatum, propriè fieri personis non obligatis ad obediendum, sed iussus secus, & *glos. verbo, Quemadmodum in l.* 1. *ff. quod iussu* sic. Nota prouerbium rogatio Domini præceptum est, sed mandatum spontaneam obsequij præstationem. Verum minus propriè etiam vtimur hoc verbo mandatum, quando Superior mandat, vt constat *ex tit. de manda. princ. in Auth. coll.* 3. & sic dicitur mandatum Papæ, mandatum iudicis, & alterius cuiusque superioris.

Sicut autem liberum est mandatum non suscipere, ita susceptum consumari oportet, nisi renunciatum sit inquit *l. Si mandauero §. vlt. ff. de mandat. & in l. Si quis* 27. *§. Qui suscepit mandatum* si potest id explere, deserere promissum officium non debet *eod. tit.*

Per generale mandatum posterius, concessum priori speciali non derogatur, quia de illo, in generali mentio non habetur, dicit *glos. Verbo literarum in cap. vlt. de offic. ordin.* E contrario autem speciale mandatum derogat generali, vt dicit *cap.* 1. *in fin. de rescript. Et in cap. Pastoralis* 14. *§.* 1. *eod. tit.* ibi. Cum generali per speciale sine dubio derogatur, *& in cap.* 2. *de offic. lega.* ibi. Quod cum mandatum speciale derogget generali. Sed certe tantum operatur mandatum generale, quoad omnia, quantum speciale, quoad speciem, vt inquit *glos. vlt. in l. Qui mihi donatum* 13. *ff. de donat.*

In generali mandato à republica facto nō venire alienationem rerum suarum dixit *Apostill. per tex.* quem reputat singularem *in l.* 3. *§. Plane ff. quod vi, aut clam.* ibi. Quia & si locorum (inquit) publicorum procuratio data est, concessio tamen data non est.

Commodissime illa forma in mandatis seruanda est, vt quoties mandatum certum sit recedi a forma, non debeat, at quoties incertum, vel plurium causarum, tunc licet alijs præstationibus exoluta sit causa mandati, quam quæ ipso mandato inerat; si tamen hoc mandatori expediat, mandati erit actio: ita ait *l. Si quis* 46. *ff. mandat.*

Ex quo autem mandans nihil excipit in mandato, omnia intelliguntur concessa per quæ peruenitur ad illud, & quicquid posset ipse facere, vt inquit *glos. vlt. in l. Ad rem* 16. *ff. de procurat.* ibi. Cui ergo mandantur sequentia, & præcedentia videntur mandata, per quæ peruenitur ad ea, vt hic &c Sic è contra

tra cui mandantur præcedentia, & sequentia videntur mandata.

Mandatum vero restrictum non extendendum dicit *cap. Cum in illis 16. §. Cum autem de præb. lib.6.* ibi. Expresso enim vno casuum prædictorum, mandatum super hoc factum (quod debet desui natura restringi) ad alios extendi non debet, & in *cap. cui de Sacerdotali 27. eod. tit. & lib.* ibi. Non enim huiusmodi mandata (quorum fines diligenter seruari oportet) debent ad alios casus, quam expressos extendi. Et si aliquid fiat vltra fines prædictos contra mandatum dicitur gestum, eritque nullius roboris, vt in *c. Venerabili 37. ad fin. de offic. deleg.* ibi. Cassauimus &c. quia videlicet abbas contra mandati nostri tenorem ad inquirendum vtrum de dilapidatione suspectus esset Episcopus, eo non restituto processit, & *in cap. Cum dilecta 22. eod. tit.* ibi. Ipsi formam mandati transponentes &c. Propter quod processum ipsorum contra nostri formam rescripti attentatum irritum decernimus, & inanem.

Erit tamen validum si ratum à mandante fuerit, *vt in l. 3. §. Adquirere ff. de bon. poss.* ibi. Quod si me non mandante bonorum possessio mihi petita sit, tunc competere eum ratum habuero, illud, quod actum est.

Nota quod non videtur mandatum, quod de iure fieri non potest, ita dicit *glos. in l. Si procurator 6. §. Celsus ff. de condict. indeb. per tex.* ibi. Quoniam nihil de hoc nomine exigendum mandasse videtur, vbi etiam *Apostill.* sic ait. Nota, quod in generali mandato non venit illicitum concordat *l. 3. §. fin. ff. quod quisque iur.*

Qui patitur ab alio mandari, vt sibi credatur, mandare intelligitur, inquit *l. 18. ff. mandat.*

Mandatarius tenetur de dolo, lata, leui, & leuissima culpa. non vero de casu fortuito; licet quidam dicerent de dolo tantum teneri, *vt ponit glos. verbo, negotia, in l. 2. ff. manda.* ibi. Item cum mea tantum sit vtilitas, videtur solus dolus venire, quod quidam dicunt &c. sed nos indistinctè dicimus eum de omnibus teneri, nisi de casu, expresse *namque ita disponitur in l. 13. C. manda.* in hæc verba. A procuratore dolum, & omnem culpam, non etiam improuisum casum præstandum esse, iuris authoritate manifestum est, & facit *l. Si procuratorem 8. §. Si tutores ff. manda. vbi negligentia mandatarij imputatur tutori,* ibi. Non sunt igitur excusati, quod contutori mandauerint: quia emere debuerunt, facit etiam *glos. verbo Sociorum in cap. Cum in veteri 12. de elect.* ibi. Vnde non videntur seruare mandatum, quod quidem exacta diligentia est seruandum.

Poterit tamen ex pacto, vel remitti exacta diligentia, hoc est leuis, aut leuissima culpa, vel addi etiam, vt teneatur de fortuito casu, vt videtur probari *in l. Naturalis 5. §. Sed et facto ff. de præscript. verb.* ibi. Et potest mandatum ex facto etiam naturam suam excedere, possum enim tibi mandare, vt & custodiam mihi præstes, vbi *glos. super hoc verbo, præstes*, ita dicit, vel dic in mandato loqui, aut ex pacto de leui culpa, non de leuissima teneatur, nam nisi contrarium semper de leuissima tenetur secundum nos. Dixi quod videtur probari, eo quia *in d. l. A procuratore 13. C. manda.* iam clarè constat (vt supra proxime dicis) quod mandatarius teneatur de omni culpa, & non de casu fortuito, & hoc ex natura mandati, dum in *d. §. Sed si* dicitur, quod ex pacto poterit mandatum naturam suam excedere, dat intelligi, quod poterit pacisci, vt teneatur mandatarius etiam de casu fortuito, quia alias si fiat pactum, vt teneatur etiam de leuissima, nihil excedit naturam mandati, cum iam id sit dispositum in *d. l.*

d. l. A procuratore, vbi soli fortuiti casus excipiuntur, de quibus nec mãdans, nec mãdatarius tenetur, vt etiam probatur *ex l. inter causas 26. §. Nõ omnia*, quæ impensurus non fuit mandatori nó imputabit, veluti si spoliatus fuit a latronibus, aut naufragio res amiserit, vel languore suo suorumq; apprehensus erogauerit quædam, nam hæc magis casibus, quam mandato imputari oportet ff. mandat.

Mandatum ligare non debet, nisi ex quo peruenit ad eos, quibus mittitur, dicit *glos. verbo. Post tempus in addit. in cap. 1. de concess. præb. lib. 6.*

Superioris mandatum non est necesse adimplere, vbi ratio non adimplendi potest reddi, sic deducit *glos. in cap. Cum teneamur 6. de præbend. per tex.* ibi. Aequanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum.

Sed ego quæro an reuocare hoc iussum, antequam credatur, possit? ponit *l. 1. ff. quod ius.* & respondit. Et puto posse quemadmodum si mandasset, & postea ante contractum contraria voluntate mandatum reuocasset, & me certiorasset. Quia extinctum est mandatum finita voluntate, inquit *l. Si vero 12. §. penult. ff. mandat.* Potest enim dominus litis mandatũ à simplici procuratore reuocare re integra, sed si esset in rem suam non vt &c. ita *glos. verbo hanc exceptionem in l. Sicut 8. §. 2. ff. quib. mod. pig. sol.* Licet autem reuocetur, quando scilicet posset, tamen interim gesta per procuratorem valent, nec reuocantur, vt probat dicta *glos. per l.* Si procurator C. de procurat.

Mandatum, re integra, domini morte finitur dixerunt *Imperatores Dioclet & Maximian. in l. 15. C. mandat. & Iustinian. in §. Recte, vers. item si adhuc integro mandato mors alterutrius* interueniat, idest, vel eius qui mandauerit, vel eius qui mandatum susceperit soluitur mandatum *eod. tit. in Instit. & Paul. in l. vlt. ff. de solut.* ibi. Ei autem, cui iussi debitorem meum post mortem meam soluere, non rectè soluitur: quia mandatum morte dissoluitur. Idem dicas in mandato iurisdictionis, vt in *cap. Relatum 19. de offic. delegat.* ibi. quod si lis fuerit ante prædictum nostri obitum contestata, mandatum morte mandatoris nullatenus expirauit: ergo à contrario si non fuerit cæpta, sed adhuc est re integra, sine dubio expirat, vt ibidem notat *glos. verbo Contestata* ibi. quod dicit hic secundum leges locum habet, quod si ante litem contestatam moriatur mandator, expirat mandatum, vt hic dicitur: quia lis non dicitur cæpta, nisi per litis contestationem &c. secundum Canones non consideratur tantum litis contestatio, sed sufficit sola citatio ante mortem mandatoris ad perpetuandum rescriptum: vnde citatione præmissa non finitur mandatum morte mandatoris. Sed si citatio non præcedat mortem, statim expirat mandatum, & probat *l. Et quia 6. ff. de iurisd. omn. iud.* ibi. Ideoque si is, qui mandauit iurisdictionem, decesserit antequam res, ab eo, cui mandata est iurisdictio, geri cæperit, solui mandatum. Labeo ait, sicut in reliquis causis. Ex quo rectè colligitur, quod mandatum procuratoris, & iurisdictionis æquiparentur.

Ma-

Manifestum.

Dicitur, quod ex scientia, & certo authore procedit, & quod potest probari. Sed & dicitur quandoque, de quo constat per confessionem, vel probationem, vel per euidentiam facti. Sed tale manifestum potius dicitur notorium, ita ponit *glos. verbo, Notorium, in cap. Vestra de cohabit. cler. Sed in cap. Cum olim* 24. *in fin. de verb. sig. Pontif.* ita dicit. Manifestam, quæ vel per confessionem, vel probationem legitime nota fuerit, aut euidentia rei, quæ nulla possit tergiuersatione celari. Vide *Bart. in l.* 3. *in princ. ff. de furt.*

Quo ad aliqua, manifestum, & euidens idem est, vt satis colligitur *ex cap.* 2. *in fin. de verb. sig. lib.* 6. ibi. Ac quo ad intentionem Constitutionis ipsius, manifestum, & euidens idem supponere declaramus, & ibidem notauit *glos. verbo Intentionem*. sic dicens. Quasi dicat, interdum bene sunt diuersa, & *glos. verbo Manifestum* sic. Et aliud videtur euidens, aliud manifestum. Euidens enim est, quod semper palam est, & euidenter apparet &c. Manifestum vero aliquando probatione indiget.

Notorium, & manifestum pro eodem sumitur, vt dicit *glos. Verbo Euidentissime in l. Si vero* 5. *§. Qui pro rei qualitate ff. qui sat. cog.* ibi. Nota, quod quæ manifesta sunt idest notoria, probatione non indigent, *vt infr. de act. empt. l. Emptorem, & verbo notorium in cap. Cum Ecclesia* 31. *de elect.* ibi. Notorium idest manifestum, rei euidentia, vel alijs duobus modis de quibus habes *de cohab. cler. c. vlt.*

Nota, quod manifesta non indigent probatione, vel demonstratione, vt dicit *glos. in l.* 1. *§. vlt. ff. de dot prælegat. per tex.* ibi. Nam quidquid demonstratæ rei adijcitur satis demonstrare frustra est, probat etiam *glos. verbo Indubitate ibi*. Collige manifesta non indigere probatione per tex. ibi. in *Auth. de restit. & ea, quæ par. §. vlt. coll.* 4. & verbo *Manifestum in d. l. Emptorem* 12. *de act. empt.* ibi. Manifestum idest notorium, quod probatione non indiget. An autem differant Manifestum, & Notorium? vide *Innoc. in c. Tua & in cap. Sicut de cohab. cler. Bart. in Auth. Qui semel numer.* 16. *C. quomod. & quand. iud. & infr. dicis verbo. Notorium.*

Dicitur etiam manifestum, quod resultat ex præsumptione legis, *vt in l. Licet Imperator* 77. *ff. de legat.* 1. *& in l. Si tutor vbi not. Bald. C. de peric. tut.* item quod resultat ex coniecturis dicit *Bart. in l. Si quis §. An vero ff. de edend.* Et quando probantur indicia sufficientia ad dolum ex *l. Dolum C. de dol.* ponit idem *Bart. in l. Patronus ff. de probat.*

Manus.

Dicitur membrum in *Auth. Sed nouo iure C. de seru. fugit. ibi*. Si criminis qualitas membri abscisionem exigat, vna sola manus absciudetur, *vbi glos.* quærit, sed quæ? & respondet illa in qua minus potest. Et in additione *ex Bar. & Paul.* subdit, quod si quis habet manum aridam, illa sit amputanda.

Per dexteram pignus pacis, & testis fidei solet dari, inquit *glos. verbo Dexteras per tex. ibi. in cap. Fundamenta* 17. *de elect. lib.* 6. & facit *glos. verbo Pactum in l.* 1. *ff. de pact.* ibi. Nam in pacto pacis, & concordiæ est actus &c. vel dicitur pactum à percussione palmarum, ex qua ibidem *Bald. in addit. numer.* 1. *sic dicit*. Nota etiam ex fine istius glos. quod illi, qui capiunt se per manus præsumuntur venisse ad concordiam, & pactum, & *additio ad dictam*

ctam gloss. ver bo Dexteras sic ait. Coniungere dexteras, solet esse signum concordiæ, qua se inuicem conferebant antiqui.

Alias dicitur manus dextera, quasi dans extra, vnde illa manu solent porrigi dona, dicit prædicta *glos. verbo Dexteras*; sed & dextera accipiuntur, & tamen intra, non extra ergo &c.

Manus obstetricis sępe fallitur vide obstetrix.

Sumitur aliquando manus pro potentia, *vt in cap. Transmissam* 15. ibi. Laicorum manus associant *de elect.* & *ibidem dicit Abb. sub n.* 2. & affert illud psalm. in manus tuas commendo &c. & facit *illud Act. Apost. cap.* 12. Misit Hærodes rex manus, vt affligeret &c. facit etiam *tex. in l.* 2. *C. de peric. nomin. lib.* 11. ibi. Nec ad nominatoris nominatorem manus iure porrigi possunt, vbi *Bart.* hæc. Nota tex. qui dicit nec ad nominatorem manus porrigi. Intelligitur enim manus porrectio intellectualiter magis quam corporaliter &c. & *num.* 3. prosequitur ita. Et est hic argumentum pro teste, qui interrogatus quomodo scit, dicit, quod tetigit cum manibus, licet non esset res tangibilis, quod referatur ad sensum congruum illius rei.

Dicitur etiam manus militaris idest per Ministros Iudicis, *vt in l.* 1. *vers. Coget* autem eum discedere non prętoria potestate, vel manu ministrorũ *ff. si ventr. nom. mul.*

Item ponitur manus pro dominio, & ideo non dicitur exisse de manibus meis, quod non exijt de dominio meo: ita prædictis verbis ponit *Bald. in l Manumissiones sub numer.* 10. *ff. de iust. & iur. & in l.* 2. *num* 3. *ff. de orig. iur. sic.* Et nota, quod manus ponitur pro arbitrio item pro dominio, vt supra &c. Alibi pro possessione, vt Cod. *de furt. l. Apud antiquos* &c. & ille, qui ponit se in manu alterius, videtur dare arbitrium liberum illi supra se &c. Quandoque manus ponitur pro sustentatione *cap.* 2. *de consuetudine* ibi. Quod manu prælati Ecclesiæ sustinetur. Quandoque ponitur pro captura *l. Si quis Curialis* 12. ibi. veluti manu iniecta mox reuocetur, *C. de Episc. & Cler. ita hat Bald. vbi supra proxime.*

Et ex eodem ibidem sic. Manus debet esse pia, quia impia manus est reprobata *cap. fin. de donat.* Et manus impositio multiplex est *de consecrat. dist.* 1. *c. Manus cum sequentibus*;

Maritus.

Dicitur, quasi maris ritus vt *per Paul. Castr. in cons.* 121. Et pro vna persona cum vxore reputatur, vt deducitur *ex l. Cæterum vers. Mulieri* autem si vsus relictus sit, posse eam, & cum marito habitare *ff. de vsu. & hab. §. Item is*; ibi. Et cum vxore liberisque suis *eod. tit. in Inst. l. Si stipulatus fuero* 111. *ff. de verb. oblig.* ibi. An etiam si me non prohibeas vxorem, tamen meam prohibeas, vel contra &c. & satius est hæc verba, sic accipi *cap. de neptis ibi*. Quorum enim vnum corpus est, vnus debet esse, & animus 31. *quæst.* 2. *cap. Debitum* ibi. duo in carne vna *de Bigam.* Vnde ad inuicem correlatiua sunt ita, quod de vno dicitur, de altero etiam dispositum videatur *l. vlt. vbi notauit Ias. C. indict. vid. toll.* ibi. Cum huiusmodi verbis mulieribus aliquid relinquatur, si vidua erit &c. vel è contrario maribus &c. coniuncta *cap. gaudemus de diuert.* ibi. Cum non ad imparia iudicentur.

Vnde *in l. vlt. C. infirm. pæn. calib.* sic dicitur Tantum igitur posthac maritus, vel vxor sibi inuicem derelinquant, quantum superstitis animus exegerit.

Sciendum est etiam cogendum operari, inquit *l. Item* 28. *ff. de vsufr. vbi Apostill.*

ftill. fi. Maritus potest cogere vxorem ad operandum facit *l. Sicut Patronus* 48. *ff. de oper. libert.* ibi. Nam hæc cuius matrimonio consensit, in officio mariti esse debet, vbi *glos. vlt.* sic. Nota vxorem operari viro.

Marito debetur ab vxore reuerentia, nec ipsam pacto tolli posse, dicit *l. Alia* 15. *§.* 1. *ff. solut. matr.* ibi. Namque contra bonos mores, id pactum esse melius est dicere, quippe cum contra receptam reuerentiam, quæ maritis exhibenda est, id esse appareat. Sed quid è contrario maritus tenebitur ne vxori reuerentiam exhibere? Et videtur, quod in hoc ad imparia iudicentur, quia vxor subdita est viro, iuxta illud *Genes.* 3. Sub potestate viri eris. Vnde ad propositum quærit *Bart. in l. Si post mortem num.* 3. *ff. de bon. poss. con. tab.* Vtrum maritus miles teneatur vocare vxorem suam dominam? & resoluit, quod non: late disputat ex multis relatis Bertach. in verbo Maritus, quem videas.

Quod mariti dignitas præfulgeat in vxore habes verbis *vir vxor, & Mulier.* Itē domus mariti est domicilium vxoris, sed non è contra; Et quandoque hoc fit, vt maritus ducatur ab vxore, vt dicit *glos. Verbo Affectus in Auth. de nupt. §.* 1. *coll.* 4. Maritus vero non dicitur ditior ratione dotis vxoris ad effectum, vt eligatur in Curialem, vt dixisti verbo dos. Licet corpore, & substantia, & omni vita sua maritus fungatur, vt dicit *l. Affidatis C. qui potior. in pig.*

In paraphernalibus tamen, maritus non se ingeri poterit inuita vxore, *vt in l. Hac lege* 8. *C. de pact. conu.* ibi. Quamuis enim bonum erat mulierem, quæ se ipsam marito commisit: res etiam eiusdem pari arbitrio gubernari: attamen quoniam conditores legum æquitatis conuenit esse fautores, nullo modo (vt dictum est) muliere prohibente virum in palaphernis se volumus immiscere. Poterit vero agere pro ea sine mandato in rebus ipsius, præstita cautione de rato; Sed si habeat mandatum, non potest agere, nisi quatenus in mandato continetur, vt probat *glos. verbo sua vxoris in cap. Constitutus de Procurat. & dicit Imp. Constantin. in l.* 21. *C. eod. tit.* Maritus (inquit) citra mandatum in rebus vxoris cum solemni satisdatione, & alia obseruatione intercedendi liberam habeat facultatem: ne fæminæ persequendæ litis obtentu, in contumeliam matronalis pudoris irreuerenter irruant, & conuentibus virorum, vel iudicijs interesse cogantur.

Decipi dicitur maritus si cogatur ducere vxorem indotatam, *vt in l. Si donaturus §. vnico ff. de condict. cau. dat.* ibi. Maritus enim suum negotium gerit, & nihil dolo facit, nec decipiendus est, (quod fit) si cogatur indotatam vxorem habere.

Dotem percipere debet maritus, quia apud eum esse debet, qui onera sustinet, ita dicit *l. Actione* 66. *§. vlt. ff. pro soc.* In proposito autem maritus emptoris loco est, ait *l. Qui balneum* 9. *§. vlt. ff. qui potio. in pignor. & glos. verbo teneri in l. Creditor* 14. *ff. de act. empt.* ibi. cum sit maritus, quasi emptor *per tex. in l. Quoties* 5. *C. de iur. dot.* ibi. Maritus dominium consequutus summę (velut prætij) debitor efficitur. Licet quoties res æstimata in dotem datur, non simplex venditio fiat, sed dotis causa, vt inquit *l. Quoties* 17. *de iur. dot.* Nouissime vero in *l. vnica §. Cumque exstipulatu C. de rei vxor. act.* sic disponitur. Aestimatarum enim rerum maritus, quasi emptor, & commodum sentiat, & dispendium subeat, & periculum expectet, *& in §. Et cum lex.* ibi. In rebus mariti, vel dotis, quidem æstimatis in quibus dominium, & periculum est mariti.

In rebus dotalibus virum præstare oportet, tam dolum, quam culpam, quia causa sua dotem accipit. Sed etiam diligentiam præstabit, quam in suis rebus exhibet. Ita habetur in *l. In rebus* 18. *ff. de iu. dot.* & ibi *glos. verbo Culpam*, dicit, scilicet leuem, vel leuissimam, si diligentissimus erat in suis, cum si culpandus erat in suis rebus, culpandus erit in dotalibus: si enim minus diligens fuit in suis, nō ideo parcendum est sibi in dotalibus, *& l. vlt.* C. *de pact. conuent.* ibi. Dum autem apud maritum remanent eædem cautiones, & dolum, & diligentiam maritus circa eas præstare debet, qualem, & circa suas res habere inuenitur; ne ex eius malignitate, vel desidia, aliqua mulieri accedat iactura, *vbi glos. sic. verbo dolum*. Nota leuem culpam hic tantum venire, sed in alio procuratore etiam leuissimam.

Pomponius ait maritum non posse pacisci, vt dolum solummodo in dotem præstet, videlicet propter vtilitatem nubentium: quamuis pacisci possit, ne sit periculo eius, ita *l. 6. ff. de pact. dotal.*

Casus autem fortuiti ad vtrumque pertinent iuxta *l. Si cum dotem* 23. *§. Si maritus ff. solut. mat.* ibi. Quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus, mulieris maritum, vel vxorem viri, participem esse. Quod intelligas, quādo res dotales non fuerunt æstimatæ, cū tunc ad maritū pertineat periculū, vt supra proxime dictum est. Quod autem ex contumacia mulieris acciderit, nec debere eum teneri dicit *l. Ideoque* 10. *ff. rer. amot.*

Maritalis concordia præferri debet omni lucro, vt dixerunt *Imperatores in l.* 1. *C. de instit.* his verbis reprehendenda, tu magis es, quam mater tua. Illa enim si hæredem te sibi esse vellet, id quod est inutile, matrimonium te dirimere cum viro non iuberet; Tu porro voluntatem eius diuortio comprobasti. Oportuerat autem, & si conditio huiusmodi admitteretur, præferre lucro cōcordiam maritalem. Non sic, vt debeat, faciunt coniuges nostri temporis, sed hanc, quam increpant Imperatores, imitando, volunt potius discordiam sequi, lucrum sectantes, quam maritalem concordiam diligere.

Iudicium vxoris postremum in se prouocare maritali sermone, non est criminosum, dicit *l. vlt. C. Si quis aliq. test. probib.* ad id facit illud *Papiniani in l.* 70. *ff. de hered. inst.* Captatorias (inquit) institutiones non eas senatus improbauit, quæ mutuis affectionibus iudicia prouocauerunt.

Maritus non sic facile animum mutare solet per secundam vxorem, sicut vxor per virum, vt dicit *glos. in Auth. Quod mater C. de reuoc. donat. per Auth. de nupt. §. Mater coll.* 4. vbi mater transferens se ad secundas nuptias, non potest reuocare donationem filio primi matrimonij factam, rationem assignans ibi. Non enim ex pura videtur voluntate ingratitudinem introducere; sed secundas nuptias considerans, ad hanc venisse cogitationem putabitur, sed in patre hoc non disponitur ex dicta ratione.

Si maritus non adhibuerit remedium vxori ægrotæ, vel malum medicum adhibuerit, lucro dotis priuabitur, vt ponit *Apostill. ad l. Quod si nolit* 31. *§. Si plures ff. de adil. edict.* dicit sic Ang. hic *& Alex. in l. Si ab hostibus infr. sol. matr. istum tex.* Reputant meliorem de corpore iuris, ad hoc propositum, quod quemadmodum maritus priuatur lucro propter remedium non adhibitum vxori ægrotæ, ita etiam priuatur si malum adhibet medicum. Verba autem *d. §. Si plures* sunt. Propter, quod dicendum est quamcumque occasionem mortis emptor præstitit, debere eum teneri etiam si non adhibuit medicum, vt

vt sanari posſit, vel malum adhibuit, sed culpa sua.

Maritus cognoſcens carnaliter vxorem, quando peccet, vel non? Dic ita cum *gloſ. verbo. Ab adulteris in cap. Quicquid 32. quaeſt. 2.* Nota, quod quatuor de cauſis comiſcitur quis vxori. Cauſa prolis. Item cauſa reddendi debitum, his caſibus non peccat, imo meretur. Item cauſa incontinentiæ, cum ſcilicet, eſt præuentus à voluptate, tunc eſt veniale peccatum, vt hic, *& in cap. Sicut in fin. ead. 32. quaeſt. 2.* ibi. Quod enim præter intentionem generandi fit, non eſt nuptiarum malum, ſed eſt veniale propter nuptiarum bonum, *& in cap. Nerui ad fin. 13. diſt.* Licet quidã dicant nec eſſe veniale propter Authoritatem *Apoſtoli*, cui reſpondet *Gregor. d. capit. Nerui*, cognoſcitur etiam vxor cauſa explendæ voluptatis, ſcilicet cum quis præuenit voluptatem vel cogitationem, vel vtendo calidis, vt pluries eam cognoſcere poſsit, tunc peccat mortaliter.

Debet autem maritus à coitu cum vxore abſtinere quãdo ſuſcipit Euchariſtiam, vt *Hieronymus inquit 33. quaeſt. 4.* ſic. Sciatis fratres chariſsimi, quoniam quicumque vxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus agni comedere debet. Item ſi panes propoſitionis ab his, qui vxores ſuas tetigerant, comedi non poterant: quanto magis ille panis, qui dè Cælo deſcendit non poteſt ab his, qui coniugalibus paulo ante hæſere complexibus, violari atque contingi: non quod nuptias condemnemus, ſed quod eo tẽpore, quo carnes agni manducaturi ſumus, vacare a carnalibus operibus debeamus.

Quotieſcumque autem dies Natalis Domini, aut reliquæ feſtiuitates aduenerint, ab infidelium concubinarum conſortio non ſolum, ſed etiam à propriis vxoribus abſtinere debemus. Dixit *Auguſtin. relatus in cap. Quotieſcumque 33. quaeſt. 4. & Ambroſ. in ſermone de aduentu Domini:* ſic. Fratres non ſolum debetis ab omni immunditia abſtinere; ſed etiam ab vxoribus propriis ſtudioſiſsimè abſtineatis; Nullus omnino vxori ſuæ ieiuuiorum diebus coniungatur, *& in cap. Chriſtiano ead. 33. q. 4. Auguſtin.* ſic. Chriſtiano cum vxore ſua aliquãdo conuenire licet, aliquando nõ propter enim proceſsionis dies, & ieiuniorũ, aliquando non cõuenire licet, quia à licitis etiam abſtinendum eſt ad tempus, vt facilius impetrari poſsit, quod poſtulatur: probat etiam *cap. Si cauſa pro* creandorum filiorum ducitur vxor, non multum tempus videtur conceſſum ad ipſum vſum, qui, & dies feſti, & proceſsionis coniuncto *cap. vir ead. cauſ. & quaeſt. per tex.* & in fin. ibi. Hinc etiam in diebus abſtinentiæ nuptiæ celebrari prohibentur, *& in cap. Antecedenti ex Chryſoſtom. ſic.* Qui in caſtigatione victus ſe dicit agere pænitentiam, fruſtra hoc ſermone promittit, niſi egrediatur de cubili ſuo, & continentiam in ieiunio addat. Item à prægnante vxore maritus debet ſe abſtinere, *vt in d. cap. Si cauſa* ibi. Et ipſa ratio conceptus, & partus iuxta legem ceſſare vſum carnis his debere temporibus demonſtrant, *& in cap. Origo 31. quaeſt. 4.* ibi. Imitentur ſaltem pecudes, & poſt quam venter vxoris intumuerit non perdant filios, nec amatores ſe vxoribus præbeant, ſed maritos, quæ omnia de conſilio intelligenda eſſe dicit *gloſ. d. cap. Chriſtiano verbo a licitis*. Idem eſſe in eo, quod dicitur *in c. ad eius vero 5. diſt.* quod ſcilicet maritus ad vxorẽ non accedat tempore poſt partum, nec menſtrui, quia licet ibi dicatur viris ſuis miſceri prohibentur, *diſt. gloſ. ibidem* intelligit, dicens, ideſt ſub forma prohibitionis diſſuadentur.

Idem intelligendum eſſe de eo, quod di-

citur in *cap. vlt. 23. dist.* ibi. Sponsus, & sponsa cum bene dicendi sunt, &c. qui cum, benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant vel alias biduo, vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, vt in *cap. Aliter 30. quæst. 5.* Dicit namque *glos. Verbo in virginitate in d. cap. vlt.* sic. Sed intelligo illud, & istud esse consilium, & non præceptum.

Potest maritus corrigere vxorem, & leuiter castigare, sed non eam verberando, vt notauit *glos. verbo Iudicare in capit. sicut Alterius 7. quæst. 1.* Verberare enim ab ingenuis alienum est iuxta *l. Consensu C. de repud.* quia tale, quid viro prohibetur, ibi si se verberibus, (quæ ingenuis aliena sunt) afficientem probauerit.

Ex eadem lege colligitur, quod vir luxuriosus vxorem exasperat ibi. vel ad cõtemptum sui, domus ve suæ, ipsa inspiciẽte cum impudicis mulieribus (quod maximè etiam castas exasperat) cœtum ineuntem, & in *Auth. de nupt. §. Mitiores coll. 4.* ibi. Aut ità luxuriose viuentem, vt inspiciente vxore, cum alijs corrumpatur (quod maxime mulieres nuptas, vtpote circa cubile stimulatas exasperat) & præcipue castas.

Marito non permittebatur vxorem adulteram occidere, & tamen patri erat permissum, ratio diuersitatis ponitur *in l. Nec in ea 22. ff. ad l. Iul. de adult.* his verbis. Ideo autem patri, non marito mulierem, & omnem adulterum permissum est occidere, quod plerumq; pietas paterni nominis consilium pro liberis capit: cæterum mariti, & calor, & impetus facile sæuientis, fuit refrenandus. Contrarium autem in accusatione obseruatur, nam patre, & marito cõcurrentibus ad accusandum adulterum maritus præfertur iuxta rationem *l. 2. §. vlt. eod. tit.* ibi. Nam propensiore iure, & maiori dolore executurum eũ accusationem credendũ est.

Si tamen maritus in adulterio deprehensam occidat, quia ignoscitur ei, seruos liberandos si iustum dolorem exequenti domino non restiterunt, ita inquit *l. 3. §. 1 ff. ad Syllan.*

Qui ex adulterio vxoris non irascitur leno præsumitur, & vti talis damnatur, *l. 2. ff. de adulter.* ibi. Item in eum, qui in adulterio deprehensam retinuerit. Cæterum qui patitur vxorem suam delinquere, matrimoniumq; suum contemnere, quique contaminatione non indignatur, pœna adulterij in eum infligitur. *Et in §. 1.* sic. Lenocinium mariti ipsum onerat non mulierem excusat. Nam Claudius Gorgonius vir clarissimus vxorem accusans, cum detectus esset vxorem deprehẽsam in adulterio retinuisse, etiam sine accusatore, lenocinij damnatus est à Seuero, *& in l. 29. eod. tit.* ita. Mariti lenocinium lex coercuit, qui deprehensam vxorem in adulterio retinuit, adulterumque dimisit. Debuit enim vxori irasci, quæ matrimonium eius violauit. Tunc autem puniendus est maritus cum excusare ignorantiam suam non potest, vel adumbrare patientiam prętextu incredulitatis.

Quod si patiatur vxorem delinquere, non ob quæstum, sed ob negligentiam, vel culpam, vel quantamcumque patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem positus esse videtur, inquit *d. l. Mariti 29. §. qui quæstum.*

Non tam solemne est annuum, quod maritus vxori impendit, quam quod vxor marito præstat: imo etiam incongruũ est, & contra sexus naturam dicit *l. Si stipulata 34. ff. de donat. int. vir. vbi glos. solemne* explicat de quo infra verbo *Mulier*.

Actibus bellicis occupatus maritus, vxoris priuationem inferre non minor est pœna, quam ab hostibus capi, ita ait *Auth. de nupt. §. 1. collat. 4.*

Ma-

Maritus petens restitution em vxoris, non restituitur, si obijciatur nullitas matrimonij in gradu prohibito. Vide verbo *vxor*.

Si maritus, & vxor insimul perierint stipulatio de dote ex capitulo. Si mulier in matrimonio decessisset, habet locum, si non probetur illa superstes viro fuisse, inquit *l. qui duos* 10. *§. Si maritus*, *ff. de reb. dub. vbi glos. verbo locum* sic notat. Quod præmori fingitur, vel saltem non post quasi debilior.

An teneatur maritus lugere vxorem dixisti verbo *luctus*.

Masculus.

COmprehendit etiam fœminam, *vt in l. qui duos* 60. *ff. de legat.* 3. ibi. Id autem eo venit, quod semper sexus masculinus fæmineum continet. Et in *l.* 3. *ff. de negot. gest.* ibi. Hæc verba (Siquis) accipienda sic sunt, siue quæ, & *in l.* 1. *ff. de Carb. edict.* ibi. Non tantum masculi, sed & fœminæ, *& in l.* 1. *§.* 1. *ff. de constit. pec.* ibi. Qui, sic accipiendum est; quæue, nam, & mulieres &c. *vbi summat Bart.* sic Masculinum concipit fæmininum, sed non è contra, *vt infr. de verb. sig. lib.* 1. *& in l.* 1. *in fin. ff. de pecul.* ibi. De eo loquitur non de ea, sed tamen, & ob eam, quæ est fæminini sexus dabitur ex hoc edicto actio, *& glos. verbo Fratres in l. Lucius, & Titia* 39. *ff. fam. hercisc.* ibi. Masculinum concipit fæmininum, nam appellatione fratris soror continetur, vt &c.

Sed quare masculinum non etiam continetur sub fæminino? forsan quia maior dignitas est in sexu virili, vt dixit *Vlpian. in l.* 1. *ff. de Senator*. Et regulare est magis dignum attrahere ad se minus dignum, & non vice versa; Si non tibi placet audi *Pomponium in l. Si ita* 46. *ff. de legat.* 2. Vbi postquam posuit dictam conclusionem Fæmininum concipi per masculinum sic ait. Quod non est ex contrario accipiendum, vt filiarum nomine, etiam masculi contineantur. Exemplo enim turpissimum est fæminino vocabulo, etiam masculos contineri. In casu tamen *l. Adigere* 6. *ff. de iur. patr.* masculus comprehenditur sub fœmina ibi. Ne nubat liberta &c. intelligitur etiam is, qui libertum iurare patitur.

In odiosis masculinum non concipere fæmininum, dixit *glos. verbo Filia per tex. in l.* 1. *ff. de ventr. in poss. mitt.* his verbis. Non ergo masculinum concipit fæmininum propter odium. Vnde videtur idem dicendum in pænalibus, cum pænalia sint odiosa, & in terminis *Extrauag. sane ne in vinea de Simon. int. com. dixit Felin. in capit. Quoniam extr. eod. tit. post num.* 13. *vers. Item ad intellectum, dictam extrauag.* non intelligi de monialibus, prout declarauit idem *Vrban.* 5. *authbor. eiusdem* Sed obstat fortiter *l. Si quis* 7. *ff. de iur. om. iud.* vbi imponitur pæna corrūpenti album prætoris. Et ait tex. Sed & vtrumque sexum prætor complexus est &c. cum prætor alias tantum dixerit in masculino, Si quis, respondet *Bart.* quod quando à lege profertur masculinum semper comprehēdit fæmininum etiam in odiosis, *vt d. l. Siquis* id, & contrarium, quando profertur ab homine videas eum *in d. l.* 1. *§. Sed & si incertum numer.* 2. *ff. de ventr. in poss. mitt.*

Masculus fortior, quam fæmina, intelligitur, vt dicit *glos. verbo Filium in l. Ex facto* 17. *§. Siquis autem ff. ad Trebell. vbi Apostill.* sic. Nota dicendum in natiuitate, quod masculus dicatur, quando simul nascuntur, prius natus, quam fæmina *l. Si ita fuerit* 11. *§. Plane & ibi. Bart. ff. de reb. dub.* Sed hic tex.

tex. non probat marem intelligi priorem natum, quia fortiorem, sed quia ibi humanior est sententia propter libertatem, quod præsumatur prior natus, vt in illis verbis. Sin autem hoc incertum est &c. In ambiguis rebus humaniorem sequi sententiam oportet, vt tam ipsa libertatem consequatur, quam filia eius ingenuitatem, quasi per præsumptionem priore masculo edito.

In multis, masculi sunt melioris conditionis, quam fœminæ, vt probat *glos.* 1. *per tex. in capit.* 1. *de success. feud.* ibi. Succedunt tantum filij, dicens, hic colligitur quod melior est masculorum conditio, quam mulierum.

Verum *l.* 14. *C. de legit. hered.* sic proclamat. Lege 12. tab. bene humano generi prospectum est, quæ vnam consonantiam tam in maribus, quam in fœminis legitimis, & in eorum successionibus, nec non & in liberis obseruandam esse existimauit, nullo discrimine in successionibus habito, cum natura vtrumque corpus ediderit, vt maneat suis vicibus immortale, & alterum alterius auxilio egeat &c. quæ pro fœminis faciunt, *& l. Maximũ vitium C. de lib. præt.* ibi. Qui enim tales differentias inducunt quasi naturæ accusatores existunt, cur nõ totos masculos generauit, vt vnde generentur non fiant. Ad idem *Auth. de trien. & sem. §. Neq; illo post princ. coll.* 3. ibi. Neque enim masculus ipse in se, neque fœmina solum ad natiuitatis propagationem sufficiens est: sed sicut vtrumque eorum cooptauit Deus ad generationis opus; ita etiam nos eandem vtriusque seruamus æqualitatem, & ad fin. ibi. Non autem distinguimus de filijs siue masculi siue fœminæ sint: sicut enim natura nihil circa hoc, arte ratiocinatur, ita nec nos alteram in masculs, alteram in fœminis secundum hoc ponimus legem.

Et in Auth. quib. mod. nat. effic. sui §. Illud tamen vers. Nam si hoc coll. 7. sic. Non autem differentiam facimus de filijs, siue masculi sint, siue fęminæ sicut enim natura nihil circa talia tractat, sicut nec nos aliam in masculis, & aliã in fœminis secundum hoc ponimus legem. *Et in §. Sed hæc de ex hæredat. lib. in Inst.* ita. Nostra vero constitutio inter masculos, & fœminas in hoc iure nihil interesse existimans, quia vtraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur. Et denique *in §. vlt. de hered. quæ ab intest. in Inst.* sic. Diui autem principes non sunt passi talem contra naturam iniuriam sine emendatione relinquere: sed cum neptis, & proneptis nomen commune sit vtrique, tam qui ex masculis, tam qui ex fœminis descendunt, ideo eundem gradum, & ordinem successionis illis donauerunt. Et tamen his optimis rationibus spretis, nihil aliud faciunt homines nisi in ctõrarium relinquentes bona sua, vt conseruentur (sicut aiunt in familijs) masculis, excludentes fœminas contra naturam, ex quo infinitæ lites oriuntur, quod quidem lege speciali omnino tollendum erat etiam pro bono reip. & encæniatis prædictis iuribus illa obseruari mandandum.

Mater.

CVm audis matrem familias accipe notæ authoritatis fœminam dicit *l.* 3. *ff. de lib. hom. exhib. & l. Pronunciatio* 46. *de verb. sig.* sic. Matrem enim famil. à cæteris fœminis mores discernunt atque separant &c. Nam neque nuptiæ, neque natales matrem famil. faciunt, sed boni mores, *vbi glos. vlt.* sic. Et nota, quod tribus modis dicitur mater famil. Primo large pro magnis, & paruis, vt hic &c. secundo strictè pro fœmina notæ authoritatis, vt

&c.

&c. Tertio largissimè pro omni fæmina, quæ sit sui iuris.

Mater certior est patre, vt dicit *Paul. in l. Quia semper certa est mater* & si vulgo conceperit: pater vero is tantum, quem nuptiæ demonstrant *ff. de intusuoc. & ibi. Bart.* nisi in expositis cum, & horum mater sit in certa.

Naturæ amor pius, matrem circa filios sine suspicione facit quamplurimum, dicit *Imperator in Auth. vt sine probib. mat. coll. 7. & in Auth. de nupt. §. Eiusdem quoque coll.* 4. sic. Quoniam omnium mater fide dignior ad filiorum educationem videbatur, dat ei etiam hæc, lex, nisi ad secundas accesserit nuptias.

Tenetur autem mater alere, & lactare filium per triênium, vt notat *glos. vlt. in l. 3. C. de alen. lib.* ibi. Scilicet maiori triênnio, alias mater debet eum alere per tex. *in l. Nec filium* ibi. Maiori triênnio *C. de patr. potest. vbi glos.* explicat sic trimo idest triennio &c. Intra triennium ergo mater debet alere: pater abinde supra. Notat etiam *glos. magistra verbo, materna pietate, in l. Alimenta* 11. *C. de negot. gest.* ibi. Et dic cum mater alit filium: aut patre viuente, & tunc non repetit à filio &c. aut eo mortuo, & tunc intra triennium idem &c. Si autem postquam habeat tres annos, & tunc cum quæstio sit facti iudex deneget petitionem ex qualitate, siue ex quantitate facultatum matris, & filiorum, & impensarum, & ex qualitate personarum &c. facit *cap. 2. de conu. in fid.* ibi. Et pueri post triennium coniuncta glos. ibidem.

Si autem contigeret patrem quidem minus idoneum esse, matrem vero locupletem apud eam pauperes filios manere, & ab ea nutriri iubemus: quemadmodum enim filij locupletes coguntur matrem egentem alere, ita iustum esse decernimus, & à matre locuplete filios pasci, ita dicitur in *Auth. vt lic. mat. & auia §. Illud quoque coll.* 8.

Et si quidem pater separationis occasionem præbeat apud matrem nutriantur expensas patre præbente, si vero per causam matris ostendatur solutum matrimonium, tunc apud patrem maneant filij, & alantur, inquit *d. §. illud* à quo deduxit prædicta, *glos. verbo, materna pietate*, in supra proxime citata *l. Alimenta C. de neg. gest.* ibi. Si autem diuortio facto solutum sit matrimoniū tunc si culpa mulieris, alantur apud patrem expensis matris. E contra idem scilicet, quod alantur apud matrem expensis patris, quando culpa viri factum sit diuortium, & facit *l. 3. ff. de lib. hom. exhib.* ibi obtinuit enim mater ob nequitiam patris, vt sine diminutione patriæ potestatis, apud eam filius moretur coniuncta *l. 1. eod. tit.*

Verba autem *l. Alimenta*, cum sint notatu digna, hic etiam poni libet. Alimenta quidem, quæ filijs tuis præstitisti tibi reddi non iusta ratione postulas cum id exigente materna pietate feceris. Si quid autem in rebus eorum vtiliter, & probabili more impendisti: si non, & hoc materna liberalitate, sed recipiendi animo fecisse te ostenderis: id negotiorum gestorum actione consequi potes. *Et in l. Siquis à liberis §. Mater ff. de lib. agnosc.* sic. Nec impetrare debes ea, quæ exigente materno affectu in filiam tuam erogatura esses etiam si à patre suo educaretur, *& in l. 1. C. de neg. gest. ita.* Cum etiam si quis pro affectione domestica aliquos sumptus fecerit, nulla ratione eos repetere potest.

Ponenda etiam duxi verba tex. *in d. cap. 2. de conuers. infidel.* vbi mater infidelis marito ad fidem conuerso petenti tradi sibi filium recusans traditionem, sic respondebat. Quod cum puer adhuc infans existat, propter quod magis indiget materno solatio, quam paterno sibique ante partum onerosus, & doloro-

lorosus, in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur, ac ex hoc legitima coniunctio maris, & fœminæ magis matrimonium, quam patrimonium nuncupetur, dictus puer apud eam debet conuenientius remanere, Cum autem filius in patris potestate consistat cuius sequitur familiam, & non matris, & in ætate tali quis non debet apud eas remanere personas, de quibus posit esse suspicio, quod saluti, vel vitæ insidientur illius, & pueri post triennium apud patrem non suspectum ali debeant, & morari, materque pueri, si eum remaneri contingerit apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem: in fauorē maxime fidei Christianæ respondemus patri eundem filium assignandum.

Mater non dicitur filios habere in potestate, vt deducitur *ex §. Ius autem de patr. potest. in Inst.* in fin. ibi. Qui autem ex filia nascuntur in potestate tua non sunt, sed patris eorum. Cum filius familiam patris sequatur, & non matris: Quod intelligerem quo ad ius patriæ potestatis; nam si mater tutrix est filiorum, eos dicitur habere in potestate, vt est tex. singularis *in capit. ex parte 67. de appellat.* ibi. Cum nobilis mulier &c. Excipi fecit, quod cum res, de quibus in iudicio agebatur, & prædicti filii eius sub potestate, & tutela ipsius minime permanerent cum iam ad secunda vota transisset, & ibidem notat *glos. verbo sub potestate.*

Notabis etiam, quod in casu *l. Hi qui 32. C. de Murileg. lib.* 11. Filij sequuntur matris, & non patris familiam, inquit enim tex. Hi qui ex filiabus Murilegulorum, & alienæ originis sunt patribus, vel fuerint procreati, maternæ conditionis iura agnoscunt, *vbi glos.* dicit. Est enim seruitus non honor, & sic non est contra *l. Cum legitime ff. de stat. hom.* nec etiam contra *l. Nullus 44. C. de curion. lib.* 10. quæ ita ait. Nullus solius materni sanguinis vinculis illigetur: quia mulierum infirmitas nunquam huiusmodi functionibus reddit obnoxios, à quibus ipsa habetur immunis.

Matris consilium debile, & è contra, patris, est firmum, vt supra verbo *Consilium.*

Mater non excusatur per ignorantiam in non petendo tutore filijs. Vide infra verbo mulier, & ibidem quod non gaudet priuilegijs, nec honore filij, nisi tantum mater consulis, si ipse vult, & in verbo *vxor.*

Matris dictum non præiudicat filio, vt dicit *glos. Verbo Carboniano in l. 1. ff. de Carb. edict.* ibi. Non ergo patris dictum filio præiudicat, vel etiam ignorantia &c. nec matris &c. Proderit tamen in causa matrimoniali pro filia, nisi detur aliquod ex his, quæ *in cap. Super eo de testib.* ibi. Quod cum mater filiæ incrementum, & honorem videtur diligere, vbi vir est diuitijs, & nobilitate, potentia, vel honore, testimonium eius videtur esse suspectum, & ibidem nocebit, si deposuerit de impedimento antequam matrimonium contrahatur, in illis verbis respondemus, quod si nō est firmatum matrimonium inter eos, matre asseuerante ipsos esse consanguineos, non debent coniungi: quia præsumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attineant. Si vero matrimonium est firmatum non debet sine plurium iuramento dissolui.

Confessio matris, an præiudicet filio vide verbo *Pater.*

Contra votum matris est mors filiorum, vt dictum est verbo *Filius*, dicitur enim mater infelix, quę superstes est omnibus filijs, vt in *Auth. de nupt. §. Prima prope fin.* ibi. Si vero omnes defuncti sint: habeat consolationem suæ infelicitatis mater, vt ea rursus recipiat *coll.* 4.

Fi-

Filius impubes si insimul cum matre naufragio perierit, ante eam mortuus præsumitur, vt in *l. Inter 26. ff. de pact. dot.* ibi. Mulier naufragio perijt, cum anniculo. Quia verisimile videbatur infantem ante matrem perijsse. Et ibidem *glos.* interrogat. Sed quid de filio pubere si mortuo? Et respondet, contra.

Mater potest accusare filium sibi insidiātem inquit *Bald. in summario l. Propter insidias 14. C. de ijs qui accus. poss.* cuius verba iam supra posita sunt verbo Accusatio.

Non poterit tamen testamentum filii impugnare si inhonestis factis atque indecentibus machinationibus filium forte obsedit, insidijsque eum, vel clandestinis, vel manifestis appetijt, vel inimicis eius suas amicitias copulauit, atque in alijs sic versata est, vt inimica eius potius, quam mater crederetur, quo probato etiam inuita acquiescat filij voluntati, ita expressis verbis, inquit *l. liberi 28. ad fin. C. de inoffic. testa.*

Mater donans aliquid filio de suo, si ad secundas venerint nuptias non poterit per occasionem ingratitudinis reuocare, quod datum est. Non enim ex pura videtur voluntate ingratitudinem introducere, sed secundas nuptias considerans, ad hanc venisse cogitationem putabitur, ita dicit *Auth. de nupt. §. Mater tamen coll. 4. & in l. His solis 7. C. de reuoc. donat.* sic per summarium ponitur Mater, quæ donauit filio ingrato, potest reuocare donationem, nisi post mortem mariti viuat inhoneste, vel nubat secūdo, quæ lex in fin loquens de talibus inhonestis fœminis, sic dicit. Quis est enim, qui his aliquid arbitretur tribuendum esse? Cum etiam illis, quæ iure secundas tantum contraxerunt nuptias, nihil ex his priuilegijs tributum esse velimus? Sed an idem in patre secundam ducentem vxorem? Responde, non: quia non inuenitur mutatum: quia non facile per secundam vxorem animum mutaret sicut vxor per virum, vt ita dicit, & probat *glos. in Auth. Quod mater C. de reuoc. donat.* quæ loquitur iuxta illud, quod esse debet, cum vir præsumatur animo constantior, quam mulier; sed experientia nos videmus, quod mulier magis vertit hominum animos, quam e conuerso.

Mathematici.

Sic dicti a Mathesi, penultima producta, quod est diuinare, non à mathesi penultima correpta. nam.

Scire facit mathesis, sed diuinare mathesis.

ita ponit *glos. 1. in l. Mathematicos 11. C. de Episc. aud.* quæ lex ita se habet. Mathematicos nisi parati sint codicibus erroris proprijs sic oculos Episcoporum incendio concrematis, catholicæ religionis cultui fidem tradere nūquam ad errorem primum redituri, non solum vrbe Roma, sed etiam omnibus ciuitatibus pelli decernimus. Qui si hoc non fecerint; & contra clementiæ nostræ salubre constitutum, in ciuitatibus fuerint comprehensi, vel secreta erroris sui, & professionis insinuauerint, deportationis pœnam excipiant, & in *l. Item apud 15. §. Siquis astrologus ff. de iniur. Vlpian.* sic ait. Si quis Astrologus, vel qui aliquam illicitam diuinationem pollicentur, consultus, aliquem furem dixisse, qui non erat: iniuriarum cum eo agi non potest, sed constitutiones cum tenent, hoc est, quod gladio vltore puniatur, vt in *l. nemo aruspicem C. de Mathem.*

In *cap. Illud 26. quæst. 2. Augustin.* sic inquit. Superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus, ad facienda

idola, accolenda pertinent, ficut Deu, creaturam partemue creaturæ, vel ad cõsultationes, & pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita atque fœderata &c. Ad hoc etiam genus pertinent omnes ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibus notis; quas caracteres vocant; siue in quibuscumque rebus suspendendis, atque ligandis, vel etiam saltandis &c. Neque illi ab hoc genere superstitionis sugregandi perniciose sunt, qui olim Genethliaci propter natalium considerationes dierum, nunc autem vulgo, Mathematici vocantur. Nam & ipsi quamuis veram stellarum positionem, cum quisque nascitur, consectentur, & aliquando etiam peruestigant; tamen quod inde conantur, vel actiones nostras, vel actionum euentus prædicare, nimis errant.

Et in cap. 1. prope fin. 26. quæst. 3. idem Augustin. sic. Postea hoc nomine soli Mathematici dicti sunt; cuius artis scientia vsque ad Christum fuit concessa, vt edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cælo interpraetetur. Et tamen videmus adhuc errorem istum perseuerare.

Matrimonium.

DIctũ quasi matris muniũ, quia magis versatur in eo officium maternum quam paternum; plura enim onera subit mater, in nutritione, & creatione filij, vt supra dicitur *verbo Mater ex cap. 2. de conuers. infidel. Addas glos. verbo Nuptia in §. 1. de patr. pot.* ibi. Matrimonium dicitur ideo, quia mulier nubit, vt mater fiat; & ibidem *Apostill.* ita & ideo ab ea potius quam à patre denominatur; qui maiora sustinet onera; Est enim ante partum onerosa; in partu dolorosa, & post partum laboriosa &c. Et sic dicitur matrimonium, quasi matris munium.

Per matrimonium videtur quodammodo introduci immortalitatem, vt dicit *Imperator in Auth. de napt. in princ. coll. 4.* his verbis. Si enim matrimonium sic est honestum, vt humano generi immortalitatem artificiose introducere videatur. Et ex filiorum procreatione; renouata genera manent; iugiter Dei clementia, quantum est possibile, nostra immortalitate damnatæ naturæ recte nobis studium est de nuptijs. Alia namque omnia quæ sancita sunt à nobis non in omnibus competunt, nec hominibus, nec rebus, nec temporibus: studium vero nuptiarum totius est (vt ita dicatur) humanæ sobolis ex quo etiam reuocatur solo, & ampliori, quam alia solicitudine dignũ est.

Inuitat autem ad matrimonium, vel dilectio filiorum procreandorum (quod quidem vtile est) Vel quia iuuenis est: vnde feruori naturæ resistere non potest. Vel quia amore pulchræ fæminæ detinetur, quo nil est vehementius; vel quia amore eius est inebriatus per artẽ forte magicam: vt quis vino baccatur, ita ponit *glos. verbo propter quædam in Auth. quomod. oport. Episc. §. Hac autem de Deo coll. 1.* Non tamen video, quod apponatur alia causa, quæ nostris valde tẽporibus viget, scilicet pinguissima dos, & hæc quidem videbatur primum debere obtinere locum, sed non ita debet esse. Non enim dotibus, sed affectu matrimonia contrahuntur, vt dicitur in *l. Iubemus 12. C. de repud.* à qua deduxit *glos. pen. in l. Neque sine 13. per eadem verba C. de nupt.*

Affectus autem ille non esse debet terrenus, quia talis potius cupiditas dicitur, quæ reprobatur, & excæcat oculos mentis, vt etiam faciet per vim matrimonia contrahere, vt inquit *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 9.* ibi: Ita ple-

plerumque temporalium dominorum, ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excęcant, vt viros, & mulieres sub eorum iurisdictione degentes maxime diuites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum ijs matrimonium, inuitos contrahere quos ipsi domini vel magistratus illis præscripserint. Quare cum maxime nefarium sit matrimonij libertatem violare, & ab eis iniuriam nasci, à quibus iura expectantur, præcipit &c. Nec adstringi debet matrimonium timore pęnę Quia inhonestum visum est vinculo pęnæ matrimonia adstringi, siue futura, siue iam contracta, vt dicit *l. Titia* 134. *ff. de verb.* Sed notabis, quod aliud est eligendi matrimonij pœnæ metu libertatem auferre: Aliud ad matrimonium certa lege inuitari, prout in terminis distinxit *l. Titio centum* 70. *ff. de cond. & dem.*

5. Inter pares matrimonium celebrãdum dicit *Bald. per tex. ibi. in l. Si maior* 12. *C. de legit. hered.* in illis verbis Maxime cum & anteriore nostra lege huiusmodi nuptias permisimus, impares eas videri maxime concedentes; Sed contractum valet, dicit idem *Bald.* Vnde antequam contrahatur quisque consideret maturius, & non festinanter se iniiciat, quia sic &c.

Sic matrimonij nimia festinatio punitur; sed matrimonium non cassatur, inquit *glos. verbo Sacramenti in Auth. decernit C. de recept. arbitr.*

Triplex sacramentum designatur in matrimonio carnali copula consumato Primum est, vnio fidelis animæ ad Deũ per dilectionem, & charitatem, & hæc designatur per coniunctionem animorum in ipsa prima despensatione, dum alter per mutuum consensum consentit in alterum, & de hoc sacramento fit mentio in *c. Debitum de Bigam.* ibi. Alterum significat charitatẽ, quæ consistit in spiritu inter Deum, & iustam animam. Secundum est vnio humanæ naturæ ad Deum, quæ facta est in vtero virginali per incarnationẽ Verbi Dei, & hoc designatur per carnalem commistionem viri, & vxoris, de quo *in d. C. debitum* ibi. Reliquum vero designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum, & Ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod euangelista testatur: Verbum caro factum est. Tertium vero designat conformitatem, quę consistit in carne inter Christum, & Sanctam Ecclesiam. Primum est vnio voluntatis, secundum est naturæ conformitas, vt *in cap. In Christo pater de consecrat. dist.* 2. vbi habes de conformitate naturæ diuinæ, & humanæ. Et non intelligas, quod ipse actus corporalis designet hoc sacramentum, sed propter actum consumatum designatur Sacramentum. Tertium Sacramentum est vnitas Ecclesiæ ex omnibus gentibus, collecta, & vni viro Christo subiecta. Hoc sacramẽtum designatur per illum coniugatum, qui vnicum tantum matrimonium seruauit: sed vbi secundum matrimonium contrahitur, hoc tertiũ Sacramentum non habet locum, quia recedit ab illa vnitate quæ primo signabatur per vnicum matrimonium, quia in secũdo matrimonio diuidit carnem suam in plures, vnde vnitatem ammodo significare nõ potest, Christus enim signat vnitatem ex omnibus gentibus Christo subiectam, *vt in capit. Acutius* 16. *dist.* Sed ex quo Ecclesia Christo se coniunxit ab eo nunquam discessit, nec ipse ab ea, ergo bigamus talem vnitatem signare non potest, & ideo promoueri non potest propter defectum istius tertij Sacramenti: ita magistraliter ponit *glos. verbo Sacramentum in d. cap. Debitum de bigam.*

Vnde si matrimonium carnali copula non fuerit consumatum, quia defecit illud secundum Sacramentum, scilicet vnio-

nis naturæ humanæ ad Deum, poterit vnus ad Deum transire, & alter in seculo remanere, vt dicitur *in cap. 2. de conuers. coniug. & in capit. 7. ad fin. eod. tit.* sic. Sane quod in Euangelio Dominus dicit non licere viro, nisi ob causam fornicationis vxorem suam dimittere intelligendum est secundum interpretationem eloquij de his quorum matrimonium carnali copula est consumatum, vbi notat *glos. vlt.* quod matrimonium non consumatum sortitur naturam ex constitutione Ecclesię ideo circa istud latisime patet Papæ potestas. Et sic si voluerit poterit dispensare, vt altera ducatur vxor. Quia tolerabilis est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime cōtra statuta Domini separare, vt alias dixit *glos. in capit. In litteris 24. de testib. in capit. 2. de translat. Episcop.* ibi. Quoniā carnale veritate in fortius est, quia dissolui non potest etiam si interueniat consensus Papæ, & ipsorū coniugium in multis dissoluitur casibus, translatione &c. renuntiatione &c.

Matrimonij coniunctio, res fauorabilis dicitur, & e contrario eius dissolutio, vt deducitur *ex cap. videtur, qui matr. accus. poss.* vbi admittuntur testes, quia aliàs testificari non debent admitti. Ex ipsius coniugij prærogatiua, & quia fauorabilis res est: sic enim finitur ille tex. & in *capit. Directa 39. de appellat. etiam in fin.* ibi. Matrimonij, quod est res fauorabilis, *& in cap. Tua nos* ibi. Cum coniugium multum fauoris obtineat, testes qui ad diuortium celebrandum producti consanguinitatis gradus computant à stipite debent incipere, idest à parentibus, vel germanis, & sic per ordinem distinguere gradus, nominibus proprijs, vel æquipollentibus indicijs designando personas, præsertim cum sępius testimonium perhibeant de auditu, quod quia minus est validum, non est in articulo huiusmodi nimium laxanda facultas *de consang. & affi. 1.*

Aduersus matrimonium audiri non debet, quæ ante cognitionem sui, legitimum annum attingens, cum potuit, minime reclamauit: Sicut enim ante legitimum consensum potuit dissentire, sic postquam legitimo tempore accedente, semel etiam copulę carnali consentit ex ratiabitione sibi super hoc silentiū indixisse, ita inquit *cap. Insuper 4. qui matr. accus. poss.*

In matrimonio carnali non statur confessioni viri, & vxoris, si contra matrimonium confiteantur, quia sæpe ad inuicem colluderent, vt separarentur, vt dicit *decretalis super eo de eo, qui cogno. consang.* Sed in spirituali matrimonio, si aliqua de qua constat, quod fuerit primo vxor ante ingressum monasterii, postea confiteatur in iudicio, quod ante ingressum cognita fuit a viro debet sibi restitui, ita ponit *glos. verbo Mulieres in cap. Cum causa 6. de raptor.*

Certe hoc iure vtimur. Ne bene concordantia matrimonia iure patriæ potestatis dissoluantur, inquit *l. 1. in fin. ff. de lib. hom. exhib.*

Quod causa matrimonij contrahendi viro datur, inter lucrum non numeratur, sic disponente *l. vnic. C. de impone. lucrat. discript. lib. 10.* ibi. Si vero, vel socer futurus, filii vel nepotis, vel pronepotis sponsæ affinitatis coeūdæ causa donauerit, vel parens etiam filiam neptem, vel proneptem curiali, seu extraneo nubentem dotauerit, licet casus euentu, res ei, cui data est, versatur ad lucrum, nec inter lucratiuas numerabitur, nec descriptionis oneri subiacebit. Nec enim iuris optimi est matrimonium, cum tot tantisque suis difficultatibus opprimatur: aduentitiis etiam cumulare ponderibus.

In dubio præsumitur potius fornicatio, quam matrimonium, dicit *glos. vlt. in cap. vnico de scrutin. per tex. in cap. A-*

liter

liter 30. *quaest.* 5. cuius omnia verba ita se habent. Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus, & à propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter (vt mos est) cum precibus, & oblationibus à sacerdotibus benedicatur: & à Paranimphis (vt consuetudo docet) custodita, & consociata à proximis congruo tempore petita, à legibus dotetur, ac solemniter accipiatur: & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant. Item. Ita per acta legitima scitote esse, connubialiter vero præsumpta, non coniugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationis potius, quam legitima coniugia esse non dubitatur.

Matrimonium contrahi non potest inter personas, his versibus contentas, secundum *doct. in capit. Gaudemus de diuort.*

Nata, soror, neptis, matertera, fratris, & uxor.
Et patrui coniux, mater, priuigna, nouerca.
Vxorisque soror, priuigni nati utriusque.
Atque sorore patris coniungi lege uetantur.

Alios ponit *Hostiens. in sum. lib. 4. de matrim. sub num.* 26.

Medicus.

ALias dicitur parabolanus *in l. Placuit* 17. *C. de Episcop. & cler. vbi glos. verbo Parabolani* sic explicat idest medici, sic dicti, quia multas habent parabolas, qui & circuitus vocantur, & forte ob id appellantur etiam circulatores *in l. si duas 6. ff. de excusat. tut.* sed melius explicat ibidem *glos.* Dicens Circulatores, alias circitores, alias circuitores, quia circuibant ciuitatem sanando ægros &c. vocantur etiam Archiatri, vt in *l. 1. C. de comit. & archiat. lib.* 12. ibi. Archiatros, intra palatium militantes ex quo infertur etiam medicos dici militare, prout aduocati, sed non intelligas in omnibus medicis, sed in his, qui sunt in palatio tantum, *vt ex d. l. patet.* Patroni vero causarum omnes militare dicuntur ex his, quæ dicta sunt Verbo Aduocatus.

Medici, seu Archiatri, vel parabolani sunt immunes ab hospitalitate per *l. 8 C. de metat. lib.* 12. his verbis Archiatros nostri palatij, nec non vrbis Romæ, & magistros litterarum pro necessarijs artibus, vel liberalibus disciplinis, nec non picturæ professores, si modo ingenui sunt, hospitali molestia quo aduiuent liberari præcipimus. Non autem erunt immunes medici animalium, quia tales, licet medici dicantur, improprie tamen medici appellantur, vt inquit *glos. verbo. medici, in l. 1. C. de excusat. artif. lib.* 10.

Excusantur etiam à tutela medici iuxta *d. l. Si duas 6. ff. de excusat. tut.* ibi. Medici, qui & circulatores vocantur, quemadmodum à reliquis muneribus, ita & à tutela, & à cura requiem habent. Sed quid dices de his, qui aliquam corporis partem medentur? non ausus fuit affirmatiue respondere *Vulpian. in l. 1. ff. de var. & extraord. cog. sed dixit.* sic Medicos fortassis, quis accipiet etiam eos, qui alicuius partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur, vt puta si auricularum, si fistulæ, vel dentium. Non tamen si incantauit, vel imprecatus est, & (vt vulgari verbo impostorum vtar) si exercizauit non sunt ista medicinæ genera: tamet si sint, qui hos sibi profuisse prædicant. *Bart.*

tamen

Digitized by Google

tamen ibidem dicit omnes prædictos medicos non esse, & sic non erunt immunes. Sed *Bald. in l. 1. numer. 7. C. manda.* tenet contrarium, exceptis incantatoribus: forte quia (vt dicitur) ipse olim fuerat medicus; quod certe non dixisset si in eadem scientia medicinæ permaneret. Veri namque medici abhorrent valde istos auricularios dentarios, articularios, & herbularios.

Medicus principis dicitur habere dignitatem, & ea fungitur de qua *in l. vnic. C. de comit. & archiat. Sacr. Palat. lib. 12. vt notauit ibidem Bart.* dicens. Nota hanc legem pro medico Papæ, vel Principis, vt hac dignitate fungatur.

Mercator vrbibus prodest, medicus ægris magno venalibus, sed omnes isti, qui ad alienum cõmodum pro suo veniunt, non obligant eos, quibus prosunt, dixit *Senec. lib. 4. de benef cap. 13. ad fin.* Sed multoties nocet medicus per imperitiam, & tunc tenetur quasi ex maleficio, sed certe dicas ex maleficio, vt inquit *glos. verbo ex damno per tex. ibi in l. ex maleficijs §. Si quis absentes ff. de act. & in §. Si iudex*; dat rationem dicens, quia imperitia culpæ annumeratur, & facit *l. Illicitas in §. Sicuti ff. de off. præsid.* Sicuti (inquit Vlpian. medico imputari euentus mortalitatis nõ debet: ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet, prætextu enim humanæ fragilitatis delictum decipiẽtis in periculo homines, innoxium esse non debet. *Et in l. Qua actione §. vlt. ff. ad l. Aquil. idem Vlpian.* sic. Proculus ait, si medicus seruum imperite secuerit, vel ex locata, vel ex lege Aquilia, teneri, *& in l. Seq. Cuius addit.* Idem iuris est si medicamento perperam vsus fuerit. Sed & qui bene secuit & dereliquit curationem, securus non erit, sed culpæ reus intelligitur. Et quot inueniuntur, qui per imperitiam necant, & per negligentiam, vel auaritiam ægros derelinquendo plures sepeliunt, quam vespillones, vt de primis dicit Martial.

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus,
Quod vespillo facit, fecerat, & medicus.

De secundis, quod illos non debeant derelinquere propter paupertatem in *l. Archiatri 9. C. de professor. & med. lib. 10.* ait Imp. honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter seruire diuitibus, *vbi glos. verbo Turpiter* sic. Erat enim turpe, quod propter diuitias suas aliquis diues citius curaretur, quam pauper, qui nihil dare poterat. Et hanc esse vnam ex causis, propter quam poterit medicus reprobari a Repub. videtur probare *l. Si duas 6. ff. de excusat. tut.* ibi. & circa operationem se negligenter non habeant, *& l. Seq.* sic. Et reprobari medicum posse à Republica, quamuis semel probatus sit, *vbi not Apostill.* dicens. Ex causis postea emergentibus: idem *in l. vt gradatim 1 t. §. Quoties ff de muner. honor.* ibi. Reprobari posse medicum à Rep. quamuis semel probatus fuerit Diuus magnus Antoninus cum patre rescripsit, vbi *glos. verbo reprobari* sic. Sic causa reprobandi fuerit consonat *l. Grammaticos 2. C. de professor. & med. lib 10. & glos. verbo semel in l. Pomponius 10. de negot. gest.* ibi. Sed è contra est in medico semel probato, qui potest reprobari &c.

Idem est adhibere malum medicum infirmo, ac nullum adhibere sic deducitur ex tex. *in l. Quod si nolit §. Si plures ff. de adil. ed. ibi.* Etiam si non adhibuit medicum, vt sanari posset, vel malum adhibuit culpa sua, *vbi glos.* post alia sic. Item arg. similiter contra hæredem, qui testatori non adhibuit medicum, vt priuetur hæreditate per *l. Indignum ff. de his quib. vt indig. & ad-*

dit *Apostill.* sic. Quemadmodum maritus priuatur lucro dotis propter remedium non adhibitum vxori ægrotæ; ita etiam priuatur si medicum adhibet malum. Quod limitarem in casu,quo ægrotus haberet fidem, & deuotionem ipsi imperito medico: nam, vt inquit *Auicen. 6. natural.* Imperitus medicus propter fidem, & deuotionem ægri,facilius sanabit ægrotum, quam peritus, & doctus: cuius dicto videtur standum; Quando autem requiratur dictum plurium medicorum, vel vnius tantum, videas *Abb. in cap. Proposuisti a nu. 4. cum seq. de probat.* late ex multis Bertach. in suo repert. verbo Medicus in princip.

Medicus, quando infirmum curat, neque semper fame detinet,neque semper larga mensa frui finit, & non voracitas febrem pariens, augeat febrem, fames vero infirmiorem cum faciat: sed coniectans apud se quantæ sint ęgrotantis vires, & diligenter vtens arte omni sua in medium affert dixit *Chrysost. in Genes. homil.4.*

Contraria diuinæ conditioni præcepta medicinæ sunt,quæ à ieiunio reuocant, lucubrare non finunt,ab omni intentione meditationis abducunt. Ita qui se medicinis dederit se ipsum sibi abnegat, dixit *Ambros.in psal. 20. relatus in cap. Contraria dist. 5.*

Medium.

Dicitur quod æqualiter distat ab vtroque extremorum *Arist. 2. Ethic. 5.* vbi etiam dicit, quod omnis situs superabundantiam, & defectum fugit;medium autem quærit, *& in cap. 6.* Medietas est laudanda, extrema autem non recta, nec laudabilia sunt, *& in 3. Ethic.7.* Medius actus laudatur in cunctis, *& c.2.* Iustum vtique erit medium damni, & lucri. Et apud nos, quam plura probant iura ex quibus aliqua adducemus.

In Auth. de nupt. §. Quoniam infirmat coll. 4. ita dicit Imperat. Cogitauimus medium quondam causæ ordinem inuenire, *& in Auth. de consul. post princ.* Quidam vero medium bene eligentes mediocribus pro pluribus cõtenti fuerunt,quoniam nos præcedentibus,quod medium est, optimum visum est esse; *vbi glos.* affert illud. Medium tenuere beati. *Et in §. ult. quib. ex caus. man. non lic. in Inst.* sic, ideo nos mediam quodammodo viam eligentes. Distinguit tamen ibidem *glos. verbo. Sed cum libertas in addit.* sic. Dic quod aut maior est præsumptio pro vna parte,quam pro alia, & tunc non eligitur media via, vt &c. secus quando nõ esset maior præsumptio pro vna parte, quam pro alia, vt &c. *& in §. Cum aliena de rer. diu. in Instit.* ibi. Placuit media sententia, *& facit luc. 2.* ibi. Ego vero in medio vestrum sum, quod tradit *Apostill. in eodem §. Ex aliena coniuncta glos. ibidem verbo, media sententia*, quæ nec vni in totum, nec alteri concordat, vel discordat, sed distinguit,& *Apostill.* ad eandem sic. Dic quod in dubio scilicet extremorum æqualiter se habente, media via est eligenda,sed vbi clarum est pro altera parte, non.

In l. 1. ff. si pars hered. pet. sic dicitur. Quidam ergo prudentissimi iuris authores medietatem quandam secuti sunt, *& in l. Filio 7. ff. vt legat. no. cau.* ita. Sed melius est per mediocritatem causam dirimere. Mediæ magnitudinis videri legatam lancem responsum est: Si non appareat, quam lancem in his pater fam. demõstrare voluisset, inquit *l. Qui lancem 34. ff. de aur. & arg. leg. & ibidem per glos.* respondetur ad contraria, quæ dicunt minimam dandam. Limitando tamen in relictis ad fauorem religionis,quia tunc in dubio,quod maius est præstabitur, vt notat *per tex. ibi*

in

in sum. Bart. in l. Titia 40. §. Seia.eod. tit. de aur.& arg. Alias regulariter sufficit aliquid sufficienter præstari, licet non sufficientissime, vt probat *glos. verbo sufficiens in capit. Sententia de pac. Constan.*

Et in l. Sciendum 19. ff. de adil. edic. sic. Non vtique perfectum eum præstare debet, sed ad aliquem modum peritum vt neque eum summæ scientię accipias, neque rursus indoctum in artificio: sufficit ergo talem esse, quales vulgo artifices dicuntur. Nam in omnibus debet seruari modus, vt cum discretione fiant, dixit *glos. verbo Declarauit in Clem. Exiui de verb. sig. vbi ex Terent. in Adrian.* sic. Id arbitror in vita apprime esse vtile, vt ne quid nimis idem comprobat *glos. verbo Quamuis in ead. Clem.*

Glos. vlt. in l. Iulianus 38. ff. de rei vind. ita inquit. Si autem à principio bonæ fidei, & post cæpit esse malæ fidei eligitur quadam media via, & altera *glos. verbo, deducto,* idem dicit, ibi. Si autē cæpisset esse malæ fidei eligitur media via, *& glos. in l. Nec supina 6. ff. de iur. & facit ignor.* ibi. Nota ergo ex hac lege medium tenendum, vbi *Apostill.* affert hunc versum.

Maior enim medijs gratia rebus inest.

Nota medium eligendum, inquit *glos. verbo, mediocri, per tex. ibidem in Auth. de trien. & sem. §. Illud quoque in fin. coll. 3.* ibi. Mediocri etiam potiantur iudicio, *& glos. verbo Bona fidei in §. certe de rer. diu. in Inst. sic.* ait. In ædificante eligitur media via, ita vt neq; vt malæ fidei puniatur, neque vt bonæ fidei expensas conseruet, quia permittitur abrasio &c.

Glos. verbo, non notanda, in cap. pen. de vit. & honest. cler. infert ex eo argumentum pro medio spectando per tex. ibi. Nimia breuitate, vel longitudine non notanda, *& glos. verbo modum, in cap. 1. de offic. custod.* ita Argumentum, quod ita exceditur modus in eo, quod est amplius, sicut in eo, quod est minus &c. & sic media via tenenda est, vbi ponit versus sequentes.

Cum media semper gaudebam ludere forma.
Maior enim medijs &c. & illud
Inter vtrumque vola, medio tutissimus ibis.

Promissio in genere mediocritatem respicit, dicit *glos. verbo ordinari in cap. litteras 14. de fil presb. & in cap. ex tua 12. verbo Studiorum de cler. non resid.* ita, sed sufficit si sit studium sufficiens, conueniens, siue mediocre, *& in l. 3. §11. verbo. Quo versatur ff. de in rem vers.* exceptis casibus, de quibus ibi. dicit ita. In alijs autem generaliter medium teneo, *Glos. vero vlt. in cap. 3. de censib.* sic ait. Argumentum, quod medium non sit inspiciendum. Solue medium spectandum est in dissentione opinionum, & opinio media magis est amplectenda. Et denique *glos. in regula, In obscuris 30. de reg. iur. in 6.* sic. Et potest dici, quod in speciebus, & artificijs medium inspicimus &c. In quantitatibus autem inspicimus, quod minimum est.

Medium trahit duo extrema, aliquando contra, aliquando alterum tantum, vt per *glos. vlt. in l. Qui sella 7. §. vnico ff. de seruit. rust.*

Medium attingere difficilimum est, inquit *Plin.* Et sic in omnibus seruare medium vltra hominem est, sic *glos. in cap. Charitas de pœnit. dist. 2. vers. sunt itaque gradus vide Abb. in cap. Ex parte 10. post num. 5. de consuet.*

Me-

Melioramenta.

DE his dicitur supra verbo, Impensæ, & infra sumptus. Verum ne transeamus pratum istud nullo flore lecto, legamus notabile illud *Abb. in cap. vlt. de pecul. cler. num. 2.* sic dicentis. Nota 2. quod si prælatus ex industria personæ suæ facit rem Ecclesię meliorem, non potest repetere, quod impendit ex industria sua, sed cedit Ecclesiæ. Credo tamen, quod si prælatus ex suis patrimonialibus impendit Ecclesiæ aliquid non sua contemplatione, sed Ecclesiæ, poterit ipse aut suus hæres repetere, id quod impendit de suo, & affert *tex. cum sua glos. notabilem, in cap. 2. 13. quæst. 4.* qui sic ait. Hi vero qui suarum rerum noscuntur habere compendium: ex omni re, quam post ordinationis suę diem visi sunt conquisisse: siue nulla, siue aliqua sint instrumenta confecta: compensatione tam sui iuris, quam Ecclesiasticarum rerum habita, si se vtriusq; rei quantitas exæquaret, inter Ecclesiam, & decedentis hæredes æquo iure conquisitio pertinebit, *glos. autem verbo compensatione*, ita dicit. Compensatione, idest computatione, vel collatione, hoc vult dicere, quod computabit quantum de suis rebus, & quantum de rebus Ecclesiæ dedit pro re empta, vt secundum hoc diuidatur inter Ecclesiam, & hæredes defuncti &c. Sed quicquid emit, emit de patrimonio proprio tantum; & solis reditibus Ecclesiæ fuit vsus, videtur quod computandi sunt illi sumptus quos consueuit facere de proprio patrimonio, ac si non haberet Ecclesiam. Sed quid si dubitetur an de proprio patrimonio, vel de reditibus Ecclesiæ melioramenta fecerit? Dic quod in dubio præsumitur ex vtriusque parte, iuxta quæ *Bart. in l. Sed & si lege §. Adeo per tex. ibi ff. de petit. hæred.*

Emphyteota melioramenta faciens in re Emphyteotica, sibi facit, & non domino directo notat *Bald. per tex. in l. Cum pro pecunia num. 1. C. de solut.* ibi. Est vtilis ista lex pro Emphyteotis, & feudatarijs, qui etiam solicitudine, & cultura vberiores fundos fecerunt, & cariores, vt per hoc nec fundus, nec Emphyteosis ipsis auferri possit, nec etiam canon augeri. Quod enim contingit prosperitate fortunæ, aut industria ipsorum ad eorum commodum debet cedere.

Si vero post melioramenta facta, rem deteriorem fecerit, perdet eam, nec antea facta melioramenta recuperabit, ita in expresso est *tex. in Auth. qui rem C. de Sacros. Eccles.* Qui rem (inquit) huiusmodi conductam, vel in Enphyteusim acceptam fecerit deteriorẽ &c. hac lege repelli potest, vt tamen soluat totius temporis pensionem, & id in quo rem læsit resarciat, non repetiturus, si quid impendit nomine meliorationis. Quod intelligit *Bald ibi. num. 3. & 4.* quando deterioratio sit facta in re, & attendat ad proprietatem, non vero respectu fructuum; & non sit modica, sed notabilis quantitatis; & quod procedat dolo, lata, vel leui culpa, non vero leuissima.

Melioramentorum ratio venit in actione quæ nascitur ex stipulatu pro euictione vt dixit *glos. verbo regressus in l. 1. ff. de euict.* ibi. Nota ergo rationem meliorationis in actione exstipulatu, & exempto, quæ datur pro euictione, haberi. Et ibidem respondet ad arg. in contrarium.

Membrum.

DIcitur à metior metiris, quod est partiri, & diuidere, vnde membrum dicitur quasi corporis est ita ex Hugo relato à *Bart. in l. 2. sub. numer. 13. ff. de public. iudi.* vbi quærens an digitus sit membrum, & pro vtraque adducens rationes, & authoritates concludit sic: Modo si largo modo assumimus membrum pro qualibet particula corporis, quælibet particula corporis dicitur membrum. Nam sicut dicitur domus, & quælibet lapis est pars domus, *vt not. in l. Eum qui ades ff. de vsu cap.* ita quælibet pars corporis dicitur membrum largo modo sumendo: sed propriè loquendo illas appellamus partes rei, quæ distinguuntur per partes officiorum, seu ministeriorum &c. modo in proposito, illa dicuntur proprie membra, quæ habent diuersa officia, vt pedes ad ambulandum, aures ad audiendum, oculi ad videndum, & manus ad palpandum, & similia, Ista alia, quæ coadiuuant officium membri proprie appellantur officia non membra. Sic manus membrum appellatur *in Auth. Sed nouo iure* si criminis qualitas membri abscisionem exigat, vna sola manus abscindetur. *C. de seru. fug.* digitus autem non dicetur membrum, *l. Item Offilius* 10. ibi. Si homini digitus abscisus sit, membri ve, quid laceratum *ff. de ædil. edict.* ex natura alternatiuæ, seu coniunctionis, ve, quæ ponitur inter diuersa, dum enim digitus abscisus, membri vè quid laceratum, clare constat digitum diuersum esse à membro, & per consequens non membrum. Sed pars, vel officium membri iuxta *l. Quæritur* 14. *§. Si quis digitis* coniuncti nascatur, non videtur sanus esse, sed ita demum si incommodatur ad vsum manus *ff. eod. tit. de ædil. ed.* licet *in capit. 1. de corp. vitiat.* videatur contrarium ibi. quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quia id procedit ratione scandali vitandi in celebrante. Linguam vero membrum esse dicit idem *Bart. d. num. 13. ex l. Si cui lingua d. tit. de ædil. ed.* non autem dentem, *vt in l. cui dent eod. tit.*

Longe multo pulchrius est corpus, quod ex membris omnibus constat, quam ipsa membra singula, quorum ornatissimo conuentu complectur vniuersum corpus, quamuis & illa etiam singulatim pulchra sint dixit *Aug. lib. 13. confess. cap. 28.*

Dominus membrorum suorum, nemo videtur. inquit *Iurecons. in l. liber homo ff. ad l. Aquil.* per quam *l. glos. verbo Dominus in Extrauag. 3. de verb. sig.* ita dicit. Licet autem quis suorum actuũ dicatur dominus per naturalem libertatem arbitrij: non autem membrorum suorum dicitur dominus, vt illorum æstimationem facere possit, cum illa æstimationem non recipiant, *l. ex hoc ff. si quadr. paup. fec. dic. & l vlt. ff. de ijs, qui deiec.*

Capiti tanquam principali membro, & digniori, cætera membra videntur subordinari, & subalternari, non enim decet, vt membra à capite discrepent, aut aliter gerant, vt dicitur *in cap. celebritatem de consecr. dist. 3.*

Memoria.

VEntrem esse animi dixit *Augustin. lib. 10. Confess. cap. 14.* ibi. Nimirum ergo memoria venter est animi: & optima cum ratione ex his, quæ *Gregor. 3. 1. part. past. c. 13.* ibi. Sicut venter consumit escas, ita mens excoquit curas. Lætitia itaque atque tristitia, quasi cibus dulcis, & amarus, cum memoriæ mandatur, quasi traiecta in ventrem recondi illuc possunt, sapere nõ possunt

Apud

Apud *Arist. vero in lib. de memo. & remi.* Dicitur iterata resumptio alicuius apprehensi sensu, vel intellectu. Et nota, quod non dixit, omnium apprehensorum, sed alicuius: nam (vt inquit Imperator *in l. 2. vers. Si quid autem in tanta legum compositione C. de veter. iur. enucle*) Omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, diuinitatis potius, quam humanitatis est.

Memoriæ melius commendantur, quæ vltimo dicuntur, dicit *glos. magna in princ. in rub. de reg. iur. in 6. & probat capit. liquido de consecr. dist. 2.* ibi. Namque saluator, quo vehementius commendaret misterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, a quibus erat ad passionem digressurus.

Hominis memoria labilis est, & durare potest intra annum, vt dixit *Labeo in l. Si arbiter 28. ff. de probat.* ibi. Potest enim hoc memoria teneri intra annum, puta factum, quam allegat *glos. magna in cap. Si testes 4. quast 3.* dicens sic. quia memoria hominum quandoque non habetur vltra annum. Et facit ratio de qua *Imp. in l. 2. C. de veter. iur. enucle in §. Sed quia* ibi. Humani vero iuris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est in eo, quod perpetuo stare possit. Et quandoque post decem annos, præsumitur à memoria, quidquam cecidisse, vt notat *glos. verbo, vel longo in l. furtum 37. ff. de vsucap.* ibi. id ex obliuione, quæ ex longa absentia prouenire præsumitur, *per l. Peregre 44.* ibi. Cum reuersus locum thesauri memoria non repeteret *ff. de acquir. poss.*

Perdit etiam memoriam bene agẽdorum mens alienis distrata cogitatibus, vt dixit *glos. verbo, distractione, in Extrauag. vnic. de sentent. excom.* Perdita autem memoria, an præiudicet obliuioso? Videtur quod non ex citata *l. Peregre* ibi. Nec infirmitatem memoriæ damnum afferre possessioni, quã alius non inuasit: sed contra ex eadem propter verba, quam alius non inuasit, Ergo si alius inuaderet preiudicium afferret, vt ibidem notat *glos. resolue tu.*

Cum quæritur an memoria extet ex facto opere? non diem, & consulẽ ad liquidũ exquirẽdum: sed sufficere factũ esse, hoc est, si factũ esse nõ ambigitur: nec vtiq; necesse est superesse, qui meminerint, verum, esse, qui audierint eos, qui memoria tenuerint, inquit *l. 2. §. Idem Labeo ff. de aqua plu. arc. & in l. Si arbiter 28. ff. de probat. ita.* Sed cum omnium hæc est opinio, nec audisse, nec vidisse cum id opus fieret, nec ex his audisse, qui vidissent, aut audissent &c. tum memoriam operis facti non extare.

Memoriam reuocare locum, vbi aliquid actum est, dicitur *in cap. valet 80. dist.* ibi. Nam locus, vbi quisque prauè vixerit in aspectu mentis apponit, quod sæpe. ibi. quisque cogitauit, vel gessit.

Iniocunda est temporis in gloria acti memoria, vt dixit *Iosepb. de antiq. lib. 19. cap. 7. in princ.*

Mendacium.

Est, *vt August. ait*, falsa significatio vocis cum voluntate fallendi, sed cũ fallere, semper fit voluntatis, falli autem, vel infirmitatis, vel temeritatis: grauius autem fit, quod ex voluntate, quam quod ex temeritate, vel infirmitate procedit. Aliquando contingit falli, vel nullum, vel minimum esse peccatum: aliquando ex ipsa rerum varia consideratione, minus esse fallere, quam falli; ita dicitur *in cap. Beatus Paul. ad fin. 22. quast 2.*

Si autem vis scire in quibus minus sit fal.

lere, quam falli audi eundem *August. in capit. in ipsarum eisdem 22. quæst. 2.* sic dicentem. Longe tolerabilius est in his, quæ à religione seiuncta sunt, mentiri: quam in his sine quorum fide, vel notitia Deus coli non potest, falli. Et prosequitur. Item quod dicitur, perdes omnes, qui loquũtur mendacium, non de omni mendacio intelligendum est. Sunt enim quædam mendacia, in quibus, & si fit aliqua culpa, non tamen damnabilia sunt: imo non tanquã mendacia habenda sunt, sunt, & alia mendacia, quæ sunt grauioris culpæ, de quibus intelligitur, perdes omnes, qui loquuntur mendacium, vt autem appareat, quæ mendacia sint venialia, & quæ damnabilia distinguendum est, quot sint genera mendacij.

Et in cap. 1. seq. Octo genera ponit sic dicens. Primum est capitale mendacium, & longe fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium, nulla conditione quiuis debet adduci. Secundum vt si aliquẽ lædat iniuste: quod tale est, vt nulli prosit, & obsit alicui. Tertium, quod prodest alteri, ita vt obsit alteri: quamuis non ad immunditiam obsit corporalem. Quartum sola mentiendi fallendique libidine, quod mirnm mendacium est. Quintum quod fit placendi cupiditate de suaui eloquio &c. Sextum genus, quod nulli obest, & prodest alicui: velut si quispiam pecuniam alicuius iniuste tollendam sciens, vbi scit nescire mentiatur. Septimum genus mendacij est, quod & nulli obest, & prodest alicui: velut si nolens hominem ad mortem quæsitum, prodere, mentiatur. Octauum genus mendacij est, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, vt ab immunditia corporali aliquem tueatur &c. Et in omnibus concludit, non esse mentiendum. Et si plura curiosa vis scire de materia. *Vide capit. Sequentia in d. 22. quæst. 2.*

Non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendaciũ est. Mendacium namque est se Christianum dicere, & opera Christi non facere. Mendacium est episcopum, sacerdotem, v clericum, se profiteri, & contraria hu ordini operari dicit *Ambros. in cap. C. uste 22. quæst. 5.* vnde inquit *glos. verb. confessus in cap. Cum super 23. de offi. delega.* Et ipso facto mentimur.

Non consideratis itaque rebus ipsis, de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est, qui falsum dicit, quoniam id verum putat, quan qui mentiendi animum sciens gerit, ne sciens verum esse, quod dicit ita *cap. Is autem 22. quæst. 2.*

Ideo Dominus inter iuramentum, & loquelam nostram nullam vult esse distãtiam: quia sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam: ita quoque in verbis nostris nullum conuenit esse mẽdacium. Sic *Chrysost. in cap. Iuramenti huiusmodi 22. quæst. 2.*

Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. Ait *August. in capit. Quisquis 11. quæst. 3.*

Indignissimum hominis est mentiri, vt dixit *Imperat. in l. Generaliter 13. C. de non num. pec.* ibi. Nimis enim indignum esse iudicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare testimonioq; proprio resistere.

Potius debere quenquam tormenta pati, quam mentiri deducitur *ex l. 1. §. in causa ff. de quæstion.* ibi. Alij tanta sunt impatientia, vt in quouis potius mentiri, quam pati tormenta velint, & ita fit, vt etiam vario modo fateantur, vt non solum se, verum etiam alios criminantur.

Noc mendacium obligantis impedit obligationem, nec vitiat dispensationem dixit *glos. verbo Falsa in cap. Ex causa*

14. *de conuers. coniugat. per tex.* ibi. Quamuis falsa sit causa, per quam ad susceptionem veli prædicta mulier est inducta &c.

Nec mendacio dicentis se esse vnde non fit deponitur: neque recusando quis patriam, ex qua oriundus est neq; mentiendo de ea, quam non habet, veritatem mutare potest, dicitur in *l. Assumptio 6. ff. ad municipal.* & ibidem, *glos. verbo, mutare*, ait. Et sic non nocet mentiri, quia statur veritati, *& additio* sic. Sed bene nocet mentienti, quia ipse punitur: & probatur ex statim sequentibus.

Qui mentitur in eo, quod est causa beneficij, perdit beneficium sic dicit *Bart. in sum. l. Sed & hoc 22. §. Quod autem ff. de re iud.* Cuius verba sũt, vt neganti se socium esse, aut ex doli clausula obligato non succurratur,

Et si legibus consentaneum sacrum oraculum mendax precator attulerit careat penitus impetratis dixerunt *Imp. in l. 5. C. si cont. ius. vel vtil. pub. & Pontif. in cap. Sedes 15. in fin. de rescript.* ibi. Tanquam mendax precator careat impetratis, *& in cap. Tam literis 33. de testib.* sic. Qui contra prædictum electum litteras nobis sub nomine maioris partis capituli destinauerunt (cum constet per attestationes prędictas longe maiorem partem Capituli non fuisse consciam huiusmodi litterarum) ab officio, & beneficio denuncietis esse suspensos.

Qui mentitur negando se esse fideiussorem, punitur in eo, quod non gaudet beneficio diuisionis, vt in *l. Si dubitet 11. §. Ita demum ff. de fideiussor.* ibi. Namque inficiantibus auxilium diuisionis non est indulgendum.

Si mulier interrogata, responderit se hæredem esse, si sciens, se hæredem non esse responderit, minime intercessisse videri, quia decepit, sic ait *l. 23. ff. ad Velleian. & in l. 1. §. pen ff. si quadr. paup. fec. iss. dic.* ita si in iure interrogatus an sua quadruples esset, responderit non esse suam, si constiterit eius esse, in solidum condemnabitur, *vbi glos. verbo, esset*, ita sic ergo ex suo mendacio punitur. Et in *l. 4. ff. quod cum eo*, ibi. Vt puta si patrem fam. se mentitus est &c. Et si facere non possit conueniendum propter mendacium. Et ibidem etiam notat *glos.* puniri mendacium, & in *l. de ætate §. Si cum esset ff. de interrogat. act.* ibi. Cum esset, quis ex semisse hæres, dixerit se ex quadrante, mendacij hanc pænam feret, quod in solidum conuenietur. Non enim debuit mentiri, & in *Conc. Trid. sess. 13. cap. 5. de reformat.* ibi, Cum non ferendum sit, vt mendacium, quod tantopere Deo displicet, non modo ipsum impunitum sit, verum etiam alterius delicti veniã impetret mentienti.

Propter mendacium onus probandi incumbit reo, vt deducit, *glos. ex tex. in cap. vlt. de solut.* ibi. Nisi aduersarius solutionem inficiens exinde conuincatur; tunc enim diffidenti incumbit onus probandi. Et ex possessore rei, fit mendax petitor, propter mendacium, vt notat *glos. verbo Transferat in Auth. Item possessor C. qui pot. in pig. & in Auth. de trien. & sem. §. Illud quoque coll. 3. verbo possessio* ibi. Nota pænam imponi propter mendacium de translatione possessionis, *& tex.* ait. Pro abnegatione namque ad actorem trãsferatur rerum, de quibus est quæstio facta, possessio. Reus, actor, vel curator negans propriam scripturam, & de mendacio conuictus pæna dupli punitur, vt in Auth. qui propriam scripturam, qua conuenitur abnegat, vel numerationem inficiatur conuictus in duplum condemnetur. *C. de non num. pec.* & ibidem notat *glos. verbo Facta solutio*.

Ad pænam dupli promissam ob euictionem, mendacem teneri etiam actione exem-

ex empto dicit *l. Si decem* 10. *ff. de statulib.* ibi. Aut si dupla promissa est ob euictionem dumtaxat duplæ repetitio erit, & ex empto propter mendacium, *& glos. verbo duplum in l. Inde* 23. *§. hac actio ff. ad l. Aquil.* sic. Nota hic ex mendacio quem puniri in plus *per tex.* ibi. Aduersus negantem in duplum, eadem verba ponit altera *glos. in l. contra negantem per tex.* ibidem *C. de leg. Aquil.*

Interesse propter mēdacium præstandum esse probat, *glos. vlt. in l. Iulianus ad fin. ff. de act. empt. per l.* 1. *§.* 1. *ff. de eo per quem fact. erit.* Si autem mendax non afficiat alterum damno non punietur propter mendacium, vt probat *glos. vlt. in l. Fundum* 46. *§.* 1. *ff. de euict.*

Hæredem non posse allegare defuncti mēdacium tradit *glos. vlt. in l. Rem alienam* 41. *ff. de pignor. act. per tex.* ibi. Vt ex suo mendacio arguatur improbe resistit quominus vtilis actio moueatur.

Minor ætas facilis est ad mentiendum, habes *verbo ætas*, sed ignoscitur ei *l. Electio* 26. *§. Neque hæredi ff. de noxal. act.* ibi. Si negaueris &c. postea fateri poteris, nisi si iam lis aduersus te cōtestata est: nam tunc audiri non debebis &c. Ex causa etiam lite contestata tibi succurrendum, vtique si ætas tua ea sit, vt ignosci tibi debeat.

Notabilis est *l. Qui totam* 45. *ff. ad Trebell.* dum Modestinus ibidem permittit, sed & consulit hæredi rogato restituere, vt suspectam dicat hæreditatem, quæ alias minime suspecta est, vt eam coactus adiat, ex quo deducit ibidem *glos. pen.* sic. Et secundum hoc si dicat suspectam non mentitur, quod quidem concedunt hic mentiri. Et addit *Apostill.* Quando mendacium, non est alii perniciosum, sed suæ salutis præseruatiuum, secundum *Ang. licet Imol. & Alexan.* contra, & pro istis faciunt, quæ *ex August. supra in princ.*

Mendicantes.

Dicuntur qui certas possessiones, vel reditus habere non possunt, sed per quæstum publicum eis victum præbet incerta mēdicitas dixit *glos. verbo Mendicantium in cap. Quorumdam* 24. *de elect. lib.* 6. Vnde dicit *Card. in Clem.* 1. *de regular.* quod mendicare est egere, & necessaria ad victum ab aliis, quærere. Et dicitur à Mene, quod est defectus, vel luna, quæ defectum patitur, vt per eundem *Card. col.* 5. *Bald. vero in Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccles. sub num.* 33. sic dicit Mendicantes dicuntur illi, qui non habent proprium indiuiso, & singulariter; nec in communi idest collegialiter, vnde quod apponitur eis ad comedendum, & bibendum non dicitur esse eorum, licet mero vsu potiantur, secundum quosdam. Alii tamen &c. *& num.* 34. sic Mendicantes dicuntur, qui nec collegialiter, nec singulariter habent proprium, vt in *cap. Nimis il* 2. *de excess prælat. & ibi per Hostiens. &c.*

Prædicatores, Minores, Eremitas Sancti Augustini, & Carmelitas Mendicantes esse probat *glos. verbo quos licet in Clem.* 1. *de regular.* per iura, quæ ibi, ex quibus colliges differentias mēdicantium ad non mendicantes.

In d. Clem. 1. *de regular.* sic statuitur. Sacro concilio approbante statuimus mēdicantes quoslibet, qui ad non mendicantium ordines etiam authoritate Apostolica transibunt in posterum, qui in hactenus transierunt, quamuis nunc prioratus administrationes, vel officia, aut curam animarum, vel regimen, quodcumque obtineant, inibi vocem, aut locum in capitulo non habere: etiam si hoc sibi ab alijs concedatur, quam dispositionem etiam habere locum in fæminis ordinum mendicantium,

tium, si transeant ad non mendicantes dicit ibidem *glos. d. verbo quoscumque.* *Glos. verbo Officia in eadem Clem.* 1. sic infert. Ergo non poterunt esse Sacristæ, Camerarij, Castaldi, Aeconomi, Syndici, vel similes, & egerent hac etiam declaratione &c. sed quid in prædicatione? & respondet, quod putat non posse prædicare ex his quæ affert.

Mendicantes validi Eleemosynam petentes, sunt in seruitutem redigendi, sic iustissimè disponente *l. vnica C. de mendic. val. lib.* 11. in hæc verba cunctis, quos in publicum quæstum mendicitas vocauerit inspectis, exploretur in singulis, & integritas corporum, & robur annorum: atque inertibus, & absque vlla debilitate miserandis necessitas inferatur, vt eorum quidem, quos tenet seruilis conditio proditor studiosus, & diligens dominium consequatur: Eorum vero quos natalium sola libertas prosequitur, colonatu perpetuo fulciatur &c. & hic notat *Bart. ad fin.* quod tales, qui fingunt causas mendicitatis, possunt puniri extraordinem per ciuitatis rectorem.

Mens.

IN omnibus dispositionibus mens attenditur potius, quam verba. Nam in dispositione legis, dicit *glos. verbo publice in Clem.* 1. *de sepultur.* sic. Ad hoc mouet mens, & ratio iuris præponderanda verbis. in statuti dispositione. *Bart. in l. Seruo legato §. Si testator ff. de legat.* 1. ibi. Per istam *l.* & similes dixi pluries in statutis &c. licet ad eos non derigantur verba dispositiua &c. *glos. vlt. in l. Tale pactum* 41. *§. vlt. ff. de pact.* ibi. Item nota id esse de iure seruandum, licet non sit statutum, quod verisimile est, statutum fuisse, si hoc quæsitum fuisset, & probat *l. Hominis* ibi. Verbum ex legibus, sic accipiendum est: tam ex legum sententia, quam ex verbis *ff. de verb. sig.* Et ratio legis, & mens legis idem est, vt inquit *Bart. in l. Cum mulier num.* 1. *ff solut. matr.* Vnde fraudem dicitur quis legi facere, si contra mentem eius facit, idem *Bart. in l. Non dubium num.* 6. *C. d legib. & facit l. Contra legem* 28. ibi. Qui saluis verbis legis sentētiam eius circumuenit *ff. de legib.* Et vt excuses aliam allegationem est *tex. capitalis in l. Scire oportet* 15. *§. Aliud ff. de excusat. tut.* ibi. Sed & si maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult.

Mentem contrahentium spectandam dicit, *glos. pen. in l. Si in venditione* 7. *ff. com. præd.* ibi. Et mentem contrahentium inspiciendam, & non tantum verborum significationem, & in *l. Iuris gentium §. Pactorum ff. de pact.* ibi. Non minus ex verbis, quam ex mente contrahentium æstimandum est, *& in l. Sed celsus §. Si fundus ff. de contrah. empt.* ibi. In emptis enim, & venditis potius, id quod actum, quam id quod dictum sit, sequendum est.

In vltimis voluntatibus testatoris mentem inspici debere deducitur *ex l Non aliter* 67. *ff. de lega.* 1. *& ibidem glos. verbo* Testatorem alia quam plurima allegat iura coniuncta *l. In conditionibus* primum locum defuncti voluntas obtinet eaque regit, *ff. de condit. & demonstr.* Mens namque testatoris, quæ colligitur ex verbis, vel coniecturis præfertur proprio verborum significatui, dicunt *doct. per l. Fideicommissa* 11. *§. Item si quis ff. de legat.* 3. *l. Cum proponebatur* 66. *ff. de legat.* 2 *l. Cum virum* ibi. Voluntas magis quam verba plerumque intuenda est, *C. de fideicom. l. Cum quæstio* 23. *in fin.* ibi. Vestigia enim voluntatis testatoris &c. *C. de legat. & in l. Generaliter* 24. *in fin ff. de fideic. libert.* ibi. Non enim verba tantum fideicommissi, sed & mens testato-

stato-

ſtatoris tribuere ſolet libertatẽ. Quin imo ſi de mente conſtat, de verborum qualitate nihil curabimus, & non ſolum ſi de mente expreſſa, ſed & ſi de tacita apparet, illa verbis anteferenda eſt, vt notat *Bald. in l. Quoniam indignum C. de teſtam.* vbi bonus tex. dicit etiam *Bald. in l. fin. C. de codicill.* quod in dubio mens teſtatoris prævalet menti legis.

Oſtenditur autem mens, ex verbis proœmialibus, & ex his, quæ in diſpoſitione narrantur iuxta *l. vlt. ff. de hared. inſtit.* ibi. hac præfatione: Quia hæredes, quos volui mihi contingere, habere non potui &c. & ibi tamen ex voluntate teſtantis, putauit Imperator ei ſubueniendum. Et ex actibus exterioribus inquit *Clem. Exiui de verb. ſig.* ibi. Cum enim ad veritatem vitæ pertineat, vt id quod exterius agitur, interiorem mentis diſpoſitionem, & habitum repræſentet. Et ex coniecturis *l. Si ſeruus plurium 54. §. vlt. ff. de legat. 1.* ibi. Sed & mens patris fam. & legatarij dignitas, & charitas &c.

Mentem partium demonſtrari ex conſuetudine loci dicunt *doct. per l. Si de interpretatione, & per l. Minime ff. de legib.* idem in mente teſtatoris dicit *d. l. Si ſeruus §. vlt.* ibi. patris fam. conſuetudo, deinde regionis, in qua verſatus eſt exquirenda eſt. Et quod mens partium potius quam ipſa ſcriptura debeat inſpici, dicit *l. 1. C. Plus val. quod agit.* per hæc verba. In contractibus rei veritas potius, quam ſcriptura proſpici debet. Et in teſtamentis citata iam *l. Quoniam indignum C. de teſtam.*

Mens reſtringit verba, vt dicit *Bald. in l. Cum Aquiliana numer. 1. C. de tranſact.* ibi. Verba reſtringuntur ad cogitatum &c. Verba enim ſunt ſicut corpus; mens eſt ſicut anima, & ſpiritus, vnde prævalet mens, dum tamen ex verbis colligi poſsit; probat idem *Bald. in citata l. Cum virum numer. 20. C. de fideic.*

Quod menti conuenit, ſequendum, & nõ quod ei reſiſtit, vt inquit *gloſ. in Clem. 1. verbo, notitia, in fin. de conceſſ. prab.* ibi. Et hoc conuenit menti, ſecus, vbi mens reſiſteret.

Mens principis in dubio ſemper præſumitur talis, qualis de iure eſſe debet, ita vt nemini faciat iniuriam, nec in iure publico, nec priuato, vt dicit *Bald. in l. Ex facto num. 2. & 6. ff. de vulgar.* ſic & eodem modo, mens iudicis, idem *Bald. in l. 1. C. de negot. geſt.*

In dubio quis præſumitur talem mentem habuiſſe à principio, ſicut apparet in fine *arg. l. Si quis adulterij C. ad l. Iul. de adult.* ita ex *Anchar.* dicit *Apoſtill ad gloſ. verbo, mutata, in capit. Cum ex eo 34. de elect. lib. 6.* Nemo enim æſtimandus eſt dixiſſe, quod antea non cogitauit, vt probat *gloſ. verbo Monaſterio in cap. vlt. de ſucceſſ. ab inteſt.*

Cum mens, accepta deſideria ſequitur, ſeruire rebus conuincitur, quarum amore ſuperatur *ex D. Gregor. refertur in cap. 1. 14. quæſt. 1. ad fin.*

Proxima intuemur, ad vlteriora non proſpicit mens hebes, & quæ ſe corpori addixerit, dixit *Senec. Epiſt. 72.*

Perdit memoriam bene agendorum mens alienis diſtracta cogitationibus inquit *gloſ. verbo Diſtractione in Extrauag. vnic. de ſent. excomm.*

Mentecaptus.

HVius diuerſa eſt ſpecies à furioſo, de quo iam dictum extat ſuo loco, licet enim in cura datiua æquiparentur, *vt in Auth. vt ij qui obligat. coll. 6.* ibi. Et hæc dicimus in omni curatione: in quibus omnino curas aliquorum introducunt leges, prodigorum forte, aut furioſorum, aut amentiũ tamen in legi-

tima

titma, non reperitur, nisi in furioso, & prodigo, *vt not. de curat. fur. in Inst. prout.notauit Bald. in l. Si furiosi num. 3. C. de nupt. vbi n.4.* sic diffinit. Mentecaptus est cum mens deficit, & consilium animi non habet; tamen nullum furorem ostendit, sed extrinsecus in quodam habitu mentis quietæ, *& in l.2. C. de curat. fur. num. 1.* ita Mentecaptus habet furorem latentem: Furiosus habet furorem patentem, *vbi num. 3.* Quo ad restitutionem illos æquiparat; quod vero ad curatores differunt, vt supra, & concordat *Bart. in d. l. Si furiosi C. de nupt. num.2.* ibi. Quid de mentecaptis, & alijs fatuis personis? Certè hadebunt datiuos non legitimos. Notabis quod duas species ponit *Bald.* Mentecapti *in l. Humanitatis numer.15. C. de impub. & alijs* ibi. Mentecaptus dicitur dupliciter: vno modo cum sæua dementia, & quadam veluti rabie, alio modo, cum quieta dementia.

Mentecaptus autem nemo præsumitur, sed sanæ mentis, nisi contrarium probetur *l. Nec codicillos C. de codicill. ibi.* Asseuerationi tuæ mentis eum compotem fuisse negantis, fidem adesse probari conuenit, *vbi Bald. not. & tradit glos. verbo Monasterio in cap. vlt. de success. ab intest.* ibi si non probauerit verba ista, alienata mente dixisse. Sed quomodo probabitur mentecaptus esse? Ex his quæ agit, dicit, vel iubet, *vt not. per tex. in l. Furiosum C. qui testa. fac poss.* & melius in *l. Quidam in suo 27. ff. de cond. inst.* vbi testator instituens hæredem sub ea conditione, si reliquias eius in mare abijciat *dicit Modestinus* ita. Sed hoc prius inspiciendum est, ne homo, qui conditionem talem imposuit, non compos mentis esset; Igitur si perspicuis rationibus, hæc suspicio amoueri potest &c. Dum ergo requiritur hic probatio sanæ mentis, bene probatur mente captus ex tali conditione, & faciunt, quæ *Alex. & Aly in l. Si cum dotem §. Si maritus ff. solut. matr.*

Mensis.

Debet triginta dies habere, & quia est quoddam medium, & quia vulgus sic recipit ita dicit *glos. verbo mensem in cap. Quam sit 6. de elect. lib.6. in addit.* Si autem iudex dat terminum vnius mensis de quot. diebus intelligatur talis mensis? quærit eadem *glos.* & determinat, quod debet intelligi secundum, quod mensis currit: Vt modo sumus in Augusto, qui habet triginta, & vnum dies, modo si vigesima tertia datur die dilatio vnius mensis, tunc hodie incipit terminus, & vigesima tertia die Septembris finietur mensis, & hoc est verum nisi aliud exprimatur. Et ita prædictis formalibus verbis illam *glos.* intelligit *Bart. in l. Cum bisextus num.1. ff. de verb. sig. & in l.2. num.6. C. de tempor. appellat. Vide etiam Cardinal. in Clem. 1. §. Sane de stat. Monach.*

Mensis primus apud Hebræos fuit Aprilis, *vt in cap. Huius obseruantia §. Primum vero mensem 76. dist.* ibi. Non hebræorum ratione &c. Primus enim mensis apud illos est Aprilis, & notat *glos. verbo, primus mensis, in cap. Celebritatem de consecr. dist.3.* vbi intelligit de mense lunari, non solari, Hebræi enim annum solare non attendunt, sed lunarem, vt ibidem. Apud latinos fuit Martius, & nunc est Ianuarius, vt dicit *glos. in casus positione d. cap. Huius obseruantia, & cap. Ieiunium* ibi. Mense decimo, qui apud nos dicitur. Ianuarius eo quod sit anni ianua atque principium *d.76. dist.*

Mensura.

Est illud per quod cognoscitur quantitas rei Secundum *D. Thom.* 1.2. *qu.* 90. *art.* 1. Debet autem esse æqualis. Et indubijs statur mensuræ vicinorum locorum est vt tenet *glos. ver. primo casu in cap. Ex parte* 18. *de cens.* per tex. ibi. Cum ergo non constet ad quam mensuram antecessores eorum persoluerint credidimus distinguendum, verum habitatores regionis ipsius, qui ea continuè persoluerunt, ad vnam, & eandem mensuram &c. ad eandem, & illi soluere sunt cogendi.

Mensuræ publicæ ciuitatum, in publico debent teneri æneæ, vel lapideæ, vt præcipitur *in l. Medios aneos, vel lapideos,* cum sextarijs atque ponderibus permansiones singulasque ciuitates iussimus collocari *C. de suscept. lib.* 10. & *ibi Bart. in qua l.* etiam dicitur quod, qui mensuras prædictas corrumpit, & falsat, pænam se sciat competentem esse subiturum, & *in l. vlt. eod. tit.* ibi. Si possessionibus vllum fuerit ex aliqua ponderum iniquitate illatum dispendium, ad crimen suum nouerit pertinere. Pæna vero est dupli, & relegationis iuxta *l. pæn. vers. Si venditor.* ibi. Quanti ea res est eius duplo condemnatur decretoque D. Adriani præceptũ est in insulam eos relegari, qui pondera, aut mensuras falsassent *ff. de falsf.*

Mensurator de dolo, & lata culpa tenetur; non vero de leui, vt est *tex. expressus in l.* 1. *ff. si mens falsf. mod. dix.* ibi. Visum est enim satis abundeque coerceri mensorem, si malus dolus puniatur. Proinde si imperite versatus est, sibi imputare debet, qui eum adhibuit. Sed & si negligenter æquemensor securus erit. Lata culpa plane dolo comparabitur. Non solum autem ipse mensurator tenebitur, si mensuram fecerit: sed etiam si alij commiserit *ex l.* 2. *eod. tit.* ibi. Et tu Titio delegaueris, & ille dolo malo versatus est, tu teneberis: quia dolo malo versatus es, qui tali homini credidisti.

Per mensurationem rerum tam mobilium quam immobilium, dicitur perfecta venditio, sic deducitur *ex l. Si in venditione* §. *vnic. ff. de peric. & comod.* ibi. Scæuola notat fundi nomine emptor agere non potest, cum prius quam mensura fieret. Et ibidem dicit *Bart.* de forma mensurationis facienda immobilium, & aliis videas omnino *Felin. in cap. Quia iudicante de præscript. vbi n.* 1. *ad fin.* dicit quod mensuratio fit expensis communibus etiam si vnus tantum contra dixit.

Mercator.

Dicitur qui facit quæstuariam negotiationem, illam sæpius exercens, non vero, qui vnum tantum actum exercuit mercantiæ, ita tenet *glos. verbo omnes in l.* 1. *ff. de tribut. act.* ibi. Sed quid si vnus tantum contractus factus est in merce? Non potest dici negotiatio. Sequitur *Bart. in l. legatis num.* 4. *ff. de legat.* 3. *notat etiam Apostill. ad d. glos.* dicens per istam glos. videtur decidi illa quæstio, an ille, qui semel mercatur, vel qui vnam mercantiam ducit, dicatur mercator.

Quicumque rem comparat non vt ita integram, & immutatam vendat, sed vt materia sibi sit aliquid inde operandi, ille non est negotiator: qui vero rem comparat, vt integram, & immutatam vendendo lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eijcitur. Vnde super õnes mercatores maledictus est vsurarius, sic inquit *cap. Eijciens* §. *Quicumque* 88. *dist.*

Mercator Vrbibus prodest, medicus ægris,

gris, magno venalibus, sed omnes isti, quia ad alienum commodum pro suo veniunt, non obligant eos, quibus prosunt, ita dixit *Senec. lib.4. de benefic. c. 13. ad fin.* Vnde non recte indignantur, & querelantur de ingratitudine illorum, quibus profuerunt, cum ingratitudo non committatur, nisi ab obligatis aliquo beneficio.

Tamen *in l. 3. C. de commerc. & mercat.* inuenio, quod perniciosum sit vrbibus, mercatorum officium, sic namque inquiunt *Imperat. Honor. & Theodos.* Nobiliores natalibus, & honorum luce conspicuos, & patrimonio ditiores, perniciosum vrbibus mercimonium exercere prohibemus, vt inter plebeios, & negotiatores facilius sit emendi vendendique comercium. Quod quidem videtur intelligi tantum de illis, qui mercantur, vt iterum vendant in Vrbibus, hoc namque perniciosum mercimonium est, ex quo plebei vti solent. Prout etiam illud nundinatorum, quæstoriorum, institorum, & nummulariorum, quod sordidum est, & homines sordi, & pusillo animo creant, ad lucellum semper intentos nonque idoneos reipub. & communi bono, vt ait *Arist. lib.3. Politic. cap 3. & lib.6. cap. 7. & lib. 7. capit. 9. Valer. Max. lib. 3. cap. 3. Augustin. super psalm. 70.* in illis verbis. Non cognoui litteraturam idest mercantiam.

Aliam vero negotiationem non dubitatur vtilissimam reputari, & ad Barbarorum necessitudines, regumque amicitias comparandas plurimum valere: ex eadem, homines multarum, & maximarum rerum vsum experientiamq; percipere, vt dixit *Plutarch. in Solone. Et constat* Reges, Principes, Imperatores eam exercuisse *ex Ezechiel cap. 28. 5.* de Rege Tiri, sic dicente. In multitudine sapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem, *& cap. 27. 25.* ibi. Naues maris principes tui in negotiatione tua, & repleta es; *& 3. reg. cap. 10. de Salomone sic numer. 14.* Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri, excepto eo quod afferebant viri, qui super vectigalia erant, & negotiatores vniuersique scruta vendentes, & omnes Reges Arabiæ ducesque terræ. Et ne putares, quod negotiatores isti esse possint alij priuati homines. *Ioseph. de antiq. lib.8. cap.2. num.30.* declarat illos fuisse ab eodem Salomone constitutos ad negotiandum nomine ipsius regis ibi. Multa enim nauigia Rex in mari, quod vocatur Tharsicum, habuit, quæ ad remotas gentes merces varias deferre iussit, pro quibus exportatis aurum, & argentum regi referebant, multumque eboris, & mancipia Aethiopica, & simias, *& num. 30.* ibi. Mandauit etiam negotiatoribus Aegyptiacis, vt æquos venales ad se adducerent in singulas bigas &c. quos deinde ad Siriæ Reges, & transeuphratenses mittere solebat, cui consonat *tex. lib. eod. 3. reg. cap. 10. num. 28.* ibi. Et educebantur equi Salomoni de Aegypto, & de Coa, negotiatores enim regis emebant, & statuto pretio perducebant. Facit etiam id quod *à Ioan.* dictum reperitur ad Babylonem *in Apocalyps. c. 18. num. 23.* ibi. Qui mercatores tui erant principes terræ. Quod quidem de Roma intelligendum esse non deest, qui dicat, & de ipsis Romanis Imperatoribus, qui etiam de hoc negotiationibus lucro quæstum agebant, vt inquit *Sueton. de Vespas. cap.4. & de Domitian. Neron. & alijs satis superque constat.*

Sed quid dicendum de argentarijs, qui olim præerant certis stationibus, siue locis, & habebant inter se negotiari per modum rationum, & ad eos confluebant, vt rationes negotiantium conscriberent, vt ait *Bald. in rubr. C.*

de fid. instr. num. 56. vers. Reuertor ad primum, & erant Authoritate Imperatoris approbati, idem *Bald. numer. 59. vers. Scias tamen*. Et videtur quod isti essent vtiles vrbibus *ex l. Quod priuilegium 8. ff. deposit.* ibi. Propter necessarium vsum argentariorum ex vtilitate publica. Sed idem dicendum est de istis, quod de nummularijs supra dictũ est, cum ijdem sint, atque nummularij iuxta *l. Prator in princ. ff de eden. Bald. d. num. 56.* Verum cum iam hodie non sint in vsu, vt per eundem *d. num. 59.* non amplius quærendum, nec disputandum; cum etiam quia Apolecta nostrum non concedit.

Negotiatores ne militent dictat *rubr. C. lib. 12. tit. 35.* cuius lex vnica sic summatur. Negotiatoribus est omnis militaris dignitas interdicta, exceptis argenti distractoribus, qui non ad armatam militiam, sed ad aliam quamcumque accedere possunt. Quod videtur intelligendum de illis negotiatoribus vilibus, de quibus supra diximus, & sic videtur probari *ex eod. tex.* ibi. Exceptis argenti distractoribus, *& glos. verbo, prohibemus*; quasi talium non sit vile officium. Non obstante *l. 1. C. de præpos. agent. in reb. eod. lib. 12.* vbi sine aliqua exceptione arcet à militia negotiatores sicut ab officijs de quibus in eo tit. his verbis exceptis videlicet vniuersis negotiatoribus quodlibet mercimonium per se gerentibus interpositasue personas, cum eis ante, sacratissimis constitutionibus interdictum sit militare: quæ debet intelligi iuxta prędictam *l. vnic. & glos. ibidem citato verbo Militare*. Nam (vt ait *Cicer. lib. 1. offic.*) mercatura si tenuis est, sordida putanda est, Sin magna, & copiosa multa vndique asportans, multis sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda.

Solitum est inter mercatores velle vili emere, & caro vendere. Sed re vera vitium est, vt per *D. Thom. 22. quæst. 77. art. 3.* verum tolerabile. Et è contra si interueniat mendacium, & periuriũ, vt etiam mali moris, seu abusus est, inter eosdem. *vt in cap. Eijciens 88. dist.* ibi. Quemadmodum enim, qui ambulat inter duos inimicos volens ambobus placere, sine alloquio mali, esse non potest: sed necesse est, vt isti male loquatur de illo, & illi male de isto: sic mercator sine mendacio, & periurio esse non potest: sed substantia talium stabilis esse non potest, neq; ad bonum proficit, quod de malo congregatur. Si vero mercaturæ exercitium fiat absq; fuco, & mendacijs: & absque fraude, & nimia cupiditate, non est vllo pacto damnandum; cum varijs necessitatibus diuersorum locorum, & multorum hominum non parum conducere, ipsa experientia testetur ex his, quæ *D. Thom. d. quæst. 77.*

Mercaturis, ac negotiationibus periculosa transfretatio maris lucella, idest parua, & exigua lucra quærens sollicita vita hominum, inquieta conuersatio, & quodam semper in turbine ventis ipsis mobilior, quibus voluitur huc, atque illuc sæpe iactatur inquit *D. Ambros. de Elia, & ieiun. capit. 19.* vbi eos reprehendit, qui de mari conqueruntur, & crebra accusant naufragia; Nã, quę ipsi, non mare sunt in culpa. Deus enim (inquit) ipse fecit mare, non ad nauigandũ, sed propter elementi pulchritudinem, atque vt freto includeret terras, ne longius vagos, & exules errare contingeret. Et si tempestatibus mare iactatur dolere non debes, nec de ipso conquæri, Elementum innocens nihil deliquit; Temeritas tua tibi ipsi est discrimini &c. Tu negotiator, & cupide, meos fluctus arguis, cum tu sis longe inquietior fluctibus; Erubesce quoniam periculo non moueris, verecundiores venti sunt, quam vestræ cupiditates. Illi habent otia sua, nunquam

quam vestra quærendi studia feriantur, & cum otiosa tempestas est nunquam vestra otiosa sunt nauigia.

Mercator, qui seruandarum mercium suarum causa, alias merces in mare proiecit nulla tenetur actione si sine causa id fecit, in factum si dolo, inquit *Iulian. in l. Qui seruandarum* 15. *ff. de præscript. verb.*

Tenetur mercator edere reo librum suarum rationum, vt veritas appareat, inquit *Bald. per tex. ibi. in l. Non est nouum eum*, a quo petitur pecunia implorare rationes creditoris, vt fides veri constare possit. *C. de edit. l. Quadam* sunt personæ, quas rationes nobis edere oportet. *Et in §. Nummularios*, quoque non esse iniquum cogi rationes edere Pomponius scribit: quia, & hi sicut argentarij rationes conficiunt: quia & accipiunt pecuniam, & erogant per partes, quarum probatio, scriptura codicibusque eorum maxime continetur ideo frequentissime ad fidem eorum decurritur *ff. eod. tit. de eden.* Et eodem modo calculum factum, vt per *Bart. d. l. Quadam & d. §. Nummularios, & per Paul. de Castr. in l. Si quis §. rationem ff. eod. tit.*

Immunitas data aliquibus mercatoribus, ita demum est seruanda, si maiorem partem suarum facultatum tenent in illis mercantijs, ita dicit *Bart. in l. Super Negotiatio in fin. ff. de iur. immun. & Vide latius per Alex. cons.* 99. *p.* 4.

Mercator recipiens literas cambij, & eas legens, & non contradicens videtur consentire, & se obligare ad contenta in eis *Bart. in l. Si filius fam. ff. ad senatusconf. Maced. vbi Paul.* iureconf. sic ait. Si filius fam. absente patre, cum quasi mandato eius pecuniam acciperet cauit, & ad patrem literas misit, vt eam pecuniam in prouincia solueret: debet pater si actum improbat, cõtinuo testationem interponere contrariæ voluntatis, *& Bald. in l. Si absentis num.* 11. *C. si cert. pet.* ibi. Vnde mercatores, qui acceptant literas, eo ipso ratificant, quod non contradicunt, *& in l. vlt. num.* 6. *C. ad Maced.* ibi, Eo ipso, quod sine contradictione recepit litteras &c.

Merces.

Est id quod recompensatur pro operis retributione, ideo reddere mercedem est iustitiæ, vt inquit *D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 14. *art.* 1. Et ipsa non debet retardari, sed eadem die solui, sic iubente *Domino Leuit. cap.* 19. 13. ibi. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane, *& Deuter.* 24. 14. ita, Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur &c. sed eadem die reddes ei premium laboris sui, ante solis occasum *Tob.* 4. 15. ibi. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit statim ei mercedem restitue, & facit illud *Math.* 20. ibi. Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem; Quando autem debeatur merces locanti operas suas? vide verbo, *Opera*.

Merces constitui debet certa in pecunia numerata, & si in vno nummo fuerit nulla est, quia vnitas non est numerus, sed principium numeri, vt dicit *glos. verbo Solum in l Si quis* 10. *ff. de acquir. possess. per tex.* ibi. quia conductio nulla est, quæ est in vno nummo. Quando vero certa merces non constituitur, datur quantum solet ex consuetudine dari, ita inquit *glos. vlt. in l. Excepto C. locat. Bart. in l.* 1 *§. Ludi num.* 2. ibi. Alias si ille, qui tales operas fecit, consueuit locare operas suas, videtur locasse secundum consuetudinem suam.

Magistris pro dignitate natalium mercedis præstantur *glos in l. Quaro* 65 *ff. de iur. dot.* & dictum est verbo *Alimenta*.

Qui

qui operas suas locauit totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit quominus operas suas præstaret, ita *Paul. Iurecons. in l. 41. ff. locat.* ubi idem in aduocato. Vnde etiam debetur tota merces operario, etiam si periculum contingat in opere, quia non stat per ipsum quin præstet operas, iuxta *l. opus 39. eod. tit. & ibi. Bart. & in d. l. Qui operas 41. & in l. Maritus 61. & in l. Si riuum, qua est ult. eod. tit.* Si riuum (inquit Labeo) quem faciendum conduxeras, & feceras, antequam eum probares labes corrupit: tuum periculum est. Paulus: imo si soli vitio id accidit locatoris erit periculum. Eadem ratione integra debetur merces, locatori nauis si per conductorem stetit quo minus nauis iter faceret, vt in expresso *l. Colonus 63. eod. tit. in §. Nauem.*

Notabis etiam quod quando opus faciendum ad mensurationem locatur, poterit locator recipere mercedem pro rata operis facti etiam opere imperfecto, vt est *tex. notabilis in l. Qui insulam §. Qui edem.* ibi. Quæsitum est vtrum factum opus, an etiam imperfectum metiri oporteret? Respondi etiam imperfectum *ff. eod. tit. locat.*

Si quis mulierem vehendam naue conduxisset, deinde in naue infans natus fuisset: probandum est pro infante nihil deberi, cum neque vectura eius magna sit, neque his omnibus vtatur, quæ ad nauigantium vsum parantur, ita dicit *Vlpian. in l. Sed addes 21. §. Si quis ff. locat.*

Iustus timor facit, vt fiat mercedis remissio, licet periculum non sit secutum, secus in timore iniusto, sic summatur *l. Habitatores 30. §. vnic. ff. locat.* cuius verba sunt. Si iusta causa fuisset cur periculum vere non fuisset, tamen non debere mercedem: Sed si causa timoris iusta non fuisset mercedem nihilominus eum debere: Modica vero incommoditas habitatoris, seu conductoris non inducit mercedis remissionem dicitur in eadem *l. Habitatores.* ibi Non si paulo minus commode aliqua parte cænaculi vterentur, statim deductionem de mercede facere oportet. Pro autem tempore, quo conductor vti non potuit re, remissio fit mercedis non solutæ, & soluta repetitur *l. Siquis fundum §. Imperator ff. locat.* ibi. Si capras latrones citra tuam fraudem abegisse probari potest iudicio locati casum præstare non cogeris: atque temporis, quod insequutum est, mercedes vt indebitas recuperabis.

Mercium appellatione veniunt vestes, & omnia deputata ad vsum quotidianum vt dicit *Vlpian. in l. 1. §. Qui sint in vers. Inde ff. naut. caup.* ibi. Ad eas, quoque res, quæ mercibus accedunt, veluti vestimenta, quibus in nauibus vteremur, & cætera, quæ in vsum quotidianum habemus.

Quod ex naufragio expulsum est vsucapi non potest, quoniam non est in derelicto, sed in deperdito. Idem iuris esse existimo in ijs rebus, quæ iactæ sunt: quoniam non potest videri in pro derelicto habitum, quod salutis causa interim demissum est, ita dicit *Iabolen. in l. Interdum 21. §. 1. ff. de acquir. poss.* Ex quo omnes doct. ibidem not. quod merces ita proiectæ nō vsucapiuntur. Quod intelligendum est nisi ex qualitate rei aliud deprehendatur, vt optime notauit ibi. *Alex.* pro quo facit *tex. optimus in l. Falsus 44. §. Qui alienum vers. si iactum ff. de furt.* ibi. Et si quidem derelinquēdi animo iactauerit (quod plerumque credendum est, cum sciat periturum) qui inuenit suum fecit &c. Si vero non hoc animo, sed eo vt si saluum fuerit haberet, ei qui inuenit auferendū est, vbi notat, *glos. verbo Plerumque*, quod in eo tex. veri simile erat pro derelicto

iiĉto haberi, vt in libro aperto in mare proiecto sequitur. *Alex.* vbi supra proximè.

Notabilis est *tex. in l. In naue 34. ff. locat.* vbi merces in naui positæ à pluribus mercatoribus mistim si Dominus nauis tradidit vni ex eis suam partem, & antequam alijs suas traderet nauis perijt & merces insimul non tenetur Dominus nauis pro deperditis mercibus, secus vero si merces fuiissent separatæ, quia tũc teneretur si vni traderet mercem alterius, ex rationibus de quibus ibi.

Quod merces alienæ possint proijci de naui causa leuandæ nauis, & saluandi proprias dixisti supra proxime verbo Mercator.

Merces quæ mortis debitoris tempore in taberna, vel apotheca inuentæ sunt veniunt in hypotheca bonorum facta creditoribus, licet mercium species mutatæ sint in alias diuersas, obligationis tempore hypothecatas, vt dicitur in *l. Cum tabernam 34. ff. locat. vbi Bart.*

Si in eadem taberna merces continebatur: licet hæ quæ extent ex vnius creditoris pecunia sint comparatæ omnes in tributum venire, nisi fuerint creditori pignoratæ: Sed si dedi mercem meam vendendam, & extat, & siquidem increditum ei abii tributió locum habebit; Enim vero si non ab j, quia res venditæ non aliter desinunt esse meæ, quamuis vendidero, nisi à resoluto, vel fideiussore dato, vel aliàs satisfacto dicendum erit vendicare me posse, inquit *l. Procuratoris 5. §. Plane ff. de tribut. act.*

Merces venire in legato bonorum relicto dicit *Scauola in l. Generali 32. §. vxori ff. de vsufr. legat.* Vxori (inquit) vsumfructum domuum, & omnium rerum, quæ in his domibus erant, excepto argento, legauerat, item suum vsumfructum fundorum, & salenarum. Quæsitũ est an lanæ cuiusq; coloris mercis causa paratæ, item purpura, quæ id domibus erat vsusfructus ei deberetur? Respondi excepto argẽto, & iis, quæ mercis causa comparata sunt, cæterorum bonorum omnium vsumfructum legatariam habere, idem in *l. Nam quod liquida §. 1. ff. de pen. legat.* ibi. Non omnia quę & promercii causa habebat, *& in l. Pediculis 34. §. Cum quæritur,* ibi. Non videri id legatum, quod negotiandi causa venale proponi soleret.

Quod de mercibus venalibus inductis in domum conductam an veniant tacite hypothecatæ pro domus pensione? Respondet *Bald. in l. Certi iuris sub num.* 12. quod non, ex eo quia non videtur in esse propter celerem motum, & respondet ad *l. Cum tabernam* (de qua supra) quod ibi erant expresse hypothecatæ, sed *glos. in l. Si horreum ff. in quib. caus. pig.* indistincte videtur dicere omnes merces tacite hyoothecatas dum explicando verbum diuersorium, de quo *in tex.* inquit esse stationem, in qua diuersis generibus merces afferuntur, & prædictus tex. decidit omnia inuecta, & illata in diuersorium esse tacite hypotecata, quam ego libentius sequeter.

Meretrix.

NOn solum ea dicitur, quæ palam quæstum facit in lupanario constituta, verum etiam si qua (vt assolet) in taberna, caupona, vel qua alia pudori suo non parcit. Palam autem sic accipimus passim, hoc est sine delectu, non si qua adulteris, vel strupratoribus se committit, sed quæ vicem prostitutæ sustinet. Item quæ cum vno, & altero se pecunia accepta commiscuit. Rectissimè tamen Octauinus ait, & iam eam, quæ sine quæstu palam se prostituerit, debuisse his connumerari. Non solum autem ea quæ facit, verum ea quo-

quoque; quæ fecit, & facere desiit, lege notatur. Neque enim aboletur turpitudo, quæ postea intermissa est. Ita dicit *Vlpian. in l. Palam 43. ff. de rit. nupt. & tradit Abb. in l. Inter opera 20. in fin. de sponsal.* coniunctis, his quæ ibi. additio. *& in capit. Vidua 34. dist. sic.* Meritrix quæ multorum libidini patet, *& in capit. Meretrices 32. quæst.* 4 ibi. Quarum publice venalis turpitudo est.

Ex dictis iuribus patet meretricem personam turpem esse, & in expresso *l. 3. ff. Si quis apar. fuer. man.* ibi. Turpes personas, veluti meretricem, *vbi glos. dicit,* non tamen est infamis, nisi esset in adulterio deprehensa, quod videtur cõtra dictam *l. Palam* citatis verbis non solum autem ea quæ facit &c. lege notatur, scilicet infamiæ nota, & quod sit infamis infamia facti tradit *Card. Paris. cons. 54. num. 49. vol. 4.*

Sed tolerantur meritrices propter adulteria vitanda, & maiora crimina, vt notauit *Abb. in d. cap. Inter opera num. 4. de sponsal.* ibi. Nota causam *glos.* & dicit *Hostiens.* quod Ecclesia dissimulat vt euitetur maius malum. Non tamen ob id excusantur, prout etiam nec ob quamlibet necessitatem, vt in supracitata *l. Palam ff. de rit. nupt.* ibi. Non est ignoscendum ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam elegit.

Sicut veneno occiditur corpus, sic animus istarum conuersatione dixit *glos. verbo venenis in l. 1. C. de natural. lib. & tex.* ibidem si quarum venenis inficiuntur animi perditorum. Et corpus bonis spoliatur, earum blandis fictisque adulationibus, *vt in l. 2. C. de donat. inter vir.* ibi fictis adulationibus spoliari nolo, ex qua ita deduxit, *Bald. in l. Non est in addit. ff. de inoffic. testa. & sic prouerb. cap. 5. dicitur.* Ne attendas fallaciæ mulieris fauus enim distillans labia meritricis, *& cap. 6. 24.* ibi. Vt custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ, *& cap. 7. 21.* ibi. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Ne igitur attendas verbis similibus, ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius, vt concludit *in fin. d. cap. 7. & Ecclesiastic. cap. 9. 6.* sic. Ne des fornicariis animam tuam in vllo; ne perdat te, & hæreditatem tuam.

Mulieri, quæ luxuriosè viuit, bonis interdici potest, ita inquit *l. Bis mulieri 15. ff. de curat. fur. vbi glos.* sic. Nota interdici, quia prodiga est suæ personæ, per quod præsumitur, & rerum. Verum ego dicerem, quod eo quia est auara seu cupida rerum, sui prodigalitatem exercet: Rarissime namque inuenitur meretrix prodiga, auara verò sæpissime. Neque inuenies quæstionem in iure circa, quod meretrix dat, sed circa, quod meretrici datur, *vt in l. 4. vers.* sed & quod meretrici datur repeti non potest, *ff. de condict. ob turp. caus. vbi glos. repeti addit.* Imo conuentum oportet solui. Sed quomodo siquidem vtriusque datur turpitudo? Respondet *Vlpian. d. l. 4.* ibi. Noua ratione, non ea quod vtriusque turpitudo versatur, sed solius dantis. Illam enim turpiter facere, quod sit meritrix: sed non turpiter accipere, cum sit meritrix. Sed nota, quod *glos. vlt. in l. Ea quæ C. de donat. ante nupt. dicit ita.* Nam si dedero meritrici non repeto: si non, solui, non teneor, & sequitur *Bart. in d. l. 4.* qui contrarium videtur dicere in *l. Affectionis ff. de donat.* ibi. Quia meritrix turpiter facit, quod est meritrix: sed non turpiter accipit, nec per traditionem, nec per promissionem, ergo ex promissione obligare poterit, vt sibi promissum soluatur.

Meritrix non poterit filiam meritricem exhæredare, vt tenent *Bart. & Bald. in l. In arenam C. de inoffic. test.* vbi pater sponte arenarius, seu gladiator nõ potest filium gladiatorem exhæredare in

his

his verbis. Non talem filium merito, quis indignum sua successione iudicat; nisi & ipse similis conditionis sit. Non enim mores, quos quis in se approbat in alio potest reprobare, vt ibidem summat *Bald.*

Meritum.

Dicitur actio, cui iustum est, vt agenti aliquid debeatur secundum Diuũ *Thom. 3. p. quæst. 49. art. 1.* Vnde dicit Iureconsult. *in l. Nec adiecit ff. pro soc.* Hæreditatem, vel legatum, vel donationes causa mortis, siue non mortis causa, non sine causa obuenire, sed ob meritum aliquod accedere. Consideratur autem meritum arbitrio boni viri, vt in *l. Generaliter 24. §. Proinde vers. Quid ergo ff. de fideic. lib.* vbi in dubio quando nescitur quos seruos testator manumitti iussit dicitur, quod sorte, vel meritis cuiusque iudicetur ibi. Aut meritis cuiusq; allegatis arbitrari eos oportet, & in *l. Fideicomissa 11. §. Sic fideicommissum ff. de legat. 3.* ibi. Proinde si ita fideicommissum debebitur si modo meritum apud virum bonum collocare fideicommissarius potuit. An autem debeant probari merita? dicit *Bald. in l. 2. numer. 7. C. ne lic. potent.* quod non, quando non sunt de substantia donationis. Vide etiam *Bart. in l. Frater à Fratre prope fin. ff. de condict. indeb. & in l. Si forte numer. 5. ff. de castrens. pecul.*

Notabis quod non solum merita præcedentia inducunt ad donationem, vel legatum, aut fideicommissum, sed etiam subsequentia, vt est tex. optimus *in l. In ipsius 5. C. fam. hersc.* vbi si testator iratus condemnauit seruum perpetuis vinculis, & alterum, vt exportandus venundaretur, si postea meruerint, talis pœna remissa videbitur, sic enim ait Imp. Proinde si offensam istam clementia flexit (quod licet scriptura nõ probetur, aliis tamen rationibus doceri nihil impedit: præsertim cum posteriora eorum talia merita deprehenduntur, vt ira domini potuerit mitigari, noxissimam eius voluntatem arbitrer familiæ hersiscundæ sequeretur, in citata *l. 5.*

Ad officia vero, munera publica & dignitatum ascensionem merita debent præcedere *l. 1. C. de diu. offic. lib. 12.* ibi. In reiecti vero locum is potissimum destinetur, cui meritorum adstipulantur insignia, *& in l. 7. eod. tit.* sic. Ad splendidioris priuilegia militiæ, postea quam priorem continuo labore compleuerit eos veniẽtes admittimus, & habes verbo *Munera.*

Plus meriti consequatur qui ex necessitate facit, quam qui ex sola, & libera voluntate, vt est optima *glos. verbo Se ipsum in Clem. vnica de reliq. & vener. Sanct.* ibi. Item nota pro Theologis, qui tenent quod idem opus meritorum laudabilius est in vouente, vel professo, quam in alio probant, quia vouere opus latriæ est; quæ præcipua virtus est inter morales: opus autem nobilioris virtutis est melius, & magis meritorium, ergo & de latria, quæ est cultus, & seruitus, quæ soli Deo debetur: secundo, quia vouens non solum quo ad actum, sed etiam quo ad potestatem, subiicit se Deo, vt de cætero aliud agere non possit, ergo plus dat secundum *Anselm. lib. de similitud.* cum det fructum, & arborem, quam qui dat solum fructum. Tertio quia propter bonum immobilitas firmatur in bonũ. Ad perfectionem autem virtutis pertinet aliquid agere ex voluntate firmata in bonis, *vt patet per philosoph. 2. Ethic.* & Aug. felix necessitas, quæ ad meliora compellit, ergo magis meritorium. Sequitur *Abb. in cap. Cum quidam n. 4. in fin. de iur. iur. Bart. in l. Quod si minor §. Restitutio 2. notab. ff. de minor.*

Male vero meritus publice, vt aliis exemplo adderterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet, dixit *Triphon. in l. Bona fides 31. post princ. ff. deposit.* à quo deduxit *glos. verbo Prodigalitatis in cap. ex parte de consuetud.*

Negotiorum merita partium assertionibus panduntur ait *Imperat. in l. vlt. C. si per vim vel al. mod.*

Metus.

SEcundum Philosoph. 3. Ethic. Dicitur opinio magni mali impendentis, cui subijciuntur pigritia, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, & formido *Secundum vero Vlpian. in l. 1. ff. quod met. cau.* vocatur propter instantis, vel futuri periculi, mentis trepidatio: hanc diffinitionem sequitur *glos. verbo causa in cap. Ad audientiam de ijs que vi. vbi. in fine* sic. Et dicitur metus, quia mentem tenet.

Cum locum nō habeat consensus, vbi metus, vel coactio intercedit, necesse est vbi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur, ita *Pontif. in cap. 14. de sponsal. vbi glos. verbo,* metus, addit sic; Qui possit cadere in constantem virum &c. minor tamen metus magis excusat fœminam, quam virum, & quoad primam partem probat *l. Interpositas 13. C. de transact.* ibi. Nec tamen quilibet metus ad rescindendum ea, quæ consensu terminata sunt, sufficit, sed talem metum probari oportet, qui salutis periculum, vel corporis cruciatum contineat, *& in c. pen. de ijs quæ vi.* ibi. Cum neque metum mortis neque cruciatum corporis continerer, & ideo non debuerat cadere in constantes viros, *& in l. Si volunta te 8. C. de rescind. vend.* ibi. Vel metus mortis, vel cruciatus corporis imminens detegi ne habeatur rata venditio.

Si ergo metus det causam contractui bonæ fidei, ipso iure nullus est contractus, dicit *glos. verbo vllam l. Si mulier §. Si dos ff. quod met cau. per tex. in l. 1. C. de resc. vend.* Quando autem valeant gesta per metum videas ad verbum Timor.

Imperium regium non sufficit ad iustum metum, similiter Imperium parentum, ita argumentatur *glos. verbo, metu, in cap. vlt. qui cler. vel vou. ex eodem tex.* cui contrariatur altera glos. verbo. *Pro infectis in cap. Vassalli de pac. constant.* ibi. Metus principis est vis præcisa, quæ omnino tollit consensum. In liberto quod solum imperium patroni, & nimia reuerentia sufficiat clare probat *tex. in l. 1. §. quæ oneranda ff. quar. rer. act.* ibi. Et hoc tamen causa cognita sic liquido appareat libertum metu solo, vel nimia reuerentia patroni ita se subiecisse. Dignitas vero personæ non sufficiens est ad metum incutiendum, vt in *l. ad inuidiam 6. C. de ijs, quæ vi.* his verbis. Ad metum arguendum, per quem dicis initum esse contractum, Senatoria dignitas aduesarij tui sola, non est idonea, vbi notat *glos. pen. fic.* Sed contra in passiuum, tacit contra eum sua dignitas. Per iudicem metus potest incuti quando V.g. consueuit appellantes incarcerare, & iniurias, atque violentias eis inferre, ita tradit *Bart. in l. De pupillo §. Si quis ipsi num. 14. ff. de nou. oper. nunc. vbi num. seqq.* agit de probatione illius metus, *& num. 19.* dicit metum etiam incuti per familiam iudicis, quia ipse videtur fecisse cum potuit corrigere, & non fecit. Contrarium dicit *Bald. in l. Ad inuidiam C. quod met cau.*

Actus metu potest dici factus à filio, seruo subdito, vel vxore, si coram patre, domino, aut marito fiat, & ratione *tex. in l. Si quis 43. ff. de furt.* ibi. Et quia non potest prohibere quieuit, & ibi. Et hoc modo patronus quoque liberto, & is cuius

cuius verecundia ei, quem in præsentia pudor ad resistendum impedit, & facit *capit. cum virum ad fin. de regular.* ibi. Puella quæ coacta parentum imperio *l. 1. §. quæ onerandæ ff. quar. rer. act.* ibi. Semperque sit metu exactionis ei subiectus, propter quem metum aliquid vis sustineat patrono præcipiente &c. & ibi metu solo, vel nimia patroni reuerentia ita se subiicisse, *vbi glos. verbo metu* sic. Et nota hic argum. quod mulier, quæ rem suam non dedit, vel hypothecauit, si renunciauit metu, vel reuerentia, quod possit reuocare. Intelliges tamen, quod sola ista reuerentia, vel etiam imperium non sufficit, sed requiritur probatio in terminationis factæ prædictis filio, seruo, & vxori de tempore actus gesti; Aliter autem non poterit actus impugnari, sed consensus liber adhibitus intelligitur *l. Fideiussor 26. §. Pater ff. de fideiussor.* ibi. mandante patre manu sua præscripsit instrumentum &c. consensum ei obligationi dedisse manifestum est, & facit *cap. Quamuis pactum de pact. lib. 6.* ibi. Nec vi, nec dolo præstito firmatum fuerit omnino seruari debebit *glos. verbo metu regio in capit. vlt. qui cler. vel vou.* ibi. similiter Imperium parentum non sufficit *glos. 1. in l. Si patre in addit. ff. de rit. nupt.* ibi. Quando propter reuerentiam patris filius consentit, non autem intelligas, quod intercesserit verus metus, *& glos. vlt.* ibi. Non autem dicas metum adhibitum.

Carcer iustus metus dicitur, vt notat *Bart. per tex. ibi. in l.* Qui in carcerem quem detrusit, vt aliquid ei extorqueret, quid quid ob hanc causam factum est, nullius momenti est, *ff. de eo, quod met. caus.* quod quidem procedit tantum in actu facto ob causam carcerationis: nam si ob aliam causam, non dicetur metu carceris gestus, & validus erit, vt probat *Abb. in cap. Cum locum 14. num. vlt. de sponsal.* ibi. Vbi metus infertur super eo, super quod retinetur, sed si metus sunt diuersi, bene valet &c. per *l. Metum 9. §. Sed licet ff. eo quod met. cau.*

Metus perditionis omnium bonorum, vel maioris partis, æquiparatur metui mortis, ponit *glos. verbo Metu in l. Isti quidem 8. ff. quod met. cau.* his verbis. Moderni dicunt, quod si instrumentum continet quantitatem omnium bonorum, vel maioris partis, quod idem est, sicut quādo infertur timor mortis, vel pœnæ capitalis, tradit etiam *Bart. in l. Si ob turpem ff de condict. ob turp. caus.* per *tex. in capit. 2. de iis quæ vi & ibidem glos. verbo coactus & per l. Propter litem 24. ff de excusat. tut.* ibi. Nisi forte de omnibus bonis, aut plurima parte eorum controuersia sit.

Maiori cum ratione metus peccandi annumeratur inter magnum metum; quin imo, & maior omnibus est cū per peccatum non solum amittat anima omnia spiritualia, & cælestia, sed etiam rea fiat mortis æternæ. Vnde per optime *Paul. Iurisconsi in d. l. Isti quidem vers. pen. ff. quod met. caus.* dixit hæc; Quod si dederit ne stuprum patiatur vir, seu mulier, hoc edictum locum habet: cum viris bonis iste metus maior quam mortis esse debeat. O dictum mirabile, & sapientia vera plenum, & tanto magis, cum ab Ethnico sit dictum, erubescamus nos Christiani, dum, non dicam metu, aut timore, sed propria voluntate, & effrenata audacia, tot tantaque committimus peccata.

Metu fecisse videtur, qui iuri suo, nulla subsistente causa, renunciauit, ita deducunt *doct. ex tex. in cap. 2. de restit. spoliat.* Dum sic ait. Quia non est verisimile, quod sponte iuri suo renunciauerit, qui renunciat spoliatus. Non est autem verisimile compulsum in Vrbe inique indebitum soluisse, cum potuerit ius publicum inuocare, & adire aliquē potestate præditum, qui vtique vim

eum pati prohibuisset, prout dixit *Vlpian. in l. Non est 23. ff. quod met cau.*

Metus facit, vt non factum pro facto habeatur, & è conuerso, vt factum pro nō facto habeatur, vt dictum est supra verbo *Factum*.

Nemini suus metus debet esse damnosus dicitur in *l. Si cum 14. §. Aliquando ff. quod met. cau.* ibi. Ne metus, quem passus sum mihi captiosus sit. Nec in alterius præmium vertialienum metum oportet *d. l. 14. §. Paditu.* Nam in alienum lucrum conuerti alienum metum non oportet, dixit *glos. verbo Remoueri in l. 2. C. Si quis aliq. test. prohib.*

Non dicitur metus ille, quem quis sibi ipsi infert, *vt in l. Si mulier 21. ff. quod met. cau.* ibi. Cessat edictum, quia hunc sibi metum ipsa infert, vbi notat *glos. verbo vitium*, non succurri ei qui se in necessitatem posuit.

Leuis metus non excusat in voto; Sed in electione leuis metus sufficit, ita *glos. verbo vel Modica in capit. vlt. qui cler. vel vouent.*

Metus habet in se ignorantiam, ait *glos. verbo possit in l. Apud 4. ff. de dol. Except. & probat l. si cum exceptione 14. §. In hac actione ff. quod met cau.* ibi. Nam cum metus habeat in se ignorantiam, merito quis non adstringitur, vt designet quis ei metum, vel vim adhibuerit, *vbi glos. verbo Ignorantiam*, ita inquit. Vel verius dic iustè ignorare possum, quis mihi vim fecerit, cum talia fiant de nocte, vel in multitudine hominum. Quæ *glos.* reputatur singularis ad hoc, quod probatio eorum, quæ de nocte fiunt difficilis est, vt ibidem notat *Apostill.*

Quod metus non interfuerit in his, quibus interfuerunt amici, dictum est. Supra verbo *Amicus.*

Purgatur metus per spontaneam solutionem iuxta *l. 2. C. de his, qua vi.* ex ratione de qua ibi. Quando verisimile non sit ad solutionem te properasse omissa querela de chyrografo, vt pote per vim ex torto; nisi & in soluendo vim te passum dicas.

Metum inferens tenetur non solum de dolo lata leui, & leuissima culpa; sed etiā de casu fortuito, vt peer *glos. verbo Peritura in dict. l. Si cum 14. §. Quatenus vers. sed & si non culpa ff. quod met cau.* ibi. Et sic nota, quod vno solo casu excusatur metum inferens à casu, vt hic alias semper et de casu tenetur, *vt C. eod. l. 1. & ibidem glos. verbo interciderit.*

Nullius metus tam gratus est finis, vt non gratior sit solida, & in concussa securitas, dixit *Senec. 6. de benefic. cap. 18. & paulo supra* ita. Quantū existimas tormentum etiam si accepero, egisse? Etiam si seruatus fuero trepidasse? etiam si absolutus fuero, causam dixisse?

Metropolis.

Idest ciuitas quę habet Metropolitanū, idest Archiepiscopum, sic dicit *glos. verbo Metropolis in l. Si duas 6. §. decet ff. de excusat. tut.* cuius verba sunt. Decet autem maximo quidem numero vel Metropolis gentium. Vnde lamentabatur Ierem. thren. 1. quod Hierusalem esset absque populo facta quasi vidua. Dicitur etiam Metropolitana ciuitas, quæ habet patriarcham, vt per *Bart. in l. vnic. de C. Metropoli Beryto lib. 11. in addit. num. 3.* ibi. Ciuitas cuius sedes est patriarchalis, vel Archiepiscopalis dicitur Metropolitana, quæ habet plures Episcopos sub se habentes merum Imperium. Vnde tales scilicet Patriarcha, & Archiepiscopus præsident cæteris Episcopis, vt dicitur *in cap. Cleros 21. dist.* ibi. Archiepiscopus græco interpetratur vocabulo, quod sit summus Episcoporū, idest primas, tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis, quam cæteris Episco-

piscopis. Metropolitani autem à mensura ciuitatum vocantur: singulis enim prouincijs praeeminent: quorum authoritati, & doctrinae caeteri Sacerdotes subiecti sunt: sine quibus nihil reliquis agere licet Episcopis. Dicitur etiam Metropolitanus Papa, prout notauit *glos. verbo Sede vac. post med. in c. vnico de Schismat.* vbi etiam dicit, quod Episcopi Cardinales vacante Sede, vicem Metropolitani obtinent, *ex cap. In nomine Domini 23. dist.* ibi. Cardinales Episcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur.

Meum.

PRoprie, & verè illud est, quod mea ex virtute habeo, non quod aliunde, ita dixit *glos. verbo erat in l. Si quid bello 28. ff. de capt. & postlim. reuers.* ibi. Et ita magis est meum, quod per meam probitatem quaero, quam id quod per meos antecessores, & facit illud quod poeta quidam.

Et genus, & proauos, & quae non fecimus ipsi.
Vix ea nostra voco.

Meum, significat dominiũ, vt dicit *Bart. in Auth. Sacramenta puberum num. 23. C. si adu. vend. per l. 2. ff. de condit. instit.* ibi. Et si quidem alienauerit in eo vsum fructum nihilominus ipsius est. *Et l. 2. ff. de religios.* ibi. Nam cum dicat in loco alterius apparet de dominio eum sentire. *Et in l. Quintus §. Argento ff. de aur. & arg. leg.* ibi. Quia non videtur suum esse, quod vindicari non potest per argumentum à contrario, vbi etiam notat idem *Bart.* Aliquando etiã significat possessionẽ, vt notauit *Bald. in rub. C. de verb. sig. numer. 5.* his verbis. Quinto quid significent pronomina possessiua? Respond. In vniuersali significant non solum dominium, sed etiam quidquid tenetur etiam de facto, & non de iure, vt si testator dicit lego omnia bona mea, *vt l. Cogi in princ. ff. ad Trebell.* Sed in generali dispositione non continentur nisi res propriae, vel quasi propriae, vt cum dico lego tibi õnes seruos meos &c.

Dicitur etiam meum, quod bona fide possideo, vt deducitur *ex l. Si mulier 26. ff. ad Vellcian.* ibi. Plane si pro bona fide sibi seruiente responderit non videtur intercessisse, & clarius probat *Vlpian. in l. 71. ff. de legat. 3.* sic dicens. Seruos autem suos, vel ancillas eos accipimus, qui sunt pleno iure testantis: inter quos fructuarij non continebuntur. Sed qui bona fide testatori seruiũt, suorum appellatione magis est, vt contineantur, de quo *Bald. in l. 2. §. Sed si quis num. 22. C. com. de legat.*

Quid de re communi cum altero an possim meam dicere? Dubia quaestio est, & pro, & contra afferuntur tex. & glos. atque doct. vt videre est, per *Bertach. in suo reper. super hoc verbum,* quem videre poteris, vbi ponit sic regulam. Meum dicitur etiam, quod mihi commune est, & probat *ex l. Pupillus 239. §. vlt. ff. de verb. sig.* quae tale quid non mihi videtur probare, sed contrarium. Nam sic ait. Verbum, suum, ambiguũ est vtrum de toto an de parte significet: & ideo qui iurat suum non esse, adijcere debet, neque sibi commune esse. Nec etiam id probat *l. Id quod nostrum ff. de reg. iur.* Quod autem non dicatur meũ, quod meum, & alterius commune est, probat *tex. in l. Iulianus 66. §. Seruos cõmunes* ita à Seia relictos si mei erunt eum moriar, non deberi *ff. de legat. 3. & melior tex. in l. legatis 36. ff. de legat. 2. vbi Modestin. lib. 17. responsorum* respondit. Legatis vxori ijs, quae vsus eius causa parata sunt, eos seruos ad eam non pertinere, qui non proprij ipsius, sed communis vsus causa parati sũt.

Quid

Quid igitur? remanebit in ambiguo, *vt in d. l. Pupillus §. vlt.* non. Sed breuiter transeamus cum dicto *glos. in capit. Cum in illis 16. verbo Cum alio de preb. lib. 6.* in addit. scilicet quod minus proprie dici potest meum, quod est commune mei, & alterius, *vt in l. Illud 46. ff. de rit. nupt.* vbi Caius sic ait. Illud dubitationis est an etiam qui communem libertam &c. Iabolenus negauit, quia non proprie videtur eius liberta, quæ etiam alterius sit &c. & conducit illud, quod *in l. Prætor ait ff. de edend.* ibi. Aequum fuit, id quod mei causa cõfectum est, meum quodammodo instrumentum mihi edi: nota verbum, quodammodo, quod improprietatem denotat. Alij distingunt inter materiam fauorabilem, & odiosam, vt in prima, meum dicatur, quod commune cum altero habeo, in secunda vero contra, vt per relatos *à Bertach. supra.*

Etiam dicitur meum, quod mihi debetur iuxta *l. Si & me, & Titium 32. ff. Si cert. petat* ibi. Sed quia pecunia mea ad te peruenit, *vbi glos. verbo pecunia mea*, explicat, idest, mihi debita. Meum esse quod ex re mea superest cuius vendicandi ius habeo dicit Celsus *in l. Solum 50. ff. de reiuendic.*

Quod meum est, ex alia causa meum fieri non posse, nisi desierit esse meum dicit *Pontif. in cap. Inter dilectos prope fin. de fid. instr. & in §. sic itaque de act. in Inst. Imperator* ita. Nec res, quæ iam actoris est magis eius fieri potest.

Miles.

IN *l. 1. §. vlt. ff. de mil. test.* ita inuenitur. Milites autem appellantur, vel à mollitia, idest duritia, quam pro nobis sustinent; aut à multitudine, aut à malo, quod arcere solent, aut à numero mille hominum. Et in *glos. vlt. l. Ab hostibus 12. C. de capt. & postlimin reu.* sic. Militem debere defendere, & inde est quod dicitur à militia, quia dicendum est, mollitia vt clare constat *ex d. §. vlt.* est enim dictum per antyphrasim, vt dicitur lucus, quia minime lucet, auri sacra fames, idest execrabilis, & sic miles à mollitia, quia minime mollis, sed durus. A malo autem quod arcere solent; sed mihi verius dicendum videtur, à malo, quod committere solent. Quid enim non mali faciunt milites? & ideo *Apostil. ad dict. §. vlt.* dicit, quod miles à militia iuxta illud.

Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.

Et prosequitur aut à multitudine mille hominum, quia vnus de ea strenuus eligebatur. Militari, quod dicitur a malo, inquit etiam *glos. verbo Militari in l. Ea quæ C. de restit. mil.* Fere namque impossibile est, quin exercitus damna non ferat; dixit *glos. verbo morum, in cap. Vassalli de pac. Constant.* Et vnde proueniunt, nisi ex malitia, & impietate militum; quæ adeo eorum ossibus adhæret, vt fuerit necesse a lege declarari, quod excusati non essent à pietate circa parentes audi *Iureconsul. in l. 1. ff. de obseq. à lib.* sic dicentem. Etiam militibus pietatis ratio in parentes constare debet. Et prosequitur. Indignus militia iudicandus est, qui patrem, & matrem à quibus se educatum dixerit maleficos appellauerit. Dum, inquit *glos. verbo. Dumtaxat in l. Qui restituere 68. ff. de reiuendic.* Aliud malum à modo non habebit, cum eligatur manus militaris.

Milites vel sunt cœlestis militiæ: vel terrestris. Sed & in hac inueniuntur milites armatæ, & milites inermis militiæ. Et licet *glos. 1. in l. pen. ff. de mil. test.* dicat militiam esse equestrem, cælestem,

lestem, & legalem in idem incidit. Dicamus primo de primis. Et sunt Clerici, qui in Ecclesia Dei militant *ex c. Christianis* 11. *quæst*. 1. ibi. Cum constet eum, qui cælestem militem pulsat &c. coniuncta *glos. ibidem verbo Cælestem* sic dicente. Clerici enim, milites Christi sunt, & *in cap. Reprehensibile* 23. *quæst*. 8. ibi: Cum militum Christi sit, Christo seruire: Milites vero seculi seruiant seculo, secundum, quod scriptum est nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Quod si seculi milites militiæ student, quid ad Episcopos, & milites Christi, nisi vt vacent orationibus, & in *cap. Clericum qui* 50. *dist*. sic: Nam cum discreti sint milites seculi à militibus Ecclesiæ, non conuenit militibus Ecclesiæ militare seculo, ad idem est *cap. Consequens* 88. *dist. cap. Cum aduersum in fin.* 96. *dist. & glos. verbo conducere in cap. Decreuit* ... *dist*. 88. sic ait. Abstineat à secularibus negotiis, nisi causa necessitatis, quæ debet apparere, alias causa cupiditatis intelligitur. Debet enim esse immunis ab alijs, qui Diuinæ militiæ est aggregandus: vt à castris Dominicis, quibus adscribitur, nomē eius nullius necessitatis vinculis abstrahatur, inquit *cap*. 2. 34. *dist. & glos. verbo maluerit in cap. Præterea* 14. *de præb*. ita. Cum enim militiæ sint distinctæ, & personæ illis destinatæ, debent esse distinctæ. Vnde nemo potest esse in duobus collegiis simul, nec duas militias habere &c. Ergò multo fortius hęc sunt in spiritualibus honoribus obseruanda. Et facit *cap. vnic. de Vassal. mil. qui arm. depos*. ibi: Eo quod desiit esse miles seculi, qui factus est miles Christi coniūcta *glos. verbo, ammisit, in cap. Si quis si de feud. def*.

Et licet sint isti milites diuersi ab illis militiæ terrestris; Tamen omnia, quæ in militibus secularibus dicuntur, intelligi debent etiam de cælestibus, vt dixit *glos. verbo Prætermissum ad fin. in l. Filius* 8. §. *veterani ff. de procurat. & verbo Miles in l. Neque fœmina* 54. *eod. tit*. ibi. Idem dicitur in milite cælestis militiæ, vt in Sacerdote, & quolibet clerico in sacris ordinibus posito, & verbo, facere potest, *in l. Miles* 6. *ff. de re iud*. ibi. Item quid in milite cælestis militiæ. Respond. Idem multo magis, vbi *Apostill*. sic. Istam glos. reputat sing. *Barbac. in capit. Odoardus de solut.* ad hoc, quod miles cælestis militiæ æquiparatur militi terrestri. Alia diximus de his sup. verbo Clericus.

Terrestris militia, aut est inermis, vt dixit *glos. verbo Militare in l.* 1. *ff si apar. quis fuer. man*. ibi. Et enim & inermis; Aut armata de qua infra. Inermis autem, aut est litterata, vt sunt doctores aduocati, & dicitur etiam in his, qui sunt proximi sacri Scrinii principis, vt in *l. Militia litterata* 8. *C. de proxim. Sacr. Scr. lib*. 12. Vel non litterata, & dicitur de omnibus, qui in palatio militant iuxta *l. vlt. C. de priu. eo. qui in Sacr. Palat. eod. lib*. ibi. Omnes qui in palatio militando &c. de doctoribus dicit *glos. Verbo, panis in addit. l. Milites* 8. *C. de quæst*. sic. Aduertas quod sicut milites non torquentur, sic nec doctores &c. & alia dicimus verbo Doctores, & verbo aduocatus.

De palatinis dicitur *in l. ult. C. de palat. sacr. larg. lib*. 12. sic. Cum enim par similisque militia sit, iustum, & competens videtur ijsdem vtrumque officium priuilegijs gloriari, *& dict. glos. Verbo militare* sic. Sed certe idem est in inermi, quia huius beneficij plena est habenda interpretatio potest etiā dici lato modo, quod quilibet in officio suo militat, vt dicit *glos. Verbo, militant, in l. Aduocati* 14. *C. de aduoc. diu. iud*. vbi affert illud Militat in filuis catulus, & denique omnes in hac vita militamus secundum Iob. 7. Militia est vita hominis super terram.

Di-

Dicamus nunc de militia armata; Et quidem hæc adeo, antiqua est, vt dicat Iureconſ. *in l. Postliminium 19. post med. ff. de cap. & postlim. reuerſ.* Disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum: non tamen intelligas hic charitatem de illa, qua naturaliter parentes diligunt filios, cum hęc naturalis, & de iure naturæ sit; bella vero de iure gentium; sed intellige de patria potestate, quæ à iure ciuili introducta est, post ius gentium, vt explicat ibidem, *gloſ. verbo Charitas*, idest Patria potestas, quæ fuit inducta propter affectionem liberorum iure ciuili Romanorum, *vt in §. 1. de patr. potest. in Inst.* prius enim data fuit opera bello: postea iuri, *vt in procem. Inst. in princ.*

Ad hoc, vt quis miles sit, sex sunt necessaria. Primum quod non sit negotiator, item quod examinatur: itē quod præstet sacramētum per genium principis & Deum omnipotentem, quod mortem reip. causa non euitabit, item quod riensis cingatur: item stigma, idest nota publica debet eius brachiis imponi, vel inscribi; item in numero aliorum debet poni, & inscribi: Et isti tales habent priuilegia, quæ dicunt leges concedi militibus: ita per prædicta verba ponit *gloſ. vlt. in l. pen. ff. Ex quib. cau. maio.* & ex iuribus ibidem allegatis probat. Vide etiam *gloſ. verbo Siquidem in Auth. de mand. prin. §. vlt. coll. 3.* Si curiosus es, & scire cupis, quæ sint arma militum? Videas Bertach. in suo repert. super hoc Verbo in princ. vers. Adde quod miles Dei, ad fin. ibi. Militi autem temporali sunt ista. Galea incomis, & crisiathorax, lorica, &c.

Miles tyro ad vulneris suspicionem pallescit, dixit *Senec. in lib. de prouid.* ex ratione, de qua *Caſſiodor. lib. 3. epist.* ibi. Terribilis est hominibus conflictus, nisi sit assiduus. Semper posteriorem locum habere debet, iuxta *l. 3. C. de tyron. lib. 12.* ibi. Tyrones in scholis loco semper posteriore ponantur, neque enim patimur quenquam celsiorem gradum obtinere, nisi cui, & laborum assiduitas, & stipendiorum prolixitas suffragatur. Talibus vti ignorantibus militarem disciplinam ignoscitur etiam ingrauioribus, *vt in l. Desertorem ff. de re mil.* ibi. Sed & ignoranti adhuc disciplinam tyroni ignoscitur, *& in l. Qui commeatus 14. eod. tit.* sic. Tyroni in hoc crimine facilius parcitur. Proinde qui nondum in numeris sunt, licet etiam tyrones electi sint, & publicis expensis iter faciant, nondum tamen milites sūt, ait *tex. in l. Ex eo 43. ff. de mil. test.*

Nobile est officium militis, & de eo videtur se iactare imperator, dum se vocat militem, vt notauit, *gloſ. verbo Commilitones in l. 1. ff. de mil. testa.* vbi Iureconſ. refert verba Traiani, ita dicentis. Sequutus animi mei integritudinem erga optimos fidelissimos commilitones. Vnde seruus militare non permittitur *l. 29. ff. de lib. cau.* in hæc verba. Qui libertate sua litigans, nec dū sententia data, militiæ se dedit, in pari causa cum cæteris seruis habendus est; nec hoc exonerat eum, quod pro libero habeatur in quibusdam. Et licet liber apparuerit: erit exauthoratus, id est militia remotus, castris eijcietur. Vtique qui ex seruitute in libertatem petitus sit, vel qui non sine dolo malo in libertatem moratus est. Qui vero per calumniam petitus in seruitutem est: in militia retinebitur.

Nec etiam castratus erit miles, vt dictum fuit in eodem verbo supra. Nec rustici coloni adscriptitij iuxta *l. vlt. C. de mancip. & colon. patrim. lib. 11.* Super patrimonialium (inquiunt imperat.) refectione fundorum, dudum est nostris legibus constitutum, vt ij, qui eos colentes,

fentes, solum eorum verterant: nunc ad alia loca dirigentes: nunc ad militiam conuolantes, ad auitas conditiones, & propria iura reuocentur. Per argumentum à contrario per optime disponit eadem l. quod illi, qui veterani dicuntur milites, non possunt esse coloni. ibi. Cæterum eos, qui castrensibus stipendijs otia quieta meruerunt, iam veterani constituti, nequaquam placet tela in vsum vomeris ligonisque conuertere.

Insuper dum etiam militant non possunt conductores, seu procuratores esse, vel mandatores conductorum: ne omisso armorum vsu ad opus terrestre se conferant, ita disponente *l. Milites* 31. C. *locat. & prosequitur*. Armis autem, non priuatis negotijs occupentur, vt numeris, & signis suis iugiter inhærentes, remp. à qua aluntur ab omni bellorum necessitate defendant. Quod iterum encæneauit postea *Imp. Iustin. in l. vlt. eod. tit. sic dicens*. Licet retro principes multa de militibus, qui alienas possessiones, vel domos conductionis titulo procurandas suscipiunt, sanxisse manifestum est, tamen quia res sic est contempta, vt neque in terminationis Sacratissimæ constitutionis milites minores ad huiusmodi sordida audeant venire ministeria, & relictis studijs publicis, signisque victricibus ad conductiones alienarum rerum prosilire, & armorum atrocitatem non in hostes ostendere, sed contra vicinos, & forsitan aduersus ipsos miseros colonos, quos procurandos susceperint conuertere: necessarium fuit ad hanc sacratissimam venire constitutionem, & plenius huiusmodi causã corrigẽtes. Iubemus &c

Militem nec pro patre, nec ex sacro rescripto procuratoris nomine experiri oportet vtilitate publica, inquit *l. 7. C. de procurat. vbi glos. in verbo rescripto* sic. Vel hoc ideo quia terribilis esset aduersario, vel non deserat militiam: si tamen non fuit oppositum à principio re integra, post litem contestatam, nec in instãtia appellationis opponi potest, & ita expressum *in l. Ita demum* 13. *eod. tit.* ibi. Si cum primum litem contestareris non est tibi eo nomine opposita præscriptio militiæ: quod nec cum appellatio agitur tibi obijci potest.

Milites propter honorem stipendiorum, quæ merentur, deferre prohibentur, ait *l. Deferre* 18. *ff. de iur. fisc.*

Sciant etiam milites, quod oportet eos commoda sua, quæ annonarum perceptione adipiscuntur accipientes extrin secus detrimentis prouinciales non afficere dicit *l. 5. C. de erogat. mil. annon. lib. 12.* Verum ipsi nil minus faciunt, sed excusantur dum eis, nec annona, nec debita stipendia persoluuntur, cum alias non teneantur proprijs militare, nam singulis diebus, aut certe competenti tempore prius quam elabatur annus debeant sua stipendia solui, *vt in l. fortissimi 6. eod tit.*

Pauperes non debent à militibus spoliari, nec vexari iuxta *l. Illicitas §. Illicita ff. de offic. præsid.* ibi. Et ne tenuis vitæ homines sub prætextu aduentus officiorum, vel militum, lumine vnico, vel breui supellectili ad aliorum vsus translatis, iniurijs vexentur. Exercentur enim, & militant, vt communibus vtiles sint rebus, *vt in Auth. vt neque milit. coll. 8.* non vero, vt priuatis noceant. Sicut autem iubemus audaces, & feroces, contra inimicos, milites nostros esse: sic volumus eos mites, & beneuolos circa collatores nostros existere, & nullum damnum nullamq; læsionẽ in eos efficere inquit *l. 2. vers. Postquam vero C. de offic. præt. Aphric.* & in principio sic. Quoniam ideo ordinati sunt milites, vt per ipsos prouinciæ vendicentur. Et ad hunc armorum effectum quotidiano exercitio se ad bella præparare debent, ait *l. Milites* 15. *C. de re mil lib. 12.*

Milites autem appellamus tam eos, qui sub excelsis magistris militum tolerare noscuntur militiam, quam qui in vndecim deuotissimis scholis taxati sunt, nec non qui sub diuersis optionibus fœderatorum sunt decorati, dicit *l. vlt. in vers. Iubemus C. locat.* Eos vero nemo eligere potest absque principis mandato, vt notauit *glos. Verbo Delectum in l. 3. ff. ad l. Iul. maiest.* ibi. Nam nemo sine iussu principis potest eligere militem.

Officium regentis exercitum non tantum in danda, sed etiam in obseruanda disciplina consistit. ita dicitur *in l. 12. ff. de re mil.* Sed neque in ea, neque armis, neque militibus, militiæ princeps confidere debet, nisi Deo tantum, vt dictũ fuit verbo Imperator.

Miles, qui in præpositum manus intulit, capite punitur, & omnis contumacia, aduersus præsidem, vel ducem capite punitur, & qui resistit castigare volenti &c. ait *glos. verbo læserant in cap. Cum bona 8. de ætat. & qual. & in l. Desertorem 3. prope fin. ff. de re mil.* hæc. In bello, qui rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non seruauit capite punitur, etiam si res bene cesserit. Arma vero alienasse graue crimen esse inquit *l. Qui commeatus eod. tit.*

Arma autem magis, quam iura scire milites sacratissimus legislator existimauit, dicit *Imp. in l. Scimus 22. ad fin. princ. C. de iur. de lib. & in Auth. quib. mod. nat. §. vlt. vers. Quisquis autem coll. 6.* sic. Sed neque agricolas aut milites armatos &c. non prȩscrutamur, quibus ciuilium causarum ignorantia est, & solius circa terram operationis, & circa bella concupiscentiæ causa, est studiosa, & iusta, & laudabilis, Tamen militaris notitia multum operatur, sicut scholastica, vt dixit *glos. verbo Incolis in cap. Innotuit 20. de elect.*

Multa sunt priuilegia militum, de quibus agit *Bertach. in suo repert. in verbo Miles.* Et dubitat ȧn habeant locum in militibus nostri temporis, & pro vtraque portat doctores. Vide per eum; Ego vero affero *glos. verbo, & in milite, in addit. in §. Item maior de excusat. tut. in Inst.* sic dicentem. Et refert *Ang.* quod milites nostri temporis gaudent priuilegijs dummodo in eis sit eadem ratio, & causa priuilegij concedendi.

Recipi debent milites hospitio in ciuitate iuxta *l. Et qui originem 3. §. Quamuis in vers. Eos milites,* quibus superuenientibus hospitia præberi in ciuitate oportet: per vices ab omnibus, quos id munus contingit, suscipi oportet *ff. de muner. & bonor.* Sed in quota parte domus? Respondet *glos. ibidem verbo quos* Illustri militi medietas domus: non illustri tertia, & probat *l. 2. C. de Metat. lib. 12.* ibi. Duas dominus propriæ domus, tertia hospiti deputata eatenus intrepidus, ac securus possideat portiones, & ibi. Illustribus sane viris non tertiam domus partem, sed dimidiam hospitalitatis gratia deputari decernimus.

Non currit præscriptio contra militem in armorum expeditione occupatum, sic disponente *l. vlt. C. quib. non obst. long. temp.* in hæc verba. Ijs solis militibus, qui expeditionibus occupati sunt, ea tantummodo tempora, quȩ in eadem expeditione percurrunt, in exceptionibus declinandis opitulari, illis temporibus, per quæ citra expeditionum necessitatem in alijs locis, vel in suis ædibus degunt, minime eos ad vindicandum hoc priuilegium adiuuandos.

Quicquid militi datur in causas castrenses præsumitur ipse accipere: vt in *l. vlt. in fin. C. ad Maced.* ibi. Et de præsumptione omnis miles non creditur, in aliud quicquam pecuniam accipere, nisi in causas castrenses. Quod vero miles dederit concubinæ, poterit vendicare cum talis donatio non sit valida

-lida iuxta *l.* 2. *C. de donat. int.* ibi. Milites tamē inter eos a focarijs suis, hac ratione, fictisque adulationibus, spoliari nolo, *vbi notat glos. idem* in clerico, & *Bart.* etiam in aduocato procedere.

Minor miles propter militum priuilegia non potest nocere parentibus, vel propinquis, relinquendo alienis substantiā suam, vt infrà dicitur verbo minor. Nā priuilegium militū ad alienam iniuriā porrigi non oportet, dicit *l. Impuberi* 41. *ff. de admin. tut. & addit.* Nec in alijs circa supremam voluntatem imperitiæ venia datur, quam in bonis militum.

Miles, qui subarmata militia stipendia meruerit, condemnatus, eatenus, quatenus potest facere, cogitur soluere, ita *l.* 6. *ff. de re iud.* In criminibus autem, pœna militum huiusmodi est, castigatio, pecuniaria mulcta, munerum interdictio, militię mutatio, gradus deiectio ignominiosa missio. Nam in metallum, aut in opus metalli non dabuntur, nec torquentur, vt inquit *Modestin. l.* 3. *vers. Pœna ff. de re mil.* & addit *glos. ibidem verbo, torquentur*; Nec alias similes pœnas, quæ plebeis conueniunt.

Contra militem non poterit hodie pugna imponi nisi à milite, dicit *glos. verbo Capitali ad fin. in cap. Si rusticus militem de pac. tenen.* ait namque sic tex. Si miles aduersus militem pro pace, violata, aut aliqua capitali causa, duellum committere voluerit, facultas pugnandi ei non concedatur, nisi probare possit, quod antiquitus ipse cum parentibus natione legitimis, miles existat. Vnde bene respondisse videbatur, olim quidam Eques, se obiurgantibus cur non opem præstabat famulo suo à rusticis percusso; dicens, esse contra militiæ normas, nobilem contra rusticum rixare; sed aliud est auxilium præstare iniuriam passo, aliud pugnam, vel duellum acceptare, hoc namque prohibitum est iuxta terminos d. textus, & in amplio-ri forma à *Conc. Triden. sess.* 25. *de reform. cap.* 19. Illud vero permissum, quin imo etiam obligatorium, tenemur enim proximis iniuriam patientibus subuenire, cum possumus.

Notabile est priuilegium, quod vult *glos. verbo militiæ in Auth. de testib* § 1. *in fin. coll.* 7. dum ita dicit. Magis enim creditur militi, quam pagano; vnde etiam vni militi creditur &c. quod quidem videtur fundari in *l. Non omnes* §. *A barbaris ff. de remil.* ibi. si bonus miles ante existimatus fuerit prope est, vt affirmationi eius credatur: vbi notanda sunt duo, quod non dicit tex. simpliciter quod ei credatur, sed prope vt credatur, Et deinde, si bonus fuerit ad arbitrium ergo iudicis, relinquitur an sequi debeat, vel non prædictam glos.

Non debent solui milites nisi compleuerint stipendijs, frustra enim velociter currit, qui prius quam ad metas perueniat deficit, ita inquit *glos. verbo Militiæ in cap.* 1. *de renunc* Qui autem vigesimum annum militiæ excessit, similis esse creditur ei, qui compleuit tempus militiæ: vt decidit *l. Sed & milites* 10. §. *Quandoque ff. de excusat. tut. glos. pen. in* §. *Item qui Reip. eod. tit. in Inst.* ibi. Qui post vigesimum annum excusationem habet perpetuam. Soluti igitur ita, laudabiliter non debent perdere priuilegia militaria. Ne sordidis astricti muneribus, decus ministerij, quod militando videbantur adepti, otij tempore, & quietis, amittant. vt prædictis verbis præcipit *l.* 2. *C. de prepos. sacr. cubic. lib.* 12. Qui autem ignominiosa petitur missione non habet vacationē dicit *d. l Sed & milites* §. *qui autem ff. de excusat tut & in* § 2. dixerat, qui nimirum ignominiose missi sunt, si miles illis, qui nequaquam militauerunt, existimantur, & propter hoc, nec ipsi habent priuilegium, nec filij eorum, & *in l. Testamenta ff. de mil. test.* ibi. Ad eos, qui ignominię causa missi sunt non

pertinet, quod hoc præmij causa merentibus tributum est, *vbi glos. penult.* ait. Nam vnde debent puniri, non debent præmiũ reportare, & verbo ignorare *in l. quod dicitur 39. eod.tit.* dicit, quod taliter missus, nec debet iterum cingi, vbi *Apostill.* reputat eam multum notabilem ad hoc, quod doctor degradatus doctoratu, non potest iterum fieri doctor, *& in l. Milites 13.§.1. ff. de re mil.* in hæc verba. Illud constat præscriptionis huius commodum ad eos, qui ignominiæ causa missi sunt, non pertinere, quod præmij loco veteranis concessum intelligitur.

Propter fidem Sacramenti ruptam, milites perdere priuilegium, disponit *l. Ex militari ff. de mil. testa.* ibi. Quod ita intelligi oportet, si non Sacramenti fides rupta sit. Nam vt statim infamis fit, miles esse desinit, vt dixit *glos. 1. in l. Frustra C. de re mil. lib. 12.* Honeste autem Sacramento solutis data immunitas etiam in eis Ciuitatibus, apud quas incolæ sunt, valet, nec labefactatur, si quis eorum voluntate sua honorem, aut munus susceperit: inquit *l. 2. ff. de priu. Veteran.* Et quod veterani priuilegium sit maius probat *l. Sed & milites 10.* ibi. Coæqualitas enim honoris militiæ, fortior videtur omni militum priuilegio *ff. de excusat. tut.*

Tripliciter milites solent à militia remoueri iuxta *l. Milites 13. §. 1. ff. de re mil.* In his verbis. Missionũ generales causæ sunt tres. Honesta, causaria, ignominiosa. Honesta est, quæ tempore militiæ impleto, datur; Causaria cum quis vitio, vel animi, vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur. Ignominiosa causa est, cũ quis propter delictũ Sacramento soluitur. Et is, qui ignominia missus est: neq; Romæ, neq; in sacro comitatu agere potest, sed & si sine ignominiæ mentione missi sunt: nihilominus ignominia missi intelliguntur.

Notabis ex eadem *l. in §. vlt.* quod desertor militiæ si fuerit à patre oblatus, non punietur pæna ordinaria, sed tradetur militiæ deteriori, sic disponente: Desertorem, qui à patre suo fuerat oblatus, in deteriorem militiam Diuus Pius tradi iussit: ne videatur (inquit) pater ad supplicium filium suum tradidisse.

Miseri appellantur milites à *Ioseph. de antiq. lib. 3. cap. 13. lin. 40.* ibi. Milites, qui miserorum more meliora sperant ex rerum nouitatibus, perpetuo laborant, est enim labor in militia, vt dixit *glos. in l. Si cum militaribus laboribus per text. ibi. C. de restit. mil.* Et quod peius est, sunt insolentes. Et quid victoriarum ab insolente milite (quales hodie nostrates omnes fere videas) consequi poterit? vt iam dictum est verbo Dux. Sed contra insolentes permittitur propria authoritate insurgere *in l. 1. C. quand. lic. vnicuique sin. ind.* ibi. Vestram igitur permittimus vltionem, & quod serum est punire iudicio, subiugamus edicto, vt nullus parcat militi, cui obuiare telo oporteat, vt latroni.

In classibus omnes remiges milites sunt, Item vigiles milites sunt, ita disponit *l. vnica ff. de bon. possess. ex testa. mil.*

Minimum.

Dicitur secundum magnitudinem, seu qualitatem rei, vt inquit *Bart. in summario l. 4. ff. de rest. in integ.* quæ ita ait. Scio illud à quibusdam obseruatum ne propter minimam sane rem, vel summam (si maiori rei, vel summæ præiudicetur, audiatur is, qui in integrum restitui postulat, vbi notat *glos. verbo Summam,* quod propter paruam rem non debet aliquid mutari, quod probat *l. 54. ff. de contrab. empt. ait enim Vlpian.* Res bona fide vendita propter minimam causam inepta fieri non debet.

bet. Nec pro minimis seu vilibus, non debent homines attritiones maximas sustinere, vt ex *Auth. de fid. instr. §. vlt. coll. 6. tradit glos. verbo Minima in l. 2. ff. quod cum eo.* vbi in principio tenet, quod minimum sit æstimandum iudicis arbitrio.

Siquis simpliciter dixerit peculiatum seruum, sufficit, si is, vel minimum habeat peculium, sic dicit *l. Si quid 18. ff. de adil. ed. & ibi glos. verbo Minimum*, *intelligit, idest non maximum, & addit* vel verius in summis, quod minimum est sequimur, vt &c. In quantitatibus autem inspicimus, quod est minimum inquit *glos. in reg. In obscuris 30. lib. 6.* Quando vero non minimum, sed medium, & quando maius præstandum est, vide verbo Medium.

In stipulationibus id seruatur, vt quod minus esset, videretur in obligationem deductum dicitur *in l. Si ita 109. ff. de verb.*

Vulgatissimum est prætorem de minimis non curare ex citata *l. Scio 4. ff. de rest. in integ.* quod ibi intelligit *Bart.* in his, quę contra ius commune conceduntur, non vero in his, quæ secũdum ius commune iuxta *l. Si proprietarius 22. ff. de dam. infect. in fin.* ibi. Eadem erunt si minimum damnum detur. Cæterum in multis curatur de minimis vi deas ad plenum *Tiraque in tract. de iud. super rebus exiguis, vbi à num. 105. vsque ad 164.* ponit 17. casus, *& à num. 10.* cum sequentibus ponit 95. in quibus de minimis non curatur.

Minima pars non dicitur tertia iuxta *l. Cũ oportet §. Cum autem* ibi. Debere patrem tertiam partem bonorum &c. & ibi pars non minima substantiæ liberorum adimebatur *C. de bon. qua lib. vbi ita notat Bald.*

Minus etiam diciur, quando nihil est, vt *in l. Illud 6. §. 1. ff. de tribut. act.* ibi. Minus autem tribuere dominus videtur, etiam si nihil tributum est.

Vbi maius conceditur minus concessum esse videtur, dicitur *in cap. Ex parte 27. de decim vbi glos* sic. Et è conuerso cui interdicitur minus, & maius prohibitum esse videtur, *& in cap. Per venerabilem qui fil. sint leg.* ibi. Quod in maiori conceditur, licitum esse videtur, & in minori. Notabis tamen, quod hoc non procedit in dispensatione, quæ cum sit stricti iuris ac odiosa iuxta *cap. 1. in fin. de fil. præsb.* de maiori ad minus non procedit argumentum, nam vt dicit *Felin. in cap. Mandato num. 4. de Simon.* debet claris verbis de dispensatione apparere.

Minister.

Ille dicitur, qui quod superior præcipit exequitur, vt deducitur *ex cap. Dominus noster 23. quæst. 2.* ibi. quod Deus imperat &c. in quo bello ductor exercitus, vel ipse populus non tam author belli, quam minister iudicandus est, & *in capit.* Non solum homines ministri sunt *ead. 23. quæst. 5. & cap.* Quicumq; percutit malos in eo, quod mali sunt, & habet causam interfectionis. Minister Dei est *quæst. 8.*

Cui relinquitur nudum ministerium non cedit commodum *l. Si quis Titio 17.* ibi. Titij commodo cedit: nisi dumtaxat, vt ministrum Titium elegerit *ff. de legat. 2. summat. Bart. in l. Lucius 90. §. à te peto eodem tit. & ibidem glos. verbo* Proficere sic. Fecit enim electus vt minister, vnde nihil apud eum debet remanere An autem iste talis possit comittere alteri nudum ministerium videas *Cardinal. in Clem 1. quæst. 4. de offic. delegat. & dixisti Verbo Electio*

In dubio præsumitur minister, qui stipulatur pro alio, notauit *Bart. in Summario l. Cum quis decedens 35. §. Nuptura ff. de legat. 3.* vbi etiam *glos. verbo Mandauit* ibi. Sed in stipulationis istius negotio

gotio, illorum filiorum volens, vti ministerio.

De ministro generali, & prouinciali ordinis minorum, electione iurisdictione, & potestate eius extat *Clem. Exiui, vbi latissime de verb. sig.*

Minor.

IAm supra verbo ętas aliqua dicta sunt, nunc autem magis in specie, alia dicamus. Et in primis hoc verbum dupliciter intelligi potest, vt inquit *Innoc. 3. in cap. In præsentia 8. de probat.* ibi. Præterea cum verbum illud, Minor annis, duobus potuerit modis intelligi cum & qui minor est 14. ann. & qui 25. dici soleat minor. De vtrisque dicit *l. 1. ff. de minor.* ita. Hoc edictum prætor naturalem æquitatē sequutus proposuit, quo tutelam minorum suscepit. Nam cum inter omnes constet fragile esse, & infirmum huiusmodi ætatū consilium, & multis captionibus suppositum, multorumque insidijs expositum: auxilium eis prætor hoc edicto pollicitus est, & aduersus captiones opitulationem &c. Apparet eum opem polliceri minoribus 25. ann. Nam post hoc tempus, compleri virilem vigorem constat: Et ideo hodie in hanc vsque ætatem, adolescentes curatorum auxilio reguntur: nec ante rei suæ administratio eis committi debet, quamuis bene rem suam gerentibus, *& in l. Si minor 20. an. ff. de seru. export.* ita: lex quippe consilio eius, quasi parum firmo resistit.

Non posse minores in iudicio criminali sine tutoris, vel curatoris authoritate esse disponit *l. Clarum 4. C. de auth. prąst.* ex ratione de qua ibi. Cum cautius, & melius fit cum sua ratione perfectissima, & responsa facere minores, litemque inferre, ne ex sua imperitia, vel iuuenili calore aliquid, vel dicant, vel taceant, quod si fuisset prolatum, vel non expressum, prodesse eis poterat, & à deteriore calculo eos eripere.

Si vero accusauerit minor, dicendum est hunc non excludi, siue ipse, siue tutor eius, vel curator accusauerit: sed si minor quidem instituerit accusationem, maior autem factus, sententiam acceperit, benigne erit dicendum ignosci ei debere, quia minor cœpit. Neque enim imputare ei possumus, cur non deseruit accusationem, vel cur abolitionem non petierit, cum alterum si faceret in Turpilianum incideret, alterum non facile impetretur, ita inquit *l. Qui cum natu 14. ff. de bon. lib.* vbi agitur de bon. poss. contra tab. liberti, qui à minore fuerat accusatus.

Eis qui ob ætatē lapsi nō ediderunt subuenietur dicit *l. 1. §. vlt. ff. de edend.* Placuit minoribus, etiam in his succurri, quæ nō acquisierunt *l. Cum quidam 17. §. Si pupillus ff. de vsur.* Et minoribus ætas subuenire in damnis, non in rebus prospere gestis abesse consueuit *l. Non est 14. C. de procurat.* Sed aduerte, quod ait *l. Nam postea quam 9. §. Si minor ff. de iur. iur.* ita. Nec enim vtique, quod minor est, statim & circunscriptum se docuit.

Minoris res sicut, & fisci, & Ecclesiæ, non possunt vendi habita fide de pretio, vt dicis verbo Fiscus. Cum Ecclesia Fiscus, & minor pari passu ambulent, vt dixit *glos. verbo rebus suis in cap. 2. de iur. iur.*

Minoris creditor tenetur probare mutuū in eiusdem minoris vtilitatem versum, habes verbo Mutuum.

De minoribus 25. ann. dicit *l. Si maritus 15. §. vlt. ff. ad l. Iul. de adult.* sic. Minorum 25. ann. etiam eum accipimus, qui annum 25. ætatis agit. *Et in l. De die §. Si seruus ff. qui satisd. cog.* ita. Minori quoque 25. ann. succurrendum est. Licet vidua sit *l. vlt. C. de sponsal.* ibi.

ibi. Si minoris ætatis est, siue virgo, siue vidua sit.

Ipse minor sibi debet inuenire curatorem infert *glos. verbo inueniat ex tex. ibi. in l. Si minor 5. ff. de bon. auth. iud.* quam ibidem *Apostill.* reputat sing: Sed nescio qua de causa, cum alias dicat *Imperator in §. 1. ad fin. de curat. in Inst.* quod inuiti curatores non accipiunt, ergo clare patet quod ipsi ad eorum placitum eligent, & ita inuenire debent.

Non debet repelli minor à procuratione, maxime si pro absente sit, est tex. optimus in *l. Exigendi 12. C. de procurat.* in hæc verba. Sane quod nec dum legitimam ætatem ibidem filius tuus compleuerat ob hoc quidem à procuratore, cum iudex non iniuste repellere potuit, sed multo iustius fuit huiusmodi defensorem audire, quam te absentem, quasi contumacem, & indefensum graui condemnatione afficere. An in hoc casu minori detur restitutio? *glos. pen. ibidem* resoluit, quod non. Nec etiam dabitur aduocato minori in causis quibus patrocinium præstat, licet in proprijs sit, vt dixisti verbo Aduocatus. Super quo considera, attentis his quæ dicis verbo Restitutio. Vbi minori non datur restitutio, Si alias diligens pater fam. sit.

Non etiam conceditur restitutio minori fallenti iuxta *l. 2. C. si min. se maio. dix.* ibi. Cum iuxta statuta iuris, errantibus non etiam fallentibus minoribus, publica iura subueniant. Nec insuper quando iure communi vsus fuit iuxta *l. Inter eos 52. ff. de fideiussor. in §. Cum inter* ibi. Nec auxilio ætatis defendetur actor. Non enim deceptus videtur, iure communi vsus. Nec quando fuit restitutus ad hæreditatem repudiandam, & velit iterum illam adire, vt dictum est verbo Filius.

Et glos. verbo Quamuis minor in cap. Ex parte 14. de rest. spol. ita inquit. Sic patet quod minor 25. an. in causa matrimoniali censetur maior. Similiter in voto &c. & in alio casu, cum minor mortem patris exequitur, vel cum agit de testamento patris &c. Item cum agit de toro violato &c. Item cum agit de libero homine exhibendo &c. Item cum impetrauit veniam &c. Item cum agit negotia alterius &c. Et si plures alios casus vis scire in quibus datur, & non datur restitutio. Videas ad plenum Bertach. verbo Minor restituitur.

Minor 25. ann si habuerit 18 annos, an possit alienare pro redemptione captiuorum; dictum est Verbo Alienatio. In vltima voluntate etiam si miles sit, non poterit priuilegio militari, vti in damnum parentum, *vt in l. vlt. C. de test. mil.* ibi. Attamen indignum nostris temporibus esse videtur, eum, qui stabilem mentem nōdum adeptus est propter priuilegia militum sapientium hominum iura pertractare: & in tam tenera ætate ex tali licētia, parētibus forte suis, vel alijs propinquis nocere, propriam substantiā extraneis relinquēdo.

De minore 14. ann. dictum est sub Verbo Aetas vers. Pueritia, & an proximus pubertati obligetur iuramento habes verbo Iuramentum: Quamuis pupillus non videatur peierare, quia sciens fallere non videatur inquit *l. Qui iurasse 26. ff. de iur. iu. & ibi glos.* sic. Quia non videtur sciens siue scienter fallere, cum nihil sciat fictione iuris.

Contractus cum eo gestus dicitur ex vna parte claudicare, *vt in l. Iulianus §. Si quis à pupillo ff. de act. empt.* ibi. Ex vno latere constat contractus. Nam qui emit obligatus est pupillo, pupillum autem sibi non obligat.

Neq; pupillum extra ordinem iuuandum, præsertim si nouum beneficium, cum alterius iniuria postularetur, inquit *l. Sed cum 12. ff. ad Trebell. vbi glos.* intelligit de iniuria magna, secus vero si parua esset.

No-

Nota, quod minores seruitia facere debent maioribus, quod intellige circa seruitia exhibenda in obsequijs diuinorum: Alia vero seruitia extra diuinorum celebrationem facere non tenentur, ita ponit *glos. vlt. in cap. Statuimus 15. de maio. & obed.*

Miraculum.

QVod raro fit miraculum vocatur, vt dixit *Imperator in Auth. de consul. vers. sufficere itaque* ibi. In ijs enim, quæ raro fiunt miraculum est *collat. 4.* ex quo assumpsit *glos. verbo paucitatem, in capit. legitimus 93. dist.* dicens quid quid enim raro accidit miraculum est.

Quatuor requiri ad hoc, quod sit miraculum inquit *glos. magna prope finem in cap. vnic. de reliq. & vener. Sanct. lib. 6.* in hæc verba. Primo quod ex Deo non ex arte contingat: nec ex diabolo: nam miracula quandoque fiunt per *malos 1. quæst. 1. cap. teneamus, & cap. prophetauit,* necesse est enim martyres à Deo impetrasse, quæ mandant &c. secundo, quod fit contra naturam: sicut de virga Moysi mutata in colubrum &c. Tertio, quod non ex vi verborum, sed hominis merito id contingat, nam panis, & vinum potestate, & virtute verborũ transubstantiatur in corpus, & sanguinem &c. Quarta quod sit ad corroborationem fidei &c. & ibidem remissiue additio dicit. An sit de necessitate miraculi liberatum in liberatione dolere, & allegat *Archidiac. 26. quæst. 5. cap. Nec mirum vers. Nec ideo.*

Super miraculis testi non creditur nisi deponat cũ causa scientiæ, vt dixit *Bald. in l. Solam num. 23. C. de testib.* ibi. Modo hic quæritur de aliquibus, & primo nunquid transcendentibus naturam, vt in miraculis credatur testi sine redditione causæ? & dic quod non allegat *cap. Venerabili 52. eod. tit. de test.* sed tex. non mihi videtur ita clare id dicere, cum nihil aliud speciale dicat in receptione istorum testium, quam quod in alijs, vt ibi examinare sigillatim curetis cum ea diligentia, quæ solet, & debet in receptione testium adhiberi. Verum *glos. vlt. ibidem addit* sic. Diligentia, quæ solet adhiberi: imo etiam cum maiori, quia circa maiora maius periculum vertitur, & ideo cautius est agendum.

Si furca suspensus de sua protestetur innocentia, & laqueus frangatur, quod præsumitur miraculose factum, nec debet iterũ suspendi tradit *Bertach.* hoc verbo *ex Dec. in reg. fauorabiliores de reg. iur. in fin.*

Missa.

HAnc de officio dici, sed non de horis, tradit *glos. verbo Canonicas in Clem. 1. de celebr. miss.* His verbis. Missam de officio dicimus, sed non de horis, quod patet: quia etiam Episcopi de honestate inuitantur ad illas dicendas, vel audiendas, *de priuileg. cap. fin. lib. 6.* Distributiones tamen pro missis, vt pro horis, in Ecclesijs statuuntur &c. Missam, vesperas, & matutinum æquiparari notauit *glos. verbo totidem in citata Clem. 1. per tex.* ibi. qui matutinali officio festi &c. interfuerint, centum: qui vero missæ totidem: qui autem in primis vesperis similiter centum &c. dicens. Argue pro æquandis distributionibus in his tribus horis: matutino, missa, & vespere. Item argue, quod vbi in illis horis dantur decem in alijs debent dari quatuor.

Indubitatum est neminem pransum posse missam celebrare *ex cap. liquido de conseerat. dist. 2. cap. Nihil 7. quæst. 1.* Sed quid si celebrans aliqua infirmitate correptus non potuit consumare, poterit ne pransus perficere? Respondet

glos.

glos. verbo. Vel Presbytero d. cap. Nihil quod non.

Non etiam posse quemlibet sine ministro Sacrificium missæ celebrare colligitur ex *cap. Illud d. quæst. 1.* Et expresse tenuit *glos. in cap. Sedulo 38. dist. in verbo dicat.* ibi. Et ita videtur, quod nec sine ministro potest præsbyter missam dicere, & confirmat *glos. seq. Verbo Amen, coniuncta Apostill. Archid. ibidem.*

Missa cœpta suspenditur propter subueniences excommunicatos, vt dicit *Bald. in l. Casus sub num. 1. C. de testam. & probatur in cap. A nobis de excesp.* vbi prohibetur oratio cum excommunicato, vt ibidem notat *Felin. numer. 3. & num. 4.* sic ait. Et scias quod si excommunicatus expelli non potest, debet dimitti missa, si non est inceptus Canon per *glos. verbo in expleta in Clem. Grauis de sent. excom. & in cap. Sicut Apostoli verbo Orauerit 11. quæst. 3.* Pœnam autem celebrantis coram manifesto excommunicato habes *in capit. Episcoporum de priuileg.* quam limita nisi sacerdos allegaret ignorantiam probabilem publicæ excommunicationis. Imo videtur, quod ignorantia etiam non probabilis, sed supina excusat propter *glos. in Clem. 1. verbo Publica post princ.* ibi. Vel veritas ponderetur *de sepult. ita idem Felin. vbi supra sub num. 5.*

Sicut non alij quàm sacrati Deo sacerdotes debent missas celebrare, nec sacrificia super altare offerre: sic non in alijs quàm in Domino cōsecratis locis, idest in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibutis, missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa cogente, necessitas inquit *cap. sicut de consecr. dist. 1. coniuncto cap. seq. & in cap. Vnicuique fidelium in domo sua* oratorium licet habere, & ibi orare: missas autem ibi celebrare non licet *ead.*

Nullus autem missam audiat presbyteri, quem scit cōcubinam indubitanter habere, aut sub introductam mulierem, dicit Nicolaus *Papa 32. dist. & Alex. 2. in cap. seq.* sic. Præter hoc autem præcipiendo mandamus, vt nullus missam audiat præsbyteri, quem scit habere indubitanter concubinam, vel subintroductam mulierem: vnde etiam Sancta Synodus, hoc capitulum sub excommunicatione statuit &c.

Misericordia.

ESt ipse Christus, quem dicitur negare, qui illam negat, *vt in cap. Omnis 7. quæst. 1.* ibi. Qui autem negat misericordiam faciendam fugientibus, & necessitatem patientibus ipsum Christum negant, qui est misericordia, & veritas. Quapropter nulli homini claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda est, ait *cap. Diuo ista 23. quæst. 4.* Et misericordia rigori est præferenda *cap. Ponderet cum sua glos. 10. dist. cap. Alligant 26. quæst. 7. glos. verbo humanius in l. Barbarius ff. de offic. prætor.* ibi. Et sic nota, quod benignitas præfertur rigori.

Nonne melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem? vbi enim pater fam. largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, vt quid sacerdos eius vult austerus apparere? ita inquit *Chrysostom. in d. cap. Alligant 26. quæst. 7.*

Misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere, nec tēpora diffinire apud quem nullas patitur veniæ moras conuersis, dicente Dei spiritu per *Ezechiel proph.* Cum conuersus ingemueris tunc saluus eris, ita dicitur *in c. his qui tempore 26. quæst. 6.*

Dignus est misericordia, qui alieno vitio laborauit, dicit *glos. verbo inutilem in cap. In nostra 4. de procurat.* quod deduxit *ex l. legem Anastasij 7. C. de nat. lib.* ibi. Mouente misericordia, qua-

indigni non sunt, qui alieno laborant vitio.

In operibus misericordiæ dierum distinctio non est habenda, inquit *glos. verbo Pietas in cap. Conquestus 3. de fer.* Tamen attendere debet, qui eam exercere vult, ne intempestiue faciat, & ob id culpetur, *vt est optim. tex. in l. 7. ff. deposit.* sic inquiens: *Si hominem apud se depositum &c vinctum sequester soluerit misericordia ductus, dolo proximũ esse, quod factum est, arbitror: quia tunc sciret, cui rei pareretur, intempestiue misericordiam exercuit.*

Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi ait *cap. Est iniusta in fin. 23. q. 4. & in cap. seq.* sic. Ne amisso iudicio sis pauperi in mala causa misericors, cuius si parcis sacello, percutis conscius, & tanto nequiorem reddis, quantum iustum sibi facere videtur. Quia (vt inquit *glos. verbo liberalem in cap. Sedes. 25. de rescript.*) Vbi iustitia seruatur, ibi misericordia exhibetur.

Missio.

HAec fit in possessionem multis de rebus, & causis. In primis si de damno infecto non caueatur in rebus vectigalibus datur ista missio, *vt in l. Si finito 15. §. Si de vectigalibus,* non caueatur mittendum in possessionem dicemus *ff. de dam. infect. vbi Bart.* Datur etiam pro seruitutibus *in l. Is cuius 18. ibi.* Respondi oportere prætorem causa cognita, iubere bona aduersarij possidere *ff. si seru. vend.* Datur etiam creditoribus in bona debitorum contumacium, etiam si minores sint, vt ex tot *tit. ff. & C. de bon. Auth. iud. possid.* Fit etiam in possessionem bonorum hæreditariorum vigore *l. fin. C. de edict. diu. Adrian. toll.* Et in possessionem rei legatæ iuxta *l. Certa C. vt in possess. legat.* Mulier prægnans etiam in possessionem bonorum defuncti mittitur ventris nomine, iuxta *tit. de ventr. in poss. mitt.* & in ea à pretore tuetur *ex tit. ff. si mul. ventr. nom.* Fit etiam contra clericum debitorem ad quantitatem in fructibus, *vt in cap. 1. de fideiussor.* ibi. Aut prædictos reditus sibi assignet tandiu sine molestia detinendos, donec ipsa damna resarcita fuerint, & debita sine diminutione soluta, quod videtur deductum *ex l. 3. ff. si ex noxal. caus.* vbi sic *Vlpian.* Si cum in fructuario noxali iudicio agatur, isque seruum non defenderit, denegatur ei per prætorem vsusfructus persecutio. Non fiet autem missio si fuerit quæstio de beneficio iuxta *cap. Eum qui de dol. & cont.* Poterit etiam fieri missio in bona excommunicati contumacis iuxta *tex. in cap. Quoniam frequenter §. In alijs vero ad fin. vt lit. non contest.* Item datur missio in possessionem causa rei seruandæ, & talis missus post annum veram dicitur habere possessionem, *vt in capit. 1. De eo qui mitt. in poss.* Cætera de hac materia, de vsu, practica, & de effectibus primi, & secundi decreti, quibus dicta missio conceditur si vis, videas apud *Bertach. in repert. super hoc verbo*, cum ad nostrum Apolecta hæc sufficiant.

Modicum.

SOlet hic dubitari, quod dicetur modicum? Et quidem licet, dicat *glos. in l. Hactenus 8. ff. de vsufr.* quod iudicis arbitrio relinquitur per *tex. in l. 1. in fin.* ibi. Cum dicit tempus, nec adijcit diem, sine dubio ostendit esse in iudicantis potestate *ff. de iur. del. & glos. in l. vlt. ff. si ager. vectig.* ibi, tu dic arbitrio iudicis dici non modicum. & in *Auth. Vt ij qui oblig. se hab. per totum* in *verbo generis* ibi. Vel arbitrio iudicis. Tamen debet intelligi secundum quid

non simpliciter iuxta eundem tex. quando non declaratur contrarium. Nam inuenies tex. expressum in quo declaratur tempus modicum quale sit, & in hoc casu non erit in arbitrio iudicis. Est *l. Promissor §. Si sine ff. de constit. pec.* ibi: Sed modicum tempus statuendum est non minus decem dierum; hoc idem solet dari debitori confesso ad soluendum, vt testatur *glos. vlt. in l. Si debitor 21. ff. de iudic.* dum tex. dicit Modicum autem tempus hic intelligendum est, quod post condemnationem reis indultum est, *addit prædicta glos.* Per hanc leguntur præcepta hodie intra decem dies.

Aliter, & minus decem dierum ponitur modicum tempus in maiore, qui vult causa absentię restitui, in *l. Ab hostibus 15. §. vlt. ff. ex quib. caus. maio.* dum ait. Sed ita demum si intra modicum tempus, quam redije, hoc contingat: idest dum hospitium quis conducit, sarcinulas componit, quærit aduocatum: quæ omnia possunt vna die expediri. Ponitur etiam aliter modicum tempus *in l. 1. vers. Hoc interdicto ff. de itin. actusque priu.* dum dicit. Si modo hoc anno vsus est, vel modico tempore, idest non minus quam triginta diebus.

Inuenies etiam expressum, quæ modica summa dicatur *in l. 11. cum §. Anteced. ff. de dol.* ibi. Nam ecce in primis si modica sit summa idest vsque ad duos aureos pro qua actio, de dolo non datur, cum modica non soleant nocere. Modica enim res non inducit Simoniã; & modicum damnum de facili toleratur, & modica potest Episcopus alienare, nec pro modico restitutio datur, & pro modico, nec plus, nec minus, vt ita ponit *glos. verbo Minus computans in cap. pen. de rescript. & ibidem Apostill.* alia allegans addit, ita quia non nocet si modicum omittatur, & omne modicum siue augeat, siue diminuat pro non adiecto debet haberi, *& glos. verbo minima in cap. Cum te 23. de re iud.* sic. Habes hic locum quod pro modico non datur actio iniuriarum. sicut nec actio de dolo datur pro modico, & restitutio pro modico non datur, sed actio furti pro modico datur &c. Nec etiam in foro poli debent modica sperni dicente Spiritu Sancto Ecclesiast. 19 Qui spernit modica paulatim decidet, à quo deduxit *Augustin. lib. 19. confess. capit. 8. numer. 4.* Cæterum in foro fori vera est regula in prædictis. Cum modicum pro nihilo reputatur, & sub verbo, Nihil, comprehendatur, vt dixit *glos. verbo Nihil in extrauag. 2. de elect.* ibi. Nihil, intellige etiam modicum.

Modicum, dicitur etiam respectu personarum, quod in alijs magnum, & maximum diceretur, vt in *l. Sed & si susceperit §. 1. vers. Sed & si proponas* clarissimis viris argenti, vel auri pondo relicta *ff. de iud.* vbi illud fideicommissum duorum ponderum auri, vocat *Vlpian.* Modicum dicens. Nec enim verisimile est testatorem, qui honorem habitum voluit, ijs quibus reliquit, tam modica fideicõmissa in prouincia præstare voluisse. Et ibidem *glos. verbo Modica* sic interrogat. Sed quomodo erant modica duo pondera auri? & Respondit. Hoc respectu personarum, sicut, & ait comitissa Matilda, aliquantulum terræ concedo illi Ecclesiæ, quæ tamen in triginta milliaria extendebatur. Verum tamen hoc intelligi debet, quando Princeps scit quid, & cui concedit, & ex proprio animi sui motu, si vero ad alicuius preces, in quibus petebatur, modicum concesserit, non mihi videtur tam ample extendendum esse illud, modicum, ex defectu intentionis principis, & ob falsi expressionem petentis,

Modicus homo, in omnibus deest, & plurima consumit in parua re, & quidquid tardus est atque morosus, semper considerans quemadmodum in quacunque re

re parum expendat, & hoc ipsum cum querelis agit, & cuncta maiora, quam oporteat se facere existimet, dixit *Philosoph. 4. Ethic.*

Modus.

HIc, & conditio æquiparantur in fine sed non in principio deducendi rem in esse dicit *Bald. in sum. l. 1. C. de his, quæ sub mod.* quæ sic ait. In legatis quidem, & fideicommissis, etiam modus adscriptus pro conditione obseruatur: Sed si per te non stat, quominus voluntati testatoris pareas, sed per eum, cui nubere iussa es: quominus id quod tibi relictum est obtineas, non oberit, *&* *glos. 2. ibidem* ita. Dic, simile est inspecto exitu, vt enim, qui non paret conditioni, sic & omnino, qui non paret modo, non habet relictum, sed inspecto principio, differunt: nam in conditione non datur actio, nisi extet conditio; in modo, contra, nam datur actio, sed cauebit de adimplendo. Est enim modus nō dispositioni, sed executioni eius adiacens determinatio, vt dicit *Bald. in l. Si plures 6. num 25. C. de cond. insert.* Vnde si adimpleri potest per hæredem eius, cui appositus fuit modus, ad eum transit, & modus, & relictum sub modo, secus si non potest adimpleri per hæredem, vt idem *Bald. d. numer. 25.* Conditione vero pendente si decedat is, cui apposita fuit, nihil transit ad hæredem eius, cum conditio nihil disponat in re, vt est satis notum ex vulgaribus iuris regulis *ad l. vnic. §. Sin autem aliquid sub conditione C. de caduc. toll.*

Fit autem modus per, vt, veluti, vt nubas, conditio per, si, causa per, quia, ita ponit *glos. 1. in d. l. 1. C. de his quæ sub mod.* Et per alias dictiones veluti, ita vti, dummodo, postquam, ne, pro, & in de quib, *Bart. in l. Quibus §. Termilius à nu. 2. ff. de condit. & demonstr.* vbi omnino videas.

Si sententia lata sit sub modo valet: & seruandus est modus, vt dixit *Paul. Castr. in summ. l. Cum verum 5. C. de sent. & inter loquut.* nam modus ille, est de forma sententiæ, vt idem *tex.* dicit ibi: Vt ipsi indemnitatem fisco præstarent, nec à sentētia eius intercesserit prouocatio, consequens est datæ formæ obtemperari.

Contractus sub modo factus non suspenditur sed statim ex eo agi potest, quia non conditionalis est, ita est *tex. in l. 41. ff. de contrah. empt.* Cum ab eo (inquit Iulianus) qui fundum alij obligatum hab bat, quidam sic emptum rogasset, vt esset is sibi emptus, si eum liberaret, dummodo ante Calendas Iulias liberaret, quæsitum est, an vtiliter agere posset ex empto? Respondi & ex empto erit actio, vt liberet. Nec sub conditione emptio facta intelligetur.

Modus non debet excedi in executione, alias appellari poterit idem dixisti in verbo Executio. Et semper obseruari debet iuxt illud.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Molendinum.

EST potius prædium rusticum, quam vrbanum, ita dixit *Bald. in l. Certi iuris sub num. 10. C. locat.* Et non poterit quis illud de nouo construere supra, per quod auertatur aqua, & præiudicet molendino inferiori, ita arguit *glos. vlt. ex tex. ibi in l. Si manifeste doceri possit C. de seruit.* Sed tamen dicit contrarium esse per iura, quæ ibi allegat, & additio remittit ad *Bart. in l. Quoni-*

nus ff. de flumin. tu vide *Bald. in d. l. Si manifeste num. 2. & 3.* vbi distinguit, & bene, secundum quem, aliquando consului in casu, quo habens a principe privilegium ad construendum molendinum superius, illud debebat intelligi sine praeiudicio tertij habentis molendinum inferius.

Nō poterit etiam dominus molendini superioris stagnare aquam in praeiudicium inferioris, & dicit, *glos. verbo Rationis in l. Si quis emergentarij. §. Si initium ff. de eod.* ibi & sic facit pro molendino eius, cuius aquam facit restagnare dominus superior, vt currere non possit. Sequitur *Bald. in l. Quominus ff. de flumin.*

Mutato molendino, quod non possit aqua duci ad eum locum, quo mutatum est, dicit, *glos. verbo accesserit in l. Hoc iure §. Si aquam ff. de aqua quot.* ibi. Et est hic argum. contra eos, qui petunt aquaticum vbicumque mittuntur molendina, tex. verba sunt. Si aquam ex flumine publico duxeris, & flumen recesserit: non potest subsequi flumen, quia ei loco seruitus imposita non sit, quamuis is locus meus sit. Sed si alluuione paulatim accesserit fundo tuo subsequi potest: quia locus totus fluminis seruiat ductioni. Sic & eodem modo si fluuius aluecum mutauerit, vt ibidem *tex. & Bart. in d. l. Quominus 16. quaest. de flumin.* vbi plene de materia molendinorum.

Momentum.

DIuersimode sumitur, vel pro tempore, quo roboratur consuetudo, quod est decem annorum, vt in *l. 2. C. quae sit long. consuet.* ibi. Verum non vsque adeo sui valetura momento. Vel pro die, *vt in l. Omnes iudices C. de fer.* ibi, Venerabili die solis, quiescant &c. necessitate momenti pereat; & ibidem *glos. vlt.* momenti, idest diei dominici, coniuncto *capit. consuetudinis 11. dist.* vel pro paruo tempore, vt pro puncto. Et ita notauit *glos. verbo Momento in d. l. 2.* Et hoc est proprie momentum, quod latius explicando docuit *Abb. in cap. 1. sub num. 7. de caus. possess.* sic dicens. Et scias secundum *Ioan. And.* hic quod momentum est quadragesima pars vnius horae: momentum est decima pars puncti, & sic quadragesima pars horae.

Momentum etiam appellatur, quoddam tempus, quod magis intellectu percipi potest, dicit *glos. vlt. in l. vlt. §. vlt. C. de bon. quae lib.* ex quo tex. deducitur, quod temporis momentum non sit in consideratione, & ita inquit qualis enim vsusfructus potest ei acquiri, qui momentarius esse ostenditur? Si enim in ipso momento necesse habeat eum, & possidere, & libertate donare in talem hominem qualis vsusfructus patri potest acquiri?

Quando dicitur aliquid nullius momenti esse inducitur nullitas, *vt in capit. 2. de testib. vbi notat Abb. num. 5.*

Momentanea etiam dicitur possessio, non quia durat per momentum, sed quia parum duratura est, apud possessorem, cum actor docuerit de proprietate, vt per *glos. verbo Momenti in cap. 1. de caus. poss.*

Monachus.

SI cupis esse, quod diceris, Monachus, idest solus, quid facis in Vrbibus? quae vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum, ita dicit *Hieronym. ad Paulin. in cap. Si cupis 16. quaest. 1.* Dicitur enim Monachus a monos, quod est vnus, & achos, quod est tristis: quia solus, & tristis stare debet non in tumultu, ita *glos. vlt. in l. Decernimus 26. C. de Episc. & Cler.* Licet ibidem Apo-

still.

ftill. dicat somniare Accurs. dum à dictione, achos, componi, affirmat, & ni fallor, si prædicta Apostilla, non loquitur per ironiam, attentis nostris téporibus, nescio quomodo audeat tale quid dicere,cum expresse repugnet authoritati. *Eugen. Papa in cap. Placuit 16. quæst. 1.* ibi, Neque alijs qualibuscumque negotijs se implicare, sit claustro suo contentus; quia sicut piscis sine aqua,caret vita,ita sine monasterio monachus, sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem viuit. Agnoscat nomen suum. Monos enim græce, latinè,est vnus, achos græce, latine est tristis, Vnde dicitur Monachus, idest vnus, tristis, sedeat ergo tristis, & officio suo vacet. Nam professio facit eius vocem funestam, & ipsum arcet a iudicijs, & publicis siue ciuilibus actibus, vt dicitur *in extrauag. 1. de offic. ordi. int. com.*

Monachus, non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, Et Domini pauidus præstoletur aduentus *cap. Monachus 16. quæstion. 1.*

In cap. quanto 7. de offic. ordinis sic inquit Pontif. Monachi, Canonici, & alij regulares &c. cũ deberent potius in claustro, iuxta regularia constituta diuinis obsequijs vigilare, de obedientijs, & redditibus, quorum curam gesserunt pecunia,congregata,claustrum abhorrentes per curias principum, & potentum discurrere non curentur, *& in cap. 1. §. In eos de priuileg. lib. 6.* ita. Cum dicitur Monachus curialis,ex adiuncto designatur aliquid leuitatis. Ordo enim claustri, & ordo curiæ, diuersi sunt.ibi, dextera tua repletur muneribus, hic lauas manus tuas inter innocentes: ibi, Pauperum res violenter auferuntur,hic a paupere sponte offerũtur.ibi laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, hic bene fit iusto. *Et Hieronym. ad Paulin.* sic ait. Secularium, & maxime potentium consortium deuita. Quid tibi necesse est ea videre crebrius, quorum contemptu monachus esse cœpisti Nunc vero summæ stultitiæ est renunciare seculo, dimittere patriam, vrbes deserere, monachum profiteri, & inter maiores populos, peregre viuere quam cras victurus in patria.

Cõuersationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem quidem humanam eius maculam detergat purum autem declaret, ac rationabili natura decentem, & plurima secundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celsiorem,ita inquit *Imperat. in Auth. de Monach. in in princip. collat. 1.* Vnde dicit *gloss. in capit. Scriptura 4. de voto*, quod intranti monasterium non est imponenda pœnitentia pro peccato ante commisso, *& gloss. vlt. in cap. Cum ad monasterium de stat. monach.* sic. Nota, quod monachatio præiudicat iuramento &c. Item maior est quam pœnitentiæ impositio &c. Item præiudicat matrimonio ante carnalem copulam.

Illud planum est, quod monachus proprium habere non potest, imo & si sub ea conditione fieret monachus, vt habeat proprium, conditio frangitur, & remanebit monachus, ita *gloss. verbo administratione in cap. 2. de stat. monach. & in Clemen. exiui post med. de verb. sig.* sic *Pontif.*

Licet vero non solum sit licitum, sed & multum conueniens rationi, quod fratres, qui in laboribus spiritualibus, & studij, & orationis seduli occupantur ortos, & areas habeant competentes, ad recollectionem, & recreationem sui, & interdum ad se ipsos post labores huiusmodi corporaliter deducendos, necnon ad habenda necessaria ortalitia pro se ipsis &c. & infra prosequitur: Superfluitas autem, aut nimia prætiositas, vel quæcumque curiositas in his, seu

seu alijs quibuscumque non potest ipsorum professioni, vel statui conuenire, Cum enim hæc sapiant thesaurizationem, seu copiam paupertati tantæ, quo ad humanum iudicium derogant manifestè, vbi glos. alia, & infrà verbo *Superfluitas.*

Et in Sacr. Conc. Trid. sess. 25. de regular. cap. 2. de reformat. ita disponitur. Mobilium vero vsum ita superiores permittant, vt eorum supellex, statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque superfluum in ea sit, nihil etiam, quod est necessarium sit denegetur.

De illis vero monachis, qui nihil omnino possident; sic inquit *Extrauag. 1. de priuileg. inter com.* Quæque sunt pauperes nihil habentes singuli in communi rustica prædia, imo nec vrbana, vel mobilia, eorum alteri, vel etiam vniuersi mendicant victum, quærunt vestitum, & eatenus sustinere possunt, quatenus, vel viuorum pietas, aut morientium charitas eis necessaria subministrauit. Quis enim non miseretur eorum, qui omnem voluntatem habendi etiam reliquerunt? Quis non patiatur eisdem operantibus tam vtiliter in agro prædicto? Certe nullus: nisi qui retributionis bonis os impiè allegare velit, aut eos substractis alimentis necare.

Continentia castitatis, & abdicatio proprietatis, ita inhæret ossibus monachorum, vt nec Summus Pontif. valeat dispensare, ita dicit, & probat *glos. verbo Triduum in cap. Ad nostram de regular.*

Per monachatum amittit, quis nobilitatem inquit *glos. verbo Ingenuus in capit. 1. de purg. canon.* Tamen ibidem *Apostill.* allegat plures contrarium tenentes. An autem vsusfructus amittatur bonorum filij, si pater monachus fiat? quod non, dicis verbo vsusfructus. Licet alias fingatur vere mortuus, vt probat *glos. verbo Mulieris placitum in Auth. de Sanct. Episc. §. Sponsalibus coll. 9.*

Monachatus est causa liberationis à potestate diaboli, sic dicit, & probat *glos. verbo transferunt in Auth. Constit. quæ de dig. coll. 6.* sed necessarium est in monachatu proficere, & non deficere. Nam dicit *Augustin. in C. quantum licet 47. dist.* Sicut difficilè sum expertus meliores, quam qui in monasterio profecerunt, ita non sum deteriores expertus, quam qui in monasterio defecerunt, & *Imp. Iustinian. in Auth. de Monach. §. 7.* sic. Si quis autem forte semel dedicatus schemateque positus, deinde à monasterio discedere voluerit, & priuatam fortassis eligere vitam, ipse quidem sciat, quam pro his dabit Deo satisfactionem.

Nec eidem imperatori placet transitus de vno ad aliud monasterium, audi ipsum *in d. Auth. de monach. §. Si quis autem post med.* Erranea est namque (inquit) talis vita monasterii, nullatenus eo certante proxima, neque constantia, & perstantis animæ, sed iudicium habentis circumlatæ, & aliunde alia requirentis. Si autem monachus aufugiat, poterit propria capi authoritate, vt dictum est *verbo Debitor.*

De monacho, qui contraria suæ professionis vel facit, vel intendit, potest dici illud celebre dictum, quod alias Imperator respondit quidam Philosopho *in l. 6. C. de muner. patrim. lib. 10.* sic Professio, & desiderium tuum inter se discrepant. Nam cum te Philosophum esse proponis, vinceris auaritia, & rapacitates & onera, quæ patrimonio tuo iniunguntur solus recusare conaris, & *ibidem Apostill.* ita. Turpe est, vt professio hominis, & desiderium inter se discrepant. Cum enim Monachus sit Deo plus astrictus, quam cæteri, nam per professionem contemptis honoribus adiectis diuitijs, spretisque delicijs, arbitrium proprium subiugauit

alte-

alterius ditioni in eo turpior, & periculosior est auaritia, & ambitio, vt dixit, *glos. verbo religiosorum in Extrauag. unic. de praeben. & in Extrauag. Execrabilis 4. eod. tit. int. com. verbo perpetuos sic.* Ambitio monachorum, quae tanto damnabilior est, quanto ipsi mittendo manum ad aratrum respiciendoque retro in ipsis attenditur auaritiae appetitus.

Vnde cum grauius delinquant, grauius etiam puniri debent, vt disponitur *in c. Accusatus 8. §. vlt. de Haeret. l. 6.* ibi. Religiosi etiam sunt poena immurationis, vel alia grauius puniendi, quam seculares. Eorum vero correctio primo loco pertinet ad Abbatem, *vt per glos. verbo Salua sua regula in cap. vlt. de offic. Archid. & verbo. Si praelati in c. Quanto de offic. ord.* ibi sic patet, quod coerctio, & correctio monachi, primo ad Abbatem spectat. Quod si agatur in figura iudicij, solus Episcopus cognoscere debet, secus si agatur secundum reg. claustralem, in omnibus his consideranda est consuetudo cuiusque. Sed misericorditer, & non passim sunt corrigendi, & non more latronum in grauem carcerem detrudendi. Nec debent praelati esse nimis graues in corrigendo, alias de consilio conuentus idest capituli, & correctio temperanda, vt inquit *glos. verbo Abbates in Extrauag. vnica de cens. inter com.* Quin imo debent, si fieri potest, cooperire fragilitates subditorum. Nam dicebat *Constantin. Imp.* Vere si proprijs oculis vidissem quemlibet eorum, qui monachali habitu amicti sunt peccantem: clamidem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur, sicut refertur *in cap. In scripturis 96. dist.* Monasterium enim est eis quasi carcer, sic attestante *glos. Verbo Auferenda in cap. Cum singula 31. de praebend. lib. 6. & infra verbo Monasterium.* Eorum autem lites accelerari debent, vt dicitur verbo lis.

Pro monachis semper praesumitur iustam litem mouere, cum ipsi sua dimiserint propter Deum, vnde non est praesumendum, quod appetant aliena, sic dixit *glos. verbo non fecissent in cap. 1. de oper. nou. nunciat. per tex.* ibi. Cum viri religiosi monachi Cantuaren. qui omnia dimiserunt pro Christo, tot laboribus & periculis personas, & res non dubitauerunt frequenter exponere (quod non fecissent) nisi cognoscerent praemissa respicere in graue Cantuaren. Ecclesiae detrimentum.

Nota quod causa potest delegari monacho, quod est verum expresso nomine monachatus, quo tacito, non valerent litterae: quia per subreptionem essent obtentae: quoniam monachi a strepitu causarum remoti esse debent: Vnde oportet, quod in litteris fiat mentio de monachatu, ita ponit *glos. verbo Monacho in cap. 14. de priuileg.*

Monachus, quando est extra monasteriu, & non recolligitur ab Abbate, non succedit ei monasterium, si moriatur, dictum est *verbo Abbas* si lis inter eos fuerit, interim monachus alendus est de bonis monasterij, vt notat *glos. verbo Decerni per tex. ibi. in l. si instituta §. de inofficioso ff. de inoffic. testa.* Si eo tempore mutuas petierit pecunias abbas tenebitur eas soluere: & in fortioribus terminis tenuit *glos. in l. Si non sortem 26. §. Qui filio ff. de condict. ind. deb.* Dum ita dicit. Ad quaestionem monachi fugitiui accipientis mutuam pecuniam, quod Abbas teneatur per *tex. in §. recte de mandat. in instit.* Si vero Monachus mutuet, vel deponat pecunias, licet quaeratur actio monasterio, tamen poterit monacho solui, & contingit liberatio, ita dicit *Apostill. ad vlt. in l. Filius 23. C. de pact. & ibi Bart.* vbi deciditur idem in filio, & seruo.

Pacta, quæ ab ipsis monachis fiunt non debeant ab eis impugnari, etiam si dicant non fuisse celebrata de consensu generalis, seu prouincialis, vt disponit *cap.vlt.de pact.lib.6.* in hæc verba. Multa in diuersis mundi partibus insurgunt scandala. Et ipsorum fratrum, (quos decet puritatem omnimodam in suis obseruare actibus, & ab his abstinere propensius, per quæ possit alijs exempli pernicies generari) famæ detrahitur plurimum, & honori. Nos his occurrere paternæ solicitudinis studio intendentes &c. pacta huiusmodi facta &c. habere ab ipsis fratribus &c. inuiolabiliter obseruari, non obstante, quod magistri, vel ministri, aut prioris generalium seu prouincialium, prædictorum non interuenerint eisdem assensus.

Religiosus executor ab aliquo in sua voluntate vltima deputatus non potest (cum nec velle, nec nolle habeat) huiusmodi officium suscipere, vel exequi, nisi à superiore suo, petita super hoc licentia, & obtenta, sic præcipitur *in cap.2. de testa. lib.6. vbi glos. verb. officium* ita. Hodie rationem huius officij ordinarius loci exigit à religiosis etiam exemptis, & si circa id delinquerint eos punit.

Monachus, qui antea fuerit tabellio an possit in aliquo exercere dictum officium? habes verbo Tabellio. Si vero apud eum est aliquod instrumentum, vel liber alicuius notarij, vel sui ipsius, qui forte fuit notarius ante religionis ingressum, debet agi contra monasterium, vt dicit *ex Bart. Apostill. in l.3. ff. de tab. exhib. per tex.* ibi. Si penes seruos tabulæ fuerint dominus interdicto tenebitur.

Si (quod difficile conceditur) transeat monachus ad aliud monasterium bona sua cum eo etiam transibunt, ita tenet *glos.verbo redire in cap.3. de cler.coniug.* ibi. Et sic clerico recedente quocumq; modo restituuntur ei sua, & idē in monacho, vt illa transferat secundo monasterio ad quod transit.

In omnibus idem dicendum de Canonicis regularibus, quia non differunt a monachis, nisi quia deseruiunt regulæ laxiori, vt dicit *glos.vlt. in cap. Cum in magistrum 49. de elect.* nisi diuersa inueniatur ratio in illis, quam in monachis, tunc erit enim diuersa iuris dispositio iuxta vulgares iuris regulas

Quilibet monachus clericus est, sed non conuertitur, propterea quilibet monachus in clericali officio instructus videtur, sed clericus secularis non in monachali, *glos. pen. in capit. Cum ad nostram 37. de elect.* hac ratione procedit *tex. in cap. Cum causam 27. eod.tit.* ibi. Quod cum secundum legem diuinam non sit in boue arandum, & asino, nec quisquam debeat vestem induere de lana linoque contextam, *vbi glos. pen. explicat*, idest homines diuersæ professionis in vno officio non sociabis. Nec mireris, quod monachus hic videatur boui assimilari, clericus vero animali inferiori, cum alias dicat; *glos. Verbo Singulorum in Extrauag. vnica de offic. delegat. int. com. loquens de vtrisque* sic. Qui licet eadem potestate fungatur cum alijs, tamen scientia, & discretione alijs præferuntur: sicut sunt fratres, in quibus, vt plurimum, plusquam in rectoribus scientiæ clauis viget, & sic plus proficiunt, quam alij.

Monachi exempti etiam coguntur respōdere coram ordinarijs, quando missi sunt ad prioratus subiectos ordinarijs *ex cap.1. §. In eos de priuil.lib.6. ex ratione de qua* ibi. Cum non sit inconueniens aliquem vtrobique locum habere monachi cum.

Monasterium.

DE eo scribit hæc Abb. *in cap. Tua 8. sub numer. 3. de his quæ fiunt à præl.* Nota ibi, Cęnobijs, quod monasterium potest appellari Cænobium, & dicitur Cinon græcè, quod est latinè, commune, quia religiosi ibi cõmuniter viuunt. Vnde secundum Ethymologiam vocabuli potest, dici Cœnobium omnis locus, in quo communiter plures viuunt sic etiam appellatur conuentus, quia ibidem conueniunt.

Dicitur monasterium propter monachos, nam non est monasterium, nisi per monachos, vt dixit *Bald. in l. 1. sub num. 5. C. de instit. & subst.* & bonis monachis suaue iugum est, malis vero carcer, vt notauit *glos. verbo Suaui in Clem. 1. §. Quia vero de stat. monach.*

Monasterij appellatione veniunt etiam cœmiterium, Ecclesia, domus, atria, ortus, & areæ, quæ sunt iuxta Ecclesiam, itaque exempto monasterio, omnia prædicta intelliguntur exempta, & ita tenet *glos. verbo exempto in cap. 1. de priuileg. lib. 6.*

Monasterium est loco filij, vt probat *glos. verbo Duæ partes in Auth. Sed hodie C. ad l. Iul. de adult. & in cap. In præsentia de probat.* ibi. Quia tamen intelligendum non erat sine liberis decedere, qui monasterium sibi hęredem instituit: & dictum fuit verbo *Ecclesia*.

Inspicitur mos Monasterij dicit *glos. verbo solita benedici in Clem. 2. de stat. monac.*

Si legatum est aliquid monasterio, & non apparet de quo, in dubio videtur relictum monasterio monialium, & non monachorum, quia masculi possunt robustius operari, quam fœminæ, & ista est veritas, quia cæteris alijs pauperibus monasterium monialium intelligitur pauperius, & ideo in legato animæ præfertur, quia pauperiori videtur relictum, ita ponit *Bald. in l. Cum multa numer. 8. & 9. C. de donat. ante nupt.* Et hæc sufficiant de monasterio dicamus etiam pauca de monialibus.

Glos. verbo Et Coronatis in Clem. 2. de stat. monach. sic ait. Apud nos communiter tondentur moniales *& infra* sic. Refert Vegetius de re militari, quod cum Romanis neruorum, & funium copia defecisset, & non possent ad resistendum hostibus machinas reparare: Romanæ mulieres abscisis crinibus eos maritis tradiderunt, per quos reparatis machinis, aduersariorum impetum repulerunt; maluerunt enim (vt ipse ait) pudicissimæ fœminæ maritis conuiuere capite deformato, quam integris crinibus hostibus deseruire. Dubito; quod nostris temporibus id facerent cũ videamus fœminas magni pondere crines plusquam charissimos filios nutrire, sed non mirum hoc in secularibus verum in his, quæ seculum reliquerunt, quod talem pessimam curam habeant, maximè dolendum. Et sic prædicta *glos.* adijcit. De secularibus fœminis intelligitur, quæ in sui velamen, & subiectionis signum crinibus vtuntur *&c. & ad fin.* ita sic puto plus monialibus expedire deformato capite Deo conuiuere, de quibus potest etiam dici illud Cipriani de laudib. virg. quod refert *glos. verbo Festa in d. Clem. 2.* his verbis. Nec computari, iam potes inter puellas virgines Christi, quæ sic viuis, vt possis adamari. Non enim fas est postquam se Domino consecrarunt iterum spiritui Sancto mentiri, vt dicitur *in cap. Viduas 27. quæst. 1.*

Vnde nec cum ipsis religiosis decet moniales confabulari, nisi sint valde propinqui; & cum requisitis de quib; *in c. Diffinimus 18. quæst. 2.* ibi. Porro si contingerit, vt aliquam propinquam suam videre voluerit monachus in prę- sentia abbatissæ huic confabuletur per

modica, & compendiosa verba, & in breui ab ea discedat. Ergo multo minus seculares non propinqui confabulari poterunt, sed abusus viget in contrarium.

Erit etiam magnus abusus si monialis velit aliquid sibi appropiare etiam si sit de lucro laborum suorum, cũ nihil proprij habere possit, sed omnia apud monasterium esse debent *cap. Cum ad monasterium de stat. monach Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccles.* & alijs ita in terminis sequitur additio ad *Abb. in cap. Cum M. de constit. num. vlt.* In communi vero non dubitatur, quod possint possidere ad *glos. in Clem. 1. de religios. dom. & in Clem. Ex eo de sent. excomm.*

Singularis est *glos. vlt. in cap. Cum dilecta 22 de rescript. vt ibidem dicit Abb. dum ex eod. tex.* ait, quod poterit agere monialis, & restitutionem petere si spoliatæ fuerint moniales, quando nõ erit abbatissa, vel quia tunc non tanquam monacha, sed quasi de corpore agit.

Omnia quæ de monachis disponuntur etiam in monialibus, quæ ijsdem congruunt, disposita esse intelliguntur, præcipit *capit. vlt. in fin. de stat. monach.*

Moneta.

TRia in ea requiruntur quantitas põderis, materia, & publica forma, vt inquit *glos. verbo Patris in cap. Quanto 18. de iur. iu.* vbi etiam hæc. Non semper inscriptioni monetæ fides adhibetur, sicut nec inscriptioni sepulchri.

In *l. 1. C. de vet. numism. potest. lib. 11. sic Cõstantin.* Solidos veterum principum veneratione formatos ita tradi, ac suscipi ab ementibus, & distrahentibus iubemus, vt nihilominus refragationis oriatur, modo vt debiti ponderis sint, & speciei probæ: scituris vniuersis, qui aliter fecerint, haud aliter in se vindicandum. His nostris temporibus Romæ viget magna copia monetarum aurearum, in quibus debitum pondus non inuenitur, quapropter refragantur, seu refutantur, & est magna controuersia inter dantes, & accipientes, & ob id æditum fuit edictum, quod non refutarentur, nisi cuilibet ad debitum pondus deesset considerabilis quantitas secundum qualitatem monetarum, & si ad eam quantitatem non ascenderet defectus, teneretur quisque ad recipiendas dictas monetas satisfacta sibi diminutione.

Et in l. 2. eod. tit. sic dicit idem Augustus. Pro imminutione, quæ in æstimatione solidi forte tractatur, omnium quoque pretio specierum decrescere oportet.

Quod ad antiquam monetam, & mensuram antiquam facienda sit solutio licet noua sit melior ait *glos. vlt. in cap. Olim 20. de censib.* & addit. idem esse, si moneta sit modo minor in vsu, quia debet soluere æstimationem antiquæ. Vsualis monetæ, & si de hac non fuisset dictum, de illa tamen intelligeretur inquit *glos. vlt. in capit. Olim 7. de vsur. & in Clem. 2 verbo currentem* sic. Et nota quod dummodo moneta communiter currat, licet & alia currat in illa poterit fieri solutio *per tex. ibi.* Consuetam, & ad monetam currentem communiter ipsa decima leuari poterit, & debebit. Et sic inter contrahentes simplex locutio monetę intelligitur secundum communem cursum regionis; & in statuto debet dicta loquutio intelligi secundum præsumptionem alterius statuti: vt notat *Apostill. ad glos. verbo Solidos in §. Nos autem de Attil. tut. in Inst.*

Si vero per principem mutatur moneta, in qua debeat fieri solutio, habes ibidem in eodem verbo *solutio.*

Per consuetudinem posse quæri ius condendi monetam; dixit *glos. verbo Consuetudinem per tex. ibi in Extrauag.* v-

nica de crimin. falf. Si plura de hac materia cupis videas Couar. in tractat. de . . . coll. post capit. vl. lib. 4. variar.

Monitio.

PRæceptum importat, vt tenuit Oldral. conf. 30. per tex. in cap. Ignorantia 38. dist. ibi. Sacerdotes legere sanctas admonentur scripturas, Paulo Apostolo dicente ad Thimot. Attende lectioni, & exhortationi doctrinæ. Hæc autem aut debet esse trina, quando à iure ita expresse præcipitur, vt in cap. sacro de sentent. excom. ibi. Nisi competenti admonitione præmissa coniuncta glos. ibidem Cōpetenti, trina videlicet, cum concord. Aut alias vnica sufficit, quando constitutio simpliciter loquitur, vt in Clem. 1. de decim. ibi. Nisi post requisitionem per eos, quorum intererit super hoc eis factam, vt ibidem notauit Cardinal. in princ. dicens, secus si requirat requisitionem canonicam, vel competentem, quia tunc trina requiritur. Quod ego insuper limitarem, quando iudex non tanquam talis, sed tanquam priuatus procedit; quia tunc potest cum vi repellere sine aliqua monitione iuxta opt. tex. in cap. Dilecto de sent. excom. lib. 6. ibi. Præterea cum omnes leges omnesq. iura vim vi repellere, cunctisque se se defensare permittant: licuit vtique ipsi decano, (si prædictus baliuus, cum bonis suis mundanis iniuriose spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit; vt superius dictum est) contra illius violentiam iniuriamque tueri &c. Potuit se etiam spiritaliter, gladio videlicet vtendo Ecclesiastico defensare, ac recurrere propter hoc ad arma spiritalia, quæ sunt Ecclesiæ propria: per quem tex. ita tenent ibidem Gemin. numer. 7. Anchar. num. 1. vers. & subdit Innoc. in cap. venerabili num. 2. & Abb. num. 3. de cens. & post eos multi relati per Sair. lib. 1. de censur. cap. 12. num. 20.

Non etiam erit necessaria trina monitio, quando iudex non vt talis, sed vt iuris executor procedit, vt in Clem. Præsenti de censib. ibi. Excommunicationis, & interdicti sententias à iure prolatas, postquam de his ipsis constiterit omnino publicent; Licet ibi glos. verbo Constiterit; dicat, parte vocata, & facit c. Reprehensibilis 26. de appell. ibi Vt prælati (nisi canonica commonitione præmissa) suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos, nisi forte talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis, vel excommunicationis pœnam inducat. Sequuntur Geminian. in capit. Romana §. Caueant num. 4. vers. 7. & Anchar. num. 6. vers. 7. de sent. excom. lib. 6. & plures relati per Vgolin. de censur. cap. 18. numer. 2. vers. 3.

Insuper dicerem non esse necessarias dictas tres monitiones, si periculum esset in mora, vt tenet Host. in cap. 1. de offic. delegat. lib. 6. quem sequitur Domin. ibi num. 4. & est glos. notabilis in cap. 1. verbo, temerarias de sentent. excom. lib. 6. ibi. Et periculum erat in mora, quam sequuntur ibidem Ioann. And. & Domin. Nauar. in commentar. tom. 3. cap. 18. in 5. causa nullitatis vers. Non obstat primo Sair. vbi sup. numer. 18. idque satis suadet cap. Constitutionem de sentent. excomm lib 6. vbi monitionum conceditur moderatio in hæc verba ad fin. ibi. Nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda, coniuncta glos. vlt. per quam concludunt omnes prædicti, quod si non tollantur in totum omnes tres monitiones, ad plus vna sola sufficiet. Quin imo in actibus extra iudicialibus sufficit regulariter vna monitio, vt per tex. in cap. Si Episcopus 18. dist. tenet ibidem glos. verbo præceptione dicens, vnica citatio sufficit, vt hic, & in Clem. 1. §. Propter quod verbo

be requisierint ibi. Et puto sufficere vnam requisitionem *de bene & tradit Abb. in cap. Ex litteris num. 8. de Constit.* vbi alios.

Quando autem est necessaria trina monitio non sufficiet si vnico contextu fiat tripliciter, cum tunc vnica, & non trina dicatur, vt per *glos. in capit. Ab eo verbo instanter de appellat. lib. 6.* ibi videtur, quod iterationes illæ habeantur solum pro vna petitione; sicut cum quis dicat; appellato vnica est appellatio, & ibidem *Apostill. addit in eo, qui dicit*, solue, solue, solue; Quapropter trina debet esse per internalla dierum, vel vna cum tribus interuallis, vt per *Cardinal. in Clem. 2. quæst. 8. de vit. & honest. cleric.* & sic stylus obseruat.

Mora.

Fieri intelligitur non ex re, sed ex persona, idest si interpellatus opportuno loco non soluerit: quod apud iudicem examinabitur. Nam (*vt Pomponius lib. 22. Epistolar. scripsit*). Difficilis est huius rei definitio, ita inquit *Papinian. in l. Mora 32. ff. de vsur.* Non intelligas illud verbum, definitio, de definitione, qua declaratur, quid sit mora, quia illa dicitur distractio solutionis ab adulto facta per legitimam denunciationem in iudicio factam, vel per diei appositæ lapsum, vt per *Alberic. in suo dictionario in verbo Mora, & per doct. in l. Quod te ff. si cert. pet. & in l. omnimodo C. de inoffic. test. & in l. In minore C. in quib. cau. rest. in integr. & per glos. verbo Difficilis in dict. l. Mora* coniunctis iuribus ab ipsa allegatis. Sed intellige, de decisione facienda in causis moræ, hæc enim difficilis est, & impossibilis, sicut vestium noticia, vt dicit citata *glos. verbo Difficilis, & ibidem tex. sic prosequitur.* Diuus quoque Pius Tullius Baldo rescripsit; an mora facta intelligatur, neque constitutione vlla, neque iuris authorum quæstione decidi posse, cum sit magis facti quam iuris. Nos ergo dicemus aliqua notabiliora prout in iure disposita inuenimus.

Et in primis ne discedamus a prædicta *gl.* quia est magna, & magistra in materia, inquit ipsa sic, post propositam distinitionem, Hæc autem mora sic commissa habet quinque principales effectus. Primum, quia facit rem, vel interesse tantum æstimari officio iudicis, prout erat tempore moræ, vel cæpit esse postea, perseuerante tamen mora, *vt in l. vbi & §. 1.* ibi. Id præstat, quod interfuit mea eas rationes edi cum decernerentur a prætore, non quod hodie interest *ff. de eden. & in l. 3. ff. de condict. trit. in fin.* ibi. quare ad tempus moræ in his erit reducenda æstimatio, & in *l. 3. § si per venditorem vini mora fuerit quominus traderet*: condemnari eum oportet vero tẽpore pluris vinum fuerit, vel quo venit, vel quo lis in cõdemnationem deducitur, Item quo loco pluris fuit, vel quo venit, vel quo agitur *ff. de act. empt. & in l. In re furtiua vers. si ex causa furtiua* ibi. Placet tamen id tempus expectandum, quo res vnquam plurimi fuit maximè cum deteriorem rem factam fur dando non liberetur. Semper enim moram facere fur, videtur: *ff. de condict. furt. & in l. Si calendis 11. ff. de re iud.* Si calendis (*inquit Celsus*) fieri aliquid stipulatus sum, nempe quandocumque post calendas accepto iudicio tanti æstimanda lis est, quanti interfuit mea calendis id fieri, *& in l. Quoties 59 ff. de verb. oblig.* ibi. Eius æstimationem eo tempore spectari oportet quo dies obligationis venit, tunc enim temporis mora fit, *vt ibi notat Bart.*

Secundus effectus est (inquit citata glos.) quia fecit currere vsuras in contractibus bonæ fidei, & in quibusdam stricti

iuris scilicet in legatis, & fideicommissis, vt in prædicta *l. Mora §. In bonæ fidei contractibus ex mora vsura debentur ff. de vsur. & in l. Si quis seruo* 86. ibi. Adeo vt putem, si mora fiat præstandæ libertati, etiam fideicommisso moram videri factam, & vsurarum moram accedere *ff. de legat.*2. *& in l. Qui solidum* 80 *eod. tit.* ibi. Si partem interim solui sibi desiderauit, neque acceperit, in ea moram passus intelligitur, *& in §. Etiam Respublica fideicommissi*, post moram, vsuras præstare cogetur: sed damnum si quod ex ea re fuerit secutum &c. *dict. l. Qui solidum.* Nã parificantur hic legata, & fideicommissa iudicio bonæ fidei *l. In minorum persona*, re ipsa, & ex solo tempore tardæ pretij solutionis, recepto iure moram fieri creditum est: in ijs videlicet, quæ moram desiderant, idest in bonæ fidei contractibus, & fideicommissis, & legatis *C. in quib. cau. in integr. rest.* sed secus in contractibus stricti iuris etiam lite contestata, vt *C. de condict. indeb. l.* 1. ibi. Vsuras autem eius summæ præstari tibi frustra desideras. *Licet Roger. contra per l.* 31. *ff. de vsur.* ibi. lite contestata vsuræ currunt.

Item (prosequitur dicta glos.) Et tertium habet effectum: quia inducit petitionem fructuum in quolibet casu; si petam, quod aliquando fuit meum, vel eius, à quo causam habui, alias exigitur lite contestata in stricti iuris iudicijs; sed in bonæ fidei séper sufficit sola mora: vt probantur hæc infra *eod. titul. de vsur. l. Videamus* 38. *cum suis §. §. & summario sic dicente*. Si actione stricti juris peto, quod est, vel fuit meum, veniunt fructus à tempore moræ. Sed si peto mihi debitum, tunc à tempore contestatæ litis; sed in actionibus bonæ fidei semper veniunt à tempore moræ:

Quartum (ait glos. prædicta) habet effectum in casu speciali; quia punit in tertiam partem eius, quod debetur, vt *C. de inoffic. test. l. Si quis in suo* 34. vbi hæres, qui legitimam filio relictam non soluerit statim, & sine vlla mora in pœna prædicta tertij pluris condemnatur.

Quintum (denique dicit citata glos.) habet effectum circa interitum. Nam indistinctè morosus de periculo tenetur, erat res peritura penes actore, vel non, satis est enim, quod potuit non perire, *vt est tex. in l. Cum res* 49. *§. vlt. ff. de legat.* 1. cuius verba sunt. Item si fundus chasmate perierit: ab eo ait vtiq, æstimationem non debere. Quod ita verum est si nõ post moram factam id euenerit, Potuit enim eum acceptum legatarius vendere, *& in l. Apud Iulianum.* 40. *Alias incipit Aphricanus §.* 1. *eod. tit.* ibi. Ipsius quoque rei interitum post moram debet, *& in l. Item* 15. *§. vlt. ff. de reiuendic.* ibi. Sed est verius, si forte distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo debere præstari, nam si ei restituisset, distraxisset, & pretium lucratus esset.

Sed quid respondebitur *ad l. Si plures* 14. *§. vnic. ff. deposit.* vbi in contrarium respondet Caius in hæc verba? Siue autem cum eo, apud quem deposita res est actum fuerit, siue cum hærede eius, & sua natura res ante rem iudicatam interciderit, veluti si homo mortuus fuerit. Sabinus, & Cassius absolui debere eum, cum quo actum est dixerunt: quia æquum est naturalem interitum, ad actorem pertinere: vtique cum interitura esset ea res, & si restituta esset actori. Nec placet responsiò à glosa ibidem posita in casus positione, dum dicit in hoc tex. mortem euenisse ante sententiam, & etiam litem motam, dũ ex eodem constat litem fuisse motam, ibi actum fuerit; Quapropter verior videtur responsio. *Accurs. in glos. vlt.* quod hic non erat in culpa, seu mora, dum habebat iustam causam litigandi

pro-

propter impensas in re deposita factas, & idem item respondit in citata nostra *glos. magistra d.l. Mora, de vsur. dicens* ibi. Non erat in mora, quia habebat probabilem causam resistendi. Licet esset conuentus, puta propter expensas, quod confirmat *ex Auth. de deposit. coll. 6.* ibi interdicens depositum restitui, tenetur ad vsuras ex tali mora, vt ibi. Insuper etiam ex quo facta est huiusmodi contestatio vsuras pecuniarum vsq; ad tertiam centesimæ agnoscere prohibentem accipere propria: non solum si aurum fuerit quod depositum est, restitui vero prohibitum, sed & si aliæ res sint, vt hoc timori stultorum simul, & peruersorum maligne versandi in depositionibus homines cessent: si ergo tertius prohibens fieri restitutionem depositi tenetur ex mora, multo fortius depositarius ipse tenebitur, nisi adsit prædicta iusta causa, vel alia similis.

In rei vendicatione tamen quædam specialitas seruatur: quia vbi est in mora possessor, quo ad interitum, qui prius fuit bonæ fidei distinguitur. Aut habet iustam causam litigãdi, & tunc nullo modo de interitu tenetur, *vt in l. Vtique 16. in fin.* ibi. Non enim post litem contestatam vtique, & factum possessor præstare debet, *ff. de rei vend. coniuncta glos. ibidem verbo*. Non enim, dicente sic. Non enim bonæ fidei possessor, tenetur de casu aliquo modo, siue etiam durauit bonæ fides, siue non, dummodo iustam causam habeat litigandi. Aut non habet iustam causam litigandi; & tunc cum distinctione illa tenetur, erat res peritura, vel non: *vt in d. l. Item in §. vlt. ff. de rei vendic.* Et hoc de communi mora, quæ in omnibus hominibus locum habet, ita ait prædicta nostra glos. magistra. Et prosequitur sic.

Specialis autem fit multis modis. Primo in petitione hæreditatis, quæ fit quocumque modo sciat *l. Item veniunt §. Petitam ff. de petit. hæred.* ibi. Idest ex quo quis scit à se peti. Nam vbi scit, incipit esse malæ fidei possessor; idest cũ primum ei denunciatum esset. Qui ergo si scit quidem, nemo autem ei denunciauit? an incipiat vsuras debere pecuniæ redactæ? Et puto debere: cæpit enim malæ fidei possessor esse. Secundo in minoribus 25. ann. vbi mora fit re ipsa, iuxta *citat. l. In minorum C. in quib. cau. in integr. restit.* & hæc purgatur temporis cursu, *vt in l. Titia Seio 89. §. vsuras ff. de legat. 2.* Vsuras (inquit) fideicommissi, post impletos annos vigintiquinque puellæ, ex quo mora facta est, deberi: Quamuis enim constitutum sit, vt minoribus 25. ann. vsuræ omnino præstentur, tamen pro non mora habendum est &c.

Tertio in libertate, vbi similiter fit mora re ipsa, *vt in l. Cum vero 26. §. 1. ff. de fideicomm. libert.* Apparet igitur (ait Vlpian) fauentum fideicommissarijs libertatibus, vt earum mora facta esse videatur, & ex die, qua libertas peti potuit. Quarto similiter fauore per solum cursum biennij, *vt in l. vlt. §. vlt. C. de iur. dot.* ibi si ex tempore matrimonij biennium transactum sit: illico redituum vel pensionum, nec non panis ciuilis quæstum eum præstare etiam si nõ fuerint adhuc res principales traditæ; & si tota dos in auro sit, itidem post biennium vsuras vsque ad tertiam partem centesimæ præstari.

Quinto, odio: vt in fure, & prædone, & violento deiectore *l. 1. § Rectissime ff. de vi & vi arm.* ibi. sic fit, vt etiam si homines, vel pecora demortua sint, post deiectionem interdicto locus sit. Denique Iulianus scribit eum, qui vi deiecit ex eo prædio, in quo homines fuerant, propius esse, vt etiam sine culpa eius mortuis hominibus, æstimationem eorum per hoc interdictum restituere debeat: sicuti fur hominis, mortuo eo tenetur,

netur, *& in l. Merito eod. tit.* ibi. Restituere debeas non solum possessionem soli, sed etiam ea, quæ ibi fuerunt: quanquam ego moram fecero quominus interdicto te conuenirem: Subtractis tamen mortalitate seruis, aut pecoribus alijsue rebus casu intercidẽtibus tuum onus, in eis nihilominus restituendis esse, quia ex ipso tẽpore delicti plus quã frustrator debitor constitutus, *& in l. 1. C. de ijs, quæ vi* sic. Persecutionem eorum, quæ vi, vel facto ablata sunt, etiam si postea interciderint, integram esse iure responsum est. In inferente tamen metum distinguitur; an res peritura esset vel non; *vt in l. si eum exceptione 14. §. quatenus ff. quod met. cau.* ibi. Sed & si non culpa eius, cum quo agetur obierit: si tamen peritura res nõ fuit, si metum non adhibuisset, tenebitur reus.

Moram videtur fecisse, qui litigare maluit, quam restituere, inquit *l. Nemo 82. §. vnic. ff. de verb. oblig.* Et qui non facit statim, in mora intelligitur vnde periculum decimarum ad ipsum spectat, dixit *glos. verbo frugibus in cap. Cum homines 7. de decim.*

Cum homo ex testamento petitus est, causa eius temporis quo lis contestabatur, representari debet actori, ait *l. Quæsitum 43. §. vlt. ff. de legat. 1. vbi glos. verbo Contestabatur* sic. Ex hoc dicunt quidam moram fieri à tẽpore litis contestatæ. Io. vero prius, etiam à die interpellationis, *vt l. Si quis seruo 86. ff. de legat. 2.* cum alijs pluribus, quæ allegat. Sed pro prima opinione obstat fortiter *text. in l. 48 ff. de damn. infect.* Cum postulassem (inquit) vt mihi damni infecti promitteres, noluisti, & prius quam prætor adiretur, ædes tuæ corru runt, & damnum mihi dederunt, Pedius esse, ait, vt nihil noui prętor cõstituere debeat, & mea culpa damnum sim passus, quia tardius experiri cæperim: qui quidem tex. singularis reputatur ad hoc, quod mora non incurratur per extraiudicialem interpellationem, sicut ibidem dicit *Apostill.* Verum intelligitur secundum *Bart.* ibi in his, quę solum per officium iudicis possunt conueniri. In alijs vero ante litem contestatam committi infert *glos. in l. 1. §. Si cui ff. vt legat. nom. cau.* ibi. Sic ante litem contestatam; & verba tex. sunt. Et recte placuit ex mora incrementum habituram stipulationem, vt id quod oportebit comprehendat, & plus dicit, *glos. verbo Periculum iuxta fin. in l. Necessario 8. ff. de peric. & commod. rei vendit.* quod mora interueniente mutatur natura contractus, per optimam *l. Illud 17. eod. tit.* cuius verba sunt. Illud sciendum est, cum moram emptor adhibere cæperit: iam non culpam tantum, sed & dolum præstandum à venditore. Quod si per emptorem, & venditorem mora fuerit: Labeo quidem scribit, emptori potius nocere, quam venditori moram adhibitam. Sed videndum ne posterior mora ei damnosa sit. Quid enim si interpellauero venditorem, & non dederit ad id, quod emeram, deinde postea offerente illo, ego non acciperem? sane hoc casu mihi nocere debet: Sed si per emptorem mora fuisset, deinde cum omnia integra essent, moram venditor adhibuerit, cum posset se exoluere: æquum est posteriorem moram venditori nocere. Non vides qualiter mora mutet naturam contractus?

Ex eod. tex. clare etiam patet, quod posterior mora nocet, & dicit etiam *glos. vlt. in l. 2. §. 1. ff. quor. legat.* ibi. Et sic nota hic posteriorem moram nocere, quod intelligit ibidem Apostill. nisi prior morosus commiserit dolum, vel negligentiam, per ea, quæ ibi allegat, corroboratur. etiam prima conclusio *ex l. Sicut per emptorem 53. ff. de act. empt.* ibi. Non enim posse videri moram per venditorem factam esse, ipso em-

emptore posteriorem moram faciente. Mora autem videtur esse, si nulla difficultas venditorum impediat, quominus traderet, & præsertim si omni tempore paratus fuit tradere, vt inquit *l. Datio 9. Si per venditorē ff. de act. empt.* Nec per debitorem videbitur mora cōmissa ipso creditore moram in recipiendo faciente, *vt in l. Qui diem 72. ff. de solut.* ibi. Quare pro soluto id in quo creditor accipiendo moram fuerit, oportet esse. Post vero moram Rei periculum ad creditorem non pertinere dixit *glos. 2. per tex. ibi in l. Quod te ff. si cert. petat.* Si tamen post mortem creditoris nemo fuit, cui pecunia solueretur eius temporis inculpatam esse moram decidit *l. Pecunia 9. §. vlt. ff. de Vsur.* Nulla enim intelligitur mora fieri vbi nulla petitio est *l. Si pupillus 127 ff. de verb. oblig.* à qua deduxit *glos vlt. in capit. Auditis 15. de præscript.* ibi. Quia vbi nulla petitio nulla mora.

In electionibus mora longior est valde suspecta imo sæpe damnosa, ita inquit *c. Cum inter 18. de elect.* Mora enim ad se trahit periculum, & propter periculum moræ, quis subditur iuditio non suo, vt inquit *glos. verb. Periculo in c. Sacro 18. de sent. excom.* Vnde Episcopus suspensus si in mora fuerit pro petenda relaxatione suspensionis, perdit collationem simultaneam, quam habet cum capitulo de beneficijs prouidendis, & deuoluitur in solidum ad ipsum capitulum iuxta *cap. vnic. §. 1. Ne sede vac. lib. 6. vbi glos. verbo In mora ita quærit.* Sed quando dicetur esse in mora? hoc ipso quam cito possit, licentiam non petijt.

Mora vnius, alteri non nocet, vulgaris est iuris regula. Nisi sint socij, tunc enim vnius moram alteri nocere probat *glos. verbo Vnicuique in l. In condemnatione 334. ff. de reg. iur.*

Plus operatur mora vera quam ficta, vel interpretatiua dicit *glos. in l. Si fideiussor 20. ff. de dol.*

Nihil ex obligatione, paucorum dierum mora minuetur, ait *l. Si in lege 27. §. pen. ff. locat. vbi glos. verbo Mora.* ita. Nota paruam moram non æstimari, cū damnum non afferat, *& l. Si debitorē 25 ff. de iud.* ibi. Neque enim damnum magnum est in mora modici temporis.

Cessare facit moram exceptio, *vt in l. lecta 40. ff. si cert. petat.* ibi. Non enim in mora est is, à quo pecunia propter exceptionem peti non potest. Nec omne quod differendi causa fit ad numerandum est moræ *ff. de vsur. inquit l. Secundum & glos. verbo Protractam in capit. Cum post 46 de elect.* tradit illud vulgare; Quod differtur non aufertur.

Nota fieri sine mora, quod fit intra sex menses, alias intra quatuor menses inquit *glos. verbo Mora in l. Apud eum 7. per tex. ibi.* sine mora &c. & ibi *Sex mensium spatium censemus debere seruari C. de censib. & censitor. lib. 11.*

Celsus adolescens scribit cum qui moram fecerit in soluendo Sticho, quē promiserat, posse emendare eam postea offerendo, esse enim hanc quæstionem de bono, & æquo, ita *Paul. Iurecons. in l. Si seruum 91. ff. de solut. & in l. 5. ff. de publican.* ibi. Sed tamen absoluendus est etiam, qui post acceptum iudicium restituere paratus est, *& l. Interdum 7. 3. §. Vnic. sic Stichi promissor post moram inferendo purgat moram ff. eo tit. de verb. vbi glos. verbo Moram* sic. Nisi lis cōtestata sit, & nisi esset pœna apposita, nam tunc non purgatur, nisi circa iudicium, probat etiam *glos. in l. vtique 27. ff. de recept. arbitr.* ibi. Nota ergo purgari moram, nisi iudicium sit acceptum per contestationem, *& glos. cap. Cum Bertoldus 18. de re iud. verbo breue tempus* ibi. ita videtur, quod mora possit purgari in iudicijs &c. quod habet locum ante litem contestatam, & vbi

vbi ius actoris non est factum deterius & ita intelligenda est altera *glos. verbo mutata in capit. Cum ex eo 34. de elect. lib. 6.*

Debet autem morosus post modum celeri satisfactione sibi concludere, vt dicitur *in cap. Potuit de locat. vbi glos. verbo, celeri sic quarit.* Sed quantum tempus dabitur ad purgandam istam moram? & respondet, Videtur, quod ante sententiam &c. vel etiam vsque ad litem contestatam &c. vel modicum tempus dabitur forsan decem dierum &c. Dabo ei modicum tempus post biennium elapsum respectu ipsius biennij, &c. & illud modicum considerabitur arbitrio iudicis.

Purgatur etiam mora si animo nouandi creditor fuerit stipulatus; vel non animo nouandi si res fuerit in præsentia. Item per oblationem quantum ad euitandum interitum *l. Parui 17 ff. de cōdict. furt* ibi. An aliud nomen aliumq; statum transferatur &c. & ibi. Cum mora, quę veniebat ex furto veluti quadam delegatione finiatur, & citata *l. qui decem 72. §. 1. ff. de solut.*

Sed quid in electionibus purgabitur ne mora? Audi *glos. vlt. in cap 3. de Supplend. neglig. prælat.* sic dicentem. Hic eu-cuitur opinio eorum, qui dicunt, quod mora in electionibus posſit purgari, quæ consueuit notari &c. nam hic fuit nulla electio, quia fuit facta post sermones, *& glos. etiam vlt. in cap. vlt. eodem tit.* ibi. Et sic patet, quod mora in talibus purgari non potest, quia talis electio nulla est.

Item in sententia à iure lata moræ purgatio non admittitur, vt notauit *glos verbo Expectati in capit. Cupientes 16. de elect. lib. 6.* ibi. Reperitur vna dies venisse post terminum non allegans impedimentum nunquid moram purgat? Dic &c. quod cum hæc sententia lata sit à Canone propter moram, statim elapso termino commissa est pœna priuationis ipso iure, quæ amplius purgari non potest.

Nec etiam purgabitur in tempore statuto ab homine, vt habes verbo Tempus, & tempus est amplius non immorandi in mora ne tædio afficiam te.

Morbus.

SCiendum est morbum apud Sabinum, sic definitum esse habitum cuiusque corporis contra naturam, qui vsum eius ad id faciat deteriorem cuius causa natura nobis eius corporis sanitatem dedit, ita *Vlpian. in l. 1. vers. Sed sciendum ff. de adil. ed.* idem & per eadem verba dicit *Aul. Gell. noct. atticar. lib. 3.* Addit insuper *Vlpian.* sic. Id autem aliàs in toto corpore, alias in parte accidere; namque totius corporis morbum esse putaphtisis, fibris, partis veluti cæcitatem, licet homo ita quoq; natus sit. Vtrumque à morbo multum differre: vt puta si quis balbus sit: nam hunc vitiosum esse magis quam morbosum. Et ibi glos. notat diuersitatem morbi, à vitio dicens sic in verbo dixisse. Secundum Sabinum nomine morbi debilitas corporis, nomine vitij debilitas animi significatur. Et est alia differentia: quia morbus est imbecillitas corporis tēporalis, sed vitium est perpetuum corporis impedimentum, *in l. Inter stuprum 101. vers. verum est morbum esse temporalem corporis imbecillitatem*; vitium vero perpetuum corporis impedimentum, veluti si luscus sit; nam & luscus vtique vitiosus est *ff. de verb. sig. circa quod vide etiam si vis Aul. Gell. vbi sup. lib 4. cap 2.*

Sed enim sunt quædam, quę in hominibus morbum faciunt in iumentis non adeo: vt

vt puta si mulus castratus est; neque morbi, neque vitii, quid habere videtur: quia neque de fortitudine, quid detrahitur, neque de vtilitate cum ad generandum numquam sit habilis, ita inquit *l. Aediles 38. ff. illo tit. de adil. ed.* An autẽ homo castratus morbosus, an vitiosus sit? tetigisti in ipso Verbo; Vide tamen latius *Gell. vbi sup. proxime dict. capit.* & ibi inuenies de sterili, de eunucho, & de carente dentibus.

Post susceptam tutelam cæcus, aut mutus, aut surdus, aut furiosus, aut valetudinarius deponere tutelam potest, ita dicit *l. 43. ff. de excusat. tut.* Nam morbus dat vacationem ipso iure, vt inquit *Apostill. ad §. Propter aduersam de excusat. tut. in Instit. per l. luminibus C. qui tut. dar. poss.* addens, quod etiam volens non admittitur. Sed hoc videtur, quod debeat intelligi de morbo perpetuo, seu vitijs, de quibus *in d. l. 43.* quia de morbo temporali dici non potest, cum is solum excuset, dum durat *l. scire 15. §. consequens vers. sufficit ff. de excusat. tut.* ibi. Si enim quis propter ægritudinem, vel aliam necessitatem, puta maris, vel hyemis, vel incursus latronum, aut aliam, quam similem constituto tempore non potuit, ignoscendum ei est. Nam ægritudo prorogat diem, & si tunc iudicauerit iudicatum non videtur, vt ait *glos. responsalem in capit. Cum dilect. de dol. & contum.*

Morbosus potest expelli à ciuitate, si timor est infectionis, vt deducitur *ex tex. in l. Casus maioris* ibi. Aduersus timorem contagionis &c. & ibi. Testes enim huiusmodi morbo oppressos eo tempore iungi atque sociari remissum est *C. de testam. & in Auth. vt ius iurand. quod prast. ad fin.* ibi me sanare, & eum expellere *collat. 2. tradit Bal. in l. 2. num. 5. de Sum. Trinit.* ibi. Et generaliter dicit, quod vbicumque est timor huiusmodi infectionis, vel similis, potest quis expelli de ciuitate, & ibi additio sic Immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur iuxta illud.

Morbida facta pecus totum corrumpit ouile.

Idem videbatur dicendum de morbosis; quoad spiritum *ex Isa. c. 52. n. 12.* ibi. Recedite recedite exite inde, pollutum nolite tangere exite de medio eius. Sed *Augustin. relatus in cap. Ecce. 23. q. 4.* sic explicat. Nos istam recessionem spiritualiter intelligimus: illi corporaliter. Nam & ego clamo cum Propheta Æqualia sumus vasa vtitur nobis Deus dispensatione vestra. Clamamus & nos, & dicimus vobis recedite, & exite inde: & immundum ne tetigeritis: sed contactu cordis, non corporis. Quid enim est tangere immundum, nisi consentire peccatis, &c. de quo latissime habes in capit. *Sequentibus dict. 23. quaest. 4.*

Nouis morbis noua conuenit antidota preparari. ita inquit *cap. Caterum 5. de sur. cal. & ibidem Glos. 1. har.* Nam experimento morborum cogit nos inuenire multas medicinas, &c. Et quod medicamenta morbis exhibent, hoc iura negotijs, & nouis rebus, nouum remedium est adhibendum.

A testimonio repellitur, qui simili laborat morbo vt dicitur in *cap. Personas 20. de testi.* ibi Nolumus vt aliqui consimili morbo laborantes, si certum sit, aut legitime super hoc possint conuinci ab alterutra parte testes adducti fuerint in testimonium admittantur. Notabis tamen Glos. optimam, quæ est pen. *in capit. Testimonium 54. eodem titul. de testib. ad limitationem,* vbi seruus poterit excludere seruum

a testimonio, sic dicens. Vnde si seruus vult probare se contraxisse cum libera sciente, eum esse seruum, cum in hoc casu habeat personã standi in iudicio potest excipere contra testes aduersarij, quod ipsi sunt serui, licet ipse laboret simili impedimento, & ibi ponit contraria.

Mors.

A Morsu dicitur primi hominis, qui per esum pomi mortem incurrit, vt inquit *Cardinal. in Clem. 1. vtlit. pend.* Hæc autem mors corporalis est, altera dicitur spiritualis, quæ ex peccato oritur, & altera gehennalis in pænam peccati, vt satis colligitur *ex capit. vlt. de pœnit. dist. 6. maximè ad fin.* ibi. Quædam enim sunt peccata mortalia, quæ in pænitentia fiunt vitalia, non tamen statim sanantur. Sæpe enim est, qui moreretur, nisi medicaretur non tamen statim sanatur. Languet victurus, quia prius erat moriturus. Qui autem impænitens moritur omnino moritur, & æternaliter cruciatur.

Itidem triplex est mors: naturalis scilicet, ciuilis, & plusquam ciuilis, & hæc dupliciter, vel mala, vt per deportationem in metallum, seu triremes, vel bona, vt quando quis mũdo moritur per ingressum religionis. Illa vero naturalis matura dicitur in sene immatura in iuuene, & acerba in infante, *vt per Cardinal. sup.*

Propter peccatum homo citius etiam mori præsumitur. Et ideo propter periculum mortis non admittitur appellatio, de qua *in cap. Qua fronte 25. de appellat.* vt notauit *ibidem glos. verbo, decedat*, per relata verba.

Vbique est mors timenda, cum eius dies incertus sit, sic dicit, & probat *glos. verbo mortis in §. 1. de donat. in Inst. & ibidem Apostill.* ita. Hoc verum cum quid agitur facinorose, secus vbi virtus exercetur, quia tunc mors non est timenda. & affert dictum Senec. Sic discas, quasi nunquam moriturus, sic viuas, quasi cito moriturus; nihil enim mali in morte est. Vtrumque videtur probari ex *Ecclesiastic. cap. 41. in princip.* ibi. O mors, quam amara est memoria tua! & ibi. O mors bonum est iudicium tuum; & ibi. Noli metuere iudicium mortis. Vnde dicebat S. Hilarion. Egredere quid times? egredere, anima mea, quid hubitas septuaginta prope annis seruisti, Christo & mortem times?

Quam præposterum est, quamque peruersum, vt cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos Deus; & accersit de hoc mundo, non statim voluntatis eius imperio pareamus, obnitimur, & reluctamur, & peruicacium more seruorum ad cõspectum Dei cum tristitia, & mærore perducimur exeuntes istinc, necessitatis vinculo, non volũtatis obsequio, & volumus ab eo præmijs cælestibus honorari, ad quem venimus inuiti; ita *Ciprian. relatus in capit. Quam præposterum 13. quæstion. 2.*

Seneca vero *epist. 30. num. 4. ad fin.* ita ait. Viuere noluit, qui mori non vult. Vita enim cum exceptione mortis data est: ad hanc itur, quam ideo timere dementis est, quia certa expectantur, dubia metuũtur. Sed apud nos, inquam ego, ideo mors timetur, quia dubius est qualis exitus sit in reddenda villicationis nostræ ratione. Et ex ipso Senec. colligitur *epist. 75.* ibi. Illa quoque res morti nos alienat, quod hæc iam nouimus: illa, ad quæ transituri sumus, nescimus qualia sint, & horremus ignota, & ideo non dementis, sed prudentis est hunc timorem habere, maximè ad nos inducendos ad faciendum fructus dignos pænitentiæ: quibus factis nec mortem

tem, nec exitum prædictum timebimus; audi eundem *Senec. vbi sup. numer. 4.* Mortem venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam diù composuerat. Non mortem timeamus, sed cogitationem mortis, ab ipsa enim semper tantumdem absumus, ita si timenda est mors, semper timenda est. Quod enim tempus morti exceptum est? tu tamen vt nunquam timeas, semper cogita, *& in epist. 115. in fin.* sic. Nihil tam æquè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, quicquid facies respice ad mortem, *& epist. 71. citat.* citius mori, vel tardius ad rem non pertinet; benè mori, aut malè ad rem pertinet; benè autem mori, est effugere malè viuendi periculum, *& epist. 62.* Antè senectutem curaui, vt benè viuerem, in senectute, vt benè moriar.

Stultitia est timore mortis mori, dixit idem *Senec. citat. epist. 71. Vnde Martial. epigram. lib. 1. cecinit.*

> *Nolo virum facili redimit, qui sanguine famam:*
> *Hunc volo laudari, qui sine morte potest.*

Et alibi ita.

> *Hostes cum fugeret, se Fannius ipse peremit,*
> *Dic mihi non furor est, ne moriare mori?*

Et Ioseph *lib. 3. de bell. Iud. cap. 14.* sic. Pulchrum enim esse pro libertate mori, & ipse fateor, pugnando tamen, & eorum manibus, qui eam præripuere &c. Itidem autem timidus est habendus, qui mori nó vult, cum opus est, & qui vult, cum non oportet. Iste autem, qui sibi manus intulit, meritò puniendus est; qui enim sibi non pepercit, minus alij parceret, dixit *Iurecons. in l. vlt. ff. de bon. eo. qui ant. sent.* nisi dolorem corporis non sustinendo, id fecerit, *vt in l. Bouem 43. vers. mortis ff. de ædil. edict.* & ibidem per *glos. & in eadem l. vlt.* latius distinguitur.

Hic potest quæri, an possit condemnato ad mortem dari electio mortis, quam sibi met inferat? *Et Roman. sing. 133.* negatiuè resoluit per *tex. in l. Aut damnum 8. post princip. ff. de pæn.* Verum Apostill. ad eundem textum cõtrarium tenet, & benè; nam tex. tale quid non dicit, sed quod quando damnatur quis morte gladij, non debet alio genere pænæ mori, eo quia sententiæ executio non potest fieri in alia forma, quam expressa in ea. Aliàs si simpliciter dicatur reum condemnari ad pęnam mortis naturalis, poterit Iudex dare electionem damnato, prout fuit data cuidam Peto, qui elegit gladio se ipsum occidere, cuius vxor arrepto eodem gladio prior super ipsum occubuit, & postea marito tradidit, vt testatur *Martial. in Epigram.* hoc modo.

> *Casta suo gladium dum traderet Arria Peto,*
> *Quem de visceribus traxerat ipsa suis.*
> *Si qua fides; vulnus, quod feci, non dolet, inquit,*
> *Sed quod tu facies, hoc mihi, Pete, dolet.*

Verba autem d. legis, Aut damnum ita se habent. Vita adimitur, vt puta, si damnatur aliquis, vt gladio in eum animaduertat; sed animaduerti gladio oportet, non securi, vel telo, vel fustibus, vel laqueo, vel aliquo alio modo. Proinde nec liberam mortis facultatẽ concedendi ius ipsi præsides habent.

Nullum malum gloriosum est, mors autem gloriosa est, mors ergo non est malum, inquit *Senec. citat. epist. 71.* vbi probat esse, quid indifferens, concluditque.

Et

Et sic mors inter illa est; quæ mala quidem nõ sunt tamen habent speciem mali. Huius cogitatione humana fragilitas perturbata, minus memoria potest res plures consequi, vt dicit *l. Hac consultissima C. qui testa. fac. poss. & Auth. de trien. & sem. §. Illud quoq; coll. 3.* sic. Forsan oblitus est datorum præ tumultu mortis angustiatus. Et si hæc, & alia efficit mortis naturalis cogitatio, quid faciet, si timeatur violenta per iniuriam non per iustitiam inferendam? Audi *Pontif. in Clem. Pastoralis de sentent. & re iud.* sic dicentem. Quis enim auderet, vel qua ratione audere aliquis teneretur consistorij talis subire iudicium, & se in hostium sinu reponere, ac ad mortem per violentam iniuriam, non per iustitiam inferendam vltroneum se offerre? Hæc iure timentur, hæc de more vitantur, hæc abhorret natura.

Siquidem terra marique, & tam pace, quàm bello, tam bello, quàm militia multis generibus mortis periculum metui potest, dicit *Iurecons. in l. Senatus 35. post med. ff. de donat. cau. mort.* Et cum hæc ita sint, miramur quando aduenit mors; quid autem stultius est, quàm mirari in vllo die factum, quod omni potest fieri? ait *Senec. epist. 102.* & quod peius est, quotidie morimur, & queritur mortale genus. Quis sine querela moritur? Quis extremo die dicere audet, vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi. Quis non recusans, non gemens exit? At qui hoc ingrati est non esse contentum præfato tẽpore, semper pauci dies erunt, si illos numeraueris. Cogita non esse summum bonum in tempore. Vt prolongetur tibi dies mortis nihil proficit ad felicitatem, quoniam mora non sit beatior vita, sed longior; ita *Senec. lib. 5. de benef. cap. 17.* De prædictis potest dici, quod idem *lib. 3. epist. 22. in fin.* peiores morimur, quam nascimur. Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur, quàm nascitur. Hoc denique circa diem mortis præsta; moriantur ante te vitia, dixit idem eodem *lib. 3. epist. 27. in princip.*

Mortuos an liceat deplorare? Dictum est Verbo. *Lugere*.

Morituris succurritur etiam à Laicis, si præsbyteri desunt si secundum August. qui agens in extremis cõfitetur sociis turpitudinem criminis, fit dignus veniæ ex desiderio sacerdotis, cur non similiter fit dignus reconciliatione ex desiderio Episcopi, sic inquit *cap. si aliquis 26. quæst. 6.*

Mors filiorum est contra votum parentum, vide *Filius*, & ibidem quando insimul moriuntur quis prior mortuus præsumatur. Si verò mater, & filius, præsumitur mulierem prius decessisse, inquit *glos. vlt. in l. Si possessor 32. ff. de religios. & sumpt. fun.* nisi filius infans esset, vt in *l. Inter 26. ff. de pact. dotal.* ibi. Mulier si naufragio cum anniculo filio perijt. Quia verisimile videbatur ante matrem infantem perijsse. vbi glos. sic. Sed quid de filio pubere? Responde contra, vt &c.

Mortuus in bello per gloriam intelligitur viuere, supra Verbo *Bellum*.

Natus mortuus habetur pro non nato, vt dicit *glos. in l. Posthumo C. de collat.* quam refert *Apostill. in l. Is cui 18. per tex.* ibi, Si tamen natus viuus fuerit, vbi etiam *glos. vnius ff. quand. di. legat. ced. & glos verbo Moriantur in Auth. de nupt. §. Quoniam infirmas coll. 4.* ibi. Ita hæc duo sunt paria nullum natum esse, vel esse, sed mortuos esse omnes, vel etiam pro parte, quo ad partem.

Si quis moriẽs dixisset a seruo vim mortis sibi illatam esse, dicendum est non esse, credendum domino, si moriens hoc dixit, nisi potuerit, & probari; ita *l. 3. §. 1. ff. ad Syllan.* A die autem vulneris videtur occisus, inquit *glos. in l. Qui filiabum 5. ff. de confess. per l. Ita vulneratus*

tus ff. ad l. Aquiliam.

Ad testamentum aperiendũ probari mortem semiplene sufficere, inquit *glos. verbo liqueritin l. 2. §. Si dubitetur ff quemadmodum testa. aper.* ibi. Quod probatum erat eum mortuum, quod sufficit semiplenè probari per vnum testem, vel præsumptionem, vt habeat locum hoc edictum.

Morte rei iudicium soluitur, inquit *l. In Senatusconsultum* 15 *§. Si propter mortem ff ad Turpil.* & crimen extinguitur, vt dicis Verbo *Delictum, & in Auth. de nupt. §. Deinceps coll.* 4. ibi. Quæ omnia similiter soluit, expectat mors. Vnde mortuo non debet insultari, etiam si iniquo, ideo dixit Philostratus cuidam poetæ insultanti mortuo tyranno. Institutum laudarem tuum, si viuum accusasses, viuentem namque tyrannum lacessere viri esse duco; at mortuo insultare cuiusq; Mortuus enim per neminem defenditur, *vt in l. De qua re §. Cum absentem ff. de iud. & tradit glos. Verbo. Quodammodo in l. Si praecedente ff. mandat.*

Si post iudicium acceptum homo mortuus sit sine dolo malo, & culpa possessoris tamen interdum tanti damnandus est quanti actoris interfuit per eum non esse effectum, quominus tunc cum iudicium acciperet, homo exhiberetur, tanto id magis, si apparebit eo casu mortuum esse, qui non incidisset, si tunc exhibitus fuisset, ita *l. De eo* 12. *§. Si post ff. aa exhib.* sed de hoc latius dictum est supra Verbo *Mora.*

Mortis tempus in ratione legis Falcidiæ ineunda placuit obseruari, dicit *l. Cum quo* 56. *ff. ad l. Falcid. & l. In quantitate* 73. *eod. tit.* Idem tempus attenditur in qualitate filij, cui est facta substitutio, vt notauit *Apostill. Bald. in l. pen. ff. de legat. praest. per tex.* ibi. Et placet in ea necessitudine tunc esse, quando dies legati cedit, vbi glos. declarat dicens, quod est tempus mortis. Idem tempus etiam inspicitur, vt libertus satisfaciat portioni debitæ patrono. vt in Verbo Tempus habes. Item tempus mortis binubi inspicitur ad discernendum, an vitricus, vel nouerca habeat plus, quam vnus ex filijs primi matrimonij, vt in *Auth. de nupt. §. Quia vero coll.* 4. ibi. Optimum nobis visum est esse mortis parentis obseruari tempus, & ibi. Vnde vt non circa hoc curemus tempus illud considerandum est, secundum, quod binubus moritur.

Mors ciuilis, & naturalis æquiparantur, vt de ingrediẽte in monasteriũ, dicitur per *tex. in l. Deo nobis* 42. *in fin. C. de Ep. & Cl.* vbi. Quod debuit legitimè, vel expacto per casũ mortis exigere, *vbi glos. legitimè post mediũ* sic. Itẽ nota hic renunciantem sæculo haberi pro mortuo. Et de deportato cui publicantur bona *l. Actione* 66. *§. morte vers. publicatione ff. pro soc.* ibi. Si Socij omnia bona publicentur. Nam cùm eius in locum alius succedat, pro mortuo habetur; & comprobat *glos. in cap. Si Episcopus* 3. *de supplen. neglig. prælat. lib.* 6. ibi. Et nota ciuilem mortem ęquiparari naturali &c.

Verum prædicta conclusio sic simpliciter posita non potest subsistere, quia potius contraria est ponenda, quòd non æquiparatur mors ciuilis naturali lege *l. Exceptione* 121. *§. In insulam deportato ff. de verb. oblig.* inquit enim Cum morieris dari? non, nisi moriente eo committitur, & *glos. ibi. verbo Moriente sic. Naturaliter.* Et sic nota appellatione mortis, naturalis intelligitur, & non ciuilis. Vnde dixit optimè *glos. Verbo. Non morte in cap. susceptum* 6. *de rescript. lib.* 6. Numquam mors ciuilis naturali comparatur, nisi in casibus à Iure expresśis.

Nota, quòd dicitur ille extinctus, & mortuus, qui ab aliqua dignitate, vel officio cum dedecore remotus est, vt dicit *Io. de Plat. per tex. ibi in l.* 1. *C. de primi-*

micen. lib. 12. *ad fin.* in illis verbis. Et numerariorum opus, extincto iniuria autore, minuendum.

Nota vltimo, quòd vbicumque in Iure Canonico reperitur pœna mortis, debet exponi pro sententia excommunicationis, quod tene mente, quia alibi non ita benè probantur, quia duplex est mors, quædam temporalis, quæ est illa separatio animæ à corpore, alia ciuilis, vt excommunicatio, per quam separatur anima à gratia Dei. Nã Deus est vita animarũ, & ista est difficilior mors, quàm prima, nisi quis ab ea liberetur; ita ponit *Abb. in capit. Per venerabilem* 13. *num.* 25. *qui fil. sint legit.* Canon enim nunquam imponit mortem naturalem, imo prohibet clericum interesse, *in capit. sententiam ne Cleric. vel Monach.*

Mos.

BOni mores dicuntur, qui naturali rationi conueniunt, mali verò, quia ab ea dissentiunt, & peccatum inducunt secundum *D. Thom* 12. *quæst.* 100. *art.* 1. & notatur *in l. Si quis inquilinos* 115. *§. vlt. ff. de legat.* 1. ibi. Contra Ius est ad bonos mores. Isti criminis suspicionem inducunt, illi autem excludunt *l. Non omnes* 5. *§. A barbaris ff. de re mil.* ibi. Et si bonus miles ante existimatus fuerit, prope est, vt affirmationi eius credatur, si emansor, aut negligens suorum, aut segnis, aut extra contubernium agens, non credetur.

De bonis dicitur in *l. Scire* 21. *§. Eos vers. Cum reliquis ff. de tut. & curat.* sic. Neque facultates enim, neque dignitas ita sufficiens est, vt bona electio, vel voluntas, & benigni mores, & ab ea deduxit *glos. Verbo Sobrietas in l. Nec ei §. vlt. ff. de adopt.* ibi. Plus enim facit grauitas, & benigni mores ad fidem, quàm facultates, *& in cap. Nulli* 8. *verbo morum de elect. lib.* 6. ibi. Et boni mores plusquam diuitiæ operantur, *& in l. magistros Verbo Moribus C. de profess. & med. lib.* 10. ibi. Boni mores namque omnes diuitias excedunt, *& in l.* 2. *ff. de testib. notat glos.* quòd mores dignitati præferuntur.

Neque nuptiæ, neque natales matremfam. faciunt, sed boni mores, inquit *l. Pronunciatio* 46. *ff. de verb. sig.*

Mos namq; retinendus est fidelissimæ vetustatis, inquit *l. Testamenta* 18. *C. de testam.* Nam diuturni mores vim legis obtinent, *vt in Instit. de Iu. nat. §. & cap. Diuturni* 12. *dist.*

In mores fortuna Ius non habet; hos disponat, vt quàm tranquillissimus ille animus ad perfectum veniat, qui nec ablatum sibi quicquam sẽtit; nec adiectum, sed in eodem habitu est quocumque res cadunt, ita dixit *Senec Epist.* 36. Ioseph. autem *lib.* 15. *antiq. cap.* 2. *num.* 4. sic. Nec reges solere meminisse accepti in priuata vita beneficij, quãdoquidem mores cum fortuna sint mutabiles.

De malis autem moribus sic Augustin. ait *lib. de doct. Christ.* relatus *in cap.* 2. 41. *dist.* Quisquis rebus prætereuntibus restrictius vtitur, quã se se habent mores eorum, cum quibus viuit, aut intemperans, aut superstitiosus est.

Multum vero distant damna morum à damnis bonorum temporalium, cum ista extra nos sint, illa verò in nobis dicitur *in cap. sunt plurimi in fin.* 6. *quæst.* 1. & comprobant verba *cap. ex merito, & c. Deteriores ead. cau. & quæst.* ibi. Deteriores sunt, qui vitam, moresque bonorum corrumpunt ijs, qui substantias, prædiaque diripiunt. Vnde in *cap. Ad hæc* 8. *de Iudæ. prohibetur cum eis familiaritas*, ibi. Quoniam Iudæorum mores, & nostri in nullo concordant; & ipsi de facili ob continuam conuersationem, & assiduam familiaritatem ad suã superstitionem, & perfidiam simplicium

ciũm animos inclinarent. Mores enim à coniuncto formantur, vt dixit *glos. Verbo Perfecta in Auth. de monach. §.1. coll.1.*

Valde feroces sunt qui proprias voluntates sequentes, non moribus suis parcere sciunt, inquit *glos. verbo Chaldaeorum in cap. si Paulus 32. quaest. 5.* Et ferociores bestijs ferocibus, qui approbantes in se pessimos mores, in alijs reprobant eosdem. Mores namque, quos quis in se approbat, in alijs non potest reprobare, vt summatur in *l. In arenã per tex. ibi. Nisi & ipse similis conditionis sit C. de inofficios. testam. & in l. Cum mulier 49. ff. solut. matr.* sic. Cur enim improbet maritus mores, quos ipse, aut ante corrupit, aut postea approbauit?

Etenim malorum mores, infirmitas animi non excusat, dicit *l. 1. C. si adu. delict.*

Omnia, quae contra bonos mores, vel in pacto, vel in stipulatione deducuntur, nullius momenti sint *l. Ex eo C. de inutil. stipul.* idem in vltimis voluntatibus ex *d. l. Si quis inquilinos §. vlt. de legat. 1.* & saepe alibi. Denique ex *Ouid. de art. amand.*

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figura.

Reliqua latè habes supra *Verbo. Consuetudo.*

Motus.

TRes dari in anima dicit *Bald. in l. Mouetor C. si seruus exportan. ven.* sic de triplici animae motu loquitur: Nam anima mouetur admiratiuè; & iste fuit primus secundum huius legis ordinem. Secundò mouetur punitiuè, & iste fuit secundus motus. Tertio mouetur praesumptiuè, & iste est tertius motus.

In potestate nostra non sunt primi motus, & hac ratione dicit *Iurecons. Paul. in l. 40. ff. de reg. iur.* Quicquid calore iracundiae, vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quàm si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse, & tradit *Bald. in l. 1. §. Ius naturale sub num. 3. ff. de iust. & iu.* ibi. Aut consideramus primos motus, qui non sunt in potestate nostra, nec in voluntate, & tales motus sunt de Iure naturali, quia in eis non est peccatum, imò si quis resistat est meritum, quia virtus in infirmitate perficitur.

Si motu proprio alicui aliquod beneficiũ obtinenti conferamus aliud de illo non habita mentione, non ob hoc gratiam huiusmodi, quae de nostra mera liberalitate processit inualidam volumus reputari; secus si ad petitionem illius, vel alterius pro eodem oblatam, gratiam huiusmodi faciamus: tunc enim (quantumcumque modicum beneficium taceatur in ea) ipsam veluti surreptitiam vires nolumus obtinere. Motu quoq; proprio tunc solùm gratia fieri censeatur, cum hoc expresse cautum fuerit in ea sic *Bonifac. 8. in capit. 23. de praeb. lib. 6.*

Notabis tamen, quod licet non possit cõtra talem gratiam opponi subreptio, adhuc tamen poterit dari de defectu intentionis Papae, cum defectus intentionis in gratia motu proprio idem operatur, quod subreptio in illa, quae ad partis supplicationem impetratur, ex quo defectu gratia illa erit ipso Iure nulla vt tradunt doctores *in capit. Caussam, quae il 2. de testib. vbi glos. Host. Ioann. Andr. Abb. Felin. & alij,* & ita iudicatur in Rota.

Nec etiam tollit Ius quaesitum alteri iuxta *reg. de Iur. quaesit.* nisi expressè sit ipsi regulae, derogatum, & si vis de materia ad satietatem videas. *Seraph. de-*

eis. 398. *per totam*; quia Apolecta nostrum non agit, nec de decisionibus, nec de doctoribus, sed solum de primis parentibus, nostri iuris.

Mox.

IDest incontinenti nullo actu contrario intermedio. Præterea quandoque non aliter accipitur, idest statim cum quodam temperamento decem dierum. Et mox quandoque dicitur ad annum. Et cum quodam temperamento, siue spatio. Item quandoque cum primum potuit. Item confestim, & illicò, id est vsque ad triduum. Ita ponit *glos. verbo. Mox in cap. Quia propter* 42. *de elect.*

Mox idem & sic, non mox, nam non accipitur pro confestim, sed longum tempus etiam respicit, sic dicit *glos. Verbo. Mox in l.* 21 *ff. si cert. petat. & probatur ex l. A diuo Pio §. In venditione ff. de re iud.* ibi. Capi pignora iubentur, mox distrahi; nam pignora sic capta illicò non venduntur, sed post aliquos dies, in quibus præconizantur, & postea addicuntur. Est ergo sumendum, mox, secundum subiectam materiam, nam quando agitur de tutore, mox cum fuerit creatus sub præsentia publicarum personarum inuentarium omnium solemniter facere curabit, *ut in l. Tutores* 24. *C. de admin. tut. vbi glos. mox*, idest, quam primum potest, idest statim, nisi iustissima causa differat: sequitur *Bart. in l. Tutor, qui repertorium num.* 6. *ff. de admin. tut. & in l. Si pater captiuus sit ab hostibus mox filius ff. de vulg.* inquit *glos. mox*. idest in eodem momento, & statim vnus post alium.

Ad peremptorium edictum hoc ordine venitur, vt primo quis petat post absentiam aduersarij edictum primum, mox alterum, inquit *Vlpian. in l.* 68. *ff. de iud. & in l. sequent.* explicat illud, mox dicens. Per interuallum non minus decem dierum, & ibidem *glos. mox.* dicit, nota quod mox dicitur decem dierum, & in *l. fructus* 7. *ff solut. matr.* intelligitur, mox, interuallum mensis vnius, vt ibi notat *Bald. num.* 2. vbi ponit quæstionem circa testes deponentes de testatore instituente vnum hæredem, & mox alterum an duo, vel vnum sit testamentum. Videtur etiam quòd, mox, posse intelligi de triennio, nam in *l. Sed & si* 6. *§. solemus vers. si seruus alienus ff. de hered. inst.* inuenitur, quòd seruus alienus sub cõditione hęres scriptus traditus est seruo hæreditario, & mox vsucaptus, non enim poterat vsucapi, nisi per triennium; mox, igitur, hic intelligitur tempus trium annorũ. Vide *Alex. omnino in l.* 1. *§. Qui præsens ff. de verb. oblig.*

Si Titij debitorem cui te hæredem putabam, cum esset Seius hæres, conuenero similiter, & exegero, mox tu ratum habueris; esse mihi aduersus te, & tibi mutuam negotiorum gestorum, dicit *l. Si pupilli* 6. *§. Item quæritur vers. idem ait ff. de negot. gest. & ibi glos mox*, fio. Idest postquam seruisti, quodam spatio, nec minimo, nec maximo, vbi alia affert iura.

Nota denique quòd, mox, positum in lege pænam imponente, intelligitur ipso iure iuxta *l. Si quis maior* 41. *C. de transact.* ibi. Mox commoda deputabuntur eis, qui intemerata pacti iura seruauerint; vbi optime *Bart. num.* 10. notat ibi. Nam ex dictione, mox, apparet quòd sit ipso Iure, & probatur etiã in *Auth. vt sin. probib. matr. debit. & c. coll.* 7. ibi. Mox tamen vt secundas contraxerit nuptias, repente expelli à tutela.

Mul.

Mulcta.

ILla est, quam iudex arbitrio suo imponit, & differt à pœna, quia hæc à Iure cōmuni, vel Municipali imponitur. Audi *Vlpian. in l. Aliud est* 131. *ff. de verb. sig.* Inter mulctam, inquit, & pœnam multum interest, cum pœna generale sit nomen, & omnium delictorum coertio; mulcta specialis peccati, cuius animaduersio hodie pecuniaria est. Pœna autem non tātum pecuniaria verum & capitis, & existimationis irrogari solet. Et mulcta quidem ex arbitrio eius venit, qui mulctam dicit; pœna non irrogatur, nisi quæ quacumque lege, vel alio Iure specialiter huic delicto imposita est, quinimo mulcta ibi dicitur, vbi specialiter pœna non est imposita. Item mulctam is dicere potest cui adiudicatio data est, Magistratus enim solos, & præsides prouinciarū posse mulctam dicere, mandatis, permissum est: pœnam autem vnusquisq; irrogare potest, cui huius criminis, siue delicti executio competit, *& in l.* 244. *labeo* sic ait. Si qua pœna est, mulcta est, si qua mulcta est, pœna est. Paulus, vtrumq; eorum falsum est, namque harum rerum dissimilitudo ex hoc quoque apparet, quòd de pœna prouocatio non est &c. at mulctæ prouocatio est &c. Ex hoc quoque earum rerum dissimilitudo apparere poterit, quia certæ pœnæ singulorum peccatorum sunt, mulcta contra, quia eius Iudici potestas est, quantam dicat; nisi cum lege constitutum est, quantum dicat. Potest etiam dici alia differentia, quia pœna sæpe infamat, *vt in d. l. Aliud* ibi. Capitis, & existimationis; mulcta vero numquam iuxta decretum Seueri, & Antonini *in l.* 1. *C. de mod. mulct.* ibi. Mulcta damnum famæ non irrogat. Et insuper pœna potest esse corporalis, & pecuniaria, mulcta autem solùm pecuniaria, vt in citata *l. Aliud*. Alia notabis Verbo. Pœna, hæc de mulcta sufficiunt dicta.

Mulier.

DIcitur illa, quæ est corrupta; & hoc propriè, & strictè sumendo, ita dicit *Apostill. ad l. Alioquin* 11. *ff. de contrah. empt. per tex.* ibi. Quòd si ego me virginē emere putarem, cum esset iam mulier. Quandoquidem tamen, & virgo appellatione mulieris cōtinetur, inquit ibidem *& glos. vlt.* & sæpè alibi, & *ex Ioann.* 19. Dum Christus Dominus Virgini matri dixit. Mulier ecce filius tuus. In materia tamen vestimentorum indistinctè muliebris vestis intelligitur de omnibus fœminis, sic inuenitur apud *Vlpian. in l. Argumento* 27. *ff. de aur. & arg. leg.* his verbis. Muliebri veste legata, & infantilem contineri, & puellarum, & virginum. Pomponius lib. 22. ad Sabinum rectè scribit. Mulieres enim omnes dici quæcumque sexus fœminini sunt, & ibidem, quę sint ornamenta.

Mulier naturaliter ad generandum edita est, sic attestante *Imp. in l.* 2. *C. de indict. vid. toll.* ibi. Cum enim mulieres ad hoc natura progenuerit, vt partus ederent, & maximè eis cupiditas ad hoc constituta sit; & ibidem notat *Bald.* Post vero quinquaginta annos non generat, *vt in l. Si sterilis* 12. ibi. Vel maior annis quinquaginta *ff. de act. emp.* *vbi glos.* sic. Quæ etiam à Iure præsumitur, quòd non possit parere, & si cōtra fiat est miraculum, vt hic, *& C. de legit. hæred. l. Si maior* quinquagennaria partum ediderit &c. ibi. Licèt mirabilis huiusmodi partus inueniatur, & rarò contingat; nihil tamē eorum, quæ probabiliter à natura noscuntur, esse producta respui &c.

Et notabis, quod licèt à mulieribus par-

tus edantur, non dicitur tamen ab eis oriri, sed ab hominibus, iuxta *Augustin. relatum in cap. Hæc imago* Dei est in homine, vt vnus factus sit homo, ex quo cęteri oriantur, habens imperium Dei, quasi vicarius eius, quia vnius Dei habet imaginem. Ideoque mulier ad imaginem Dei non est facta 33. *quæst.* 5. Et tamen vbi primum vidit Adam mulierem, eius imago sibi complacuit, & dixit: Hoc nūc os de ossibus meis, & caro de carne mea, quam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suę *Genes.* 2. & ideo ei adhæsit, vt ipsum Deum creatorem suum reliquerit, & adhæreret vxori suę, & cum in honore esset, non intellexit, & dedit primatum vxori suæ, eidem obediendo, & facta fuit sibi contraria, iuxta illud *Ecclesiast. cap.* 25. 6. 17. ibi. Mulier si primatum teneat, cōtraria est viro suo; vbi alias inuenies de malitia mulieris. de bonitate vero *cap.* 26.

Et cùm alias mulier, nec caput, nec pes viri sit, vt latè probatur infra *Verbo Vxor.* Dicit tamen *Iureconsf.* vtrumq; esse *in l. Pronunciatio* 195. *§. ult. ff. de verb. sig.* ibi. Mulier autem familiæ suæ, & caput, & finis est. Sed diuersum quidem est esse caput familiæ, ab esse caput viri. Caput familiæ dicitur: quia ab ea incipit familia viri ex filijs ab ea editis, & finis familiæ, quia in ea ipsa eius familia finitur, cum transeat ad alteram scilicet viri sui. At vero caput viri non est, nec debet esse, cum sit contra Dei præceptum dicentis; sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tibi. *Genes.* 3. & *Paul. ad Thimot. cap.* 2. sic. Docere mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio, & 1. *ad Corinth.* 14. Taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut, & lex dicit. Si autem dominentur mulieres loquantur, & reprehendant, dixit *Hieronym. sup. Esai. cap.* 27. in illis verbis. Mulieres venientes, & docentes eam, sic. Magna est populi infelicitas, & infamia à mulieribus reprehendi in his, quæ agenda, erant ab eisdem instrui, & doceri.

Vnde fęminis prohibetur interuenire consilijs virorum, & soli viri in condendis legibus vocantur, iuxta *l.* 1. *ff. de legib.* ibi. Lex est commune præceptum virorum prudentium consultū; & hoc quia mulierum consilium fragile, & inconstans est, vt infra. Et ideo etiam procuratrices non esse possunt *ad l. Neque fœmina* 54. *ff. de procurat.* & *in l. Qui filium* 4. *ff. vbi pupill. educ.* Et ibidem notat *glos. Verbo Instituerunt* sic. Forte erat olim moris mulieres legere Grammaticam, & *Apostill.* ibidem ita. Licet iste tex. dicat, quod mulieres non possunt postulare, non tamen negat, quin possint Grammaticam hodie addiscere, quod est cōtra vulgare illud dictum, quòd infans nutritus vino, & mulier discens latinè loqui, vix perueniunt ad bonum finem.

Quod autem mulieris consilium sit fragile, inquit *glos. vlt. in l.* 1. *C. de confirm. tut.* vbi in tutore dato à muliere præcipitur fieri inquisitio, & quærens prædicta glos. quare talis inquisitio requiratur? Respondet; quia fragile, & mutabile est consilium mulieris, & *Imp. in Auth. de æqual. dot. §. vlt. coll.* 7. sic. Infirmitatē nāq; muliebris naturæ satis nouimus, & quia facilè circumuentiones fiunt, aduersus eas; & *in l. vnica §. Et cum lex C. de rei uxor. act.* Ne fragilitate naturę suæ in repentinam deducatur inopiam, & in *l. Cum multa* 20. *C. de donat. ante nupt.* ibi. Melius erat mulieribus propter fragilitatem sexus, quàm maribus subueniri; & *in §.* 1. *quibus alien. lic. in Instit.* ibi. Ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum conuertatur.

Non me latet, quod sæpè in sacro eloquio legitur qualiter multæ mulieres loquutæ sunt, & consilium atque facta earum fue-

fuerunt accepta firma, stabilia, & valde vtilia Reipublicæ. Nam Iudith. 8. increpauit Oziam dicens coram presbyteris. Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assirijs, & qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat, & egregio, ac famoso facinore ab obsidione suam liberauit Ciuitatem. Sic etiam *Delbora 4. Iud.* Loquuta est coram filijs Israel, & iuit ad bellum cum Barach, & omnes currus regis Cananeorum, vniuersamque multitudinem interfecit in ore gladij. Sic etiam legitur *4. reg. 22. de Holda*, quæ dum consuleretur de mandato Regis Iosiæ, loquuta est palam mala contra populum Israel, & ipsi Regi prædixit citò moriturum. Et in nouo testamento *Luc. 2.* Anna filia Phanuel loquebatur de Christo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel, *& Ioann. 4.* Samaritana loquuta est illis hominibus conciuibus suis annuntians venisse Christum. Et Beata Virgo Catharina (cuius hac die, qua hæc scribo, festum celebramus) fidem Christi coram Maximino profitens cum quinquaginta philosophis viris eruditissimis disceptauit, qui subtilitate eius disputationis conuicti, tanto Iesu Christi amore sunt incensi, vt pro illo mori non dubitauerint. De altera quoque Catharina Senensi præter alias virtutes, & dotes, quibus à Deo fuit mirabiliter honestata, legitur apud *Greg. 11. & Vrban. 6.* Pontifices maximos perorasse, & sacrarum litterarum professores de difficillimis quæstionibus ipsam interrogasse.

Attamen prædictis non obstantibus veram esse conclusionem Iuris supra positam, & roboratam tanti Apostoli authoritate. Nam quandoquidem multa solent esse prohibita communi lege, quæ non sunt prohibita secundùm particularem, aut specialem legem, seu gratiam. De lege igitur communi mulieres prohibentur docere, consulere, & similia exercere: at secundum specialem gratiam, & priuilegium, vel mandatum, & ob aliquem particularem effectum, seu diuinam dispositionem concessum est aliquando mulieribus, consulere, docere &c. nec ob id destruitur lex generalis; neque ad ea, quæ per raro accidunt lex dicitur fieri, vt inquit *Celsus in l. 5. ff. de legib.*

Arceantur ergo à prædictis, & similibus etiam ex ratione *l. 1. vers. secundo loco ff. de postul.* ibi. Ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant, nec virilibus officijs fungantur mulieres. Vide *glos. Verbo Prædicare in cap. Noua de pænit. & remiss.* vbi plura enumerantur, quæ mulieribus non competunt, probat etiam *l. Quia absente 4. C. de procurat.* ibi. Cum aliena negotia per mulieres non aliter agi possint, nisi in rem suam, & proprium lucrum mandatæ sint eis actiones. In casu tamen, accusationem agere permittuntur *in l. 1. §. pen. ff. de suspect. tut.* ibi. Sed & si qua mulier fuerit cuius prætor propensam pietatem intellexerit, non sexus verecundiam egredientis, sed pietati productæ non continere iniuriam pupillorum, admittet eam ad accusandum.

Sancimus mulieres suæ pudicitiæ memores, & operum, quæ eis natura permisit, & à quibus eas iussit abstinere, licèt summæ, atque optimæ opinionis constitutæ in se arbitrium susceperint, ab omni iudiciali agmine separari, inquit *Imp. in l. vlt. C. de recept. arbitr. & ibi glos. vlt.* Sic interrogat. Quid de Comitissa Campaniæ, & Matildæ, quæ arbitrantur? Responde serua consuetudinem, quæ dat iurisdictionem. Sic ergo mulier habet iurisdictionem infert *glos. 1. in capit. Dilecta 12. de maior. & obed. & addit.* sed videtur contra quod mu-

mulier iudicare non potest, nec ciuilibus fungitur officijs, neque inducere consuetudinem, dicit *Bart. in l.1. ff. de legib.*

Et quod magis est, nec alienam suscipere defensionem, cùm virile sit officium, esse vltra sexum muliebrem, dixerunt *Imperatores in l. Alienam* 18.*C. de procurat. vbi Bald. Salic. & Alex.* dicunt, quòd nec mater defendere potest filium suum pupillum, de quo vide *Bart.* ibi. Limitantem in causa appellationis per *l.1. ff. de appell. recip.* vel in alia causa, de qua possit plenum præiudicium parari filio pupillo, neque etiam pro maritis poterunt procurare, iuxta citatam *l. Quia absente C. de procurat.*

Non posse mulieres pro alio fide iubere satis notum est *ex tot tit. ff. & C. ad Velleian.* Sed nec alij mandare, quod fideiubeat, vt dicit *Iulian. in l. Si mulier contra* 16. §.1. *ff. ad Velleia.* ibi. Fideiussori dandam exceptionem, si à muliere rogatus fideiussisset. Ego puto dandam fideiussori exceptionem, etiam si mandati actionem aduersus mulierem non habeat, quia totam obligationem Senatus improbat. Si tamen decipere voluerit, mulier non iuuabitur iuxta *l. Si sine C. ad Velleian.* ibi. Quod si patientiam præstitisti, vt quasi suas res maritus obligasset, decipere voluisti, mutuam pecuniam dantem, & ideo tibi non succurretur Senatusconsulto, quo infirmitati, non calliditati mulierum consultum est; *& in l. Fœminis* 18. *eod tit.* ibi Nisi creditor per mulierem deceptus sit, *vbi glos.* sic. Quia deceptis, & non decipientibus Iura subueniunt, facit etiam *l.11. C. de dist. pign.* dum dicit. Mulier licèt specialiter res pignori dederit pro alio, creditor eas distrahendi non habet facultatem, nisi dissimulatione marito obligante, creditoris ignorantiam circumscripserit, *& in l.2. ff. eod. tit. ad Velleia.* ibi. Opem tulit mulieribus propter sexus imbecillitatem multis huiusmodi casibus suppositis, atque subiectis &c. Sed ita demum eis subuenit, si non calliditate sint versatæ &c. nam deceptis, non decipientibus opitulatur &c. infirmitas enim fæminarum, non calliditas auxilium sumit.

Mulier pro libertate intercedens nō iuuatur Velleiano, ita *l. pen. C. illo tit. ad Velleian.* & reddit rationem sic. Satis enim acerbum est, & pietatis rationi contrarium, dominum serui, qui credidit mulieri, siue soli, siue post serui promissionem, & libertatem seruo imponere, & suum famulum perdere, & ea minime accipere, quibus fretus ad eiusmodi venerit liberalitatem.

Nec insuper iuuabitur prædicto auxilio, si post biennium à prima obligationis intercessione numerandum, secundam fecerit obligationem. Audi *Iustinian. in l. Si mulier* 22. *C. illo tit.* Si autem post biennium hoc fecerit sibi imputet, si quod sæpius cogitare poterat, & euitare, non fecit, sed vltro firmauit. Videtur enim ex huiusmodi temporis prolixitate, non pro aliena obligatione se illigare, sed pro sua causa aliquid agere. Etenim interdictum est subuenire sexui mulieris, quæ suo nomine periclitetur, dicit *l. Stichum* 96. §. *Aditio ff. de solut.*

Neq; etiam gaudebit dicto auxilio, si pro dote intercesserit, vt deducitur *ex l. vlt. C. eod. tit.* ibi. Neque enim ferendum est, quasi casu fortuitu interueniēte mulierem fieri indotatam, & sic à viro forsitan repelli, & distrahi, *vbi gl. vlt.* enumerat sex casus, in quibus mulier non iuuatur beneficio Velleiani his versibus.

Casibus in senis mulier spondendo tenetur.
Pro libertate, pro dote, renunciet, & si decipiat,
Pretium capiat, caueatque secundo.

Pote-

Poterit mulier, si rem suam vendidit, vel hypothecauit, & renunciauit metu, vel reuerentia, reuocare, vt dixit *glos. verbo metu in l. 1. §. Quæ onerandæ ff. quar. rer. act.* per tex. ibi. Et hoc tamen causa cognita, si liquido appareat libertum metu solo, vel nimia patroni reuerentia, ita se subiecisse.

Renunciatio Velleiani facta à muliere, non etiam tenet, nisi fuerit iuramento firmata, vt in terminis *Auth. Si qua mulier C. ad Velleia. tenet ibidem Bald.* Si autem iurauerit, excluditur à beneficio, *vt in capit. Ex rescripto 9. de iur. iur.* ibi, dedit eidem V. & eius vxorem fideiussores &c. Ideoque mandamus quatenus tam Abbatem, quàm Monachos, quam V. & vxorem ipsius monere curetis, vt sicut iurarunt, eandem conuentionem faciant adimplere, *ubi not. doct.*

Ad fragilitatem muliebrem respicientes, quod & corpore, & substantia, & omnia vita sua maritus fungitur, cùm pene mulieribus tota substantia in dote constituta est, inquit *l. Assiduis C. de iur. dot. & addit. tex.* Quis enim earum non misereatur? propter obsequia, quæ maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationē, pro qua multis nostris legibus inuenta sunt priuilegia. Hæc autem tantum ad dotem, non ad ante nuptias donationem &c. Non enim pro lucro fouemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suisque rebus defraudentur, curamus. Non etiam extenduntur dicta priuilegia ad augmentum dotis factum in mobilibus, vt supra dictum est *Verbo dos.*

Notabis tamen quod si maritus malè dotalibus rebus vtatur, poterit mulier illas gubernare, *vt in Auth. de æqual. dot. §. Vlt coll. 7.* disponitur sic. Quia enim dedimus mulieribus electionem etiam constante matrimonio, si malè res maritus gubernet, & accipere eam, & gubernare, & secundum decentem modum &c. Et infra sic. Sibimet culpam inferat, cur mox viro inchoante male substantia vti, nō percepit, & non est auxiliata sibi. Sed miror quòd reperiatur mulier sic taciturna, cùm aliàs dicat *glos. in d. l. Assiduis Verbo Mulierum*, quòd semper clamat, & *Perrin. in vita Iustiniani* ibi. Et vt est mulierum in potestate intemperies, insolensque, & importuna loquacitas.

Imputari mulieri non potest, quod tutore decepta est, inquit *l. vlt. ff. de legat. 1.* Prout nec etiam si in Iure; quia mulieribus est permissum Ius ignorare, vt inquit *glos. Verbo sexu in l. Si adulterium 38. §. 1. ff. ad l. Iul. de adult.* per Iura, quæ ibidem, & probatur *ex l. Diuus 15. vers. matri ff. ad l. Cornel. de fals.* ibi. Veniam tribuendam, & ibi. Idem in filia, quæ dictante matre sua per ignorantiam Iuris, legatum sibi scripserat, vbi *glos.* sic infert. Item iustè fæmina errat in Iure, & in *l. 2. §. vlt. ff. de iur. fisc.* ibi. Non nocere cuique se detulisse, si ea persona sit, quæ ignorare propter rusticitatem, vel propter sexum fæmineum, Ius suum possit, & *in l. De die §. Si seruus ff. qui satisd. cog.* ibi. Minori quoque 25. ann. succurrendum est, fortasse, & mulieri propter imperitiam, *& in l. 1. §. vlt. ff. de edend.* ibi. Et is, qui ob ætatem, vel rusticitatem, vel ob sexum lapsi non ediderunt, subuenitur, & supra *Verbo Error* dictum est. Et pro complemento est *tex. optimus* in hac materia *l. vlt. C. de Iu. & fact. ig.* disponens. Ne passim liceat mulieribus omnes suos contractus retractare in ijs, quæ prætermiserint; statuimus si per Ignorantiam Iuris damnum aliquod circa Ius, vel substantiam suam patiantur in ijs tantum casibus, in quibus præteritarum legum authoritas suffragatur, subueniri. Casus verò expressi sunt, vt in intercessione *l. Si sine C. ad Velleian. 2. responso.* Item vbi

ab

ab incestus crimine excusentur, si sola Iuris nostri obseruantia deficit, vt *l. Si adulterium §. 1. ff. de adulter.* Item in satisdatione iudicio sisti recepta minus idonea, vt *l. De die §. minori ff. qui sat. cog.* Item cum indebitum soluunt, vt exonerentur probatione, *vt l. Cum de indebito §. 1. ff. de probat.* Item si cautiones, vel rationes in iudicio non edunt, *vt in l. 1. §. vlt. de edend.* Item cum stipulatur dotem nouando de bono creditore ad inopem, *vt l Si eum dotem §. Si mulier ff. solut. matr.* Item cùm legatum sibi adscribunt dictante sibi matre, *vt sup.* Item, *vt in l. 1. §. Accusationem in fin. ff. ad Turpill. & in l. Mulier.* Item *l. 1. §. Viduas ff. de fals. mon.* Item *l. 2. in fin. ff. de iur. fisc.* Nec enim loco minoris 25. ann. circumscripti per omnia habenda est mulier, ait *l. Si mulier 32. ff. ad Velleian.*

Tamen in *l. Matres 11. C. qui pet. tut.* sic disponitur. Nulla eis ignorantia Iuris ad euitanda legibus, vel sacris constitutionibus definita, si petitionem tutorum minus curauerint, profutura; quidquid dicat ibi *glos. Verbo Profutura*, quod error iste est ex Iure naturali, *& in l. 6. C. qui admitt. ab bon. possess.* ita. Iuris ignorantiam, nec mulieribus prodesse in edicto perpetuo cursu de agnoscenda bon. possess. *vbi glos. vlt.* declarat. Si potuit consulere peritiores.

Mulierem contractis secundis nuptijs expelli à tutela conuenit, ait *Auth. Sacramentum C. quando mul. tut. offic.* Quid si aliàs luxuriata est? quærit ibidem *glos. verbo* Contractis, & respondendum est idem, per quæ allegat. Pro prima conclusione facit ratio *l. lex quæ tutores 22. C. de admin. tut.* ibi. Lex enim non solùm contra tutores, sed etiam contra fæminas immoderatas, atq; intemperatas prospexit minoribus, quæ plerumque nouis maritis, non solùm res filiorum, sed etiam vitam addicunt, *& in Auth. vt fin. probib. mat. coll 7.* ibi. Mox tamen vt secundas contraxerit nuptias repente expellatur à tutela, de quo *sup. verbo mox.*

De dolo mulieris non esse permittendum excipere ne indotata fiat, ait *l. Apud 4. §. Item quæritur ff. de dol. except.* dicitur tamen *in l. 1. ff. simul ventr. nom.* sic Debet enim prętor quemadmodum facilis est circa bonorum possessionem dandam mulieri ventris nomine, ita calumniam eius impunitam non relinquere. Sed non carcerabitur pro ciuili, & pro criminali dabit fideiussorem, vel iuratoriam cautionem, vt in *Auth. vt null. iud. §. necessarium coll. 9.* ibi. Si vero iurauerit non posse dare fideiussorem, iuratoriam cautionē faciat de iudicij obseruatione.

Mulieris consensus qualiter dari debeat, dictum est supra *verbo Consensus.*

Pari passu ambulare mulierem, & fiscum, notauit, *glos. vlt. per tex.* ibi. Cessat priuilegium fisci *in l. 2. C. de priuil. fisc.* cum alijs, quæ ibidem allegat.

Mulieris ętas non suppletur ex numero filiorum, dicitur *in Verbo Fœmina.* Sed quare minori tempore veniam ætatis impetrat, quam masculus? Respondet *glos. verbo Octauum in l. 1. C. de ijs, qui ven. ætat.* Mala herba citò crescit, & citius est subdola mulier, & auara &c. & hac ratione non probat morum instituta, quia sagacior præsumitur. Sed additio ibidem ita. Tu dic secundū *Bart.* quòd vera ratio est: quia mulier, cùm sit minoris vitæ, quàm masculus, citius perficitur, & ita contingit in quolibet animali: quia quanto res est breuioris vitę, tanto citiùs perficitur; & ideo forsan præmori fingitur mulier, vel saltem non post, aut etiam quia debilior, vt notauit *glos. Verbo locum in l. Qui duos 10. §. Si maritus ff. de reb. dub.*

Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus, inquit *l. vlt. C. de in*-

col.

col.lib.10.& in l.13. C. de dignit.lib.12. sic. Mulieres honore maritorum erigimus, sed hoc intelligitur si in eodem matrimonio perseuerent. Sin verò minoris ordinis virum postea sortita fuerint, priori dignitate priuata, posterioris mariti sequantur ordinem, dicit *d.l. vlt. & in Auth. de nupt. §. Non tamen has*. Non tamen permittimus mulieribus ad secundas venientibus nuptias adhuc velle priorum maritorum dignitatibus, aut priuilegijs vti: sed ad quale post priorem venerint matrimonium illius amplectantur fortunam, quę enim priorum oblita est, non rursus prioribus adiuuabitur.

Neq; enim maiores pœnas aduersus mulieres, quę ad secundas veniunt nuptias facimus, neque ex hoc eas ad necessitatem deducimus amaram, & nostrorum temporum indignam, vt metu castarum nuptiarum (licèt secundæ sint) ab his quidem abstineant, & descendant ad quasdam interdictas permixtiones, & forsan etiam ad seruorum corruptiones, & quoniam non licet legaliter caste viuere contra leges luxarientur; sic inquit *Imp. in Auth. de non elig. secund. nub. §. Cum igitur post princ.* & paulo infra sic. Optimum itaque est, atque laudabile, & dignum oratione, vt mulieres ita se honestè tractent; quatenus quæ semel ad virum venerunt, seruent inuiolatum morientium torum, & huiusmodi mulierem, & miramur pariter, & laudamus, & non procul à virginitate ponimus; & iterum infra. Sin autem non valuerit, cum forsitan, & iuuenis, hoc non patiatur, nec possit cõtra feruorem naturæ resistere, non est torquenda, propter hoc, sed ad viri alterius veniat nuptias honestè, & omni luxuria abstineat, & fruatur successione liberorum. Castè namque, & honestè dicitur viuere, quæ virum accepit, vt dicit, per quæ affert, *glos. pen. in addit. in l. vlt. C. de indict. vide toll.*

Sed non debet accelerare secundum matrimonium; cùm aliàs dicatur *in Auth. de nupt. §. Prima coll.4.* Et erit omninò mulier propter nuptiarum festinationem infamis. Nam licèt hæc infamia non detur iam hodie attestante *Apostolo ad Corinth.7.* ibi. Quòd si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat; tamen nihil dicit super illa festinatione, & negari non potest quod propter illam minuitur aliquo modo mulieris pudicitia; quæ aliàs illam exornat, vt infra dicis Verbo. Virginitas; & videtur contra naturalem pudorem, qui in ea est, vt dicitur *in l. Optimam 14 C. de contrahat & com. stipul. 7.* sic. festinanter transire ad secunda vota, & maximè in ingenua, & illustri, cui castitatis obseruatio præceptum debitum est. Et probat *l. Si qua illustris C. ad Orfician.* Vnde adhuc hodie seruantur pæne taliter nubenti, vt in *l. Famina, & alijs C. de secund. nupt. notat Additio glos. verbo Honorarias in l.1. eod. tit.* ibi. Pœna verò, quæ imponitur, ideo quia nubit secundo, de qua *in l Famina. & alijs l. huius tituli* non est sublata, ita dicunt communiter Cononistæ omnes *in capit. pen. eod. tit. & vide ibidem Abb.*

Mulier vagari non conuenire, nec virorum cætibus immisceri, dixit *Pontif. in cap.2. de iudic. lib. 6.* & multo minus in meretricali habitu incedere; vnde si tali, iniuria irrogetur, iniuriarum actio ei denegatur iuxta *cap. In audientia 25. de sentent. excomm.* ibi. Et lex sæcularium principum &c. qua manifeste cautum habetur matronam, cuius pudicitia attentata fuerit, non posse iniuriarum agere, si in veste meretricali fuerit deprehensa. Lex autem est *l. Apud Labionem §. Si quis virgines ff. de iniur.* de qua iam supra *Verbo Famina*.

Osculum dicitur dare mulier, non accipere, & gratia viri, non mulieris interue-

venit, sic ait *glos. Verbo Osculo in l. Si à Sponso 16. C. de donat. antenupt.* & mirum est, quod dicatur mulier dare, cùm sit auara, vt notat *glos. Verbo maximè in Auth. de nupt. §. Quoniam infirmas coll. 4.* ibi. Vt habeant talia lucra à viro non sic facilè vir ab ea, cùm sit auara; *& in l. 1. C. de ijs qui ven. atat. Verbo Aetatis ibi.* Quia genus auarissimum mulierum, *& in l. Nesennius Verbo. E contrario ff. de negot. gest.* ibi. Quia non facile mulier donare videtur, quia mulierum genus est auarissimum, *& glos. vlt. in l. 1. C. ad Velleian. cum alijs dicto verbo Famina.*

Mulier si per vim cognoscatur, existimationem non perdit, iuxta *l. Fadissimam 10. C. ad l. Iul. de adult.* ibi. Non etiam earum, quæ per vim stupro compressæ sunt irreprehensa voluntate, leges vitiseuntur: quin etiam inuiolatæ existimationis esse.

Voluntas raptæ mulieris non excusat raptorem ex ratione *l. 1. §. Panas autem C. de rapt. virg.* ibi. Quia hoc ipsum velle, mulierum ab insidijs nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Nisi etenim eam solicitauerit, nisi odiosis artibus circumuenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus se prodere.

Mulier potest per decem menses, & duos dies fœtum portare in ventre. *Vide Verbo Partus,* vbi etiam inuenies pœnam esse capitalem ei, quæ abegit partum.

Mulierem, quandiù nupta est, incolam esse ciuitatis mariti, inquit *glos. vlt. in cap. Is qui de sepult.*

Nullus solius materni sanguinis vinculis illigetur, quia mulierum infirmitas nũquam huiusmodi functionibus reddit obnoxios, à quibus ipsa habetur immunis, ita *lex 44. C. de decurion. liber. 10.*

Notabile est, quod disponitur in *l. 10. C. de agricol. & censi lib. 11.* dum ita ait. Cùm antea per singulos viros, per binas verò mulieres capitis norma sit censa, nunc binis, ac ternis viris, mulieribus autem quaternis Ius vnius pendendi capitis attributũ est, quod declarat ibidem glos. dicens sic. Quod istud erat quoddam tributum, quod soluebatur ab agricolis pro quolibet capite, facta tamen differentia inter masculos, & fœminas, taliter quòd duæ fœminæ, pro vno capite numerabantur, masculus vero solus faciebat caput, nunc verò duo masculi pro vno capite habentur, fœmina autem quatuor; & ibi etiam dicitur, quod hodie in Sardinia est consuetudo, quia certum quid præstatur cùm nascitur fœmina, vel masculus.

Maior constantia est in viro, quàm in muliere, vt dixit *glos. Verbo Diuertant in cap. Indemnitatibus 43. §. sane de elect. lib. 6.* Et varium, atque mutabile testimonium semper fœminam producere, inquit *capit. Forus in fin. de verb. sign.* Ideo in testamentis non potest esse testis *l. Qui testamento 20. §. Eum qui ff. de testam.* ibi. Mulier testimonium dicere in testamento quidem non poterit *§. Testes* ibi. Sed neque mulier *eod. tit. in Inst.* Et quia ne aliquid falsitatis incurrat compositum, lex expostulat per ampliores homines, & non fœminas veritatem reuelari, vt inquit *l. vlt. C. de fideicom.*

Limitabis tamen notabiliter, quòd poterit mulier, esse testis in testamento inter liberos legitimos, & naturales, vt per *glos. in Auth. Quod sine C. de testam.* ibi. Vt minus solemne valeat, si ex duobus tamen maribus, vel fœminis probetur, quod ampliat *Bald.* etiam inter liberos non legitimos, quando legitimi non existunt in *d. l. Qui testamento 20. §. Mulier ff de testam. ad fin.* ibi. Et si pater in testamento instituat bastardum, cùm non habeat legitimum, vbi etiam *Bart. & doct.* Et denique notabis quòd mulier, vbi per legem admittitur testis (quod semper est vbi non inuenitur

tur prohibitas numquam est testis omni exceptione maior, vt tenuit *Dec. in l. 2. coll. 4. ff. de reg. iur.*

Alia de mulieribus dicuntur Verbo. *Fœmina*, & verbo Vxor, vbi potes videre, & quam plurima dicerem, si non timerem tædio te afficere, hoc vnum tantum dico, quòd illis, vltra ea, quæ sibi à natura concessa sunt, aliud non competit, nisi lana, & linum, & quòd hæc appetant benè est, vt per *glos. verbo lana in l. Cùm quæreretur 58. §. lana ff. de legat. 3.* vbi in legato de his rebus facto, si dubitatur de quantitate, dicitur, quòd dabitur mulieri quantum ad vsũ vnius anni sufficiat, laudatur namque in sacro eloquio *Prou. 31. 10.* ibi. Quæsiuit lanam, & linum, & operata est cõsilio manuum suarum, sed consilia mentium suarum non laudantur, nec minus si appetant ea, quę eis non conueniunt, cùm aliàs dicat etiam scriptura sacra; Altiora te ne quæsieris.

Multitudo.

Est canonibus inimica, dixit *glos. 1. in cap. 2. de rescript. lib. 6.* Quia multitudo onerosa nihil habet, honesti ait *glos. Verbo Malos in cap. Cum sit de ætat. & qualit.* quod deduxit ex *Auth. de referendar. §. Vnic. vers. volumus* ibi: Multitudo enim numerosa nihil habet honestum, quoniam in paucis ex multis, quæ secundum virtutem est, vita saluatur &c. & infra sic. Sitq; & hæc lex nostra multitudinem quidem expellens, introducens verò virtutem, quæ non in multis apparet. Et in *Auth. de filiant. dot. instr. coll 4.* ibi. Quatenus non multitudo superflua à codicibus scriberetur. Cum melius sit pauca agere cautè, quàm multis interesse periculosè; dicitur in *Auth. de Tabellion. §. 1. iuxta fin. coll. 4.*

Nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur Deus, inquit *glos. verbo Nimiam in cap. 1. de religios. dom. lib. 6.* sed neque ex multitudine Authorum, quod melius, & æquius est iudicatore dixi sũ *Verbo Author.* Et multò minus multitudine medicorum sanitatem speres, quidam namque moriens sic lamentabatur. Multitudo medicorum me interemit, cùm aliàs vnus imperitus medicus propter opinionem infirmi illum potius curabit, quàm plures periti, vt supra ostensum est *Verbo Medicus.* Et in tutela est *text. in l. Si plures §. Quamuis in fin. ff. de admin. tut.* sic dicens. Sanè enim facilius vnus tutor, & actiones exercet, & excipit, ne per multos tutela spargatur, *vbi glos.* alia allegat Iura, & ponit versum istum.

Serius expediunt commissa negotia plures.

Dubitas igitur an quia multitudo reperitur in causa, seueritati sit aliquid detrahendum? ait *cap. Dilectus 30. de Simon. vbi glos. multitudo* sic. Propter multitudinem detrahendum est seueritati; *& in cap. latores 4. de cler. excom.* ita *Pontif. Si 40 solũmodo*, vel pauciores in his deliquisse constiterit &c. Si vero multitudinem magnam in hoc peccasse cognoueris, *vbi glos. Verbo Multitudinem* sic. Hic non parcitur multitudini. Arg. contra &c. Sed ista contraria procedunt, vbi scandalum timetur, & multorum strages iacet, si seruetur rigor; aliàs si non contemnatur disciplina Ecclesiæ in populis, sed vt patienter sustineat, tunc ferienda est multitudo. *Et glos. Verbo Multitudo in cap. 2. de tempor. ord.* sic. Arg. quod multitudo dispensationem inducit; vnde versus.

Ob populum multum crimen pertransit inultum.

& prosequitur. In multitudine tamen illis

illis non parcitur, quamagis causam delicti esse constiterit. Et in casu non parcitur multitudini, quia videtur deseri bonum vitæ, inquit *glos. Verbo multitudinis in extrauag. unic. de religios. dom.* Aliàs parcitur multitudini, *ut per glos. & ea, qua allegat Verbo. Multis in l. Aut facta 16. §. vlt. ff. de pæn.*

Sed quot multitudinem faciunt? *glos. dicto Verbo. Multitudinem in citato cap. latores respondet* sic. Item hic habes, quod vltra 40. dicuntur multi &c. aliquando etiam 23. millia &c. multa igitur, & pauca in respectu dicuntur. Vnde etiam Innoc. hic, *& glos. verbo. Multa in l. 1. §. Occisorum vers. hoc rescriptum ff. ad Syllan.* dicit multa, quia tria, & aliàs duo dicuntur multa, sed *Bald. in l. Hac consultissima C. qui testa. fac. po.* dicit quod sunt septem, vel vltra. Sed quot dicemus paucos? hoc, officio iudicis relinquam, respondet *glos. Verbo contradicentium in cap. Cupientes 16. de elect.*

Si quis aduentu suo turbam concitauit, vel clamore, vel facto aliquo, vel dum criminatur aliquem, vel dum misericordiam pronocat, si dolo malo eius datum sit damnum, etiam si non habuerit animum turbæ concitandæ, tenetur, ita disponitur *in l. 4. §. Si quis ff. de vi. bon. rapt.* Scientes, quod dictum vnius facilè sequitur mulitudo, ait *Pontif. in capit. Cum in iuuentute 12. de purg. can.*

Multitudo officiorum, seu beneficiorum in vno reprobatur, vide officium.

Mundus.

Dicitur medium, sic explicat *glos. Verbo. De medio in cap. Si is 10. de offic. delegat. lib. 6. tex.* namque ait. Aut de medio tolli contingat, *& glos. dicit.* De medio, hoc est, de hoc mundo. Sed quare dicitur mundus medium? Audi *Gregor. relatum in cap. Hæc autem vita,* quæ inter cælum, & infernum si ta est, sicut in medio subsistit &c. 23. *quæst. 4.* & tuo quæsito satisfactum est; & hoc verbo sæpe inuenies scripturam sacrā, vti dicendo, Tollite malum de medio vestri.

Etiam dicitur mundus muliebris, & est quo mulier mundior fit, vt in *l. Argento 27. §. Mundus ff. de aur. & arg. legat.* vbi describuntur, quæ sub hoc nomine continentur.

Munus.

TRibus modis dicitur vno donum, altero onus, tertio officium, sic distinguit *Paul. Iurecons. in l. Munus 18. ff. de verb. sign.* & ab eo deducit *glos. in rubr. C. de muner. & honor. lib. 10.* ibi. Dic munus tribus modis &c. & dic munus aliud publicum, quod in administratione Republicæ sine titulo dignitatis subimus. Aliud priuatum, vt tutela, quod etiam publicum est, quo ad quid; ita ait *glos. in rubr. C. de vac. pub. mun. eod. lib. 10. & in l. Veteranis 9. C. quando prou. non est necess. Verbo Personalium* sic. Aliud dicitur munus iuxta *tit. de numer. & honor.* & quoddam dicitur personale, quod cū animi prouisione, & corporalis laboris intentione sine aliquo detrimento perpatratur, vt tutela &c. *Et glos. verbo munerum in l. Placet 5. C. de Sacros. Eccles.* dicit ita. Munerum alia vagaria, alia parangaria, alia rerum, *& in l. 18. ff. de muner. & honor.* sic. Munerum Ciuilium triplex diuisio est, nam quædam munera personalia sunt, quædam patrimoniorum dicuntur, alia mista, vbi omnia habes. Munus autem proprie est, quod necessario obimus lege, more imperio ve eius, qui iubendi habet potestatem, vt per *Martian. in l. 214. ff. de verb. sig.*

De muneribus personalibus quatenus sūt officia, inquit *l. 46. C. de decurion. lib. 10.* Ad subeunda patriæ munera dignissimi meritis, & facultates curiales eligantur, ne tales fortè nomineutur, qui functiones publicas implere non possint, & de his iam dictum est verbo Honor, & quod ab eis excusatur cæcus; in eodem Verbo Cæcus habes, quod intellige cum *glos. Verbo Pesonalium in l. 1. C. qui morb. se excus.* sic dicente, munera scilicet, quæ corpore implendæ sunt, cæterum ea, quæ consilio prudentis viri, vel patrimonio fiunt non excusantur; vnde versus,

Consilio pollet cui vim natura negauit.

Excusantur etiam Ecclesiastici ab angarijs, & parangarijs, iuxta Iura, quæ prædicta *glos. in citata l. Placet*, quam videas.

Munus, seu onus publicum non ex odio conferri debet, habes Verbo *Inimicus*.

Quatenus verò munus dicitur donum, dicit *glos. verbo munera in cap. Accusatus 8. §. Ille quoque de haret. lib. 6.* ita. Differentia est inter munus, & donum, munus enim ex causa datur, donū ex causa, & sine causa, quod deduxit à *Paul. Iureconf. in l. 194 ff. de verb. sign.* inter donum, inquit, & munus hoc interest, quod inter genus, & speciem, nam genus esse donum Labeo ait à donādo dictum; munus speciem; nam munus esse donum cum causa; vt puta natalium, nuptiarum, & vti diuersa ponit *Vlpian, in l. Vt Iurisiurandi 7. vers.* iurare autem debet, operas, donum, munus se præstaturum *ff. de oper li. vbi notat glos. verbo Iure licito,* & satis patet ex ratione *l. Si idem C. de codicill.* ibi. Cur diuersum vocabulum mandaretur.

Adhuc munus triplex dicitur; quia aliud est ab obsequio; aliud à manu; aliud à lingua. Munus ab obsequio est seruitus indebitè impensa; munus à manu pecunia est; munus à lingua fauor; ita *Gregor. relatus in cap. sunt nonnulli 1. quæst. 1.* Vnde *Esai. 33. capit. 15.* dicit beatum, qui excutit manus suas ab omni munere: non dixit à munere solùm, sed ab omni, vt in dicto cap. sunt, & facit *glos. Verbo. Nullum munus in cap. Statutum §. Insuper de rescript. lib. 6* ibi Non ergo dixit simpliciter munus, sed nullum munus; *tex.* autem verba sunt. Vt gratis cum omni puritate iudicium coram ipso procedat nullum munus, vel quicquid aliud (nisi forte esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi posit diebus) vel nisi cum ipsum propter causam sibi commissam contingerit extra suum domicilium proficisci moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercumque præsumat. Et quòd iudices debent se à muneribus abstinere, nec munera dare, vt fiant iudices, latè dictum est Verbo. *Iudex*. Et quòd non liceat visitatoribus munera recipere, habes Verho. *Visitatio*. Munera namque peruertunt omnes, & rectum operari satis notum est impedire, vt his versibus patet.

Munera Pontifices subuertunt, munera reges,
Munera Iui statuunt, destituntque simul.
Munera peruertunt leges, decreta refellunt,
Euacuant patrum Iura vigore suo.
Munera iudicij libram moderantur, & ipsam,
Protinus inflectunt, quæ data pensa trahunt.
Omnia vincit amor, sed amorem munera vincunt,
Excæcant oculos, præcipitantque gradus,

Mu-

Munera si cessent, cessabunt iurgia, lites,
Mars cadet, & veneris nullus amicus erit.
Munera si cessent, miseris mortalibus vllus,
Clamor, nec luctus, nec dolor vllus erit.

Accuratè igitur videant, qui munera recipiunt, & præcipuè qui iudicent, quo modo accipiant, quid & à quibus. Cùm in accipiendis muneribus tria sint maximè attendenda, personæ scilicèt dantis, & accipientis qualitas, quantitas, muneris, & donationis tempus, vt dixit *Pontif. in capit. 18. de Simon.* In recipiendis verò muneribus circa spiritualia attenditur cōsuetudo, dicit *glos. Verbo. Pro exequijs ad fin. in capit. suæ nobis 29. eod. tit.*

Cæterum quando dantur munera, & accipiuntur iustè, gratissima sūt apud Deū, & apud homines, vt propter ea ipse largiora tribuat, iuxta *cap. sicut excellentiam prope fin. 23. quæst. 4.* ibi. Cum enim largita munera ad nominis sui gloriam conspicit reuocari, tanto largiora tribuit &c. coniuncto *cap. Reuertimini 16. quæst. 1.*

At nemo ex ijs, quos licebit accipere, vel decebit aspernanter habeat, quod sibi semel officij gratia libero arbitrio obtulerit, dicitur *in l. Quisquis 6. C. de postulan. vbi glos. Verbo. Habeat affert ex Caton.* illud.

Exiguum munus dum dat, tibi pauper amicus,
Accipito placidè, & plenè laudare memento.

Sed aduerte ne velis statim soluere. Nam reijciendi genus est, protinus aliud inuicem mittere, & munus munere expungere. Qui festinat vtique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris; & vt breuiter dicam, qui nimis cito cupit soluere, inuitus debet, qui inuitus debet ingratus est, vt dixit *Senec. 4. de benef. cap. vlt.*

Et iniquum erit si aliquis ex dono suo cōueniatur, dicit *capit. vnic. de not. feud.* *Quod excipies in casu l. vnic. C. null. lic. in fren. lib. 11.* vbi etiam si fiat opus, de quo ibi, ad donandum Imperatori multatur pœna quinquaginta librarum auri. Sic enim inquit *Iustinian. Imper.* Nulli præterea priuatorum liceat (exceptis scilicet ornamentis matronalibus) aliquid ex auro, & gemmis, quo ad cultum, & ornamentum Imperatorium pertinet facere, neque illud sub hoc colore, & prętextu prępąrare, quod velit clementiæ principali, velut aliquod munus offerre; pietas enim mea huiusmodi dona non expetit, neque regium sibi offerri à priuatis cultum requirit. Alia vero nostris temporibus pietas existit, pijssimi sunt namque Principes, & humanissimi in recipiendis muneribus, etiam si regia sint.

Conuenitur etiam quis ex munere suo, quādo illud promisit, & incepit ad hoc vt illud perficiat, vt est *tex. sing. in l. De pollicitationibus 8. ff. de pollicit. vbi Vlpian.* ita. De pollicitationibus in Ciuitate factis iudicum cognitionem esse Diui Fratres Flauio Celso in hæc verba rescripserunt. Probe faciet Stathius Rufinus si opus proscenij, quod se Gabinis extructurum promisit, quod tādem aggressus fuerat, perficiat. Nam & si aduersa fortuna vsus in triennium, à præfecto Vrbi relegatus esset, tamen gratiam muneris, quod spontè obtulit, minuere non debet.

Mur-

Murmuratio.

Est abloquutio indebitè facta contra Deum, vel factum alicuius, vt *Numer 11. in princ.* ibi. Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra Dominum, & *psalm.77 19.*ibi. Et malè loquuti sunt de Deo, & *Exod. 16. 2.* ibi. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen, & Aaron, & sæpe alibi, tàm in nouo, quam in veteri testamento, vbi metuenda pœna inueniuntur murmuratores puniti. Et de Iure Canonico murmurans, & contentiosus pari puniuntur pœna *in capit. Si quis monachus 96. dist.* ibi. Qui contentiosus, aut murmurans extiterit secundùm arbitrium prioris tandiù pœniteat, quamdiù culpæ qualitas extat.

Summa iniquitas est fratres detrahere. Vnde scriptum est. Omnis qui detrahit fratri suo, homicidia est, & omnis homicida non habet partem in Regno Dei, inquit *Alex. Papa in cap. Summa 6. quæst.* 1. Caueat itaque vnusquisque ne aut linguam, aut aures habeat prurientes, idest ne aut ipse alijs detrahat, aut alios detrahentes audiat. Sedens inquit *Propheta* aduersus fratrem tuum loquebaris detrahendo, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum &c. Parcant singuli detractioni linguę, custodiantque sermones suos, & sciant, quia cuncti, qui de alijs loquuntur sua sententia iudicabuntur. Nemo inuito auditori libenter refert, officium singulorum sit, dilectissimi, non solum oculos castos seruare, sed & linguam; nec quid in cuiusquam domo agatur, alia domus vnquam per eos nouerit. Ait *Gregor. in capit. Ex meritò ead. 6. quæstion.* 1.

Murus.

Aut est publicus, vt sunt mœnia Ciuitatis, villæ aut castri. Aut est priuatus domorum aliàs dictus paries. De primis dicit sic *Pompon. in l. vlt. ff. de rer. diu.* Si quis violauerit muros capite punitur, sicuti si quis trãscendat scalis admotis, vel alia qualibet ratione. Nam ciues Romanos alia, quàm per portas egredi non licèt, cùm id hostile, & abominandum sit. Nam, & Frater Romuli Remus occisus traditum ob id, quod muros transcendere voluerit, & *Modestin. in l.3. ff. de re mil. prope fin.* sic. Nec non & si quis vallum transcendat, aut per murum castra ingrediatur, capite punitur, & statim limitat, si transcendat fossam ibi. Si vero quis fossam transiuit, militia reijcitur, & *Bart. in d. l fin.* dicit quod illa pœna capitis tantum procedit in muris Vrbis Romæ, in alijs vero esse arbitrariam.

Bald. in l. Pergit C. de Sepulch. violat. dicit quod eadem pœna punitur violator fossarum, qua murorum, sed videtur contra prædictam *l.3.* & idem dicit in illo, qui fodit iuxta murum, vt murus cadat.

Muri Ciuitatis, vel castri, nec refici, nec de nouo construi posse sine Principis authoritate; inquit *Bart. in l. Opus ff. de oper. publ. per tex.* ibi. Publico vero sumptu opus nouum sine Principis authoritate fieri non licere constitutionibus declaratur, & probat *Modestin. in l.6. eod. tit.* sic dicens. De operibus, quæ in muris, vel portis, vel in rebus publicis, aut si muri extruantur Diuus Marcus rescripsit præsidem aditum consulere Principem debere.

De priuatis autem muris, & parietibus scies, quod debet refici murus, in quo seruitos debetur ad expensas eius, cui ser-

seruitus ipsa debetur, vt deducitur ex l. 8. vbi notat *Bart. ff. si seru. vendic.* inquit *Vlpian.* Sicuti autem refectio parietis ad vicinum pertinet, ita fultura ædificiorum vicini, cui seruitus debetur, quandiù paries reficitur, ad inferiorem vicinum non debet pertinere.

Sed videtur ipsemet *Vlpian.* sibi contrarius, dum *in l. Et si forte §. Etiam eod. tit.* dicit ita. Etjam de seruitute, quæ oneris ferendi causa imposita erit, actio nobis competit, vt & onera ferat, & ædificia reficiat ad eum modum, qui in seruitute imposita comprehensus est; & Gallus putat non posse ita seruitutem imponi, vt quis facere aliquid cogetur, sed me facere prohiberet. Nam in omnibus seruitutibus refectionem ad eum pertinere, qui sibi seruitutem asserat, non ad eum, cuius res seruiat. Sed præualuit Seruij sententia in proposita specie, vt possit quis defendere sibi Ius esse cogere aduersarium reficere parietem ad onera sustinenda. Quid dicendum? Videtur quòd hoc est alius casus, in quo ex obligatione facta in constituenda seruitute, sic deducebatur, vt teneretur dominus parietis seruientis ad expensas, prout colligitur ex verbis istius *tex.* ibi. In proposita specie, iuxta *l. Eum debere* 32. *ff de seruit. Vrb.* ibi. Nam cùm in lege ædium ita scriptum esset &c. propter quod ibi etiam dicitur, quod ad dominum parietis seruitutem debentis, pertineat eius refectio; & hanc responsionem videtur dare etiam *glos in d. §. Etiam Verbo. Proposita specie* ibi. Secus in alijs speciebus &c.

Parietem, qui naturali ratione communis est alterutri vicinorum, demoliendi eum, & reficiendi Ius non est; quia non solus dominus est, dicit *Caius in l. 7. ff. de seruit. Vrban.* Poterit tamen ex parte sua altius tollere, vt dicit *Vlpian in l. 8. eod. tit.* ibi, Cum eo, qui tollendo obscurat vicini ædes, quibus non seruiet nulla competit actio, & facit *l. Altius quidem ædificia tollere*, si dominus seruitutem non debeat dominus eius minimè prohibetur *C. de seruit. & aqua.* Fenestram verò aperire non poterit, vt per *Paul. lib. 3. respons. in l. 39. eod. tit.* ibi. Eos, qui Ius immitendi luminis non habuerunt aperto pariete communi nullo Iure fenestras immisisse respondi; & facit *l. In re communi*, nemo dominorum Iure seruitutis, neque facere quicquam inuito altero potest 25. *eod. tit. de seruit. Vrb.*

Mutatio.

Est, secundùm Philosophum 5. *Physic.* in eadem specie alteratio in magis, & minus. Quid erit ita stabile inter homines, vt nullam patiatur mutationē, cùm omnis noster status, sub perpetuo motu consistat? dixit *Imp. in Auth. de non alienan. §. vt autem coll.* 2. Velox enim est ad vtrumque mutatio, & ille vir fortis habetur, cuius sobrius erit animus in rebus quoque infeliciter gestis, vt idem scilicet maneat rectis consilijs peccata corrigens, ait Ioseph *de bell. Iud. lib. 4. cap. 1. num.* 30. Vnde dicitur illud vulgare. Sapientis est mutare consilium in melius, vt ponit *glos. Verbo Mutantis in l. Non numquam* 8. *ff. de collat. bon. per tex.* ibi. Prætor varietatem non repellit, & consilium mutantis non aspernatur.

Ex varietate personarum Ius, vel statutum statim mutari, inquit *glos. in l. Iusiurandum §. pen. ff. de iur. iu. per tex.* ibi. Forsitan ex diuersitate rerum, vel personarum quibusdam emergentibus, quæ varietatem inducunt. Nam & si nihil facilè mutādum est ex solemnibus, tamen vbi æquitas poscit, subueniendum est, dicit *l. Diuus* 8. *ff. de in integr. rest.*

Mu-

Mutatio status, quòd mutet contractum probat *l. Cùm quis 38. ff. de solut.* ibi. Tacitè enim hęc conuentio inesse stipulationi videtur, si in eadem causa maneat. Sed varietate status non mutabitur periculi causa, dicit *l. In eum §. si dominus ff. de inst. act.*

In deposito facto ad certum tempus, potest ante temporis aduentum reuocari mutando deponens voluntatem, iuxta *l. 1. §. Si sic ff. deposit.* ibi. Possum enim mutare voluntatem, & ante mortem meam depositum repetere, & ibi. *glos. Verbo mutare* sic. Nota quem posse mutare velle suum, sic *infr. mandat. Si quis alicui §. 1.* Sed arg. contra &c. Dic quòd post obligationem contractus nō licet mutare volūtatem circa id, quod est obligatus alteri, sed si deposui apud te pecuniam reddendam post tempus non sum tibi obligatus non repetere ante tempus, ideo possum mutare voluntatam.

Notabis etiam casum, in quo potest quis in contractu mutare voluntatem, in *l. Si sterilis §. vlt. §. ff. de act. empt.* ibi. Emptor primo anno maluit præstare decem, secundo anno habitationem præstare. *Trebatius* ait mutandæ voluntatis potestatem eum habere singulisque annis alterutrum præstare posse.

Propter paruam rem non debere aliquid mutari, inquit *glos. Verbo Summam in l. 4. ff. de in integr. rest. per tex.* ibi. Ne propter minimam sane rem (si maiori rei, vel summæ præiudicetur) audiatur is, qui in integrum restitui postulat.

Vbi autem res mutat statum, nulli restitutioni locus est, ait *glos. 1, in l. 2. ff. de in integr. rest.*

Mutatum dicitur, quod formam ammisit, vt inquit *glos. 1. in cap. 1. de consecr. Eccles. qui tex.* Loquitur de altari, quando mutatum dicatur, vt necesse habeat consecratione, & verba *glos.* sunt. Mutatum, quoad formam, ita quod formam amiserit per diminutionem, vel augmentum, cùm hæc sit forma rei.

Mutatio autem materiæ ad formam, non arguit legati mutationem est *tex. optimus* vbi notat *Bart. & alij in l. Seruum filij 46. §. Si pocula quis legauerit*, & massa facta sit, vel contra. Item si lana legetur, & vestimentum ex ea fiat, *Iulian. lib. 32.* digestorum scribit legatum in omnibus suprascriptis consistere, & deberi quod extat *ff. de legat. 1. vbi glos. Verbo. Consistere alia Iura.* Et addit prædictus *tex.* Quam sententiam puto veram, si modo testator non mutauerit voluntatem, sed à quo exigitur hæc probatio? Respondet *Celsus in l. Lucius Titius 22. ad fin. ff. de legat. 2.* ita. Nisi hæres ab hoc recessisse testatorem ostenderit, onus enim probandi mutatam esse voluntatem defuncti ad eum pertinet, qui fideicommissum recusat.

Probatur autem mutata voluntas, si testator solemnitates testamenti abstulerit, dicit *Imp. in l. Nostram 30. C. de testam.* ibi. Si quidem testator linum, vel signacula inciderit, vel abstulerit; vt pote eius voluntate mutata, testamentum non valere; sin autem ex alia quacumque causa hoc contigerit durante testamento scriptos hæredes ad hæreditatem vocari. Quod enim non mutatur, quare stare prohibetur? dicit *l. Sancimus 27. C. eod. tit.*

Insuper probatur etiam mutatio voluntatis in concedente ex mutatione status, vel morum eius cui conceditur, vt in *l. In confirmando 8. ff. de confirm. tut.* ibi. An durauerit patris voluntas, quod in facili est, si proximo mortis tempore tutores non Iure, vel curatores scripserit pater. Nam si ante annos, vt medio spatio potuerit facultatum tutoris, non Iure à patre dati, fieri diminutio, vel morum ante cellata, vel ignorata emerserit improbitas, aut inimicitiæ cum patre exarcerint, & *l. 9.* sic. Vel

cum fisco aliquem contractum damnosum miscuerit.

Mutare nomen an quis possit? habes Verbo. Nomen.

Mutilatio.

A Mutilo dicta, & est meri Imperij cùm sit pœna sanguinis, vt inquit *Bald. in Auth. sed nouo Iure in princip. C. de seru. fugit.* Vnde ab Ecclesiastico iudice non potest infligi pœna sanguinis ex vulgari tex. *in capit. In Archiepiscopatu de raptor.* ibi. Pecuniaria pœna poteris mulctare, & etiam flagellis afficere ea moderatione adhibita, quòd flagella in vindictam sanguinis transire minimè videantur. Si verò ita fuerit grauis excessus, quòd mortem, vel detruncationem membrorum debeant sustinere, vindictam reserues regiæ potestati, *vbi gloss. vlt.* sic. Reserues, cùm sis delegatus, si verò habes iurisdictionem temporalem, demandes eam alicui, cui hoc competat, quòd licèt secundùm Canones 23. *quæst.* 4. *illud.* Sed non secundùm leges, sequitur etiam *Bald. vbi supra num.* 1. & 2.

Infertur ex dictis mutilationem, facere irregularitatem contrahi, sicut occidere, nam ad hunc effectum æquiparantur, & probatur clarè *ex Clem. vnic. de homicid.* Si furiosus, (inquit *Clem.* 5.) aut infans seu dormiens hominem mutilet, seu occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurret. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare nõ valens, occidit, vel mutilat inuasorem.

Mutilatos, & monstruosos etiam irregulares esse dicit *Innoc. in cap. Prior de cleric. percuss. Abb. in cap.* 1. *ad fin. de corp. vitia.*

Mutus.

A Vt est natura, aut aliquo ex accidenti propter morbum, vt in *l.* 1. *C. qui test. fac poss.* quæ est in materia famosa, & ideo eam transcribere in totum duxi. Discretis (inquit Imp. Iustinian.) Surdo, & muto, quia non semper huiusmodi vitia sibi concurrunt: sancimus, si quis vtroq; morbo simul laboret, idest vt neque audire, neque loqui possit, & hoc ex ipsa natura habeat; vt neque testamentum facere, neque codicillos, neque fideicommissum relinquere, neque mortis causa donationẽ celebrare concedatur, nec libertatem, siue vindicta, siue alio modo imponere, eidem legi tam masculos, quàm fœminas obedire imperantes. Vbi autem, & huiusmodi vitij non naturalis, siue masculo, siue fœminæ accidit calamitas, sed morbus postea superueniens, & vocem abstulit, & aures conclusit; Si ponamus huiusmodi personam litteras scientem, omnia, quæ priori interdiximus, hæc ei sua manu scribenti permittimus. Sin autem infortunium discretum est, quod ita raro contingit, & surdis, licèt naturaliter huiusmodi sensus variatus est, tamen omnia facere, & in testamentis, & in codicillis, & in mortis causa donationibus, & in libertatibus, & in omnibus alijs permittimus. Si enim vox articulata ei à natura concessa est; nihil prohibet eum omnia, quæ voluerit, facere, quia scimus quosdam iurisperitos, & hoc subtilius cogitasse, & nullum esse exposuisse, qui penitus non exaudiat, si quis supra cerebrum illius loquatur, secundùm quod Iubenti Celso placuit. In eo autem, cui morbus postea superueniens, auditum tantummodo abstulit, nec dubitari potest, quin possit omnia sine aliquo obstaculo facere. Sin autem aures quidem apertæ

fuerit,

sint, & vocem recipientes, lingua autem eius penitus præpedita, licèt à veteribus authoribus sæpius de hoc variatum est; attamen si hunc peritum litterarum esse proponamus, nihil prohibet eum scribentem hæc omnia facere, siue naturaliter, siue per interuentum morbi huiusmodi infortunium ei accesserit, nullo discrimine, neque in masculis, neque in fæminis in omni ista constitutione seruandum.

Ex qua l. deducunt ibi. *Bald. & alij* quam plures, quòd mutus, & surdus natura, cùm mente carere præsumatur non potest matrimonium contrahere. Si vero ex signis demonstret se mente non carere, sed sensu percipere, quæ fiunt, poterit contrahere ex communi opinione fundata *in capit. Cùm apud 23. de sponsal.* Sanè, inquit Innoc. 3. consuluisti nos vtrum mutus, & surdus alicui possint matrimonialiter copulari? Ad quod taliter respondemus, quòd cùm prohibitoriũ sit edictum de matrimonio contrahendo, vt quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum, quarumque coniunctionibus agitur. Videtur quod si talis velit contrahere, sibi non possit, nec debeat denegari. Cùm quod verbis non potest, signis valeat declarare. *Et in cap. Tua 25. eod. tit.* ibi. Nam surdi, & muti per consensum mutuum sine verbis possunt contrahere matrimonium. Et iam dixerat Paul. Iureconsf. *in l. 76. ff. de Iur. dot.* in hæc verba. Mutus, & surdus, & cæcus dotis nomine obligantur, quia, & nuptias contrahere possunt.

Sed dubium insurgit quomodo poterit cõstare de signis, quod talis mutus intelligat? Ad quod respondet *Bart. in l. Mutum num. vlt. ff. de acquir. hered.* ita. Si quidem testes essent consanguinei, vel aliàs domestici sufficeret, quòd deponerent simpliciter se vidisse talem mutum facientem signã, & actus, per quæ, & quos significabat se velle &c. Tales enim personæ præsumuntur scire actus, & cõsuetudines muti, & ipsum intelligunt, *vt in l. Octaui gradus ff. Vnde cogna.* ibi. Cùm patruum surdum fuisse contenderet &c Verisimile non videbatur tam coniunctum sanguine defuncti valetudinem ignorasse, coniuncta *l. De tutela 7. C. de in integr. rest.* ibi. Ignarum ætatis tuæ non fuisse tam officium tutelæ, quàm sanguinis proximitas arguit.

Stipulatio non potest concipi, nisi vtroq; loquente. Et ideo neque mutus, neque surdus, neq; infans stipulationem contrahere possunt, ita *Vlpian. in l. 1. ff. de verb. oblig.* Quod quidem videtur debere intelligi de muto, qui nihil intelligit; nam talis infanti æquiparatur, iuxta *l. seruo inuito 65. §. Si pupillo infanti ff. ad Trebell.* ibi. Si quidem in eo, qui fari non potest, non magis ea res impedietur, quàm in muto pubere; & ibi. Sed & infanti non dubito omnino subueniendum &c. & ad fin. ibi. Quo exemplo; & mutus, qui nihil intelligere potest, per curatorem adiuuatur, vbi etiã notat *Bart. vide Alex. in d. l. 1.* vbi dicit, quod quando mutus non habet vllum intellectum infanti æquiparatur, aliàs si aliquem habeat, pupillo: Sed maiori, si perfectum. An autem in omnibus istis casibus curatore indigeant. Vide *Bart. in l. Cui eorum ff. de postulan. text.* vero dicit dari solere ad fin. ibi. Cæterorumque quibus dari solent; idest, muto, surdo, prodigo, & adolescenti; Licèt in *l. 2. ff. de bonor. possess. fur.* nihil dicatur de curatore. Sed simpliciter ita. Mutus surdus, cæcus bonorum possessionem admittere possunt si quod agatur, intelligant; & confirmatur *ex d. §. Si pupillo* dum in principio dicit muto pubere volente, scilicet intellectum habente, nihil de curatore ibi adhibendo loquitur, & tamen in fin.

agens de muto nihil intelligente, addit; per curatorem &c.

Mutus, & surdus donare non prohibentur, dicit *Hermoginian. in l. Qui id quod 34. §. Mutus ff. de donat. vbi Bart. in summario* intelligit iuxta distinctionem factam *sup. in princ. d. l. Discretis;* & *glos. Verbo. Non prohiberetur* sic ait. Et intellige hoc, cùm infortunium est discretum; vel concurrit casu tamen; quia si à natura sit simul surdus, & mutus inter viuos donare nõ potest; quam glos. exclamant singularem *Rom. & Alex. in d. l. Discretis* ad hoc, quod distinctio illius legis habet locum in contractibus.

Quid in feudis? Inuenies *tex. in cap. Vnic. §. Quin etiam versic. mutus Episc. vel Abba. in vsib. feud. tit. 6. lib. 1.* vbi sic. Mutus feudum retinere non potest; scilicet qui nullo modo potest loqui, & non declarat de quo muto si à natura, vel ex accidenti, & licèt ibi *glos.* quærat hoc, non resoluit expressè, sed dat intelligere, quod sine distinctione intelligendum sit de omni muto, cùm dicat, quod mutus surdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus seruire feudo non possunt. Sed in hoc adhuc dubium erat, & quidam dicebant, quod etiam si natus esset mutus, hoc est à natura; poterat retinere feudum; alij vero contra, *vt in cap. vnic. tit. 36. libr. 2.* sic. Mutus, & surdus, vel aliter imperfectus, etiam si sic natus fuerit, totum feudum paternum retinebit, *Obertus, & Gerardus,* & multi alij. Quidam tamen dicunt eum, qui talis nãtus est, feudum retinere non posse, quia ipsum seruire non valet. Sic dicimus in clerico, & in fœmina, & in similibus. Tu sequere quod melius tibi videbitur. *Bald.* tenet quòd non *in d. capit. Vnic. proximè relato.*

Mutum nec non surdum etiam ita natos pro hærede gerere, & obligari hæreditati posse constat, ait *Vlpian. in l. 5. ff. de acquir. hæred. vbi glos. Verbo Hæreditati* sic reddit rationem, quia in aditione non desideratur nisi voluntas declarata, perfectum est enim opus si intelligat, quid agat &c. Item potest iussu domini adire, aut alium adire iubere; nam iussum interponere potest, si intellectum habeat, vt in *l. Pater 93. §. 1. eod. tit.* ibi. Mutus pater, vel dominus filio, vel seruo hæredibus institutis, magis est, vt si intellectu non careat, nutu iubere possit adire hæreditatem. Non poterit autem interponere authoritatem; iuxtà *l. 1. §. Mutus* tutor dari non potest quoniam authoritatem præbere non potest *ff. de tutel.* Et licèt videatur in contrarium *l. Mutus ff. de procurat.* vbi potest esse procurator ad negotia, est tamen diuersa ratio in tutore; cùm ad interponendam authoritatem requiratur loquella, vt tenet *Bart. d. §. Mutus num. 1.* Adeo vt nec legitimus tutor esse possit, *vt in l. pen. in fin. ff. de legit. tut.*

Tandem ne prolixior sim, si cupis in specie scire quos actus possit mutus facere, & quos non vide *Ioann. Andr. & doct. in cap. Cum apud de sponsal.*

Mutuum.

IDeo appellata est mutui datio, quod de meo tuum sit, dicit *Paul. Iurecons. in l. 2. §. Appellata ff. si cert. pet.* Consistit autem in his rebus, quæ pondere, numero, mensura ve consistunt, quoniam eorum datione possumus in creditum ire: quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem magis, quàm per speciem. Nam in cæteris rebus ideo in creditum ire nõ possumus, quia aliud pro alio inuito creditore solui non potest, idem *Paul. sup. §. Mutui datio.*

Creditum ergo à mutuo, eo differt, quo genus à specie. Nam creditum consi-

stit

sit extra eas res, quæ pondere, numero mensura ve continentur, sicuti si eandem rem recepturi sumus, creditum est. Item mutuum non potest esse, nisi proficiscatur pecunia. Creditum autem fit etiam si nihil proficiscatur, idem *d. l. 2. §. Creditum, vbi gloss. vlt.* dicit. Mutuum aliud naturale; aliud ciuile, cui ciuili natura cooperatur. Aliud ciuile tantum. Naturale, vt quando res mea ad te peruenit, in qua potest mutuum consistere, & de hoc dicitur *in l. Mutuum sup. eod.* Mutuum ciuile, cui natura fauet, vt si post factum vel etiam ante, in continenti stipulor reddi: quo casu stipulatio est vtilis, & ex ea agitur, non ex numeratione, *vt inf. de nouat. l. Si ita fuero stipulatus §. fin. & l. seq. &c.* Ciuile tantum, vt in chirographo, ex quo obligatur, quis post biennium, *vt C. de non num. pecu. l. In contractibus in princ.*

Dicitur autem mutuum contractum, si pecunia ad vsum detur, vt deducunt *doct. ex l. certi 9. §. vlt. ff. si cert. pet. per tex.* ibi. Deposui apud te decem, postea permisi tibi vti Nerua, & Proculus, etiam antequam moueantur, condicere quasi mutua, tibi hæc posse aiunt, & est verum, vt & Marcello videtur, animo enim cœpisse possidere. Ergo transit ad eum periculum, qui mutuum rogauit, & poterit ei condici coniuncta *l. Rogasti me 11. eod. tit.* vbi bonus tex. distinguens super periculum in eo casu ad quem pertineat.

Nota quod alius contractus in causam mutui potest conuerti, vt tenet *glos. vlt. in l. singul. 15. ff. eod. tit. si cert. pet.*

Ciuitas mutui datione obligari potest, si ad vtilitatem eius pecuniæ versæ sunt; alioquin ipsi soli, qui contraxerunt; nō ciuitas, tenebuntur; *l. 27. eod. tit. vbi glos.* sic. Idem dici debet in quibuslibet omnino collegijs. Quomodo autem probetur versum in vtilitatem, tractat ibidem *Bart.*

In mutuo Ecclesiæ facto sic disponit *Auth. de alien. & emph. §. 1. coll. 9.* Neque ipsum creditorem, aut hæredes eius contra venerabilem domum habere aliquam pro ipsis actionem, nisi monstrauerint, quod in vtilitatibus venerabilis domus competentibus profecerunt, *& glos. in hoc Verbo* sic. Nota credentem Ecclesiæ debere probare in vtilitatem Ecclesiæ versum, vt hic. Sic credentem minori, & si non probetur, non competit repetitio, quia minor læsus præsumitur ex eo, quod ei datur restitutio; optima *l. 1. C. Si aduers. cred. rest.* vbi Antonin. Pius in hæc verba. Cum & ipse profitearis cū Zenodora minore viginti quinque ann. te contraxisse, nec doceri potuisse prætorem virum clarissimum ex eo contractu locupletiorem eam esse factam; intelligis eam meritò in integrum restitutam.

Quæro vtrum in dubio præsumatur facta conuersio, & vtrum sufficiat confessio prælati cum toto capitulo? *& glos. in Auth. Hoc Ius C. de Sacros. Eccles.* respondet quod sic, & altera *glos. in l. vlt. C. ad Maced.* in casus positione, ita ait; quod si prelatus accepit pecuniam mutuo, videtur eam conuertere in vtilitatem Ecclesiæ. *Bald. autem in d. Auth. num. 22.* sic. Ego dico, quod huic confessioni statur, si concurrant coniecturæ aliquæ cum confessione, puta quod monachi nihil habebant de frumento, vel erant nudi, nunc verò apparet, quod vixerunt de frumento, & sunt vestiti.

Petitionem eius pecuniæ non impedit, quæ filio fam. studiorum, vel legationis causa alibi degenti, ad necessarios sumptus, quos patris pietas non recusaret, credita est, inquit *l. Macedoniani 5. C. ad Maced.* Idem dicendum est si filius fam. solitus erat mutuas accipere pecunias, & pater soluebat, vt habes *verbo Filius.*

Qui accipit mutuum seruus est, inquit *glos. Verbo Clientes in l. 3. C. de nouat. & vsr.*

verbo. *Non accipere in l. Fideicommissa 11. §. Si rem ff. de legat. 3. idem glos. 1. in addit. reg. cum sunt de reg. iur. lib. 6.* Qui mutuum accipit seruus est fænerantis.

Cùm quid mutuum dederimus, & si non cauimus, vt æquè bonum reddatur nobis, non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere, veluti vinum nouum pro vetere. Nam in contrahendo, quod agitur, pro cauto habendum est. Id autem agi intelligitur, vt eiusdem generis, & eadem bonitate soluatur, qua datum est, ita inquit *Pomp. lib. 27. ad Sabin. in l. 3. ff. si cert. pet.* quod intelligitur de bonitate intrinseca, & si mora in soluendo committatur, etiam est intelligendum de extrinseca, iuxta *l. vinum 22. eod. tit.* cum traditis ibi per *glos. Verbo. Cùm petitum esset* ibi. Sed dic, quod ibi bonitas intrinseca consideratur secundum tempus dati mutui; non extrinseca scilicet quantum valeat; vide eam, quia longa est.

Nota quod si mutuatur pecunia ad certum vsum, non potest repeti non finito illo vsu, secus si ad nullum vsum, sed simpliciter, quia tunc in continenti potest peti, vt deducitur ex *glos. vlt. in l. si pœnam 68. ff. de verb. oblig.* quam sequitur *Bald. in l. 2. in fin. C. commoda.* & dicit menti tenendum; sed *Bart. in d. l. Si pœnam in fin.* tenet contrarium *per glos. vlt. in l. pen. C. commodat.* ibi; Aut si tempus non est expressum, agam cum diù est in solutione cessatum. Et hæc verior videtur sententia, ex ratione *l. In commodato 17. §. Sicut ff. commoda.* ibi beneficiũ tribuit; si ergo posset statim repeti mutuum, nullum tribueret beneficium; ergo. Et sufficiant hæc de mutuo. Alia dices Verbo Vsura.

DE LITTERA N.

Natales.

Erant scripturæ cum annis Domini, & præconizatæ, quæ dicebant Lucium esse natum, & ingenuum, & deinceps, sic erat, nisi tunc cõtradiceretur, ita ponit *glos. pen. in §. vlt. de ingen. in Inst.* & prosequitur sic. Vnde & in legendis Sanctorum intitulatur Natale Sancti Nicolai, quando moritur, quasi tunc nascatur numquam moriturus; & scribuntur gesta in vita. Vel dic quod Natale appellatur prima natiuitas, quæ est de Iure naturali, & omnem hominem dicit esse liberum. Vnde bene dicitur seruus iste restituitur natalibus idest illi libertati quã habet de iure naturali *l. 2. ff. de natal. rest.* Quod autem Natales Sanctorum sũt dies martyriorum ipsorum, probat *glos. in cap. Non licet 33. quæst. 4. Verbo. Natales.* ibi. Natales vocantur martyrum, passionum dies: quia in eis nascuntur ad vitam, & moriuntur mundo; est etiam *glos. Verbo. Natalis in l. Cum quidam 23. ff. de ann. legat.* ibi. Natalis, idest tali die, qua natus fuit &c. Vel dic quasi decessit, quasi nunc nascatur ad gloriam, vt sit de natiuitate Sanctorum.

Restitutio natalium plenam tribuit ingenuitatem, vt dicit *glos. Verbo. Præmandans in Auth. quib. mod. nat. fil. effic. leg. §. Si quis sane coll. 6. per l. 2. ff. de na-*

natal. rest. ibi. Si libertinus. à Principe natalibus suis restitutus fuerit; illis enim vtique natalibus restituitur; in quibus initio omnes homines fuerunt, non in quibus ipse nascebatur &c. Et hic enim quantum ad totum Ius pertinet proinde habetur, ac si ingenuus natus esset.

Neq; Natales tui licèt ingenuum te probare possis, neque honores, quibus te functum esse commemoras, idoneam probationem pro filiæ tuæ ingenuitate continent; cum nihil prohibeat, & te ingenuum, & eam ancillam esse; ita *l. 10. C. de probat.* De qua ibi videas *Bald.*

Natura.

MVltis modis dicitur; quandoque natura dicitur vis insita rebus, similia de similibus procreans. Secundo modo dicitur natura, quidam stimulus, seu instinctus naturę ex sensualitate proueniens ad appetendum, vel ad procreandum, vel ad educandum. Tertio modo dicitur instinctus naturæ ex ratione proueniens, & Ius ex tali natura proueniens, dicitur naturalis æquitas, & secundum hoc Ius naturæ, dicuntur omnia communia, idest communicanda tempore necessitatis. Quarto modo dicitur Ius naturale præcepta naturalia, hoc est non furtum facies. & similia, vt ita ponit, & probat *glos. verbo. Ius naturale in capit. Ius naturale dist. 1.*

Bald. vero in l. vnic. §. libertatibus C. de cad. toll. ita ait. Quarto quid est dictum propter sui naturam? Respondeo propter statutum legis, quod naturaliter inest ipsi legato, sic *ff. de pact. l. Si vnus vers. quod & in specie*. Item dicitur natura cuiuscumque rei primordium, per quam vnumquodque habet suum proprium esse, *vt in cap. 1. de nat feud.* Item quandoque natura ponlent pro æquitate, *vt ff. de cond. indeb. l. Nam hoc natura*. Item quandoque ponitur pro cursu rerum naturalium, iuxta illud.

Natura nouas deproperat edere formas.

vt in l. 2. ff. de veter. iur. ennel. Itē dicitur natura Ius sanguinis, *vt ff. de pact. l. Ius agnationis*, Item dicitur natura motiua naturæ, quæ animantibus insunt, vt *l. 1. ff. de iust. & iur.* Item dicitur natura Ius immutabile, *vt de iur. nat. §. Sed naturalia in Inst.*

Et secundum ipsum *Bald. in l. vnic. num. 13. C. de sent. quæ pro eo, quod inter.* definitur, Natura est ipsarum rerum vis, ac potestas, seu proprietas, sicut dicimus, quod proprium, & naturale hominis est risibile, & secundum *Philosoph 2. Physic.* Natura est principium, & causa motus in eo, in quo est, per se, & non secundùm accidens; & ipsa attenditur, & non accidens. vt deducitur *ex §. Pauonum de rer. diu. in Inst.* Pauonum quoque fera natura est, inquit, nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine euolare, & reuolare solent. coniuncta *glos. ibidem Verbo. Talis regula* in illis verbis Item fera naturaliter, sed accidentaliter mansueta; licèt in casu *l. 1. §. Bestias autem ff de postul. verbo. Ex feritate* dicat accidens magis, quam natura inspicitur; vide *Bart. in l. vlt. ff. de offic. procons. & in l. Si quis posthumos ff. de lib. & posthum.*

Dicitur etiam natura rerum, *vt in §. pen: de verb. oblig. in Inst.* ibi, Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licèt apud nos incerta sint, *vbi glos. verbo. Naturam*, duplicem esse inquit, in hunc modum. Aliud est esse certum per rerum naturam, idest per naturalem cursum naturæ, per quam sola preterita, & præsentia sunt certa, & ita hic accipitur,

Et

Et etiam illa futura certa sunt, quæ non habent se ad vtrumlibet, vt si moriar &c. Et aliud est in natura rerum, idest in scientia Dei, in qua omnia, quæ sunt, vel fuerunt, vel futura sunt, teste *Boetio*, tamquam præsentia sunt. Et dicitur prima natura naturata; sed secunda natura naturans, quod idem est, quod ipse Deus; de hac vltima idem dicit *glo. in §. 1. verbo Ius naturale de iur. nat. in Inst.* ibi. quod natura idest Deus, licèt in eo tex. non sit intentio, vt de hac intelligatur, sed de ea natura, seu virtute insita cuilibet, vt ibidem notat *Apostill.* natura actionum etiam dicitur, vt dicit *Apostill. ad l. Sed & si 12. §. vlt. ff. de eo quod met. cau.* ibi. Nota tex. secundum Bald. quod semper est ponderanda natura actionis, & sicut quælibet planta, & quodlibet animal habet suam naturam; ita quælibet actio à Iure sibi datam.

Natura etiam consuetudo dicitur, quæ altera natura est, vt ait *glos. Verbo. Natura in l. 1. ff. ad Macedon.* & allegat *l. Si quis posthumos 1. responso ff. de lib. & posthum.* & in contrarium *l. 2. §. Item varus ff. de aqua plun.*

Cognationem inter nos constituit natura, inquit *glos. Verbo. Humanitatis ratione in l. Non tantum 6. ff. de appellat.* quod deduxit à Florentino *in l. 3. ff. de iust. & iur.* ibi. Cum enim inter nos cognationem quandam natura constituat, hominem homini insidiari nefas esse.

Curam nobis nostri natura mandauit, sed huic vbi minimum indulseris, vitium est; voluptatem natura necessarijs rebus admiscuit, vt non illam peteremus, sed vt ea, sine quibus viuere non possumus, gratiora nobis illius faceret accessio dixit *Senec epist. 117. & in epist. 22. in fin lib. 3.* dicit quòd ipsa conqueri debet de nobis, & dicere. Quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui &c. quales intrastis, tales exite, vt iam *sup. Verbo. Mors.* Et *glos. Verbo. Placet in Clem. vnic. de haretic.* dicit. Dedit nobis multas natura blanditias, quas plerumque virtus cohibet, & portat illud Ouuid.

Est virtus placidis abstinuisse bonis.

Nota non licere accusare naturam, inquit *glos. Verbo. Totos in l. Maximum vitium C. de lib. prater. per tex.* ibi. Quasi naturæ accusatores existunt, idem *glos. Verbo. Filijs in Extrauag. vnic. de praben.*

Commune votum naturæ est, quod vult potius descendere, quàm ascendere, inquit *glos. Verbo. Parentibus in Auth. de hered. ab intest. ven. §. 1. coll. 9.* Respondens ad dubiū, quod excitat, quare scilicet non succedit pater filio, vna cum filio eius filij mortui, cum vterq; sit in primo gradu.

Naturalia Iura ciuilis ratio perimere non potest, dicit *Imper. in §. Minus ergo de hered. quæ ab intest. in Inst. & Caius in l. 2. §. 1 ff. de vsufr. ear. rer.* sit. Nec enim naturalis ratio, authoritate Senatusconsulti mutari potuit. Vnde notauit *glos. vlt. in l. Iulianus 26. ff. si quis omiss. cau. testa.* quod propter naturam aliud statuitur in ea lege ad finē quam statutum fuerat in principio, & verba finalia *d. l.* ita se habent. Quia nemo filiæ patrem contra votum parentum substituere videtur, nam vt inquit *glos. prædicta*; Natura ita ordinauit quod liberi parentibus secundùm suum votum succedant.

Hoc est naturale, quod res plus perseueraturas, quis plus diligit, ait *glos. vlt. in l. Isti quidem ff. quod met cau.* Et tamen natura properat nouas edere formas, & multis vtitur nouitatibus, vt dicit *glos. Verbo Natura per tex.* ibi. ad naturæ varietatem, & eius machinationes *in Auth. quib. mod. nat. coll. 6. & in §. Si quis sanè* ibi. Multæ namque sunt

sunt naturæ varietates, & in *Auth. de consang. & vter. fratr. sad. coll. 6.* ibi. Multis vndique natura nouitatibus vtens.

Humana natura quodammodo labitur ad delicta, dicitur in *Auth. de Monach. §. 1. post. med. coll. 3.* Vnde dixit *Ioseph. lib. 5. de antiq. cap. 10. ad fin.* de Sansone hæc. Nam quod à muliere deceptus est, humanæ infirmitati imputari conuenit pronæ ad huiusmodi vitia.

Sed quia humanæ naturæ est, & ea, quæ in desuetudinem ducuntur abhorrere, & consueta magna custodia diligere, flagellis tribulationem mali sunt cohibendi à malo, & prouocandi ad bonum, vt dum timore pænæ malum in desuetudinem ducitur, abhorreatur; bonum vero ex consuetudine dulcescat, inquit *cap. vlt. iuxta fin. 23. quæst. 6.*

Humanæ naturæ infirmitatem esse, quod nemo constans in amore, sed etiam si manifesto diuino suffragio felicitas cótingat, tamen alios sibi præferri iniquè, & inuidè ferat, dixit *Ioseph. 6. de antiq. cap. 5. lin. 10.*

Requirit natura requiem, tamen captanda est hora congrua. Vnde *Senec.* Quies tibi sit, non desidia. *Ouuid. sine tit.*

Stulte quid est somnus gelida, nisi mortis imago
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

ita affert *glos. Verbo. Somno in cap. Dolentes 9. de celebr. miss.*

Quando nihil inter partes conuenit tunc, & præstabuntur, quæ naturaliter insunt huiusmodi iudicij potestate, dicit *l. Exempto 11. ff. de act. empt.*

Natus.

EVm accipe, & si ex secto ventre editus sit, ita *Vlpian. in l. Quod dicitur 12. ff. de lib. & posth.* Quid tamen si non integrum animal editum sit, cum spiritu tamen? quærit ibidem *Vlpian.* & idem esse respondet. Talis etiam posthumus dicitur, *vt in l. Posthumos in fin. ff. de inof. testam.* ibi. Simili modo, & eum, qui post testamentum matris factum, ex secto ventre extractus est, & legitime natum esse dicit *Bald. in l. vlt. C. de suis, & legit. num. 8.* de quo ad quæstionem feudi, & emphyteosis sumptæ pro se, & filijs legitimè nascituris. Vide etiam *Paul. de Castr. in d. l. Quod dicitur. Bald. & Alex.*

Natus, & statim mortuus pro nó nato reputari, dixit *glos. Verbo. Non admittantur in capit. Vnic. Episc. Abbat.* vel. in *lib. 1. feud.* ibi. Nisi fortè masculus subito post mortem patris mortuus sit, quasi non videatur extitisse, cùm non perseuerauerit, vbi allegat *l. Posthumos 12. ff. de iniust. rupt. sed Bald. in l. vnic. §. In nouissimo num. 5. C. de cad. toll.* intelligit hoc speciale esse in feudis in alijs verò contrarium est. Qui autem mortui nascuntur, neque nati, neque procreati videntur, quia nunquam liberi appellari poterunt, *vt in l. 129. ff. de verb. sig. dixit Iureconsul. Paul.* à quo deducit *glos. 1. in l. Posthumo præterito 11. C. de collat.* ibi. Sed si mortuus nascatur non nocet.

Natis vno partu masculo, & fœmina, ille prior natus præsumitur, quando contrarium non apparet, vt per *Vlpian. in l. Si ita fuerit 11. §. Plane ff. de reb. dub.* ibi. Sin autem hoc incertum est, nec potest per subtilitatem iudicialem manifestari &c. quasi per præsumptionem priore masculo edito; vbi notabis cum *Bart.* quòd hic præsumptio est ita, pro-

pter fauorem libertatis taliter, quod si in casu istius tex. fuisset in conditione posita, si fœmina prius nascatur, præsumeretur ipsa prior nata fauore libertatis, sed in alijs casibus, in quibus non est fauor libertatis, tunc præsumerem prius natum masculum, vt de facto accidit, & ita concludit *Bart.*

Est notabilis *tex. in capit. Cùm multa* 15. *quæst.* 8. dum natum ex clerico in sacris habet pro filio, seu seruo Ecclesiæ in hæc verba ad fin. Proles autem aliena pollutione nata, non solùm hereditatem numquam accipiet, sed etiam in seruitute eius Ecclesiæ, de cuius Sacerdotis, vel ministri ignominia nati sunt, Iure perenni manebunt, sed *glos. ibidem verbo Connubio* sic ait. Quicquid tamen hic dicatur cum Ecclesia non sit Iure isto vsa, perdit Ius istud, sicut, & illud, quod possit exigere pœnam sacrilegij, *vt* 17. *quæst.* 4. *cap. Quisquis* Alia iam supra dicta sunt Verbo *Filius*.

Naufragium.

IN eum, qui ex naufragio, vel incendio cœpisse, vel in his rebus dampni quid dedisse dicitur, intra annum vtilem ei, cui res abest, quadrupli post annum in simplum actionem proditam, præter pœnam olim statutam edicti forma perpetui declarat, sic *Imp. in l.* 18. *C. de furt.* & *glos. ibi Verbo statutam* sic. Pœnam intellige criminalem, de qua dicitur *ff. de incend. ruin. naufrag. l. Pedius*; idem etiam tenet *Bald. in d. l.* 18. quæ fuit deducta *ex l.* 1. *illo tit ff. de incend.* & ipsam dispositionem ampliat *Paul. Iurecons. in l.* 4. *eo tit.* sic. Pedius posse dici etiam ex naufragio rapere eum, qui cùm non dum naufragium fiat in illa trepidatione rapiat. Et de his, quos sic diripuisse probatum sit, vt de latronibus pronunciari posse sententiã, dicitur *in l. Nequid eod. tit. vbi* per totum de hac naufragij materia.

Si vis scire quomodo naufragium probetur, audi *Impp. in l.* 2. *C. de naufrag. lib.* 11. Si quis, inquiunt, nauicularius naufragium se sustinuisse affirmat, prouinciæ iudicem, eius videlicet, in qua res agitur, adire festinet, ac probet, apud eum testibus euentum, relatioque etiam ad sublimissimam referatur præfecturam, ita vt intra anni spatium veritate reuelata competens dispositio procedat. Quòd si per negligentiam præfinitum anni spatium forsasse claudatur, superuacuas, serasque interpellationes emenso anno placuit non admitti.

Et in *l.* 3. *eod. tit.* sic. Quoties abrupta, vel submersa fluctibus naui examen adhibetur competentis iudicis, duorum, vel trium nautarum quæstione habita, cæteri ab huiusmodi nexu liberentur. Quid est enim, quod non abundè intra præfinitum numerum solers quæsitor inueniat? Circa magistros nauium, quibus est scientia plenior, immoretur, qui si fatali sorte defuerint, in alios inquisitio transferatur. Sanè si vniuersos violentia tempestatis obruerit, ne veritas lateat, à liberis nautarum, siue magistrorum intra iudicia constitutis super eorum quæratur interitu, quos nauicularius naufragio perijsse contendit.

Nauis, & Nauta.

AD Summam Reipublicæ nauium exercitio pertinet, inquit *l.* 1. *§. Si is, qui nauem ff. de exercit. act.* idest ad summam vtilitatem Reipublicæ explicat ibidem *glos.*

Si necessitas exigit possunt naues capi ad nauigandum, verum non omni tempore, sed infra constitutum *in l.* 3. *C. de naufrag. lib.* 11. *ad fin.* ibi. Susceptionis an-

autem necessitas ex Calend. Aprilis in diem Calendarum Octobris mensura seruabitur; quia est aduersum ab Octobri, vsque ad Aprilem nauigare, vt inquit *glos. Verbo. Nauigatum in l. Quo petitorio 37. §. 1. ff. de reiuendic. & l. Ciuitas 6. C. de offic. rect. prou.* sic. Quoniam tempore hyemis nauigatio sæpè periculosa est, & semper incerta; coniuncta *glos. pen. in d. l. 3.* ibi. Aestas ad Aprilem vsque ad Octobrem, quo tempore est nauigandum, non postea. Verùm his nostris temporibus, nec tunc, nec vmquam nauigari potest, propter piratas, qui non solùm inimicos, sed etiam colligatos, & amicos; & ipsosmet domesticos, Iure omni violato, spoliāt; cur ergo si fidem frangunt, eis non frangitur fides?

Et quid dicam de ipsis nautis? Dicat *Vlpian. in l. 1. ff. naut. caup. stabular.* qui omnes pari passu ambulant, ait enim ita. Maxima vtilitas est huius edicti; quia necesse est plerumq; eorum fidem sequi, resque custodiæ eorum committere. Nec quisquam putet grauiter hoc aduersus eos constitutum; nam est in ipsorum arbitrio, ne quem recipiant. Et nisi hoc esset statutum, materia daretur cum furibus aduersus eos, quós recipiunt coeundi; cum ne nunc quidem abstineant huiusmodi fraudibus, *& in l. 3. eod. tit. vbi idem Vlpian.* dicit quod Pomponius miratur cur etiam honoraria actio sit inducta contra nautas, cum sit ciuilis; nisi fortè, inquit, ideo vt innotesceret prætor curam agere reprimendæ improbitatis hoc genus hominum.

Quantum attinet ad intentandam actionem contra nautas super rebus ablatis in naui, non intelligas omnes nautas teneri; sed tantùm nauis exercitorem, *vt in d. l. 1. §. Qui sint ff. naut. caup.* ibi. Nautam accipere debemus eum, qui nauim exercet, quamuis nautæ appellentur omnes, qui nauis nauigandæ causa in naui sunt, sed de exercitore solummodo prætor sentit, nec enim debet, inquit Pomponius, per regimen obligari, sed per se, vel nauis magistros, quamquam si ipse alicui è nautis committi iussit, sine dubio debeat obligari. Quando autem nauta ex factis seruorum, vel famulorum suorum teneatur, supra dictum extat, *Verbo electio.*

Si nauis tua impacta in meam scapham damnum mihi dedit, quæsitum est, quæ actio mihi competat? Et ait Proculus, si in potestate nautarum fuerit, ne id accideret, & culpa eorum factum sit, lege Aquilia cum nautis agendum, quia parùm referret nauim immittendo, aut gubernaculum à naue ducendo, an tua manu damnum dederis; quia omnibus his modis damno per te afficior; ita *Vlpian. in l. Quemadmodum 29. §. 1. vers. si nauis ff. ad l. Aquil.* & prosequitur; sed si fune rupto, cùm à nullo regeretur; nauis incurrisset, cum domino agendùm non esse; & sequent. versiculis alios casus damni nauis ponit, & resoluit.

Scapha vero nauis, non est instrumentum nauis. Etenim mediocritate non genere ab ea differt. Instrumentum autem cuiusque rei necesse est alterius generis esse; ita *l. vlt. ff. de fund. instr.* Vnde benè dixit *Bald. in l. 3. C. de nau. fen.* quòd confiscata naui, Scapha non intelligitur confiscata.

Nauis æquiparatur vrbano, non rustico prædio, prout dicit *Bald. in l. Certi iuris num. 10. C. locat.* nec aliud allegat, quàm argumentum ex *l. 1. §. Si quis de naue ff. de vi, & vi arm.* quod quidem argumentum mei intellectus, tarditas adhuc non cæpit, nam *tex.* ille dicit, quòd si aliquis de naue, vi deiectus est, illi interdicto de vi locus non est ob rationem in versiculis antecedentibus datam, scilicet, quòd solùm competit eis, qui de re solo cohærentes deijciuntur, & non de re mobili, quomodo ergo

intrat argumentum à *Bald.* factum, vt æquiparetur nauis Vrbano prædio? Si dicas posse formari dictum argumentum ex verbis *d. §. Si quis de naue* ibi, argumento eius, qui de vehiculo deiectus est; adhuc stat dubium, quia vehiculum, tam aptatur prædio vrbano, quàm rustico, *vt in §. 1. de seruit. rust. in Inst.* Benè verum est, quod *Bald.* loquitur in terminis tacitæ hypothecæ, quæ fit per illationem, & inuectionem rerum in prædium conductum, & ad hunc effectum ait, quòd nauis æquiparetur prædio vrbano, ad hoc, vt inuecta, & illata in eam sint tacite hypothecata pro mercede, seu naulo siue ea sciat, siue non nauis exercitor esse illata; sed non probat, quare potius vrbano, quam rustico prædio æquiparetur nauis. Sufficit tanti viri authoritas, cũ videris, cùm non sit meum amplius disputare.

Eadem dicitur nauis, quæ destructa reficitur, eadem carina manente, vt dicit *Bart. per tex. in l. Quod in rerum 24. §. fin. ff. de legat. 1. vbi sic inquit Pompon.* Et si nauem legauero, & specialiter eã adscripsero, eamque per partes totam refecero, carina eadem manente, nihilominus rectè à legatario vendicabitur.

Nauim conduxi, vt de prouincia Cyrenensi Aquileiam nauigaret &c certa mercede; sed euenit, vt onerata nauis in ipsa prouincia nouem mensibus retineretur, & onus impositum commisso tolleretur. Quæsitum est an vecturas, in quas conuenit à conductore secundum locationem nauis exigere possit? Respondi, inquit *Scæuola*, secundùm ea, quæ proponerentur, posse *in l. pen. §. Nauem ff. locat.* Sed aduerte, quòd hic fuit culpa conductoris, vt notat ibidem *Bart.* quæ si non adesset, contrarium Videbatur dicendum.

Non prætereamus in materia nauis, & nautarum *Vlpian. in l. 5. & 6. ff. qui pot. in pig.* vbi creditor posterior ad reficiendam nauim, præfertur priori. Interdum, inquit, posterior creditor potior est priore, vt puta si in rem ipsam conseruandam impensum est, quòd sequens credidit; veluti si nauis fuit obligata, & ad armandam eam, vel reficiendam, ego credidero. Huius enim pecunia saluam fecit totius pignoris causam; Quod poterit quis admittere, & si in cibaria nautarum fuerat creditum, sinè quibus nauis salua peruenire non poterat. Item si quis in merces sibi obligatas crediderit; vel saluæ fiant, vel vt naulum exoluatur, potior erit, licèt posterior sit; nam & ipsum naulum potius est.

Necessitas.

NOn habet legem, vt vulgariter dicitur, & probatur *ex l. 1. C. de oper. libert.* ibi. Nisi quando propter inopiam pro alimẽtis id extra ordinem peti necessitas suaserit *glos. Verbo. Expedire in l. vnic. ff. de Senator.* ibi. Et sic nota, quòd necessitas non habet legem, idest, cessat lex vbi venit necessitas, vbi alia affert iura; & infra in discursu. Vnde necessitas, quam plura habet priuilegia, vt *in l. pen. in fin. C. de fideiussor.* ibi: Multis enim priuilegijs propter publicas necessitates &c. quorum aliqua ponimus.

In necessitate omnia esse communia etiã vulgarissimum est, & probat *glos. per tex. ibi. in l. 2. §. Cum in eadem Verbo: conferret ff. ad l. Rhod. de iact.* ibi. Et sic fortè illud diuinum intelligitur. Omnia sunt communia, idest communicanda tempore necessitatis.

Inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit, dixit *Ioann. Papa in capit. Ad limina in medio 30. quæst. 1.* Et tutius est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quàm vt ab

ab his, quibus eã conferre non licet ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine graui periculo conferantur, ait *capit. Quanto* 4. *de consuetud.*

Res Ecclesiæ in necessitate Redemptionis captiuorum, & alimentorum pauperum possunt distrahi, dictum est Verbo *Ecclesia*.

Prohibita coniunctio permittitur necessitatis causa *in cap.* 2. *de despons. impub.* ibi. Nisi aliqua vrgentissima necessitate interueniente, vt pote pro bono pacis, talis coniunctio tolleretur.

Excusat necessitas à periurio, dicit *glos. Verbo. Necessitatem in cap. querelam* 10. *de iur. iur.* & addit. Et legem non habet, & Iura subueniunt necessitate impeditis; quod probat *l. sciret* 15. *§. Consequens vers. sufficit ff. de excusat. tut.* ibi, Si enim quis propter ægritudinem, vel aliam necessitatem &c non poterit venire ignoscendum ei est. Et dixit *glos. Verbo. Tuum in l.* 2. *§. Idem Labeo ff. ne quid in loc. pub.* ibi. Necessitas enim te excusat ne videaris facere, vel ne videaris esse in culpa.

Excusat etiam necessitas ratione officij, vt in Verbo. *Officium* dicitur.

Non potest quis dici se liti offerre, cùm id facit ex necessitate, inquit *glos. Verbo. Obtulit in l. siue tutor ff. de admin. tut.*

Omnino, quæ pro parte expediri nõ possunt, si vnus cogente necessitate fecerit fam. herfisc iudicio locus est, dicitur in *l. Heredes* 26. *§. si vnus ff fam. hersisc.*

Hæc ipsa necessitas probabilem facit manumissionem, ait *l. Qui potuerunt* 27. *ff. de manumiss. testa.*

Ipsa etiam necessitas fecit ad legem perducere Imperatorem, de qua ipse testatur in *Auth. de fideiussor. §. vlt. vers. agnoscant* ibi. Quia & si hanc non scripsissem legem necessitatis tamen ratio ad hanc causam perduceret.

Omnes in commune, si necessitas exegerit, conuenit vtilitatibus publicis obedire, & subiectionem sine dignitatis priuilegio celebrare, dicit *l.* 1. *C. de nau. non excus. lib.* 11. Vnde necessitas, & publica vtilitas æquiparantur à Iure, *vt in cap. in causis* 19. ibi. Nisi forte cum aliquid (causa necessitatis, & vtilitatis inspecta) dispensatiuè duxerit statuendum, *& in cap. Postulasti* 11. *propè fin.* ibi. Dummodo necessitas, vel vtilitas idem poscat, *de renunciat. & in Clem.* 1. ibi. Nisi necessitas, aut vtilitas *de reb. Eccles.* & sæpe alibi.

Quod est in necessitate curandum est; dixit *Imper.* loquendo de illegitimis non despiciendis *in Auth. quib. mod. nat eff. sui coll.* 7.

Nihil esse potius quàm in necessitate constitutos subleuare, nihil quod magis hominem deceat, nihil quòd Deum æquè conciliet, & ad beneficiendum nobis prouocet, dixit *Ioseph. de antiq. lib.* 6. *capit.* 15. Eò maximè quia nemo potest necessitates effugere, licèt possit vincere, vt dixit *Senec. epist.* 37. etiam si polens, Rex, & magnus dominus, vt satis experientia docet quotidie, & probat illud *Matth. cap.* 21. ibi. Dicite quia Dominus his opus habet. Dominus indigebat illis, de quibus ibidem, sunt namque innumerabiles causæ, quæ humanis necessitatibus imminent, *vt in §. Sed & vnum de testa. in Inst.* Et licèt *glos. Verbo. Necessarium in §. Sed ista quidem de act. in Inst.* dicat, quòd necessitas in Principe poni non potest, intelligitur de necessitate legali, qua ipse solutus est, iuxta *l. Princeps ff. de legibus ab ead. glos.* allegata, non verò de humanis necessitatibus, quibus, vt alij homines, subiectus est.

In necessitatibus nemo liberalis existit, ait *l. Rem legatam* 18. *ff. de adim. legat.* vbi *glos. verbo liberalis* sic. Quasi dicat qui dat aliquid in necessitate, non dicitur id donare; vel dic, nemo indigens donat. Item tertio; nemo est libera-

lis

lis ei, qui indiget, vnde versus.

Cùm fueris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris,

& glos. vlt. in capit. Relatum 9. de praebend. sic. In necessitate nemo est liberalis, & sic liberalitas, & necessitas circa diuersa referuntur.

Nullo modo ob opprobrium coactae voluntatis trahitur quòd illicita conditio necessitatis extorsit; inquit *Augustin. in cap. Inter caetera iuxta fin. 22. quaest. 4.* Omne autem, quod non propter necessitatem, sed propter venustatē accipitur, elationis habet calumniam, dicit magnus *Basil.* relatus *in cap. omnis iactura 21. quaest. 4.* & plus in hac, quam in illa laboris est iuxta illud *Senec. epistol. 91. post princip.* Simplici cura constant necessaria, in delitijs etiam laboratur.

Voluntatis est suscipere mandatum, necessitatis est consummare, dicit *l. In commodat. 17. §. Sicut ff. commodat.* idem in quolibet contractu ait *l. Sicut ab initio C. de act. & oblig.*

Aliquando tamen non attenditur ad necessitatem, *vt in cap. Quod pro remedio 1. quaest. 7.* ibi. Quod ergo pro remedio necessitas reperit, cessante vtique necessitate, debet cessare pariter, quod vrgebat, *& in cap. Ita nos 25. quaest. 2.* ibi. Vt sicut necessitatem patientes, cessante necessitate beneficijs renunciare coguntur, qua eis miserationis indulsit intuitus, sic religiosè viuentibus, cùm à religione cessauerint, priuilegijs exuantur, quae religiosa conuersatio meruit.

Nec etiam attenditur ad necessitatem, in quam quis se posuit, vt dicit, & summat *Bart. in l. si fideiussor 7. §. Si necessaria ff. qui sat. cog. & tex.* ibi. Nec enim id meretur, qui ipse sibi necessitatem imposuit; idem *glos. Verbo. Arctauerit per tex.* ibi. *in l. 2. §. Si quis tamen ff. si quis caut. & glos. Verbo. Metum, in l. Si mulier 21. ff. quod met. cau.* ibi. Nota non succurri ei, qui se in necessitatem posuit, & *Verbo. Minimè in d. l. sicut initio C. de act.* sic. Qui enim ex voluntate imponit sibi necessitatem non est ei subueniendum, *& in Auth. Vt ij. qui oblig. se perhib. res min. §. Quoniam autem Verbo. Inducias coll. 6.* ibi. Et sic imputatur ei, qui se posuit in necessitate.

Item non excusat necessitas, quos negligentia tenet, iuxta *l. Ab hostibus §. vlt. cum l. seq. ff. ex quib. cau. maio.* ibi. Non enim negligentibus subuenitur, sed necessitate rerum impeditis. Tales namque potius voluntate, quàm necessitate vrgentur, & vbi voluntas est, non est necessitas, nec per consequens subuentio, nec permissio, vt per *glos. in l. 1. ff. de fund. dot.* ibi. Aliàs permittitur, quod ex necessitate, non ex voluntate *per tex.* ibi. Quia haec alienatio non est voluntaria, & facit *l. Si dictum 56. §. 1. ff. de euict.* ibi. Si compromisero, & contra me fuerit data sententia, nulla mihi de euictione actio danda est &c. nulla enim necessitate cogente id feci.

Denique aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur, *vt ex D. Hieronym. dicit glos. Verbo Abunde in extrauag. vnic. de praeben.*

Si vis alios effectus necessitatis. Videas *Felin. in cap. Querelam num. 11. de Iur. iur.*

Notabis quòd necessariae personae dicuntur consanguinei, vt dicit *glos. 1. in l. 3. §. pen. ff. de vsur. Verbo. Necessitudini,* ibi, idest consanguinitati, & probat *Martianus in l. vlt. ff. de iust. & iu.* dicens. Non numquam Ius etiam pro necessitudine dicimus, veluti est Ius cognationis, vel affinitatis, *& in l. Benignius* ibi. Necessarijs personis coniunctis antecedentibus 11. *ff. de lib. cau.* & facit

faceit illud *Iob 6.11.* ibi. Necessarij, quoque mei recesserunt à me.

Negatio, et negatiua.

TRiplex est negatiua, scilicet facti, Iuris, & qualitatis. Negatiua Iuris, potest, & debet probari ab eo, qui eam ponit, cum omnia præsumantur licere. Negatiua qualitatis dicitur ea, vbi qualitas negatur, vt cùm dicitur, iste non est idoneus, non est dignus, & hoc debet probari ab eo, qui eam proponit, sicut & in regula Iuris, vt &c. Negatiua facti si non habet adiunctam determinationem temporis, vel alterius rei, numquam probatur directè, vt si dicat aliquis non fuisse citatum. Si autem habeat annexam determinationem, tunc indirectam, habet probationem; ita ponit *glos. in l.2. ff. de probat.* & in hoc sensu intelligitur *glos. Verbo. Probatio in cap. Dilectus 32. de elect.* ibi. Et negatiua indirectè probari potest.

De eadem facti negatiua dicit *Papa in cap. Bona 23 de elect.* Negantis factum per rerum naturam, nulla est directa probatio; idem inuenitur *in l. Actor 23. C. de probat.* ibi. Cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit; & vtrobique videas *glos. Verbo. Rerum natura.*

Porro licèt factum negantis per rerum naturam nulla sit probatio, eius tamen qui spontaneam renunciationem negat (cùm implicitè, & quodammodo replicando inficietur super assertione sua, habito ad dignitatem, & opinionem respectu) probationes credimus admittendas, ait *cap. Super hoc de renunciat.*

Vix enim est aliqua negatiua, quæ æquipollentem non habeat affirmatiuam, dixit *glos. Verbo. Probari in l. Ne codicillos C. de codicill.*

Quomodo vero probari poterit? *glos. Verbo. An non in l.1. ff. de itin. actque priuat.* sic respondet. Nisi probet non competere seruitutem, quod probabit hoc modo; quod per eos, qui ibi prope stabant, non fuit visus ire, cum non potuerit iuisse, quin videretur; vel quia dicit se iuisse tali die, vel mense, & probatur, quod fuerit alibi. Probatur etiam per iuramentum ipsius negantis, vt inquit *glos. Verbo. Singulares ad med. in d. cap. Bona 23. de elect.* Probatur etiam per testes singulares eiusdem collegij, qui dicant concorditer tale quid in eodem collegio non fuisse, vt in *cap. Tertio loco, vbi not. Abb. de probat.*

Et in multis casibus, vbi non probatur contrarium, ipsa negatiua probatur, vt in *l. Ex facto 17. §. Si quis autem ff ad Trebell.* vbi in fine. dicit sic. Cum autem quis ante, & quis postea decesserit, non apparet extitisse, conditionem fideicommissi magis dicendum est; agitur enim ibi de fideicommisso, si sine liberis decesserit, & concluditur quod dum non apparet, cum filiis decessisse, sine illis decessisse, & sic de aliis, quàm plurimis.

Notà quòd plus creditur duobus testibus super negatiua, quàm vni super affirmatiua, vt dicit *Apostill. ad glos. Verbo Electione in cap. Cùm ab vno de sent. & re iud lib.6.*

Nota etiam notabile dictum *Innoc.* quod affert *Bald. in l. Actor C. de probat. ad fin.* quod ibi Ius præsumit negatiuam, vbi probari non potest. Alia de materia negatiuæ poteris videre per eũdem *Bald. in d. l. Actor.*

Per negationem, rem fieri dubiam, notauit *glos. Verbo. Dubium in l.3. C. quib. ad lib. procla.* & ibidem additio sic. Limita nisi præsumptio esset contra negantem &c. Secundo nisi facta negatione appareat euidens probatio in contrarium: Limita etiam iuxta *glos. Verbo. Dubia in Extrauag. vlt. de verb. sig.* ibi Per improbabilem enim negationem,

pu-

puta, quæ fieret contra aduersarium fundantem, intentionem suam, de Iure communi non dicitur effici res dubia.

Propter nostrum negare, vel affirmare nihil mutatur in re. *Ex Philosoph. tradit glos. Verbo. Personatus prope fin. in extrauag. Execrabilis 4. de praben. int. comm.* Crescit tamen pœna per inficiationem, vbi nihil debetur; sicut & condemnatio, vt per *glos. Verbo. Facta solutio in Authen. contra qui propriam C. non numer. pec. & in Auth. de trien. & semis. §. Studium Verbo. Duplicibus coll. 3.* ibi. Nam ex inficiatione crescit in duplum condemnatio. Et secundum eundem *tex. vers. Si quis autem*. Amplia in negante debitum iam solutum, & idem in negante litteras suas, non verò alterius, *ex eod. tex. & glos.* cuius verba supra habes Verbo. *Littera*.

Reo neganti, & conuicto incumbit onus probandi propter delictum inficiationis, dicit *glos. in cap. vlt. de solut. per tex.* ibi. Nisi aduersarius solutionem inficians exinde conuincatur; tunc enim diffidenti incumbit onus probandi. Itē pro abnegatione ad actorem transfertur (de quibus est quæstio facta) possessio, vt dicitur *in dict. Auth. de trien. & sem. §. Illud quoque coll. 3.*

Negans rem fæudalem scienter, illam perdit, secus si ignoranter, vt dicis *Verbo Vassallus*, & probatur ex regula *l. De ætate §. Qui iusto errore ductus negauerit &c.* venia dignus est, sed & si quis sine dolo malo, culpa tamen responderit? Dicendum erit absolui eum debere, nisi culpa dolo proxima sit *ff. de interrog. act.*

Potest negari totum ratione partis, quia cùm significatio non ex vniuerso, sed ex aliquo sumitur, si veri aliquid insit, veram efficit totam orationem, vt subtiliter respondit *Iulianus in l. Si is, qui ducenta 14. §. 1. vers. vtrum ff. de reb. dub.* quod si melius intelligere cupis, vide *Bald. in l. Ea, quæ num. 16.* ibi. Vnde ratione partis potuit totum negare cum num. antecedentibus *C. de condict. indeb. & in l. 1. num. 7. C. de lit. contest.* vbi etiam dicit notabile, quòd in vniuersali negatione, non videntur negata omnia singula, licèt paulo infra dicat sibi videri, salua veritate, quòd omnia intelligantur negata, & singula, quæ sunt de substantia petitionis.

Si pater in testamento negauerit, quem esse filium suum, eumque exhæredauerit, adhuc ipsi filio querela inofficiosi competit iuxta *l. Si instituta 27. §.* Ei, qui se filium eius esse affirmat, qui testamento id negauit; si tamen eum exhæredauit; de inofficioso testamento causa superest *ff. de inoffic. testam.*

Si ille, apud quem res fuit deposita, negat depositum, quasi furtum committit *l. inficiando 69. ff. de furt.* ibi. Nec enim furtum est ipsa inficiatio; licèt prope furtum sit.

Duas negationes facere vnam affirmationem dicit *glos. Verbo. Non erit in l. Si vero 65. ff. solut. matr. & Verbo. Nec non in §. Cùm hoc in proœm. in Inst.* ibi. Nota, quod duæ negationes faciunt vnam affirmationem &c. & addit. Tu dic hoc verum, si sint circa idem, neque sit sēsus contrarius Iuri, aliàs secus &c. Item plures negationes in numero pari affirmant, in dispari negant, nisi aliter constat de mente proferentis.

Negligentia.

Duplex inuenitur negligentia, aut enim est magna, crassa, & dissoluta, aut mediocris, & ordinaria. Magna negligentia culpa est, dicitur in *l. 226. ff. de verb. sig.* & est insolertia incuriosa, dicit *glos. Verbo. Insolertiam in l. si benè 32 ff. de vsur.* Et hæc propè dolum, & fraudem esse dixerunt *Iureconsulti in l. Si fideiussor 29. ff. mandat.* ibi. Dissoluta enim negligentia prope dolum

lum est, vbi *glos. dissoluta* sic. Quia est lata culpa, vt infr. *de verb. sig.* *l. lata* & ideo est prope, vt vbi venit vnum, venit & aliud; & in *l. Impuberibus* i. §. 1. *ff. de suspect. tut.* ibi. Lata negligentia, quia ista prope dolum accedit; licèt in criminibus hoc non procedat, vt notauit ibidem *glos.* Et sic quando dicitur negligentiam dolo æquiparari, de hac debet intelligi, vt dicit *glos. Verbo. Negligentia in cap. Falsariorum 7. de crim. fals.* ibi. Hæc tamen quandoque dolo comparatur, cum scilicet dissoluta est, crassa, & supina, & *glos. vlt. in cap. Ab eo 6. de appellat. lib. 6.* ibi. Hic dolus, & negligentia æquiparantur per *tex.* in illis verbis. *Malitiosè*, aut *negligenter*; & in *l. 1. ff. de act.* ibi. Si tamen magnam negligentiam, placuit in doli crimine cadere. Potest etiam dari negligentia leuissima, quæ alias dicitur leuissima culpa, de qua hic non agimus quia iam de ea dictum est supra Verbo. Culpa, in his, quæ de leuissima dicuntur.

Negligere, cum possis perturbare peruersos, nihil aliud est, quàm fauere, nec caret scrupulo societatis occultę, qui manifesto facinori desinit obuiare, inquit *cap. Negligere 2. quæst. 7.* Nam si negligenter ea, quæ malè vsurpantur, omittimus, excessibus viam alijs aperimus, vt in *cap. Peruenit il 2. in fin 93. dist.* Vnde superiores negligentes in corripiendis subditorũ excessibus grauantur, & deprimuntur, quamuis alias boni, & sancti sint. Audi *Innoc. 3. in cap. 31. de Simon.* Licèt Heli, inquit, Summus sacerdos in se bonus existeret; quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter, & in ipsis animaduersionis diuinæ vindictam excepit, dum filijs eius in bello peremptis, ipse de sella corruens fractis ceruicibus expirauit. Ad corrigendos igitur subditorum excessus tantò diligentius debet prælatus assurgere, quantò damnabilius eorum offensas deserere incorrectas sinit, occidere ipsos videntur, prout inquit *Greg. Venantio Episcopo in cap. Ephesiis 43. dist.* ibi. Quia cum increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio tacendo pastor occidit, coniuncto *cap. Irrefragabili 13. de offic. ordinar.* ibi. Vt Ecclesiarum prælati ad corrigendos subditorum excessus, maximè clericorum, & reformandos mores prudenter, ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur.

Non solùm in Episcopis, & prælatis prædicta intelliguntur, sed etiam in omni regente familiam, vt per *Augustin.* in hæc verba. Duo ista nomina, cum dicimus, homo peccator, non vtique frustra dicuntur, quia peccator est, corripe: quia homo, miserere, nec omnino liberabis hominem, nisi eum persecutus fueris peccatorem. Huic officio nominis inuigilet disciplina, sicuti vtique regenti apta, & accommodata est, non solùm Episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti domum suã; diuiti regenti familiam suam, marito regenti coniugem suam, patri regenti prolem suam, regi regenti gentem suã, *cap. Duo 23. quæst. 3.*

Insuper non tantum negligentia arguitur in correctione malorum, sed etiam in executione bonorum operum, ad quæ tenentur de diligendo proximum, vnde *Gregor. in cap. Peruenit 84. dist.* sic ait. Peruenit ad nos fratrem, & coepiscopum nostrum Paschasium ita desidem, & negligentem in cunctis existere, vt in nullo, quia est Episcopus cognoscatur, vt neque Ecclesia ipsius, neque monasteria, siue filij Ecclesiæ, vel oppressi, vel pauperes eius erga se dilectionis studium sentiant; nec aliquam supplicantibus sibi, in quibus iustum est, opem defensionis accommodet. Item in subueniendo miseris, iuxta illud Ambrosij in *lib. de offic. Relatum in capit.*

Aurum Ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid est opus custodire, quod nihil adiuuat &c. & illud *Hieronym.* ad Nepotian. in capit. Gloria Episcopi est pauperum opibus prouidere; ignominia Sacerdotis est proprijs studere diuitijs &c. 12. *quæst.* 2.

Negligentia prælatorum in discrimen cedit subditorum. Nam si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis, & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehēnæ, cum ipso plagis multis in æternum, vapulaturus ex dictis Bonifacij Martyris refertur *in capit. Si Papa* 40. *dist.* & rectores negligentes pestilentiam munire, dicit *Leo relatus* 86. *dist.* sic. Inferiorum culpæ ordinum ad nullos magis referendæ sunt, quàm ad desides, negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam.

Corripi, & puniri debet prælatus negligens, *cap. Si quis per capillum* 22. *quæstion.* 1. ibi. Sed si Episcopus ista emmendare neglexerit, corripiatur; & 27. *quæst.* 1. sic. Gregor. Vitalino, Sypontino Episcopo. Si custos religiosi habitus esses, aut esse nosses Episcopus &c. Sed quia nimia desidia, ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impune commissa est. Nam sicut præfati sumus, si solicitus extitisses; prius ad nos vitio mulieris prauissimæ, quàm culpa debuit peruenire. Quia ergo tantùm hebes, tantumque es negligens, vt nisi canonicam in te fueris coërctionem expertus, in alijs districtionem, & disciplinam nesciàs custodire, qualiter debeas esse solicitus congruo tibi, si Deo placuerit, tempore demonstrabimus. Imò per negligentiam, prælati deponuntur, vt in *capit. Dictum est nobis presbyteros propter suam negligentiam canonicè degradatos &c.* 81. *dist.* & *in cap. Placuit vniuerso Concilio*, vt qui excommunicatus fuerit pro suo neglecto &c. 11. *quæst.* 3. *coniuncta glos. ibidem* sic. Videtur ergo quod pro negligētia aliquis excommunicetur, sicut pro negligentia aliquis deponitur, vt &c.

Poterunt etiam prælati negligentes in administratione rerum Ecclesiasticarum, si non deponi, saltem remoueri ab administratione, vt in *cap. Qualiter* 24. *de accusat.* quòd licèt loquatur in excessibus per prælatos commissis, tamen intelligi etiam debet in neglectis in administratione prædicta, cùm prælatus, & tutor quoad hunc effectum æquiparentur, vt per *glos. ibidem Verbo. Redde rationem in his verbis*. Prælatus enim debet reddere rationem suæ administrationis, tamquam tutor &c. quia comparatur tutori, & procurator est, & non dominus. Tutor autem, & procurator moueri potest propter negligentiam *l. vlt. ff. vbi pupill. educ. deb.* & *l. fin. C. de admin. tut. l.* 1. *C. de procur. l. Mutus* 43. *§. pœna ff. eod. tit. coniuncta glos. ibidem Verbo. Denegetur* ibi, Et sic remouetur ab administratione &c. & ibi. Et idem in omni administratione. Et ita in expresso tenet in prælato *Anchar. in capit. Edoceri de rescript.* & confirmatur ex dicto *Iurisconf. in l. Diuus* 14. *ad fin. ff. de offic. præsid.* ibi. Quòd si omittatur, non immeritò culpæ eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio suo fuerint.

Per negligentiam perdit, quis Ius suum, vt inquit *glos. vlt. in cap* 1. *de appellat.* & *probat l. Pupillus* 24. *ff. quæ in fraud. cred.* ibi. Quoniam alij creditores suæ negligentiæ expensum ferre debeant. Et vnus Iudex propter negligentiam ammittit iurisdictionem, & alter postea procedit in causa, dicit *glos. Verbo* Delegato, *in capit. vt debitus* 54. *de appellat.*

lat. & habes Verbo Iudex & quod magis est etiam, si minor sit, vt tenet *glos. vlt. in cap. Cùm in cunctis 7. §. vlt. de elect.* ibi. Et ita habes, quòd minor supplet negligentiam maioris, & maior negligentiam minoris, sed illud ordinarium est; & gratia facta per negligentiam extincta est, ait *capit. Si Clericus 11. de praben. lib. 6.*

Negligens in exigendo soluit de suo, & punitur *l. Iudices 10. C. de annon. & trib. lib 10.* ibi. Negligentes, ac desides fuisse constiterit, omnia, quæ in administratione perceperunt emolumenta, reddere compellantur, vbi notat *glos.*

Et in eligendis ministris negligentia punitur, iuxta *l. Si seruus §. Si fornacarius ff. ad l. Aquil.* ibi. Ex locato conuentum præstare debere, si negligens in eligendis ministris fuerit. Ex quo etiā probatur custodem ex negligentia teneri, dum sic ait. Puto vtilem actionem competere tàm in eum, qui ad furnum obdormiuit, quàm in eum, qui negligenter custodiit; nec quisquam dixerit eum, qui obdormiuit rem humanam, & naturalem passum, cùm deberet ignē extinguere, vel ita munire ne euagaretur. Cū enim facere debuit, & nō fecit, culpæ eius reddet rationem, inquit *l. Si quid 34. §. Sicut ff. de petit. hared.*

Negligentia liberti in operibus obsequialibus punitur, vt inquit *glos. Verbo. Negligere in l. 1. C. de reuoc. donat.* ibi. Nota hic in eis speciale solam negligentiam puniri.

In odium negligentiæ punitur ignorantia, etiam in damnis, vt habes *Verbo.* Ignorantia.

Contra desides, & sui Iuris contemptores odiosæ exceptiones opposita sunt, inquit *l. vlt. C. de annal. except.* Nec enim negligentibus subuenitur, dicit *l. Ab hostibus §. Vlt. cum l. seq. ff. ex quibus cau. maio.* coniuncta *glos. Verbo. Iniuria in cap. pen. de consuet.* ibi. Et non negligentibus iura subueniunt.

Et vt alia infinita taceam; non enim hic omnia dici possunt. Omnia lædit negligentia, vt dixit *glos. Verbo. Vniuersa in Auth. de quaestore coll. 6. per tex. ibi in fin.* Ab vniuersa lædente negligentia, & *glos. Verbo. Non obdormiat in in Auth. de deposit. & denunc. tad. coll. 6.* ibi. Nam negligeutia est nociua. Et sicut artium in suo quoque opere inuenitur mater instantia; ita & nouerca eruditionis est negligentia, vt dicit *glos. Verbo. Negligentia in Extrauagante. de sentent. excomm. per tex. in capit. Nihil 83. dist.* Idem *glos. Verbo. Nouerca in Clem. Pastoralis de sent. & re iud.*

Magis autem punienda est malitia, quàm negligentia, vt dicit *glos. Verbo. Grauiori in cap. Nihil 44. de elect.*

Qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati imputare debet, inquit *Imp. in §. Praeterea quib. mod. re. in inst.* quod deduxit ex *l. 1. ff. de act.*

Propria negligentia in alterum non redūdat, *l. 3. ff. de transact.* ibi. Non debet negligentiam suam ad alienam iniuriā referre, & ex *l. Vlt. C. deposit.* tradit *glos. Verbo. Ex nulla in l. Si ex duobus 9. ff. de negot. gest. ibi.* Iam vnius alteri negligentia noceret, quod esse non debet, & *glos. Verbo. Noceat in l. Electio 26. §. Si absente ff. de noxal. act.* per tex. ibi. Ne alterius dolus, vel desidia alij noceat, & *cap. 2. de in integr. rest. ibi.* Ne ipsius negligentia in damnum tam nostrum, quàm Monasterij redundaret. Vnde in cohærede, dicit *l. Hareditariam 65. in fin. ff. de euict. ita.* Cùm cohæredis negligentia damnosa nō debeat esse alteri, & de hærede in *l. Cum ostendimus in fin. ff. de fideiussor. tut.* sic. Negligentia planè propria hæredi non imputabitur & in legatarijs *l. Alienus 61. ad fin. ff. ad l. Falcid.* hæc: Quia negligentia eius nocere legatariis non debet &c. Et in creditoribus *l. Si nō expedierit 6. §. 1. ff. de*

ff. de bon. Auth. iud. ita. Ne alterius negligentia huic, qui diligens fuit, noceat.

Si negligentia mulier emolumentum bonorū amiserit, fideicommissum esse retinendum reintegrato Iure debiti rationis est, ait *l. Propter 21. §. 1. ff. ad Syllan.*

Non læditur, qui ex cursu temporis negligens non fuit, vt probat *glos. Verbo. Ex cursu in Auth. de appellat. coll. 8.* Nec negligentiæ pœnas, soluere debet diligētia iuxta *l. vlt. C. deposit.* ibi Ne industria pœnas desidiæ soluat, sed si dubitatur an negligens, vel diligens quis fuerit, videtur dicendum cum *glos. vlt. in cap. Si cap. 1. de concess. præb. lib. 6.* quòd si fuit negligens in vno, iam præsumitur in reliquo.

Negligentiam non posse obijci, si diligentia non profuisset, dixit Paris. *cons. 24. num. 22. vol. 1. per tex. in l. Si alia 7. §. Est & alia,* ibi. Quoniam nullam Iniuriam, aut damnum dare videretur æquè perituris ædibus.

Deniq; ea, quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta, dicitur *in l. Item apud Labeonem 15. §. Ait prætor ff. de iniur.*

Negotium.

MEritò dictum est negotium, quia negat otium, quod malum est, neque quærit veram quietē, quæ est Deus, ita dixit Augustin. relatus *in cap Quoniam in fin. 88. dist.* à quo deduxit *glos. Verbo. Negotijs in Extrauag. 2. de sepult. int. comm.*

Quatuor autem modis dicitur negotium ad aliquem pertinere, vt quia impendi in rem tuam, ipso gestu, quando solui creditoribus tuis. Cura, & solicitudine, vt in tutore, & procuratore. Ratibabitione, vt quia exegisti à debitore meo, & ego ratum habui, ita ponit *glos. vlt. in l. Curatorem 6. C. de negot. gest.* alia est similis, & amplior in *l. Si pupilli 6. §. Item quæritur Verbo. Ipso gestu ff. eod. tit. de neg. gest.* Et licet illa dicat negotium ad aliquem pertinere, quod denotat negotium proprium, hæc vero loquatur de negotio alieno, in idem recidit respectu diuersorum, illa enim ponit in domino, cuius dicitur negotium proprium, ista in negotiorum gestore, & similibus, quorum respectu dicitur alienum.

Aliena negotia exacto officio geruntur, nec quicquam eorum in administratione neglectum, ac declinatum, culpa vacuum est, inquit *l. In re mandata 21. C. mandat.*

Non autem vtiliter negotia gerit, qui non necessariam rem, vel quæ oneratura est patrem fam. aggreditur, ait *l. Sed an §. 1. post med. ff. de negot. gest.*

Notabis *glos. Verbo. Et obtinuit in l. Ex parte 40 ff. fam. hercisc.* dum dicit, quòd si negotiorum gestor obtinet in causa, recuperat sumptus, secus si perdiderit, quia tunc sumptus non repetit &c. Sed procurator cùm mandato indistinctè repetit. Quidam tamen dicunt etiam gestorem succumbentem repetere, si vtiliter cœpit defendere, licèt malus exitus sit sequutus.

Negotiorum gestor tenetur de neglectis si alius erat gesturus, vt inquit *Bart. in summ. l. Si pupilli §. vlt. ff. de negot. gest. & tex.* sic. Videamus in persona eius, qui negotia administrat, si quædam gessit, quædam nō gessit cō̄templatione tamen eius alius ad hæc nō accessit, & si vir diligens, (quod ab eo exigimus) etiam ea gesturus fuerit, an dici debeat negotiorū gestorum actione eū teneri, propter ea, quæ non gessit; quod puto verius. Certè quid à se exigere debuit si procul dubio hoc ei imputabitur. Et glos. hoc Verbo. Imputabitur, intelligit quando geruntur omnia negotia; sed si tantum vnum negotium gerere cœperit? Respon-

spondet, quòd non, & reddit rationem dicens: Durum enim esset, quòd is, qui huius rei gratia tantum accedit, ad alia teneatur, vbi allegat *l. Sed & 17. eod. tit.* cuius verba sunt. Sed & cum aliquis negotia mea gerit, non multa negotia sunt, sed vnus contractus; nisi si ab initio ad vnum negotium accessit, vt finito eo discederet; hoc enim casu si noua volũtate aliud quoque aggredi cœperit, alius contractus erit.

Ille, qui scit rem esse communem, vel alienam negotia eo animo gerit, vt aliquẽ sibi obliget, licèt in persona labitur, dicit *l. Si quis 29. ff. com. diu. & in l. In hoc 14.* sic. Cùm puto rem esse Titij, quæ sit Mæuij, aut esse mihi communem cum alio, quàm est, id ago, vt aliquem mihi obligem *ff. eod. tit.*

Si Titium quasi debitorem tuum extra iudicium admonuero, & is mihi soluerit, cùm debitor tuus non esset, tuque postea cognoueris, & ratum habueris, an negotiorum gestorum actione me conuenire possis? Et ait dubitari posse, quia nullum negotium tuum gestum sit, cum debitor tuus non fuerit; sed ratihabitio, inquit, fecit tuum negotium &c. & sic ratihabitio constituet negotium tuum, quod ab initio tuum non erat, sed tui contemplatione gestum, ita *l. Si pupilli §. Item quæritur ff. de negot. gest.*

Vtilius videtur negotia expediri compendio, æquitatis scilicèt, quàm per quandam exactam subtilitatem longo dispendio prorogari; præsertim cum non nulla pro vtilitate communi contra Iuris asperitatem ex æquitatis mãsuetudine tolerari noscantur, ait *cap. Abbate sane iuxta fin. de sent. & re iud. lib.6.* Licèt autem negotiorum merita partium assertionibus pandantur, vt in *l. Vlt. C. si per vim*; tamen processus negotij friuolis occasionibus retardari non debet, iuxta *cap. Cum cessante 60. in fin. de appella.* Iura enim sic exhibent negotijs remedia, sicut medicamenta morbis, vt dicitur *in Auth. hac constit. tut. coll. 8.* Vnde tria remedia præseruatiua in omni negotio semper adhibenda, dixit *Glos. 2. in cap. Magnæ 7. de voto per tex.* ibi. Et quidem tria præcipuè in hoc negotio duximus attendenda, quid liceat, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum vtilitatem.

Neonon contemnendum puto remedium quod dicit *Glos. Verbo Viris in cap. Quia propter 42. de elect.* quod scilicet melius expeditur negotium per vnum, quàm per plures, scilicet duos, quia tunc res ferè sine exitu est; idem sequitur *Glos. 1. in §. Sed si ex testamento de satisd. tut. in Inst.* ibi, Ne deterius negotia per plures exerceantur, & affert illud.

Segnius expediunt commissa negotia plures.

Est etiam optimum, & primum remediũ, quod quis sua negotia per se debet tractare, eò maximè si sint grauia, & non per procuratorem, nec tamen potest cogi illum constituere, vt dixit *glos. vlt. in cap. Si pro debilitate de offic. delegat.* Sed quæ dicuntur negotia grauiora maiora, vel minora? Respondet *glos. Verbo. Maiores in cap. Sedes 15. de rescript.* ita. Et hoc etiam intuetur Iudex &c. non enim certa, vel certior dari posset doctrina; tu tamen vide, quæ in *Verbo, Causa.*

Nota quòd causa, seu ratione mediocritatis negotij potest causa cõmitti ad partes, vt inquit *glos. vlt. & notatur in summar. per tex. ibi in l. Cùm post 26. C. de appellat.* Postquam vero ad Curiam fuerit deuolutum erit irritum, quòd in partibus fiet, iuxta *Cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 4. vt lit. pend.* ibi. Nos verò quidquid factum fuerit, postquam prædecessor noster ad Curiam suam

id negotium reuocauit, irritum decernimus, & inane.

De negotiatione iam dictum est Verbo. *Mercator*.

Nemo.

SIne crimine viuit, dicit *glos. Verbo. Necesse in cap. Ipsi Apostoli 2. quæst. 7. per tex. in cap. Vnum orarium §. Nunc autem 25. dist. ibi.* Hieronymus dicit, res contra naturam pene est, vt sine peccato aliquis sit.

Nemo dat, quod non habet; probatur *in l. 14. C. de donat.* Si filius tuus, inquit, res ad te pertinentes sponsæ suæ, te non consentiente, donauit, ad eam, quod non habet transferre non potuit; *cap. Daibertum ibi.* Quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit 1. *quæst. 7.* Vide *Bald. in l. Manumissiones à numer. 13. ff. de iust. & iur.* vbi additio. Limitat nisi habeat in habitu, quamuis in actu non habeat; sic laicus præsentat ad beneficia Iurispatronatus, sic Cardinales dant Papatum.

Item nemo transfert, quod non habet. Nã traditio nihil amplius transferre debet, vel potest ad eum, qui tradit, inquit *Vlpian. in l. 20. ff. de acquir. rer. dom. coniuncta regula l. Nemo plus Iuris ff. de reg. Iur.*

Nemo præsumitur iactare suum, vulgare est *ex l. Cùm de indebito 25. ff. de probat.* ibi. Numquam ita resupinus est, vt facile suas pecunias iactet, & indebitas effundat.

Vulgare etiam est neminem sine actione experiri posse in iudicio *ex l. Si pupilli 6. §. vlt. ff. de negot. gest.* ibi. Quoniam conueniendi eos in iudicio facultatem non habuerit, qui nullam actionem intendere potuit, vt notat *glos. exceptionis in l. Tutori 20. C. de negot. gest. per tex.* ibi. Qui nec agendi quidem propter exceptionis obstaculum facultatem habere potuit; ex quo sic prædicta *glos.* infert. Et sic sine actione nemo experitur.

Nepos.

QVando appellatione filiorum comprehendatur, iam dictũ est. *verb.* Filius. Intrat nepos in locũ patris sui præmortui iuxta *l. Posthumorum 13. ff. de iniust. rupt.* ibi. Sed si filius meus me viuo moriatur, aut qualibet alia ratione exeat de mea potestate, incipit nepos neptisue in eius locum succedere, & in *§. Cùm filius de hæred. quæ ab intest. in Inst.* ibi. Aequum enim esse videtur nepotes, neptesque in patris sui locum succedere, facit etiam *Auth. quib. mod. nat. §. Ergo in princip. coll. 7.* ibi. Et si quidem habuerit filios, qui talis est, aut nepotes &c. succedunt autem in locum parentum suorum, hoc est in gradum suorum parentum, & perinde succedant, vt tantum habeant omnes nepotes, quantum pater habiturus esset, iuxta *l.* Si nepotes in locum filij successerint, vna portio his conferri debet &c. *ff. de collat. bon.* & ibi. Quasi omnes vnus essent; cum alijs per *Bart. in l. 1. §. Si sit nepos post princ. ff. de collat. dot.*

Quod etiam habet locum cessante successione lineæ descendentis, & eius quæ sola sit ascendentis, nam in successione transuersalium, vocantur primò fratres, & vna cum eis fratris præmortui filij, *vt in Auth. cessante C. de legit. hæred.* coniuncta *Auth. post fratres, fratrumque filios eod. tit. & Auth. de hæred. ab intest. ven. §. Si igitur defunctus il 1. & 2.* Quod ampliat *glos.* in fideicommisso familiæ relicto in *l. Cùm ita 33. §. In fideicommiss. Verbo. Proximo ff. de legat 2.* ibi. Quandoque qui sunt in gradu impari æqualiter admittuntur, vt filij fratrum cum fratribus, vbi ità notat

tat Imol. & est communis opinio, quam sequitur Alex. cons. 88 & 137. vol 1. & cons. 26. vol. 3. Licet Bald. in d. §. In fideicommisso in fin. contrarium teneat. De quo latissima quæstio est, & ad Apo lecta nostrum non pertinet.

Notabis, quòd nepos in hæreditate aui succedit in locum patris sui ex propria persona in gradu, vt notauit Bart. in l. 2. C. de lib. prater. ibi. Nota ex hac l. vnum, quòd licèt nepos succedat in locum patris sui, vt dicit hic tex. tamen ex persona sua succedit, non ex persona patris sui, quod apparet, quia institutio patris sibi prodest, vel nocet, si inspicitur institutio, vel exhæredatio facta de eo. Quod ergo dicit, nepos succedit in locum patris, intellige, hoc est in gradu: vt sicut filius tenebat gradum primũ, ita hodie tenet nepos filio subducto, ex persona tamen sua succedit, tex. verò sic se habet. Si auus tuus, qui patrem tuum, & nouercam æquis portionibus hæredes instituit, cum te quoque haberet in potestate, testamento nominatim non exhæredauit, mortuo patre tuo, viuo auo, sine impedimento legis Velleiæ succedendo in patris tui locum, rupisti aui testamentum, & ad te hæreditas eius tota pertinuit.

Nepos an censeatur exclusus excluso filio? Bellissimè disputat Bald. in l. maximum vitium C. de lib. prater.

Nobilitas.

Est quædam maiorum claritas, seu generis virtus, vt per Arist. lib. 3. Politic. cap 11. quam naturalem appellauit Bart. in l. 1. num 59. C. de dignit. lib. 12. & non à patre, sed à genere tribui, docet tex. sic intelligendus in l. 3. ibi. Quæ verò non à patre, sed à genere ff. de interd. & relega. prout notauit Tiraq. de nobilit. cap. 35. num. 4.

In descendentes hæc nobilitas generis, & originis deriuari dicit d. l. 1. vbi Bart. & Ioann. de Plat. l. Si Senator 11. C. de dignit. lib. 12. l. Moris est 9. §. pen. ff. de pan. l. 2. §. In filijs ff. de decurion. l. 4. ff. de senator. Et ad iura sanguinis referri l. Iura sanguinis ff. de reg. iur. vbi etiam traditur nulla Iuris dispositione tolli posse l. Ius agnationis ff. de pact. l. si te C. de ingen. l. Diui §. Diui ff. de lib. cau. Cùm certum sit iura naturalia semper firma, & immutabilia permanere §. Sed naturalia de iur. nat. in Inst. vt optimè considerant Ioann. Garc. glo. 7. number. 17. & Gutier. pract. capit. 13. num. 94. differentiam constituens inter hanc naturalem nobilitatem, & politicam, seu accidentalem, quod quidem antea tradiderat Arist. d. lib. 3 politic. & Bart in citat. l. 1. num. 59. & 60. C. de dign. lib. 12. Osor. noster Lusitan. lib. 1. de nobilit. cap. 4. & Tiraq. vbi sup. & cap. 15.

Vnde dixit Arist. lib. 4. & 1. Politic. quòd nobiles videntur esse, quibus stant, vel adsunt progenitorum virtutes, & diuitiæ, & licèt diuitiæ, tamquam viles, non possint dare, nec auferre nobilitatem, naturalem inquam, non accidentalem, tamen possunt esse causam, ob quam viuit nobilitas, & obuenta seruatur, vt tradit Bart. in d. l. 1. numer. 47. secundum, quem pono tres nobilitates.

Prima est Theologica, seu supernaturalis. Secunda est nobilitas naturalis. Tertia est nobilitas politica, & Ciuilis. De prima Theologica, & spirituali est quærendum in conspectu æterni iudicis, apud quem nulla est, nec vicissitudinis obumbratio, nec aliquid latet. Nam apud Deum est nobilis omnis, qui est in gratia faciente gratum. Item omnis ille, qui est virtuosus, dico de illa virtute, quæ facit hominem felicem, scilicet, qui in charitate est; si enim quis in charitate est, ille est in gratia; non enim posset esse in charitate sine gratia,

ria, & hæc gratia consistit in hoc, quòd Deus fecit sua largitate hominem gratum sibi, vt habetur per magistrum *sent. libr 2. dist.* 12. & clarius ibidem *per D. Bonauent. & à Sanct. Thom.* 1. 2. *quæst.*110 *&* 50. *& probatur* 1.*reg.*2. ibi. Quicumque glorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Et istos quidem nobiles non possumus perfectè cognoscere, nisi per reuelationem. Dicitur enim Ecclesiast. Nescit homo verum amore, vel odio dignus sit, & hanc nobilitatem Theologis relinquimus.

Altera est nobilitas, quæ dicitur naturalis, quam considerat idem *Bart. d. l.* 1. *num.* 59. duobus modis, primò prout congruit animalibus rationalibus, & etiam irrationabilibus, & alijs sensu carentibus, & isto modo dicuntur nobilia, & ignobilia secundùm nobilitatem operationum, vt in brutis patet; videmus enim quasdem aues eiusdem speciei nobiles, & ignobiles, & eodem modo inter artifices distinguimus quoddã nobiles, qui sunt magis instructi alijs, & alij sunt, quos ignobiles dicimus, vt satis probatur *ex l.* 1. *de condit. in horr. pub.lib.*10. ibi. Ad istud autem negotium arbitratu, ac iudicio tuo nobilis, prudens, fidelis, optimè sibi conscius pro integritate mentis apponatur iustus, ac mensor, & in *l. Prouidendum C. de postulan.* ibi, Aut meritum nobilissimos fecerit, aut vetustas &c. coniuncta *glos. ibidem Verbo.* Meritum, idest qui bene sciunt, & quod benè studuerunt. Secundo modo potest cõsiderari, prout cadit in hominibus ista naturalis nobilitas, & tunc debet intelligi naturalis, idest naturali ratione inducta, quod nos Iuristæ appellamus de Iure gentium primæuo, quód apparet, quia solus hominibus congruit, & de ista nobilitate *Philosoph.* 1. *Ethic.cap.*4. dicit, quòd nihil aliud est, quàm virtus, & malitia discriminat seruum, & liberum, nobiles, & ignobiles, ita ponit *Bart. vbi supra, & num. seqq.* & post alias disputationes *nu.*62. ponit aliam secundùm Iuristas, quam latè examinat, ad eum te remitto videas, vbi etiam inuenies *num.*61. tertiam nobilitatem, politicam scilicet, seu ciuilem, qua differt nobilis à plebeio.

Et interim cum *Cicer. in inuect. in Salust.* dico, quòd sanctius est me meis rebus gestis florere, quàm maiorum opinione niti, & ita viuere, vt sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum, & cum Ouid. de luco.

Nobilitas hominis mens, & deitatis imago.
Nobilitas hominis virtutum clara propago.
Nobilitas hominis humilem releuare iacentem.
Nobilitas hominis mentem frænare furentem.
Nobilitas hominis, nisi turpia, nulla timere.

Et qui contraria prędictis operatur, & iactat se de nobilitate maiorum, potius se ignobilem facit, quàm nobilitatem demonstrat, nam vt alias iam dixi.

Et genus, & pro auos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco - - -

Et *Augustin. lib.*8. *Confess. capit.*4.*num.*2. de talibus dicit. Quod hostis noster communis plus tenet illos superbos nomine nobilitatis, & de his plures nomine authoritatis. Vide etiam *Bald. in l. Per adoptionem ff. de adopt.*

Illam, & non hanc nobilitatem attendit Papa *in cap. Venerabilis* 37. *de præbendis* dicit. Nos igitur attendentes, quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæq; honestas gratum Deo faciunt, & idoneum seruitorem, ad cuius

ius regimen non multos secundum carnem nobiles, & potentes elegit, sed ignobiles, & pauperes &c. Scimus namque quod omnia Christi opera sunt nostra instructio, & facit, quod *Ambros. 40. dist.* sic ait. Illud autem animaduerte, quod extra paradisum vir factus est, intra paradisum mulier, vt aduertas, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam competat sibi. Denique extra paradisum, hoc est inferiori loco, vir factus, melior inuenitur, & illa, quæ in meliori loco, hoc est in paradiso, facta est, inferior inuenitur.

Non negamus quod sublimes, & litteratæ personæ sunt maioribus beneficijs honorandæ, vt dicit *Pontif. in capit. De multa 28. in fin. de praben.* coniuncta *glos. litteratas.* ibi. Est ergo argumentum, quod secundum personarum qualitatem beneficia sunt conferenda. Et in *Extrauag. vnic. de praben.* ibi. Qui propter sublimitatem eorum, ac generis claritatem sunt potioris prærogatiua gratiæ attollendi, & ibidem glos. generis enumerat multa, in quibus nobilitatis habetur ratio. Et adhuc etiam in pœnis ad eam attenditur, *vt in capit. vlt. de pan.* ibi. Volentes tamen nobilitatis parcere comitis, vbi glos. notat, quod parcitur nobilitati circa pœnas, vt aliter puniatur nobilis, quam ignobilis &c. & altera *glos. in Auth. de incest. nupt. §. 1 coll. 2.* ibi. Nota magis puniri vilem, quàm nobilem per tex. in illis verbis. Et si vilis fuerit etiam corporis castigatio. Et quod nobiliores debent eligi, vt notauit *glos. Verbo Nobiliores in Auth. de defens. Ciuit. §. 1. coll. 3. per tex.* inuers. Nos igitur ibi. Sed inuicem nobiliores ciuitatum habitatores hoc ministeriũ eis adimpleatur, & in vers. Audient quoque ibi. Conuenit enim vnumquemque nobilium, semper functionem agere Ciuitatum, quas inhabitat, & hanc eis conferre habitationis repensationem.

Verumtamen dicimus, quod si vita, & mores eorum degeneres eos reddunt, in nihilo præferri debere ob solam nobilitatem, cum propter id se indignos reddant. Audi *l. Quoties 17. C. de dig. lib. 12.* In criminalibus vero negotijs dignitate quoque, qua se per suum videlicet periurium indignos esse probauerint, spolietur; *vbi glos. verbo.* Priuatis sic ait Nam infamis est, quia contra promissionem, & contra sacramentum venit.

Nobiliores natalibus, & honorum luce conspicuos, & patrimonio ditiores perniciosum vrbibus mercimonium exercere prohibemus, vt inter plebeios, & negotiatores facilius sit emendi, vendendique commercium, ait *l. 3. C. de commerc. & mercat.*

Sedendi quoque in aliqua Secretarij parte, quæ iudicibus inferior, altercantibus vero superior esse videatur habituro licentiam, dicit *l. Vlt. ante med. C. vbi Senat. vel clariss. & ibi glos.* Sedendi sic. Speciale propter nobilitatem, vt sedeant, & non dicant.

Nobilis præsumitur donare, quia donare procedit à nobilitate *capit. 1. de donat.* ita tradit *glos. Verbo. Petendis in l. 4. C. de dot. promiss. in addit.* Hanc enim sibi quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere se, quod sponte tribuit, existimet, & nisi in beneficijs creuerit, nihil se præstitisse putet, vt ait *d. cap. 1. de donat & eadem verba glos. Verbo In donis in Extrauag. vnic. de sent. excom.* Quod quidem non sæpe video in nostri temporis nobilibus, qui potius volunt omnia sibi donari, & de Iure reputant sibi deberi; sed tales non habent nobilitatem ab animo, qui facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam, licet surgere, sed fundant totam nobilitatem in atrijs plenis fumosis imaginibus, quæ nobilem non faciunt, vt optime dixit *Senec. epist. 44.*

Reputant etiam nobiles sibi ad aliquem

ruborem, seu pudorem, si quod vident alios facientes, ipsi non faciunt, pompam sæculi sequi volentes, & frequenter hoc accidit, vt notauit *glos. Verbo. Erubescunt in Extrauag. vnic. de torneament.*

Nota nobilitari patrem per filium, magistrum per scholarem, & præsidem per subiectos, dicit *glos. in Auth. Constitut qua de dignit. coll. 6. per tex.* ibi, Et nobiliores patres ostendat.

Nobili testi plus creditur, quàm plebeio, vt satis notum in vtroque Iure est *in cap. Si testes vers. Itē testiū fides* ibi. Cōditio cuiusque verum quis decurio, an plebeius sit *4. quæst. 2. & 3, & in l. 3. ff. de test.* à qua prædicta verba sumpta fuerunt. Et certe pro nobilitate semper debet præsumi in ijs, quæ spectant ad nobilitatem, vt probat *glos. singular. in cap. Illud Verbo. Non loci 40. dist.*

Nobilitas ex scientia causatur, vt deducitur *ex l. 2. §. Amplius ad fin.* ibi. & dicit hæc nobilis *Vlpian. ff. de excusat. tut.* & tradit *glos. per tex. ibi. in l. pen. C. de postulan. verbo.* Nobilissimos sic. Potes etiam hic notare, quod scientia nobilitat, si proprie accipis nobilissimos, sicut & vetustas, vt hic subijcit &c.

Perditur autem nobilitas, vilem mercantiam, si quis exerceat, *vt in citat. l. 3. C. de comerc. & mercat.* & si fiat notarius, dicit *Oldrald. cons. 75.* & alij relati per *Bertach. in suo repert. super hoc verbo.* Nobilitas, vbi etiam per ingressum religionis ammitti, ait ex his, quos affert, & est *glos.* non allegata ab eo in *cap. 1. de purgat. canon. Verbo Ingenuus* ibi. Sicut per monachatum amittit quis nobilitatem, licet ibidem Apost. alleget plures contrarium tenentes. Et ego cum Gregor. dico quod per peccatum omnis nobilitas perditur sic. Namque ait *citat. dist. 40.* Adam primus homo pro peccato de paradiso eiectus fuit; hoc est quia Dei nobilitatem à se deiecit, nobilitate loci deiectus est; & addo etiam nobilitate personæ, quia cùm in honore esset, non intellexit, factus est similis iumentis insipientibus.

Nocere.

Qui alii nocendum esse existimauit, ipse sentiat suam iacturam, ait *l. Si legatarius 25. C. de legat.* Etenim quædam sunt talia, vt in præsentiarum quidem nihil noceant, in futurum autem nocere debeant dicit *l. 2. §. Idem Labeo ff. ne quid in loc. pub.* Prodesse verò sibi vnusquisque dum alijs non noceat, non prohibetur *l. 1. §. Iidem aiunt ff. de aqu. plu. & in l. Si peculium 20. ff. de statulib. ibi.* Et cum seruo nihil absit, & libertas ei competat inuidiosum est hæredi fraudari, *& l. pen. C. de precib. imp. offer.* ibi. Nisi forte sit aliquid, quod non lædat, alterum, & prosit petenti. Vnde dicit *glos. verbo. Futurum in l. Arbiter ff. de recept. arbitr.* quòd facilè debeo sustinere, quòd mihi non nocet, & alteri prodest per *l. In creditore ff. de euict.* cuius verba sunt, Cui enim non æquum videbitur, vel hoc saltem consequi emptorem, quod sine dispendio creditoris futurum est? *vbi glos. vlt.* sic, Item nota hic, quod cogetur, quis cedere, quod est sine suo damno &c. sic debeo pati fieri in meo, quod non nocet mihi. Quilibet autem debet esse intentus, vt alíí prosit, & non noceat, ita dicit *glos. Verbo. Affici per tex. ibi. in l. Seruis 7. in fin. ff. de seru. exportan.* Et si apud se habeat nocentes de damno ab eis dato tenebitur, *vt in l. Si seruus § Proculus ff. ad l. Aquil. ibi.* Cæterum si seruos noxios habuisses teneri, qui tales habuerit.

Satius esse impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari, dixit *Traian. ab Vlpian. relatus in l. Absentem 5 ff. de pæn.* quod obseruasse Titum scribit *Ioseph. de bell. Iud. lib. 4. c 4.*

ad

ad fin. dicens. Meliusque noxium relinquere metu suspensum, quàm immeritum quemquam cum eo perdere existimabat.

Non nocet abundans cautela vulgariter dicitur, & probatur ex *l. Testamentum 17. C. de testam.* ibi. Namque necessaria prætermissa imminuunt contractus, & testatoris officiunt voluntati, non abundans cautela.

Nolo.

Significat præcisè resistentiam, & in hoc differt à non volo, quòd non illam præcisam resistentiam denotat. De primo est *glos. in cap. 20. Verbo.* Noluerint ibi, idest absolute resisterint *De sponsal.* De vtroque est doctrina *Abb. in capit. finem numer. 8. de dol. & cont.* dum sic ait. Nota quod Verbum. Nolo non denotat semper præcisam resistentiam &c. Vnde debet hic exponi, idest non vult &c, sed per Verbum. Non volo, non denotatur contemptus, & præcisa resistentia, vbi etiam notat additio, & ex Alex. sic ponit quòd per Verbum. Nolo, inducatur expressa resistentia, per Verbum, non volo, denotatur simplex impotentia, vt si dixerit dormiens non vult legere, hoc est non potest legere pro prædicta differentia videtur *Iureconsf. in l. 4. ff. de acquir. hared.* cum ait. Nolle non videtur, qui non potest; Licèt *glos. Verbo. Pacto in l. 1. C. de natural. lib.* dicat. Nolle dicor, quod non possum meo facto impedicus, debebat namque dicere iuxta dictam distinctionem, non velle dicor, quod non possum. Sed quidquid sit in lingua latina, in nostris vulgaribus, idē est nolo atq; non volo, cum eo tantùm vtamur. Non voglio. Naõ quero.

Qui semel noluit bonorum possessionem petere, perdit Ius eius, vbi enim noluit, iam cœpit ad alios pertinere, ait *l. 1. ff. de success. edict.*

Idem esse nolle vendere, ac nolle proiusto precio vendere dicit *Bart. in l. Non dubiam 14. ff. de legat 3. per tex.* ibi. Si redimere non possit, quod dominus nō vendat, vel immodico pretio vendat.

Nomen.

Ad recognoscendos singulos nomina comparata publico consensu, inquit, *l. 10. C. de ingen. & manum.* idem in *l. vnic. C. de mutat. nom. & in §. Si quis in nomine delegat. in Inst. ita.* Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt; qui si aliquo alio modo intelligantur, nihil inter est.

Nomina ex communi vsu intelligenda sunt. Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi vsu nomina exaudiri debent, dicit *glos. Verbo. Vltra duas dietas in cap. Non nulli 28. de rescript.* sic debent esse consonantia rebus, vt inquit *glos. Verbo. Nominis ratio in cap. Cùm secundum de preben. & in Auth. de priuileg. dot. Verbo. Imposuerint coll. 8. ibi.* Cùm nomina debeant esse consonantia verbis. Vnde dicitur in *glos. Verbo. Iustinian. in rub. proam. ff.* quòd Imperator ipse vocatur Iustinianus à iustitia, quam semper coluit, & colendam subditis iniunxit.

Nota nomen consequens rei, dixit *glos. Verbo. Nomen per tex.* ibi. Tam nomen, quàm substantiam *in §. vlt. de fideic. hared. in Inst.* Et ita ex quo nomine caret res, vel persona, etiam effectu carebit, vt deducit *glos. Verbo. Ipso in Auth. de testib. §. 1. vers. licere per ten.* ibi. Ipso testium nomine, qui loquitur de testibus vilissimis, qui nec nomen testium merentur, & prædicta glos. infert, quòd nec effectum habebunt. Vnde à nomine argumentandum ait *glos. vlt.*

in l. 4. *C. de servis* ibi. At per hoc si nomine eximuntur, etiam fructu carebunt, & facit *l.* 1. *C. de offic. praefect. vrb.* ibi, Sciat ex ipso nomine quid praefecto debeatur annona, *vbi glos.* sic. Nota, quòd nomini est deseruiendum.

Ex nomine etiam in contractibus argumentatur, *vt in l. Si seruus communis* 37. *ff. de stipul. seru.* Ibi. Sed cum ad nomina prius decursum est, rationabilius esse videtur pro virili parte stipulationem ei acquiri, quod dominorum vocabula pro demonstratione habeantur.

Solam autem nominis similitudinem ad confirmandam cuiusque originem, non satis esse, dicit *l. vlt. ff. ad municipal.* Aliquid tamen operatur, vt nomina sint consonantia rebus, addit ibidem *glos. Verbo. Nominis.*

Cùm res intelligitur, minus de nomine laborandum est inquit *Tull. in topic.* relatus à *glos. Verbo. Vocabula in l. pen. C. de constit. pec.* per quem eadem *glos.* sic ait. Controuersiam de nomine pertinacibus relinquit, verba verò *tex.* sunt, sed vt subtilitati eorum satisfiat, qui non sensum, sed vana nominum vocabula amplecti desiderant.

Vix inuenitur nomen aliquod, quod omninò idem significet, quod aliud, semper enim vel plus, vel minus, vel aliud, vel alio modo; ita ait *glos. Verbo. Vocabulum in l. Si idem* codicilli, quod testamenta possent, cur diuersum his instrumentis vocabulum mãdaretur, quae vis, ac potestas vna sociasset? *C. de Codicill.*

Proprij nominis ignorantia non admittit *l. vlt. C. de hered. instit.* ibi. Neque enim sic homo supinus, imò magis stultus inuenitur, vt suum nomen ignoret. Ego verò noui quemdam, qui confessus est, & non negauit sibi accidisse volenti subscribere epistolam familiarem, proprij nominis obliuionem; & admirans talem, in obliuionem mandani alteram, quae nostris temporibus accidit in Colimbriensi academia cuidam scholari interrogato de paterno nomine, cuius non meminit.

Nomina eorum, qui aliquod opus publicum extruxerunt, non debent eradi ex ratione *l.* 2. *ff. de oper. public.* ibi. Ne eius nomine, cuius liberalitate opus extructum est, eraso, aliorum nomina inscribantur, & propterea reuocentur similes ciuium in patriam liberalitates.

Poterit quis mutare nomen, dummodo sine fraude mutet iuxta *l. Vnic. C. de mutat. nom.* ibi. Mutare itaque nomen, vel pronomen, vel cognomen sine aliqua fraude minimè prohiberis. Nihil enim mali est honesti hominis nomen assumere, vt inquit *l. facta* 63. *§. Si danda pecunia ff. ad Trebell.* & hoc valde in vsu est in fideicommissis familiae relictis, vt tali cognomine vocentur successores.

Sedet Summ. Pontif. quando creatur mutat nomen. Et cur? interrogat *glos. Verbo. Bonifacius in proem. lib.* 6. *Decretal.* & sic respondet. Vt ostendatur ad permutationem nominis, factam mutationem hominis, cùm enim esset purus homo, nunc vicem veri Dei gerit in terris &c. Vel ideo, quia omnis actio Christi est nostra instructio, sed in promotione Petri mutatum est ei nomen, cùm prius vocaretur Simon, sed Rom. Pontif. vicem Petri gerit, vnde ad eius exemplum primaeuum mutandum est nomen.

Nomina debitorum constituunt tertiam speciem bonorum, vt deducitur ex *l. A Diuo Pio §. In venditione ff. de re iud.* vbi in executione facienda hic ordo seruatur, vt primo loco capiantur mobilia, & his deficientibus immobilia, quibus non extantibus ad iura, hoc est ad nomina peruenitur debitorũ; sic enim ibidem explicat glos. Verbo. Iura, idest nomina.

Notabilis est *l. Si maritus* 14. *C. de distract.*

stract. pigidàm ex eo colligit *Bald.* in summario, quòd licèt pecunia mutuata sit vxoris, nomen tamen debitoris non est vxoris; verba *tex.* sic se habent. Si maritus tuus mutuam, licèt tuam, dedit pecuniam, eorum, quæ pignoris titulo accepit; si ei non successisti, distrahendi nomine tuo nullam habes facultatem.

Nomen debitoris si legetur comprehendit omne debitum, etiam cum accessionibus, vt probat *l. Nomen* 33. *ff. de legat.* 3. In legato autem generali non continebuntur nomina debitorum, vt est optimus tex. *in l. Caius Seius* 83. *vbi Bart. ff. de legat.* 2. Non poterit verò dari in solutum nomen debitoris creditori in vitio, iuxta *l.* Eum, à quo mutuam sumpsisti pecuniam in solutum nolentem suscipere nomē debitoris tui compelli, Iuris ratio non permittit *C. de solut.*

Primo loco nominatus alijs præferri debere est *tex. in l. Si non lex* 83. *vers.* Temporibus ibi. Qui priore loco scriptus fuerit, eique hæreditas restituatur *ff. de heredit. instit. l. Quoties* 12 *ibi*. Si quidem Titio, & Mæuio potest dici prius Titio, deindè Mæuio legatum datum *ff. de vsufr. vbi glos. Verbo*. Deinde, alia allegat iura. Præsumitur namque magis dilectus, vt per *Bald in rub. C. si quis omiss. cau. testam. num.* 5. ibi. Semper enim affectio testatoris per prius dirigitur ad primum nominatum, ideoque magis honorari debere, dicit idē *Bald. in Auth. hoc amplius numer.* 21. *vel* 22. ibi. Item nota hic, quòd qui primò nominatur plus diligitur, & magis honoratur *C. de fideicomm.* & ibidem, quod prænominatus in contractu, principalis habetur cum distinctione, de qua ibi.

Ex sola nominatione filiationem, hoc est aliquem filium esse, alicuius non probari, satis planum est *ex l. Non nudis assicuerationibus*, nec ementita possessione, licèt vtrique non consentiant, sed matrimonio legitimo concepti, vel adoptione solemni filij ciuili Iure patri constituuntur *C. de probat. coniunctis l. Non epistolis* necessitudo consanguinitatis, sed natalibus, vel adoptionis solemnitate coniungitur, *eod. tit.* Præsumptionem tamen facere deducitur *ex cap. Illud* 11. *coniunctis glos. ibidem Verbo*. *Nominant de præsumpt.*

Notorium.

IDest manifestum rei euidentia, vel alijs duobus modis, de quibus habes *de cohabit. cler. cap. vlt. ita glos. verbo. Notorium in cap. Cùm Ecclesia* 31. *de elect. glos. Verbo. Manifestum fuit in l. Emptorem* 32. *ff. de act. empt.* ibi. Manifestum fuit, idest notorium, quod probatione non indiget. *Bart. verò in Auth. Qui semel num.* 16 *C. Quomod. & quan. iud.* differre notorium à manifesto dicit in hæc verba. Ex hoc nota vnum, quod potest hic colligi differentiam inter manifestum, & notorium, quæ tangitur *per glos. Verbo. Ciues infr. de appellat.* Nam notorium propriè transit illud, quod habeat causam manentem, vt edictum propositum stat ibi, vt omnes transeuntes possint illud legere, vt hic &c. Manifestum potest dici, quod habet causam transeuntem, licèt fiat coram multitudine gentium, vt puta præconium.

Bald. autem in dict. Auth. Qui semel numer. 10. sic ait. Dic quòd notorium est sententia populi &c. ratio igitur est de notorio à testibus reddenda, quia populus ita pro certo tenet, & habet pro vero, & indubitato. Et omne notorium debet habere duos comites, scilicet apparentiam, & existentiam; propterea Iacob. But. contradicit sibi ipsi, quia non est verum, quod citato in albo sit in actu permanens, nisi paucis diebus,

bus, quia intra paucos dies abradebatur &c. & sic fuit in actu iam, sed nunc non est, quia non apparet. Et breuiter notorium actus transeuntis probatur per cohærentias, & circumstantias; sed notorium actus permanentis probatur per se ipsum ipso viso &c. & notorium non indiget probatione, quia se ipsum ostendit substantialiter &c. quod autem manifestum est examinis subtilitate non eget.

Quandoque tamen probatur, & examinatur, quod notorium est. ita ponit *glos. Verbo. Recepit in cap. Bona* 23. *de elect.* & addit. Quoniam licèt aliquid manifestum sit, eius tamen interpretatio non est negligenda &c. quamuis, nihil tam indubitatum sit, quin recipiat quamdam solicitam dubitationem. *Et in eod. cap. Bona* sic dicitur. Porrò excessus notorius probatione non indiget. *Et in cap. Quoniam* 10. *de fil. presb.* ibi. Nolumus enim, vt causa in iudicium deducatur, vel testes etiam admittantur, si hoc manifestum existat. *& ibi glos.* sic. Et ita habes, quod in manifestis, & notorijs ordo iudiciarius, non est obseruandus, *& in cap. super eo* 3. *de test. cogend.* ibi. Quod si factum est notorium non eget testium depositionibus declarari, cùm talia probationem, vel ordinem iudiciarium non requirant.

Sed cum multa dicantur notoria, quę non sunt, prouidere debes ne quod dubium est pro notorio videaris habere, ita pręcipit *cap. consuluit* 14. *de appellat. vbi glos. Verbo. Notoria.* sic ait. Notorium tribus modis dicitur, vt *infr. de cohab. cler. cap. vlt. idem ponit glos. Verbo. Notoria in cap. vlt. de temp. ord.* ibi. Notorium tribus modis dicitur crimen, per sententiam, per confessionem in Iure factam, & per rei euidentiam, vbi iterum allegatur *d. capit. vlt. de cohab. cler. & facit cap. Cùm speciali* 61. *§. Porro de appellat.* ibi. Si eius excessus euidentia rei, vel ipsius confessione, vel alio modo fuerit manifestus; *vbi glos. Verbo. Confessione* sic. Ita patet, quod non admittitur appellatio contra confessionem, vel si excessus sit manifestus euidentia rei, vel alio legitimo modo, puta per sententiam, istis tribus modis factum dicitur notorium. Et sicut appellationi non est locus in notorijs, sic etiam nec recusationi, vt dixit *glos. vlt. in cap. Proposuit* 24. *de appellat. per tex.* ibi.

Aliud autem est notorium facti, aliud Iuris, aliud præsumptionis. Notorium facti est, quod ità se exhibet conspectui hominum, quod nulla potest tergiuersatione cælari, & de tali hic intelligitur in quo nullus auditur appellans, & in tali notorio creditur simplici officiali, nec requiritur scientia omnium, sed plurium. Notorium Iuris est, de quo aliquis condemnatur, vel est in Iure confessus, & de hoc notorio requiritur aliquando probatio, si negetur. Notorium præsumptum est; vt paternitas, filiatio, quòd aliquis sit filius alterius non posse verè probari, ita magistraliter docet *glos. Verbo. Notorium in cap. vestra* 7. *de cohab. cler.*

In notorijs non præsumitur ignorantia, ex his, quæ *glos.* 1. *in l.* 1. *de recept. arb.* ibi. Ignorantia præsumitur, nisi notorium sit, vbi *Apostill. sic. Alex. in l. Tutor. C. de peric. tut. in apostill. suis ad Bart.* reputat istam *glos.* singularē ad hoc, quod notorium tollit ignorantiæ præsumptionem, quod aliàs præsumeretur.

Licèt notorium releuare possit ab onere proponendi, ait *glos. Verbo. Alias causas in Clem. appellanti* 5. *de appell.* Quod autem notorium non egeat probatione, vulgare est ex *l. Emptorem* 12. *ff. de act. empt.* ibi. Quia manifestum fuit coniuncta *glos. ibidem Notorium est, quod probatione non indiget, not. Bald. in sum. l. Ciues C. de appell. cap.* 3. *de test. cog. cap. Euidentia de accusat.* & supra proximè iam dictum est.

No-

Notorium esse, quod transiuit, sed quod sine licentia transiuit, notorium non esse, loquitur *glos. Verbo. Notorium, in cap. 3. de translat. Episc.*

Nouatio.

EST prioris debiti in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem transfusio, atq; translatio, hoc est cùm ex præcedenti causa ita noua constituitur, vt prior perimatur. Nouatio enim à nouo nomen accepit, & à noua obligatione, ita definit *Vlpian. in l. 1. ff. de nouat.*

Omnes res transire in nouationem possunt. Quodcumque enim sine verbis contractum est, siue non verbis contractum est, nouari potest, & transire in verborum obligationem ex quacumq; obligatione, dummodo sciamus ita demum fieri, si hoc agatur, vt nouetur obligatio. Cæterum si hoc non agatur, duæ erunt obligationes; idem *Vlpian. in l. 2. eod. tit. & in §. Præterea in Inst.* eo: Imperator. Tunc solùm nouationem prioris obligationis fieri, quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quod propter nouationem prioris obligationis conuenerunt; alioquin & manere pristinam obligationem, & secundam ei accedere, vt maneat ex vtraque causa obligatio.

Et generaliter definimus volũtate solùm esse, non lege nouandum, & si non verbis exprimatur, vt sine nouatione causa procedat. Hoc enim volumus naturalibus inesse rebus, & non verbis extrinsecus superuenire, inquit *l. vlt. C. eod. tit. vbi glos. vlt. notat tres* casus, in quibus præsumitur facta nouatio ipso Iure, & ibidem Doct.

Perit priuilegium dotis, & tutelæ, si post diuortium dos in stipulationem deducatur, vel post pubertatem tutelæ actio mouetur, si id specialiter actum est, quod nemo dixerit lite contestata, ait *l. Aliam 29. ff. eod. tit.*

Tribus modis fieri nouationem, inquit *Bart. in l. vlt. num. 4. ff. de vsur. iud.* in hæc verba. Vno modo, primæ actionis in secundam transfusio, & de ista loquitur *ff. de nouat. l. 1.* Secundo modo accipitur nouatio, hoc est nouæ qualitatis additio, & ista fit per litis contestationem, *vt d. l. Aliam*; fit enim actio prima perpetua, & transitoria in hæredes sed non erit noua. Tertio modo accipitur nouatio, hoc est nouæ formæ adiectio, & ista fit per sententiam, nam adijcitur noua actio per sententiam.

Nouerca.

SIc dicta quasi nocens arcus, vel quia noua est arca, quasi sine fructu, ita ponit *glos. Verbo. Nouerca in §. Socrum de nupt. in Inst.* Et benè nocens arcus, quia nouerca communiter sæuit in priuignos, vt per *glos. Verbo. Nouerca in Clem. Pastoralis de sent. & re iud.* ibi. Sicut se habet nouerca ad priuignos, quæ sæuire solet in illos, sic se habet ad iustitiam voluntas præcipitantis iudicis. Inde dixit quidam.

Gaudet in afflictos sæuire nouerca potestas.

Sic etiam Canon. quòd negligentia est nouerca eruditionis.

Quod abstulit nouerca post aditam hæreditatem, & possessionem apprehensam, poterit priuignus actione furti ab ea petere, vt summat *Bald. l. de ijs 11. C. de furt.* si verò adhuc res promiscua fuerint, furti actio non competit, sed reiuendicatio, *vt in l. Quamuis* etiam expilatæ hæreditatis criminis promiscuus vsus exemplo actionis furti ream vxorem fieri non patiatur; tamen hære-

rēdes, itemque filij ſuper ijs, quæ de patris bonis poſſidet aduerſum eam in rē actione experiri non prohibētur *C. eod. tit. de furt.*

Nouitas, & Nouum.

EST *gloſ. magiſtra in capit. Generali* 13. *de elect. lib.6. Verbo.* De nouo, quæ ſic ſe habet. De nouo ſcilidet à quadraginta annis citra &c. Chriſma tamen, matrimonium, mancipium, vinum, dicuntur noua, quæ non excedunt annum, quæ ſingula probat ex Iuribus ab ea relatis, & addit. Alibi dicitur nouum, cuius extat memoria, & eius contrarium, dicitur vetus *ff. aq pluu.l.1.§.fin.* Quandoque autem nouum appellatur, ideſt vltimum, inquit *gloſ. in rub. ff. nou. oper. nunc. in addit.* vbi de alijs modis, quibus dicitur nouum.

Licèt alias vulgariter dicatur, quòd omnia noua placent, & pulchritudine ſunt decorata, vt dixit Iuſtinian. *in proam. digeſt. §. ſecundo autem anno. vbi gloſ. notat.* Et quòd ſemper fas fuit pictoribus, atque poetis nouitates inuenire, vt per *gloſ. Verbo. Patris in cap Quanto de iur.iu.* Natura enim vndique nouitatibus vtitur, vt per Imperator. *in Auth. de conſang. & vter. frat. coll.6.* Tamen nouitates vitandas, dixit *gloſ. vlt. per tex. ibi in capit. Dilectio de conſang. & affin.* in illis verbis. Et obſernatæ conſuetudini deferendum, quam aliud in diſſenſionem, & ſcandalum populi ſtatuendum quadam adhibita nouitate; Nam in rebus nouis conſtituendis euidens debet eſſe vtilitas, vt recedatur ab eo iure, quod dici æquum viſum eſt, dixit *Conſult. in l. In rebus ff. de conſtit. princip vbi not. doct.* & allegat *gloſ. vlt. in cap. Cum conſuetudinis 9. de conſuet.* in qua dicitur ſic. Et plerumq; diſcordiam pariant nouitates. Conſonat *Extrauag.1. de priuileg. int. com.* ibi. Quia plerumque pariunt nouitates diſcordiam, præſertim dum ab eo, quod æquum viſum eſt per nouam conſtitutionem receditur, nec quare recedatur, vtilitas, vel alia cauſa ſubeſt. *Et Plin. in præfat. nat. hiſt.* ita. Ardua res eſt vetuſtis nouitatem dare, nouis authoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubijs fidem.

Rei vero nouæ nouum eſſe conſilium, & remedium ſuggerendum, dixit *glo. verbo. Moderaminis in Extrauag.1. de elect.* idem etiam *gloſ. Verbo. Remedio in Extrauag. Vnic. de priuileg.* Quæ enim de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, vt dicit *gloſ. Verbo. Poſtea in l. licet ff. de de recept. arbitr.* Ad quod mihi arridet optimus *tex. in l. 1. ff. de ventr. inſpic.* ſic dicens. Nouam rem deſiderare Rutilius Seuerus videtur, vt vxori, quæ ab eo diuertit, & ſe non eſſe prægnantem profitetur, cuſtodes apponat. Et ideo nemo mirabitur, ſi nos quoque nouum conſilium, & remedium ſuggeramus, *vbi not. gloſ.* Nouum factum nouum conſilium habere, ſed vetus, etiam vetus. Conſilium, autem in eo nouo deſiderio fuit, vt tres probatiſsimæ obſtetrices adhiberentur, vt aſpicerent illam vxorem, & cuſtodes non apponerentur.

Nouum non dicitur, quod ab alio fuit factum; *gloſ. verbo. De nouo in cap. Per tuas 5. de donat. & eſt tex. in cap. 2. de feud.* vbi Papa declarat fæudum redditum ad Eccleſiam poſſe iterum infeudari, non obſtante iuramento de non infeudando ex prædicta ratione, quia fæudum nouum non dicitur. Et facit *cap. Cum venerabilis 25. de cenſib.* ibi. Nec intelligatur quaſi nouum imponi, quod ab ipſa fundatione de communi fuerat iure impoſitum,

Nox.

Nox.

DIcitur quando sol non est super terram, vt inquit *Bart. in l. 1. §. Hac autem ff. ad Syllan.* & hoc intelligit quando computatur dies naturaliter; sed videtur contrarium dicere *Felin. in cap. consuluit numer. 6. de offic. delegat.* ibi. Non est nox vbi non est obscuritas naturalis, & ibi. Ante ortum solis dicitur mane &c. & nox incipit post tenebras; taliter quod geminum illud crepusculum diei non potest dici nox, & tamen constat, quòd in vtroque non est sol super terram, & probat etiam ex ipso *Bart.* & alijs quòd factum in aurora non dicitur factum de nocte *per tex. in l. Titius 25. §. Lucius ff. de lib. & posth.* ibi. Albescente, aliàs calescente cælo, hoc est aurora, vt ibidem glos. Tu vide eundem *Felin.* omninò in hac materia. Benè tamen non venit appellatione diei, vt tenet *Bald. in Auth. hodie C. de appell. idem Felin. distinguit vbi sup.* quo ad ieiunium, quoad priuilegia, & quoad diuina officia, & quoad diei festi obseruationem, ad eundem te remitto.

Tempus noctis non sufficit ad rescindendum contractum, si de alia iusta causa non apparet iuxta *l. Non minorem 20. C. de transact.* ibi. Nec enim ad rescindendum pactum sufficit, quòd hæc secunda hora noctis intercessisse proponas, cùm nullum tempus sanæ mentis maioris viginti quinque annis consensum repudiet.

Probatio eorum, quæ de nocte fiunt, difficilis reputatur, vt notauit *Apostill. ad glos. Verbo. Ignorantiam in l. si cum exceptione 14. §. In hac actione ff. quod met. cau.* ibi. Cùm talia fiant de nocte, & quod nocte fit, occultè, & clam dicitur fieri, deducitur *ex l. 1. ff. de furt.* ibi. Quod clam, & obscurè fiat, & plerumque de nocte, coniuncto *§. Furtum de oblig. quæ ex delict. in Instit.*

Nullum.

QVod est, non potest aliquem producere effectum, vt ex vulgata regula *l. Si se non obtulit 4. §. Condemnatum,* accipere debemus eum, qui ritè condemnatus sit, vt sententia valeat, cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit; dicendum est condemnationis verbum non tenere *ff. de re iud. coniuncta l. Non putauit §. Non quæuis ff. de bon. poss. cont. tab.* ibi. Non quæuis exhæredatio submouet filium à contra tabulas bonorum possessione, sed ea, quæ ritè facta est.

Nec primum, nec secundum dici potest, quòd nullum est, inquit *glos. Verbo. Tertia iuxta fin. in cap. Cum Vintonien. 25. de elect.* Nec de iure rescinditur, quòd Ipso iure nullum est, ait *glos. Verbo. Ad distrahendum in l. Exempto §. Is qui vnica ff. de act. empt. per tex. in l. Nam & si ff. de iniust. rupt.* Quia quod non est, cassari non debet *glos. Verbo. Cassatam in cap. Auditis 29. de elect.*

Si quod nullum est, lex facit aliquod, multò magis, quod inutile est, facit, notauit *glos. Verbo. Multo in l. vnic. in fin. C. de rei vxor. act.* & *satis probat tex.* ibi. Est enim consentaneum nobis, qui censemus, vbi stipulatio supposita non est, intelligi fuisse adhibitam, multo magis etiam si inutilis est, validam eam effici.

Nullum, & inutile æquiparari benè probant *doct. in capit. 2. de translat. Episc.* ibi. Secus iuxta communem modum loquendi illa dicitur Ecclesia viduata, quæ licèt Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. Sed quid dices de muliere habente virum inutilem, reputabitur ne vidua ad hoc, vt gau-

deat priuilegio, de quo *in l. vnic. C. quand. imp. inter pupill.* Disputarem vtique si Apolecta nostrum permitteret; Disputa tu, & resolue.

Licèt aliàs quòd nullum est ab initio, postea non possit confirmari; tamen in casu pignoris, nullum ab initio postea confirmatur *in l 20. ff. de pignor. act. inquit enim Paul. Iurisconf.* Aliena res pignori dari voluntate domini potest, Sed & si ignorante eo data sit, & ratum habuerit, pignus valebit, vt ibidem notat *glos. Verbo. valebit.*

Numerus.

PErfectus dicitur esse sextus *l. Bonifaci in proam. 6. Decretal.* §. Quem librum ibi. Censuimus sextum nuncupari, vt idem volumen Senarium (qui numerus est perfectus) librorum, illo adiuncto, numerum comprehendens, perfectam in rebus agendis formam tribuit, & in moribus disciplinam, & ibi *glos. Verbo.* Perfectus postquam affert similitudines de hominis, & mundi ætatibus, qui sex ætatibus finiuntur, sic ait. Sed licèt sint bonæ istæ similitudines, non tamen inferunt ipsum senarium numerum fore perfectum. Vnde dic, secundum Arithmeticos, quatuor esse generationes numerorum. Prima quæ incipit ab vno, & durat vsq; ad decem, & dicitur ista numerorum monadicorum, à monos, quod est vnum &c. Secunda dicitur decadicorum à decade, quod est decem, & durat vsque ad centum. Tertia dicitur centedicorum, & incipit à centum, & durat vsq; ad mille. Quarta dicitur milledicorum à mille incipiens, & durat vsque ad infinitum. Ex his quatuor generibus numerorum est reperire alios perfectos, paucos tamen, alios imperfectos. Et ex imperfectis est reperire alios diminutos, alios abundantes, Dicitur autem numerus perfectus, qui constat, vel resultat præcisè ex omnibus partibus suis aliquotis simul aggregatis &c. Et quia longa est *glos.* prædicta, & parum vtilis Iuristis, vt ibidem notauit *Apostill.* alia verba non refero, tu videas, si placuerit, vlterius, & inuenies qualiter probat numerum senarium solum esse perfectum inter monadicos.

Licèt numerus singularis ad plures referri non possit, iuxta *l. Vlt. ff. ad Trebell. cap. Gaudemus de diuort. & cap. Cùm in illis §. vlt. de præben. lib 6.* Verificatur tamen in pluribus iuxta *l. Qui filiabus 17. §. 1. ff. de legat. 1.* ibi. Si qua filia mihi genita erit &c. & ibi, Pluribus natis videtur singulis tantumdem legasse, *& l. Si plures 96. de legat. 3.* Si plures, inquit, gradus sint hæredum, & scriptum sit. Hæres meus dato, ad omnes gradus hic sermo pertinet; & sæpe in iure nostro inuenitur numerum singularem pro plurari poni, vt in *l. Qui cùm tutoribus 9. §. vlt. ff. de transact.* ibi. Non autem ea, quorum actiones competere ei postea compertum est, iniquum est perimi pacto, de quo cogitatum non docetur, vbi notat *glos.* De quo, idest de quibus, vt sit alleoteta numerus singularis pro plurali, & in *l. Diuus §. Vlt. ponitur* pluralis pro singulari *ff. de pet. hæred.* ibi. Quorum iudiciorum, *vbi glos.* explicat, idest cuius iudicii, scilicet petitionis hæreditatis, & erit alleoteta numeri, vel Syllepsis, quale est. Indignati sunt Apostoli propter effusionem vnguenti, cùm vnus solus, scilicet Iudas, fuit indignatus & c.

Pluralis numerus in duobus verificari satis notum est *l. vbi numerus ff. de testib. cap. in omni negotio eod. tit.* sed tamen in materia religionis non verificari, nisi in eo, quod maius fuerit, dixit *Bart. notabiliter per tex. ibi. in l. Titia 40. §. Seia ff. de aur. & arg. leg. vbi num. 7.* testificatur, quòd de facto quidam reliquit in Ecclesia fieri figuram Christi cum

Apo-

Apostolis, & quod debebat intelligi de duodecim pro certo affirmat.

Vbi maior numerus est zelus melior præsumitur, inquit *cap. Ecclesia vestra 57. de elect.* Et sic colligitur, quòd numerus præfertur authoritati; non enim præferenda est dignitas, nisi cùm numerus est par, vel in modicum excedit, vt dixit *glos. Verbo. Numerus in capit. Dudum 22. eod. tit. de elect.*

Nummus.

NOn facilè quisquam argenti numero nūmos computat, dicit *l. Quintus 29. ff. de aur. & arg. lega.*

Conductio nulla est, quæ est in vno nummo, ait *l. Si quis 10. ff. de acquir. possess. vbi glos. Verbo.* Solum reddit rationem sic. Quia merces debet consistere in pecunia numerata, at vnitas non est numerus, sed principium numeri.

Nummus, qui redactus est ex rei furtiuæ pretio, non est furtiuus, inquit *l. Qui vas 49. §. Vlt. ff. de furt.*

Nuncius.

DVpliciter dici potest. Aut enim intelligitur missus ab aliquo ad aliquid dicendum, vel faciendum. Aut est officialis publicus ad faciendas citationes. De primo inquit *Bald. in l. Si litteras 7. C. manda. num. 2.* Nuncius est vera pica, & licèt loquatur voce sua, tamen non loquitur voce sua, sed mittentis, & in persona illius, & ideo quia non dicitur moderator, & arbiter, sed nudus minister, *& glos. Verbo. Participatione in cap. Constitutionem 9. de sent. excomm. lib. 6.* sic. Ipse enim loqui videtur nuncium mittendo, vel litteram *ff. de const. pec. licèt.* Vnde solum in hoc differre nuncium à procuratore, dixit *glos. Verbo. Sed verius in l. 1. ff. de procurat.* ibi. Sed differunt in officio exequendo; nam procurator vnius rei in sua persona concipit contractum, *vt infr. de constit. pec. l. Cum §. Iulianus.* Sed nuncius eius in persona domini.

Si culpa nuncij referentis res perierit, periculo domini perit, est *tex. in l. Eum qui 10. §.* Sed & si dum refertur perijt; Si quidem ego mandaueram per quem remitteret, periculum meum erit; si verò ipse, cui voluit commisit, æquè mihi culpam præstabit, si sua causa accepit, & addit *Paul. in l. seq.* Qui non tam idoneum hominem elegit, vt rectè id proferri posset, *ff. commoda.* Vide etiam *l. Argumentum 20. eod. tit.* Quòd etiam procedere in nuncio Ecclesiæ, qui pecuniam mutuatam ipsi Ecclesiæ perdidit, tenent *doct. in Auth. Hoc Ius porrectum C. de Sacros. Eccles.* vt testatur ibidem *Bald. num. vlt.*

Principis nuncio non credendum sine litteris mandati, disponit *l. vnic. C. de manda. princ.* Si quis asserat, inquiunt Imperatores, cum mandatis nostris secretis se venisse; omnes sciant nemini quicquam, nisi quod scriptis probauerit, esse credendum, nec vilius dignitate terreri, siue ille tribuni, siue notarij, siue comitis proferat dignitatem, sed sacras nostras litteras esse credendas.

Si nuncius dolo tristia noua portauerit, ad damnum, & interesse tenetur, vt deducitur ex *l. 1. ff. de eo per quem fact. er.* ibi. Dolum autem malum sic accipimus, vt si quis venienti ad iudicium aliquid pronunciauerit triste, propter quod is necesse habuerit, ad iudicium non venire teneatur ex hoc edicto, quāuis quidam putent sibi eum imputare debere, qui credulus fuerit.

Simplicem nuncium non audiri, notauit *glos. Verbo. Nuncium in capit. Bona 21. de elect. & ibidem ponit arg.* in contrarium, & soluit ita. Prima pars vera quoad agendum, vel defendendum

Secunda quoad excusandum, vel denunciandum.

De nuncio autem, quatenus est officialis publicus, dicimus etiam viatorem nominari *in l. vlt. ff. de iud.* ibi. Viatorem coniuncta *glos.* ibi. Idest nuncium, qui executor dicitur *in §. Tripli de act. in Inst.* & huius inquit *Bald. in l. vlt. C. de edict. diu. Adr. Toll. num. 56. in fin.* esse officium vilissimum, cùm vilia tractet.

Debet tamen eligi probatus bonę fidei iuxta *Auth. de iudicib. §. His qui coll. 6.* ibi. Nos autem omnino locupletes, & probatos esse, vt neque ab eis aliquid peccetur, neque prodatur, neque malignè agatur, sed periculo officiorum &c. prębentium eis super electionem simul, & ministerium, & vel si quid ab eis peccatur, ad illos, qui deputant eos, referri exinde periculum, qui omne damnum eorum causa factum iis, qui ab eis læsi sunt, curabunt.

Nuncio publico iurato fideliter exequendi officium suum, benè creditur circa citationes, aliter non creditur, inquit *glos. Verbo. Suus nuncius in capit. Cùm parati 19. de appellat. & in cap. Venerabilibus §. Porrò de sent. excom. lib. 6.* ibi, Et sic regulariter creditur nuncio in his, quę concernunt executionem suã, super qua est iuratus; in alijs autem nõ ei crederetur. Et sic si dicat se citasse, creditur, licèt pars negaret, quod tamen est in arbitrio iudicis ex qualitate personarum, secundum *Ioan. Andr. in d. cap.* Cùm parati, vbi etiam *Abb.* addit. Habito respectu ad causæ quantitatem.

Nuncijs, qui mittuntur extra territorium, non creditur, nisi ostendant litteras, iuxta *Auth. de collator. §.* Eos autem, qui in prouincias pro quibuscumq; publicis exactionibus diriguntur, non aliter inchoare exactionem, nisi prius prouinciali iudicio insinuauerint impositas sibi de hoc iussiones *coll. 9.*

Nuncium posse fieri in re propria ad citandum aduersarium, notauit *Bart. in l. Eum qui §. vlt. num. 1. ff. de furt. & in l. Iustè ff. de acquir. poss.* vbi plenius per *Alex.* dicitur posse iudicem dare hanc licentiam actori; sed salua pace tantorum virorum, si iudex ego essem, nunquam darem, nam prædictus *§. vlt.* Loquitur de primo nuncio, de quo supra diximus, non verò de hoc secundo,

Nuptiæ.

Dicuntur ab obnubendo, idest velando, quia velatæ incedere debent, vt ait Isid. Sed matrimonium dicitur, ideo quia mulier nubit, vt mater fiat, & hæc duo nomina, licèt diuersis rationibus, idem significant. Item coniugium, & connubium, & consortium, ita ponit *glos. Verbo. Nuptiæ in §. 1. de patr. potest. in Inst.* vbi dicit, quòd licèt etiam inter seruos nuptiæ dicantur, propriè tamen contubernium nuncupatur.

Modestinus *in l. 1. ff. de rit. nupt.* sic eas definit. Sunt coniunctio maris, atque fœminæ, consortium omnis vitæ, diuini, & humani Iuris communicatio, *vbi glos.* inquit, Diuini, quia eiusdem sectæ per Iura, quæ allegat ibi. Celebrabantur autem per ignem, & aquam, vt clarè probat Scæuola *in l. pen. ff. de donat. inter vir.* ibi. Die nuptiarum priusquam ad eum transiret, & priusquam aqua, & ignis acciperetur, idest nuptiæ celebrarentur, *vbi glos. Verbo. Aqua.* sic. Forma, qua nuptiæ celebrantur, vnde versus.

Vota viri captant, quæ iam captanda putabant.
Quos facient iustos ignis, & vnda viros.

Et prosequitur eadem glos. Item, & alia dictio græca Gamostedas. Idest parentelas

telas designat apud nos. Est autem teda de ligno quodam, quod vt candela ardet, & accendebatur in matrimonio contrahendo, vt ipsi in amore accenderentur: Et alias dictio græca, Gamos, mulier vocitatur apud nos, hinc trigamum retine bigamum, quoque monogamque.

Nuptias, non concubitus, sed consensus facit, dicit *l. Cum fuerit 15. ff. de cond. & demonst. & ff. de reg. Iu. l. Nuptias.*

Sine autem dote nuptias posse celebrari declarat *l. Cùm multa 20. C. de donat. ante nupt.* Nam in nuptijs, quarum nihil est hominibus vtilius tamquam solis facere homines volentibus, dicitur *in Auth. de restitut. & ea, quæ par. §. 1. vers. rursus coll. 4.*

Fauore nuptiarum conceditur vtilis actio nepti ex pacto aui dotem dantis, vt notat *Bart. in l. Caius Seius 46. ff. solut. matr. per tex. ibi in fin.* Sed permittendum est nepti ex hac auita conuentione, ne commodo dotis defraudetur, vtilem actionem habere, fauore enim nuptiarum, & maximè propter affectionem personarum ad hoc decurrendum est. Legem enim vtilem Reip. Sobolis, scilicet procreandi causa lata ad inuandam interpretatione, ait *l. Hoc modo 63. ff de cond. & dem.*

Si verò concurrat cum fauore libertatis, præfertur libertas nuptijs, vt inquit *Paul. Iureconf. in l. Titio 95. §. vnic. ff. de cond. & dem.* his verbis. Serui vsusfructus mulieri, quoad vidua esset, legatus est; Idem seruus, si ea nupsisset, liber esse iussus est; si mulier nupserit liber erit, quia potior est legato libertas.

Quæ Titio nubere iubetur cæteris omnibus nubere prohibetur. Itaque si Titius indignus sit, tale est, quale si generaliter scriptum esset, si non nupserit, imo (si verum amamus) durior hæc conditio est, quàm illa, si non nupserit, nam & cæteris omnibus nubere prohibetur, & Titio cui in honestè nuptura sit, nubere iubetur; ita decidit optimè *Caius in l. Cùm ita 63. ff. de condition. & dem.*

Non videtur nupta, quæ virum pati non potest, inquit *l. Quod pupilla 30. ff. quand. di. lega. ced.*

Nuptiæ secundæ valde festiuantes an infament fœminas? Vide Mulier. Et mater transiens ad secundas nuptias non reuocat donationem factā filio ob causam ingratitudinis Verbo. Mater. Permittuntur tamen tales nuptiæ, & castæ dicuntur dicto Verbo Mulier.

Non videtur nuptias inijsse furtiuas, nec dotis ammissionem sustinere, nec capitali pœna esse obnoxia, quæ post tam magni temporis iugitatem non temerè, nec clanculo, sed publicè contestatione deposita nupsisse firmatur. Ideoque obseruandum est, vt si adulterij suspicio nulla sit, nec coniunctio furtiua detegatur nullum periculum ab ijs, quorum coniugio erant copulatæ vereatur; ita dicitur in *l. Vxor 7. C. de repud.*

Adigere iure iurando ne nubat liberta; Intelligitur etiam is, qui libertum iurare patitur, ait *l. 6. ff. de iu. patr.*

Del inquunt qui prohibitas nuptias contrahunt, & meritò puniendi sunt. Quod imputari mulieri non potest, quæ à tutore decepta est; ita inquit *l. vlt. ff. de legat. 1.* Sunt autem nuptiæ prohibitæ in quatuordecim casibus enumeratis à *glos. Verbo.* Enumerari *in §. sunt, & alia de nupt. in Inst.* vbi additio affert hos versus, in quibus declarantur.

Aetas, conditio, numerus, monachatus, & ordo.
Optio, noblitas sanguinis, tutela, potestas;
Fons sacer, affinitas, raptus, repugnat honestas.

Ir-

Irrita, quæ faciunt connubia legibus hæc sunt.

Notabis tamē, quòd non in omnibus prædictis casibus incurritur in pœnam excommunicationis ipso facto, de qua *in Clem. 1. de consang. & affin.* sed tantummodo in sex in eadem Clem. declaratis, vt notat ibidem *glos. Verbo. Eos*: dicens. Nota quòd in sex casibus hic expressis tantùm locum habet hæc constitutio, & eius pœna. Vnde si contrahat quis cum habente maritum, vel cū Iudæa, vel cum pagana spiritualiter, vel legaliter, vel contra impedimentum publicæ honestatis; licèt non teneant matrimonia, tamen non est locus huic pœnæ, quæ in his casibus, vel similibus expressa non est.

Denique nuptiæ non dicuntur post finitum annum, vt notauit *Archidiac. per tex. ibi. in cap. De gradibus 35. quæst. 2.* in illis verbis. Nouas contraxisse nuptias videntur, idest infra anni circulum, vel reuolutionem, & prout ibidem notauit *glos.*

Nurus.

HAnc generi appellatione, & soceri socrum, & vlteriores, quibus, Pro præpositio solet, accedere, contineri ait *Vlpian. in l. Cui eorum 3. vers. Item Pomponius ff. de postulan.* itaque pronurus continetur nomine nurus, vt notauit ibidem *Bart. idem dixit Caius ex l. 10. ff. de verb. signif.* Nurus, inquit, appellatio etiam ad pronurum, & vltra porrigenda est.

Si vir, & vxor non iam duo, sed vna caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quàm filia, ita August. *in cap. Si vir 35. quæst. 3.* parentis namque loco habetur socer, & vti talis habet priuilegium ne teneatur vltra quàm facere potest *in l. Rei iudicatæ §. Socero quoq;* cum quo nurus de dote agit; idem honor habetur, vt in id damnetur, quod facere potest *ff. solut. matr. vbi Bart.* arguit, quòd si nurus non est in potestate soceri, sed patris sui; non videtur ergo quod filia soceri sit, & ibidem respondet, contra quem ego etiam insurgo dicens, quòd nurus fit de familia viri sui, & in eam transit, ideoque finis, & caput familiæ dicitur, vt supra dictum est Verbo. Mulier; ideo plus dicitur esse in potestate soceri patris sui mariti, quàm in potestate patris sui ipsius mulieris. Quid ergo respondes lector Charissime? & idem *Bart. respondet ex glos. 1.* vbi supra, quòd verum est esse in potestate patris sui, & mariti verè, & in potestate soceri quadam fictione. Eadem ratione scilicet, quòd socer loco parentis est, non poterit nurus eum vocare in Ius sine venia, vt dicit *glos. in l. Generaliter* eas personas, quibus reuerentia præstanda est, sine iussu prætoris in Ius vocare non possumus *ff. de postulan.* ibi. Præterea potest dici, vt adijciat de socero, & socru, qui parentis locum obtinent, vt infra *l. Quia parentis solut. matr. & de nupt. in Inst. §. Socrum.*

Vxor, & nurus, & pronurus viro, & socero, & prosocero furtum facere possunt, furti autem non tenentur, nisi forte emancipatus sit filius tunc enim nurus patri eius, & furtum facit, & furti tenetur sic. *Vlpian. in l. Nihil interest 15. §. vnic. ff. de act. rer. amot.*

Nutus.

QValiter intelligatur quærit *Bart. in l. Nutu 21 ff. de legat. 3.* & sic respondet. Quando ad interrogata consentit, vel facit aliqua signa, per quæ voluntas eius perpenditur, vt *l. Seruo inuito 65. §. Si pupillo ff. ad Trebell.* ibi. Quòd aliquatenus circa mutos expediri potest. Nam si auditus capaces

sunt

sunt, vel interrogati, nutu possunt significare velle. Ex quo *tex.* colliges, quod si mutus non fuerit à natura, sed ex accidenti, & potest audire, nutu poterit relinquere, secus verò si à natura, & non audierit, vt iam dictum est supra verbo. Mutus. Quapropter dicit idem *Bart.* supra, quòd notarius debet sic scribere cum talis propter accidens loqui non possit, interrogatus assensit humeris, & annuit capite; quod deduxit *ex glos. Verbo. Et mutuisset l. Item quia 4. ff. de pact.* Et hoc modo mutus probabitur, & valebit relictum iuxta prædictas leges.

DE LITTERA O.

Obedientia.

MAGNA est virtus obedientiæ, dixit *glos. Verbo. Cesserit in l. Desertorem 3 ff. de re milit.* Propriè loquẽdo ea inter prælatum, & subditum est, inquit *glos. 1. in regula non est 19. lib. 6.* Latò temen modo etiam dicitur inter Principes, & vassallos, maiores, & minores iudices, & suæ iurisdictionis subiectos, patres, & filios, dominos, & seruos.

Est autem obedientia actus intellectus, & voluntas humiliter obtemperans superiori ex debito, & consistit in mandatis, de quibus non est exquirenda ratio à superiore, nisi quando contrarius mãdat, ita ponit *Bald. in l. liberti num. 4. C. de oper. libert.*

Primo debet præstari obedientia Papæ, vt regi regum, & domino dominantium etiam si concurrat cùm obedientia debita Archiepiscopo, vel regi, vt dicit *glos. Verbo. A rege in capit. Pastoralis 28. §. vlt. de offic. delegat.* & addit sic. Sed cùm vtrique possit obedire diuersis temporibus, vel etiam eodem vtrique obedire tenetur; de hac dicitur *in cap. 1. & 2. 98. dist.*

Et maiori cum ratione. Domino regi cæli, & terræ. Vnde *August. in cap. Quisquis 14. quæst. 1. ait*: Præcepto Domini non obedire peccatum est, & consilio si vti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis, & ibidem *in fin. D. Gregor. ita*. Quod præcipitur imperatur, quod imperatur necesse est fieri: si non fiat, pœnam habet; vbi consilium datur offerentis arbitrium est, vbi præceptum, necessitas est seruientis, vt obediat, vel imperantis, vt ei obediatur.

In maioribus est regendi, & iubendi potestas, in minoribus obsequendi necessitas, ita dicitur *in cap. Quamuis in fin. dist. 21.* Peccatum namq; ariolandi est non obedire, & scelus idolatriæ non acquiescere, vt inquit *cap. Si quis sunt ad fin. 8. dist.*

Vbi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ, dicit *cap. Miramur 61. dist.* Si verò obedientia non seruatur religio destruitur; audi *Pontif. in Extrauag. 1. de verb. signif. prope finem.* Religio namque perimitur si à meritoria subditi obedientia subtrahãtur; magna quidem paupertas, sed maior integritas, bonum est, obedientia maximum, si custodiatur illæsa: nam prima rebus, secunda carni, tertia verò menti donatur, & animo, quos velut effrænes, & liberos ditioni alterius hu-

humilis iugo propriæ voluntatis adstrinxit.

Bene verum est, quòd non tenemur adimplere mandatum prælati, si causa reddatur, vt dicit *glos. Verbo. Quia patienter per tex. ibi. in capit. Si quando 5. de rescript. cuius tex. verba ponuntur infra, Verbo*. Rescriptum. Nam præceptum iniustum prælati non est adimplendum si certum sit, quòd est iniustum, vt dicit *glos. Verbo, Obtemperare in cap. Dilectus 15. de tempor. ord. per tex.* ibi. Ipsi obtemperare non debuit in hac parte, & in *cap. litteratas 13. de rest. spol.* ibi. Cùm illa contra Deum non debeat in hoc iudici obedire, sed potius excõmunicationem sustinere, *& glos. 1. in cap. Pastoralis 28. §. Quia verò de offic. delegat. ibi. Item not.* quod non semper obediendum est iudici, si euidenter iniquum est mandatum ipsius, siue contra Ius. Nam vt inquit *tex. in capit. Quid ergo 11. quæst. 3.* Per obedientiam bonum deserere, malum verò numquam facere licet, *vbi glos. vlt.* sic. Licèt ille iniustè facit præcipiendo, iste tamen iustè facit parendo, *& glos. Verbo. Venire in cap. Cùm venerabilem 34. de elect.* ibi. Nam cùm aliàs fuerit illicitum propria authoritate potuit venire contra, non obediendo illi, tanquam regi &c. nec expectari debuit superioris authoritas.

Si verè dubium esset pręceptum Principis propter bonum obedientiæ, quod sibi præcepit faciat, dicit *glos. vlt. in cap. 2. de maior. & obed. & glos. etiam Vlt. in cap. Dilecta 12. eod. tit.* sic. Si certum est, quod essent mala, non est obediendum, & est optimus tex. *in cap. Ad aures 5. de temp. ord.* ibi. Honestius, & tutius est subiectis debitam prępositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deseruire, quam cum pręposítorum scandalo graduum appetere dignitatem, vbi *glos. verbo*. Obedientiam magistraliter in materia sic docet. Et ita patet, quòd minores obedientiam suis prælatis seruare debent &c. Et arguit contra sic: Quia non semper est obediendum, & soluit. Si prælatus excommunicet, siue iusta sit sententia, siue iniusta obediendum est sententiæ &c. nisi in duobus casibus &c. Item præcepto prælati si non pertinet ad officium suum obediendum est vt hic, quando non decipitur in præcepto. Si verò præcipiat, quod omnino est malum, non faciat, contra conscientiam, licèt iustum videatur prælato &c. si verò præcipiat, quod malum est non obediendum est ei &c. Si verò dubium sit præceptum propter bonum obediẽtiæ excusatur à peccato, licèt in veritate sit malum. Nam, vt inquit Iurecons. Et qui obtemperauit venia dignus est *l. liberorum §. Vlt. in fin. ff. de his. qui not. infam.*

Verùm prædicta debent intelligi in leuioribus, non autem in atrocioribus, vt est *glos. magna, & optima in l. liber homo 37. ff. ad l. Aquil.* dum sic ait. Sciendum ergo est, quod quædam sunt, in quibus omnino parere debet filius patri, vel seruus domino, vt ea, in quibus nullum delictum versatur; alia sunt, in quibus non cogitur parere filius, vel seruus, vel ciuis magistratui, si tamen pareant, excusantur, vt in actione legis Aquiliæ &c. Alia sunt in quibus omnino parere non debet, vt in atrocioribus, in quibus si pareant, vterque tenetur. Verba autem legis prædictæ, sic se habent. Liber homo si iussu alterius damnum iniuria dedit, actio legis Aquiliæ, cum eo est, qui iussit, si modo ius imperandi habuit; quòd si non habuit, cum eo agendum, qui fecit, & eiusdem l. Summarium sic Obedientia debita, vel promissa excusat a delicto.

Est etiam optimus *tex. in l. 2. cum §. 1. ff. de noxal. act.* sic dicens. Si seruus sciente domino occidit, &c. ipse enim do-

dominus occidisse videtur. Et melius in §.1. ita. Nam seruum nihil deliquisse, qui domino iubenti obtemperauit. Et sane si iussit, potest hoc dici; Si autem non prohibuit, quemadmodum serui factum excusabimus? Celsus tamen differentiam facit inter legem Aquiliam, & legem 12. tab. nam in lege antiqua 12. tab. quando seruus, quasi sciente domino furtum fecit, vel aliam noxam commisit, serui nomine actio est noxalis, nec dominus suo nomine tenetur. At in lege Aquilia, inquit, dominus suo nomine tenetur, non serui, vtriusque legis reddit rationem: 12. tab. quasi voluerit seruos dominis in hac re non obtemperare. Aquiliæ quasi ignorauerit serui, qui domino paruit, periturus, si non fecisset. Sed si placeat, quod Iulianus lib. 86. scribit. Si seruus furtum fecit, noxamue, nocuit, etiam ad posteriores leges pertinere; poterit, dici etiam serui nomine, cum domino agi posse noxali iudicio: vt quod datur Aquilia aduersus dominum, non seruum excuset, sed dominum, oneret. Nos enim sententiam Iuliani probabimus, & ibidem *glos. Verbo, Obtemperare* sic reddit rationem. In atrocioribus enim non debet parere, si tamen pareat minus punitur.

Et sic quando in Iure inueneris, *vt in l. Sed si vnius 17. §. Prætor ait ff. de iniur.* quod seruus nec in omnibus parere debet domino, intellige de atrocibus; nam quædam quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris, ignoscitur seruis siue dominis, siue sint ij, qui vice dominorum sunt, obtemperauerunt, sicut prædictis verbis, inquit, *l. Is qui in puteum §. Si tutoris ff. quod vi, aut clam*; nam seruos, cùm dominis suis parent, necessitate potestatis excusari, ait *l. Diuus 15. ff. ad l. Corn. de fals. & in l. Si tacitum 13. ff. ad l. Falc.* ibi. Quia parere domino debuit, & addit. Idemque placuit in filio, qui fuit in patris potestate, *vbi glos. Verbo: Iniungente* sic. Nam non computatur istud inter atrociora. Et ita non imputatur seruo, si ei pareat, aliàs secus, & *glos. vlt. in l. Non ideo C. de accusat.* sic. Factum alterius alium non releuare, & hoc nisi debuit obedire, quod euenit quandoque in leuioribus.

In filio sub patria potestate constituto probat etiam *l. In fraudem 10. §. vlt. ff. de his quib. vt indig.* ibi. Rectè dictum est si pater filij, quem in potestate habebat, tacitam fidem interposuerit, non debere filio nocere, quia parendi necessitatem habuerit, & in *l. Qui cum nato 14. ff. de bon. libert.* ibi. Si pater testamento cauerit, vt accusaretur libertus, magis est, vt ignosci liberis debeat, qui non sponte accusauerint, *& in l. Paulus 47. eod. tit. vers. Paulus respondit* ibi. Quoniam non suum iudicium, sed alienum sequuta sit, *& in l. Gracchus C. ad l. Iul. de adult.* ibi. Idemque filijs eius, qui patri paruerunt, præstandum est, & in seruis *glos. Verbo. Mensallo in l. Seruos C. ad l. Iul. de vi publ.* sic. In aliquo ergo parcitur etiam in atrocioribus si domino pareant, *& glos. 1. in l. 2. C. de sepulch. viol.*

Qui iussu iudicis aliquid facit non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet, ita *l. Non videntur 128. ff. de reg. iu.* Idem in filijs, & seruis ait *l. Ad ea 200. eod. tit.* In Iudice verò dicit *Glos. d. l. 128. sic.* Si verò non exequatur officium suum, dico nullatenus parendum, etiam si Ius præcipiat &c. in casibus non solùm non obedire, sed etiam debent resistere officiales sui &c.

Vides quanta sit obedientiæ potestas, vt liberet etiam à pœna legis; non ergo videbitur tibi magnum quid, si obedienti in iustis bona retribuuntur? In *l. Cum pater 79. §. libertis ff. de legat. 2.* ibi. Eos enim ad fideicommissum vir

detur inuitasse, qui iudicio paruerunt. Vide *glos. Verbo. Vniuersos in Extrauag.2. de elect.* optimè notauit dicens. Et ne vides emolumentum abdicatum non obtemperanti, applicari obedienti, & hoc inducit malum inobedientię, & virtus obtemperantiæ, dicit *glos. verbo, Contemnat in capit. 1. de sent. excom. lib.6.*

Debet autem quis obediens animo obediendi facere, non enim gerit se pro obediente, si hoc animo non faciat, vt per *glos. Verbo. Timore in cap. Olim de rest. spol.* Non enim videtur obtemperasse, qui fatali casu obtemperat, dixit *Iurecons. in l. 2. ff. de cond. & dem.* à quo deduxit *glos. vlt in cap. vlt. de dol. & cont.* ibi. Sicut si fato fecerit, non videtur obtemperare.

Insuper sciendum summopere est, quod obedientia aliquando, si de suo aliquid habuerit, nulla est; aliquando si de suo aliquid non habuerit, minima est. Nam cùm huius mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hęc ex proprio anhelat, neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda huius vitæ prospera libidini propriæ ambitionis seruit. Rursus cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci, & contumeliæ iubentur, nisi ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, quia ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, inuitus, nolénsque descendit; sic per expressa verba inquit *Gregor. in moral relatus in cap. Sciendum 8 quæst.1.& prosequitur.* Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur.

Qui benè parere nouit, etiam benè imperaturus est, vbi ad potestatem peruenerit, dixit *Ioseph. de antiq. lib.4 cap.8. num. 10.*

Patriæ tamquam parenti obediendum, dicit *glos. vlt. in l.contra 7.C. de testamentum.*

Sicut obedientia obedienti prodest, sic contemptus contumaci nocere debet, probat *capit.1. vers. Nos igitur de post. prælat.* ibi. Ne nil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus cōtumacibus non obesset.

Qui facto obedit non est necesse, quod verbo, vel scriptis obediat, dixit *Pontif. in cap.3. de maior. & obed.* ibi. Non enim necessarium fuerat, vt obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso iam voluntarij sui aduentus officio cōprobabat.

Contra obedientiam non currere præscriptionem, dixit *glos. Verbo. Consuetudo in cap. Irrefragabili 13. de offic. ord.* & probat *cap. Cum non liceat 12. de præscript.* ibi. Obedientiam, & reuerentiam debitam &c. impendatis præscriptione temporis non obstante.

Oblatio.

Est omne, quod exhibetur in cultum Dei secundùm *D. Thom. 2. 2. quæst. 85. art. 3.* & poterit fieri tam de persona offerentis se, quàm de bonis, vt patet *ex cap. In præsentia ibi.* Obtulit se, & sua de *probat. vbi Pelin. num. 4.* notat posse quem se ipsum, & bona sua donare monasterio, licèt non fiat monachus, & erit conuersus monasterij ex *glos. Verbo. Professi in capit. Vxlex 27. quæst.1.*

Oblationum appellatione venire decimas tradit *Abb in cap. Ad audientiam numer.14. de Eccles. ædific.* Et quid contineatur, vide *Innocent. in cap. Cum inter de verb sig.*

Tenentur Clerici Religiosi ex quo ab aliis percipiunt diuina, eis facere oblationes, sicut & laici, ita resoluit *Abb. in cap.3. sub numer.3. de furt. per text. in cap.*

cap. *Alia* 16. *quaest.* 1. coniuncta ibidem *glos.* Quod quidem non video esse in vsu, sed contrarium, & bene, quia cum oblationes fiant propter perceptionem diuinorum, & religiosi nunc plus sacramenta ministrent, quam clerici, rectè illis, & non istis offertur.

Ab omnibus oblationes fieri possunt, nisi à publicis peccatoribus. Vnde *in Concil. Carthaginensi* sic fuit constitutum. Oblationes dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophilacio recipiantur; similiter dona eorum, qui pauperes opprimunt *90. dist. vbi glos. Verbo*. Oblationes addit; idem de sacrilego, item de raptore, item de vsurario, & de pœnitentibus, qui quandoque prohibentur oblationes facere, & idem dicit de meretrice, & de ista iterū cōfirmatur *in glos. seq. ad fin.* quæ omnia probat per iura ibidem allegata. Vnde dicit *Abb.* loquendo de vsurario *in cap. 3. de vsur.* quòd debet clericus respuere oblationem illius, sed quis est hic? & laudabimus eum.

Oblationes mortuorum certum est, quòd debentur Ecclesijs parrochialibus, si in eadem parrochia sepeliantur, quod si in alia Ecclesia, habebit parrochia tertiam partem, *vt in cap. 1. de sepult.* ibi. Tertiam partem sui iudicij illi Ecclesię dari censemus, in qua cælesti pabulo refici consueuit, *& in cap. seq.* dicitur sic. Medietatem Ecclesię ad quam dinoscitur pertinere, quam dicit ibidem *glos.* esse apud quam fidei sacramenta recepit, *& in cap. Cum super 8. eod. tit.* sic. Statuimus, vt si aliquem parrochianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam de testamento ipsius quarta vobis portio relinquatur. Sed cur hæc diuersitas? quid sequendum? Respondet *glos. in d. cap 1. Verbo. Tertiam partem* quod determinabitur secundum diuersas consuetudines locorum; idem *in d. cap. 2. Verbo. Medietatem, & in d. cap. Cum super* in casus positione ad fin. ibi. Sed hoc consuetudini relinquendum est.

Alia dicitur oblatio, quę fit per debitorem creditori suo ad euitandam pœnam, seu condemnationē lucri cessantis, vel damni emergentis. Et ad talem obligationem teneri inquit *l. 4. §. vlt. ff de leg. commissor.* ibi. Et magis arbitror offerre eum debere, si vult se legis commissoriæ potestate soluere, *vbi glos. Verbo. Offerre* ita ait. Sic debitor sub pœna &c. sic & sub vsura &c. & ex causa emphyteotica &c. ex iuribus ibidem relatis.

Sed an sufficiat sola oblatio, an vero sit, & necessaria cōsignatio, & depositio quęritur? *& glos. Verbo. Quæ obtulit in l. 3. §. Stichus annua ff. de statulib.* ita respondet. Sufficit sola oblatio, nec est necessaria consignatio, vel depositio, nisi quando esset absens, qui recipere deberet, quod probat *l. 4. eod. tit.* dum ait. Cum hæres reip. causa abesset, & pecuniam statuliber haberet, vel expectare eum debere donec redeat is, cui dare debet, vel deponere in ede pecuniam consignatam oportet; facit etiam *glos. pen. in Auth. vt exact. instant. coll. 7.* ibi. Valet enim ad nascendam pignoratitiam etiam sola oblatio &c. Item valet oblatio ad inhibendum cursum vsurarum, qui non dum cœperat &c. Item vt impleat conditionem, & cursum etiam iam currentium.

At vero *glos. vlt. in l. Celsus 28. §. vlt. ff. de recept. arbitr.* sic ait. Idem erit in vsuris, quarum cursus non dum cœpit, impeditur enim ne incipiat sola oblatione, *vt C. de vsur. l* Si non stat per te &c. Si verò cursus vsurarum cœpisset, opus esset oblatione, consignatione, & depositione, *vt infr. de vsur. l. 1. §. fin.* cui addo *tex. optimum in l. Tutor 29. §. 1. ff. de admin. tut.* ibi. Vsuras præstare non debet ex quo obtulit. Vlpianus notat. Non sufficit obtulisse, nisi & deposuerit obsignatam tuto in loco, taliter,

ter, quòd prima pars istius tex. intelligitur ante cæptum vsurarum cursum, secunda verò postquam cæpit idem cursus, iuxta supradicta, & *glos. vlt. in l. pen. ff. de naut. fan.*

Sed sola oblatio videtur sufficere ad inhibendam venditionem pignoris, dicit *glos. Verbo. Deposuisti per iura, qua ibi. in l. 8. ff. de distract. pig. Verùm tex. in d. l. 3.* sic in contrarium disponit. Si priusquam distraheretur pignorata possessio, pecuniam creditori obtulisti eoq; non accipiente facta contestatione eam deposuisti, & hodie quoque in eadem causa permanet, pignoris distractio non valet, *& in l. vlt. C. de luit. pignor.* ibi. Vel si quod residuum debetur obtuleris, ac si non acceperit, deposueris consignatum, vult tamen concordare prædicta *glos.* iura, quæ videntur repugnantia, & dicunt solam oblationem sufficere, si oblatio fiat in iudicio ad dandam pignoratitiam actionem.

Per oblationem rei purgatur mora, vt habes Verbo, Mora, & probat *l. Si seruum. 91. §. Sequitur ff. de verb. oblig.* ibi. Posse emmendare eam postea offerendo. Nam verum est eum, qui interpellatus est, dare noluit, offerentem postea periculo liberari, inquit *l. Qui decem 72. ff. de solut.* Sed intra quod, vel quãtum tempus post interpellationem debet offerre? Respondet *l. Si ita 135. §. 1. in fin. ff. de verb,* in hæc verba. Si non multò post obtulisset &c. quod omne ad iudicis cognitionem remittendum est; ac si dicat, quòd oblatio transacto modico tempore excusat à mora. Quòd si priusquam offerres, legem venditionis exercuit, quod iure subsistit reuocari non debet concludit *d. l. 8. C. de distr. pig.*

Pœnam peti non posse si per creditorem stetisset quominus eam intra tempus præstitutum accipiat, dicit *l. pen. ff. de naut. fanor.* Certè namq; doli mali exceptio nocebit ei, qui pecuniam oblatam accipere noluerit, vt ait *l. Interdum 73. §. vnic. ff. de verb.* Quòd si debitor non habet cui offerat? posse securum esse respondet supra allegata *l. 4. §. vlt. ff. de leg. commissor.*

Quod ius offerendi depositum debitori cõpetens non præscribatur dictum est *Verbo.* Depositum, seu Debitor.

Est notabilis *lex 1. §. Sæpe euenit ff. de posit.* dum oblatio facta ob depositum recipiendum alterat naturam ipsius depositi; nam vt supra in eodem verbo dictum est, depositarius non tenetur, nisi de dolo, & lata culpa, & tamen in hoc tex. dicitur sic. Sed & si quis se deposito obtulit, idem Iulianus scribit periculo depositi se alligasse, ita tamen, vt non solum dolum, sed etiam culpam, & custodiam præstet, non autem fortuitos casus.

Licitè offertur, quod exigi prohibetur, dicit, & probat *glos. Verbo. Quod quisque in capit. In quibus de consuet. rect. feud.* Maioris namque gratiæ est offerre, quod non debeas, quàm reddere, quod ex geris, vt ait *D. Hieronymus relatus in cap. Qui sitit 33. quæst. 5.*

Obligatio.

Definitur *per Iustinian. in princ. de obligat. in Instit.* quod sit iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ secundum nostræ Ciuitatis iura. Sed quia hæc aut est naturalis tantum, aut ciuilis tantum, aut etiam naturalis, & ciuilis insimul, quærit ibidem *glos. 1.* quæ definiatur? Respondet quod simul vtraque definitur. Obligationem naturalem duplicem esse dicit *glos. in l. Sed & si 28. §. Consuluit ff. de petit. hered. per tex.* ibi. Quamuis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligauerunt; & sic ait. Hæc naturalis obligatio ex puris,

& meris motibus animi cuiusque descendit; omnis enim creatura mouetur ad benefaciendum ei, qui sibi benefacit, & talis obligatio ex instinctu naturæ procedit, & non est illa talis donatio, quæ ex nudo *pacto* nascitur, nam illa est efficacior vt pote cum non sit donatio, si id, quod per pactum nudum naturaliter debetur, soluatur, &c. si autem quod instinctu natura debetur soluatur, donatio est sine dubio, quæ nomen assumit remunerationis, sequitur *Bald. in l. Ex hoc Iure num.* 11. *ff. de iust. & iu.* vbi ampliat, & diuidit obligationem naturalem in quatuor species, quas per te videbis; *& nu.* 12. dicit ciuilem obligationem esse duplicem, ad eundem te remitto, & secundum eius diuisiones intelliges ea, quæ infra dicam ex tex. & glos.

Vbi naturalis adest obligatio repetitionem non habere locum dicit *l* 3. *§. vlt. ff. quod quisq; iur.* ibi. Superesse enim naturalem causam, quæ repetitionem inhiberet. Et tamen nos videmus, quod pupillus naturaliter obligatur, & si soluat, habet repetitionem. Ad hoc respondetur cum his, quæ dicit *Bart. in sum. l. Si non sortem* 26. *ff. de condict. indeb.* sic. Quando lex obligationi non assistit, nec resistit, contrahitur obligatio naturalis, quæ impedit repetitionem, &c. Sed quando lex resistit impeditur etiã naturalis obligatio, & solutum repetitur.

Deducere obligationem naturalem in ciuilem non licere, ait *glos. verbo Onera in Clem. vnic. de vsur.*

Omnem obligationem pro contractu habendam existimandum est, sic est *l.* 20 *ff. de Iud.*

Obligatum accipere debemus si exceptione tueri se non potest, itá ait *l. vel obligatus* 20. *ff. de lib. caus.*

Vbi de obligando quæritur propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem ad negandum. Vbi de liberando ex diuerso, vt faciliores simus ad liberationem, itá dicit *l. Arrianus* 46. *ff. de act.*

Obligatio parit actionem, vt notauit *glos. verbo. Parit in l. licet* 42. *§. Ea obligatio*, quæ inter dominum, & procuratorem consistere solet mandati actionem parit *ff de procurat.* Vnde dixit be è *glos. in l. Cum filius* 78. *§. Hæres meus*, *ff. de legat.* 2. Quòd origo obligationis, non titulus actionis considerandus est.

Plerumque accidit vt extra id, quod agitur, tacita obligatio nascatur, veluti cum per errorem indebitum soluendi causa datur, sic inquit *l. si is, qui* 13. *§. vlt. ff. commodat*, a qua deduxit *glos. Verbo. De futuro in capit.* 1. *§.* 1. *de desponsf. impub.* ibi. Sæpe enim extra id, quod agitur, tacita nascitur obligatio. Non veró augeri promissionis obligationem dicit *l. Damni infecti §. Si is, qui vnas ff. de damn. infect.* Non etiam voluit prætor obligationem ex obligationibus fieri, vt in *l. Si se non obtulit ff. de re iud.*

Esset iniquissimum ex conditione actorum obligationes reorum extendi, per quos nihil factum erit, quominus cum his agi possit; ita inquit *l. Si Seruus* 4. *ff. de diuers. & temporal.* Non est autem nouum, vt duæ obligatiònes in eiusdem persona de eadem re concurrant, vt in *l.* 10. *ff. de act. empt. & glos Verbo. Mandati in l. Si mandato §. vlt. ff. manda.* ibi. Bis quem obligari pro eadem re non est prohibitum, imó permissum, vt hic, & de *fideiussor. l. Hæres à debitore §. Non est*.

Non ex persona hæredum conditio obligationis immutari, ait *l.* 2. *§. Ex his ff. de verb. & glos. Verb. Existat in l. Nam & Seruius* 22. *§.* 1. *ff de negot. gest.* ibi. Nec enim ex persona hæredis conditio stipulationis immutatur.

Non etiam maior fit obligatio, quòd tardius agitur, quamuis crescat, si vinum hodie

hodie pluris fit, meritò, quia si datum esset, hoc haberet emptor, quoniam verò non dedit, saltem hodie dandum est, quod iam olim dari oportuit; ita *l. Si sterilis §. Cùm per venditorem ff. de act. empt.*

Obligationem pro prima vice tantùm intelligi, deducitur *ex l. Cùm pater 79. §. Certam ff. de legat. 2. per tex.* ibi. Ad secundas nuptias cautionem extendi nō oportere, & facit *l. Boues 89. §.* Hoc sermone dum nupta erit primæ nuptiæ significantur *ff. de verb. sig.* Cum verò duæ eiusdem potestatis sunt, non potest reperiri alteram potius, quam alteram consummari, inquit *l. Si reus 13. ff. de duob. re.* At vbi aliqua differentia est obligationum, potest constitui alteram per alteram perimi, cum verò duæ eiusdem sunt potestatis, non potest reperiri cur altera potius, consummatur, dicit *l. Generaliter 5. ff. de fideiussor.*

Quasi generale quid tenendum est, vt ei obligationi, quæ sequelæ locum obtinet principalis succedit, obligatio sit confusa: quoties vero duæ sunt principales, altera alteri potius adijciatur ad actionem, quàm confusionem pariet ita optimè *l. Si duo 93. ff. de solut.*

Qui sibi aut filio suo dari stipulatur manifestè personam filii in hoc complectitur, vt ei rectè soluatur, neque enim interest sibi, aut extraneo cuilibet, an sibi, aut filio suo quis stipuletur; quare vel manenti in potestate, vel emancipato filio rectè soluitur. Nec ad rem pertinet, quod qui filio suo dari stipulatur sibi acquirit, quia coniuncta sua persona stipulator efficit, vt non acquirendæ obligationis gratia, sed solutionis causa personam filij adhibuisse intelligatur. Quod si soli filio suo, qui in potestate sua sit, dari, quis stipulatus sit, non rectè filio soluetur, quia filij personæ obligationi magis, quàm solutioni applicatur; sic notabiliter ascidit *Iulianus in l. Eum, qui 56. §. Qui sibi ff. de verb. oblig.*

Si quis sine causa promiserit, cæperit tamen facere, obligatus est, qui cæperit. Cæpisse sic accipimus, si fundamenta iecerit, vel locum purgauerit, ita dicit *l. 1. ff. de pollicitat. & in l. Toties 6. eod. tit. sic.* Si quis pecuniam ob honorem promiserit, cæperitque soluere, eum debere, quasi cæpto opere.

Nota quod ille, qui habet mandatum, vt se obliget, videtur etiam habere mandatum, quod soluat, quia obligatio ordinatur ad solutionem, tanquam ad suum finem, & facit *sup. de vsufr. earer. l Tribus* sic inquit *Apostill. ad l. Indebitam 47. ff. de condict. indeb.*

Consensum non ignorantiam volumus obligari, dixit *glos. Verbo Nunc in Extrauag vnic de praben. cum alijs, qua Verbo. Consensus.*

Videtur abesse ei id, in quo quis obligatus est, inquit *glos. in l. vlt ff. de contr. & vtil. act. tut.*

Non debet quis ex parte obligationem comprobare, & ex parte tanquam de iniqua queri, dicit *l. Si ita 39. ad fin. ff. de oper. libert.*

An possint obligari communia queritur? Et non puto sine decreto obliganda. Vide *Verbo*. Commune. Et an mendacium obligantis impediat obligationem? habes *Verbo*. Mendacium.

In obligatum ratione officij dirigitur actio. Vide *Verbo*. Officium.

In obligatione generali non venit, quod nemo mentis compos obligaret specialiter, ita deducitur ex *l. 1. C. quæ res pig per tex.* ibi. Et cæteras res, quas neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse, generali pacti conuentione, quæ de bonis tuis facta est, non fuisse, rationis est, & sic limitatur regula, quòd genus comprehendit species.

Obligatus ad dandum, tenetur ad mediocritatem, Vide *Verbo*. Donare.

Non

Non intelligitur obligatio antiqua nouata, nisi id expressum sit. Vide nouatio.

Receptam debitam quantitatem falsò scripsisti, figmento veritatis non potest extingui obligatio. Ait *l. Si obligatum* 13. *C. de solut.*

Vt solutione, petitione, & acceptilatione vnius rei tota obligatio solueretur, ita quoque pacto conuento de vna re non petenda interpositio, totam obligationem summoueri, dicit *l. Si vnus* *§. Sed si stipulatus ff. de pact.* Non autem puto, quod solo temporis cursu obligationis natura mutetur *l. Obligationum fere §. Placet ff. de act. & obligat.* ita inquit *glos. Verbo. Habendam in l.* 4. *§.* 2. *ff. quod eum eo.* Confusione autem perinde extinguitur obligatio, ac solutione, vt ait *l. Si id, quod* 22. *ff. de liberat. lega.*

Eodem modo vinculum obligationis soluitur, quo queri assolet, dicit *l. Quamuis* 46. *ff. de acquir. poss.*

In omnibus temporalibus actionibus, nisi nouissimus, totus dies impleatur, non finitur obligatio, ait *l.* 5. *ff. de act.*

Quis non potest pro eodem, & eidem esse obligatus, ita in *l. Si quis pro eo* 57. *ff. de fideiussor. & l. Vranius* 72. *eod. tit.* Sic, Quia non possunt pro eodem apud eúdem obligati esse; idem *in l. qui hominem* 34. *§. quidam filium ff. de solut.*

In perpetuum sublata obligatio restitui non potest; ita *l. qui res* 98. *§. ad eam ff. de solut.*

Obliuio.

INfirmitas memoriæ dicitur, vt in *l. Peregre* 44. *ff. de acquir. possess.* vbi per obliuionem partis loci, in qua res mobilis, custodiæ causa reponitur, possessio non perditur, nisi per alium occupetur & verba tex. sunt. Nec infirmitatem memoriæ damnum afferre possessioni, quam alius non inuasit. Ex quo etiam deducitur, quod longum tempus inducit obliuionem, & dixit *glos. Verbo. Propter in §. Quod autem de vsucap. in Instit. ibi.* Tempus enim inducit obliuionem, & ita obliuione ammittitur dominium, vt &c. Dummodo longum sit, & obliuionem inducat, & animum retinendi habere desinat, vt &c. *& glos. Verbo. Vel longum in l. Furtum* 37 *ff. de vsucapion.* ibi. Ex obliuione, quæ ex longa absentia prouenire præsumitur, & ibi. Item longo, accipe quantum iudici videbitur, per quod obliuio inducitur &c. non autem longum decem, vel viginti annorum, & dicit benè, nam obliuio, quandoque causatur post annum, vt in *l. Si arbiter* 28. *ibi.* Potest enim hoc memoria teneri intra annum *ff. de probat.*

Mortis angustia, etiam causa est obliuionis, vt apparet ex tex *in Auth. de trien. & sem. §. Illud quoque coll.* 3. ibi. Ne fortè oblitus est datorum pro tumultu mortis angustiatus.

Rerum irrecuperabilium summa fælicitas est obliuio, dixit *Salust.*

Obreptio.

EST in tacendi fraude, vt dicit *Bald. in l. Debuit* 17. *numer.* 3. *ff de hijs qui not. infam.* Et vitiat litteras gratiæ ipso Iure *Clem.* 1. *de praben.* ibi. de animarum cura, quæ illis, vel alteri earum, imminet, non habita mentione, gratia huiusmodi velut subreptitia, nullius penitus est momenti, & ibi *glos. Verbo. Momenti in add.* sic inferas ex hoc tex. quod cum obreptio vitiet litteras beneficiales ipso iure processus vigore talium factus, est nullus; licèt secus sit in litteris iustitiæ *cap. Super litteris de rescript. qui tex.* in materia est famosus, & dum dicit, quod obreptio non vitiat in eo, quod si fuisset expressum, fuisset ta-

tamen æquè concessum, approbat idē, quod disponit *l. 1. C. Si cont. ius. vel vtil.* Rationē diuersitatis inter litteras gratiæ, & iustitiæ ponit *Cardinal. in dict. Clem. 1. quæst. 12.*

Nota quòd non solum obreptio fit in narratione, sed etiam potest fieri in probatione, & in hac committitur culpa falsi, & pœna falsi infligitur, vt in *l. Si quis obrepserit ff. ad l. Cornel. de fals. Bald. in l. Quicumque num. 31. C. de seru. fug. & num. seq.* dicit, quòd non omnis obreptio falsitas est, tamen est delictum.

Obscuritas.

VErtitur circa dictionem aliquam ex eo, quòd multipliciter intelligi potest, *vt in l. Ita fidei 40.* ibi. Quamuis enim fundum nominauerit, non tamen eo cognosci potest de quo fit rogatus hæres, cùm diuersitas rerum obscurum faciat legatum *ff. de iur. fisc.* Et ita ex generalitate fit. Fit etiam ex alternatione, *vt in l. Prætor edixit 7. §. Quod autem* ibi. Certum eum dicere Labeo ait, qui dicat nomen iniuriæ, neque sub alternatione, illud, aut illud *ff. de iniur.* Et in hoc differt obscuritas ab ambiguitate strictè, & propriè loquendo; nam ambiguitas est in oratione iuxta illud. Aio te Eacidē Romanos vincere posse, vt tradit *glos. Verbo. Obscuram in l. 40. ff. de pact.* quæ sic se habet. Veteribus placet pactionem obscuram, vel ambiguam venditori, & ei, qui locauit nocere, in quorum fuit potestate legem apertius conscribere. Sed plerunque vnum pro altero ponitur. Nam & quandoque in verbo vno reperitur ambiguitas, *vt in l. vtrum 26 ibi.* Et verbum quidem, peruenisse, ambiguum est *ff. de petit. hæred. & l. vbi est verborum ambiguitas 22. ff. de reb. dub.*

Obscuritatem pacti nocere potius debere venditori, qui id dixerit, quàm emptori, quia potuit re integra apertius dicere, ait *l. Labeo 21. ff. de contrah. empt. vbi notat glos. quòd si emptor,* dixerit pactum, contra eum erit obscuritas interpretanda. Et sic in eo, qui loquitur obscurè fiet, *vt glos. Verbo. Pollicetur in l. Si arborem 16. §. 1. ff. de seruit. Verba.* ibi. suo obscuro eloquio, & sic ad sui periculum loquitur obscurè, *& glos. verbo Confusè in cap. cum clamor 53. de testibus* ibi. Et obscuritas ei potius obesse debet, qui potuit eam apertius declarare, vbi arguit etiam in contrarium.

Si non appareat, tunc id accipitur, quod venditori nocet, ambigua enim oratio est; ita ait *l. Cum in lege 33. ff. de contrah. empt.* & in donatione *l. Cum his status 33. ff. de don. int.* sic. Quod si in obscuro sit, procliuior debet esse iudex ad comprobandam donationem. Et in sententia cum obscura sunt iura partiū consueuit contra eum, qui petitor est, iudicari: ait *cap. inter dilectos 6. in fin. de fid. instr.* Et est vulgaris regula iuris, nisi in liberali causa: & si agatur de inofficioso testamento: item & in matrimonio, vt notauit *glos. in eod. capit. Inter.*

Quòd factum est, cùm in obscuro sit, ex affectione cuiusque capit interpretationem, dicit *l. Capienda 129. ff. de reg. iur. vbi ponit glos.* exemplum in legato rei alienæ, quòd testator præsumitur sciuisse alienam ex affectione circa legatarium.

In obscurè loquentibus præsumi dolum deducitur *Ex l. Aut qui aliter 5. vers. Si quis* ibi. Et diem, & horam denunciatione complecti, & vbi, & quod opus facturus sit; neque perfunctoriè, aut obscurè dicere, aut denunciare *ff. quod vi aut clam. & in l. Ea quæ commendandi 43. in fin.* ibi. Dolum malum à se abesse præstare venditor debet, qui non tantum in eo est, qui fallendi causa obscu-

tè loquitur, sed etiam qui insidiosè obscure dissimulat *ff. de contrah. empt. ubi glos. Verbo. Fallendi* ponit exemplum in eo, qui dicit equum non ascendere arborem, vt sic non teneatur, ideo quia nō ascendit pontem; & idem ponit *glos. 1. in capit. Nec artificioso 22. quaest. 2.* Debent namq; omnia proferri per verba vsitata, & non per extranea, seu magistralia, vt notauit *Abb. in cap. 1. num. 10. de sum. Trin.* vbi etiam *glos. Verbo. Simpliciter.*

Propter nimiam obscuritatem fides testis dicitur taratufolo vt notauit *Bald. in l. vnic. C. de emmendat. cod.* vbi etiam *Bart.* Vnde etiam instrumentum obscurum non valere, dixit idem *Bart. in l. Quicquid adstringendae ff. de verb. oblig.* vbi testificatur de quodam Cancellario Bononien. qui confecit instrumentum, ita obscurum, quod Papa Ioannes non intellexit.

Bene verum est, quod multoties obscuritas vere, & realiter non aderit, & tamen ex nimia tarditate ingenij videbitur alicui obscurum, quod dicitur, vt notauit *Ioan. Andr. in cap. fin. de constitut.* dicens, quòd tribus modis nascitur obscuritas; aut ex magistri imperitia, vt quia nescit benè declarare; aut ex nimia tarditate discentis, quia tardum habet ingenium ad intelligendum, aut &c.

Denique in materia non praetereundum duxi *tex. in l. Binas 9. ff. de seruit. Vrb.* Vbi Marcellus sic. Respondi qui binas aedes habebat si alteras legauit; non dubium est, quin hęres alias possit altius tollendo obscurare lumina legatarum aedium &c. Sed ita officere luminibus, & obscurare legatas aedes conceditur, vt non penitus lumen recludatur, sed tantum relinquatur, quantum sufficit habitantibus in vsus diurni moderationem.

Obsequium.

PRopriè loquendo inter patronum, at libertum est, ita ait *glos. in regula Non est 19. lib. 6. & glos. Verbo. Officia 5. ff. de negot. gest.* ibi. Obsequium dicitur inter patronum, & libertum; minus autem propriè etiam inter patrem, & filium, *vt in l. Cogi §. Sed si pater ff. ad Trebell.* ibi. Contra obsequium patri debitum videatur id desideraturus.

Tenentur ergo liberti perpetuas obsequiales operas patronis praestare sub ingratitudinis poena, poterunt namq; si negligant eas praestare, donationes sibi factae à patronis reuocari iuxta *l. 1. C. de reuoc. donat* ibi. Nam, qui obsequijs suis liberalitatem patronum prouocauerunt, non sunt digni, quo eam retineant cùm coeperint obsequia negligere, cùm magis in eos collata liberalitas ad obsequium eos inclinare debeat, quàm ad insolentiam erigere, vbi *glos. Verbo. Negligere* ita. Nota hic in eis speciale, solam negligentiam puniri. Quidem tex. licet loquatur in donatione facta liberto, poterat etiam extendi ad libertatem reuocandam, & insuper ad donationes collatas liberis hominibus, qui post beneficiũ obsequiis acquisitum, amplius obsequiales operas nesciunt; ingrati sunt eterim, & licèt sibi videantur liberi falluntur cùm aliàs verissimum sit, quod ait Philosoph. Corduben. recipientem beneficium seruum fieri dantis: & sic eadem ratio in eo procedit, quae in liberto, & per consequens eadem iuris dispositio, sed est tex. expressus, quòd propter obsequiales operas non praestitas à libertis, non possit data libertas reuocari in *l. solo obsequij non praestiti velamento data libertas rescindi non potest C. de liberal. cau.*

Cui obsequendi manet necessitas, non

competit authoritas imperando. Sed tamen iustum est, vt illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium, vt dicit *cap. Charitatem tuam* 12. q. 2.

Obsides,

SVnt, qui iurant, quòd non recedent de certo loco quousque ab eis fuerit satisfactum, ita *ex Innoc. ponit Abb. in capit. Ex rescripto 9. sub numer. 7. de rescript.* Et tales dari posse de iure probat *cap. Vt pridem vers. suppliciter aliàs cap. Suppliciter* 23. *quæst.* 8. ibi. Obsidesque dignos, de quibus possitis confidere, ab eis accipite *cap. Exposita* 11. *ad fin. ibi. Ad* restitutionem obsidum occasione illius compromissi sibi datorum *de arbitr. & d. cap. Ex rescripto* ibi, Abbas quosdam ex monachis obsides dedit, qui de obseruanda conuentione iurauerunt, coniunctis *l. Obsides* 11. *de testam. &* 1. *Machab.* 13. ibi. Et nunc mitte argenti talenta, & duos filios eius obsides.

Licèt autem sint iura, quæ prohibent homines liberos in pignus dari, vt in *l. Ob æs* alienum seruire liberos homines creditoribus, iura compelli non patiuntur *C. de act. & oblig. l. Qui filios C. quæ res pig. & in cap.* 2. *de pignor.* tamen obsides non dicuntur dari loco pignoris; sed tantum tenentur, vt fiat, quòd inter partes conuenit, vt dicit *glos. Verbo. Obsidum in d. cap. Exposita de arbitr.* de quo vide latius per *Abbat. vbi sup.* & ibi inuenies, quòd solus Imperator, vel Princeps non recognoscens superiorem potest dare obsides, & isti tales dicuntur propriè obsides. Quid ergo si dentur ab inferioribus? respondet *glos. Verbo. Vendiderit in l.* 2. *C. de patr. qui fil. distr.* quod licèt id fiat, tamen vsurpatum est; te remitto ad eundem *Abb. vbi num.* 8. resoluit quòd monachi, & clerici non possunt ab alio dari obsides, vt verè obsides sint, nisi à Papa.

Obstetrices.

PArituris assistunt, & si dubitatur an mulier prægnans sit necne commodissimum est eligi honestissimæ fæminæ domum, in quam ipsa mulier veniat, & ibi tres obstetrices probatissimæ, & artis, & fidei, quæ à iudice assumptæ sint, eam inspiciant, & si quidem vel omnes, vel duæ renunciauerint prægnantem videri; tunc perinde persuadendum erit mulieri, vt perinde custodes admittat, ita decidit *Vlpian. lib.* 34. *ad edict. in l.* 1. *ff. de ventr. inspic.* debent autem iurare de credulitate, vt per *Bart. ibi num.* 1. Et secundùm earum iudicium iudicabitur, licet talis sententia non transeat in rem iudicatam; vt inquit *Ioann. Andr.* relatus per additionem ad eundem *Bart.* de sententia lata secundum iudicium medicorum, quod benè fundatur ex eo quia & obstetrices, & medici deponunt de videri suo, & suo iudicio, & non per sensum corporeum, sed intellectus, de quo videas *dict. addit. ad Bart. vers. pro concordia.* Et ex eo, quia obstetricum manus, & oculi sæpè falluntur, vt inquit *cap. Nec aliqua* 27. *quæst.* 1. *& cap. Causam* 14. *de probat. &* tradit *glos. Verbo. Per aspectum in cap. Proposuisti* 4. *eod. tit. de probat.*

Debent etiam obstetrices adhiberi, cùm de alicuius virginitate agitur, iuxta *d. cap. Nec aliqua putet* se posse hac excusatione defendi, quod & inspici, & probari possit an sit virgo &c. *& cap. Proposuisti* 4 *ibi*. Testimonio septem mulierum probatur, quæ per aspectum corporis eam esse virginem asseuerant, *& c. Causã matrimonij* 14. *ibi.* Cõtra mulieres illas, quæ ad inuestigandũ signa virginitatis ex parte puellæ fuerint introductæ *de probat.* Et ipsis testificãtibus

de

de inspectione loci, vbi deprehenditur virginitas creditur, nec necesse est, quòd magis specificè reddant causam scientiæ, vt tenet *Abb. in d. capit. 4. numer. 2.* quem videas, & quæ ibidem allegat.

Notabilis est tex. cum sua *glos. in capit. si qualibet culpa 22. quæst. 2. dum Gregor. in glos. super Exod. 1. à quo d. cap.* Sumptum fuit, sic ait. Nonnulli verò ex obstetricum fallacia conantur asserere hoc mendacij genus non esse peccatum maximè, quia illis mentientibus scriptum est, quòd ædificauit eis Dominus domos, in qua magis recompensatione cognoscitur quid mendacij culpa mereatur; nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, præmissa culpa mendacij in terrenam cópensationem declinata, *& glos. Verbo*. Aeterna sic. Vides ergo, quod si aliquis prosperitatem habet in hac vita, per hoc aufertur ei spes vitæ æternæ, vt &c. Item ex isto loco videtur, quòd istæ mulieres, quæ mentitæ fuerunt pro salute alterius peccarunt mortaliter; quia pro veniali peccato nullus priuatur æterna salute *August.* tamen dicit eas venialiter peccasse, sed vt patet in *glos. Gregor. super Exod.* vnde sumptũ est illud *cap.* Istæ mulieres bis fuerunt mentitæ. Primò promiserunt Pharaoni, quod omnes masculos interficerent, sed tunc habebant in proposito, quod non interficerent; illud peccatum fuit veniale, quia fuit pro vita illorum conseruanda, & de illo loquitur *August.* Postea vero pueris reseruatis, cum redarguerẽtur à Pharaone secũdo sunt mentitæ, cum dicebant Hebræorum mulieres habere scientiam obstetricandi, & tunc non fuerunt mentitæ pro vita puerorum, quia illi reseruati erant; sed pro propria vita, ne interficerentur, & hoc mendacium fuit mortale, propter hoc damnatæ fuerunt.

Occidere.

SI perfodiens inuentus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputandum. Si autem oriatur sol super eum reus erit. Intelligitur ergo non pertinere ad eum homicidium, si fur nocturnus occidatur, si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere. Hoc est enim, quod ait. Si oriatur sol super eum &c. quia poterat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non debet occidi, hoc etiam in antiquis legibus sæcularibus (quibus ista lex est antiquior) inuenitur, impunè scilicet occidi nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem si telo se defenderit; iam enim plus est, quàm fur, ita ex *August. decidit tex. in cap. 2. de homicid. vbi glos. Verbo.* Sæcularibus concordantia allegat. Et si vis, vt ea hic referam, satisfacio. Est namque *l. 4. ff. ad l. Aquil. ibi l. 12. tab.* furem noctu deprehensum occidere permittit; vt tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum ita occidere permittit, si is se telo defendat, vt tamen æquè cum clamore testificetur; *& l. Furem* nocturnum si quis occiderit; ita demum impunè feret, si parcere ei sine periculo non potuit *ff. ad l. Cornel. de sicar. vbi glos. Verbo.* Periculo opponens *ex d. l. 4.* quæ indistinctè permittit occidere post alias solutiones hanc veriorem ponit in hæc verba, vel verius dic quod nocturnum possum etiam recedentem, & fugientem cum rebus occidere; licèt se non defendat telo. Vnde dic periculo scilicet personæ, vel rerum suarum; sed diurnum non ita facilè; sed ita demum si resistat telo, & ita pro timore personæ tantum. Et potest esse ratio, quia nocturnum, si recedat cum rebus, postea non recognoscam, quod secus est in diurno, qui poterit accusari, & sic non facilè occidi.

Occidens patrem, vel matrem, auum, vel auiam pœna parricidij tenetur, de qua Modestinus *in l. pen. ff. ad l. Pomp. de parricid.* sic dicens. Pœna parricidij more maiorum hæc instituta est, vt parricida virgis sanguineis verberatus deinde culleo insuatur cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, deinde in mare profundum culleus iactetur, hoc ita si mare proximum sit: alioquin bestijs subijcitur secundum D. Adriani constitutionem. Qui alias personas occiderint præter patrem, & matrem, & auum, & auiam, quos more maiorum puniri supradiximus; capitis pœna plectantur, aut vltimo supplicio mactentur, idem ait *Imperator in §. alia deinde lex de pub. Iud. in Inst. ibi.* Et neque gladio, neque ignibus, neque vlli alij solẽni pœnæ subijciatur: sed insutus culleo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus (secundum quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem proijciatur; vt omnium elementorum vsu viuus carere incipiat, & ei cælum superstiti, & terra mortuo auferatur. An autem prædicta pœna procedat in occidente alias personas nominatas *in l. 1. ff. eod. tit. ad l. Pomp. de parric?* dixit *glos. in d. §. alia Verbo continentur, & in dict. l. pen. Verbo, & auiam.* Quod sic. Verum hodie non est in vsu talis pœna. Sed quæ erit in occidente patrem spiritualem? Respondet *glos. Verbo parentem in capit. aut facta de pænit. dist.* 1. Multo fortius.

Si vis scire in foro conscientiæ, quæ pœna occidenti patrem imponatur? Vide *capit. latorem 23. quæst. 2.* Et quæ viro vxorem necanti? *capit. admonere ead. cau. & quæst.* cuius verba hic transcibere desiderabam, cum sint elegantissima, sed quia textus est satis diffusus videas ex te in fonte.

Qui rei postulati, vel qui in scelere deprehensi, metu criminis imminentis mortem sibi consciuerunt hæredem non habent, ita *l. 3. ff de bon. eor. qui sibi mort. idem l. 1. in princ. C. eod. tit.* Qui vero rei criminis non postulati manus sibi intulerunt, bona eorum fisco non vendicentur. Non enim tati celeritatem esse obnoxiam, sed conscientiæ metum in reo veluti confesso teneri placuit. Ergo aut postulati esse debent, aut in scelere deprehensi: vt si se interfecerint, bona eorum confiscentur. Vt autem D. Pius rescripsit, ita demum bona eius, qui in reatu mortem sibi consciuerit, fisco vendicanda sunt, si eius criminis reus fuerit, vt si damnaretur morte, aut deportatione afficiendus esset; inquit *d. l. 3. vers. Papin.* Et infra sic. Ergo ita demum dicendum est bona eius, qui sibi manus intulit, fisco vendicari, si eo crimine innexus fuerit, vt si conuinceretur, bonis careret.

Si quis autem (prosequitur idem tex.) tędio, vel impatientia doloris alicuius, vel alio modo finierit vitam, successorem habere D. Antoninus rescripsit, & ita *in l. 1. ad fin. cum l. sequ. C. eod. tit. & in l. 2. C. qui test. fac. poss & in l. omne delictum §. qui se vulnerauerit ff. de re mil.* Sic autem hoc distinguitur interesse, qua ex causa, quis sibi mortem consciuit; sicuti cum quæritur an is, qui sibi manus intulit, & non perpetrauit, debeat puniri, quasi de se sententiam tulisset. Nam omnino puniendus est, nisi tædio vitæ, vel impatientia alicuius doloris coactus est hoc facere; & meritò si sine causa sibi manus intulit, puniendus est; qui enim sibi non pepercit, multò minus alij parceret, inquit citata *l. 3.*

De Iure autem Canonico denegatur talibus Ecclesiastica sepultura, vt *ex Conc. Brarharen. relato 23. quæst. 5 ibi.* Placuit vt ij, qui sibi ipsis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præ-

præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat; neque cum psalmis ad sepulturam, eorum cadauera deducantur; & licèt hic ponatur sepultura intelligas de canina sepultura, vt declarat ibidem *glos. Verbo*, Ad sepulturam.

Occidere etiam dicitur, qui alimenta necessaria denegat, iuxta *l.4. ff. de lib. agnosc.* Necare videtur, inquit Paul. non tantum is, qui partum præfocat, sed & is, qui abijcit, & qui alimoniam denegat, & is, qui publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet, & *Ambros. lib. de offic. relatus 86. dist.* sic. Pasce fame morientem quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, fame occidisti; hoc autem non intelligendum, quoad incurrendam irregularitatem, dicit *Cardinal. in Clem. 1. quæst. 34. de homicid.*

Diuus Adrianus rescripsit eum, qui hominem occiderit, si non occidendi animo hoc admiserit, absolui posse; & qui hominem non occiderit, sed vulnerauerit, vt occidat, pro homicida damnandum, & ex re constituendum hoc, nam si gladium strinxerit, & in eo percusserit, indubitatè occidendi animo id eum admisisse. Sed si claua percusserit, aut cucuma in rixa, quamuis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendam eius pænam, qui in rixa casu magis, quam voluntate homicidium admiserit, ita *l. 1. §. 1. ff. ad l. Cornel. de sicar. & facit l. 1. C. de emend. seru.* Nam ex qualitate instrumenti, quo quis percutitur, animus occidendi, vel non, declaratur, *vt in cap. significasti 18. in fin.* ibi. Tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit &c. *de homic. Bald in l. Cum mandati 12. C. manda.* ibi. Nam perinde tenetur, ac si habuisset animum occidendi, quando instrumentum, cum quo percussit, erat aptum ad inferendum mortem.

Si quis percussorem ad se venientem gladio repulerit, non vt homicida tenetur, quia defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur; ita *Imp. Gordianus in l. 3. C. ad l. Cornel. de sicar.*

Miles cùm obediens potestati, sub qua legitimè constitutus est, hominem occidit, nulla ciuitatis suæ lege reus est homicidij, imò nisi fecerit, reus est imperij deserti, atque contempti, quòd si sua sponte, atque authoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque vnde punitur, si fecerit iniussus, inde punitur si non fecerit iussus, ita *cap. Miles 23. quæst. 5.* Vbi etiã inuenies illum tex. sic dicentem. Cum homo ab homine occiditur, multum distat si fiat nocẽdi cupiditate; vel iniustè aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone; an vlciscendi ordine sicut à iudice, sicut à carnifice; vel euadendi, vel subueniendi necessitate; sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite. Et aliquando qui causa mortis fuit, potius in culpa est, quam ille, qui occidit.

Oculus.

Triplicem esse oculum ait *glos. Verbo. oculos in cap. quorumdam 24 de elec. lib. 6.* Est primus oculus mentis, qui purus esse debet, & de hoc dicitur *in capit. multi sæcularium 1. quæst. 1.* ibi. Magna enim trabe vulneratos habentes oculos &c. Secundus est oculus corporis, qui debet esse pudicus, & de hoc loquitur *capit. Qui viderit* Mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo. Quia enim Græco vocabulo, adulter mæchus est, vel dicitur, cum non aliena coniux, sed mulier videri prohibetur, apertè Veritas ostendit, quia etiam solo visu

cum

eum turpiter, vel inupta concupiscitur, adulterium perpetratur 23.*quaest*.5. Vnde dixit *Valer. Max. lib.4. cap.3.* Prætoris non solùm manus à pecuniæ lucro, sed etiam oculos à libidinoso aspectu continentes esse debere. Tertius est oculus administrationis, qui prouidus esse debet, de hoc loquitur *cap. Omnes 6. quaest.* 1. ibi. Episcopi enim à Deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit, *& glos. Verbo. Oculos in Extrauag. vnic. de praben.* ibi. Aliquando verò certæ personæ administrandæ rei præpositæ dicuntur oculi, qui peruigiles, & prouidi debēt esse in agibilibus.

Oculi autem sunt ad cognoscendum in sensibus Principes. Ad oculos enim propriè videre pertinet. Vtimur autem hoc verbo etiam in cæteris sensibus, cùm eos ad cognoscendum intendimus; ita considerauit *Aug. lib.* 10. *confess. cap.*35. & vltra experientiam quotidianam probatur *Genes.*3. ibi. Vidit mulier, quòd esset bonum ad vescendum. Ecce officium gustus vsurpatum ab oculis. *Et Proph. psalm.* 10. Palpebræ eius interrogant filios hominum. Ecce loquela ab oculis vsurpata, *& Iob.*31. Pepigi fœdus cũ oculis meis ne cogitarem de virgine. Ecce adhuc intellectus oculis tributum soluit.

Impudicus oculus impudici cordis est nũcius, & cùm se sibi inuicem etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectātur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus; ita *Aug. relatus in cap. Nec solo* 32. *quaest* 5. *& facit capit. His, igitur* 23. *dist.* ibi. Non vagi oculis, pudicus verò oculus ianitor est cordis, & excludit quicquid indecens nouerit. Impudicus quærens, quæ placent, per omnia discurrit volentes intrare, patitur, nolentes, hortatur. Vnde oculi prima tela sunt adulteræ, vt dicit *glos. Verbo. Pudicos in proam. decretal. in addit.*

Oculata fide magis quàm per aures veritas infigitur, vt habes Verbo. Veritas Et tamen sæpe oculi falluntur, vt dicis Verb. Obstetrix, & quòd oculi officialium etiam fallantur, tradit *Innoc. in cap. ex parte de fid. instr.*

Oculi ambitiosi, quod cæci sunt, Vide *Verbo.* Ambitio.

Obcæcatus oculus non dicitur oculus, vt per *Arist. lib.* 2. *de anim. cap.* 1. Vnde si statutum pœnam imponit effodienti oculum, non haberet locum in oculo cæcato, tenet *Bald. in l. Conuenticulam sub num.*5. *vers. Item est argumentum à carentia habitus C. de Episcop. & cler. & in l.*1. *C. de aedil. act. numer.* 29. *ibi.* Et ideo si statutum punit debilitatem membrorum, non punit eum, qui debilitat membrum inutile.

Occupare.

IN malam partem sumitur, *vt in cap. Vlt. de restit. spoliat. lib. 6. ibi.* Quia eas occupasse iniustè verisimiliter, præsumuntur. & ibi *glos.* Et in bonam, *vt in cap. factus est ibi.* Quo occupato, & de Dei voluntate, atq; omnium nostrum consensione confirmato &c. 7. *quaest.* 1. *& in capit. Si duo procuratores* 7. ibi. Melior erit conditio illius, qui per litis contestationem negotium primitus occupabit *de procurat. lib. 6.* & sæpe inuenies vltra hæc, quæ infra.

Vt violenti, qui authoritate (vel verius temeritate) propria occupare, dignitates, personatus, aut alia quæcumque Ecclesiastica beneficia non verentur; & si non virtutis amore, pœnæ saltem formidine à suæ temeritatis audacia refrænentur, eo ipso ius, si quod in dignitatibus, personatibus, & beneficijs occupatis taliter; vel ad ea ipsis forsitan competebant, ammittant; sic disponit

tex.

tex. in capit. Eum qui 17. vers. Insuper de prabend. lib. 6. Idē in rebus prophanis constitutum est per Impp *in l. 7. C. vnde vi.* Si quis, inquiunt, in tantam furorem peruenerit audaciam, vt possessionem rerum apud fiscum, vel apud homines quoslibet constitutarum ante euentum iudicialis arbitrij violenter inuaserit; dominus quidem constitutus possessionem, quam abstulit, restituet possessori, & dominium eius rei amittat. Si verò alienarum rerum possessionem inuasit, non solum eam possidētibus reddat, verum etiam æstimationem earumdem rerum restituere compellatur. Sed adhuc nō vidi ego prædictam pœnam practicari, cum alias quāpluries vidissem causas excitari super hac materia.

Idem disponitur in legatario propria authoritate occupante rem legatam, vt in *l. non est dubium* denegari actionem legatorum ei proportione competenti in his rebus, quas subtraxisse eum de hæreditate apparuerit *C. de legatis*, & ibi notat *glos.* 1. vbi idem in fideicommissario generali. Et respondet ad iura in contrarium. *Vide eam, & Bald. in l. vnic. num. 5. C. quor. legat.* vbi limitat in vxoribus, quibus legata relinquuntur, vt etiam si apprehendant propria authoritate, non restituunt, nisi immineat falcidia.

Inter creditores, occupantis meliorem esse conditionem, nisi quis priuilegiarius veniat; huius, enim non sine ratione prioris rationem haberi, ait *l. 3. ff. quod cum eo. Et l. ex facto 53. ibi.* Et quia occupantis melior solet esse conditio, quàm cæterorum *ff. de pecul.* Occupare autem videtur; non qui prior litem contestatus est, sed qui prior ad sententiam iudicis peruenit, inquit *l. Si verò 11. ff. de pecul. vbi glos.* sic. Nota in hac actione occupantis meliorem esse conditionem, vt supr. *de tribut.* &c. Verum *glos.* sequens inquit. Imò quandoque qui prior litem contestatus est vt *sup. de iud. l. Qui prior appellat,* prior agat, *& l. Pluribus* procuratoribus in solidum simul datis, occupantis melior conditio erit *ff. de procur. & l Si pluribus 32. in fin. ibi.* Electione rei, vel pretij leuanda ei, qui prior de legato, vel fideicommisso litem contestatus est *ff. de legat 1. & l. Si Titius, & Seius 9.* ibi finem dandi alteri fore, quo ad iudicium acciperetur, & ideo occupātis fieri actionem *ff. de verb. oblig.*

Inter socios inuicem agentes non esse meliorem conditionem occupantis, dicit *Bald per tex. ibi. in l. Verum 64. §. Cum tres ff. pro soc.*

Occupans rem propria authoritate ex pacto, vim facere non dicitur iuxta *l. Creditores*, qui non reddita sibi pecunia conuentionis leg m ingressi possessionem exercent, vim quidem facere non videntur attamen authoritate præsidis possessionem adipisci debent *C. de pignor. vbi glos.* 1. alia iura *& glos.* 2. intelligit verbum, debent, idest possunt; nam & sine eo scilicet præside, possunt. Sed contra singularem successorem debet fieri cum aliquali causæ cognitione, vt tenet ibidem *Bart.* Quid si iste creditor transmisit in aliam illam rem, in quam propria authoritate poterat ingredi? Respondet *Bart.* loc. citato, quòd poterit talis singularis successor etiam propria authoritate occupare illam rem, pro quo videtur *glos. sing. in l. Cum fundum 18. Verbo, Postea ff. de vi arm.* ibi. Quia sicut domino licet per se recuperare possessionem &c. sic & per alium, & ibidem notat *Apostill.* dicens. Ista *glos. est sing.* ad hoc propositum, quòd facultas capiendi propria authoritate &c. potest exerceri per alium non solum per nos metipsos quibus competit.

Item occupans rem vacantem non incidit in pœnam supracitatæ legis. Si quis in tantam, sed solum tenetur ad restitu-

tutionem, vt inquit *l. Inuasor C. Vnde vi.* ibi. Nam si per errorem, aut incuriam domini loca ab alijs possessa sunt, sine pœna possessio restitui debet.

Odium.

Est vetus ira in pluribus causis collecta diuturno tempore perseuerans secundùm *August. in lib. diff. cui alludit idem dictum Ciceronianum lib. 4. Tuscul. ita affert Bertach. in suo repertor. super hoc verbo.*

Hoc priuatum potest esse, & publicum, de priuato dicitur in *cap. 1. de sent. & re iud. in 6.* Caueant iudices, & prudenter attendant in causarum processibus nil vendicet ordium, vt ibidem notauit *glos.* dicens, de priuato intelligit: quia de publico, quo odimus vitia, iura proclamant habendum *capit. Odio habeantur peccata, non homines 86. dist. & capit. Duo ista 23 quæst. 4.* ibi. Quia peccator est, corripe, quia homo, miserere, nec omnino liberabis hominem, nisi eum persequutus fueris peccatorem. *& cap. Odit* Deus sacrificia hæreticorum *1 quæst. 1. & cap. Odi,* & proieci festiuitates vestras *24. quæst. 1. & in psalm. 118.* Iniquos odio habui, & 138. Perfecto odio oderam illos. Ex quibus satis liquet, quòd odium culpæ admittitur, & hoc odium fuit causa inducendæ præscriptionis ad negligentiā puniendam, vt dicit *glos. in d. cap. 1. de sentent. & re iud. lib 6. in addit.*

Priuatum odium adeo suspectum facit illum, qui eo possessus est, vt non credatur, quantumcumq; in infirmitate acceperit Corpus Christi, nam adhuc dictum ipsius poterit reprobari de falso, quia non omnis, qui moritur est Ioannes Euang. vt probat *glos. in cap. In causis §. Vassalli vers. in tex ibi. Septuaginta ad fin. de pac. Constant.*

Non odium grauius, quàm simulatus amor dixit *glos. Verbo. Hostis in cap. Si inimicus 93. dist.* Et tamen magis quis debet amore prouocari, quàm odio deterreri, vt dixit *Hieronym. super Esdr. in præfat.*

Cùm tractatur de odio, appellatione patris, vel matris non comprehenditur auus, vel auia, notatur *in sum. l. lege Iulia 44. §. 1. ff. de rit. nupt.* facit *glos. Verbo. Plures in l. 1. ff. de ventr. inspic.* ibi. Sicut hic odium facit non comprehendi omnes; sic aliàs fauor facit comprehendi omnes. Aliquando tamen odium ampliatur, & fauor restringitur, *vt per glos. vlt. in l. vlt. C. de ijs, qui non implet stipulat. sacrament. sol. sunt lib. 10.*

Sicut, quòd fauore quorumdam constitutum est, non debet in odium ipsorum conuerti, vt in *l. Quod fauore C. de legibus fit.* Quod in odium adiectum fuerit, non operabitur fauorem, vt deducitur *ex l. Quotiens 9. §. Si quis nomen* ibi. Non autem eo, quòd contumeliæ causa solet addi *ff. de hæredit. instit.*

Odium vnius ad alterum non extendi, inquit *l. Si quis testamento 33. §. Legis autem C. de in offic. testam.* ibi. Hoc iniquum iudicantes, vt alieno odio alius prægrauetur.

Odiosum dicunt nostri omne, quod à Iure communi deuiat, per *l. Quòd verò contra rationem iuris 13. & l. Ius singulare 15. ff. de legibus.* Et omne, quòd exorbitat à Iure communi stricti Iuris esse ait *Bald. in l. Non sine n. 3. C. de bon. quæ lib.*

Oeconomus.

AB Episcopo constituitur, & in rebus Ecclesiasticis, *vt C. de Sacrosf. Ecclesi. l. Iubemus l. a 2.* ita dicit *glosa Verbo. Syndicum in l. 1. §. Quibus ff. quod cuiusque vniuers. & glos Verbo. Solet in l. Respublica* iure minorum *C. ex quib. caus maio. ibi.* Oeconomi vicem tutorum obtinent, Ecclesia ergo pupillorum. Differt autem à Syndico, & actore, vt dicis in prædictis verbis. Et licèt *glos. Verbo Oeconomus in cap. 4. de iuram. cal. dicat, idem Oeconomus*, quòd Syndicus, siue procurator, vel actor in causa vniuersitatis, tamen non ideo cōtradicit, quia vult dicere, quo ad effectum; nam id, quod facit oeconomus ab Episcopo constitutus, idem faciunt Syndicus, procurator, seu actor collegii, vel vniuersitatis.

In cap. Cum vos 4. de offic. ord. sic præcipitur. Vacante aliqua Ecclesia appellatione remota, ponatis oeconomos, qui debeant fructus percipere, & in eos in Ecclesiarum vtilitatem expendere, aut futuris personis fideliter reseruare; *& in cap. 4. de iure calum.* Sic. Oeconomum idoneum constituas, qui in tali officio conueniens ipsi monasterio videatur, vbi *glos. verbo Idoneum* ità. Idoneus est dummodo causam omnino non ignoret &c. & si sit bonæ famæ, aliàs infamis, & suspectus esse non debet &c. Contrarium tamen dicit lex, quod procurator propter infamiam non repellitur *§. vlt. de except. in Inst.*

Offensio.

QVando tractatur de aliquo puniendo propter offensam, illa dicitur, quæ pœnam meretur, *vt in l. Testamento Centurio 51. ff. de manum. testa.* ibi. Cùm si nemo seruorum offenderit, omnes ad libertatem perue ire possint; quibusdam autem per offensas exclusis. Largo verò modo sumendo dicitur offensa quicquid alterius animum ad iracundiam prouocat iuxta *l. Cum te 18. ibi.* Ac propterea offensum, atque iratum patrem *C. de inofficio testam. vbi ita tradit Bart. & plenè in l. Licitatio §. Quod illicitè ff. de public. & vect. Vnde dixit glos. Verbo.* Ad indignationem *in cap. 1. de pac. Constant.* Quod inter offendentem, & offensum præsumitur animi indignatio, & est præsumptio naturæ indignatæ propter offensam.

Hæc autem dicitur grauis, & grauior. Illa est propter quam v. g. filius potest exhæredari à patre, vt tenet *Bald. in l. solo 30. C. de liberal. cau.* Hæc verò si quis vulneretur, vt dicit *Alex. in l. Prætor §. si dicatur ff. de iniur.*

Ad offensum non ad offendentem pertinere pacem facere, notauit *glos. Verbo. Nisi in addit. l. Athleta 8. §. 1. ff. de excusat. tut.* & insuper addit, quòd tacita, seu ficta offensio per pacem facilius aboletur, quàm vera, & expressa.

Notabis, quod pax facta ab offenso non liberat offensorem à pœna, vt deducitur ex *l. Diuus ff. ad Syllan.* ibi. Nec pietas pro seruis, nec solicitudo hæredis obtinere debet, vt ad pœnam vocentur, quos ipse dominus absoluit.

Offensa Clericis illata Deum tangit, vt in *cap. Nulli ad fin. 3. quæst. 1.* ibi. Dominum crucifigunt, qui eum in Sacerdotibus suis persequuntur, prout etiam à contrario honor clericis illatus, ipsi Deo præstitus dicitur, iuxta *cap. Habet. hoc ad fin.* ibi. Et ita supradicto vos Episcopo deuotissimè oportet in omnibus adhærere, vt congruè, decenterque Deum in eius persona videamini, cuius est minister, honorare *2. quæst. 4*

Offensio publicæ personæ facta, grauior est, quàm illa, quæ fit priuatæ, vt notat

Alex. in l. Si familia 9. ff. de iurisd. om. iud. per tex. ibi, Quia hic, & contempta maiestas vendicatur. Quod ampliabis etiam si fiat tempore Syndicatus, si offensio fuerit ratione præteriti officij, vt per *Bald. in l. Obseruare §. Proficisci sub numer.* 12. *vers. septimo. Quæritur ff. de offic. procons.* aliàs non: quia non attenditur ad id, quod fuit, vt ibidem per *l. 3. §. Affinitates* non accipere debemus, quæ quondam fuerunt, sed præsentes *ff. de postul.*

Officialis.

DEbet eligi diues, vt iam dictum est *Verbo Nuncius*. Si est magistratus repræsentat vniuersitatẽ, vt dixit *Bald. in l. Etiam numer.* 2. *C. de fideicom.* his verbis. Nota quod sicut tutor repræsentat pupillum, sic magistratus vniuersitatem &c. Vnde sicut inter duos tutores est media persona, scilicet pupillus, ita inter duos magistratus vniuersitas.

Nec quod iniunctum alteri fuerit collegæ vsurpare alter præsumat, ne dum hæc sibi inuicem mutui officij licentia patiuntur; agant cuncti, quod singulis credebatur; sic ait *l. 2. C. de executor lib.* 12. *ubi glos. Vlt.* sic. Nota vnum non debere tangere de officio alterius. Absurdum est namque si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & alij creditum alius subtrahat, ita *l. Consulta diualia* 23. *C. de testa.*

In officialibus negligentia culpæ notam habet iuxta *l. Diuus* 14. *de officio præsid. ad fin.* ibi. Quod si omittatur, non immerito culpæ eorum adscribendum est, qui negligentiores in officio suo fuerint. Sed notabis, quod nec debet cum excelsiua festinatione procedere, vt per optima verba dicit in tutore *Iureconsul. in l. Tutor qui 8. ff. de admin. tut.* ibi. Debuit enim confestim officio suo fungi &c. & ibi. Debuit enim partibus suis fungi, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione. Et si non agit officium, nec habeat beneficium, iam dictum est *Verbo*. Beneficium.

Sed si excedit officialis suum officium, datur licentia ei resistendi, aut notat *glos. Verbo. Prouinciali in l. Contra 5. C. de execut. lib.* 12. *per tex.* ibi. Et licebit Prouinciali, si probetur obnoxius executor contra veritum, exactionem sibi vendicans, temeritatem legitimè repellere, notauit etiam *glos. Verbo. Resistentibus ibi*. Nota quod etiam Principis officialibus resistitur, si excedant in officio *per tex. ibi, in l. Prohibitum 5. C. de iur. fisc. lib.* 10.

Contra Principis, seu fisci officiales sunt notabilia, & vera verba *l. Defensionis 7. C. C. eod. tit. de iur. fisc.* ibi. Siquidem consuetudo fraudum, quibus prædicti omnia temerare consueuerunt, coniuncta *glos. Verbo. Ad vsurpationem* ibi. Quia officiales plura mala sciunt, & committunt, quod non solùm in istis, sed etiam in alijs officialibus procedere dixit etiam *glos. Verbo. Aduentat in Auth. vt ij, qui oblig. se hab. perhib. res min. §. 1. collat. 6. ibi.* Malitiosum omne malum posse cogitare, & maximè officialem aliquem. Sed quis resistet officialibus? Potens? non, quia contra eos suam non exercent malitiã. Debiles, & pauperes? minus et in non possint. Ergo à lege debent puniri.

Sic & eodem modo officialem posse, vel debere resistere iudici, & subditos prælato malè agenti, dicit *glos. vlt. in l. õnes 33. C. de decurion. lib.* 10. per iura quæ ibidem allegat.

Contra officiales datur actio pro eo, quod desierunt facere iuxta *l. vlt. C. vt in possess. legat. ibi*. Contra eos, siue successores eorum, qui Remp. administrãtes per officij necessitatem ciuitati sub conditione fideicommissi relicti, vt fa-

tis accipere debuerunt, quanti Reip. intererit satis acceptum non esse, dirigendam certum est actionem, & possunt damnari licet absentes, vt per ea, quae *glos. 1. in l. Si apparitor C. de cohortal. lib. 12.*

Officialis conuictus de delicto, ad idem officium, in quo deliquit, non redit, iuxta *l. Si aliquid 12. C. de susceptor. lib. 10.* ibi. Nemo eorum semel de interuersione conuictus, id rursus officium gerat, in quo ante decoxit, & si rescriptum nostrum clandestina supplicatione intulerit.

Officialis dum non reddit rationes officij, non potest ad ordines praemoueri, vt iam dictum est Verbo. Clericus.

Mecanici officiales ab honoribus, dignitatibus, & officijs prouincialibus arceantur, dicitur Verbo. *Dignitas.* Ab iisdem etiam sunt immunes Grammatici, Sophistae, medici, & alij, de quibus *in l. Si duas 6. ff. de excusat. tut.* prout etiam à tutela, quia in hoc aequiparantur, vt ait praedicta *l.* ibi. Quemadmodum à reliquis muneribus.

Officialis ad beneplacitum Principis dicitur perpetuus, vt notauit *Apostill ad l. Iuris peritos 33. ff. de excusat. tut.*

Olim erat quidam officialis constitutus ad dirimendas contentiones super monetis, qui dicebatur Zygostastes, de quo loquitur *tex. in l. 2. C. de ponderator. lib. 10.* & de eo sic *tex.* praedictus ait. Qui pro sua fide, atque industria, neque fallat, neque fallatur contentionem dirimere, & certè hodie plures debebant constitui ad effectum ne fallerentur, neque fallerent recipientes, & dantes monetas aureas, quę maximè in Cur. Rom. currunt, & dum dantur iusti ponderis reperiuntur, dum vero redduntur, diminuta apparent ex diuersitate ponderum, seu ponderatorum.

Officium.

Aliud est ciuile, idest personale, & publicum authoritate, & vtilitate, vt consulatus, praetura iudicatura, & similia, vt in *l. Cum praetor §. vlt. ff. de iud. & l. Amissione §. fin. cum l. seq. ff. de cap. dimin.* Et aliud publicum, scilicet authoritate, sed vtilitate priuatũ, vt est tutela, & cura, quos & ipsum est ciuile idest personale, *vt in princ. de excusat. tut. in Inst. & l. Pupillus §. munus ff. de verb. sig. & l. Athleta §. Tutela ff. de excusat. tut.* Et ab omnibus officijs ciuilibus, vel publicis faeminae remotae sunt; & ideo nec Iudices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec procuratrices existere; vt ait *Vlpian. in l. 2. ff. de reg. iur. vbi glos.* alia iura, disputationes, & limitationes.

Officium autem iudicis triplex est scilicet nobile, mercenarium merum, & mercenarium mistum. Primum, quod obtinet actionis vicem, per quod petuntur salaria aduocatorum, & restitutiones maiorum, & minorum. Aliud est, quod bonae fidei actionibus inhaeret, quod iure actionis venit, & vnà cum actione perit. Tertium est, quod inhaeret actionibus stricti, iuris, quibusdam scilicet arbitrarijs, & hoc ex solo iudicis motu descendit, vt quasi liberum sit ei hoc facere, sed in actionibus bonae fidei adstringitur ad hoc, ita ponit *glos. magistra Verbo, Satisfieri in §. Praeterea de act. in Inst. & Io. Fab.* ibidem reprehendit *d. glos.* dicens, quòd in arbitrarijs iudex necessitatur impertiri officium suum, sed non necessitatur ad tale, vel tale Officium verò aduocati, & procuratoris est spontaneum, vt habes in ipsis verbis.

Etiam dicitur officium inter hominem, & hominem, vt dicit *glos. Verbo. Officio in l. Officio 5. C. de negot. gest. per tex.*

l. Seruus 7. ad fin. ibi. Cum beneficio affici hominem intersit hominis *ff. de seru. export. & glos. in reg. Non est 19. de reg. iur. lib. 6. ibi*. Propriè loquendo inter hominem, & hominem officium est. Et tunc sumitur prò pietate, qua communiter tenentur omnes homines vti erga se ipsos, vt habes *Verbo*. Pietas, & dicit *glos. in Verbo. Culpa 37. ff. de reg. iur.* ibi. Cùm officium homo homini debeat.

Officium etiam pietatis dicitur exercere, qui accusat necem defuncti, cuius hæreditas ad ipsum venit, & indignus ea reputatur, si omittat accusationem *l. 1. C. de his quib. vt indig.* ibi. Qui debitum officium pietatis omiserunt.

Debet officium semper magis idoneo comendari iuxta *cap. vnic. vt Ecclesiast. benef.* ibi. Quia non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuistis Ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.

Sed non dabitur, ei nisi vnum tantum officium, quia nemo debet habere duplex, vt dixit *glos. vlt. in cap. Insuper 8. de testib.* Cùm singula officia sint singulis committenda personis, iuxta *capit. 32. de præben. lib. 6.* vbi *glos.* addit. Sicut singula membra corporis singulos actus habent. Vnde inter cætera inconuenientia subscripta subsequuntur, quod videlicet interdum vnus, qui vnicum, quamuis modicum, vix officium impleret sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia, quæ multis litteratis viris vitia puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere æqua distributione collata; prout dictis verbis proclamant *Extrauag. vnic. de præbend.* & iterum per eadem verba repetit *Extrauag. Execrabilis 4. eod. tit. inter com. & in l. Hac parte 10. C. de proxim. sacr. scrin. lib. 10*, ita. Nullo modo duplici fungantur officio, nec geminis chartis irrepserint, vt non occupentur plura in vnum se commoda collaturi, nihilque reliquis collaturi; & ibidem notat *glos. Verbo.*] *Duplici* dicens. Duo officia non debere haberi.

Neque enim quantumlibet vni exercitatæ personæ vno tempore duarum rerum officia committenda sunt; quia si totum corpus est oculis, vbi est auditus? Sicut enim varietas membrorum per diuersa officia, & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat; ita varietas personarum per diuersa nihilominus distributa officia, & fortitudinem, & venustatem Sanctæ Ecclesiæ Dei manifestat. Et sicut indecorum est in corpore humano, vt alterum membrum alterius fungatur officio; ita nimium noxium, simulque turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem fuerint distributa, ita dicit *capit. singula 89. dist.*

Lucra vero ex officio non ipsi, sed officiali pertineret. Neque enim æquum est, vt ad officium lucra, ad Curialem susceptionis tantum damna pertineant, sic dicit *l. Humilioribus 14. C. de susceptor. lib. 10.* Id namque esset contra ius, & honestatem, cùm non deceat alicui officium suum esse damnosum, *capit 30. de elect. lib. 6.* vbi *glos.* 1. sic. Nec enim honestum est officium suum alicui fore damnosum, *& in l. Sed si quis 7. ff. quemadmod. test. aperi.* ibi. Et sit iniquum damnosum cuiquam esse officium suum, cum alijs iuribus per *glos. Verbo. Rescripserunt in l. Aduersus 9. 1. ff. de inofficios. testa. & glos. Vlt. in l. Et si is §. si rem ff. de contrah. empt.* optimus *text. in l. Si seruus communis 61. vers. quod verò ff. de furt.* ibi. Multò tamen æquius esse nemini officium suum, quod eius, cum quo contraxit, non etiam sui commodi causa susceperit, damnosum esse.

Quinimò ratione officij subuenitur alicui, vt probat *glos. Verbo. Non videtur in l. Iniuriarum 13. ff. de iniur.* ibi. Nota id,

id, quod subuenitur alicui ratione officij; si illicitè non fiat. Nam si malè seruat officium suum, eo non iuuabitur, vt dicit *glos. 2. in l. 3. C. de curios. & stationar. lib. 12. per tex. in l. Iudices 13. ibi. Ablatis* codicillorum insignibus, & honore excuti inter pessimos quoque, & plebeos habeantur, nec sibi post hac de eo honore blandiantur, quo se ipsos indignos iudicauerunt C. *de dignit. eod. lib. 12. & l. Quoties 17.* ibi. Vt in eos, vt pote illustri dignitate, per suum facinus priuatos, *eod. tit.* cum alijs. Imò etiam ipsa officia vituperari dicuntur per delinquentem in eis, vt ait *glos. Verbo. Maculare in Extrauag. vnic. de sent. excom.*

Officij necessitas excusat iuxta *l. Post legatum 5. §. Qui accusauit ff. de ijs quib. vt indig.* ibi. Aduocatum fisci, qui intentionem delatoris exequitur in omnibus officijs necessitas excusat, & facit ratio *l. 2. in fin. ff. de calumniat.* ibi. Cum inter accusationem voluntariam, & officij necessitatem hæredis, multum interfit *l. Tutorem 22. eod. tit.* ibi. Quia officij necessitas, & tutoris fides excusata esse debet, & ibidem *Apostill.* addit sic. Et quod plus est à maleficio excusat, vt *l. Tres tutores ff. de admin. tutor.* Quod verum est in maleficio præsumpto, non verò in liquido, vt per *Bald. in l. etiam C. de furt.*

Curialis officium non potest implere per substitutum: est dictum Verbo. Decurio.

Vilia officia exercentes nō admitti ad dignitates *sup. Verbo.* Dignitas.

Plerunque non est permittendum officiū, quod quis semel suscepit contra legem depositionis deponere, nisi legitima causa interueniente, ita inquit *l. Et apud quem 5. §. vlt. ff. deposit.*

Functum officio non posse committere vices suas, disponit *cap. Venerabili 37. ad fin. de offic. delegat.* ibi. Et Archiepiscopus ipse (cum iam suo functus esset officio, committendo vices suas Abbati) huiusmodi negotium dicto thesaurario non potuit dimandare.

Oleum, & oliua.

SI sacro misceatur sacrum maneat, iuxta *capit. Quod in dubijs de consecrat. Eccles.* ibi. Nec negamus quin oleū non consecratum consecrato possit oleo commisceri, vbi notat *glos.* ex ratione, quód dignius attrahit ad se, & plura affert iura. Vnde idem sine dubio dicendum est de aqua benedicta. Sed quid in vino apposito ad sanguinem, transibit in sanguinem? Respondet Papa *in capit. Cum Martha §. Quæsiuisti vers. Præterea de celebr. miss.* his verbis. Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguinī commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum, corpori quod sub eis latet vndique circumfunditur, non madidans circumfusum; ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur afficere, quia si aqua fuerit apposita vino vini saporem assummit.

Nota quód oliua dicitur fructus industrialis, vt inquit *Bart. in l. Si eius 77. ff. de reiuend. per tex. ibi.* Veluti si oliuæ, vel vuæ collectæ sunt, & reddit rationem esse. Quia si esset naturalis non efficeretur bonæ fidei possessoris, sed hic fit eius; ergo &c. *& in l. ex diuerso numer. 2.* ibi. Tu dic, quód de oliua, hoc est expressum, quód est fructus industrialis, sicut vinum *eod. tit.*

Nota insuper, quód *glos. in l. Si absente 35. ff. de vsufruct. per tex.* ibi. Sicut oliua immatura lecta dicit, quæ plus fert fructus, quàm matura, & ibidem *Apostill.* ita. Nota ex *glos. iniunctio tex.* qualiter oliua, quæ non matura colligitur, maiorem fructum fert quam matura, & est tex. *expressus in l. pen. ff. de vsufr.*

vsufr. lega. ibi. Itaq; cum olea immatura plus habet redditus, quàm si matura legatur; non potest videri, si immatura legata est, in fructu non esse, *vbi glos.* explicat, idest plus humoris, non tamen ita sani, & boni. Vnde teneretur lege Aquilia, qui taliter in alieno dānum daret, *glos.* verò *in capit. Nouit* 13. *Verbo. Corripere de iudic.* inquit sic. Quandoque tamen aliquis malum facit, non tamen punitur, imò remuneratur, vt ille, qui colligit oliuam immaturam animo non dandi damnum, & non tenetur Aquilia *vt ff. ad l. Aquil. l. Si Seruus seruum* 27. *§. Si oliuam* qui quidem *tex.* contrarium probat, dum ita clarè dicit. Si oliuam immaturam decerpserit, vel segetem desecuerit immaturam, vel vuas crudas Aquilia tenebitur, *vbi glos. Verbo. Aquilia* quærit sic. Sed cum oliua immatura plus reddat fructum, quàm matura &c. quomodo agitur? Respondet, quia non ita sanum, vel bonum fructum reddit. Vnde additio ad prædictam *glos. d. cap. Nouit* Constapter dicit. Si colligit immaturam tenetur lege Aquilia.

Omissio.

MOdicæ solemnitatis non vitiat, vt dicit *Bart. in l.* 1. *§. vlt. ff. de ventr. inspic. per tex.* ibi. Quale est enim si quid ex ijs, quæ leuiter obseruanda prætor edixit, non sit factum, sequitur *glos. vlt. in l. Rem non nouam C. de iudic.* vbi etiam *Bald.* secus si fuerit solemnitas substantialis, seu grauis, vt per eundem *Bart. vbi sup.* & ibidem ex Oldrald. dicit eam solemnitatem leuem, quæ vel eius omissio nullum, vel paruum præiudicium generat, & è contra, solemnitas grauis, coniuncta addit ibi. lit. I. *Bald.* verò dicit leue quicquid non est ratione munitum, *in l. Hac consultissima num.* 12. *C. de testam.* Et pones exemplum *in l. Ambiguitas* 24. *eod. tit.* vbi non vitiatur testamentum ex eo, quod non fuit primùm facta institutio hæredis, & tamen vitiabitur si omittatur aliquid de solemnibus, vt de numero testium, prout notauit ibidem *glos. penult.*

Vitiabit omissio ordinis dati à Papa in rescripto processum, vt in expresso dixit *Innoc.* 3. *in cap. Cum dilecta* 22. *de rescript.* ibi. Illo capitulo prætermisso, propter quod processum ipsorum contra nostri formam rescripti irritum decernimus, & inanem. Si vero in ipso rescripto fuerit omissum aliquid, quod si expressum fuisset, adhuc concederetur, non vitiabit iuxta *l.* 1. *C. si cont. ius.* Non idcirco, inquiunt Impp. minus is, cui ex nostro rescripto cognitio delata est, iudicare potest, quod ex gestis quædam in precibus omissa proponit, & ita ibi notat, & *summat. Bald.*

Quidquid non est expressum pro omisso debet haberi dicit *glos. Verbo. Cauto in l. Cum quid ff. si cert. pet.* & *est tex. in l. Si cum dotem* 23. *ff. solut. matr.* ibi. Dicendum est in eum casum, in quem non pepigit esse mulieri actionem, facit etiam *l. Si extraneus* 6. *ff. de condict. cau. dat.*

Si omittatur aliquid ab his, qui ratione officij tenentur, non immeritò culpæ eorum adscribendum est, qui negligentiores fuerunt in officio suo, vt iam supra proximè dictum fuit ex *l. Diuus* 14. *ad fin. ff. de offic. præsid.*

Proinde si negligenter ea, quæ malè vsurpantur, omittimus, excessibus viā proculdubio aperimus; ita inquit *cap. loci nostri* 35.

q 9.

Om-

Omnes.

HAnc dictionem esse distributiuam plurium, quàm duorum secundum artem Grammaticæ dixit *Bald in l. In testamento sub num. 12. vers. Tu dic. C. de testam. mil.* licèt in casu, de quo ibi, loquitur, dicat non attendendam esse Grammaticam, quæ est ars rectè loquẽdi, & cõsiderat voces iuxta *l. Plautius 9. in fin.* ibi. Salua ratione recti sermonis *ff. de aur. arg. lega.* Sed attendendam esse artem legum, quæ in casu illo vult, quòd ista dictio distribuat quodam ordine seruato.

Licèt hæc dictio generalis sit, tamen restringi debet ad idoneos tantum, vt deducitur ex *l. vt gradatim 11. vers & si in lege* ibi. Attamen sciendum est hoc esse obseruandum, si idonei sint *ff. de muner. & honor.* & facit *glos. ult. in §. In hac re vers.* sed hæc solemnia *de verb oblig. in Inst.* quæ dum loquitur de simili dictione generali, qualis est, Quibuscumque, dicit, habilibus tamen, & similis *glos. in l. Qui loco certo 27. Verbo. Quolibet ibi.* Idoneo tamen *ff. de condict. indeb.*

Qui omne dixit, nihil excepisse, summauit *Bart. in l. Iulianus 66. per tex.* ibi. Adjciendo prædium seianum omne, eam quoque partem fundi suprascripti, quasi ad se pertinentem videri reliquisse, quam ex causa pignoris adeptus esset *ff. de legat. 2. per quem tex. idem Bart. in l. Serui electione §. vlt. sub numer. 4. ff. de legat. 3. tenet idem.*

Quod omnes similiter tangit, ab omnibus comprobetur, ait *l. Veterem 5. C. de auth. præst. & cap. Accendentes 13. de præscript.* ibi. Vt quod ab omnibus immitet ab ombibus comprobetur; & ibidem *glos.* Quod omnes tangit, ab omnibus est approbandum,

Omnes autem scire debent, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere proclamat *l. vlt. C. vnde vi, & glos. profugis in l. Omnes 8. C. de agricol. & cens. lib. 11.*

Omnino.

IMportare ipso iure dixit *glos. sing. in l. 1. §. Si pecunia Verbo. Omnino*, vbi etiam notauit *Bald. num. 1. ff. de posit* & ibidem *Apostill. sic. Ludo. Rom. in suis sing. fol. 1. sing. 1. dicit istam glos. sing. post Bald. hic* ad hoc, quod verbum, omnino importat ipso iure. Adde, quod istam *glos* dicit etiam *sing. Alex. in Apostill. ad Bart. in l. Imperator infr. de sur. fisc.* & ibi plenissimè per eum de dictionibus importantibus ipso iure.

Est etiam omnino præcisæ significationis *ex cap. Qualiter, & quando in fin.* ibi. Omnino fieri prohibemus *de iudic.* tamen recipit determinationem congruã vt dixit *Bald. in l. vlt. num. 6. de contrab. empt.*

Omnino idest sine aliqua pactione, conditione, vel modo ita ponit *glos. Verbo. Omnino in cap. Ex parte 12. de offic. deleg.* Et habere executionem paratam, dixit *Bart. in l. 1. ff. iud. sol.*

Omnimodo etiam est dictis præcisa, omniaque comprehendit *ad l. Omnimodo C. de inoffic. test. capit. Cum ex eo de elect. lib. 6 & cap. Quamuis de pact. eod. lib.* & tenet *glos. Verbo. Omnimodo in l. Si cum exceptione 14. §. Quatenus ff. de eo, quod met. cau.* ibi. Omnimodo, idest, siue extet, siue non, & *glos. Verbo. Omnimodam in Clem. 1. de for. comp.* vbi de iurisdictione sic ait. Omnimodam, temporalem, & Ecclesiasticam, spiritualem, Ciuilem, & Criminalem, etiam si depositionem beneficij, vel ordinis exigat &c.

Si autem inueniatur, omnimodo, iunctum cum negatiua, tunc exponitur nullo modo, vt in *l. In naue Saupheli 34. ad fin.*

fin. ibi. Neque omnimodo culpam esse ff. locat. & ibidem notat glos. Omnimodo; idest, nullo modo in culpa est. Vel intelligitur sine distinctione, vt in l. vbi autem 75. §. Vlt. ibi. Vt dominium omnimodo efficiatur stipulatoris quoquomodo ff. de verb. oblig.

Onus.

QVi illud subiturus est prius vires suas cum eodem onere metiatur, vt si erit impar abstineat: ad id cum metu etiam cui se sufficere existimat, accedat, ita dicitur in cap. Non est putanda ad fin. 1. quaest. 1. conducit illud Horatij in Arte poetica.

Sumite materiam vestris, qui scribitis aequam
Viribus, & versate diù, quid ferre recusent.
Quid valeant humeri-

Vbi onus ibi emolumentum, dixit glos. in cap. Accedens 11. de praescript. Nam qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede, capit. Cum secundum de praebend. & in capit. Aduersus 7. in fin. de immunit. Eccles. ibi. Cum succedat in onere, qui in honore substituitur. Et iniuste facit, qui onerat, quem non honorauit, vt per glos. Verbo. Nullum fideicommissum in l. Coharedi 41. §. 1 ff. de vulgar. Quia absurdum est vnum habere commoda haereditatis, alium onera sustinere in praestando legato, inquit l. Is qui 15. §. Vlt. ff. de praest. legat. Et glos. Verbo. Et honores in Auth. de haered. & falcid. ibi. Nisi enim testator honoret commodo pecuniario, non potest onerare.

Et qui honorem habet, non debet onus recusare. Rectè ergo placuit eum, qui recusat onus, quod testator reliquit, & ab eo, quod petit, quodque idem dedit, repelli debere, ait l. Nesennius 35. ff. de excusat. tut. Neq; enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit l. Vnic. §. Pro secundo C. ead. toll. Vnde versus.

Commoda, qui sentis iungas onus emolumentis.

ponit glos. in d. cap. Cum secundum, cum alijs concord.

Et tamen filij huius saeculi volunt honores & commoda, onera vero, & incommoda recusant. Vnde dixit optime glos. Verbo. Aliud in capit. 3. de procurat. Quod non praesumitur quis excusare honorem, sicut onus, nec sic quis sicut vnum. Quod si videris aliquos affectare tutelas, & alia similia, quae onera dicuntur, ne dicas tunc esse onera, sed commoda. Et ideo loquendo de il . s. glos 1. in l. 3. ff. de excusat. tut. sic dixit. Si enim essent affectatae, non inferunt onus, quia.

Portatur leuiter, quod portat quisque libenter.

Portatur etiā leuius quod à pluribus portatur, ait glos. vlt. in l. Actores 4. C. de exactor. trib. lib. 10.

In oneribus debet seruari ordo, vt ex his, quae allegat, ait glos. Verbo. Age in l. Vnic. C. de potior. ad mun. lib. 10. Ideo, qui in vno releuatur, in alio grauatur, non quereletur, vt per glos. Verbo. Ea in l. Si quis 15. C. omn. agro desert. lib. 11. Et qui onus iniunctum sustinuit, post illud depositum non habet iterum grauari, sic disponente l. 52. C de decurion. lib. 10. in haec verba. Quis tam inueniri iniquus arbiter rerum potest, qui in vrbibus magnifico statu praeditis, ac votiua Curialium numerositate locupletibus ad iterationem quempiam transacti oneris compellet.

Eius

Eius patriæ oneribus respondere debes, cui te attributum esse commemoras, inquit *l. 1. C. quemadmod. ciuil. mun. iudic eod. lib.10.*

Onus non personæ est indicendum, cum per alium possit adimpleri, dicit *glos. Verbo. Teneri in l. Alimenta 16. ff de alim. legat.* vbi *Apostill.* reddit rationem sic. Quia si personæ adiungeretur, videretur esse eius electa industria, & hoc casu non posset per alium impleri, vt plenè *in cap. Firmiter per Panor. de sum. Trinit.*

Onus iniunctũ legatario in vno legato repetitũ censetur in alio, si adiuncta sit dictio. Item, ait Iulianus *in l. 61. ff. de legat. 3.* In hæc verba. In repetendis legatis hæc verba, quæ adiici solent. Item dare damnas esto, & ad conditiones, & ad dies legatorum eosdem repetendos, referri Sabinus respondit, vbi *Bart. notat, & glos.* plura alia affert iura. Nec poterit legatarius in parte recusare, & si recuset, totum perdet legatum sic disponente *l. 124. ff. de legat. 1. his verbis*. Etiam si partis bonorum se excusauerit tutor, puta Italicarum, vel Prouincialium rerum totum, quod testamento datum est, ei auferatur.

Onus rei non potest imponere, nisi dominus eiusdem rei in totum fuerit, vt deducitur *ex Vlpian. in l. 2 ff. de seruit. dicente.* Vnus ex dominis communium ædium seruitutem imponere non potest.

Omne onus de legitima reiiciendum disponit vulgata *l. Quoniam in prioribus 32. C. de inoffic. testam.* ibi. Ipsa conditio, vel dilatio, vel alia dispositio morem, vel quodcumque onus introductum tollatur, & ita res procedat qua si nihil eorum in testamento additum esset. Si verò filius consentiat poterit, apponi onus, & tenebit, vt concludit *Palat. in repet. rubr. de donat. §. 16. in final. verbis, & Suar. in hac l. ampliat. 9. fol. 22. coll. 1.* Poterit etiam apponi in eo, quod excedit legitimam, iuxta *l. vlt. §. Filia, & quæ ibi. Bart.* sic dicit. Filia potest grauari in dote, quatenus dos excedit legitimã *ff. de legat. 2.* Et in casu, quo statutum excludit a successione dotatam, & iubet indotatam dotari, & quòd dote sit contenta, quia tunc cum dos non succedat loco legitimæ potest onus seu grauam n apponi iuxta distinctionem *Paul. Castr in l. Titio 171. §. Titio genero sub num. 8. ff. de condit. & dem.* Vide eum, & alios omitto.

Onera hæreditaria inter hæredes pro hæreditariis portionibus diuidi, etiam si in prælegatis sit inæqualitas, dixit *Bald. per tex. ibi. in l. 1. C. si cert. pet* vbi Seuerus, & Antoninus Impp. sic. Neque æquam, neque vsitatam rem desideras, vt æs alienum patris tui non pro portionibus hæreditariis exoluatur, tu, & frater cohæres tuus, sed pro æstimatione rerum prælegatarum: cum sit explorati iuris hæreditaria onera ad scriptos hæredes pro portionibus hæreditariis, non pro modo emolumentorum pertinere.

Nota quòd ratione oneris annexi res valet minus iusto pretio; ita notauit *Abb. in cap. Cum Ioann. 10. sub num. 3 de fid. instr. per tex.* ibi. Cuius conditionis intuitu domum ipsam eidem I. pro minori pretio vendidisti, & facit *tex. optimus in l. Fundi partem 79. ibi*. Si modo ideo vilius fundum vendidisti, vt hæc tibi conductio præstaretur; nam hoc ipsum pretium fundi videtur, quod eo pacto vẽditus fuerat *ff. de contrah. empt.*

Digitized by Google

Opera, & opus.

OPeræ sunt diurnum officium, ita definiuit *Paul.lib. sing. de var. act. relatus in l.1.ff de oper. libert.* à quo sumpsit *glos. Verbo. Imposita in l.1. C. eod. tit. de oper. lib. & in l. Si non fortem §. libertus Verbo. Officiales ibi*. Cùm opera sit diurnum officium *ff. de condict. indeb. & Bald. in rubr. C. de oper. libert.* vbi etiam dicit, quòd de nocte non sunt operæ faciendæ, nisi in casu necessitatis. Sunt autem operæ officiales, seu obsequiales aliæ, & aliæ artificiales, seu fabriles, *vt in d. §. Libertus vers. Sed si operas* patrono exhibuit non officiales, idest obsequiales, sed fabriles veluti pictorias &c. *& ibidem per glos. Bald.* & scribentes.

Item quædam sunt operæ, quæ consistunt in faciendo quædam in non faciendo iuxta *l. vbi autem 75. §. Qui id*, quod in faciendo, aut in faciendo consistit stipulatur, incertum stipulari videtur. In faciendo veluti fossam fodi, domum ædificari, vacuam possessionem tradi. In non faciendo veluti per te non fieri quo minus mihi per fundum tuum ire agere liceat *ff. de verb. oblig. & in l.2. §. Item si in facto eod. tit & in §. vlt. eod. etiam tit. in Inst.* E quibus deduxit *glos. in l. Ait §. Vlt. Faciat ff. ex quib. cau. maior.* vbi addit, quod in operis, quæ in non faciendo consistunt, qui non facit, facere videtur.

Sed & in operis, quæ in faciendo consistunt, non in perpetuum tenebitur ad easdem faciendum, sed secundum ætatem, & temporis opportunitatem, prout optimè considerauit *Iureconsf. d. l. Si non fortem §. Libertus ff. de condict. indeb.* ibi. Et Celsus *lib. 10. ff.* putat eam esse causam operarum, vt non sint eædem, neque eiusdem hominis, neq; eidem exhibeantur. Nam plerumque robur hominis ætas, temporisque opportunitas naturalem causam operarum mutat. Vnde peroptimè dixit etiam *Iureconsf. in l.17. ff. de oper libert.* hæc. Nec audiendus est patronus, si portat operas, quas vel ætas recusset, vel infirmitas corporis non patiatur, vel quibus institutum, vel propositum vitæ minuatur. Conducunt etiam quæ ex Grisost. dicuntur *in cap. Occidit 23. quæst. 8.* ibi. Non solùm igitur respiciamus ad opera, sed ad tempus, & ad causam, & ad voluntatem, personarum quoque differentiam, & quantacumque alia ipsis operibus acciderunt, diligentissimè inquiramus; non enim possumus aliter ad veritatem peruenire.

Et non solùm prædicta in operis præstandis attendenda sunt, sed etiam, quod ait *Iureconsf. in l. Cùm patronus ff. de oper. libert.* sic. In omnibus operis præcipuè obseruandum est, vt temporis spatia, quæ ad curam corporis necessaria sunt, liberto relinquantur. Sed notabis, quòd spatia, dicit necessaria, non voluptaria, vt volunt fabri Romani, seu Romaneschi, nam mihi accidit, vt quidam ex his procurans sibi deberi magnam mercedem pro quadam opera, diceret, quòd per tot dies in ea laboraret, & interrogatus à me quomodo poterat tale quid esse? Respondit, quòd apud eos tres horæ laboris pro quolibet die reputabatur tota integra dies, & replicanti mihi, & nouem, vbi sunt? reddidit, manent pro spatio corporis reficiendi.

In talibus terminis, si quis tenetur singulis diebus operas facere, obligabitur operari iuxta *l.3. §. Si quis seruum ibi*. Qui operari domino debet *ff. de statu lib.* & cum moderamine prædictorum iurium, non autem ad voluptatem al-

ilius Romanescis fabri, melior *tex. in l. Itemque 28. ff. de vsufr.* ibi. Etiam erigendum operari.

Addit *glos. Verbo . Operam in d. §. Si quis seruum*. Et vxor viro vbi *Apostill.* ita. Sentit ista *glos.* quòd vxor tenetur viro &c. ad operas; sed tu dic, quòd tenetur ad operas obsequiales, non autem ad industriales; ita *not. Bald. in Auth. Ex testamento col. 7. C. de collat. per text. in l. Sicut de oper. libert. glos. tamen Vlt. in l. liberta 8. C. eodem tit.* indistinctè loquitur, & vide *Verbo Vxor Et Apostill. ad d. l. Itemque 28. ff. de vsufr. sic . Ibi text.* Secundum *Bald.* est arg. ad duo. Primò quòd maritus potest cogere vxorem ad operandum; concordat *l. Sicut de oper. liber.* Item si famulus non vult operari, potes eum castigare moderate.

Si seruus extraneo operas dari iussus esset; nullus nomine serui suas operas dando liberare seruum potest, ita dicit *l. Stichum Titio 38. in fin. ff. de statulib. vbi glos. vlt.* sic. Quia ea, quæ facienda sunt generaliter per alium non possunt fieri &c. *& Apostill.* dicit. Ista regula fallit quandoque. Et tunc erit quando non fuerit electa personæ industria, cum iura, quæ illam regulam ponunt, semper loquantur de particulari personæ industria, seu per verba denotantia ministerium cohærens personæ, vt in *l. Fideicommissa 11. §. vlt. in fin.* ibi. Testator per ipsum fieri voluit *ff. de legat. 3. capitul. 2. in princip.* ibi. Proprijs manibus, *vbi glos. Verbo . Publicè de vit. & honest. capit. vlt. de offic. delegat. vbi Felin. numer. 4.*

Neque promitti, neque solui, nec deberi, nec peti pro parte opera, inquit *l. Libertas 11. ff. de oper. libert.* Quia opera non diuiditur, vt ait *glos. Vlt. per tex. ibi in l. Operis 3. ff. eod tit.* Sed quid dicis *ad l. Si quando 8. eod. tit.* ibi. Labeoni placet, & deberi, & peti posse partem operæ? Respondet *glos.* ibidem quod pars ipsius operis non petitur, sed æstimatio partis non operatæ, cum semper præterita opera, quæ iam dari non possit petatur, *vt in eodem text.*

Qui locat operas suas ad faciendum V. g. domum vna mercede, an possit antequam sit finita petere partem mercedis? quærit *glos. Verbo . Soliti in addit. l. 2. C. locat.* Et sic respondet. Tu dicas quando quis locat operas suas ad faciendum totam domum vna mercede, inspiciendam qualitatem personæ, puta si sit forte locator pauper, qui non possit totam domum perficere, nisi minutatim des illi pecuniam; tunc enim tacitè videbitur actum, vt etiam ante opus perfectum sibi pecuniam minutatim præbeas.

Operas suas an liber homo possit in perpetuum locare? dixisti supra Verbo Homo. Operas locans, & per substitutum possit seruire, dixit *glos. Verbo Certi in l. Si ij 22. C. locat.* cum distinctione tamen, de qua supra.

Opera, quæ conuenit patri, præsumitur etiam filio conuenire, ait *glos. Verbo Dandam in l. Si operarum 29. ff. de oper. libert.* Cum vna caro probantur pater, & filius, vt inquit *cap. Contradicimus §. Hac authoritate 35. quæstione 3.*

In operibus, vbi periculum est in mora, si non fiant, nunciatio operis noui non impedit faciendi, iuxta *l. De pupillo 5. Si quis ff. de oper. no. nunc.* ibi. Præterea generaliter prætor cætera quoque opera excepit, quorum mora periculum aliquod allatura est. Nam in his quoque contemnendam putauit noui operis nunciationem. Quis enim dubitat multò melius esse omitti operis noui nunciationem, quam impediri

operis necessarij vrgentem extructionem? Toties autem hæc pars locum habet, quoties dilatio periculum allatum est.

Suspectus est, qui operas ingerit in inuitum; ait *glos. Verbo. Inuitus in l. Si quisquam C. de Episc. & cler.*

Circa operationem quemquam se non debere habere negligenter dicitur *in l. Si duas 6 ff. de excusat. tut.* Nec doleant diligentes operam suam agri dedisse culturæ, dicit *l. vlt. C. de alluuion.*

Operæ si ad arbitrium relinquatur alicuius, intelligitur si æquum sit arbitrium, habes Verbo. *Arbitrium*.

Ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum commune sit, quia sæpe opera alicuius pro pecunia valet; ita *Imp in §. De illa vers. nam & ita de sociat. in Inst.* Cum plerumq; pauperior opera suppleat quantum ei per comparationem patrimonij deest, ait *l. 5. ff. pro soc.* Prætium enim operæ, & artis est velamentum, dicit *l. Cum duobus 52. §. Si in coeunda ff. eod. tit.* iuxta secundum intellectum *glos. ibidem Verbo.* Pretium in illis verbis. Vel dic prætium scilicet artis, & opera est velamentum ipsius artis, vel operæ, vt quasi pretium ponere videatur, qui artem, vel operam ponit.

Si quis opus, quod perfecit, assignauerit, deinde id fortuito casu aliquid passum sit, periculum ad eum, qui fecit, non pertinere Imp. noster rescripsit, ita dicit *l. 1. in fin. ff. de pollicitat.*

Nota quòd infantis in nullæ sunt operæ, *vt infr. de oper. seru. l. fin.* Sed pupilli maioris infante sic, vt dicit *glos. Verbo. Infantis in l. Arboribus 13. §. De illo ff. de vsufr.* & probat *l. Cæterum 32. ff. de rei vind.* ibi. Etiam impuberis aliqua opera esse possunt,

Potest dari merces pro ope, seu opera præstita in liberando aliquo aui, seu pressura, vt dicitur *in l. Metum 9. §. Sed licet ff. quod met. caus.* ibi. Cæterum si alius vim summisit teneri me non debere. Ego enim operæ potius meæ mercedem accepisse videor.

Præfertur imitatio operis origini carnis, dicit *August. in cap Quæritur vers. hinc inde 22. quæst. 2.*

Probatio dilectionis est operis exhibitio *Gregor. in moral.*

Vitium est nimis magnum, studium multamque operam in res obscuras, atque difficiles conferre, easdemque non necessarias; fuit dictum *Ciceron. quod refert Simanc. de cath. instit. tit. 1. num 12.*

Opinio.

Duplici sumi potest. Primò quatenus denotat æstimationē, seu famā, & de ea *glos. Verbo. Bona fama in Extrauag. vnic. de præbend.* sic ait. Cùm æstimatio, quæ idem est, quod opinio, sit illæsæ idest non diminutę dignitatis, status &c. quæ multum cooperari dicitur, cum per eam nonnulla ad illuminandam veritatem in lucem emergant &c. Et præsumptionem magnam in bonum inducit &c. quare præferenda est eius reseruatio quantiscumque diuitijs &c. Vnde crudelis dicitur qui eam negligit, *& glos. Verbo. Modestia in cap. suam 9. de pæn.* ibi. Præferenda est enim existimationis opinio pecuniario commodo,

Vnde aduersus eos, qui minuendæ opinionis tuæ causa aliquid confecisse reperirentur more solito iniuriarum iudicio experiri potes, *ait l. 3. C de iniur. licet* opinio non lædatur per libellum famosum *l. Vnic. C. de libell. fam.* ibi. Huiusmodi autem libellus alterius opinionem non lædat.

Læditur verò cum aliquis per sententiam damnatur super crimine lacam, *vt in l. Et si libidine C. ad l. Iul. de adult.* ibi.

Ex eiusmodi sententia grauatam potius opinionem, quàm infamia afflictã esse manifestam est.

Inuiolatæ existimationis manet mulier, quæ stuprum vi compressa est, habes verbo *Mulier*, & alia circa hanc opinionem dicuntur verbo *Fama*.

Secundo quatenus denotat opinari, idest credere ex verisimilibus coniecturis quod verum est. Vnde dicit *Bald. in l. Cum antiquioribus num. 6. C. de iur. delib.* ita vehemens opinio est quando ex probabilibus coniecturis credit id, quod verum est, licet certitudinariè non nouerit; *& Diuus Thom. 2. 2. q. 1.* definit quòd sit opinio actus intellectus declinantis in vnam partem cum formidine alterius. Et propterea dicitur opinio esse quid facti, & non iuris, quia ius non disponit de actibus animæ, vt *dixit Bald. in l. Voluntatis nu. 7. C. de fideic. per l. Bona fidei 48. ff. de acquir. rer. dom.* ibi. Illud ad factum pertinere; vt quis bona, aut mala fide possideat coniuncta *Glos. ibidem Verbo Possideat*, dum ita quærit, & soluit. Sed in quo est vsucapio iuris, & fides facti? Respond. quia vsucapio à iure inducitur, *vt in princ. de vsucap. in Inst.* Sed fides non à iure, sed ab hominis conscientia descendit.

Est autem hæc opinio potentissima. Nam etiam naturalia desideria finita sunt ex falsa opinione nascentia, vbi definant, non habent, nullus enim terminus falsò est vt dixit. *Senec. lib. 1 epist. 16. ad fin. & epist. 79. ad medium fic.* Omnia ex opinione suspensa sunt &c. Ad opinionem dolemus, tam miser est quisq; quam credidit.

Et adeo potens vt etiam contra ipsam veritatem omnium potentiorum potentissimam, *vt per Esdr. 3. cap. 3. 12. cap. 4. 35.* Se extollat, & præualere velit. Ecce enim inuenies quam plura, pro illa contra hanc, iuta decidentia *In l. Quia poterat 4. ff. ad Trebell.* ita. Opinio enim vel metus, vel color eius, qui noluit adire hæreditatem inspicitur, non substantia hæreditatis, nec immerito. Non enim præscribi debet hæredi instituto cur metuat hæreditatem adire, vel cur nolit; cum variæ sint hominum voluntates quorumdam negotia timentium, quorumdam vexationem, quorumdam æris alieni cumulum, tametsi locuples videatur hæreditas; quorumdam offensas, vel inuidiam; quorumdam gratificari volentium ijs, quibus hæreditas relicta est, sine onere tamen suo; & *in l. Is qui putat 15. ff. de acquir. hared.* ibi. Nam plus est in opinione, quàm in veritate. Nam pro vero plerumq; ponitur quod est in opinione *inquit Glos. verbo Admittatur in l 3 §. Si pater ff. de bon. poss. cont. tabulas, & Glos. vlt. in l. Haredi 32. ff. de acquir. hared.* ibi. Nota quòd hic, & in superioribus casibus inspicitur potius opinio, quam veritas. Item *Glos. verbo Libertate in §. Sed si aliquis de testam. in Inst.* ibi. Et sic plus valet quod est in opinione, quàm quod est in veritate, & sæpe alibi, *vt in cap. Nuper 4. de bigam.* ibi. Licèt obuiet ex aduerso quòd opinioni sit veritas præferenda.

Verum quòd veritas præferri debeat opinioni, est tenenda conclusio, & probatur ex eodem *cap. 4. l. 2. §. Si sub conditione ff. pro empt.* ibi. Contra si extitisse ignoret, potest dici secundum Sabinum (qui potius substantiam intuetur, quàm opinionem) vsucapere cum posse *l. 1. ff. pro donat.* ibi. Nec sufficit opinari, sed & donatum esse oportet *l. Intra quatuor 10. ff. de diuers. & temporal.* ibi. Quadriennij tempus, quod bonis vacantibus præscriptum est, non ex opinione hominum, sed ex substantia vacantium bonorum dinumerabitur; & in *l. 2. §. Si à pupillo ff. pro empt.* ibi. Vt hic plus sit in re, quàm in existimatione; *cap. Cum Bertoldus 18. de re*

re iudic. ibi. Ne tamen præiudicaret opinio veritati *& glos. verbo Fit furtu in l. Vulgaris 21. §. Sed & si quis ff. de furt.* sic. Cum potius veritas, quam opinio spectanda sit, & *Verbo In partem in §. vlt. de vulgar. in Inst.* ibi. Considerata magis veritate, quam opinione, &c. quod verius esse videtur veritate magis attenta; vnde facit illud generale veritatem spectandam; nam plus valet quod in veritate est, quam quod in opinione *§. Si quis rem deleg. in Inst.* Vnde veritati omnis opinio debet succumbere ait *Gl. Verb. Veritatem in Extrauag. 1. de concess. preb.* Et in spiritualibus veritas opinioni præfertur, vt inquit *Apostill. ad cap. Vlt. de pænit. & remiss. lib. 6.*

Et denique est *tex. optimus in l. Cum quidam §. Quod dicitur ff. de acquir. hered.* dum ita dicit. Toties igitur ei sua præsumptio proficit quoties concurrit cum veritate. Iura verò quæ præferunt opinionem veritati procedere in his, quæ solo animo consistunt, dixit *Glos in d. l. Is qui putat 15. ff. de acquir. hered* Et *Glos. Verbo Videntur in d. c. 4. de bigam.* sic. Verum est quòd veritas præfertur opinioni. Alia casualia sunt, vt scilicet stetur potius opinioni, quam veritati, vt in fauorem contrahentium, & odium decipientium, vel sententiarum, vel in fauorem prolis. Vnde versus.

Testamenta, fauor, odium, sententia, proles
Ex istis causis præfertur opinio vero.

Opinio communis quod sequenda sit, probat *l. 4. ff. de his qui not. infam.* ibi. Et generaliter ita omnes opinantur, & ibidem *Apostill.* sic. Hic habes tex. pro eo, quod dicitur quòd communis opinio est insequenda secundum *Bart.* hic. Est etiam *tex. in l. 1. §. Vlt. ff. de vsufr. accresc.* ibi. Omnes enim authores de hoc consentiunt. Sed hoc intelligendum puto si melioribus fulsita sit rationibus; nam multoties poterit vnius forsitan, & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua in parte superare, vt considerauit *Iustinian. in l. 1. §.* Sed neque ex multitudine authorum, quòd melius, & æquius est iudicatote *C. de veter. iur. enucl.*

Insuper si duorum (qui aliàs sunt in opinionibus oppositi) authorum fuerit concors opinio, prout communiter accidit inter *Bart. & Bald.* sine dubio est tenenda; nam sic & eodem modo erant in opinionibus contrarij Iulianus, & Marcellus Iurisconsulti, & in casu, de quo in *l. Si seruus seruum 27. §. Serui autem dixit Vlpian.* ita. Et ait Iulianus teneri, & verissimum est eum, & Marcellus consentiat *ff. ad l. Aquil.*

Si quis autem adeo procax fuerit, vt non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ immunitionem patietur, dicit *capit. Infames §. Si quis 3. quæst. 5.* quæ verba fuerunt deducta ex *l. Quisquis 6. C de postul.* & Papa Innocentius *in cap. Nunquid non erunt ad fin. 28. quæst. 1.* sic. Quæ ratio est hoc malum defendi, & vacua magis opinione iactari, quàm aliqua authoritate roborari.

Opinio verò fatua nihil operatur, vt dixit *glos. Verbo. Putauerit per tex. ibi. in l. 1 ff. quæ sent sin. appell.* vbi Apostill. dicit. Adde tamen quod opinio fatui aliquando attenditur; sicur de fatuo illo Parisiensi, qui decidit quæstionem de paupere, qui comederat panem suū ad odorem assi, vt dicunt Canonistæ in *cap. Ad nostram de consuet.* pro quo facit, quod tradit *glos.* ridicula de alio fatuo Romano disputante cum sapiente Græco, non verbis, sed nutu, quam videas *in l. 2. Verbo. Constitui ff. de orig. iur.*

Sed quid sequemus vbi opiniones sunt, & iu-

sura, & varia videntur? Respondet *glos. Verbo Ambiguum in cap.1.de Iud. lib.6.* Quod ambiguum est. Remanebit ergò indecisum? non, sed poteris iudicare secundum eam, quæ tibi melior videbitur. *Nam & Innoc. 3. in cap. litteras 13. de rest. spol.* in quæstione ibi proposita de vxore petente restitutionem ad matrimonium, & opposita exceptione de inualiditate eius in gradu prohibito; tres ponit opiniones, & nulli adhærens reliquit indecisam, vt quisque possit decidere secundum quam sequi maluerit, ita dicens. Diuersæ sunt sententię diuersorum alijs asserentibus restitutionem faciendam, alijs sentientibus in contrarium nonnullis viam mediam eligentibus &c. Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententijs reprobamus, nec cuiquam earum aliquod præiudicium ex nostra responsione volumus generari, *vbi glos.* notauit dicens. Omnibus enim iuris authoritatibus ęqua prærogatiua seruanda est, & *Apostill.* sic. Hiero. super Daniel. Periculosum est de magistrorum Ecclesiæ iudicare sententijs. Ipse tamen dixit ad Alexand. Non doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est, *glos. verò Verbo. Deinceps in Extrauag. Cum inter de verb. sig.* sic. Opinio doctoris magni inducit causam probabilis erroris.

Poterit etiam quando ita erunt opiniones iuribus, & rationibus æqualiter fulsitæ, media eligi, vt dixit *glos. Vlt. in cap. 3. de censib.* ibi. Et opinio media magis amplectenda est, iuxta illud. Medium tenuere beati, & illud.

Inter vtrumque vola medio tutissimus ibis.

nam hæc, vt plurimum, conciliat contrarias, ita enim fecit *Vlpian. in l. Si finita 15. §. Item videamus vers. Illud quæritur dum in casu*, de quo ibi dicit ita. Labeo ait ex quo decretum est. Sabinus ex quo ventum est in possessionē. Ego puto causa cognita modò hanc, modò illam sententiam probandam *ff. de damn. infect.* Sic ergo iure peritus debet mutare opinionem suā, & expedit mutare, vt dixit *glos. Verbo. Opinio in cap. vides 23. quæst. 6. & facit capit. Certè 12. quæst. 1. vbi Aug.* ita. Ecce in conspectu Dei, & vestro muto consiliū, *& l. Diui 17. ff. de iur. patron. vbi Vlpian.* testatur de Imperatoribus, qui antea fuerant amplexi opinionem Proculi, & Volusij Metiani, in casu, de quo ibi; postea alijs iuris peritis adhibitis, & ipso Metiano plenius tractato negotio contrariam sunt sequuti. Varijs namque ex causis format quis suam opinionem, & mutat, vt dixit *glos. Verbo. Ab eis in l. 1. §. In causa ff. de quæstion.*

Est etiam benignior opinio eligenda, vt deducitur ex *l. Benignius 17. de legib. & ex l. In ambiguis ff. de iu. dot. cap. vlt. de sent. & re iud.* vbi duabus sententijs contrariis prolatis tenet ea, quæ pro reo est. Benignior autem erit quando pro matrimonio libertate, dote, seu testamento fuerit opinio, vt ex eodem *cap. vlt. apparet*, & de testamento est *l. Si pars 10.* ibi. Humanius erit sequi eius partis sententiam, quæ secundum testamentum spectauit *ff. de inoffic. testa.* & de libertate *l. Inter partes 38. ff. de re iud.* ibi. In liberalibus quidem causis (secundùm quod à Diuo Pio cōstitutum est) pro libertate constitutum tenet. De dote *d. l. In ambiguis*. De religione *l. sunt personæ 43. ad fin. ibi.* Strictam rationem insuper habemus, quę numquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet. Nam summam esse rationem, quæ pro religione facit *ff. de relig. & sumpt. fun.*

igitized by

Oratio, & orator.

SI illud primum verbum sumas, quatenus ad Deum fit, oratio est, secundum *Aug. lib. de Verb. Domin.* quædam petitio, & alibi, Est pius mentis affectus directus in Deum, & plerumq; ne pigritetur, in vocem prorumpens. Vel oratio est congeries vocum in Deum tendentium ad aliquid impetrandum. Et secundum Damascenum est ascensus intellectus in Deum, vel petitio decendentium à Deo. Dicitur autem quasi oris ratiò, vt scilicet rationabile petatur, aliàs non esset oratio, & per hoc videtur, quòd debeat esse vocalis, de quo infra dicitur.

Hanc diuidi in quatuor species satis liquet *ex Apostolo 1. Thimot. in princ.* ibi. Obsecro primum igitur omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. In obsecrationem, qua quis compunctus pro commissis veniam deprecatur; orationem, per quam fit ascensus intellectus in Deum, vel per quam aliquid Deo vouetur, vel offertur. Postulationem, quam constitutus in spiritus feruore pro alijs solet emittere. Gratiarum actionem, quam mens Deo refert per excessum ineffabilem recolendo præterita Dei beneficia, vel contemplando præsentia, vel prospiciendo futura iam preparata dilectis; ita refert ex *Cassian. glos. magna.* Verbo Orationes *in Clem. vnic. de reliq. & vener. Sanct.*

Vel ex Bernardo per dictā glos. relato dic quod obsecrationes fiunt affectu verecundo, or t on s puro, postulationes amplo, gratiarum actiones deuoto.

Omnis ergo oratio porrigenda est ad Deum iuxta *illud Matth. 6.* Cum oraueritis dicite pa er noster, &c. Ad Sanctos autem porrigi potest, non tamquam per ipsos implenda, sed vt precibus, & meritis ipsorum exaudiatur a Deo; patet hoc ex modo orandi, quo vtitur Ecclesia; ad Christum enim non dicit ora pro nobis, sed audi nos, vel miserere nobis, ad Sanctum dicit ora pro nobis. Et tenent Theologi, quod Sancti orationes nostras cognoscunt; vnusquisque enim beatus tantum in essentia Dei videt, quantum perfectio beatitudinis requirit; hoc autem requiritur ad perfectionē beatitudinis, vt homo habeat quicquid velit, nec velit aliquid inordinatum, sed recta voluntate quilibet cognoscere vult quæ ad Deum pertinent: ergo etiam Sancti, cum eis nulla rectitudo desit, hoc volunt. Oportet igitur, quod vota hominum orationes, & deuotiones in verbo cognoscant. Nam ad eorum gloriam pertinet quod auxilium egentibus præbeant ad salutem; sic enim Dei cooperatores efficiuntur.

Et si dicas solus Deus cognitor est cordium, iuxta *cap. Tua 34.* ibi. Apud districtum iudicem, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, *de simo.* cum concord. Respondeo, quod cordium cogitationes solus Deus nouit per se ipsum; sed tantum alij cognoscere possunt, quantum eis reuelatur, vel per visionem verbi, vel alio modo. Fatendum ergo, quod orationes, quas ad Sanctos verbo, vel corde dirigimus Deo manifestante cognoscunt.

Porrigenda est oratio per bene dispositū, contritum, & pænitentem, quia cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur, vt *in cap.* 1. 49. *dist.* vbi etiam not. an orationes malorum prosint ijs, pro quibus orant; an autem peccatores Deus exaudiat? prædicta glos. disputat quam videas, à qua omnia dicta, & dicenda de hac materia deduxi.

Orare debemus principaliter salutifera

Mat-

Matth.6. ibi. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Et licèt *Valer. lib.7. cap.2.* dicit, quòd Socrates quasi quoddam humanæ sapientiæ terrestre oraculum nil vltra petendum à diis immortalibus, arbitrabatur, quam vt bona tribuerent; patet tamen ex oratione Dominica, quod etiam aliquid determinatè petere possumus. Vnde Aug. ad Probam dicit, quod ad Deum id licèt orare, quod licet desiderare; dicens quod oratio Dominica ostendit etiam temporalia à Deo peti posse, dum dicit, Panem nostrum quotidianum &c. Tenent ergo Theologi, quod temporalia à Deo orando petere possumus, non vt finem constituamus in illis, sed vt sint adminicula beatitudinis consequẽdæ; vt scilicet quasi instrumentaliter nobis deseruiant ad sustentationem vitæ corporalis exercendæ ad actus virtuosos.

Dicit etiam glos. prædicta ex Host. quod 14. requiruntur in oratione, scilicet quòd sit fidelis, secura, humilis, discreta, deuota, verecunda, secreta, pura, lachrymosa, attenta, communis, feruida, operosa, assidua. Sed tu quantum ad præsens membrum pertinet, breuiter dic quod modus orandi requirit humiliationem corporis, deuotionem cordis, attentionem, & breuiloquium. De primo *Ecclesiast.* 35.21. ibi Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, *& ca. vbi periculum §. Quia verò* ibi. De instantia orationis humilis, & deuotæ sperandum *de elect. lib. 6. & Cyprian. lib. de oratione Domin.* sic. Sit orantibus sermo cum disciplina, quietem cõtinens, & pudorem. Incuruatio tamen, vel corporis humiliatio, non refectionis, sed deuotionis obtentu fieri debet, vt dicit Cassian. De secundo probatur *ex cap. Magna 7. ad fin.* ibi. Deuotius vacans orationibus *de vot. & ex d. §. Quia vero, & ex Aug.* Quid prodest strepitus labiorum, si mutum est cor? & Gregor. Moral. Veraciter orare est amaros in compunctione gemitus, non verba composita resonare, & ibidem. Animarum verba sunt ipsa desideria, in quibus tanto quis minus clamat, quanto minus desiderat. De tertio patet hic, & in *cap. Nunquam de consecrat. dist. in princip. ibi.* Dicatur ad verbum oratio, coniuncta *glos. ibidem, & Cyprian.* Nil aliud cogitet animus, quam id solum, quod precatur *in cap. Quando autem de consecr. dist. 1. & dicit Gregor.* quod illam orationem Deus non audit, cui ille qui orat, non attẽdit.

Dicunt autem Theologi hoc intelligendum quando attentio nullo modo orationi coniungitur; non enim requiritur, quod attentio semper maneat in oratione per actus essentiam. Vnde *psalm.* 37. Cor meum deriliquit me. Satis enim est quod maneat per virtutẽ, quod est quando cum bona intentione, quis ad orationem accedit, etiam si id prosequutione mens ad alia rapiatur; semper enim primę intentionis vis permanet, nisi tanta sit euagatio, quod attentio omnino depereat, & tunc locus esset ei, quod dicit *Cyprian. lib. de oration. Domin.* ibi. Quomodo audiri à Deo te postulas, cum ipse te non audias? & Beatus Bernar. Causamur nobis deesse gratiam: sed iustius ipsa gratia conqueritur nonnullos deesse sibi, & Cassian. Nunquam orat quisquis etiam flexis genibus si vagatione distrahitur.

De quarto *Matth. 6.* ibi. Cum oraueritis nolite multum loqui, & facit *cap. Non mediocriter* ibi. Nunquid verborum multitudine flecti Deus, vt homo potest? Non enim verbis tantum, sed corde orandus est Deus. Quapropter melior est quinq; psalmorum decantatio cum cordis puritate, ac serenitate, ac spirituali hilaritate, quam totius psalterij modulatio cũ ãxietate cordis, atq; tristitia, & vide *glos. vl in c. pen. de*

stat, & qualit. Nec tamen putes breuiloquium esse de necessitate orationis, nam oratio non solum secundum suam causam, quæ est desiderium charitatis, sed etiam secundum se ipsam potest esse diuturna; nam & de Christo legimus, quod pernoctauit orãdo *Luc.6.*& quod prolixius orauit *Luc.22.& 18.in princ.* ibi. Oportet semper orare, & non deficere, tacit 86. *dist.cap. Nosse* ibi.Orationi pernoctanter insistimus; sed quia vt dicit *Aug.ad Probam.*Multum loqui in orando, est rem necessariam superfluis agere verbis; cum plerunq; hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agatur, ideo monemur ad breuiloquium, nam vt inquiunt Sancti, frequens, & breuis debet esse oratio, ne immorantibus nobis aliud cordi nostro inserat inimicus.

Quærit deinde prædicta glos.an oratio debeat esse vocalis? & respondet cum Theologis, quòd communis oratio, quę fit per ministros Ecclesiæ in personam populi, vt innotescat ei, pro quo fit ex institutione meritò debet esse vocalis; sed singularis quam quis pro se, vel alio porrigit, de necessitate non est vocalis; adiungitur tamen vox ex triplici ratione, vt per eandem glo. ne omnia transcribam, vide eam vbi alia curiosa de materia.

Est & alia *glos. verbo. Frequentius in cap. 3. de sepultur.* vbi quærit sic. Nonne tantum valet generalis oratio, quantum specialis? & respondet ita; *ex.supracitat. cap. Non mediocriter*, & addit. Illa est causa, quia spiritus Sanctus ad mensuram non datur *de consecr. dist.4. cap. Quærit*. Sed præsumptio est, quod plus prodest specialis oratio, quã generalis, & quidẽ honor amplius videtur deferri illis, pro quibus specialis fit oratio.

Si vero sumas orationem quatenus homines inter se publicè, vel priuatim, aut in scriptis vtuntur, vt dicit *Senec Epi. 40 in fin.* sic. Quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit, ita oratio pressa, non audax; summa ergo summarum hæc erit tardi loquium te esse volo.

Et *in epist.* 115. Itaque vbicunq; videris orationem correptã placere ibi quoq; mores à recto desiuisse non erit dubiũ.

Quoties in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res de qua agitur, in tuto sit, ita disponit *l.80. ff de verb. & oblig.*

Dicitur autem oratio ambigua, vel propter æquiuocationem, vel propter amphibologiam, vel compositionem, vel diuisionem, vel generalitatem, vel consimilium, vel alternationem, vt per totum hunc titulum. Aequiuocatio est in dictione, vt cum vna dictio æqualiter, significat plura. Amphibologia fit in in oratione, vt littus aratur, nam propriè significat terram scindi, transumptiue operam perdi; in compositione, & diuisione ponas exemplum in hac oratione, duo & tria sunt quinq; secundum quod est diuisa est falsa; nam tunc intelligitur, quòd duo sunt quinque, & tria sunt quinque, quod est falsum, ita ponit *glos Verbo Ambigua in d.l.* 80.

Cum significatio non ex vniuerso, sed ex aliquo sumitur, si veri aliquid insit, veram efficit totam orationẽ, sicut è contrario duæ orationes pugnantia continentes, simul falsæ sunt, ita inquit *l. Si is, qui 14. §. Si quis ita vers. vtrum ita ff.de reb.dub.*

Dubia oratio in fauorem alicuius prolata, in odium eius non debet interpretari, vt probat *l. In oratione 30.§. Tamet si in fin. ff. ad l. falcid.ibi.* Sed id verisimile non est cum talis oratio magis ipsius causa, quàm contra ipsum posita videatur.

Pluralis oratio conuertitur in singularitatem, & è contra singularis ponitur pro plurali probat *glos. Verbo. Omnes in §. 1. de iur.person. in Inst. & ibidem Apostill.* sic. Intellige istud verum quando est collectiuum, vel rationis positas, vel connexitas hoc inducit.

Ora-

Oratio imperfecta perficitur ex voluntate testatoris, inquit *Bart per tex. ibi in l. si in testamento scriptum esse* hæres meus aureos centum Lucino damnas esto, neq; adscripsisset, dare, deberet ei legatum constat 109. *ff. de legat.* 1. Perficitur etiam ex præcedentibus, & sequentibus, si congrue fieri potest, idem *Bart. per tex. ibi in l. Cum Pater* 79. *§. Cum imperfecta* scriptura inuenitur, ita demum verbum fideicommissi, vel legati, quod præcedit, vel sequitur ad communionem assumitur, si dicto scriptum congruat.

Oratio vniuersalis, vt nostri dicunt, tantam vim habet, quantam specialis, seu particularis, vt deducitur *ex l. Si duo* 32. *ad fin.* ibi. Quantum enim facit in totum denegata, tantumdem valet, si in ea re, de qua agitur, denegata sit *ff. de admin. tut. & facit l. Si eborus, aut familia* legetur, perinde est quasi singuli homines legati sint 77 *ff. de legat.* 3. Quod limitabis, vbi ratio est diuersa, vt per *Bart. in l. Pluribus ff. de legat.* 2.

Orator sumitur pro doctoribus artium, vt inquit *glos. in l. Lege Iulia Verbo. Oratores*, ibi, idest doctores artium *ff. ad l. Iul. de ui. pub.* Sumitur etiam pro Grammaticis *in l.* 2. *C. de professor. & med.* ibi. Grammaticos, seu Oratores decreto ordinis probatus, si non se vtiles studentibus præbeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse incognitũ non est.

Sumitur etiam orator pro quolibet ambasciatore, seu legato, de quo agit *Extrauag.* 1. *de elect. inter com.* sic. Asserenti namque cum mandatis Principis se venisse credendum non est, nisi hoc scriptis probauerit. Nec similiter creditur se asserenti legatum. Nunquam enim Apostolicæ sedis moris fuit absque signatis apicibus vndecumq; legationem suscipere; sed nec dicenti se delegatum sedis eiusdem creditur, vel intenditur, nisi de mandat. Ap. fide doceat oculata

Officium Oratoris, seu Ambasciatoris posse quem cogi recipere notauit *glos.* 1. *per tex. ibi. in l. Si quis* 16. *C. de decurion. lib.* 10.

Ordinarius

QVem vocabis ordinarium? quærit *glos. verbo. Ordinario in Extrauag. vnic. de præbend.* & respondet ita; videtur, quod Episcopum, cum præordinator dicatur in cunctis &c. Et quia omnes Ecclesiæ cum suis iuribus in eius potestate consistant, & regendæ sint parrochiæ sub eius tuitione *Bart. vero in l. Ambitiosa collat. vlt ff. de decret. ab Ord fac.* ait, Ordinarius dicitur is, cui populus committitur.

Differt autem Ordinarius à Diœcesano, quia istius appellatione non venit Ordinarius, nisi quo ad ea, quæ competunt ei iure ordinario, vt notauit *glos. sing. in Clem.* 1. *Verbo. Diœcesanis de iur. patr. vbi Cardinal. not. & glos. Verbo.* Locorum ordinarijs *in Clem. vnic. de testam.*

Ordinarius absoluere potest ab excommunicatione iuris eum, qui occupauit fructus sequestratos à iudice iuxta terminos *Clem. Vnic. de sequest. possess.* vt notauit ibidem *glos. verbo. Nullatenus* absoluatur, dum dicit per ordinarium qui aliàs his cõcurrẽtibus absoluere poterit *in cap. Nuper de sent. excomm. & in casu Clem. vltim. ad fin. de stat. monach.* & est generale quod vbi Papa non reseruat, absoluit Ordinarius, vt notauit ibidem *glo. vlt.* & iam dixisti Verbo. Episcopus idẽ esse in dispensationibus, vide etiã *Conc. Trid. sess.* 24 *c.* 6. *de testa.*

Ordinarij sunt delegati Apostolici in casu *Clem. pen. de sent. excom & de baret. Clem. Abolenda & de suppl. neglig. prœl. Clem.* 1. *& d. Clem. Vlt. de stat. monach.*

De iudicibus vero ordinarijs satis, super que habes Verbo. Iudex.

Ordo.

QVatenus est sacramentum nullus debet ordinari, nisi ad id idoneus reperiatur, vt disponitur *in capit. Accepimus 13. de ætat. & qualit.* ibi. Licèt igitur in ordinationibus clericorum illam tu, ac prædecessores tui diligentiam debueritis adhibere, vt minus idonei non ordinarētur à vobis, ac ideo post promotionem eorum, exceptionem non poteris prætendere contra illos, nisi postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos.

Hinc etiam *in d. cap. Accepimus*, dicitur. Quos à te, vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret, eo præsertim, quod ad obtinendum beneficium debes idoneos reputare, quos ad ordines suscepisti.

Sciant tamen Episcopi non singulos in ea ætate constitutos debere ad ordines assumi, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita Senectus sit; sic ait *capit. Nullus 12. de reform. sess. 23. in Conc. Trid.* Sanctius enim est, maximè in ordine sacerdotum, paucos bonos, quàm multos malos habere ministros, proclamat *cap. Cùm sit ars de ætat. & qualit.* Litteras verò omnino ignorantes nolumus, neq; vnum ordinem suscipere clericorum dicitur *in Auth. Quom. oport. Episcop. in §. Hæc autem coll. 1.*

Si furtiuè quis, & clandestinè ordinatus fuerit sine examinatione, & consensu superioris recipit verum ordinem, sed non habet executionem ipsius ordinis, nisi ex dispensatione, vt notauit *Abb. per tex. ibi in cap. 1. num. 1. de eo, qui furt. ord. susc.*

Omnes quatuor minores ordines potest quis recipere eadem die, vt notauit *glos. pen. in cap. 3. de temp. ordin.* his verbis. Et videtur quòd omnes minores ordines possit aliquis simul recipere ex eo, quòd dicit potest promouere vnum ad minores, quia indeterminatè dixit ad minores, de omnibus potest intelligi per alia iura, quæ allegat, & de facto obtinet, nisi consuetudo repugnet, quæ scandalum generaret. An autem Acolytatus, & subdiaconatus possint eadem die conferri? Dic quod *non ex d. cap. 3.*

Ordo sacer est sacrum signaculum, per quod traditur spiritualis potestas, & officium, secundum *Cardinal. in Clem. 1. opposit. 7. de ætat. & qualit.*

Illud verum est, quod ex constitutione Ecclesiæ introductum est, vt qui ad sacros ordines vult promoueri, prius cōtinentiam debeat profiteri expressè, aut etiam tacitè. Eò enim ipsò, quod quis promouetur ad sacrum ordinem, tacitè intelligitur vouere continentiā, & si nulla fiat mentio de voto cōtinentiæ, ita *glos. pen. in cap. Cùm olim 6. de cleric. coniug. & glos. etiam Vlt. in cap. 3. de maior. & obed.* ibi. Nec est necessaria promissio continentiæ, cùm ad eam obligetur ordinem sumendo. Castitas enim fundamentum est aliarum virtutum, quæ in ordinando requiruntur, quæ multæ sunt, vt inquit *glos. Verba. Constitutum in Auth. Quom. oport. Episcop. §. Hæc autem coll. 1.*

Ordo sacer in apostasia susceptus irregularitatem non inducit in casu notat *gl. 1. in cap. Ex parte 10. de temp. ordin.* vbi monachus, qui se transtulit ad alteram religionem, & in ea ordines assumpsit, permittitur celebrare, vbi *d. glos.* dicit, quòd causa dubitandi in eo tex. fuit quia monachus ille fuerat apostata.

Per primam tonsuram iuxta formam Ecclesiæ datam ab Abbatibus benedictis, clericalis ordo confertur, inquit *capit. Cum contingat 11. de ætat. & qualit.* vbi etiam *not. glos.*

Ordinatus tenetur probare si dubitatur de eius ordinatione iuxta *capit. 2. de cler.*

gler. perez ibi. Quod nisi de ipsorum ordinatione canonica peridonea tibi constiterit argumenta. Ex quo *glos.* ibidem sic interꝫ. Ergo per argumenta fit probatio, & notas *infr. Verbo.* Probatio.

Si quis vinum non potest bibere, an possit ad ordines promoueri? quærit *glos. Vlt. ad med. in cap. Ipsi Apostoli 2. quæstion. 7.* & respondet quòd non, cum ipsum ministrantem oporteat communicare iuxta *cap. Episcopus Deo 1. dist. de consecr. & dist 2. cap. Peracta.*

Ea, quæ sunt ordi is non possunt alijs clericis inferioris gradu demandari, sed quare? cum alias quæ sunt iurisdictionis demandentur; interrogat *glos. pen. in capit. pen. de consecr. Eccles.* & sic respondet. Hæc potest esse ratio, quia iurisdictio sola voluntate committitur, siue delegatus fuerit, siue ordinarius, & reuocatur &c. sed collatio sacramentorum non infertur sola voluntate, vel verbò imò facto est opus quia necessaria est visibilis vnctio, & exterior, quę est signum interioris vnctionis in corde, quæ perpetua est, & amitti non potest &c. & ita patet, quòd non possunt taliter demandari, sicut iurisdictio, vel reuocari, & talia conferri non possunt, nisi ab eis, qui habent ea per collationem.

Regulare tamen est, quòd qui non potest ordinare, non potest iudicare, nec e conuerso, vt ponit *glos. in cap. Cum in distribuendis 12. de temp. ord.* nisi in casu speciali, dę quo ibidem tex. vbi ordinatus à Papa non potest ab alio ordinari, & tamen potest ab Episcopo suo iudicari, & dicit prædicta glos. id esse propter excellentiam superioris, qui manum imposuit, & licèt sit onus in hoc, quòd non possit ab alio ordinari, in multis tamen est honor, quia non potest nisi pluribus testibus conuinci &c. Item quia maior honor ei debetur, quam alijs &c.

Ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet, ex *Trid. sess 21. cap. 1. de reform.*

Ordinatio etiam dicitur quando quis nominatur, seu eligitur in decurionem, vt per *glos vlt. in l. Decurio 41. per tex.* ibi. Ordinationem, quæ per plurimos citò definiri solet *C. de decurion. libr. 10.* & apud Romanos tres fuisse ordines satis constat. Senatorium scilicet, Equestrem, & Plebeium. Senatorius ordo primus erat, qui & amplissimus dicebatur; post hunc Equester ordo medius erat, à quo ad Senatorium ordinem ascendi poterat. Tertius, & infimus ordo Plebeius dicebatur, quo ordine continebantur, qui ciues Romani, & ex aliqua tribu essent, prout dictis verbis notauit *Apostill. ad glos pen. in l. Cum te 10. C. de nupt* Et ad prædictos ordines, ordine, & gradatim ascendebatur, vt patet *ex l Vt gradatim ff. de muner. & honor. & dixiti Verbo.* Honor, prout etiam seruari debet in oneribus, in quibus seruari ordinem dicis Verbo. Onus. Quod etiam in ordinibus, de quibus supra proximè dictū est, obseruari debere præcipit *Trid. in capit. Minores 11. de reform. sess. 23.* ibi. Atque ita de gradu in gradum ascendant, vt in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina maior accrescat, quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros, & superioris ordinis reuerentia.

Et quod ordo sæpe inspiciatur, & seruetur probant iura quam plurima in primis ordo scripturæ in mandatis Papæ attenditur *cap. Mandato nostro 10* ibi, tunc scripturæ ordinem seruare habebis *de praben. lib. 6. & ibidem glos. scriptura, & in cap. Quorundam de elect. & cap. pen. de sepult. eod. lib.* & in testamentis hunc ordinem attendi, quia designat ordinem voluntatis, & processus dicit *Bald. in sum. l. quoties 41. per tex.*

tex. ibi. potest dici prius Titio deinde Mænio legatum *ff. de vsufr.* & probat expresse *l. cum pater 79. §. A te peto* marite si quos liberos habueris illis prędia relinquas, vel si non habueris, tuis siue meis propinquis aut etiam nostris liberis. Non esse datam electionem, sed ordine scripturę factam substitutionem respondi *ff. de legat. 2. & idem l. Haredes mei 57. §. Peto a te* coniuncta *glos. vlt. ff. ad Trebell. & in l. Generaliter §. Proinde vers. Quid ergo ff. de fideic. lib.* ibi. & fortasse quis recte dixerit ordinem scripturæ sequendum, *& in l. si quis* habens creditores, plures manumiserit non omnium libertas impedietur, sed qui primi erunt, liberi erunt *ff. qui, & à quib. notat etiam glos. in l. Si seruus communis 37. ff. de stip. seru.* facit etiam, quod notauit *glos. Verbo non tamen in addit. in §. 2 de legit. agna succ. in Inst.* ibi & sic nota secundum Ang. dispositionem absolutam debere intelligi secundum ordinis prærogatiuam, quod facit ad eum, qui accepit in emphyteosim, vel cui legatur aliquid pro se, & filijs suis, vt videantur vocati secundum ordinis charitatem, & id, quod deducitur *ex c. pen. vers. verum si ambo de elect. lib. 6.* scilicet quod ex ordine literæ, quis dignior, & potentior designatur per tex. ibi. Is qui primo in instrumento, vel litteris procurationis fuerit nominatus, vbi Apost. ait. Quia ex ordine verborum præsumitur ordo intellectus.

Et licet aliqua inuenias iura disponentia non ad ordinem litteræ, nec prioritatis attendendum esse, *vt in l. finita §. Si plures ff. de dam. infect.* ibi. Non spectabimus ordinem, sed habebunt ambo possessionem, coniuncta *glos.* ibi. Nota non attendi ordinem, *& in l. Nec enim ordo scriptura spectatur ff. de solut. & glos. verbo, non existat in cap. 1. de iuram. calum. lib. 6.* ibi. Nec enim semper ordinem scripturæ seruamus. Ne mireris, quia ista procedunt quando mens legis est certa, tunc enim de ordine scripturæ non curatur, vt ponit *Bart. in Summar. l. 5. §. vlt. ff. de solut. & probat d. l. Nec enim* ibi. sed potius ex iure sumitur, id quod agi videtur. Et non solum id in mente legis, sed in voluntate cuiusque procedere disponit *l. Cum pater 79. §. fidei tua* ibi. Nam ordo scripturæ non impedit causam iuris, & voluntatis *ff. de legat. 2.* quod confirmauit Imperator *in §. Ante haredis de legat. in Inst.* ibi. sed quia inciuile esse putauimus scripturæ ordinem quidem sequi, sperni autem testatoris voluntatem. Si autem nec de mente, nec voluntate constiterit legis, seu testatoris, certa manet regula supra posita, & declarauit *glos. Verbo scriptura in d. §. Ante* ibi, sed non simpliciter verum quando testatoris voluntas impugnatur.

Est ergo amplectendus ordo, & inordinatum nihil fieri volumus, inquit *Imper. in Auth. de hered. & falc. §. si quis autem coll. 1.* ordo namque iudicij peruerti non potest. Vnde dicitur *in l. 4. C de sent. & interloq.* Prolatam à præside sententiam contra solitum iudiciorum ordinem: authoritatem rei iudicatæ non obtinere certum est, & in *Clem. 2. de iud. glos. vero in l. Si mancipium 34. §. 1. ff. de euict. Verbo. actum in addit.* sic ait, Processus non videtur valere, quia fuit omissus ordo. Sed solue secundum eundem Bald. quia est ordo diuersarum causarum non vnius causæ ad se ipsum. Dicit tamen *Bart. de testam. l.* si quæramus, quod ordo omissus circa decisoria vitiat processum: secus circa præparatoria, quod est notabile: tamen contra eum facit *cap. Exhibita extra de iudic. & adde pro Bart. quod Bald. ait. in sum. d. l. Prolatam* ibi. Vbi ordo substantialis, & necessarius omittitur, vel præposteratur non valet sententia ipso iure.

Erit

Erit secus in regularibus, vbi non vsquequaque seruatur, quia de plano, & sine strepitum iudiciorum debet cum eis procedi, vt inquit *glos. Verbo non seruatum in cap. ad Petitionem 22. de accusat. & in cap. Qualiter, & quando 24. eod. tit.* sic dicitur *in fin.* Hunc tamen ordinem contra regulares personas nõ credimus vsquequaque seruandum, quę (cum causa requirit) facilius, & liberius possent administrationibus admoueri. *Ex eodem cap.* Qualiter, & quando notabis hæc optima verba. Ex his quæ inordinate sunt acta, non potest quicquam ordinabiliter agi. Nec etiã ordinatum est, quod præcipitatur, & properat, vt dixit *Senec. Epist.* 40.

Ordo temporis an inducat prælationem de iure? quærit *Bart. in l.* 4. *§. Pius numer.* 6. *ff. de vulg.* & sic respondet. Dic aut quærimus de honoribus, aut alijs iuribus. Primo casu aut quærimus de ordinandis: Et tunc non inspicitur ordo in temporibus, vt præferatur antiquior, sed dignior *vt l. Honoribus in princ. de decurion. & in Auth. de Monach. §. ordinatione C de decurion. l. ad subeunda lib.* 10. Fateor tamen, quod in ipsius ordinandi persona inspicitur ordo, vt gradatim ascendat, & fallit, vbi aliter esset specialiter prouisum, vt &c. Aut quærimus de iam ordinatis inuicem præferendis, & ordo temporis inspicitur *vt l.* 1 *de alb. inscrib. & C. de consul. l.* 1. *lib.* 12. Aut quærimus de alijs iuribus realibus, vel personalibus, & tunc plene distingue per *glos.* &c.

Origo.

HAec si concurrat cum domicilio præualet *in l. libertus* 17. *§. Præscriptio ff. ad municip.* in his verbis. Cum simul igitur vtrobique deferunt potior est originis causa. Vnde dicit *glos. vlt. in l. In adoptionem* 7. *C. de adopt. per tex.* ibi. Præualet originis causa. Quod si officia, munera, vel honores ei deferantur ab vtraque, & omnibus non potest inseruire præfertur illa ex qua oriundus est. Hinc dicitur quod in officijs & beneficijs vacantibus debet prouideri, & præferri originarius *per l.* 2. ibi. & hi tantum tres ex ijs qui propriũ larem in hac alma Vrbe habeant non ex prouincijs eligantur C. *de offic. præt. cap.* Nec emeritis in suis Ecclesijs peregrini, & extranei, & qui ante ignoti sunt, ad exclusionem eorum, qui beneficiorum suorum merentur testimonium præponantur 61. *dist.*

Solam nominis similitudinem ad confirmandum cuiusque originem non satis esse dicit *l. vlt. ff. ad municip.*

Errore veritas originis non amittitur, nec mendacio dicentis se esse, vnde non sit deponitur, ita *l. Assumptio eod. tit.*

Satis absurdum est ipsa origine rei sublata, eius imaginem derelinqui, ait *l.* 1. *C. de latin. lib. toll.*

Ex origine cuiuslibet contractus, & causæ quid sit statuendum distinguitur nẽpe origo potius obligationis, quam titulus inspicitur ita dicit, & probat *glo.* Verbo primordiũ tituli posterior quoque firmetur euentus, de quo alia habes in Verbo Initium.

Osculum.

FOrmatur ab os, oris, vt dicit *glos. Verbo osculo in Clem. vlt. de sent. excom.* Arguit pacem, vt notant *doct. in l In ipsius C. fam hersisc.* & consensum *cap. Dilecto* 25. ibi. Cum canonicis alijs ad osculum recipisti *de præben.* & in sponsalibus ac matrimonijs etiam consensum operari dixit *Bald. per tex. ibi. in l. si à sponso* 16. *C. de donat. ante nupt.* qui *tex.* notabilis est dum quando donatur sponsæ, & interuenit osculum mor-

tuo

tuo sponso ante nuptias dimidium donationis superstiti remanet. Osculo vero non interuiniente donationem infirmari totam disponit, cum alias dicatur in *cap. diuina* 27. *quaest.* 2. neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commistionem.

Osculum esse peccatum mortale si causa libidinis fiat, alias non, tenet *glos. verbo septimo in Clem. Vlt. de haret.* ibi oscula amplexus, &c. non sunt mortalia cum posint absq; libidine fieri, vel ex consuetudine regionis, vel propter pacem, &c. & ibi oscula autem libidinosa, &c si fiant propter delectationem &c. manifestum est fore mortalia, &c. Est etiam mortale peccatum, & grauissimum quando praestatur ad decipiendum, vt fuit in Iuda traditore osculo Christum tradente; tale namque osculum est prohibitum, & omnino abominandum, imo meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria inimici oscula, *vt Prouerb.* 5. *& cap. non omnis, & cap. non osculatur* 3. *quaest.* 5. Cum videatur esse corpore cum osculato: mente tamen, & animo contrarius est; quare multo nequior fore censetur, quã foret euidens inimicus *cap. si inimicus* 39. *dist. & l data cum ibi. notat. de donat.* Quandoq; autem praestatur ad venerendum, & obediendum: & istud aliquando est permissum, vt est videre in osculo, quod Summo Pontifici in pede *vt in l.* 1. C. *de domest. & protect. libr.* 12. cum ibi notat quandoque praestatur ad designandum consensum in malum puta adulterium, vel fornicationem, & hoc iure damnatur *l. Quod ait lex ff. ad l. Iul. de adult.* Quandoq; ad ipsum designandum in bonum, puta coniugalem affectum, vel pacis in ductiuum, vel iniuriae remissiuum, & tunc est permissum *d. l si a sponso & de spons. duo c.* 1. *& c. Cum Hadrianus* 63. *dist.* §. *vlt. de iniur. in Inst.* Quandoque etiam praebetur nedum ad inducendum consensum praesumptum: Sed vt omnia finita esse pacis osculo denotentur *c. si Episcopus dist.* 1. *& C. pacem dist.* 2. iuxta Verbum Prophet. Iustitia & pax osculatae sunt, ita ponit *glos. verbo oscula in extrauag.* 1. *de verb. sig.*

Osculum quod in missa datur consensum populi in diuino arguere dicitur *in ca. Pacem de consecr. dist.* 2. ibi. Pax fit necessario indicenda: per quam constet populum ad omnia, quae misterijs aguntur atque in Ecclesia celebrantur praebuisse assensum. Non tamen in missa defunctorum datur pax: quia iam non sunt in perturbatione huius mundi sed quiescunt in domino. Nec inter monachos, quia mundo mortui sunt, ita dicit *glos. vlt. d. cap. Pacem.*

Otium.

SIne litteris mortem esse, & hominis viui sepulturam dixit *Senec. epist.* 83. & ego dicerem esse vitiorum nutrimentũ, & arma communis hostis, vt alias dixit *Pontif. in cap. Nisi* 6. *Persona de renunc.* ibi otiositas, & voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseras animas captiuandum: incentiuum namque est omnium cogitationum, & tentationũ vnde dicebat Hieronym. ad monachũ semper facito aliquid boni operis, vt te diabolus inueniat occupatum *in cap Numquam de consecrat. dist.* 5. *& versus.*

Otia si tollas periere cupidinis arcus,
& alibi
Quaeritur Egistus quare sit factus adulter.
In promptu causa est desidiosus erat.

Tradit *glos. in dict. capit. Nisi verbo otiositas.*

Et

Est secundum Aristot. *lib. Eth.* est otium contra naturam cum nullum ens sit otiolum quare admonet Aug. Eudoxi. dicens. Nec otium vestrum Ecclesiæ necessitatibus præponatis *in cap. vos autem fratres 16. quæst. 1.*

Oua.

EST *glos. notabilis in capit. Admonere verbo Carnem 33. quæst. 2.* quæ (dum *tex.* ibi. imponit pænitentiam vxoricidæ, vltra alia, quod carnem non comedat) quærit sic. Sed nunquid oua cum ouum sit caro liquida: vel lac, cum lac non sit nisi sanguis colore mutato? & respondet. Dicimus quod non, & hoc vult litera illa quæ sequitur in pane, & aqua: sed tamen potest intelligi quod hoc debeat facere in certis diebus, vt legitimis feriis. Sed nunquid lardo vtetur, nunquid nomine carnis est prohibitum? videtur, quod non *arg. 82. dist. C. presbyter.* ibi enim sagimen permittitur, quando oua permittuntur. Verum si recte legatur *dict. c.* presbyter dicit contrarium, vt ibi Modico vino, & pisciculis atque leguminibus recreetur sine carne, & sagimine. Ouis, & caseo vtatur taliter quod sagimen prohibetur, & caro. Oua, & caseus permittuntur. At vero *in cap. Denique 4. dist.* dicitur sic. Par autem est, vt nos qui his diebus a carnibus animalium abstinemus ab omnibus quoque, quæ Sementinam trahunt originem carnis, ieiunemus a lacte videlicet, caseo, & ouis.

Bene verum est, quod etiam *Panorm. in cap. Consuluit. 7. num. 2. de Iud.* dixit sequendo prædictam *glos* licitum esse comedere sagimen illis diebus, quibus licitum est comedere oua, licet tunc nõ sit licitum comedere carnes. Sed ego sequor prædictum *tex. in cap.* Denique, sum etenim Sacerdos de quibus idem *tex.* Loquitur in dictis Verbis. Par autem est, vt nos &c. At vero in laicis, & sæcularibus, qui plus cibos carnium appetunt, & noua quasi auiditate vsq; ad medias noctes se ingurgitant, & nõ rationi, sed voluptati, imo cuidam mentis cæcitati id tribuendum dicit idem *tex.* nec a tali consuetudine auerti possunt: & ideo cum venia suo ingenio sunt relinquendi, ne forte peiores existant si à tali consuetudine prohibeantur; quia vt dicit Salom. qui multum emungit eligit sanguinem, potest defendi prædicta *glos. & Panorm.* cessantibus vero istis rationibus: constanter teneo dictum c. Denique sequendum in secunda parte in citatis verbis. Par autem est &c. Nec in contrarium me mouet *l. 1. C. de erogat. mil. annon. lib. 12.* dum facit diuersitatem lardi, & carnis, quia id procedit in ordine erogandæ annonæ militibus, non vero in abstinentia a carnium esu; inquit enim Constantin. Imper. sic Repetita consuetudo monstrauit expeditionis tempore buccellatum, ac panem vinum quoque atque acetum, sed & lardum carnem etiam veruecinam milites nostros ita solere percipere: in duobus diebus buccellatum; in tertio die panem; vno die vinum, alio die acetum; vno die lardũ: biduo carnem veruecinam. Quid ergo ex hoc tex. potest deduci, vt lardum, & oua possint in diebus ieiuniorum edi vel quod vbi permittuntur oua permittatur etiam lardum, vel sagimen? sed forsan mea me fallit opinatio. Verum dum *tex.* doctum sequor non sequendo doctores excusor.

Oues.

INter minuta animalia computantur, vt deducitur *in l. vlt. ff. de abige.* de qua iam dictũ est verbo Grex. Habes in hac materia *tex.* notabilẽ dũ in legato ouiũ

non contineri agnos disponit, nisi consuetudo sit in contrarium, namque in *l. legatis 63. §. Pecoribus ff de legat 3. ad fin.* ita inquit Martian. Quibus legatis non continentur agni. Quandiu autem agnorum loco sunt ex vsu cuiusque loci sumendum est: nam in quibusdam locis ouium numero esse videtur cum ad tonsuram venerunt.

Ouem licet non meam posse me vendicare si gregem vendico; satis clare disponitur *in l. 1. §. vlt.* ibi. sed enim gregem sufficiet ipsum nostrum esse; licet singula capita nostra non sint. Grex enim non singula capita, vel corpora vendicabuntur *ff. de rei vendic.*

DE LITTERA P.

Pactum.

A PACTIONE dicitur vnde, & pactis nomen appellatum est. Est autem pactio duorum pluriumue in idem placitum, & consensus, ita dixit *Vlpian. in l. 1. ff. de pact.* Differt a pollicitatione cum hæc sit solius offerentis promissio, vt hic notat *glos. Verbo* duorum. Pactorum esse quatuor vires, ait *glos. Verbo nullam vim in l. Pacta, quæ contra 6. C. eodem titul. de pact.* scilicet pariunt, perimunt, informant, elidunt.

Pacta aut sunt realia aut personalia. De primis loquitur *l. & heredi §. vlt. de pact.* ibi. Et in rem pacta omnibus prosunt; quorum obligationem dissolutam esse eius, qui paciscebatur, interfuit. De secundis *in capit. Vnic. de eo, qui fin. fec. ag. de feud. pat. vbi glos.* 1 sic. Pacto non obstante hoc ideo, quia pactum erat personale, scilicet quantum ad ipsum, qui refutauit, secus si esset reale, vt statim sequitur &c. In rem enim pacta per æque omnibus prosunt.

In dubio autem potius realia, quam personalia pacta præsumuntur, vt ait *glos. verbo probatum in capit. Cum venissent §. de instit.* ubi ita resoluit: & licet persona inseratur pacto, non ideo est personale, sed vt ostendatur cum qua persona sit factum; Plerunque enim consulimus successoribus nostris sicut, & nobis &c. Sed transactio potius præsumitur personalis, quam realis, nisi fuerit per superiorem confirmata &c. hoc adiecto, quod si Episcopus donet alicui rem Ecclesiasticam, potius præsumitur donatio, & perpetuo donasse, & hoc ideo est, quia Ecclesia nunquam moritur.

Pacta esse seruanda vulgarissimum est ex ratione *d. l. 1. ff. de pact.* quid enim (inquit) tam congruum est humanæ fidei, quam ea, quæ inter eos placuerint, seruare? Tueri ergo placita inter contrahentes debere, ait l. & in prouinciali *C. de seruit.* & nemini licere aduersus pacta venire, & contrahentes decipere *l. Si quis in conscribendo 29. C. de pact. vbi glos. Verbo decipere*, ita. Hæc duo simul iuncta non permittuntur, sed alterum (vt contra pacta venire) licet quandoque, vt statim dices in casibus, in quibus non videtur decipere, cum authoritate legis fiat. Item licet contrahentes decipere, vt &c.

Verum quicquid sit in casibus à *dict. glos.* re-

relatis, est text. famosus *in l. Si quis maior 41. C. de transact.* ita disponens. Aduersus pacta &c. putauit esse veniēdum, vel interpellando iudicem, vel supplicando principibus, vel non implendo promissa &c. non solum notetur infamia verum etiam actione priuatus, restituta pœna, quę pactis probatur inserta, & rerum proprietate careat, & emolumento, *& in l. Si quis in conscribendo 39. C. de episc. & cler.* ibi. Non licere ei aduersus sua pacta venire, & contrahentes decipere, *& in l. Pacto 25. eod. tit.* fic. Quia resciso forte pacto pœna exstipulatu peti potest.

Si vero per fallaciam pactum sit, tunc non seruabitur; quia per eam non tam paciscitur, quam decipitur, vt ait *l. Quicum 9. §. Qui per fallaciam ff. de transact. & l. si id, quod 7. in fin. ff. de rescind. vend.* ibi, Cum initio recte emptio sit contracta vix bonæ fidei conuenire eo pacto stari, quod alteri captiosum sit, & maxime si iusto errore sit deceptus.

Nec quando fuerit contra ius *in l. Neratius 20. ff. de religios.* ibi. Quia pacto hoc, publicum ius infringi non potest, *& in l. Quod de bonis 5. §. 1. ff. ad l. falcid.* ibi. Priuatorum cautione legibus non esse refragandum constetit. Nisi quando ipsa lex facultatem expresse concedat contra dispensationem legis paciscendi, vt in *l. vlt. §. vlt. C. de tempor. repar.* vbi pactum tenet per quod renunciatur iuri appellandi, & fatalibus. Legum enim austeritatem (inquit) in hoc casu volumus pactis litigantium mitigari.

Item nec quando pactum fuerit super re spirituali iuxta *cap. Quæsitum 5. de rer. permut.* ibi. Pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ, & *glos. verbo iur. contrariam in cap. sacrosancta 51. de elect.* ibi. Nec pactio pro spiritualibus adipiscendis valet.

Item si paciscatur contra iussum iudicis. Ne pactio priuatorum, iussui prætoris ante posita videatur, vt ait *l. 1. §. Inde quæritur ff. de nou. oper. nunciat.*

Nec etiam de quota litis pacisci licet, vt notauit *glos. Verbo. certam quantitatem in l. Si remunerandi §. vlt ff. manda. pr. tex.* ibi. Nullam actionem eum propter suam calliditatem habere: quia mercede pacta accesserat ad talem redemptionem, *& in l. litis C. de procur.* & idem in aduocato dicis Verbo Aduocatus, de quo reddit rationem *glos. Verbo contractus in l. Quisquis C. de postulat. dicens.* Quia omnia daret clientulus propter timorem litis, sicut infirmus propter timorem mortis.

Nec super successione pacta fieri debent ex ratione *l. Si quando 35. §. Illud etiam C. de inoffic. testa.* ibi secundum Papiniani responsum in quo diffiniuit meritis magis filios ad paterna obsequia prouocandos, quam pactionibus adstringendos, *vbi glos. Verbo prægrauari in addit.* fic. Aduerte quod hæc regula pactum de non succedendo non valet, fallit si tantum quis ratione pacti accepit, quantum sibi ex successione debetur. Contra libertatem testandi pactum esse inualidum dicis Verbo testamentum.

Et si conuenerit ne ob impensas necessarias ageretur, tale pactum non est seruandum: quia tales impensæ dotem ipso iure minuunt, ita disponit *l. Conueniri 5. ff. de pact. dot.*

Nec in alienis rebus contra Domini voluntatem aliquid fieri, vel pacisci secta temporum nostrorum patitur, proclamat *l. vlt. in fin. C. de pact.* Ne pacta inter alios acta aliis obesse patiamur, dicit *capit Veniens 8. de transact.* facit

etiam *l. Vranius 72. §. si ponamus ff. de fideiussor.* ibi. Non enim pactum creditoris tollit alienam actionem. Sicut & a contrario non proficit *vt in l. solutum 11. §. Solutam ff. de pig. act.* ibi. Videtur autem & cum domino ędium hoc conuenisse, vt non pactio cænacularij proficiat domino, sed sua propria.

Pacta in continenti facta stipulationi inesse creduntur, dicit *l. lecta 40. ff. si cert. pet.* Quando autem dicantur facta incontinenti? Videas *l. Quod ait ff. ad l. Iul. de adult. & l. Duos §. Duo rei ff. de duob. re. & l. Continuus ff. de verb. oblig. & l. Heredes palam in fin. ff. de testam.* Nam & ipsum pactum est contractus, ait *glos. verbo figuris in fin. in l. 1. ff. de act. vbi Apostil. sic ait. Ista glos. est sing. secundum Bald. in cap. Quintauallis extra de iur. iu.* ad hoc quod pactum nudum est contractus innominatus: & etiam dicit *sing. Paul. in l. legem C. de pact.*

Quid autem si ex interuallo sit appositum pactum? Mirabile reputat *glos. vlt. in l. sciendum 19. ff. de ædil. edict.* quod ex nudo pacto ex interuallo apposito agatur, vt contingit in eo tex. si autem iuramento vestiatur pactum, licet alias non esset, ex eo oritur actio in factum, vt notauit *glos. Verbo siue post tempus in l. vt iuris iurandi ff. de oper. libert.*

Item nota quod ex solo pacto dominium transfertur, vt probat *glos. Verbo desinere in l. si ex duobus 6. §. 1. ff. de in diem addict.* vbi iura in contrarium adducit.

Obscuritatem pacti nocere potius venditori ait *l. Labeo 21 ff. de contrab. empt.* & alia iura de quibus sup. verbo obscuritas.

Pactum appositum in venditione, vt res sit inempta, ad venditoris fauorem esse, & sic inuito eo inemptam non posse emptorem petere dispo nit *l. 2. ff. de leg. commissor.* ibi. Accipi inemptum esse fundum, si venditor cum inemptum esse voluit, quia id venditoris causa caueretur.

Ad *l. Qui libertatis 69. ff. de euict. Apost.* ita notat. Hic est casus singularis secundum Rom. Ad hoc quod licet pactum fuerit appositum, vt non teneatur de euictione vendens, tamen re euicta tenetur ad pretium, quod verum est quando est pactum factum in genere scilicet a quocunq; euincatur, secus si in specie, vt si euincatur a tali &c. tunc enim venditor non tenetur ad pretium.

Per pactum posse quem se adstringere ad casus fortuitos dixit *Bart. in summario l. & Aristiens ff. manda vbi glos. vlt. sic.* In casibus autem fortuitis, qui sine culpa, & sine mora contingunt pactum speciale est necessarium. Omne pactum in pignoribus licitum esse, si expresse à lege non reprobetur, dicis Verbo pignus. 2

Pactum, & consuetudinem æquiparari dicit *glos. 1. in l. Dominis prædiorum C. de agricol. & censit. lib. 11.* ibi. Quod enim facit consuetudo hoc, & pactum. Et addo, quod facit lex, hoc & pactum, sicut & è contrario argumentatus est *Imp. in l. vlt. C. de fideiussor.* in hæc verba. Si enim pactis conuentis hoc fieri conceditur, & in vsu quotidiano semper hoc versari aspicimus, quare non ipsius legis authoritate hoc permittatur, vt nec simplicitas suscipientium contractus ex quacunque causa possit ius creditoris mutilare? 3

Per pactum expressim licet, quod alias nō liceret, ita *glos. Ver. nominatim per tex. ibi in §. & quia vidimus de ys, qui fendi dar poss. & glos. ver. succedant in cap. filia vero de success.* ibi. Licitum est expresse, quod tacitè non licet.

Intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur, inquit *l. Quoniam 5. ff. de ys, qui not. infam.* & infamis efficitur iuxta *l. 4. in fin.* ibi pactus vt erit simili modo infamis est *eod. tit.* Pactum in hac materia accipimus si cum pretio quo-

tocunque pactus est: alioquin, & qui precibus impetrauit ne secum ageretur erit notatus; nec erit veniæ vlla ratio: quod est inhumanum, vt dicit *Vlpian. in l. Furti 6. §. si quis alieno in fin. eod. tit.* & addit ibidem glos. inhumanũ, & legi, & Euangelio contrarium.

Iniquum est perimi pacto, de quo cogitatum non docetur, ait *l. Qui cum 9. §. vlt. ff. de transact. & glos. verbo posse in l. Tres fratres ff. de pact.* ibi. Quia non videtur pacto perimi, de quo non est cogitatum.

Pactus ne peteret, postea conuenit, vt peteret, prius pactum per posterius eliditur, Non quidem ipso iure sicut tollitur stipulatio per stipulationem si hoc actum est: quia in stipulationibus ius continetur, in pactis factum versatur. Et ideo replicatione elidetur exceptio, ita optima, & famosa *l. si vnus 28. §. pactus ff. de pact.* ex quo *tex. dicit glos. in l. Lecta 40. ff. si cert. pet. verbo ipso iure*, quod simplex pactum non innouat; & clarius probatur *ex l. Auia tua 6. C. de iur. dot. in fin.* ibi. Dotis actionem profectitiæ nomine competentem, conuẽtione simplici minimè creditur innouare, *& in §. Prætereà de except. in Inst.* ibi. si pactus fuerit cum creditore ne à se pecunia peteretur, nihilominus obligatio manet: quia pacto conuento obligationes non omnino dissoluuntur: qua de causa efficax est aduersus eũ actio, quã actor intendit in apparet eum dare oportere, sed quia iniquum est contra pactionem eum condemnari, defenditur per exceptionem pacti conuenti. Ex quibus iuribus colligitur aliud esse tolli actionem ipso iure, aliud ope exceptionis, sed quo ad effectum in idem recidit probata exceptione.

Quod si nõ vt tolleret totum contractum pactum conuentum intercessit, sed vt minueret: Posterius pactum potest renouare primum contractum dicit, idem *§. pactus ne peteret.*

Sed si stipulatus decem aut stichum, decem pactus sim, & petam stichum aut decem, exceptionem pacti conuenti in totum obstaturam. Nam vt solutione: petitione, & acceptilatione vnius rei tota obligatio solueretur: ita quoq; pacto conuento de vna re non petenda interposito, totam obligationem summoueri disponit *d. l. si vnus §. Sed si ff. de pact.*

Quam plurima alia possem tibi referre iura super hoc verbo, sed Apolecta non patitur. Verum pro complemento nullo prætermittere *glos. sing. in Clem. 2. de sepult. Verbo pacta* vbi non obstante tex: qui tollit omnia pacta, quæ fuerint contra ibidem disposita, inquit, quod si super pacto, quod erat super sepultura sententiatum erat per Papam, & confirmatum pactum ante hanc constitutionem: quod per istam litteram illa sententia, & confirmatio non tollitur, imo stabit: quia non est expresse sublatum *C. de appellat. l. præcipimus in fin.* nec sequitur, pactum est sublatum: ergo & pactum firmatum sententia, & confirmatione: plus enim potest hoc tale, quam hoc simplex &c.

Paganus.

IN iure nostro ille dicitur, qui non est miles, vt deducitur *in l. fin. C. de in offic. testa* ibi vel enim paganum est peculium, vel castrense. Alias dicitur Sarracenus, vel illi qui Deos ac Deas colunt, imo dæmones, vt inquit *glos. in rubr. C. de pagan.* & ego dicerem etiam omnes, qui in Christi militia non sunt per baptismi sacramentum adscripti sicut enim vt supra dixi omnis, qui non militat paganus vocatur, sic & eodem modo, qui non est in militia Domini paganus dicetur, & ita apud nos vsus est, vt etiam filij Christianorum dum sacro baptismatis fonte non sunt ablu-

luti

by Google

luti pagani dicantur. Quos à paganis baptizatos esse asseruisti: si ita habetur vt denuo baptizes in Nomine Trinitatis mandamus, ita præcepit *Grgor. 2. Bonifacio Episcopo in cap. Quos de consecrat. dist. 4.* Tamen *ab Alexandro 2. in cap. Præter hoc §. verum prope fin* sequendo Stephan. & Cornel. martyres, & Pontif. Roman. August. & Cyprian. dicitur baptisma ab hæretico siue schismatico ratum esse, & merito quia alia in baptismo, & alia in reliquis sacramentis consideratio est: quippe cum in ordine prior est, & necessarior subito enim morituro prius baptismate, quam dominici corporis communione, vel alijs sacramentis consulitur: & dum forte catholicus nõ inuenitur, sanctius est ab hæretico baptismi sacramentum sumere, quam in æternum perire 32. *dist.* & in terminis pagani *in cap. si quis per ignorantiam 1. quæst 1. sic.* Sed Roman. Pont. non hominem iudicat, qui baptizat, sed tantum spiritum Dei subministrare gratiam credit baptismi, licet paganus sit, qui baptizat, vbi glos. Verbo paganus dicta iura conciliat, vt hæc procedant si in forma Ecclesię fuerunt baptizati in dicto vero C. quos nõ fuit hæc forma seruata, & ideo in nomine Trinitatis iubetur denuo baptizari.

Ecclesiam in qua paganus sepultus est nõ liceat consecrare, neque missas in ea celebrare, sed iactare foras, & mundare, ita ex *Concil. Aurelianen. cap. 3. dicitur de consecr. dist. 1. & cap. seq. incipit,* etiam Ecclesiam in qua, *& ibi glos. vlt. sic.* Vbi autem discerni non possunt fideles ab infidelibus neutri exgumandi.

Paganorum serui vicem Christi suscipientes à seruitute liberi manent *ex c. Fraternitatem* ibi. Sed is, qui ad Christianam fidem conuerti desiderat defensione vestra in libertatem modis omnibus vendicetur 54. *dist.*

Pagani, vel hæretici siue Iudæi non possunt Christianos accusare, aut vocem infamationis eis inferre, ita *Caius Papa 2. quæst. 7. & in Conc. Carthaginensi 7. relato 4. quæst. 1. cap. diffinimus in fin.* ibi. Hæretici etiam siue pagani, siue Iæi ab accusatione prohibentur.

Palatium.

Proprie dicitur imperatoris, & regum; & aula pars eius quatuor habens alas, vt ait *glos. in Clem. 1. Verbo in aulis de baptism. vbi notauit Cardinal. in princ. & glos. in l. Nulli 14. ibi. Palatia Principis C. de offic. vest. prou.* vnde dicit *Ambros. in capit. Conuenior 23. quæst. 8. in med.* Ad Imperatores palatia pertinent: ad Sacerdotes Ecclesiæ, & paulo supra sic. Ad palatium imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacerdotis officio, vt in palatio magis certarem, quam in Ecclesia. Et quod in palatio certetur ipsa iura imperatorum satis probant. Audi *l. vlt. C. de priuil. eo qui in palat. lib. 12.* omnes, inquit, & nullum excipit, qui in palatio militant. Audi latius *l. vnic. C. de castr. om. palat. pecul. eod. lib.* Quid enim tam ex castris est, quam quod nobis conscijs, ac prope sub conspectibus acquiritur? Sed nec alieni sunt a labore, & puluere castrorum, qui signa nostra committantur, qui præsto sunt semper actibus, quos intentos, & eruditos studijs, itinerum prolixitas, & expeditionum difficultas exercet. Forsan dices quod hæc lex hodie non habebit locum eo, quod iam non est in vsu Imperatorem, & leges personaliter ad castra accedere. Verum non fat bene argumentum subsistit, eo quod licet ad bella non eant, bellum ingruit continuum in continuis prolixisque seruitijs, & obsequiis, & quod peius est, in æmulatoribus, si est carus principi,

cipi, si e contra, in contemptu. Quod enim horridius bellum?

Palatium á prætorio differre satis liquet ex citata *l. Nulli* 14. *C. de offic. rect. prou.* ibi. Vbi autem palatium est, & prætorium: palatium quidem habitationi præsidis: prætorium autem, vel suscipiendis conseruandisq; speciebus publicis horreorum vice, vel aliæ necessariæ rei deputetur.

Papa.

A Dictione Græca pape, quæ est interiectio admirantis, & vere admirabilis, quia vices Dei in terris gerit, ita ponit *glos. Ver. papa in proœm. Clem.* vbi refert dictum poetæ Anglici Papa stupor mundi &c. & addit, Etymologia vero nominis, id est pater patrum. Vel etiam á papos dicitur: idest maior quia Papa est maior omnibus *ad cap solita de maio. & obed.* maior namque est eius authoritas, quam omnium Sanctorum *cap. 1. ad fin.* ibi. Tamen quia dignitatis eorum apicem non sũt adepti &c. secundum post eos locum merentur 20 *dist. Bald. in l. Rescripta num.* 8. ibi. Tertio, quia solus locum Principis Apostolorũ &c. Quarto quia maior est authoritas Papæ, quam Sanctorum &c. Quis enim sanctum dubitat esse quem apex tantæ dignitatis attollit? in quo si desinant bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci successore præstantur *capit 1. dist* 40. *& in cap. 3. de translation. episc. ita Rom. Pont.* qui nõ puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris *vbi glos.* hæc, vnde dicitur habere cæleste arbitrium &c. & ideo etiam naturam rerum immutat, substantialia vnius rei applicando alij &c. de nullo, potest aliquid facere &c. & sententiam, quæ nulla est, facit aliquam &c. quippe quia in his, quæ vult ei est pro ratione voluntas &c. nec est qui dicat ei cur hæc ita facis &c. Ipse enim potest supra ius dispensare. Idem de iniustitia potest facere iustitiam corrigendo iura, & mutando &c. & plenitudinem habet potestatis, *& glos. Verbo Diuina in cap. 2. eod. tit. de translat. Episc.* ita, & sic quod fit authoritate Papæ dicitur fieri authoritate Dei, & est verum si iusta causa hoc faciat, & potest dare prælaturas ad tempus immutat enim substantialia rei, vt dicit *glos. Verbo perpetui de Cappell. monachi libr. 6.* Ipse tamen Papa durum existimat aliquando contra concilia dispensare, *vt in cap. Post* 11. *de renunc* ibi: Cum nimis durum extiterit contra tam solemne Concilium huiusmodi postulationem admittere verumtamen *glos ibidem verbo durum* ait. Non tamen impossibile: quia bene dispensat D. Papa contra quatuor concilia, & cõtra Apostol. dum tamen nihil statuat contra fidem. Quod autem legitur 15. *dist. sicut.* de articulis fidei intelligitur. Sunt autem quatuor ista Concilia Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesenum primum, & Calcedonen. *á cap. sicut* 15. *dist.* & alibi dicit ipse Papa. Qui secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare, *& in cap. significasti* 4. *de elect.* sic. Quasi Rom. Ecclesiæ legem concilia vlla præfixerunt, & cum omnia Concilia per Rom. Ecclesiæ authoritatem, & facta sint, & robur acceperint & in eorum statutis Pontificis patenter excipiatur authoritas, oportet tamen primam sedem obseruare ea, quæ decernendo mandauit, non necessitate obsequendi, sed authoritate impertiendi, *vt in cap. vlt. ad med.* 25. *quæst.* 1. *& in capit. si ea* 25. *quæst.* 2. ait Pont. si ea destruam, quæ antecessores nostri statuerunt non constructor, sed euersor esse iuste comprobarer *in cap. proposuit* 4. *de concess. preben. & ibidem glos.* Videas in quibus potest, & non potest.

tibi

Et si vis, vt hic ponam? obedio, & affero tibi alteram *glos. Verbo non potest in cap. litteras 13. de rest. spol.* quæ ita habet. Papa in omnibus dispensare potest, quæ non sunt contra articulos fidei, vel generalem statum Ecclesiæ &c. Nec in his, quæ sunt contra substantiam monachatus, Nec in his, quæ sui natura sunt mala, vt quod sine peccato posiit quis adulterari &c. nec vt quis plures simul posiit habere vxores &c. Idem credo de gradibus prohibitis diuina lege.

Potest papa tollere legem etiam quoad forum seculare probat *glos. verbo Ius Canonicum in cap. 2. de iur. iu. lib. 6.* & eodem modo legem sui prædecessoris iuncto *cap. Innotuit 20. de elect.* ibi. Nobis tamen per eum non fuit adempta dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio: qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pari post eum eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem.

Quæ ad solum Papam pertinent, ponit *glos. Verbo Pertinent in cap. 1. de translat. Episc.*

His versibus.

Restituit Papa solus, deponit, & ipse.
Diuidit, ac vnit eximit atque, probat.
Articulos soluit sinodumque facit generalem
Transfert, & mutat, appellat nullus ab illo.

Papa an possit legitimare filios etiam, quoad temporalia in terris sibi non subiectis? Vide Verbo *Filius.*

Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus diffinire, ait ipse Papa *in cap. 1. de caus. poss. & propriet.* Debet tamen secundum conscientiam iudicare, vt inquit *Apostill. ad glos. Verbo punitur in l. 1. ff. ad l. Cornel. de fals.* ibi. Fallit in iudice, qui est supra leges vt Papa. & imperator, quia debent secundum conscientiam iudicare, & late habes verbo iudex. Non vero de his, quæ occulta sunt. Quoniam & si locum Dei habeat in terris non tamen de occultis potest diuinare, vt idem dicit *in cap. vnic. vt Ecclesiast. benef.*

Credendum est Papæ referenti inquit *glo. Verbo promissi sunt. in cap. 2. de sent. & re iud. li. 6. 6.*

Suscepti regiminis nos cura solicitat, vt vtilitatibus subiectorum in illis præcipue per quos animarum saluti consulitur, nunc nouorum editione iurium, nunc antiquorum innouatione solicite prouidere curemus, *cap. 1. de praeben. lib. 6.* Absque tamen alieni iuris præiudicio *vt in cap. Cum inferior. 16. in fin. de maior. & obed. vbi glos. vlt.* sic. Papa non intendit alij per suas litteras præiudicium irrogare.

Decreta vero Sanctorum Canonum neminem magis quam Apostolicum seruare oportet, ita *cap. 1. 25. quæst. 1.* Neque credendum est Rom. Pont. (qui iura tuetur) quod alias excogitatū est multis vigilijs est inuentum subuertere voluisse, inquit *cap. Ecclesia vestra 57. de elect.*

Quod Papa facit, & nos facere debemus, & eadem ratio, quæ mouet illum mouere debet alios iudices, sic dicit *glos. Verbo Romano in cap. 1 de temp. ord.*

Nihil magis Ecclesię Dei esse necessarium quam vt Beatissimus Roman. Pontif. quam solicitudinem vniuersę Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, vt lectissimos tantum Cardinales asciscat: & bonos maxime atque idoneos pastores singulis Ecclesijs præficiat ita *Conc. Trid. cap. 1. in fin. sess. 24. de reform.*

Decet etiam ipsi Rom. Pont. per fratres suos Sacros. Rom. Ecclesiæ Cardinales (qui sibi in executione officij sacerdo-

talis coadiutores assistunt) libera prouenire cōsilia: decet ipsius nullo modo vacillare iudicia, vt fratres ipsos nullus potestatis secularis metus exterreat, nullus tēporalis fauor absorbeat: nullus eis terror immineat; nihil eos a veri consilij soliditate remoueat quin (cū per ipsū Rom. Pon. in quibuscunq; negotijs contingeret eorū peti consilia inconsulendo (per omnia liberi eidem Rom. Pon. in omnibus, quæ pro tēpore eminent libere consulant, & assistant. Ipsaque Roman. Pont. Vicarij Dei, quæ suis temporibus occurrerit electio, & eorūdē Cardinalium (cum expedierit) facienda promotio, in omni libertate procedant, sic disponit *cap. fundamenta 17. de elect. lib. 6.*

Regimini prǽsidētes curis sollicitamur cōtinuis, & assidua meditatione vrgemur vt iuxta creditæ nobis dispēsationis officium subditorū commodis (in quorū prosperitate, vtique prosperamur) iugi (quantum nobis exalto concessum fuerit) sollicitudinis studio intendamus. Amplectimur quidem voluntarios pro ipsorum quiete labores, & noctes quandoq; transimus insomnes, ait *Bonif. in proam. 6. decret. & in cap. 1. de offic. delegat. eod. lib.* sic dicitur officij nostri debitum remedijs inuigilat subditorum, quia dum eorum excutimus onera, dū scandala remouemus: nos in eorum quiete quiescimus & fouemur in pace, *& in cap. 1. de restit. spol. eod. lib.* ita Nos qui voluntarios labores appetimus, vt quietem alijs præparemus finem litibus cupientes, & calumniæ materiam amputare, *& in cap. 1. de appellat. eisd. lib. 6.* hæc Cordi nobis est lites minuere, & a laboribus releuare subiectos.

Nos igitur, qui beneuoli more patris, in prouinciarum ipsarum tranquillitatis, & pacis commodis delectamur, inquit *extrauag. vnic. de priuileg. & in extrauag. 2. de sepult. inter comata* & si multis, & arduis, quæ in amplum Ro. Curiæ alueum vndique confluunt, quasi torrens, prægrauemur negotijs, curis excitemur innumeris, cogitationibus plurimis distrahamur: Circa id tamen feruentissimis votis intendimus &c. Inter Ecclesiarum antistites ad curam, & regimen gregis dominici deputatos, cæterasque personas, quas ordo clericalis includit pacis trāquillitas vigeat feruor charitatis exæstuet, inualescat concordiæ vnitas, animorum identitas perseueret, *vbi glos. Verbo Torrens,* sic ait. Nam propriè dicitur torrens, qui ex diuersis partibus aquam recipiens torret, id est vertit, & voluit: sic Papa nunc ad hunc, nunc ad illum se vertere habet, & voluere.

Cum super priuilegijs sedis Apostolicæ causa vertatur, nolumus de ipsis per alios iudicari *sic Innoc. 3. in capit. Cum venissent 12. de iudic. vbi glos. iudicari* sic quærit, sed qualiter potest papa esse iudex in causa sua, cum alius debeat esse iudex, quam actor, &c. sed dic, quod Papa potest esse iudex in causa sua, cum alius debeat esse iudex, quam actor &c. sed dic quod Papa potest esse iudex in causa propria, sicut Imperator in causa fiscali: hanc *glos. sequitur, Apostill. ad l. pen. ff. de ijs, qua in testa. del. per tex.* ibi sententia imperatoris Antonini Augusti dicens, & sic imperator est iudex in causa propria sicut Papa Sed mihi magis arridet *glos. verbo procuratricem in cap. Cum dilecta 4 de confirm. vtil.* ait enim si Papa vellet agere in sua persona coram quo agere debet? Debet super hoc arbitros eligere, vel delegare causam alij, *& sic in l. penult.* supra relata inuenio dixisse imperatorem ibi, & aduocatis fisci dixit vos habetis iudices vestros, sed propter plures instantias ab aduocatis factas rescripsit ibidem ad fauorem libertatis, & ita concludit *prædicta glos. Verbo iudicari* ibi. Consultius tamen,

& honestius faciet si alij, hoc commiserit.

Licet Papa recipiat aliquos sub sua protectione, non sunt propterea subtracti a iurisdictione Episcoporum, sic per cōfirmationem in forma communi non praiudicat Episcopo, sic dicit *glos. Vlt. in cap. recepimus* 8. *de priuileg.* ipse autem Papa dicit *in cap.* 2. *de cler. pereg.* ita. Cum ij, qui accedunt ad præsentiam nostram, cū rebus eorum debeant esse cum Apostolica protectione securi. si ex certa scientia scribere Papa pro maiori eius mandato esset obediendum: quia Sacrilegij instar obtinet dubitare an is sit dignus, quem princeps elegit, ita *glos. Verbo litterarum in capit. cam te* 4. *de atat. & qualit. & addit.* Item hic est argum. quod non est obediendum semper mandato Domini Papę &c. sed non dicitur mandatum, quādo ignoranter mandat, eo autem ipso, quod Papa scienter committit causam, eam transfert a potestate ordinarij cū enim Papa sit ordinarius iudex omniū hominum potest quilibet eum adire per simplicem querelam re integra, & ipse potest cognoscere, vel delegare nec est necesse, quod faciat mentionem de iurisdictione minoris, vt dicit *glos. verbo si dicat in cap. vt debitus* 59. *de appella.* Id tamen raro facit ex ratione *tex. in cap. Peruenit in fin.* 11. *quæst.* 1. ibi. si sua vnicuiq; Episcopo iurisdictio non seruetur, quid aliud agitur nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus ille ordo custodiri debuit cōfundatur? Si autem vice versa Papa deleget causam Episcopo, nō ideo videtur a se abdicare suam maiorem potestatem, *vt in capit. Dudum* 14. *de prabend. lib.* 6. ibi. Nos igitur attendentes, quod & si memorato Episcopo prædictā concessimus potestatem. penes nos tamen nihilominus remansit maior: facit etiam *cap. per hoc* 17. *de haret. eod. lib. & l. vlt. C. de iurisd. om. iud.*

Factum ex certa scientia Papæ robur obtinet firmitatis, etiam si de se nullum erat, ita *glos. Verbo scientia in extrauag. vnic. de praben. & in extrauag. vnic. de priuileg. verbo ex certa scientia* ibi. cum factum ex certa scientia Papæ licet alias de se nullum, efficiatur aliquod *Clem. vlt. de sent. excom.* sic dicit Papa si quem sub titulo cuiusuis dignitatis ex certa etiā scientia verbo, Constitutione, vel litteris, nominet, honoret, seu quouis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere noui iuris, multoties namq; suggeruntur Papæ non vera, quæ non vult adimplere, vt ipse *in cap. si quando in fin. de rescript.* ibi. quia patienter sustinebimus si non feceris, quod praua nobis fuerit in sinuatione suggestum.

Postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, & præsentatur Rom. Pont. approbanda; si possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, & iudicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur *cap. Bona* 4. *vers. Nec obstabat ad fin. de postul. præl. it.*

Postquam Papa manus negotio apponit nemo potest super eo cognoscere *ex capit. Licet* 5. *de offic. legat.* ibi examinationem secundam tanquam a non suo iudice factam, postquam negotium ad nostrum fuerat translatum examen censuimus irritam, & inanem. Cum plus sit Rom. Pont. ad se aliquod reuocare negotium, quam quemquam ad eum super aliquo negotio prouocare *cap. vt nostrum* 56. *de appellat. & in extrauag. vlt. de praben. inter comm.* ibi. Român. quoque Pontificis manus appositionem tantæ efficaciæ tantæq; virtutis existere &c.

Si Papa vocat aliquem, licet postea, exemplo Petri relictis omnibus etiam regalibus sequatur Papam, dicit ita *glo. verbo legatione in capit. Cum parati* 19. *de appel-*

appellat. & dictum est verbo legatus ex ratione posita *in Clem. Pastoralis ad fin. de re iud. ibi*. Nos ex superioritate quam ad imperium non est dubium nos habere, quam ex potestate, in qua vacante imperio, Imperatori succedimus, & nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus rex regum, & Dominus dominantium nobis licet immeritis in personam Beati Petri concessit.

Princeps namque vocatur per ἀντονομασίαν, vt per *glos. verbo Principi, idest Papa in capit. 1. de maior. & obed.* sicut Imperator vocatur Pontifex addit eadem *glos.* & alter alteri se coadiuuat iuxta *tex. in cap.* Quoniam *dist.* 10. ibi. vt etiã Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu tantummodo rerum imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio a carnalibus distat incursibus, & Deo militans minime secularibus negotijs se implicaret, ac vicissim ne ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset secularibus negotijs implicatus: ergo clare patet, quod nec Papa in temporalibus, nec Imperator in spiritualibus se debeant immiscere prout, sic infert *glos. Ver. conferens in Authen. quomod. oport. Episcop. collat.* 1.

Et tamen potest Papa deponere imperatorem, vt notauit *glos. verbo priuamus per tex. ibi in capit. 2. de sent. & re iud. lib. 6.* sic dicens. Ergo deponit Papa imperatorem, vt hic. Item cum est inutilis, &c. & dat coadiutores ipsis male administrantibus &c. Per negligentiam ipsorum iurisdictionem assumit &c. compellit ipsos iustitiam facere &c. & ius Canonicum etiam debitis casibus obseruare vnum enim principatũ oportet esse ad quem omnes recurrant. Necessaria est enim talis superioris authoritas, vt tam per determinationis opportunæ suffragium tollat ambigua, lites auferat, alterationes dirimat, & obscura succidat, quam per cultoris prouidi sarculum extirpet vitia, virtutes inserat, corrigat excessus, moresq; reformet; *vt in proam. Clem. dicitur, & in Clem. 1. de magistr.* ita Inter sollicitudines nostris humeris incumbentes perpeti cura reuoluimus vt errãtes in viam veritatis inducere, ipsosq; lucri facere Deo (sua nobis cooperante gratia) valeamus; hoc est quòd profecto desiderantes exquirimus, ad id nostræ mentis sedulo destinamus affectu, ac circa illud diligenti studio, & studiosa diligentia vigilamus. Dignum est enim, vt adulterinas plantationes, quas non pater cælestis, sed humanæ temeritatis audacia plantat, Apostolici culminis censura diuellat: nec patiatur in agro Dominico peruersæ conuersationis vepres excrescere, cui proprium est, diuina opitulante gratia, virtutes serere ac vitia radicitus extirpare *extrauag. vnic. ad fin. de religios. dom.* Et non solum de animarum salute, verum etiam de extrinseca vtilitate, & cautela esse sollicitum, ait *glos. verbo Prospicere in Extrauagan. vnic. ne sed. vacant.*

De ista vero plenitudine potestatis non oportet sermonem effundere, quia superfluum est solem facibus adiuuari, vt dixit *glos. verbo Plenitudine in Extrauag. ad onus de elect.* Nec enim est, qui audeat dicere Domine, cur hæc ita facis? vt per *glos in Extrauag. 2. de conceß. prab.*

Sed an istam potestatem, & commissionem, quam Christus dedit Petro, & successoribus eius *Matth.* 16. videatur fecisse nedum super Catholicos, an etiã super non Catholicos, & infideles? quęrit *glos in Extrauag. vnic. ne sed. vac. verbo commisit*, & respondet. Dicas, quod sic Beneuolus tamen pater dicitur *in Extrauag. vnic. de priuileg.* ibi; Nos igitur qui beneuoli more patris in

prouinciarum ipsarum tranquilitatis, & pacis commodis delectamur. Vocat. Episcopos, suos coepiscopos sicut Imperator appellat milites, suos commilitones, vt notauit *glos. per tex. ibi in Extrauag. proxime relata vnic. ne sed. vac. verbo coepiscoporum*, & infra statim verba tex. Et seruus dicitur: sed cur? vltra alia dicit *glos. verbo seruus in proem. decretal.* sic. Quia sicut per seruum acquiritur domino &c. ita etiam per Dominum Papam, cuilibet Ecclesię potest acquiri.

Et vti sponsus Rom. Ecclesiæ seruat eius iura intacta, *vt in d. Extrauag. vnic. ne sed. vac* ibi si fratrum, & coepiscoporum nostrorum, & aliorum quorumlibet iura illibata seruari, & ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus, & ad illud libenter nostræ solicitudinis studium adhibemus, multo fortius. Equidem pro nostris, & Rom. Ecclesiæ sponsę nostræ iuribus, & honoribus conseruandis, ex iniuncto nobis officij debito Apostolicæ prouisionis partes tenemur impendere, ne temporibus nostris vsurpationis iniuriam subeant aut detrimentum cuiusuis derogationis incurrant. Non tamen suum honorem auget Papa, vt minuat ius alterius Ecclesiæ, vt dicit *glos. in cap. De ecclesiasticis 15. quæst. 2. tex.* autem sic ait. Nec cuilibet gratia fauente vltra quam meretur impertior; nec nulli hoc quod sui iuris est, ambitu stimulante derogabo: sed fratres meos per omnia honorare cupio: sicque honorare singulos subuehi, dummodo non sit, quod alteri iure ab altero posisit opponi. Nec honorem meum reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco refert *glos. vlt. in cap. vlt. de confir. vtil.* Nec per suas litteras vult alicui præiudicium inferre, vt sup. est dictum, & arguit *glos. vlt. & tex. ibi in cap. mandatum 38. de rescript.* Quandoque tamen fallit ipsum obliuio, vt dixit *glos. Verbo moderemur in cap. Cum adeo 17. de rescript.*

Illatam iniuriam Ecclesiæ, papam non posse remittere de iure communi dixit *glos. Verbo iniuriam in extrauag. vnic. ne sed. vac.*

Posse ligari papam ab illo, cui peccata sua confitetur, dicit *glos. argumentando ex tex. ibi in cap. sane 11. verbo terminandum de offic. deleg. per tex. in cap. Mandatis 2. quæst. 4.*

Si Papa mortuus (quod absit, & aberit diuina protegente gratia) Ecclesiam fædasset improbis actionibus, adhuc poterit dici 60. memoriæ. Papa enim semper post obitum dicetur 60. memoriæ idem in Episcopis, & superioribus. Et Cardinales præsbyteri, & Diaconi sic nominabuntur, quia pars corporis Papæ sunt, & de eius latere, & patricii vocantur, ex quo enim sunt Summi Pontif. viciniores maiori prærogatiua gaudere debent, vt iam dixisti Verbo. Cardinalis. Sed si male, & improbe segessit, cur 60. mem. dicetur? Quia non respici debet ad id. quod fecit, sed quod facere decuit; nã & si malus prælatus non habeat diadema sanctitatis, habet tamen diadema dignitatis, quæ ex se, nec de se peccauit; licet suppositũ cui dignitas inerat male egerit, propter, quod dignitas sibi coniuncta, infecta fuit: ita hæc, & alia in materia ponit *glos. Verbo bonæ memoriæ in extrauag. vnic. de schismat. inter com.*

Mortuo igitur Papa, agitur de noui electione, prout nunc ad præsens, cum hæc scribo, qui erit quem Dominus elegerit, sed ipse Dominus vult, vt fiat mediantibus hominibus, qui facient iuxta ea, quæ dicta sunt supra verbo electio in princip. & sic speramus Deo Duce, quod eligatur, vt decet Sanctam Romanam Ecclesiam, de ipsius Ecclesiæ gremio, si quidem tot idonei reperiuntur iuxta *cap. in Nomine Domini 23. dist.* Nec prohibetur de alia Eccle-

lia

sia eligi quando (quod nunc abest) non reperiretur idoneus, vt idem tex. dicit cum requisitis, de quibus ibi, de forma autem in hac electione seruanda, vltra ea quæ de iure communi extant *in tot. tit. de elect.* in praxi, nunc est illa data à bon. mem. *Greg. XV relata in 4 tom. bullar. constit. 19. confirmata, & approbata per Vrban. VIII. etiam bon. memor. eod. tom. 4. const. 45.* Et postquam fuerit electus nulla exceptio potest sibi opponi, nisi de hæresi, vt dicit *glos. verbo exceptione in cap. Licet vitanda 6. de elect. per tex. in cap. si papa 40. dist.* ibi. nisi deprehendatur à fide deuius. Alias autem quantuncunque præcise etiam ipse Papa scribat legitime exceptio est admittenda per iura, quæ eadem *glos.* affert.

Quod sit sūmus honor seruire in Apostolica sede satis notum est, sicut etiam, quod sit magnum onus dictum est verbo Apostolica Sedes.

Parcere.

NOn potest negari, quod sit magnæ virtutis, & sanctitatis, vnde dicit *glos. Verbo vlcisci in capit. 1. de postulat. pralat* Potius deberet pauere, cui Sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit, fuit enim dictum de Cæsare.

Qui vincis semper, vt victis parcere possis.
Parcere prostratis scit nobilis ira leonis.

Et ex Senec. de virtutib. Honestum, & magnum vindictæ genus ignoscere.

Tamen non omnis, qui parcit amicus est, nec omnis, qui verberat inimicus est, meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici: melius est enim cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere; vtilius esurienti panis frangatur, vt iustitiæ seductus acquiescat, vt ex *D. Aug. refertur in C. Non omnis 5. quæst. 5.* Non enim est innocentiæ parcendo sinere, vt in grauius malum incidatur, ait *cap. Non est 23. quæst. 5.* Et hoc ipso, quod quis parcit, malo intelligitur nocere bino, inquit *glos. verbo dispensationem in cap 1. de pac. constant.* Nam, & facilitas veniæ, incentiuum tribuit delinquendi, dicit *glos. verbo Contemptus in cap. 1 de postulat. pralat.*

Non est credendum eum alij parcere, qui sibi non parcit, ait *glos. verbo ausus in l. Cum autem 23. ff. de ædil. ed.* & fuit probatum in verbo *Mors.*

Parentes.

VSque ad tritauum apud Romanos proprio vocabulo nominantur: vlteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur. Sic ait *Paul. in l. Iurisconsultus 10. §. Parentes, ff. de gradib. glos* vero *in l. Parentes 5. C. de testib.* sic ait Parentes, accipe in infinitum, & probat *Vlpian. in l. 4. ff. de in ius voc.* ibi Parentem hic vtriusque sexus accipe. Sed an in infinitum quæritur? & quidam vsque ad tritauum parentem appellari aiunt, superiores maiores dici hoc veteres existimasse Pompo. refert; sed Caius Cassius vsque in infinitum omnes parentes dicit quod, & honestius est, & merito obtinuit. Et sic omnes ascendentes ex linea paterna, & materna parentes dicuntur, vt per dictam glos. & in materia fauorabili dicuntur etiam parentes adoptiui *ex l. sed si hac lege vers.* Parentes etiam patroni adoptiui excipiuntur, sed tandiu quandiu adoptio durat, *ff. eod. tit. de in ius voc.*

Veniunt etiam nomine parentum largo modo omnes agnati, & consanguinei vt *in cap. 1. quemadmod. feud. ad fil. pert.*

per tex. ibi. Nō reuocatur ab vllo ex parentibus suis, & vsus approbauit cum soliti simus dicere nostros parētes omnes consanguineos, siue agnatos, siue cognatos.

Parentes tenentur iure naturæ ad liberorum educationem, *vt in l. vnic. §. taceat C. de rei uxor. act.* ibi sileat ob liberos retentio, cum ipse naturalis stimulus parentes ad liberorum suorum educationem hortetur, & est vulgata *reg. l. si quis a liberis 5. ff. de lib. agnosc.* vbi etiam vice versa liberi tenentur alere parentes, idemque esse de hæreditate, inquit *Papinian. in l. 15. ff. de in offic. testa.* in hæc verba. Nam & si parentibus non debeatur hæreditas filiorum propter votum parentum, & naturalem, erga filios charitatem, turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quam liberis pie relinqui debet, non est ergo alia differentia inter eos, nisi quod liberi iure naturæ, parentes vero pietatis iure aluntur, & hęredes fiunt, vt alias dixit *l. scripto ad fin. ff. vnd. lib.* ibi. cum parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittat; liberos naturæ, simul, & parentum commune votum. Non igitur est consentiendum parentibus, qui iniuriam aduersus liberos suos inducunt: quod plerunque faciunt maligne contra sanguinem suum inferentes iudiciū nouercalibus delinimentis, instigationibus ve corrupti, vt dicitur *in l. 4. ff. de inoffic. testa.* Nam quod parentes nō seruant liberis, seruat princeps per legem, vt notasti verbo filius, si tamen adhuc parentes audeant exhæredare suos liberos sine nota insanę mentis nō transibunt, *vt in §. 1. de inoffic. test. in Inst.* & addit sic idem tex. sed hoc dicitur non quasi vere furiosus sit, recte siquidem fecit testamentum: nō autem ex officio pietatis. Causas vero propter quas possunt exhæredare habes verbo. Filius.

Cæterum parenti licere deteriorem conditionem liberorum in rebus peculiaribus facere, ait *l. Apud 4. §. vlt. ff. de dol. except.* Non tamen in alijs, sed æquales debet omnes facere, *vt in Auth. de nupt. §. veniant autem coll. 4* ibi. Non enim permittimus parentibus nō recte introductam electionem in eos, neque alijs quidem filiorum dare, aliū vero exhonorare &c. Sed quemadmodum omnium filiorum similiter hæredes existunt parentes, & non quidem alii succedunt, alii vero non: cur non similiter, & ipsi omnibus, ex æquo quātum ad hoc conferant, sed alios quidem eligant; alios vero despiciant. Poterit autem aliquem eorum cum moderamine meliorare, *vt in eod. Auth. §. vlt.* in his verbis. Si quidem aliquem ex secundis nuptiis habeat, aut etiam ex primis forsan, ita festiuum, ita dilectum, vt velit præponere eum aliis in possessione, damus licentiam hoc agendi, non tamen omnino priores quidem filios minuere, secundos autem augere: sed neq; vehementer magnificare augmentum, nec omnino obliuisci priorum matrimoniorum &c. Sed prouidere quidem, & secundis, prouidere autem, & primis. Cogitantes quoniam filii ambo sunt, & ita facientes successionum in testamentis diuisionem. Si enim intestatis eis mortuis lex omnes ex æquo vocat: competens est eos imitantes legem non vehementer magnis eos abbreuiare minutionibus erubescentes legem, sic enim erunt boni patres, & nostra digni legislatione, iusti quidem erunt solam legem custodientes. Si quid autem etiam supra legem reliquerint, erunt simul iusti, & humani patres &c. Hanc itaque partem de æquitate filiorum ex priore, & secundo matrimonio venientium adhortantes, potius quam sancientes dicimus.

Vt autem liberi parentes obligent ad dictam æqualitatem debent eis debitam præ-

præstare obedientiam. Nam vt dicit *glos. vlt. in l. Contra 7. C. de testa. manum.* Patriæ, & parentibus est obediendum, & non velle esse parentum castigatores iuxta, quæ supra scripta sunt verbo filius; ab ipsis enim parentum meritis posterorum errata condonantur, vt alias dixit Ioseph *de antiquit. libr. 8. cap. 5. num. 30.*

Licet alias, qui nascitur ex bonis parentibus præsumatur bonus, & qui ex malis malus, vt notauit *Apostill. ad glos. verbo non infamata in l. quod si 31. §. si plures ad fin. ff. de adil. edict.* tamen non est omnino de virtute, nec de vitio parentum, aut laudandus aliquis, aut culpandus, nemo enim vere inde, aut obscuris, aut clarus est, vt inquit *capit. Nunquam 56. dist.* & redditur ratio *in cap. Nasci ead. dist.* & præcipuè *in fin.* ibi. Quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa vitiorum est atque virtutum, conducit illud Ouid,

Nec genus, nec proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Cum alijs, quæ habes Verbo *nobilitas.*

Parentes admittuntur ad testificandum in causa genealogiæ ipsorum ex his, quæ *Celestinus in capitul. videtur vobis 35. quæst. 6.* ibi. Ideo maxime parentes recipiuntur, siue si defuerint parentes proximiores admittuntur: quoniam vnusquisque suam genealogiam cum testibus, & chartis cum exercitatione, & recitatione maiorum scire laborat. Quia igitur alijs melius sciunt, ideo maximè admittuntur, &c. qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt?

Parentela vltra secundum gradum notoria esse non potest, vt deducitur *ex tex. in cap Porrò 3. de diuort.* ibi & parentela manifesta, seu publica existente (quod credibile non est) nisi essent in primo gradu, vel secundo, & ibidem notauit, *glos. vlt.*

Parochia.

Episcopi, dicitur tota sua diœcesis iuxta *cap. Apostolicæ 9. de donat.* ibi. si quis Episcoporum in parochia sua monasterium construere voluerit, *& cap. 1 de raptor.* ibi ab illius loci prælato excommunicentur, nec ante ex parochia illa exeant *cap. bona rei 12. q 2.* ibi quisquis itaque Episcoporum in parochia sua, &c. Et dicitur parochia Græcè, Latinè partitio, vnde tota diœcesis Episcopo deputata, est partita, & diuisa à diœcesi deputata alteri Episcopo: & propter hoc Ecclesię inferiores dicũtur parochiales, quia habent curam partitam, & diuisam, atque certis confinibus limitatam. Et ex hoc dicimus, quod quilibet de diœcesi est parochianus Episcopi: vnde Episcopus concurrit in cura cum quolibet Presbytero parochiali, iuxta *tex. in cap. 2. & quæ* ibi *glos verbo suo subdito de panit. & remiss. lib. 6.* & ita prædictis verbis tenet, *Abb. in d. cap. Apostolica num. 2. de donat. & in cap. De multa 28. de praben. sub. n. 24.* sic parochia dicitur quasi partitio curæ, quia cuiq; curato datur certa pars ciuitatis, seu pars castri per eum curanda, in diuinis, vbi paulo supra ait, quod cura dicitur, quia cor vrit scilicet reddendo eum sollicitum in administratione sacramentorũ, & in repetitione *capit Extirpanda 30. §. si vero num 10.* ibi. Ecclesia dicitur parochialis à parochia sibi deputata, &c. & parochia est nomen Græcum, & latine idem est, quod partitio curæ, quia rector Ecclesiæ curam habet animarum totius populi intra illos limites congregati, vnde dicitur regere populum &c. vnde parochia est locus, in

in quo degit populus alicui Ecclesiæ deputatus, & sic illa Ecclesia dicitur parochialis, quæ habet parochiam ad curam eius deputatam. Quomodo autem patre fuerunt parochiæ limitatæ, & quid in diæcesibus, & prouincijs, vide *tex. & glos. in cap. ecclesias singulas* 13. *quæst.*1. & 80. *dist. capit.*1 & 99. *dist. cap.*1.

Ex prædictis satis videtur probari, quis dicatur parochianus; & si non es contentus prosequere cum eodem *Abb.vbi sup.num.*11 sic dicente. Sed Feder.de Sen. in quodam suo cons. pulchre hoc prosequitur, & tandem ille concludit, quod ille dicitur parochianus, qui facto habitat in parochia animo manendi, ita quod vere sit ibi translatus, non iuris fictione, siue percipiat diuina, siue non 18. *quæst.*1. *cap. vn.* 21. *quæst.*2. *si quis tam translatus, & in capit.*1. *de sepultur.lib.*6. ibi. se æqualiter collocans in vtroque &c. animo manendi, ideo dixit, vt excludatur ille, qui ad tempus in locum se transtulit, vt habetur *infr. de sepult. cap. antepen. lib.*6. iurisfictione, ideo dixit, vt excludatur domiciliũ iuris, puta paternæ originis, vel præsumptum, siue audiantur diuina siue non &c. ideo dixit, si parochianus non visitat Ecclesiam suam, sicut deberet, vel a modico tempore citra venit in illam parochiam, ita quod parochius nullum laborem sustinet debet habere omnia iura parochialia, quia sufficit, quod per rectorem non steterit, quin ministrauerit Ecclesiastica Sacramenta.

Parochiali Ecclesiæ subiacent clerici non habentes curam habitantes in ea, quoad sacramenta *ex cap. & hoc attendendum de consecr dist.*1. ibi. sed sacerdotes, qui in circuitu vrbis aut in eadem vrbe sunt, & populus in vnum ad missarum publicam celebrationem conueniant, tradit *Abb. in cap.*3 *sub numer.* 16. *de Eccles. ædific.* ibi: Nam & clerici non habentes curam subiacent illi Ecclesiæ, vbi habitant, vbi etiam ait, quod ipsi parochiæ rectores, quoad sacramenta non subiacent eidem parochiæ sed Episcopo.

Non posse Episcopum etiam ex causa diuidere parochiam sine consensu rectoris tenet *glos. verbo obuentiones in d. c.*3. *de Eccl.ædif.& in c. Nulli verbo constitus* ibi. Sed nunquid, & inuito cuius est parochia poterit hoc fieri, & irrequisito? dic quod non &c. 99. *dist. sed glos. verbo Diuisiones in cap. legem Imperatorum* 10. *dist.* dicit, quod poterit ex causa facere, in hæc verba Arg quod Episcopus inuito plebano non potest diuidere parochiam eius; nec Papa inuito Episcopo diuidere Episcopatum, *vt* 16. *q.*1. Multis, quod enim est vnum, diuidi non potest &c. Sed credo, quod Papa hoc possit facere ex causa, & etiã Episcopus, & sequitur *Abb. in d. num.* 16. *in princ.*

Si quis in duabus parochijs fuerit, vt puta, inhabitat quis domum in confinio duarum parochiarum, vel duas domos coniunctas habitat, quæ sunt in duabus parochijs tunc quarta funeralis diuiditur inter eas, vt tenet *glos. Verbo domicilia in c.*2. *per tex. ibi de sep.* Vide tamen, & considera si hoc tantum procedat, quando habeat domus vtraq; aditum ad d ctas parochias. quia alias si habuerit ad vnam tantum de ea dicetur parochianus, vt satis colligitur, ex his, quæ *Bart in l. quod conclaue num* 6. *ff. de dam infect.* ita. Hæc lex inducitur ad quæstionem istam: Domus ex vna parte est de parochia sancti Martini; ab alia est de parochia Sanctæ Mariæ: Ego habito in hac domo: cuius Parochianus sum? Doct. dicunt, quod dicor de illa parochia, ex qua aditum habeo per hanc *l. si cui ædes de legat* 3 & *l prædij* §. *balnea eod.tit.*

Pars.

APpellatione partis dimidia intelligitur, ita dicit *glos. vlt. in l. Titius* 85. *ff. de legat.* 1. *& in l. De ætate §. Si interrogatus consulto summario ibidem ff. de interrogat. act.* & dat rationem, quia sola dimidia, est pars æqualis, *& glos* 1. *in l. Plures* 27. *ff. de dam. infect.* ibi adiectione partis, qua significatur dimidia *glos. de portione in cap. vnic. de content. int. me & dom. in vsib. feud.* ibi de parte, id est de medietate, quam appellatione partis dimidia continetur, *& glos. Verbo vltra medietatem* ibi nomine portionis dimidia continetur in *cap.* 2. *§.* 1. *de decim. Vlpian. autem in l. Nomen filiarum* 164. sic ait, Portionis nomen non semper dimidium significat, sed prout adiectum est; potest enim iubere aliquis, & maximam partem partiri posse, & vicesimã, & tertiam, & prout libuerit; sed si non fuerit portio adiecta, dimidia pars debetur, *ff. verb sig.*

Quartam partem inesse dimidiæ, ait *l. qui quartam* 15. *ff de legat*, 1. & minorem inesse maiori probat *l.* 1. *§. si stipulanti* mihi decem tu viginti spondeas: non esse contractam obligationem, nisi in decem constat. vbi *Summ. Bart ff. de verb. oblig. l. Inter pares* 38. *§.* 1 *ff. de re iud. l. Diem proferre §. si plures, ff. de recept. arbitr. & in l. Qui concubinam* 29. §. 2. ita dicitur Quintus Mutius, & Gallus putabant maximam partem legatam esse; quia in maiori parte minor quoq; in esset Seruius, & Ofidius minimam, quia cum hæres damnatus esset, in potestate eius esset quantam partem dare, Labeo hoc probat idque verum est, *ff. de lega.* 3.

Quod potest fieri in toto, & in parte fieri posse dicitur *in l. Iuris gentium §. Adeo ff. de pact.* in hæc verba, si igitur in totum potestatur & non pars eius pactione mutari potest? Nam si potest tota res tolli: cur & non reformari, vt quodammodo, quasi renouatus contractus videatur? *& in l.* 3. *ff. pro derelict* ibi, vt hoc sit in parte, quod in tota, & ibidem *Bart. in sum.* sic. sed non est idem iuris de parte, quoad totum, *& glos. Verbo non posse in l. Perfundum* 11. *ff. de seruit. rust.* sic. Item, quod non est idem iuris de parte, quoad partem, quod de toto, quoad totum, & c. *vbi additio* ait. In indiuiduis nõ procedit argum. de toto ad partem, quoniam in partem diuidi non potest & c. In his vero, quæ sunt diuidua bene procedit, vt quod iuris est de toto, quoad totum, idem de parte, quoad partem.

Pro toto pars, sicut pro plurali numero, singularis numerus ponitur, dicit *glos. verbo, & legatariis in l. Pater filium* 36. *§. filiam suam ff. de legat.* 3. Nam & pars fundi fundus recte appellatur, inquit *l. Plane* 34. *§. vlt. & ibidem glos. ff. de legat.* 1.

Nota, quod ratione maioris partis, quis maiorem consequitur potestatem, ita notauit *glos. per tex ibi in l sancimus* 34. *§. Ne autem C. de donation Verbo ampliorem.* Vnde ibi dicitur esse Capitulum, vbi est maior pars, vt inquit *gl. verbo Capituli in cap. Cum inter* 21. *de elect. & ibidem glos. verbo Aliam.* sic Quia duæ partes vicem totius Capituli obtinent: quia si duę partes Capituli non sunt in Ecclesia, non videtur Capitulum esse, & facit *l. Nominationum* 45. *C. de decurion. lib.* 10. ibi Ne paucorum absentia, siue necessaria, siue fortuita debilitet, quod a maiori parte ordinis salubriter fuerit cõstitutum, cum duæ partes ordinis in vrbe positæ totius Curiæ instar exhibeant. Quod igitur maioris partis probauerit assensus solemnis, firmat authoritas, inquit *l. si quod* 5. *C. de legation. eod lib* 10.

Vnde a maiori parte fit electio, & nunquam

quam tenet, nisi fiat a maiori parte Capituli. Ita tamen quod maior pars, non peccet, vt ex hoc ipso iure priuetur, quia tunc valet electio minoris partis Capituli, ita dicit *glos. Verbo. tanta in cap. Bona 3. de post. præl. per tex. in cap 2. eod. tit.* ibi. Ac ideo ad pauciores numero quantum tamen pertinet ad hoc, consilio sanioris eligēdi, &c. Vnde si non peccat statur maiori parti *glos. verbo maior pars in §. sed si ex testamento de satisdat. tut. in Inst.*

Maior autem pars, & sanior illa censetur, quæ est iustior, & maiori ratione nititur, & æquitate ita dicit *glos verbo ad Zelum in capit. in Genesi de elect. & glos. vlt. in cap. Ecclesia 57. eod. tit.* sic Nam illa pars dicitur maior, quę maiori Zelo, & maiori pietate mouetur, *& glos. verbo sanioris in cap. ea noscitur 6. de ijs, quæ fiunt a præl.* ita. sed non ne eo ipso est maior, quod est sanior? Dic quod vbi aliqua pars non est sana, quia indignum eligit, vel quia in damnum Ecclesiæ aliquid facit, ibi dico maiorem partem illam, quæ sanior est, & præferenda est: sed in dubio vbi maior numerus est, Zelus melior præsumitur, vt ait *tex. in cap. Ecclesia vestra 57. de elect.* & quando maior pars praualeat, vel non, habes verbo *Electio.* Notabis tamen, quod dicit *glo. verbo ab omnibus in cap. Archiepiscopus 6. de temp. ord.* sic. Hoc quod dixi, quod maior pars sufficit; locum habet in Collegijs; secus in priuatis.

Vnde *in l. si plures 14. ff. deposit.* sic inuenies Maiorem autem partem non ex numero vtique personarum, sed ex magnitudine portionum hæreditariarum intelligendam, & in creditoribus *l. 9. de pact.* ita ait, Maiorem partem esse pro modo debiti, non pro numero personarum placuit, & *in l. vlt. C. qui bo. ced. poss.* ibi & si quidem vnus creditor alijs omnibus grauior in summa debiti inueniatur &c. ipse alios antecellat, ipsius sententia obtineat. Taliter quod in priuatis primo attenditur maior pars respectu portionis, non personarum; & secundo dignitas personarum *vt in d. l. Maiorem 9.* In publicis vero siue communitatibus, aut Collegijs Maior pars attenditur primo in numero secundo dignitate, *vt dicit glo. verbo In eis in Auth. de alienat. & emphit. § 1. collat. 9.* Et quando maiori parti stetur, vel non vide *glos mag. in cap. si plures verbo communi 16. q. 7. & glo. verbo Constitutum post med. in cap. Cum omnes 6. de constit.*

In sententijs etiam illa obtinet vbi maior pars concurrit; *vt in c. sane & duob. sequent. 65. dist.* & est vulgare *in l. quod maior ff. ad municip. l. si in tres 20 ff. de recept. arbitr.* Sed in causa Episcopi non tenet sententia, nisi omnes concordauerint iudices, quibus causa per Papam committitur; vt prædictis verbis dixit *glos. vlt. in cap. 3. de sent. & re iud. per tex. in cap. si Episcopus 6. q. 4.* ibi, Ab omnibus, qui sunt intra prouinciam Episcopis acceperit vnam cōsonamque sententiam, vbi *glos. notat* speciale hoc esse, prout etiam speciale est quando sunt litterę Apostolicæ diuersæ, & iudices earum cognoscunt quænam sint valituræ, debent omnes in eandem sententiam cōuenire (quamuis sint plures ex vna parte, quam ex altera) per arbitros communiter electos a partibus debet concertatio terminari, vt *in cap. Pastoralis 14. de rescript.* & ibidem notauit *glos. verbo plures* dicens hic non statur iudicio maioris partis, & alios ponit casus.

Vbi maior est pars capitis defuncti ibi dicitur esse sepultus; dicis supra verbo *Caput*,

Quæ pro parte expediri non possunt, si vnus cogente necessitate fecerit fam. hereiscund. iudicio locus est: dicitur *in l. hered. 26. §. si vnus ff. fam. hercisc.* hinc.

etiam

etiam est, quod si vassallus legitime probauerit se fouere ius in parte feudi paterni per ipsum possessi, retinere etiam debet in alia parte, vt dicitur *in Summ. cap. Cum quis si de inuest. fuer. controu. per tex.* ibi. Si fuerit in possessione medietatis, vel alicuius partis &c. iure obtinebit.

In emptione vero, & venditione rei communis pro parte valere pro parte non valere dicitur, quando vnus tantum vendit, *in l. si communis 18. ff. de contrah. empt.*

In his tamen rebus partem dare hæres cōceditur, quæ sine dāno diuidi possunt, sin autem, vel naturaliter indiuisæ sint; vel sine damno earum fieri non possit æstimatio ab herede præstanda est ita ponit *l. Non amplius 26. §. vlt. ff. de legat. 1.*

Nota quod non facit partem, qui non admittitur ad partem, dixit *glos. pen. in l. si duo §. vlt. ff. de legat. 1.*

Pars tertia minima non dicitur *in l. cum oportet §. Cum autem C. de bon. quæ lib.* ibi, debere partem tertiam bonorum, &c. & ibi pars non minima substantiæ liberorum adimebatur.

Turpis est pars suo vniuerso non congruens, dixit *glos. verbo ordini in extrauag. 1. de verb. signif.*

Quod pars securior semper tenenda in his quæ conscientiam tangunt dicis verbo *Anima, & verbo Conscientia.*

Parsimonia.

Est scientia vitandi sumptus superuacuos, aut ars refamiliari moderatè vtendi: parcissimum tamen hominem vocamus pusilli animi, & contracti: cum infinitum intersit inter modum, & angustias, *ex Senec. lib. 2. de benef. cap. 34.*

Inter parcum, & largum hæc est differentia, quod parco plus placent retenta largo vero data plus placent, ita, *Abb. in cap. ex parte 10. sub num. 5. de consuetud.*, & affert vers.

Parcus sic retinet, sed nummum plorat auarus.

Et *ex Tull. lib 2. de offic.* (omnino in materia videndo) sic: Nec ita claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire nequeat; nec ita aperienda, vt omnibus pateat, & sic habenda est ratio rei familiaris, quam quidem delabi sinere, flagitiosum est, sed ita vt illiberalitatis auaritiæq; absit suspicio, & *Hieronym. ad Paul.* Christi substantiā ne imprudenter effundas, ne liberali liberalitas pereat, & alibi dixit idem Tull. Dij immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia?

Quicquid parsimonia in palatio cumulatur pro castrensi habetur, vt constitutum est *in l. vnic. C. de castr. om. palat. pec. lib. 12.* ibi vel parsimonia propria quæsierint, &c. vt castrensepeculium habere præcipimus.

Partus.

Antequam edatur, mulieris portio est, vel viscerum; post editum plane partum a muliere iam potest maritus iure suo filium per interdictum desiderare, sic ait *l. 1. ff. de ventr. inspic. in §. ex hoc.*

Partus iste alendus est, quia non tantum parenti, cuius esse dicitur, verum etiam reip. nascitur, ita *l. 1. ff. de ventr. in poss.* & ibidem notat *glos. Verbo reip.* &

Apostill. sic hac ratione *Palat. dialog. 7, de leg.* & *Aristotil lib. 8. Polit.* Alendorum puerorum curam non priuatam, sed publicam esse censent, quæ quam diligenter suscipienda sit, & retinenda grauiter, & copiosi commendat.

Partus dum in ventre est conceptus, quodammodo in rerum natura esse existimatur, iuxta *l. vel viuo ff. de suis, & legit. har.*

Maritus tenetur partum agnoscere si dubitans non seruat, ea quæ *in l 1. ff. de lib. agnosc.* sunt dispofita, in hæc verba, Pæna autem mariti ea est, vt nisi, aut custodes præmiserit, aut contra denuntiauerit non esse ex se prægnantem, cogatur partum agnoscere.

Publice interest partus non subijci, vt ordinum dignitas familiarumque salua sit, ita ait *l. 1. §. Quamuis ff. de ventr. inspic.*

Partus fauore si per rusticitatem aliquid omissum sit ex his, quæ prætor seruari voluit, non obsit ipsi partui *d. l. 1. §. vlt.* fauore etiam eiusdem, tempus ipsius, & non conceptionis inspicitur, vt dictum est verbo huius,

Si maior quinquagenaria ediderit, Sancimus licet mirabilis huiusmodi partus inueniatur, & raro contingat; nihil tamen eorum, quæ a natura nascuntur esse producta respui, sic *l. 12. C. de leg. har.* Cum enim mulieres ad hoc natura progenuerit, vt partus ederent, & maximè cupiditas in hoc constituta sit, ait *l. 2. C. de indict. vid. toll.* forsan illud desiderium in ea ætate ipsam naturam excitabit.

Per decem menses, & duos dies posse portare mulierem in ventre partum, & nō plus dixit *glos. Verbo perfecto in Auth. de restit. & ea, quæ par. §. vnum siquidem coll. 4. per tex.* ibi. Non dum enim completo anno, vndecimo mense perfecto peperit: vt non esset possibile dicere, quia de defuncto fuisset partus. Neque enim in tantum tempus conceptionis extensum est, & *in l. Intestato §. 2. ff. de suis, & legit. har.* sic dicitur. Post decem menses mortis natus, non admittetur ad legitimam hæreditatem vide tamen *Bart. in l. Gallus in princ. ff de lib. & posth.*

Notabilis est l. vtrum 8. ff de reb. dub. Dum Caius Iurisc. sic ait. Et nostra quidem ætate Serapha Alexandrina mulier ad Diuum Adrianum perducta est cum quinque liberis, quos vno ictu enixa est, & *in l. si pater 36. ff. de solut. Vlpian.* seu alias Iulian. ita scribit. Nā Aristot ita scripsit, quinque nasci posse, quia vuluæ mulieris totidem receptacula habere possunt; & esse mulierem Alexandrinā ex Aegipto affirmatum est mihi.

Non est pretiosior ancilla propter ventrē sit iam conceptus, vel non, ita inquit *glos. in l. In lege 9. ad l. falc. per tex.* ibi, Circa ventrem ancillæ vero nulla temporis admissa destinctio est; nec immeritò, quia partus non dum editus, homo non rectè fuisse dicitur, & addit ibidem Apostilla sic, Neque vacca propter fætum,

In l 39. ff de pæn. sic refertur. Cic. in oratione pro A. Cluentio habita scribit Miletiam quandam mulierem cum esset in Asia, quod ab hæredibus secundis accepta pecunia partum sibi ipsa medicamentis abegisset rei capitalis esse damnatam, & ibidem *Apostill. ex Bud ponit verba Cicer.* sic, Neque iniuria (id est non immerito damnata) quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, & designatum reip. ciuem sustulisset.

Eodem titulo metitur partus, quo, & mater: dicitur *in l. Non quocunque 84. §. Iulianus ff. de legat. 1.* ibi Non possū videri partum ex causa lucratiua habere, quia matrem mercatus sum, & *in l. 75 ff. de legat. 2.* sic Papinian. si quod

ex Pamphilia nascetur legatum mihi fuerit, & ego Pamphilam emam eaque apud me sit enixa: Summa ratione responsum est non ex causa lucratiua partum intelligi meum factum, ideo petendum ex testamanto tanquam illum emissem.

Pascha.

A Decima quarta luna primi mensis vsque ad vigesimam primam diem eiusdem mensis festiuitas sancti paschæ celebratur, *ut in capi Celebritatem de consecrat. dist. 3. & ibi glos. primi mensis* sic id est Aprilis, qui est primus mensis secundum Hebræos, vbi additio ait hoc sane intellige Hebræi annum solarem non attendunt, sed lunarem, & appellant primum mensem tempus, quod nos dicimus, non ipsum Aprilem, sed lunationem eam scilicet, quæ terminatur in Aprile. Et est menti tenendum; quia vidi, quam plures errare tenentes mensem primum, hic esse intelligendum Martium, & clare probatur *Ecclesiastic. 48. 7.* ibi. A luna signum diei festi, mensis secundum nomen eius.

Explicat idem *glos. Verbo 21. diem d. cap. Celebritatem* sic. Hoc vult dicere, quod Pascha non debet esse infra 14. diem lunationis Aprilis, nec post 22. diem illius: si enim 14. dies lunationis est in die Dominica ibi est Pascha Iudæorum, & dominica sequenti ibi est nostrum Pascha hoc est 21. die.

Paschalis dies dicitur per septem dies ante, & per septem post, ita dicit *glos. verbo Paschali in l. 3. C. de episcop. aud.* in quo tex. carcerati illis diebus iubentur a vinculis relaxari cuius verba habes verbo Carcer.

Pascua.

SVnt quæ pastui pecudum destinata sunt, iuxta *l. sylua cadua 30. in fin. ff. de verb. sig.* Quæritur an fundi appellatione etiam pascua legata censeantur, fundo legato? Respondit Scæuola *in l. Seia 20. §. Tyranda ff. de fund. instr.* ita si prata fundo, ita coniunxisset, vt sub vna fundi appellatione haberentur: ea quoque debere.

Id esse seruandum in pascuis, quod per multos annos seruatum fuit, præcipit *l. 1. in fin. ibi.* Sed eam manere decernet, quam statuit antiquitas *C. de pasc. publ. lib. 11. & in l. 1. ibi.* In futuri in nullis licere aduersus vtilem vetustatem &c. *& l. 2.* ibi. De quibus iudicauit antiquitas *de fund. limitroph. eod. lib.*

Si glans ex arbore tua in meum fundum cadat, eamque ego immisso pecore depascam, Aristo scribit non tibi occurrere legitimam actionem, qua experiri possis. Nam neque ex lege 12. tab. de pastu pecoris: quia non in tuo pascitur, neque de pauperie neque damni iniuria agi posse. In factum itaque erit agendum, sic ait *l. qui seruandarū 15. §. ult. ff de præscript. verb.*

Quod pascua diuidenda sint inter vicinos pro eorum necessitatibus, & modo agrorum si inter eos fuerit controuersia deducit *Alber. ex l. Testarix. §. ult. ff si seru. vend. & in l. Imperatores ff. de seruit. rust.*

Pastor.

DIligendus est, tolerandus mercenarius cauendus latro, ita dicitur *in cap. tres personas 23. quæst. 4.* Pastoris necessitas habet ne plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ait *c. Corripiant 24. quæst. 3.*

Non

Non admittitur pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit, sic inquit *glos.* 1. *in capit irrefragabile* 13. *de off. ordin.*

Refert *Sueton. lib.* 2. quod Tiberius præsidibus suadētibus prouincias onerare tributo. rescripsit boni pastoris est tondere pecus non deglubere, id est pilos euellere, vt tradit *glos. verbo consumit in Clem.* 2. *de censib.* sed hodie grex, ne respicitur, quod nulli, seu pauci (proh dolor) intendunt ad pasturam, & omnes communiter ad tonsuram intendētes emungere non nutrire, lac & lanam curantes, non ouem, prout dicit *glos. verbo deputatos in Extrauag.* 2. *de sepult. int. com.* Nec noua querela ista est: cum iam Dominus eandem fecisset per *Ezech.* 34. *dicens* væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos: Non ne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini. Et quod crassum erat occidebatis: gregē autem meum non pascebatis; Quod infirmum fuit non consolidastis &c. & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor.

Facta vero pastorum oris gladio ferienda non sunt, quanquam reprehendenda, recte videantur, vt inquit *capit. oues* 2. *quæst.* 7. Pastoris tamen sententia timenda est. Ne is, qui sub st, & cum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu pastoris est ligari timeat, vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne, & si iniuste ligatus, ex ipsa tumide reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat sic *cap. Non solum post med.* 11. *quæst.* 3.

Si pastor fiat lupus tenetur furti, ita dicit *Bald. in sum. l. si seruum* vestrum nutriendum, qui susceperat, venundedit, furtum commisit *C. de furt.*

Pater.

Is tantum est, quem nuptiæ demonstrant, ita dicit *Paul. in l. quia mater ff. de in ius voc. vbi notat glos.* id verum esse præsumptione iuris iuxta *l. filium* cum diffinimus, qui ex viro, & vxore eius nascitur *ff. de ijs, qui sunt sui, vel alien. iu.* scire enim hoc est impossibile quis cuius filius sit *ad l. Lucius Titius* 82. vbi notatur probationem filiationis esse impossibilem *ff. de cond. & demonstr.* Talis autem pater solus verus est pater, cum iuris solius habeat præsumptionem, & iste solus filios habet in potestate, vt dixit Imperator *in* §. 1. *de patr. potest.* sic. In potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptiis procreauimus coniuncto *capit. vlt. de conuers. infidel.* Quæ patria potestas non potest æstimari, vt dixit *glo. vlt. in* §. *sed si quis nepotis de adopt. in Inst.* & ante dixerat *Iurisc. in l. filius fam.* 117. §. *secundum vulgarem* formam iuris, si quis liberos suos emancipare rogatus fuerit non cogitur hoc facere Potestas: enim patria inæstimabilis est *ff. de legat.* 1. An autem filius cogatur exire a patria potestate? habes in verbo filius, & vice versa, cogatur pater emancipare? infra: sunt tamen aliquæ dignitates, & officia, quæ eximunt filios adicta patria potestate, vt in patriciatus honore dicit Imperator *in* §. *Filius fam. quib. mod. ius pat. post sol. in Inst.* ibi. Quis enim patiatur patrem quidem posse per emācipationis modum potestatis suæ nexibus filium liberare; Imperatoriam autem celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegerit ab aliena eximere potestate, *vbi glos. verbo illico* sic. Hoc est speciale in patricio, & consule, hodie etiam vt sola collatione &c. fiant sui iuris etiam absque administratione:

tione; in alijs decem tunc demum cum cœperint administrare, Item in tertio casu, cum aliquis ordinatur Episcopus &c.

Et in Auth. Constit. qua de dign. loquens Imperat. de Consulibus, & præfectis prætorio, qui etiam sunt a patris potestate exempti, sic ait cum namque, qui tantorum iudex est, & tantis iubet, manere sub potestate alterius, & non inter eos, qui suæ potestatis sunt scribi, nostrarum indignum iudicauimus legum, vbi notat *glos. Verbo sub potestate* dicens, Nota, quod qui alijs iubet non debet alijs subesse, *& in §. vlt. d. Auth. de Episcopis* sic. Qui enim sunt spirituales patres quomodo sub aliorum potestate consistunt? Quoad Episcopum concordat etiam *glos pen. in cap. 3. de atat. & qual.* ibi, Qui enim in prælatum eligitur etiam si minor sit non debet esse sub patris potestate &c, & addit nihil interesse an iudices in potestate, an sui iuris sint, & presbyter dicitur in potestate patris esse &c. & prosequitur ex iuribus, quæ allegat, per ista iura videtur, quod sacerdotiũ non liberat a patria potestate Alij dicunt, quod quilibet sacer ordo liberet a patria potestate: quoniam liberat a dominica, quæ maior est &c. & nulla dignitas secularis similis est sacerdotio &c. verum hæc *glos.* dum dicit maiorẽ esse potestatem dominicam, patria ad prædictũ effectũ non mihi satis placet cum dominica sit contra naturam, qua omnes homines liberi nascuntur, & sic violenta, patria vero est secundum naturam. Et quicquid sit in hoc; nos secundum leges debemus loqui, vbi namque expresse inuenimus per legem esse quem a patria liberum potestate, ita dicemus, vbi vero tale, quid non inuenimus, pro patria iudicabimus potestate. Quod autem per clericatum, vel sacerdotium non tollatur patria potestas, habes verbo Clericus.

Hæc autem patria potestas non acerbe debet a patre exerceri, iuxta *l. 1. ff. de lib. exhib.* ibi. Si forte pater concordans matrimonium, & forte liberis subnixum velit dissoluere? & certe nos iure vtimur, ne bene concordantia matrimonia iure patriæ potestatis dissoluantur, quod tamen sic erit adhibendum, vt patri persuadetur, nec acerbe patriam exerceat potestatem, nam patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere, vt dicit *l. Diuus Adrianus, ff. ad l. Pomp. de parricid.* si tamen pater est nequam, & impius, obtinuit, vt sine diminutione patriæ potestatis apud matrem filius moretur, inquit *l. 3. ff. de lib. exhib.* Interminis istius tex. potest quæri an tunc possit pater petere curatorem filio? & adhuc videtur, quod non tum quia ex sua malitia non debet habere excusationem, tum etiam quia contra stimulos naturales facit, si tali excusatione vtendum esse censuerit prout ita dixit *Iurisconsul. in. l. Amicissimos 39. ff. de excusat. tut.*

In sua potestate non videtur habere, qui non est suæ potestatis, dicit *l. Si: euenit 21. ff. ad l. Iul. de adult.*

Non etiam habet pater filium trans fugam in potestate iuxta *l. Postliminiũ 19. post med. ff. de capt. & postl reuers.* ibi, Quia pater sic eum amisit quemadmodum patria, & quia disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum; sumpto vocabulo, charitas, pro patria potestate.

Et si sine causa male tractat filios cogitur emancipare, vt probat *glos. vlt. in fin. in l. vnic. C. de emend. propinq. & glos. etiam vlt. in addit. in l. Nec auus C. de emancip. lib.* sic ait, Sicut pater cogitur in causis emancipare, ita filius ex causa cogitur eam accipere. Item *glos. vlt. in l. Quamuis 15. C. de fideicomm.* quærit in hunc modum, An autem eman-

mancipare teneatur ex hoc rogamine? hic non aperit, vnde dicunt quidam non. Tu dic cog. sed obstat fortiter *d. l. filius fam. 117. §. secundum vulgarem ff. de legat. 1.* cuius verba sunt supra vers. Talis autem pater, quare dicit *Apostill. ad d. glos. vlt.* vera esse, quæ eadem *glos.* dicit quando patri aliud erat in testamento relictum, quod erat penes eundem patrem remansurũ, alias non.

Pater, & filius eadem esse persona penè intelliguntur, ita dicit *l. vlt. C. de impub. & alijs, vbi glos.* sic. Vnde, quod vnus dicit, alter dicere videtur &c. & vbi vnus est, ibi videtur esse & alter, hoc verum quoad ea, quæ sunt iuris, secus si facti, vt ibidem notat *Apostill. ex Ias. & glos. verbo recusante filio in l. Cum non solum 8. C. de bon. quæ lib.* ibi. Nam pater, & filius eadem persona reputantur, & in *§. et vero de inutil. stip. in Inst.* sic vox tua tamquam filij sit, sicut filij vox tamquam tua intelligitur, & in *§. Post mortem eod. tit.* ibi. quia patris voce loqui videtur. Vnde non possumus dulciore nomine nepotes nostros appellare, quam filij: Etenim idcirco filios filias ve concipimus atque edimus, vt ex prole eorum earum ve diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus, vt dicit *l. liberorum 220. ad fin. ff. de verbo sig. & ibi. glos. vlt.* sic: & nota hic, quod plus diligit filium pater, quam filius patrem &c. & reddit rationem, quia omnis res desiderat conseruationem idem *glos. vlt. in l. Isti quidem ff. quod met. cau.* ibi & nota quod pater plusdiligit filium, quam se ipsum. Illud constat, quod plus pater, quam filius patrem diligit &c. est ratio, quia esse, seu perseuerantia plus in patre per filium, quam in filio per patrem inuenitur, & hoc est naturale, quod res plus perseueraturas quis plus diligit, & quia nullus affectus vincit paternum, *vt ex l. vlt. C. de curat. fur. dicit glos. pen. in l. Non solum §. vlt. ff. de procur. & l. falsus 11. §. vlt. ff. quod fals. tut.* sic. Et magis probat patri ignoscendum esse si filiam suam maturius in familiam sponsi perducere voluerit: affectu enim propensiore magis, quam dolo id videri fecisse.

Quapropter dicit *l. 9 ff. de obse. a lib.* quod patris persona semper honesta, & sancta videri debet filio. Nam ipse a patre alitur, vt dixisti verbo filius. Thesaurizat pater filijs, & non vice versa, *vt in cap. Cum Apostolus 6. §. pen. de censib.* Et cũ omnia quæ nostra sunt liberis nostris ex voto paremus *l. pen. ff. de bon. lib.*

Patris consilium firmum est, dicit *glos. verbo approbata est in §. 1. de satisdat. in Inst.* Vnde quem approbat pater non debet filius reprobare, *vt in l. Cum furiosus 7. §. sed cum antiquitas C de curat. fur.* ibi. Et fideiussorem cessare necesse est, patrono testimonio pro eius satisdatione sufficiente, *& in l. vlt. C. ad Maced.* ibi. Cum testimonium paternum respuere satis iniquum sit. Et sic quando fuerit dissentio pronior esse debet prætor ad consentiendum patri, vt inquit *l. Pupillorum 7. ff. de reb. cor. vbi glos.* ita, & est ratio, affectio.

Lætitia patris est scientia filij, vt ait *glo. verbo sol-bat in l. sed Iulianus §. Quod dicitur ff. ad Maced. per tex. in Auth. Constit. quæ de dig. §. si vero. Non tamen* ob id filius patrem regere audebit, Cum quasi indecorum sit patrem a filio regi *iuxta l. His qui 12 ff. de tut. & curat. vbi glos.* addit erubescit enim Licet in iure filius corrigat patrem, vt ibidem notat *glos. seq.* Patris vero est corrigere, & castigare filios, prout dicitur *verbo filius*, Et si eos grauiter increpet in testamento non facit infames, vt dictum est verbo *Fama*.

Non est verisimile patrem velle mori filium, inquit *glos. verbo obtulisse in l. Milites 13. §. 1. in fin. ff. de re mil.* vbi filius

lius militiæ desertor, & iterum oblatus à patre datur in deteriorem militiam ne videatur (inquit tex.) pater ad supplicium filium obtulisse. Quinimo magis terretur in pœna filij, quam in sua, vel quam ipse filius, vt dixit *glos. verbo quomodolibet in Extrauag. Vnic. de pæn.*& ideo, licet alias primo interrogetur pater quam filius, *vt per glos. & vilioris in cap. sedes 15. de rescript.* quando agitur de eruenda veritate per torturam, primo torquetur filius, quam pater, & in conspectu patris, vt dicunt *doct. arg. l. Isti quidem ff. quod met. cau.* ibi. Cum pro affectu magis in liberis terreantur patres coniuncta *glos. vlt.* ibidem dum ait, quod pater plus diligit filium, quam se ipsum: offenditur enim pater in filio, *vt per glos. in cap. 2. de sent. & re iud. lib. 6.* tacit etiam, quod dicit *Imp. in §. sed veteres de noxal. act. in Inst.* ibi. Quis enim patiatur filium suum, & maxime filiam in noxiam alij dare, vt pene per filij corpus pater magis, quam filius periclitetur? &c.

Sed cur permisit lex patri, vt posset occidere filiam; & adulterũ: non vero permisit marito? Respondet prudentissime *Consult. in l. Nec in ea 22. ff. ad l. Iul. de adult. in hac verba. Ideo autem patri non marito mulierem, & omnem adulterum permissum est occidere, quod plerunque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit. caterum mariti, & calor, & impetus facile sauientis fuit refranandus.* Hinc est, quod pater necans filium propter adulterium cum nouerca, relegatur iuxta *l. Diuus Adrianus ff. ad l. pomp. de parric.* cum non tamquam pater, sed tamquam maritus lege prohibente fecit; item quia filius perdidit filij priuilegium, cum deliquit non vt filius, vt dicit ibidem glos. verbo deportasse.

Permittitur etiam patri filiam accusare iuxta *l. sed si maritus 14. ff. qui & à quib.* ibi. Cum pater accusare possit, & ibi. *not. glos.* & alia iura affert, *vt in l. 14. C. qui accus. non poss.* quę in matre loquitur ita propter insidias, quas tuæ vitæ paratas contendis accusationem apud pręsidem prouincię contra filium tuum (si pietas, & ratio naturalis animi tui non reuocat intentionem) constituere potes.

Patris delictum non obest filio, vt per *Vlpian. lib. 1. ad l. Iul & Papi. relatus in l. 7. §. vlt. ad fin. ff. de senator.* ibi. Et magis est, vt debeat; vt aui potius ei dignitas prosit, quam obsit patris casus. Nam quæsita dignitas liberis propter casum patris remoti à senatu auferenda non est: inquit *Papinian. in l. 9. eod. tit.*

Dictum etiam patris filio non præiudicat vel etiam ignorantia dixit *glos verbo Carboniano in l. 1. ff. de Carb. ed. per tex.* ibi, Parui enim refert, quis ei controuersiam faciat, cum & si testator eum negauerit ex liberis, & addit *d. glos.* licet prosit patris dictum *ex l. 1. §. Iulianus ff. de lib. agnosc.* ibi. Quandocunq; enim, inquit, cęperit causa agi grande præiudicium aget pro filio confessio patris, *vbi glos. verbo grande* sic ait, id est magnam probationem, non tamen plenam, l. d. secus forte in matris confessione, & de ignorantia probatur *in l. vxorem 29. ff. de man. test.* ibi. Filium quidem nihil præiudicij passum fuisse si pater eum ignorauerit.

Quod & patris suffragium filio proderit, & filij patri, inquit *l. Illud 5. ff. quod cuiusque vniuers.* ex ratione l. sequentis ibi. Quasi decurio enim hoc dedit, non quasi domestica persona.

Nec præiudicabit pater filio, si esset institutus, & rogatus restituere hæreditatẽ ipsi filio, nollet adire; tunc enim filium posse postulare, vt pater suus cogatur adire, & restituere hæreditatem: quãuis contra obsequium patri debitum videatur id desideraturus inquit *l. Cogi 16. §. si pater ff. ad Trebell. vbi not.*

glos. verbo obsequium, quod lis nulla debet esse inter eos. Poterit tamen recusare defensionem filii cum nullum vsumfructum ei affert lex, vt notauit *glos. vlt. in l. si filij 36. ff. de iniur.*

Non nunquam patri denegandam actionem, si tam turpis persona patris sit, vt verendum sit, ne acceptam dotem consumat. Quod si is pater sit cui omnino consentire filiam decet, hoc est vitæ probatæ: filia leuis mulier, vel admodum iuuenis, vel nimia circa maritum non merentem, dicendum est patri potius aequiescere prætorem oportere, dareque ei actionem, ita disponit *l. si eum dotem 23 ff. solut. matr.*

Si pater vilis sit filius nobilis, non poterit nec debebit pater vilissimus filii sui contumeliam ad suam vilitatem metiri, vt dicit *l. sed si vnius 17. §. Ait prætor ff. de iniur.* Pater enim nobilitatur per filium, prout dictum est verbo nobilitas.

Et si tam ignominiosam duxerit vxorem filius, vt dedecori sit tam ipsi, quam patri mulierem talem habere: dicimus & ex ea natum ad bonorum possessionem aui admitti, cum possit auus iure suo vti, eumque exhæredare. Nec enim minus in hoc nepote, is qui de inofficioso cogniturus, est merita nepotis, quam patris eius delicta perpendat, ita inquit *l. 3. §. si emancipatus ff. de bon. poss. con. tab.* Acerbum enim sentit *Cic. in Epist. ad Brut.* parentum scelera filiorum pœnis lui.

Poterit autem pater præponere filios, quos voluerit non tamen in tantum minui aliis, vt importabilis sit eis imminutio iuxta *Auth. de immens. donat. in princ.* & infra sic. Dum liceat patri mediocriter sapienti circa omnem prolem etiam iis, qui ab eo potius diliguntur, donare aliquid amplius, & non cæteros filios in illos factam lædere. Cęterum parenti licere in peculiaribus rebus deteriorem conditionem liberorum facere iam est dictū verbo parens.

Occurrit æquitas rei, vt quod pater meus propter me filiæ meæ dedit, proinde sit atque si ipse dederim, quippe officium aui circa neptem ex officio patris erga filium pendet, & quia pater filiæ, ideo auus propter filiū dare debet, sic inquit *l. Dotē dedit 6. ff. de collat. bon.*

Patre dotante filiam cum pacto de non amplius ei succedendo, quod adhuc poterit ei succedere habes in verbo filius.

Si libertus filiam dotauit nō videtur fraudare patronum, quia pietas patris non est reprehendenda, ait *l. 1. ff. si quid in frau patr. vbi glos.* contrarium dicit in debitore verbo *reprehendenda*.

Tenetur pater consentire filio agenti, vel fugienti ne iudicium sine patris voluntate videatur consistere, prout dicitur *in l. Cum non solum 8. C. de bon. quæ lib. vbi videas glos. magnam* circa talem consensum. Nam pater legitime potest cogi pro filio, vt dicit *glos. verbo legitime in Aut. vt om. obed. iud. col. 5.*

Consensisse autem pater decurionatui filij videtur, si præsens nominationi filij nō cotradixit, ita ait *l. 2. ff. ad municip.* & tunc tanquam fideiussor filii remanet iuxta *l. 1. C. de decurion. lib. 10* ibi. Si cum te pater decurionem esse voluisset &c. Nam in hac parte vice fideiussoris pater accipitur, sed non ante nisi tuis propriis rebus excussis, *vbi glos. verbo voluisset* sic. Quod est eo ipso, quod scit, & non contradicit, & si est in potestate alias non, & si non consentit honoribus, siue muneribus filij ne illius patrimonium oneri prædicto subiiciatur, non præstat defensionem ipsi filio. Nam ciuem patriæ vtilitatibus quatenus potest aufert, vt inquit *l. 3. §. 1. ff. de muner. & bono.*

Quod patris voluntate præsumitur filius accipere mutuas pecunias ex consuetudine habes verbo *filius*, vbi etiam inuenies, quod patientia patris operatur, quod filius sui iuris sit.

Fru-

Frustra operas stipulabitur de filio, ait *l. 4. ff. si quis a par. fue. man. vbi glos.* sic pietatem enim non operas debet filius *& l. Nullum ff. de obseq. alib.* ibi. Nam pietatem liberi parentibus, non operas debent. Vnde iniquissimum quis merito dixerit, patrem egere, cum filius sit in facultatibus, vt inquit *l. si quis a liberis §. si vel parens ad fin. de lib. agnosc. & in l. Imperator 50. ff. ad Trebell.* ibi. Sed paternæ reuerentię congruum est, egenti patri officio iudicis ex accessionibus hæreditarijs emolumentũ præstari, etiam si dissipator sit pater, vt ex eadem constat. Et quamuis incestuosus vt *in Auth. de incest. nupt. §. 1. coll. 2.* ibi. Pascentes autem eum, & necessaria præbentes. Nam licet legum contemptor, & impius sit, tamen pater est.

Si pater diues est, & filius negligens, bona acquisita per filium videtur ex substantia patris, vt habes verbo *bona*.

Patris iuri non detrahitur in vsufructu bonorum filij concesso dicis verbo *vsusfructus*, & ibidem si fiat monachus an perdat dictum vsumfructum. Et licet vtatur pater vsufructu, votum eius est ad alios filios suas res peruenire, dicit *l. de emãcipatis 13. C. de legit. hered.*

Nota priuilegiũ patris filio prodesse, ait *glos. verbo extra filios in l. vnicuique 7. C. de proxim. sacr. scrin. lib. 12.* sicut abiectio filium subiicit, vt dixit *glos. vlt. in l. vlt. C. de tabular. lib. 10.*

Non nocebit tamen filio si habeat patrem notariũ ad hoc, vt impediatur decurionatus honor, vt habes verbo. *decurio*.

Pater duodecim liberorũ honoratissima munerum quiete donetur, sic inquit *l. si quis 24. C. de decurio eod. lib. 10. & ibidem glos. verbo munerum*. sic etiam patrimonialium, vt &c. A personalibus autẽ etiam quinq; sufficiunt vt &c.

Si pater ad secundas conuolet nuptias an possit alienare? habes verbo *Alienatio*.

Si simul cum filio moriatur pater in bello, quis præmortuus pręsumatur, iam dictum est verbo *filius*.

Cum tractatur de odio appellatione patris, vel matris non comprehenditur auus, vel auia. Ita dicitur *in Summario l. Lege Iulia 44. §. 1. ff. de rit. nupt.* Et tex. ibi. Non autem obesi auum, & auiam artem ludricam fecisse.

Si fuerit controuersia mota per patrem ad reuocandum filium, & ab ipso, vel à tertio fuerit oppositum, quod pater nõ sit, quomodo procedatur ponit *l. 3. vers. Iulianus ait, ff. de lib. exib.* in hæc verba. Quoties hoc interdictum mouetur de filio ducendo, vel cognitio: & is de quo agitur impubes est: alias differri oportere rem in tempus pubertatis: alias repræsentari. Idque ex persona eorum inter quos controuersia erit, & ex genere causæ constituendum est. Namq; si is, qui se patrem dicit authoritatis prudentiæ, fidei exploratæ esset vsque in diem litis impuberem apud se habebit. Is verò, qui controuersiam facit: si humilis sit, calũniator notæq; nequitiæ repræsentanda cognitio est. Item si is, qui impuberem negat in aliena esse potestate, vir sit omnibus modis probatus, tutor, vel testamento, vel a prætore datus pupillum, quem apud se habuit, in diem litis tuetur; is vero, qui patrem se dicit, si suspectus est quasi calumniator, differri litem non oportebit, Si vero vtraque persona suspecta est aut tanquam infirma, aut tanquam turpis: non alienum erit (inquit) disponi apud quẽ interim puer educetur: & controuersiam in tempus pubertatis differri: ne per collusionem, vel per imperitiam alterutrius contendentium, aut alienæ potestati pater fam. addicatur: aut filius alicuius patris fam. loco constituatur.

Patrem occidens, qua puniatur pæna iam dictum extat verbo *occidere*.

Patientia.

SI illam sumas quatenus est virtus, filia est tribulationis, & mater multarum virtutum testante *Paul. ad Rom. 5.* ibi. Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem: probatio vero spem spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctū, qui datus est nobis. Vnde satis liquet, quam necessaria nobis sit ad reportandas promissiones, vt alibi idem Paul. dicit, & ex fere infinitis locis tam veteris, quam noui testamenti.

In iure autem Canon. dicitur sic præcepta patientiæ in præparatione cordis, non ostentatione corporis seruanda sunt *cap. vlt. in fin. 23. quæst. 1. & Augustin. in cap. Quidam cum in fin.* hæc. Vt gressus nostros in via Domini vtrisque testimonijs illo duce, atque adiutore dirigentes, nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentiæ seuiamus, & de hac materia ad Theologos, & spirituales patres me, & te remitto.

Si vero sumas patientiam, prout in actibus iudicialibus, aut extraiudicialibus præstatur: scias illam esse filiam scientiæ, & matrem consensus, non tamen semper, sic enim voluit *glos. Verbo non teneri in l. Labeo 19 ff. de aqua pluu.* ibi, Scientia enim inducit patientiam, patientia consensum ad aliquid. Et multis iuribus probatur, nam *in l. quid ergo ff. de ijs qui not. infam.* sic inuenies, Certe qui filium, vel filiam patitur cōstituere, quodam modo ipse videtur cōstituisse, vbi glos. hæc, Qui patitur, quod potest prohibere ipse facere videtur, vide etiam *glos. in l. Nō alia 19. eod. tit.* vbi patientia pro præcepto habetur.

Et *in l. 1. §. Magistrum ff. de exercit. act.* ibi, Cæterum si scit, & passus est eum in naue magisterio fungi, ipse eum imposuisse videtur, & ibidem glos. Nota (inquit) de patientia, quod pro consensu habeatur, *& in l. & si forte §. 1. ff. si seru. vend.* ibi. sed & si patiente eo ædificauero, ego possessor ero effectus, *vbi glos.* effectus, sic ergo patiētia præiudicat, *vt C. ad velleian. l. si sine §. quod si patientia*.

Qui patitur ab alio mandari, vt sibi credatur mandare intelligitur, ita dicitur *l. 18 ff. mandat. vbi glos.* sic, & nota patientiam pro consensu haberi, & addit, & hoc ideo, quia spectat ad vtilitatem eius, qui patitur: secus si patior rem meam vendi, vel donari, quia & si contradicerem, tamen hoc posset fieri, vt *de re iud. l. sæpè*; nisi ratio affinitatis intercedat, sed adhuc in casu, vbi poteram contradicere, & non contradixi, patientia mea non habebitur pro consensu deciditur *in l. sicut 8. §. Non videtur* autem concessisse creditor, si sciente eo debitor rem vendiderit, cum ideo passus est venire, quod sciebat vbique pignus sibi durare *ff. quib. mod. pig. sol.*

Insuper, quod patientia pro consensu valeat, probat *glos. per tex. ibi in l. Cum in plures 62. §. Locator ff. locat. & glos. verbo liber, & ingenuus in Auth. de Sanctiss. Episc. §. si seruus* sciente, & non contradicente domino *coll. 9.* ibi. & sic nota patientiam consensui comparari, idem *glos. Verbo non contradicente 1. §. Sed si pater quib. mod. ius patr. potest sol. in Instit. per tex.* ibi. Nota patientiam consensui comparari, fauore libertatis, sed in hoc nil mirum, & altera *glos verbo sciente in l 2. per tex.* ibi si sciente venditore in possessione fuisti *C. de acquir. poss.* & plus dicit altera *glos. etiam Verbo sciente in c. 2. si de inuestit. int. dom. & vassall. in vsib feud.* ibi. Hic sumitur, quod patientia sine contradictione habetur pro expresso consensu. Ampliat etiam altera *glos.* ver-

verbo breuitatem in cap. 3. de caus. poss. & dicit ita. Potest dici, quod in huiusmodi incorporalibus patientia habetur pro titulo; nam patientia loco traditionis habetur in seruitutibus &c & hinc ne mireris, si *glos. verbo passus in l. Restituta 38. ff. ad Trebell.* dicit patientia pro traditione habetur *per tex.* ibi si forte passus est hæres res hæreditarias possidere, & denique est *glos. verbo iure legitimo in l. .ostendimus §. vlt. ff. de fideiuss. tut.* ibi. Item nota patientiam, & præsentiam præiudicare: coniuncto tex. ibi, Præsentes fuerunt, & non contradixerunt, & nomina sua referri in acta publica passi sunt, æquũ est perinde teneri, vide alia verbo consensus.

In formis patientia habetur pro consensu in his, quæ sunt modici præiudicij secus si magni, ita *Summat Bart. l. Quam Tuberonis 7 ff. de pec.* cuius verba sunt. Ego autem puto non esse opus concedi a domino peculium habere, sed non adimi, vt habeat: Alia est causa peculij liberæ administrationis nã hæc specialiter concedenda est.

Patientia patris probat filium sui iuris esse, vt habes verbo filius.

Cum hoc tamen stat, quod multa per patientiam tollerantur, quæ si deducta fuerant in iudicium exigente iustitia non deberent tolerari, vt dixit *Pont. in cap. Cum iam dudum de preben. & ibi. glos. vlt.* sic & tamen per talem patientiam non fit dispensatio &c, talis patientia voluntatem requirit a quo *tex.* deduxit *glos. verbo patientia in Extrauag. 3. de verb. sign.* dicens patientia, quæ frequenter tolerat multa, quæ in iudicium deducta minime tolerarct. Talis patientia non facit Canonicum, sed tantum canonica electio, dixit *glos. verbo receptis in cap. Dilecto 25. de preben.*

Patientiam tenetur præstare dominus suo colono vel inquilino ad hoc, vt possit in tempore vti, & frui, & si post tempus præstitit audi, quid dicat *Iurisconf. in l. si in lege 27. §. pen. ff. locat.* Sera est enim patientia fruendi, quæ offertur eo tempore, quo frui colonus, alijs rebus illigatus non potest, quod si paucis diebus prohibuit deinde pænitentiam egit omniaque colono integra sunt nihil ex obligatione paucorum dierum mora minuet. Tenetur etiam præstare patientiam dominus in destruendo operę indebite facto, vt *in l. vlt. ff. de interd. seu extraord.* ibi. Patientiam tollendo operi præstantem. Sed si neque patientiam præstę:, neque ipse tollat, cum possit, in tantum condemnet in quantum iudex æstimauerit atque si ipse fecisset *in eod. tex.*

Patria.

HVius, quã dulcis, & suauis sit amor omnibus notum est. Vnde ille, qui patriæ legauerat, dixit suauissimæ patriæ meæ volo in partem suam dari *in l. Qui habebat 99. ff de legat. 3. & Poeta*,

> *Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua.*

Et sic non solum parentibus nasci dicimur, sed & patriæ, vt per *Vlpian. in l. 1. §. & generaliter* ibi. Quia non tantum parenti cuius esse dicitur, verum etiam Reipub. nascitur *ff. de ventr. in poss. mitt.* & ibidem notat *glos verbo reip* & addit, magis quam parentibus, ex *l. Postliminium §. filius ff. de capt.* cuius verba supra verbo pater iam posita sunt, sic, & eodem modo patriæ, & parentibus obeditur, vt per *glos vlt. in l. contra 7. C. de testam. man.* sed cui potius obediendum patriæ, an vero parentibus? quærit *Bart. in l. veluti ff. de iust. & iu.* quem vide, & addit ibidem

vnum

vnum scio, quod pater velit nolit filium suum à patria in decurionem electum sustinebit: non potest enim ciuem patriæ vtilitatibus auferre, *vt ex l.3.§.1.ff.de muner.& honor* iam fuit dictum supra verbo pater.

Scio etiam minime maiores lugendum putasse eum, qui ad patriam defendam, & parẽtes, & liberos interficiendos venit. Quod si filius patrem, aut pater filium occidisset, sine scelere, etiam præmio afficiendum omnes constituerunt, quod testatur *Marcell. in l.35.ff. de religios. & sumpt.fun.* a quo deduxit *glos. verbo, & Christiani in cap.1. de conuers. infidel.* ibi. Pugnantes pro patria, & fide, ob quam pater in filium, & filius in patrem insurgere debent &c. & maritus in vxorem, *& Apostill.* ibidem sic. Ita quod etiam occidendo caret scelere, & debetur præmium, & in hoc fides, & patria æquiparantur. Vnde *Leo 4.scribens exercitui* Francorum, sic ait. Omni timore, ac terrore deposito contra inimicos sanctæ fidei, & aduersarios omnium religionum agere viriliter, studete: nouit enim omnipotens, si quis liber vestrum morietur, quod pro veritate fidei, & saluatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus est: & ideo ab eo præmiũ cæleste consequitur 23.*quæst.8.*

Nihil enim honestius, quam pugnare pro libertate patriæ dixit *Ioseph. de antiq. lib.19. cap.2. fol.515. num.20. & in lib. 6. cap.vlt.fol.167.* sic. Nunc aliam quandam admonitionem scriptis meis iuuat inserere cum populis, ac gentibus profuturam, tum præcipuè viris eximiis, & ad gloriam natis incitamento futuram ad virtutem; quandoquidem hæc sola in sempiterna memoria sui cultoris collocare valens magnum calcar ad honesta studia, tam regibus gentium, quam ciuitatum magistratibus debet subdere, vt contemptis periculis, atque etiam certa morte; nihil durum pro patria subire, ac fustinere subterfugiant.

Potius patriæ curiæ debet reputari vnicus filius, quam alij Collegio, ita disponente *l. Quicunque 5. C. de cohortal. lib. 12.* his verbis. Quod si vnum procreauerit, eundem ordini patriæ restituat, nullo contra hanc formam beneficio valituro, notari namque poterit impium esse, propriam relinquere patriam, vt dicit *glos. vlt. in l. vnic. C. si curial.rel. ciui.rus habit.lib.10. per tex.* ibi. Impios se patriam demonstrauerint.

Eius namque patriæ omnibus respondere debes, cui te attributum esse commemoras, dicit *l. 1. C. quemadmodum ciui. mun. ind. eod. lib.10.*

Turpe est etiam, vt patriæ functiones ferre non possit, qui etiam fortunæ, vim se ferre profitetur, ait *l. Reddatur 8.C. de professor. & med. d. lib. 10.* loquens de illis, qui philosophicam vitam degunt, & probati, siue approbati non sunt philosophi. De his, & alijs, ait etiam tex. *in l. sed & reprobari 7. ff. de excusat. tut.* sic. Existimo autem quoniam, qui diuitijs superabundant, voluntarie tribuant pecuniam in vtilitates patriæ, sed de hoc dicto dubito, cum alias Philosophi institutum est diuitias non habere iuxta, quæ dixisti verbo Philosophia.

Corporalibus iniurijs immunes esse censemus, vt voce libera commoditates patriæ defendant, inquit *l.Quisque 57. C. de decurion. lib. 10.* loquens de his, quibus incumbit patriæ defensio, quod in criminibus ab eis commissis, ratione talis defensionis non puniantur corporaliter, sed pecuniariter. In his ergo, & similibus, quis libenter se patriæ profitebitur, in alijs vero, quæ oneris sunt negabit patriæ originem, sed sciat quod neque recusando, quis patriam ex qua oriundus est, neque mentiendo de ea, quam non habet, veritatem mutare

tare poteſt, vt prouide decidit per eadem met verba *l. Aſſumptio 6. ff. ad municip.* De primis ſic ait *Ioſeph. lib. 2. contr. Apion. fol. mihi* 343. *num.* 10 Quando quidem, qui ſe de celebritate patriǫ iactant honorificari quidem ducunt ab ea denominari, coarguunt vero eos, qui præter ius in eandem ſe ſe ingerere conantur.

Patria, quam quis ſortitus eſt, per originē non tam facile mutatur, vt ea, quæ iure domicilij, ita dicit *gloſ. Verbo non mutatur in l. In adoptionem 7. C. de adopt. qui tex.* ait, quod non mutatur, ſed additur quādo aliquis foraneus datur in adoptionem ciui illius Ciuitatis; *& gloſ. vlt.* ibibem ſic inquit. Nam hic, & ibi poterit vocari ad honores. ſed quid ſi ſimul vtrobique ad munera, & honores vocetur? Reſponde prǫualet cauſa originis.

Patriarcha.

GRæca lingua ſummus patrum interpretatur: quia primum poſt Apoſtolicum tenet locum: & ideo quia ſūmo honore fungitur, tali nomine cenſetur: ſic reperies *in cap. Cleros* 21. *diſt.* Quatuor inueniuntur Patriarchǫ. Conſtantinopolitanus ſcilicet Alexandrinus Antiochenus, & Hieroſolymitanus. Et licet olim Alexandrinus primum poſt Apoſtolicum obtineret locum, vt patet *ex cap* 1. *diſt* 22. tamen poſtea hoc mutatum fuit, & datus eſt primus locus Cōſtantinopolitano prout apparet *ex cap. Renouantes ead. diſt.* & cauſam obquam id actum fuerit poſuit *gloſ. in d. cap.* 1. ibi. Prima fuit Romana Eccleſia. Alexandrina ſecunda: Antiochena tertia: quarta Hieroſolymitana &c. ſed Conſtantinopolitana nullum locum habuit, *vt in cap. Qua traditione ead. diſt.* ibi. Conſtantinopolitanæ vero ciuitatis Epiſcopus, qui vtique per Canones inter ſedes, nullum nomen accepit &c. ſed poſtquā imperium fuit translatum Conſtantinopolim, Conſtantinopolitana Eccleſia obtinuit ſecundum locum poſt Roman. Alexandrina tertiū Antiochena quartum Hieroſolymitana qiuntum, & probatur *in capit. Antiqua* 23. *de priuileg. vbi omnino videas Abb.* de materia Patriarcharum.

In eodem *cap. Antiqua ſic dicitur Dominica* crucis vexillū ante ſe faciant vbique deferri; niſi in Vrbe Romana, & vbicunque Summus Pontifex præſens extiterit aut eius Legatus vtens inſignijs eius dignitatis. In omnibus autem prouincijs eorumdem iuriſdictione ſubiectis ad eos (cum n eeſſe fuerit) appellatur, ſaluis appellationibus ad Sedem Apoſt. interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.

Patrimonium.

ILlud dicitur, quod deducto ære alieno remanet, vt dictum eſt verbo bona. Et probat *l. Quantitas patrimonij* deducto etiam, eo quicquid explicandarum venditionum cauſa impenditur, æſtimatur 72. *ff. ad l. falc. & in l. ſeq.* ſic. In quantitate patrimonii exquirenda, viſum eſt mortis tempus ſpectari: qua de cauſa ſi quis centū in bonis habuerit, & tota ea legauerit: nihil legatariis prodeſt ſi ante aditam hæreditatem per ſeruos hæreditarios, aut ex partu ancillarū: aut ex fætu pecorum tantū acceſſerit hæreditati, vt centum legatorum nomine erogatis, habiturus ſit hæres quartam partem, ſed neceſſe eſt, vt nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Et ex diuerſo ſi ex centum ſeptuaginta quinque legauerit, & ante aditam hæreditatem in tantum decreuerint bona incendiis forte, aut naufragiis, aut morte ſeruorum, vt non plus

plus quam septuaginta quinque, vel etiam minus relinquatur solida legata debentur. Nec ea res damnosa est hæredi, cui liberum est non adire hæreditatem. Quæ res efficit, vt necesse sit legatariis (ne destituto testamento nihil consequantur) cum hærede in portionem legatorum pacisci.

Dicuntur etiam in patrimonio esse ea, de quibus habemus actionem, & exceptionem dixit *glos. Verbo patrimonio in l. 5. ff. de verb. sig. per tex.* ibi. Cum pecuniæ significatio ad ea referatur, quæ in patrimonio nostro sunt, *vbi Apostill.* dicit prædictam glos. singularem. Non autem absumptum videtur, quod in corpus patrimonii versum est, sic dicitur *in l. Pater inter filios 23. ff. de adim. legat.*

In amplis patrimoniis positis, non cumulus patrimonii, sed quod exhibitioni frugaliter sufficit modum alimentis dabit, ita præcipit *l. Ius alimentorum 3. ff. vbi pupill. educ. deb.* & postea sic prosequitur. Modum autem patrimonij spectare debet, & statuere tam moderate, vt non vniuersum reditum patrimonij in alimenta decernat, sed semper sic, vt aliquid ex reditu supersit.

Licet patrimonium sit diuisum in diuersas prouincias, non diuersa iudicantur patrimonia, sed vnum eo, quod vnius videlicet non duo patrimonia videntur. Vt dixit *Papinian. in l. Iuris peritos 33. §. 1. ff. de excusat. tut.* eodem modo patris, & filij idem patrimonium censetur, & non duo prout notant *doct. per tex. in l. 2. C. qui atat. vel profess. se excus. lib. 10. & tenet Bald. in l. Qui se patris num. 15. C. vnde liber. per tex. in l. sed si plures §. filio impuberi ff. de vulgar.*

Patronus.

AVt est Ecclesiæ, aut liberti. Ille per fundationem Ecclesiæ, vel altaris, *vt in capit. Quoniam 3. de iur. patr. & ibidem glos. Verbo fundatores* in his verbis. Nota quod ex fundatione Ecclesiæ acquiritur ius patronatus. Hic vero per dationem libertatis *l. 3. ibi manumiserit &c.* hunc esse quidem patronum *ff. eod. tit.* De vtroque latissima est materia, & plurima referre possem, sed iuxta nostrum Apolecta breuiter de vnoquoq; tangam.

Et de primo inquit notabiliter, & rationabiliter, *glos. in cap. Postulasti 30. in fin. de iur. patr.* Quod patroni iudicium multum est sequendum; qui ita dilexit Ecclesiam, vt ei conferret sua, *& glos. pen. in cap. Nobis 25. eod. tit.* sic.

Patrono debetur honor, onus, vtilitasque.
Præsens, vt præsit defendat, alatur egenus.

Non tamen se ingeret in res Ecclesiæ, vt dixit *glos. verbo aconomos in cap. Cum vos 4. de offic. ord.* ibi. Et ex hac litera notare debes quod patronus se intromittere non debet de rebus Ecclesiæ, nisi quoad defensionem *glos. altera in eod. cap Cum vos verbo minus idonea,* sic ait. Patet, quod patronus laicus, licet præsentet indignum, non est priuatus, nec priuandus potestate præsentandi; sed in Collegio, seu Ecclesiastica persona aliud est: quia si Collegium eligat, vel præsentet indignum est ipso iure priuatus &c. Idem credo de clerico patrono, quod non parcitur ei si præsentet indignum, imò priuatus est eodem modo, vel saltem priuandus est sicut vides in alio articulo. Clericus patronus variare non potest: Laicus

eus potest antequam præsentatus sit confirmatus &c. Et hęc potest esse ratio quare laico patrono dantur tãtum quatuor menses à tempore vacationis &c. Collegio vero siue clericis dantur sex menses.

Mota controuersia patronus præsentare non debet, ita dicit *glos. Verbo Electionem in capit. 2. de integr. rest.* quam videas cum non definit iura in contrarium pro patrono, qui in possessione est præsentandi.

De secundo dicitur, quod liberto semper honesta, & sancta persona patroni debet videri *in l. 9. ff. de obseq. alib.* vnde liberto patroni famam lacessere non facile conceditur, vt inquit *l. si adulterium 38. §. Imperatores ff. ad l. Iul. de adult.* vbi in terminis illius tex. fuit dubitatum, an impune possit occidi patronus a liberto deprehensus in adulterio, & ait sic. Deliberandum est an impune possit occidi: quod nobis durum esse videtur: Nam cuius famæ, multo magis vitæ parcendum est.

Debet etiam libertus patrono reuerentiam, vt ad iudicium eum non vocet, nisi à prætore prius licentia obtenta iuxta *l.* Is quoq; qui ex causa fideicommissi manumittit, non debet in ius vocari, quamuis vt manumittat in ius vocetur *ff. de in ius voc. cum alijs seqq.* quod etiam ad filium patroni extendit *Vlpian. in l. si libertus 12. eod. titul.*

Nihil autem interest vtrum patronus ex suo contractu, an vero alieno conueniatur, semper enim reuerentia ei exhibenda est, tam viuo, quam defuncto ait *l. Apud 4. §. aduersus ff. de dol. except.* & subijcit infra sic. Namq; conuenit, tam viuo, quam mortuo patrono, a liberto honorem exhiberi. Nec etiam facilis debet esse libertus ad litigandum cum eius patrono, & minus ad aliqua verba, contra eum proferenda, vt inquit *l. 4. C. de obseq. patr. in hac verba.* Nam si qua tibi pecunia debebatur, siue de rebus aduersus patronum disceptatio fuerat, non protinus ad litigandum currere debueras maxime autem si hoc facere auderes, sine atrocitate certe verborum æquitatem petitionis tua commendare iudici potuisti, omni honore patrono debito reseruato.

Tenetur denique libertus aliquas patrono operas præstare de quibus iam dictum est supra verbo opera.

Pauca.

AVt multa dicuntur secundum subiectam materiam, sic tenet *Bart. in l. Antiquitas 14. num. 4. C. de vsusfr. ex Philosoph. 1. Ethic. secundum Bart. in l. scire oportet 2. lect. num. 1. ff de excusat. tut.* Pauca dicuntur octo. Alias dicuntur duo, vel tria, *vt per Ouid. de tristib. in elegia littore ab Euxino. vnde versus*

Si paucos aliquis tresue duosue vocat.

In cap. 4. de cleric. excom. Quadraginta dicuntur pauci ibi, Mandamus quatenus si 40. solummodo, vel pauciores in his deliquisse constiterit &c. *& in cap. Disciplina prope fin. 45. dist.* viginti tria milia dicuntur pauca: ibi paucorum vitam gladio extinxit, vbi notat *glos. verbo paucorum & in capit. 1. ne cler. monach.* ibi pauca prestringemus dicuntur 14. Denique pauca arbitrio iudicis relinquuntur, quot sint, vt probatum est supra verbo multitudo.

Paupertas.

DE ea dixit *Senec. Epist. 124. in fin.* sic Paupertas nulli malum est, nisi re-

pugnanti. Quin imo honesta res est læta paupertas, Illa vero non est paupertas, si læta est; Cui enim cum paupertate bene conuenit, diues est; non qui parum habet, sed qui plus cupit, hic pauper est idem *Senec. lib. 1. epist. 2. & epist. 4. in fin.* sic. Cui cum paupertate bene conuenit, hic diues est *& epist. 109.* ibi. Desunt inopiæ multa auaritiæ omnia, vnde Eminentissimus *Bellarm. de æstern. felic. cap. 5. fol. mihi 33.* ait & non tam ille pauper est, qui parũ habet, quam ille, qui multa desiderat, quia multis indiget. Et in princ. ita. Imo nulli omnino magis egent, ac pauperes, regibus inueniuntur, habent magnos reditus, & magnos Thesauros, sed habent æs alienum aliquando longe grandius.

Si non habes, grandi onere liberatus es; nudum Christum nudus sequere. Durum grande, difficile, sed magna sunt præmia scripsit *Hieronym. ad Rustic,* vnde *D. Thom. super Isai. capit.* 48. septem bona paupertatem conferre ait; scilicet peccatorum recognitionem, virtutum conseruationem, cordis quietem, desiderij impletionem, spiritualium bonorum dulcedinem, meritorum exaltationem, & cælestem hæreditatem.

Aduertas tamen, quod in paupertate non est perfectio simpliciter, sed in sequela Christi; paupertas autem est instrumentum perfectionis, vt dixit *glos verbo cæterum in Clem. exiui de verbo sig. & sic Hieronym. super Math.* ibi. Vos qui sequuti estis me. Non attēdit Christus, ad reliquimus omnia, sed ad sui sequelam. Vnde resoluit *glos. in d. Clem. verbo Proinde,* quod & inter religiones non potest argui, quod vna sit perfectior altera, ex eo, quod pauperior, & hæc, quoad spiritualia. Quod vero ad corporalia.

Multa sunt insuper fauorabilia paupertati concessa, quorum aliqua referemus.

Primum, quod ponit *glos. pen. in l. sancimus 17. C. de Sacros. Eccles* ibi. Pro alimētis pauperum fieri alienationem rerum Ecclesiæ *per tex.* ibi. Quoniam non absurdum est animas hominum quibuscunq; vasis, vel vestimentis præferri, Secundum, propter paupertatem permittit Papa habere plures Ecclesias, vt dixit *glos. vlt. in cap. cum te 4. de ætat. & qual.* & addit. Item propter raritatem clericorum, & propter eandem vniuntur duæ Ecclesiæ *glos. 2. in capitul. Antiqua 23. de priuileg.*

Tertium, quod diuites non habent inquietare Clericos pauperes super tenuibus beneficijs, vt rescripsit *Pontif in capit. Ad aures 8. de rescript.* ibi. Cum non sit intentionis nostræ, vt personæ pluribus redditibus abūdātes per literas nostras pauperes clericos super minoribus beneficijs inquietent. Non enim ambitiosum est pauperem clericum sibi beneficium impetrare, ait *glos. verbo distinctio prope fin. in cap. vlt. de conces. preb. lib. 6.*

Quartum quod in solutione scripturarum paupertati defertur, *vt in extrauag. ex ... de pan.* dicitur ibi. In forma pauperum, deferri volumus paupertati. Ne multiplex innoxiæ paupertati infligatur incommodum iuxta *l. omnes 31. §. Præterea cum C. de Episcop. & cler.*

Quintum, quod propter inopiam necessitas appellandi in causa Syllaniani remittitur, vt notauit *glos. in l. Propter 21. §. vlt. verbo non prouocassent ff. ad Syllan. & in l. si procuratorem 8. §. si ignorantes ff. mandat.* ibi. Cæterum dolo versati sunt, si non prouocauerūt; quid tamen si paupertas eis non permisit? excusata est eorum inopia.

Sextum remittitur etiam pauperi satisdatio, vt tenet *glos Verbo imploretur in leg. De creationibus C. de Episcopis aud. per text. in leg. Cum non facile ff.*

si cui plusquam per l. falcid. & iterum *glos. in eadem l.Cum non,verbo Ideo* ibi Nota hac lege remitti satisdationem pauperi,& sic prodest paupertas,*& glo Verbo personarum in Auth. de barea & falc. §.si quis autem* ibi, vt si sit impossibile,vel difficile satisdare propter paupertatem remittatur ei fideiussio. Et quod prosit, probat etiam *glos Verbo pauperior in Auth. de Ecclesiast. tit. §. si quis in nomine coll. 9.* vbi non declarato nomine Ecclesiæ, cui aliquid relinquitur pauperior Ecclesia præfertur, *& glos. Verbo nullum in §.sed nostra de successis. libert.in Inst.* ibi, & nota, quod prodest paupertas filio liberti *glos etiam in verbo egentes homines in §.licet autem quib. ex caus. man non lic. in Inst.* dicit. Nota quod prodest paupertas, quia fauetur paupertati: licet ibidem *Apostill.* dicat Trufa est, imo paupertas nunquam prodest, sed in quibusdam casibus potius pauperi fauetur, quam diuiti: sed & peius dicit additio *d.glos. verbo nullum* sic. Nota quod paupertas prodest, sed a tali prodesse libera nos Domine. Quod autem pauperi magis, quam diuiti subuenitur probat *glos. verbo tenuioribus in l. 1. per text. ibi ff. de collegiat. illic.*

Septimum deducitur *ex d.§. licet autem* vbi debitori pauperi creditores habenti conceditur manumittere seruum suũ eundemq; hæredem relinquere, qui satisfaciat creditoribus ex rebus venditis, & liber maneat, licet res defuncti ad satisfacienda debita non sufficiant; sic namque inquit valde enim prospiciendum erat, vt egentes homines, quibus alius hæres exiturus non esset, vel seruum suum necessarium haberent, qui satisfacturus esset creditoribus, aut hoc eo contra faciente creditores res hęreditarias serui nomine vendant,ne iniuria defunctus afficiatur.

Octauum. Res pauperum non auferuntur ab eis ad vsus militum, vel officiorum *ex l. Illicitas §. Illicita ff. de offic. præsid.* ibi. Ne tenuis vitæ homines sub prætextu aduentus officiorum, vel militum lumine vnico, vel breui supellectili ad aliorum vsus translatis, iniurijs vexentur.

Nonum, paupertas, quæ oneri tutelæ impar est solet tribuere vacationem iuxta *l. Post susceptam 45. ff. de excusation. tutel.* licet alias dicat *glos. Verbo si inopia in l. 2. C de tut. & cur qui satisd.* quod sola paupertas non remouet tutorem, si alias est diligens, sed cessatio satisdationis propter paupertatem.

Decimum, quod ratione paupertatis alterius, in alterum datur actio, vt in casu *l. Pater dotem* 8. *notauit glos.vlt. ibidem* in his verbis. Item nota, quod ex inopia alterius in alium, quandoque datur actio, vbi alia allegat iura.

Vndecimum, quod maius est, facit paupertas variare iudicem suam sententiã, cum alias non admittatur in iudicio variatio, & maxime in iudice, & postquam ita præcepit *l.vlt. C. de mod. mulct.* excipit sic. Nisi paupertas condemnati hoc persuaserit.

Et denique alias multum operatur paupertas, vt *ff.de priuileg. cred l. Creditores.vt ita dixit glos vlt.in l.5.C de susp. tut.& sum.Apost.ad gl.vlt.*quę dicit.Nota, quod paupertas prodest *in l si quis 24.ff. qui,& a quib.* sic ait. Tu conclude breuiter casus, quibus prodest. Et primo excusat a pœna ordinaria. Item a desertione appellationis, ne currant fatalia, & ab illius prosequutione. Item à tutela. A muneribus, & collectis: ab onerę conditionis implendæ; Item a pœnis. Item excusat fideiussorem, ne teneatur prosequi appellationem. Item matrem secundo nubentem, ne reddat rationem tutelæ priusquã secundo nubat. Item excusat a satisdatione.Itẽ à condemnatione expensarũ.

Item ne teneatur pauper liberatus in foro conscientiæ, & vt excommunicatus, absoluatur non facta satisfactione, non a contumacia. Item a commissa. Item non tenetur soluere mercedem notario, nec procurationem visitatori. Et hoc pro magna parte ponit *Spec. in tit. de accusat §. vlt. vers. sed quid si est pauper. Archid. in capit. statuimus de rescript. lib. 6. & in cap. Pauper 6. quæstion. 3.*

Sed hic iam quærendum venit, quis dicatur pauper adhoc, vt prædictis gaudeat immunitatibus? & dicta *Apostill. dicit ex Arch.* ibidem relato, quod pauper est, qui parum habet, inops, qui nihil, *& glos. locuples in Auth. præterea C. vnd. vir.* faciendo eandem interrogationem respondet, meta est quinquaginta aureorum, vel centum, idem *glos. verbo pauper in Auth. de exhib. re §. vlt. coll 5. & l. 10 ff. de accusat.* sic? Non nisi propter paupertatem, vt sūt qui minus quam quinquaginta aureos habent, vel verius iudicatur, quis locuples, vel non iudicis officio, ait prædicta *glos. verbo locuples.*

In l. si quis ad declinandam 37. C. de episcop. & cler. sic dicitur. Quis enim pauperior est hominibus, qui & inopia teneri sunt, & in Xenone depositi, & suis corporibus laborantes, necessarium victum sibi nō possunt afferre, *& glos in l. Paupertas ff. de excusat. tut.* ibi si ita pauper est, vt oporteat eum laborare, vt inde alatur, vide *in l. si defunctus 10. C. arbit. tut* dicitur. Neque enim pauperibus industria, vel augmentum patrimonij, quod laboribus, & multis casibus quæritur, interdicendum est. Verum hodie non tam necessaria videtur huius l. dispositio; quam *l. vnica C. de mendicant. val. lib. 11.* & eius executio omnino practicanda erat, dicit enim Cunctis, quos quæstum in certa mendicitas vocauerit inspectis exploretur in singulis, & integritas corporum, & robur annorum, atq; inertibus, & absque vlla debilitate miseranda necessitas inferatur, vbi *glos.* inertibus, ita inquit, sic se gerunt, quasi nō habeant artem, cum habeant, & ita se fingunt, debiles, cum sint fortes, quia nolunt laborare, sed mendicando sine labore viuere, & quot inuenies: sine numero certe: quod si pœna *d. l. vnic.* eis infligeretur; cessaret eorū impudicus quæstus, & mentiretur callidæ paupertatis ingenium, vt alias dixit Imperator *in l. 2 C de cens. & censit. lib. 11.* a qua exijt apud nos prouerbium, quod dicitur de homine callido; callidior est paupere. De talibus videtur intelligi *glos. verbo mendicando in cap. 1. de religios. dom. lib. 6.* dum dicit reprobatur mendicitas, licet paupertas non sit de genere maiorum. Quod adeo verum est, vt etiam mulieribus laborare valentibus non deberi Eleemosynam dari dicat *Hieronym. lib. 1. contra Iouin. relatus in cap. Quomodo virginibus 31. quæst. 1.* in hæc verba vidua, inquit *Apostol* eligatur non minor 60 ann. &c. hoc omne præceptum de his viduis, quę Ecclesiæ pascuntur eleemosynis, & idcirco ætas præscribitur, vt illæ tantum accipiant pauperum cibos, quæ laborare non possunt.

Et in hominibus *glos. verbo non possunt in cap. 1. dist. 82.* sic. Pauperi valenti laborare non debet Ecclesia prouidere. Integritas enim, & robur membrorum in conferenda eleemosyna est attendenda, & dicit *glos. super Matth* iustius feceris, si iniuste petentem correxeris, quam si ei dederis. Et quamuis *in cap. si cupis 16. quæst. 1.* dicatur, quod eleemosyna indifferenter omnibus patet tamen hoc intelligitur de iuste petente, vide *glos verbo prodigalitatis in capit. ex parte de consuetud.*

Iterum quæri potest, cui incumbit onus probandi paupertatem? & licet quilibet præsumatur pauper, quia nudus na-

natus fuit, vt dicit *glos. in reg. semel pro pe fin. lib 6. per tex in c. sicut y 47 dist.* ibi. Quando ingressus es in hanc lucé, quando de matris ventre exilti, quibus facultatibus quæso, quibus subsidijs stipatus, ingressus es? *& l. Ex persona C. de probat.* Tamen magis placet dictum *glos. Verbo dubitetur in l si vero §. Qui pro rei qualitate ff qui sat. cog.* ibi. Aut vult admitti aliquis tanqu m diues, & probat &c. Aut vult excusari tanquam pauper, & tunc probat paupertatem &c. & quod alias dicitur, quemlibet idon um præsumi, intelligitur quo ad mores.

Videamus nunc aliqua de fere infinitis, quæ patitur, malis miseranda paupertas, & in pr m s dixit *Senec. lib. 6. de benef. cap* 28. hæc grauia verbá. Quã tum existimas tormentum, etiam si accepero, eguisse? & non definit quantum vel quale sit: Sed nobis declarabit *l. quisquis cum militibus C. ad l. Iul. maiest. in §.* 1. vbi auferuntur bona propter læsæ maiestatis crimen reo etiam filios habenti, vt perpetuo egeant, & in fin. sic concluditur, vt his perpetuo egestate sordentibus sit, & mors solatium, & vita supplicium, nota & considera si potest dari maius tormentum, cum mors, quæ omnium terribilium dicitur, sit solatium egenis, & vita, omniũ carorum carissima, supplicium.

Secundo facit paupertas viles & abiectos homines, quia ipsa vilis est, & abiecta audi *l. 2. C quand. & quib. quart. pars lib.* 10. prohibentem venari res familiares senatorum, seu Curialium, sic dicentem. Quid enim tam durum, tamque in humanum est, quam publicatione pompaq; rerum familiarium, & paupertatis detegi vilitatem. Et ab ea deduxit eadem verba *glos. verbo vilium in Auth de mandat. princip. §. fit tibi coll* 3. licet in contrarium proclamet nostrum Lusitanum prouerbium paupertatem non esse vilitatem, ortum forsan a *l Humilem C. de incest nupt.* ita decidente. Humilem, vel abiectam fœminam min me eam iudicamus intelligi, quæ licet pauper ab ingenuis tamen parentibus nata sit, *& glos. verbo & paupertatis in cap. legimus* 93. *dist.* ibi. Nam paupertas ciuitatis, non minuit prærogatiuam regni; sicut nec mulier propter paupertatem dicitur humilis, vel abiecta: nam id procedit, quoad effectum, de quo ibidem loquitur, ne dicantur nuptię inęquales ex sola paupertate.

Tertio pauper nõ eligitur in decurionẽ, vt probatum est verbo Decurio.

Quarto pauperem magnificum esse non posse, cum ei non adsit, quod cum decentia erogare possit: quia & si faciat fatuus est, inquit *Arist. lib.* 4. *Ethic.*

Quinto pauper dum non habet, quid offerat in iudicio, non solum auri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. Cito violatur auro iustitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nũm s existimat, vt ait *cap. pauper* 11. *quæst.* 3. propter quas, & alias iniustitias pauperes multi ex diuitibus processerunt, prout dictum est verbo Iustitia.

Sexto facilius pauper corrumpitur, vt notauit *glos. verbo egens in l. 3. ff de testi. per tex.* ibi vel egens sit, vt lucri causa, quid facile admittat. Quamuis alias dicat *glos vlt. in cap. si quis 8 const.* sic. Licet tamen iste pauper alias tamen honesta persona est, nec est suspectus propter suam paupertatem.

Septimo. Non est ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam elegit iuxta *l. Palam ff. de rit. nup. vbi notat glos. verbo elegit* non parci malo ratione paupertatis, & vt alia taceam. Quid non patiuntur miseri pauperes? nam si quæ habeant bona illis auferuntur, vt inquit *glos.* 2. *in cap. Antiqua* 23. *de priuileg.*

Pau-

Paupertas, odium, vitium, fauor, & scelus ordo
Personas spoliant, & loca iure suo.

Et licet alias præcipiatur, quod pauperes non soluant collectas pro publicis ludis, seu gaudijs *in l. unic. C. publ. lat. lib.* 12. ibi. Indigentibus non numerarijs esse præbendum: iudices statuimus esse sollicitos, ne turpi colludio quæratur ex miseris pretium gaudiorum, vbi notat *glos.* quod indigentibus potius dandum est: tamen pauperes tribuunt, & crudeliter pro eo, quod non habent vexantur. Et substantia eorum si qua est, grauatur in duplo, vt dicit *glos.* 1. *in l.* 1. C. *de aperb. publ. lib.* 10. Cum tamen indebitis, & iniustis collectis soluendis æqualiter, & pauperes, & diuites teneantur eas pati secundum quantitatem patrimonij, prout notauit *glos. verbo inopes in ead. l.* 1.

Patiuntur etiam miserabiles videntes, quod sibi subtrahuntur, quæ alias debebantur sibi conferri; & contra eos qui talia committunt, sic insurgit *Hieronym. in cap. Gloria Episcopi* 12 *quæst.* 2. Accepisse pauperibus erogandum, & esurientibus pluribus, illud reseruare: vel cautum, vel timidum est: aut quod apertissimi sceleris est exinde aliquid subtrahere omnium prædonum crudelitatem superat absque dubio, qui id agunt digni sunt maledictis, de quibus in psalm. 108. nam ratio ob quam illas imprecatur Iudæ est. vt ibi. Quia persequutus est hominem mendicum: persequuntur enim pauperes dum sibi debitum subtrahunt, & non ne Iudas, fur erat, & latro? sane quidem, vt testatur *Ioannes* 12. 6. vnde idem *Hieronym. super Malach. relatus in capit. Reuertimini* 16. *quæst.* 1. ait si quando fames, & penuria, & rerum omnium egestas opprimit mundum, sciamus hoc ex ira Dei descendere, qui se in pauperibus, si non accipiant eleemosynam fraudari loquitur.

Si pauperibus relinquatur, non constito, de quibus senserit testator. De pauperibus proprij domicilij sensisse intelligitur, vbi viuens fomentum, consolationes, & seruitia a multis recepit, ita ait *glos. verbo pauperes in capit. si pater de testam. lib.* 6.

Sed in his terminis quæri potest, quos appellabimus pauperes, an solū illos, qui victum non habent, an etiam, qui licet habeant respectu, tamen qualitatis personarum suarum pauperes sunt? istam quæstionem excitat *glos. Verbo Qui mendicant in Extrauag. vnic. de prabent.* loquens de clericis mendicantibus, & sic resoluit. Dicas mendicitatem considerandam iuxta personarum qualitatem. Quid enim si homo illustris genere, vel eminentis scientiæ habeat victum suū, sed iuxta decentiam suam indumenta, & alia necessaria non habet, & solo victu, sine dedecore status sui contentus esse non potest, negari non debet, quin iste secundum se mendicare dicatur, vbi allegantur iura, quam plurima, quæ videre poteris.

Non puto pauperem, cui quantumlumcunque superest sat est, dixit *Senec. lib.* 1. *epist.* 1. Nec pater dicetur pauper cū filius sit in facultatibus, vt dictum est verbo filius, sed quid si coniux diues est, vel amicus? Dicit *cap. vnic.* Non enim æquum est, quem videre egentem quam prius habuit inconiugem, vel amicum *de not. feud.* verum hanc æquitatem non video esse in vsu.

Pauperior, quis tunc intelligitur fieri cum eius rei nomine obligatus est commodanti, vel deponenti, ita inquit *l. si vir vxori* 3. *ff. predonat. & in l. si sponsus* 5. *§. si maritus ff. de donat. int. vir.* ita. Neq; enim pauperiorem fieri, qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo deposuerit. Tamen *in l* 57. *eod. tit.* videtur contrarium, dum ita inquit *tex.*

Si

Si quod mihi mortis causa donare, quis vellet ego pure vxori meæ donare vellem, non valet, quod vxori iubeo dari, quia illo conualescente cond ctione teneor, mortuo autem nihilominus pauperior sum, non enim habeo, quod habiturus essem. Et ne melior in paupertatem decidat, & deterior fiat ditio *l. 3. eod. tit.*

Inter socios potest pauperior supplere opera quantum ei per comparationem patrimonij deest iunta *l. Cum plerumque 4. ff. pro soc.*

Vltimo tandem paupertas, etiam lucrum significat, vt in *l. Lucius Titius 78. §. haredem ibi ex reditu paupertatis ff. ad Trebell.* & notauit *Bald in rubr. C. de verb. sig. numer. vlt.* & vulgariter solemus dicere paupertatem nostram, cum loquimur de bonis nostris.

Pax.

SEcundum *Vlpian. in l. 1. ff. de pact.* videtur, quod hoc nomen a pacto dicatur ibi. Pactum autem a pactione dicitur: vnde & pacis nomen appell tum est, sed ibidem glos. dicit non a pacto voluisse Iurisconf deriuare pacem; sed designationem facere quandam, vt a pactione idest a pacis actione dicatur pactum: nam in pacto pacis, & concordiæ est actus. Quicquid sit in hoc non plus immerandum, cum sit super nomine, & si vis pot s videre scribentes *in d. l. 1. præcipue Bald. Paul. & Alex.*

Ex D. Thom 22. quæstion. 29. Dicitur pax tranquillitas ordinis max me in volútate, & vinculum charitatis multa bona inducens: discordias enim remouet, & tranquillam quietem inducit, statum personarum, ac ciuitatum augmentat honestatem affert, diuitias præparat, Dei, ac regum gratiam tribuit, superbiam vniuscuiusque excludit, auaritiá cuiusque repellit, honorem honoratis adiungit, non dum honoratis præparat, ad Deo seruiendum animum cuiusque incitat, fructum aff ctat expostulatum, vel affectum fac t acquirere, seu nancisci, ita ponit *glos. in §. vlt. de pac. Constant vide etiam glos. verbo commodis, & verbo delectamur in Extrauag. vnic. de priuileg.* vbi de commodis pacis.

Pacem habere voluntatis est: bellum autem debet esse necessitatis, vt liberet Deus a necessitate, & conseruet in pace. Non enim pax quæritur, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur, sic inquit *cap. Noli existimare 23. quæst. 1.* & si recte memini, dictum est verbo bellum, *& Hieronym. ad Rustic.* ita Pax quærenda, vt bellum fugiamus, nec sufficit eam quærere, nisi inuentam fugientemque omni studio persequamur, quæ exuperat omnem sensum, in qua habitatio Dei est: dicente Prophet. & factus est in pace locus eius.

Non nisi in pacis tempore bene colitur author pacis, nec ignoramus, quod dissentiones, & scandala prauis actibus aditum præparant, rancores, & odia suscitant, & illicitis moribus ausum præbent, sic legitur *in Clem. 2. post prin. de sepult. & in extrauag. 2. eod. tit. inter com.* eadem inuenies verba, *& in extrauagant. vnic. de offic. custod. etiam int. com.* ibi, Pacem q; desiderantes & i sine qua bene pacis author non colitur.

Ad Ecclesiam spectat pacem seruare, & & obseruari facere, dixit *glos. verbo pacem in capit Nouit de Iudic.* Vt ce Ecclesiæ caput, inquit *in Extrauag. 1. de priuileg. int. com.* Debem us ii li per quátum ex alto permittitur pacem [illegible] re, remouere scandala, iurgiorum amputare materiam *& in Extrauag vnic. de priuileg.* ibi [illegible], qui beneuoli more patris in prouinciarum ipsarum tranquillitatis, & pacis com modis delectamur, & ad idem pertinet iudicare

care inter Laicos de pace rupta, vt late probatur *in d. cap. Nouit* saltem ratione peccati præcipue cum contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis, vt ibidem.

Pacem esse Dei ciuitatibus, dum æquitas etiam hinc nostris subiectis seruatur: Et neque lucri, neq; passionis alicuius causa ac aliquam partium declinatur *Imperat. in Auth. de mandat. Princip. §. 1. in fin. coll. 3.*

Non est ergo heres Christi, qui pacem eius testamento relictam non habet: principes autem maxime tenentur ad hanc seruandam, sic dixit *glos. Verbo pacem in cap. 2. de re iud. lib. 6.* vbi ponit sex causas propter quas non est pax inter homines, quas diximus verbo bellum in princip. & tamen sunt multi ex illis, quibus pax operosior bello est, vt dixit *Senec. Epist. 74.*

Nota pro bono pacis admittendum, quod alias prohibetur, dicit *glos. per tex. in cap. 2. de spons. impub.* ibi, vt pote pro bono pacis talis coniunctio tolleretur, & ponit versum,

Pax vt seruetur moderamen iuris habetur.

Vnde id, quod factum est pro bono pacis ratum debet haberi; ita tamen, quod non sit contrarium iuri diuino, vel impossibile de iure, vt dicit *glos Verbo pro bono pacis in cap. Nos de pac. Constant.*

Debent omnia pacis tempore in pristinũ statum restitui, inquit *glos. Verbo in irritum in capit. sententia eod. tit. de pac. Const.*

Nota quod ad offensum, non ad offendentem pertinet facere pacem. & sic nota, quod tacita seu ficta offensa, per pacem facilius aboletur, quam vera, & expressa, ita ait *glos. Verbo nisi in addit. in l. Athleta 8 § 1 ff de excusat. tut.*

Pax autem fit per tactum manuum, per reciprocum ritum, per potum, & osculum, & similia, *vt not. doct. in l. In ipsius C. famil. bercisc.* nam propter palmarum processionem probatur tacitus consensus, *vt not. in supracitat l. 1 ff. de pact. Bald. in l. & in epistola numer. 1. C. de fideicom.*

Congruit bono, & grato præsidi curare, vt parata atq; quieta prouincia sit, quam regit, ita dixit *Vlpian. in l. 13. ff. de offic. præs & idem in l. 1. §. vlt. ff. de offic. præf. vrb.* ita. Quies quoque popularium ad præfecti vrbi curam pertinere videtur. Reipublicæ namque valde interest pax subditorum cum sæpe in ciuilibus dissentionibus ipsa resp læditur, vt idem met dixit *Vlpian. in l. si quis ingenuam 21. §. 1. ff. de capt. & postlim. reuers.*

Peccatum.

A Delicto differt secundum *Augustin. in quæst. Leuit.* vbi sic ait. Declinare a bono est delictum, & facere malum est peccatum: vnde apparet, quod peccatum est mali perpetratio, nam & opus est, vt in cap. Inter hæc hircum de pænit. dist. 3. Delictum enim est boni desertio, vt iam probatum est suo loco. Sed communiter vnum pro alio sumitur.

Adam antequam peccaret charitatem habuit, sine qua iustus, & innocens esse non potuit, sic ex *Augustin. in cap. Tolle charitatem in fin. de penit. dist. 2. vbi glos pen.* sic ait. Celebrior autem est sententia, quod Adam duplicem habuit statum ante peccatum: in creatione, sola naturalia accepit, quibus proficere, vel mereri non poterat: post creationem additæ sunt ei gratuita. Vnde dicit *August.* Habuit Adam vnde posset stare, sed non vnde posset proficere; & hoc in primo statu. Dicit autem August. & illud habuit primus homo, posse, quod vellet: sed non habuit velle, quod

quod posset: quia & si habuisset, non peccasset. Habuit ergo posse, quod vellet bonum, id est virtutes in secundo statu, quando cecidit. Vnde dicitur spoliatus gratuitis, & vulneratus etiam in naturalibus. Et per consequens totum genus humanum.

Quis ergo gloriabitur castum se habere cor, aut quis confidet se mundum esse a peccatis? cum teneamur rei in similitudinem præuaricationis Adæ, vt dicitur in magno *cap. vt cognouerunt* § *si enim versic. eligat aduersarius de pænit. dist.* 2.

Ex prędictis verbis *Augustin.* clare patet, quod peccatum facere, non est aliquid posse, sed negatiuum, scilicet aliquid non posse; & clarius dicitur ex eodem *Aug. in cap. vlt. de pænit. ad dist. 2. prope fin.* ibi. Posse autem peccare (*vt Aug.* ait) non est aliquid, posse, imo aliquid non posse. Vnde ille solus vocatur omnipotens, qui hoc nõ potest: quia omnia potest, quæ potest aliquid posse. Peccatum namque nihil est, & ad nihilum redigit illud operantes iuxta illud *Proph. psal.* 72. ad nihilum redactus sũ, & nesciui, & ibi imaginem ipsorum ad nihilum rediges, & ita etiam intelligitur illud Ioan. 1. ibi. & sine ipso factum est nihil, quod factum est, prout declarat *glos. verbo velut in capit. Conuertimini de pænit. dist.* 1. & colligitur *ex d. cap. vlt. dist. 2. eod.* Dum autem in hac sumus vita habemus illam primam libertatem voluntatis, quæ est posse non peccare, cum vero erimus in altera felici, & æterna habebimus multo maiorem, quæ est, non posse peccare, vt dicit *Augustin. in libr. de correption. & gratia relatus à Bellarmin. libr. 1. de æterna felicit capit. 4. § Iam vero versic. Porro*.

Et licet habeamus in hac vita illam prædictam libertatem voluntatis, vt possimus non peccare; ad huc dicit *Hieronym. in cap. vnam oratium post princ.* 25. *dist.* ita Res contra naturam pene est, vt sine peccato aliquis sit, & *glos. verbo pauci in cap.* Nisi cum pridem de renunc. & tamen graue est peccare, & grauius, quam ab inuito grauissimam pœnam pati, vt dicit *glos. verbo minor in l. vlt. C. de spectac. lib.* 11.

Prima illa, & maxima peccantium est pœna peccasse. Nec vllum scelus licet illud fortuna exornet muneribus suis, liceet tueatur, ac vendicet, impunitum est; quoniam sceleris in scelere supplicium est, dixit *Senec. epist.* 98. vbi etiam addit proprium autem nocentium est trepidare, quod clare probatur *Genes.* 4. *Nam vt dicit Thad. in Isai. capit.* 24. si quis peccat a formidine inuaditur, & si in peccato diutius persistit, in foueam cadit; quod si ex fouea, & ex diuturna peccandi consuetudine non se explicat, laqueo injicitur, id est obstinatione, & pertinacia peccandi, quo laqueo manebit irretitus. Deinde propter peccatum homo citius mori præsumitur; & ideo tollit Deus malos de medio, ne peccatum eorum augeatur, vt alias dixit glos. verbo decedat in *capit. Qua fronte* 25. *de appellat.*

Insuper omnis persona criminaliter peccans alteratur, & vt ita dicam capite minor legibus censetur; qui enim facit peccatum seruus est peccati, tam in pœna, quam in culpa, ita inquit *cap. secutã in fin.* 2. *quæst.* 7 *probat. dict. glos. verbo velut in cap. Conuertimini de pænit. dist.* 1. dum dicit, quod ad nihilum reducitur peccans, vt supra, & *Ambros. in cap. sunt qui de pænit. dist.* 1. *ad fin.* quod recordari debet peccator vnde lapsus sit, vnde exciderit *ex Ioan. Apoc.* 26.

Est certe si diligenter inspiciatur, forte ipsum peccare nemo vellet, sed propter aliud, quod vult peccat, vt dicit *Aug. in lib. quæstion. relatus in cap. Merito*

35. *quaest.* 1. cum quo bene consonat illud *Senec. a glos.* ibidem relatum his verbis. Et si scirem Deos ignoscituros, homines autem nascituros, adhuc dedignarer peccare. Ethnicus dicit hoc, & Christianus, non dedignatur peccare, quin potius (quod peius est) gloriatur. Quid gloriaris in malitia, dixit Psaltes.

Ideo peccamus (inquit *Senec. epist.* 72.) Quia de partibus vitae omnes deliberamus; de tota nemo deliberat.

Peccata vero suos tenent authores, nec vlterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum, vt dicitur *in l. Sancimus ibi esse paenam, vbi & noxia est* 22. *C de paen.* neque alij pro alijs teneri debent, prout dictum est supra Verbo iudex.

Eo ipso, quod quis peccat correctionem meretur, & quanto plus differtur punitio, tanto plus culpa crescit, & gentibus perniciosius in exemplum transit, ita ait *extrauaganti qui sint Trebellian.*

Sed illam correctionem facere debet, qui non idem peccatum admittit. Quomodo enim potest praeses Ecclesiae auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit? Aut qua libertate corripere potest peccantem, cum tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse, quae corripit, sic inquit *cap. vlt.* 25. *dist.*

Diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed augmentat, ait *Cum habent, de ijs qui dum in matr. idem in cap. Non debet* 8. *de consang. & affin.* & addit tantoque sunt grauiora crimina, quanto diutius infelicem animam alligatam detinent, & dixerat *Pelag. in cap. schisma si quidem* 23. *quaest.* 1. ibi. Nec crimen leuigat crimen eorum, magis vero auget, quod eos restitisse dixistis, & *Iurisconsult. in l. Inficiando* 69. *§. infans ff. de furt.* ibi. & quia tam ridiculum est, quam meliorem furis conditionem esse propter continuationem furti existimare?

Peccatoribus vero, & praedonibus dispensatiue propterea communicamus: quia & Ecclesiam adhuc sustentauerunt, & fideles se imposterum pollicentur: alioquin oportet nos de huius mundi partibus exire, sic dixit *Vrban. in cap. sane post med.* 24. *quaest.* 2.

Non habent peccata latentia vindictam. interdum probatione cessante vindicta ratio conquiescit, ita dicitur *in cap. vltim.* 32. *quaest.* 5. Sed occulte peccans magis dicitur peccare id est periculosius: quia neminem habet corrigentem. Item malum est cadere a proposito, sed peius simulare propositum. Item manifeste peccans alio modo dicitur magis peccare; quia tueri se vult rationibus, & authoritatibus.

Item quantum ad hoc, quod pluribus praebet exemplum peccandi, *vt* 11. *quaest.* 3. praecipue. Item alia consideratione plus peccat, qui clam peccat; quia videtur scienter peccare, sed qui palam peccat; minus peccat, quia praesumitur errare, ita ponit *glosa verbo tolerabilior in capitul. nemo sibi* 32. *quaestion.* 4. *& Senec. lib.* 1. *Epist.* 11. sic ait Magna pars peccatorum tollitur si peccaturis testis assistat. Hinc dicitur vae soli, quia si ceciderit non habet sublevantem se *Ecclesiast.* 4.

Multitudo vero peccantium peccandi licentiam subministrat, dicit *Hieronym. ad Gaudent.* & tamen, quod peccatur a pluribus transire solet inultum. Et cum multitudine peccantium magis docendo, quam iubendo agendum est; se veritas vero exercenda est in peccata paucorum, vt dicit *glos. verbo multitudine per tex. ibi in capit. vlt. de transact.*

Quod in religionem diuinam committitur in omnium fertur iniuriam, dicit *glos.*

glos. in cap. 2. §. Heretici verbo filij de haret. lib. 6.

Peccatum an grauius sit quando committitur a persona digniore? habes verbo dignitas. Quid quando cognoscitur turpis mulier, vel pulcherrima, quis horum grauius peccabit? contra vtrunque opiniones poni *glos. vlt in capit. vlt. 14. quast. 6.* & neutram earum sequor, scio autem quod cum vtraque mortale committitur contra l. diuinam vt clarum est.

Contraueniens etiam iuri peccat, imo incurrit notam infamiæ, vt notauit *Apostill. in cap. 2. de concess. praben. lib. 6. per tex.* damnabiliter contra Lateranēse concilium.

Omnis causa ratione peccati saltem indirecte pertinere ad Ecclesiam, dixit *glos. verbo tam canonica in cap. vlt. de prascript.*

Licet peccatum remittatur per pænitentiam, quoad forum fori, nam inquit *l. Qui ea mente 67. ff. de furt.* Nemo a tali peccato pænitencia sua nocens esse desijt, & tradit *Innoc. in cap* De his *in fin. de accusat.*

Certum deniq; est, quod opus sine voluntate peccatum non facit, sicut & iustitia ex opere non consummatur, nisi & voluntas affuerit, vt dicit *Chrisostom. sup. Matth. in capi. sicut 32. quastion. 5.*

Peccans in Ecclesia, quod non iuuetur ab ea habes verbo Ecclesia.

Peculium.

SEcundum *Pompon. in l. 4. ff. de pecul.* est non id cuius seruus seorsum a domino rationem habuit: sed quod dominus ipse separauit, suam substantiam a serui ratione discernens, *vbi glos. in casu positione sic.* Non solum dicitur peculium, quod habet seruus seorsum a rationibus domini: sed quod ipse dominus separauit, vt in peculio haberet: cui facultas est augere, vel minuere peculium, & secundum *Florentin. in l. 40. eod. tit.* Peculium & ex eo consistit, quod patrimonia sua quis parauit, vel officio meruit a quolibet sibi donari: idque velut proprium patrimonium seruum suum habere, quis voluit ex qua *l.* aicit *Bart. in rubr. illius tit. numer.* 1. quod peculium est quædam parua pecunia, quam seruus, vel filius per parsimoniam quæsiuit, vel dominus, vt merenti seruo dedit, id est quod sic quæsitum in peculio habere permisit filio, vel seruo.

Est & aliud peculium Castrense scilicet, quod filius fam. a quolibet in castris acquirit; quod nisi militaret acquisiturus non fuisset, vt dicit *Pompon. in l. Castrense 11. ff. de Castr pecul.* vnde si alias fuerit filio fam. donatum etiam si expressim nominatum fuerit, vt in castrēsi peculio habeat, nō erit peculium Castrense, vt dicit *Tertullian in l. si forte 8. eod. tit.* & in castrensi peculio prædiū donatum non esse constat, quamuis empta ex castrensi peculio prædia, eius conditionis efficiuntur, inquit *l. 1. C. eodem titul. de Castrens. pecul. libr. 10.*

Est etiam aliud peculium, quod quasi castrense nominatur, & illud acquirunt homines, qui *in l. vlt. C. de inoffic. testam.* nominatur his verbis. Vt puta viris disertissimis patronis causarum; verisque deuotissimis memorialibus, (idest notarijs, qui causa memoriæ scribunt) & agentibus in rebus, nec non magistris studiorum liberalium archiatris quoq; (id est prothomedicis) & alijs omnibus omnino, qui salaria, vel stipendia percipiunt publica. Idem esse in Episcopis, clericis, & Diaconis cōstat

ex l. Cum lege 38. ibi. Sancimus itaq; viris Reuerendissimis Episcopis,& præsbyteris,& Diaconis,qui tale peculium id est, quasi castrense possident &c. & l. sacrosancta 32. eod tit. quod etiam ampliatur ad palatinos, vt dictum est supra verbo Palatium.

Quicquid autem filius aliunde acquirit, & non ex proxime dictis causis peculiũ aduentitium nominatur; & quod a patre, vel ratione patris ad filium peruenit profectitium dicitur, vt in l. vlt. C. de inofficios. testa. in princ. nisi quando, quod filio datur, patris causa fuerit remota, tunc enim aduentitium potius dicetur,quam profectitium, vt notauit Bart. in l. sed si plures §. In arrogato ff. de vulgar. & pup. subst. quod potest etiam probari arg. l. socium qui 61. §.vnic ff. pro soc. vbi socius non recuperat impensas factas in curando se, quamuis propter societatem vulneratus esset cũ illa causa esset remota, Nam neque compendium,quod propter societatem ei contigisset,veniret in medium;veluti si propter societatem hæres fuisset institutus, aut quid ei donatum esset, vt ait tex in fin.

Dicitur deniq; peculium multis alijs modis, quos videas in glos. super rubr. ff. eod. tit. & vltra eos notabis alium, de quo in l. si eborus 77. §. 1 ff. de legat. 3. vbi sic dicit Iurisconf. & sæpe audisse se rusticos senes, ita dicentes, penuniam sine peculio fragilem esse; peculium appellantes, quod præsidij causa se poneretur.

Pecunia.

HVius significatio ad ea refertur, quę in patrimonio nostro sunt, ita dicitur in l. Cum pecunia significatio 5 ff. de verb. sig. vnde dixit glos.vlt. in l. Nam 14. §. Non omnis ff. ad Trebell. Appellatio pecuniæ pro tota substantia ponitur,& ibidem Apostill.sic limitabis hanc glos per tex. in l. vxorem §. legauerat ff. de lega. 3. vt non procedat in contractu, vel testamento rustici, in quo pecuniæ appellatione possessiones non veniunt, de quo vide in l. vlt. C. de compensat.

In l. Baltita 32. ff. ad Trebell. inquit Iurisconf. ita. Quantacunque pecunia ex hæreditate de bonis meis preuenerit, eam pecuniam omnem &c. ex his verbis, quæ proponis, pecuniam, existimo etiam fructus, quos ex hæreditate perceperit, restituere eum debere, quasi specialiter hoc testator expræssisset, & in l. si vero 65. §. vlt. ff. solut.matr. sic. Quod ait lex quanta pecunia erit tantam pecuniam dato;ostendit æstimationem hæreditatis, vel bonorum liberti, non ipsam hæreditatem voluisse legem præstari, nisi ipsas res tradere maritus noluerit.

Pecuniam autem accepisse dicimus etiam si aliquid pro pecunia accepit sic l. 1. §. vlt. ff. de calumn. At in l. Iulianus 9. §. Mutui ita, sed verba videntur mihi ad numeratam pecuniam referri, vbi glos. ait. Nota hic pecuniam stricte accipi. Alias pro his, quæ pondere consistunt, numero, vel mensura, vt infr. de legat. 1. Talis. Alias pro qua libere, vt C. de constit. pec. l. 2. in fin. & glos. in l. 2. §. creditum vers. mutuum ff. si cert.pet.ita Pecunia large accipe pro omni eo,quod consistit pondere numero, vel mensura, sic accipitur de legat. 1. l. talis. Quandoque stricte accipitur, vt ad Maced. l. 1. Quandoque largissime pro omni re &c.& in l. pen. verbo pecunia C. de constit. pec. hc. Nomen pecuniæ quandoque stricte, quandoque largius, quandoque largissime, sed verbum rei pro ijs, quæ sunt extra patrimonium.

Nomine vero pecuniæ numeratæ non nisi nummi continentur, dicit glos. Verbo mensura in l. 1 ff. de condict.trit.& tunc dicitur res mobilis, quæ seruando seruari non potest,iuxta l. Iulianus 33. ibi quid

quid enim si pecuniam eligat actor, quæ seruari non potest, facit *Auth. de nupt. §. & quia parum* ibi. Si vero voluerit, constituta est forte in pecunijs aut alijs rebus mobilibus &c. *coll.4. & Bart. in l.si quis pro eo §.1.ff. de fideiussor.num.3.* ait, quod pecunia est res, quæ vsu consumitur,

Quid si pecunia fuerit deputata ad rem immobilem comparandam reputabitur ne immobilis? Et videtur, quod sic *ex l.3. §. Contrarium in vers.* Quid ergo si de re pupillari non potuit sibi soluere, quia erat deposita ad prædiorum comparationem *ff. de contr. & vtil. act. tut.* sed contraria opinio mihi magis placet; sequere, quam volueris, & disputatum inuenies pro vtraque apud *Boer. decis.209.*

Glos in l. singularia 15. ff. si cert. pet. ita inquit facilius pecunia consumitur, & sola immistione, *vt de solut. l nummi.* Item pecunia ex bonis debita partem quandam respicit facultatem, quod nō est in speciebus, *vt ad Trebell. deducta §. nummos.* Item vt sola scriptura tutor ex hac causa se faciat pupilli debitorem, & contra si est creditor sibi soluat, vt de *admin. tut. Quoties §. non tantum.* Item vt facile per pactum alteri quæritur actio, dummodo nomine suo contraham, *vt C. per quas perso nob. atque l.fin.* Item aliquid, quod ex nummis mutuatio, pars condicatur, licet omnia corpora sint communia, *vt sup. eod. Nam & si § fin.* Item aliud, vt vsuræ peti non possint, nisi stipulatio intercessit, *vt C. de vsur. l. quamuis.*

Pecunia non potest vendicari, nisi ipsa integra sit, vt deducitur ex *l.* si alieni nū. mi, inscio, vel inuito domino soluti sint, manent eius, cuius fuerunt: sed si misti alijs sint, ita vt discerni non possint, eius fieri, qui accepit *ff. de solut. & ex l. si is cui 94.* ibi. nummis integris coniuncta *glos. ibidem eod. tit.* vnde, & per consequens, nec res emptæ cum mea pecunia possunt a me vendicari *ex l. 1. & l. qui aliena C. si quis alt. vel sibi* nisi fuerit militis pecunia, vt inquit *Imperat. in l.* si, vt proponi, spars aduersa pecunia tua, quædam nomine suo comparauit præses prouinciæ vtilem vendicationem obtentu militię tibi eo nomine desideranti partes æquitatis non negabit *C. de reiuend. & ibidem glos.* non negabit ait sic, & in minore iuxta iura, per eam allegata, & prosequitur, & eadem ratione in Ecclesia, idem in vxore, & viro: sed additio ad *d. glos.* distinguit, quod simpliciter non est verum, quod minor Ecclesia, & vxor possint vendicare, sed secundum quid hoc est, quando res empta fuit per tutorem, vel administratorem alias autem si per alium tunc in subsidium, & secundum prædicta debet intelligi altera *glos vlt. in l. vxor 56. ff. de donat int.* licet indistincte dicat, quod res empta ex mea pecunia sit mea, vtiliter saltem, & altera *glosa verbo ius pignoris in l. sed si pecunia 3. ff. de reb. eo.* Nihil enim interest cuius pecunia emitur, sed cuius nomine, vt dictum est verbo emptio.

In obligatione generali venit etiam pecunia quocumque modo quæsita, ita dixit *Bart. per tex. ibi in l pen. §. vlt. ff de pignor.* verba vero *tex.* sic se habent An corpora pecuniæ, quam idem debitor ab alio mutuam accepit, cum in bonis eius facta sint obligata creditori pignori esse cœperint? respondi cępisse. Quando autem mutuata pecunia non fiat accipientis? dixitti in casu verbo nummus, & potest etiam in casu *l.4. ff commoda.* idem dici, quod non fiat pecunia accipientis. Nam dixerat *Vlpian. in l.3. §. vlt. eod. tit.* sic. Non potest commodari id, quod vsu consumitur, nisi forte ad pompam, vel ostentationem, quis accipiat, & Caius *in d. l. 4.* addit sæpe enim ad hoc commodantur pecuniæ, vt ditis gratia numerationis loco intercedant, & ideo vlus fuit verbo, cōmo-

mo-

modantur, & non verbo, mutuantur, quia tunc non fiunt accipientis; mutuũ namque dicitur, quia ex meo tuum fit, quod in commodato nemo dixerit, & sic notauit *glos. Verbo qua propter in Clem. Exiui de verb. sig.* quod in pecunia non est dare possesionem separatam a dominio, & est ratio, quia pecunia facile fit nostra, vnde etiam aliena mihi mutuata per non dominum per commixtionem cum mea, fit mea, si bona fide accepi.

Durius est de pecunia, quam de persona seruire. Dixit *glos. vlt. in l. Ha opera 23 ff. de oper. libert. per tex.* ibi, Durum alioqui est eum, qui se liberare potest decem diebus operando simul operis indictis: si in accipiendis non consentiant, compelli ad præstandam alteri quinque operarum præstationem, sed hæc intelliguntur de personis ignobilibus, & auaris, non vero de illis quæ vere nobiles sunt animo, iuxta dicta verbo nobilitas, nam tales pecuniam contemnunt, vt etiam sunt Philosophi, de quibus ait *l. sed & reprobari 7. ff. de excusat. tut.* sic. Ex vltimo autem, quoniam qui diuitijs abundant voluntarie tribuunt pecuniam in vtilitates patriæ, & infra verbo Philosophus.

At pecuniam sepelire, quis non potest, dicit *l. 4. ad fin. ff. ad l. Iul. peculat.* nisi causa cultus, addit ibi item *glos. per l. Peregre ff. de acquir. possess.* & quot sunt in mundo, qui sepeliunt, & eam in honorant, & se ipsos. Dixit autem *Roger. in tract. de summ. bono fol. 26. num. 5.* Honora præsentem substantiam propter duo, tum vt magnum malum prohibeas tum vt amico studioso ærumnato suffrageris: quoad reliquum vero victum, non in excessu, sed mediocriter dilige.

Maiore tormento pecunia possidetur, quam quæritur, dixit *Senec. Epist. 116. prope fin. & epist. 120.* sic. Neminem pecunia diuitem fecit; imo contra nulli non maiorem sui cupiditatem incussit &c. plus incipit habere posse, qui plus habet.

Pecuniæ numeratio non est facilis, vt deducitur *ex l. si dubitet 11. ff. de fideiuss.* ibi, Nec enim semper facilis est nominis emptio, cum numeratio totius debiti non sit in expedito. Sed quanto tardius pecuniam quisque dat, tanto tardius ad fideicommissum peruenit, & medij temporis fructus perdit, vt alias dixit *Caius in l. Facto 63. §. Rescripto ff. ad Trebell.*

Est ad interumpendum cursum vsurarum no sufficere offerre pecuniam, sed necessariam esse eius depositionem in æde sacra dicit *glos. vlt. in capit. Pastoralis 11. §. ante. de off. ord.*

Doli exceptione repellendus est ab vsurâ petitione, qui habuit vsum pecuniæ pretij, quod ab emptore acceperat, inquit *l. Nec enim 23. ff. de pignor. act.*

Pecunia æstimanda non est rebus, sed e contrario res æstimantur pecunia, ita probat *l. si ita 43 ff. de fideiussor.* dum dicit, Non vt æstimatio rerum, quæ mercis numero habentur in pecunia numerata fieri potest, ita quoque pecunia æstimanda est.

Reproba pecunia non liberat soluentem, reprobis videlicet nummis reddendis, ait *l. eleganter §. 1. ff. de pignor. act.*

Si offeratur pecunia iudici proferenda sententia iniuria eidem fit, vt dicis verbo iniuria, & insuper offerens cadit a causa *C. de pœn. iud. qui mal. iud. l. 1.* ibi Amittat actionem is qui diffidentia iustæ sententiæ in pecuniæ corruptelam spem negotij reposuerit.

Pensio.

De diffinitione huius, quatenus est imposita super fructibus mensæ beneficij agunt plures relati à *Garz. de benefic. 1. p. cap. 5. § 1. & ex eis idem in numer. 70. ponit suam, quam videas;* cum

cum nostrum Apolecta de doctoribus non agat.

In iure autem non inueni aliud, quod hic afferre possem, quam dictum *glos. in cap. Cum Bertholdus 18. verbo quodam iure de re iud. vbi sit*. Hæc pensio siue census potest constitui a patrono in fundatione Ecclesiæ de authoritate Episcopi &c & hoc ante consecrationem Ecclesiæ, post consecrationem non potest ei aliquod onus imponi; quia rei consecratæ non potest aliquod onus imponi: quia rei consecratæ non imponitur seruitus *ff. de seruit l. seruitutes §. vltim.* & quod humani iuris desinit esse seruitutem non recipit &c.

In quo mihi magis notabilis videtur prædicta glos. est dum dicit in principio, quod perceptio pensionis, nec possessionem probat, nec dominium, & idem dicit *glos. verbo vnam in cap. Bona 51. de appellat.* de dominio non dubito; cum sint iura clara Sed quoad possessionem maximum in hoc facit dubium tex. *in cap Querelam 24. de elect. vbi ad fin.* dicitur sic. Quia vero fuit liquide comprobatum, quod pensio 16.d n?papien? monetæ fuerit Ecclesiæ vestræ pro Ecclesia Sancti Saluatoris de Thermis annuatim per multa tempora persoluta, sed de nouo subtracta, nos in eundem statum percipiendi huiusmodi de Ecclesia sancti saluatoris dethermis Ecclesiam vestram decernimus reducendam: ex quibus verbis satis patet, quod ex sola perceptione pensionis per multa tempora, possessio fuit probata, nam si non esset probata, papa non mandaret in pristinum statum restituere, cum de iure in interdicto, vnde vi, ad hoc, vt detur restitutio, duo requirantur, probari possedisse, scilicet, & spoliatum fuisse *ad l. 1. §. Deijcitur is, qui possidet, & §. Interdictum* autem hoc nulli competit, nisi ei, qui tunc cum deijceretur possidebat *ff. de vi, & vi arm.* de quo *vide Abb. in d. cap. Cum Bertholdus n. 37. & d. cap. Querelam a num. 13.*

Cæterum pensio dicitur id, quod soluit colonus, & inquilinus propter locationem sibi factam de prædio rustico, & vrbano; dicitur etiam id, quod soluit emphyteota, vel feudatarius domino directo, & in alijs casibus, vbi constituitur aliquid singulis annis præstandum, vel ex testamento, vel ex contractu. Hæc autem pensio secundum *glos in l. Liber homo 118 verbo comparabitur ff de verb. oblig* dicitur ex re. Sed *Bald in l. si traditio num. vlt. C. de act empt.* sic ait. Licet enim pensio non sit ex re: tamen est quasi ex re. quia pensionem metimur secundum commodum, quod ex re percipitur, nam vbi commodior est, ibi maior pensio.

Debet solui pensio integra, vt in *l. 3.* ibi in solidum soluisti *C. locat. & ibidem glos*: nisi inquilinus durante locationis tempore expellatur in casibus *d. l. 3.* vt ibi notauit *glos verbo corrigere* ibi. vt pro rata temporis remittatur ei merces, vel restituatur. Alias ad omne interesse qui ni, enetur locator. Sed quando soluetur pensio? dicit *glos. Verbo percepturum in l. Defuncta 65. ff. de vsufr.* quod in fine anni, idem *glos. 1. in l. 1 C. de princip. lib. 12.* ibi, & sic nota, quod in fine anni sit soluenda pensio, & si non fuerit soluta repelletur conductor, vt notauit *glos. verbo paruerit per tex. in l. Quæro 56. §. Inter* locatorem ibi. Tamen verisimile esse ita conuenisse de nō expellendo colono intra tempora præfinita si pensionibus paruerit.

Verum licet prædictæ *glos* sic indistincte dicant, quod in fine anni soluenda sit pensio, tamen plenius distinguendo tradit *glos in d. l. 3. C. locat. verbo versata est* dicens. Quædam leges videtur velle in principio &c. quædam in medio sicut in salario, quod filius dat patrono suo &c. quædam in fine sicut & cum aliquid debetur in diem &c. Tu dic primo seruari, quod actum est: quod si nō

ap-

apparet serua morē rēgionis &c. quod si non appareat: tunc quod minimum est, id est in fine anni: quæ omnia comprobat ex iuribus ibidem allegatis. Vide etiam *Bart & doct. in l. qui hoc anno ff. de verbo oblig. Abb. in cap. Propter num.4. & 18. de locat.* In alimentis vero pensio soluitur in principio, vt notatum est verbo alimenta.

Potest hic quæri an pensionarius teneatur pensionem soluere ad domum eius, cui soluenda est? & videtur dicendum, quod si ambo sunt eiusdem fori, si vult euitare pœnam commissi, seu moræ teneatur ire ad domum domini, seu actoris, & ita probat *glos. verbo non venit in l. Item illa 18. ff. de constitut. pec.* & sic in vsu esse testatur, & comprobat *ex l. Magnam C. de contrab. & com. stip.* sed melius apparet ex *l.* Forma censuali *§.* si vero quis ibi. In ea ciuitate in qua ager est; Agri enim tributum in ea ciuitate debet leuari in cuius territorio possidetur, & in *l. 2. C. de iur. emphyt.* ibi. Cum neminem oporteat conuentionē, vel admonitionem expectare, sed vltro se se offerre, & debitum spontanea voluntate persoluere per quas leges, ita resoluit concorditer, & fere per eadem verba, *Bart. in d. l. Item illa num. 9. & Bald. num.1.* quos videas, & ibi latius inuenies.

Si pensio non soluatur poteruīt res per creditorem recludi, quæ fuerint inuectæ in domum pro qua pensio debetur, vt est notabilis *tex. in l 9 ff. in quib. cau. pig. tac. contrab.* inquit enim Paul. sic. Est differentia obligatorum propter pensionem, & eorum, quæ ex conuentione manifesta pignoris nomine tenentur, quia manumittere mancipia obligata pignori non possumus: inhabitantes autem manumittimus scilicet antequam pensionis nomine præcludantur. Tunc enim pignoris nomine retenta mancipia non liberabimus, & derisus est Nerua iurisconsultus, qui per fenestram monstrauerat seruos detentos ob pensionem liberari posse.

Non debet pensio augeri colono propter meliorationes ab eo factas, vt præcipit optimus *tex. in l. pen. C. de omn. agr. desert. lib. 11.* ibi. Nullamque eos descriptionem siue adiectionem, aut innouationem inposterum sustinere: quoniam nimis absurdum est eos, qui nobis hortantibus fundos inopes, atque egenos magno labore impenso, aut exhausto patrimonio vix forte meliorare potuerunt, vt pote deceptos inopinatum onus suscipere, illudque velut quadam circumuentione deposci, quod si se daturos præscissent fundos minime suscipere, aut etiam colere paterentur.

Remitti pensionem propter sterilitatem certū est in colono, in emphyteuta vero contrarium, nisi totares pereat dispoinit *l. 1. C. de iur. Emphyt. vbi not. Bald. num. 11.* salua semper manente lege cōtractus, nam illa obseruabitur. Quod si alij remiserint contra legem contractus atq; regionis consuetudinem pensiones, hoc alijs præiudicium afferre non potest, vt inquit. *l. Circa 19. C. locat.*

Percutere.

Est autem tangere, etiam si sine scissura carnis fiat dummodo cutis tangatur sic deducitur *ex l. si seruus 27. §. Inquit lex ff. ad l. Aquil.* ibi. Rupisse autē eum vtique accipiemus, qui vulnerauerit, vel virgis, vel loris, vel pugnis cecidirit: vel telo, vel quo alio sciderit alicui corpus, vel tumorem fecerit, sed ita demum si damnum iniuria datum est.

Quæro si percussi aliquem in cerucleria, & percussio cerueleriæ fecit vulnus in fronte, vel in capite, an videar vulnerasse? Puto quod sic, *vt l. Item* Mela scribit si cum pila quidam luderent ve-

he-

hementius pila percussa intonsoris manum eam deiecerit, & sic serui, quem tonsor radebat, gula sit præscisa adacto cultello in quocunque eorum culpa sit, eum lege Aquilia teneri, ita resoluit *Bart. in l. si gemina num.5. ff. arb. furt. cæs. & in num.4.* sic. Quæro quid si te fugaui, & cum fugeres cecidisti, & cadendo vulnerasti te in aliqua parte corporis, an tenear, quasi vulnerauerim? Respondeo, non, sed quasi vulnerare fecerim, *vt l. qua actione 7. §. Proinde* si quis alterius impulsu damnum dederit: Proculus scribit, neque eum, qui impulit teneri (quia non occidit) neq; eum qui impulsus est, quia damnum non iniuriam dedit, secundum quod in factum actio erit danda in eum, qui impulit *l. Item si obstetrix 9. §. si seruum, & l. si ex plagis §. vlt. ff. ad l. Aquil.* vbi sic. Cum pila complures luderent, quidam ex his seruulum cum pilam recipere conaretur, impulit: seruus cecidit & crus fregit. Quærebatur an dominus seruuli lege Aquilia cum eo, cuius impulsu ceciderat agere posset? Respõdi non posse, cum magis casu, quam culpa videretur factum.

Si quis percutiens vnum quem alium esse credebat, vel sibi ignotum, tenetur de percussione, & iniuria *l. Eum qui 18. §* si iniuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut si quis putet me Luciũ Titium esse, cum sim Caius Seius prȩualet, quod principale est, iniuriam cum mihi facere velle: nam certus sum ego, licet ille putet me alium esse, quam sim, & ideo iniuriarum habeo actionem.

Si quis pulsatus quidem non est, verum manus aduersus eum leuatæ sunt, & sæpe territus, quasi vapulaturus, non tamen percussus iniuriarum tenetur, ita inquit *Vlpian. in l. Item apud Labeonem ff. de iniur.* a quo deduxit *Gratianus in cap. si quis pulsatus de pænit. dist. 3. & ibidem glos. Verbo vapulaturus*, ita, Hic argui potest insecutorem clerici in canonem incidere, licet non percusserit; vbi allegat iura, & pro contraria parte affert alia, & prosequitur; sed quid de eo, qui manum mittit in vestem clerici, vel in rem ab eo detentam? videtur; quod incidat in Canonem *arg. 2. quæst. 7. cap. Plerumque §.* Item abijcitur &c. & in fine non resoluit, sed dicit, quod est quæstionis, & quam plures in materia apponerem si breuis esse non laborarem vide per Bertach. verbo percutere.

Percutiens aliquem extra Ecclesiam, vel cæmeterium, quem ab ea extraxit per mantellum, dicitur immunitatem Ecclesiæ offendere, & eius immunitate non gaudebit, ita tenet *Abb. in capit. vlt. de immun. Eccles. num.* 10.

Perditum.

Caius il *l. 24. ff. de petit. hared.* ita definit. Deperditum intelligitur, quod in rerum natura desijt, *& glos. vlt. in l. pen. ff. de mil. testa.* addit sic. Habetur perditum, quod statim est perdendum.

Si creditor sine vitio suo argentum pignori datum perdiderit, restituere id non cogitur. Sed si culpæ reus deprehenditur, vel non probat manifestis rationibus se perdidisse; quanti debitoris interest condemnari debet, sic disponit *l. 4. C. de pignor. act. vbi glos. verbo se perdidisse* sic ait. Hoc probare debet secundum omnes scilicet, quod perdidit pignus vt &c. Sed an sine culpa sua se perdidisse probare debeat sub iudice lis est &c. Dicimus enim indistincte debitorem probare debere culpam. Quod confirmat pluribus iuribus. In contrarium videtur *l. si quis ex argentarijs §. prætor ait vers.* An vero nec heredi *ff. de edend.* coniuncta *glos. Verbo* In longinquo vbi argentarius, qui dicit se perdidisse rationes non solum tenetur probare casum, sed etiam, quod sine

culpa sua intercessit amissio, & respondet ita, hoc est speciale propter hoc officium publica authoritate argentario iniunctum: quia principalis est eorum opera custodire rationes, *vt in l. Argentarius §. & ideo eod. tit. sed si tibi non placet Videas Bart. in d. §. prætor ait verum prædictam glos. sequitur Bald. ibidem num. 3.*

Peregrinus.

ILle dicitur, qui a propria patria abest, vt colligitur *ex Auth. vt differ. iud coll. 9. in princ.* ibi discedere cogantur a propria patria, & in peregrinis affligi, *& ex l. Ciues 7. C. de incol. lib. 10.* ibi. Vnde cum profectus est, peregrinari videtur, quod si rediit, peregrinari iam desijt. In bonam, & in malam partem potest sumi, nam qui voti causa, vel alia simili peregrinantur boni peregrini sūt & de his loquitur *§. vlt. de hæred. inst. vbi not. glos. Verbo peregrinantes* ita dicens, puta, quia visitant limina Sancti Iacobi, vel Sancti Petri *in Instit & Auth. omnes peregrini,* & aduenæ liberæ hospitentur, vbi voluerint *C. com. de success. vbi glos.* 1. sic. In bona parte accipe, & prosequitur tex. & hospitati si testari voluerint de rebus suis, liberam ordinandi habeant facultatem, quorum ordinatio in concussa seruetur. Si vero intestati decesserint; ad hospitem nihil perueniet, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in pias causas erogentur. Hospes vero si aliquid ex talium bonis contra hanc constitutionem nostram habuerit: Episcopo triplum restituat, quibus ei fuerit visum, assignandum, non obstante statuto aliquo, aut consuetudine, seu priuilegio, quæ hactenus contrarium inducebant.

Mali vero peregrini sunt, qui deportati, vel relegati existunt, vt per prædictas *glos. in §. vlt. de hær. inst. in Institut. & in d. Auth. omnes.* Et isti tales non hospitantur, vbi volunt: sed tenere debent insulam sibi assignatam, alias puniuntur, & eis augetur pęna, *vt in l. Relegati* siue in insulam deportati, debent locis interdictis abstinere, & hoc iure vtimur, vt relegatus interdictis locis non excedat; alioquin in tempus quidem relegato perpetuum exilium relegationis: in insulam relegato, deportationis: in insulam deportato pæna capitis irrogatur *ff. de pæn.*

Sunt & alij peregrini mali, vt errores, seu vagabundi, qui sine causa vagantur, vt definit *Vlpia. in l. Quis sit fugitiuus 17. §. Erronem.* Sed proprie errorem, sic definimus, qui numquam fugit, sed frequenter sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis serius ad dominum redit *ff. de edil. edict.* Horum infinitus est numerus.

Peregrinos, & vagabundos, vbicunque conueniri posse, ait *Bald. in l. Cum in longe num. 2. C. de præscripti long. temp.* per iura; quæ ibidem.

Si quis Romipetas, & peregrinos, & Apostolorum limina, & aliorum sanctorum oratoria visitantes capere, seu rebus, quas ferunt spoliare, & mercatores nouis teloniorum, & pedagiorum exactionibus molestare tentauerit: donec satisfecerit communione careat Christiana, ita *Calixtus Pap. in cap. si quis 24. quæst. 3.* nam sub protectione Apostolica sunt omnia eorum, qui ad eam causa peregrinationis accedunt, *vt in cap. vnic. de cler. peregr. & glos. ibidem verbo* ad præsentiam nostram.

Perfectum.

EX *Caio in l. 1 ff. de orig. iur.* dicitur id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constat, cui consonat *Philos. 3. Phys. & 1. de cal.* & mūdo dicēs perfectū

cui

cui nihil deest. Vnde *Pompon. in l. & si non sunt 21. §. Infecti ff. de aur. & arg. lega.* dubitauit an infecti argenti appellatione continentur, argentum cęptum fabricari, non dum tamen perfectum? & licet dicat magis factum, quam infectum putare statim se ipsum corrigit, dicens Certe si iam erat factum, sed cælabatur, vt notauit ibidem glos. verbo magis facti. Dei perfecta sunt opera, vt Deuter. 324. At in humanis inuentionibus nihil inueniri perfectum dixit *Specul. in proam. vers. Caterum & licet Iustinian. in l. pen. C. de ijs, quib. vt indig.* dicat de Marco ita. Ne princeps philosophiæ plenus, aliquid videatur imperfectum sanxisse, ne mireris, quia loquitur de principe legem condente, cum quo Dei sapientia concurrit iuxta illud Prouerb. 8. 15. Per me reges regnant, & legum conditores iuxta decernunt.

Cæterum in alijs dixit bene specul. Vnde quando aliquis de perfecto commendatur, debet commendari per illa verba, quibus vsus est Pius II. loquens de Marian. soc. seniore sic. Nemini pauciora ad integram perfectionem vnquam defuisse quam illi. Nihil enim in humano genere difficilius, quam inuenire perfectionem, vt dixit *glos. Verbo militia in cap. 1. de renunciat.* & solus Deus opus imperfectum non nouit, concludit eadem glos.

Profecto perfectior est ille, qui se mundi rebus expoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere desiderat, qu m ille, qui ex multis, quæ possidet Ecclesiæ aliquid præstiterit, ac se de eo, quod præstiterit forsitan iactat, ita dicitur in *cap. si quis 1. quæst. 2.*

Perfecta res est, quæ habet executionem, vt clare patet *ex l. Metum 9. §. Sed quod prætor ait ff. de eo, quod met. cau* sic enim inquit Vlpian. Et quidem imperfecta res est, licet metus interuenerit: vt puta stipulationem etiam numeratio facta est, aut per metum accepto, debitor liberatus est: vel quid simile contigit, quod negotium perficeret. Et Pompon. scribit in negotijs quidem perfectis, & exceptionem interdum, & actionem competere. In imperfectis autem solam exceptionem, sed in facto ibidem proposito concludit ex constitutione Imperatoris, vt siue perfecta, siue imperfecta res sit: & actio, & exceptio detur.

Ex eadem ratione Perfecta donatio causa mortis non dicitur, nisi mors insequatur, vt per *l Non videtur 32. ff. de donat. cau. mort.* quia scilicet, dum viuit donator non habet executionem, quia alias perfecta esset, quoad obligationẽ, licet reuocabiliter, vt notauit ibidem glos. vel etiam ex ea ratione, quia perfectũ nihil diminui potest, vt dicit *Bald. in Auth. hoc amplius sub num. 8 C de fidei.* & donatio causa mortis ad nihilum valet donatore conualescente, & non conualescente voluntatem mutante, vt notum est *ex tit. prædict. de donat. caus. mort. l Mortis causa 16* nisi in contrarium fuerit in donatione disposi um *l. si alienam 13. §. Marcellus notat eod.*

Illud constat imperfectum esse negotium, cum emere volenti, sic venditor dixit: Quanti velis, quanti æstimaueris erit emptum, ita inquit *Caius in l. Quod sæpe 35. §. 1. ff. de contrah. empt.*

Periculum.

ID est casum fortuitum, sic, & ponitur *in l. si quis fundum 10. §. si colonus ff. locat* ibi si quidem fortuitus casus incendij causam intulerit, non præstabitur periculum locatori &c. *& in l. Item quaritur §. si gemma* ibi. Nisi periculũ quoq; in se artifex receperit, tunc enim & si vitio materiæ hoc euenerit, erit ex locati actio, *vbi glo verb.* Nisi periculũ ita intelligit & addit ita Proprie tamẽ dicitur periculu n, quod culpa contigit

vt infr. eod. l opus ff. eod. tit. & prosequitur ead gloss. vel dic hic periculum proprie si qualis culpa interueniant, *& gloss. verbo conductoris in l. opus 39. eod. tit.* sic. Nota hic manifeste periculum non accipi pro fortuito casu, sed pro eo, vbi saltem leuissima culpa fuit, & ibidem *gloss. vlt.* sic etiam ad exactissimam diligentiam, hoc enim facit periculi receptio, non tamen, vt casum praestet, & in hunc sensum intelligendam esse *l. 43. ff. locat.* dum dicit. Qui mercedem accipit pro custodia alicuius rei, is eius periculum pro custodia praestet, dicit ibidem *gloss. in hac verba.* Pro custodia, id est si contingat propter custodiam non adhibitam, & sic ad exactissimam diligentiam, alias nisi specialiter pro custodia mercedem reciperet teneretur de leui culpa.

Aestimatae res vsu etiam mulieris periculo mariti deteriores efficiuntur, ita in *l. 52. ff. solut. matr.* Poterit tamen maritus pacisci ne sint periculo eius, *vtin l. 6. ff. de pact. dotal.* in haec verba. Pomponius ait maritum non posse pacisci, vt dolum solummodo praestet, videlicet propter vtilitatem nubentium; quamuis pacisci possit, ne sit periculo eius. Quando autem periculum transferatur per aestimationem, vel non. Vide per *Bart. in l. 1. §. 1. ff de aestim act. & in l. sicut certo, certo § nunc videndum ff. commodat. & in l. Quaro §. fin. & l. Cu fundus ff. locat.*

In venditione, quando periculum sit emptoris, vel venditoris ponit *Bart. in l. Quod saepe 35. §. In ijs ff de contrah. empt.* Et quia famosus est tex. licet non breuis verba hic afferri libet. In ijs (inquit Caius) quae pondere numero mensura ue constant veluti frumento vino oleo, argento; modo ea seruantur, quae in caeteris, vt simul atque de pretio conuenerit, videatur perfecta venditio: modo vt etiam si si de pretio conuenerit, non tamen aliter videatur perfecta venditio, quasi admensa, & appensa, ad numerata ve sint. Nam si omne vinum, vel oleum, vel frumentum, vel argentum, quantumcumque esset vno pretio venierit idem iuris est, quod in caeteris rebus. Quod si vinum ita venierit, vt in singulas metretas, item frumentum, vt in singulos modios, item argentum, vt in singulas libras certum pretium diceretur, quaeritur quando videatur emptio perfici? quod similiter quaeritur, & de ijs, quae numero constant, si pro numero corporum pretium fuerit statutum. Sabinus & Cassius tunc perfici emptionem existimant, cum ad numerata, ad mensa, appensa ve sint: quia venditio, quasi sub hac conditione videtur fieri, vt in singulas metretas, aut in singulos medios, quos quas ve admensus eris, aut in singulas libras, quas appenderis, aut ad singula corpora, quae adnumeraueris, ergo & si grex venierit, si quidem vniuersaliter vno pretio perf. cta videtur posquam de pretio cōuenerit si vero in singula corpora certo pretio, eadem erunt, quae proxime tractauimus: Sed & si exceptiario pars vini venierit veluti metretae centum, verissimum est (quod & constare videtur) antequam admetiatur omne periculum ad venditorem pertinere. Nec interest vnum pretium omnium centum metretarum insimul dictum sit an in singulas eas. Et iuxta hanc distinctionem intelligendus est *Paul. in l. Necessario 8 ff. de peric. & cōmod. rei vend.* vbi etiam dicitur in venditione conditionali periculum ad emptorem pertinere. Alia habes in verbo culpa.

Si conductor habet iustam causam timendi periculum inhabitanda domo non debet mercedem iuxta *l. Habitatores 30. §. vnic. ff. locat.* ibi. Si iusta causa fuisset cur periculum timeret, quamuis periculum vere non fuisset, non debere mercedem.

Vbi periculum ibi, & lucrum collocetur, ne

ne sit damno tantum dedicus, qui rem commodatum accepit, sed etiam liceat ei etiam lucrum sperare, ita dicitur in l. vlt. §. sed cum C. de furt. & seru. corrupt. Nam & magis consulendum est ijs, quibus maius periculum intenditur, vt alias dicit l. 1. §. sed si quis ff. de Carb. edict. a qua deductum fuit capitul. 3. de elect. in 6. ibi. vbi periculum maius intenditur ibi procul dubio est plenius consulendum.

Renunciat, qui se periculo supponit, ita glos. 1. in l. Principes 6. C. de princ. agent. in reb. lib. 12. Nam imputatur ei, qui se posuit in periculum, vt dicit glos. vlt. in l. Item Mela ff. ad l. Aquil. per text. ibi. Quamuis nec illud maledicatur, si in loco periculoso &c. se quis commiserit, ipsum de se queri debere. Videri enim quosdam sic amatores periculi cōstitutos, vt præsumant ad ea, quæ interdicta sunt accedere, & circumuentionem facere legibus ex voluntate, & præsumptione, quam habent, inquit Auth. de non alienan. §. Quia vero collat. 2.

Curare debemus de periculis, vt illa euadamus, seu præuideamus non vt ea incurramus, & ideo dico periculum a perio non a pereo: vt secundæ sit longa non breuis, ita ponit glos. in extrauag. 2. de sepult. int. com. verbo periculis, vnde illud, qui amat periculum peribit in illo; sed

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Non vadit peritum, qui vult audire peritum.

ponit eadem glos.

Nota propter periculum euitandum aliquid prohiberi, dicit glos. Verbo sancimus in l. Comparationes 19. C. de fid. instr. Imminens ergo periculum immutat ius commune, inquit glos. Verbo deportari in cap. Is qui de sepult. lib. 6.

Exponere se alicui periculo spirituali vitu perabile est, quamuis exponere se periculo temporali propter res spirituales sit laudabile, dicit D. Thom. quolibet 3. art. 9. arg 3.

Qui non habet, quod reddat, eius periculo, nihil est, ait l. Itaque 12. ff. de furt.

Periurus.

Dicitur etiam ille, qui iurat suum non esse, quod commune est, vt clare deducitur ex l. Pupillus 239 in fin. ibi, verbum suum ambiguum est, verum de toto, an de parte significet, & ideo, qui iurat suum non esse, adijcere debet, neque sibi commune esse.

Periuri non solum non debent promoueri ad dignitates, & honores, imo si promoti sunt, debent repelli infames enim sunt, inquit glos. verbo periurium in cap. venerabilem 34. de elect. & probat l. Quoties 17. C. de dig. lib. 12. ibi. In criminalibus vero negotijs dignitate quoque, quæ se per suum periurium indignos esse probauerint, spolientur, & ibidem glos. Verbo priuatos sic. Non infamis est, quia contra promissionem, & contra iuramentum venit.

Nec iterum ad iuramentum admittentur iuxta glos. Verbo Adulterij in capit. per tuas 32. de Simon. dum sic quærit, sed nunquid periurus admittetur? & respōdet dicendum est, quod non quantumcunque sit emendatus: quia qui semel est periurus ad iuramentū amplius non admittitur.

Qui dubius est, & iurat periurus videtur, vel saltem anceps periurium subire dicetur, vt per glos. verbo Conscientiæ in cap. 1. de consuet. rect. feud. ex l. videamus ff. de in lit. iur. ibi Graue enim videbatur, & ignorantes, & inuitos tutores sub alieni compendij emolumēto etiam periurium anceps subire. Cum

atis inhumanum esse videatur per leges, quæ periuria puniunt, viam periurijs aperire, dicit *l. 2. C. in dict. vid. toll.*

Qui iurato promisit Iudicio Sisti, non videtur peierasse, si ex concessa causa, hoc deseruerit, ait *Paul. in l. vlt. ff. qui satisd. cog.* nam vt ibi *in summ.* dicitur, in iuramento videtur excepta authoritas legis, & superioris, & ibidem notauit *Apostill. ex l. vlt. ff. ad municip. ibi Papinian.* sic. Imperatores Seuerus, & Antoninus rescripserunt gratiam se facere iuris iurandi ei, qui iurauerat se ordini non interfuturum, & postea duūvir creatus esset *& in l. vlt. C. de non num. pec. sic Iustinian.* indubitati iuris est non num ratæ pecuniæ exceptionem locum habere in talibus nominibus, vel fœneratitijs, vel alijs cautionibus, quæ etiam sacramenti habent mentionem *& in cap. venientes 19.* ibi. Cum prædictum iuramentum vos excusare non possit in quo debet intelligi ius superioris exceptum, *de iur. iur.*

Si desideras videre casus in quibus non incurritur periurium, non seruato iuramento lege *Bald. omnino in dict. l. vlt. C. de non num. pec.* vide etiam infra verbo testis.

Peritus.

PRo eo sumitur, qui in aliqua arte peritus est, vel scientia. De peritiis in scientia, quod eorum sententia sit sequenda, dicit *Vlpian. in l. Diui fratres 17. ff. de iur. patr.* sic. Sed & Volusius Mætianus amicus noster, & iuris ciuilis præter veterem, & benefundatam peritiam anxie diligens &c. sed eum, & ipso Mætiano, & alijs amicis nostris iuris peritis &c. plurium etiam iuris auctorum, sed, & Saluij Iuliani amici nostri clarissimi iuri hanc sententiam sume.

De eis etiam debet fieri electio ad officia, præbendas, dignitates, & beneficia, quod si per contrarium fiat? dicitur *in cap. Gloria Episcopi* sic. Multi ædificant parietes (hoc est imperitos) & columnas Ecclesiæ (hoc est imperitos) subtrahunt: Marmora nitent, auro laquearia splendent gemmis altare distinguitur, & ministrum Christi nulla est electio. Non enim decet, quod stultus melioris, quam peritus conditionis existat, dixit *Pontif. in cap. Eum qui 15. de preb. lib. 6.* & ante eum dixerat *Iurisconsult. in l. seruus 4. ff. quod vi aut clam.* ibi: Ne melioris conditionis sint stulti, quam periti.

Peritos debemus consulere saltem, quando agimus de lucro captando ne, non consulendo, illud perdamus, vt dicitur *in l. In bonum 10. ff. de bon. possess.* In bonorum possessionibus (inquit Consultus) iuris ignorantia non prodest quominus dies cedat &c. satis est enim scire mortuum esse, seque proximum cognatum fuisse, copiamque eorum, quos consulerat, habuisse scientiā enim non hanc accipimus, quæ iuris prudentibus insit, sed eam, quam quis aut per se habeat, aut consulendo prudentiores assequi posset, *vbi glos. vlt.* sic notauit. Hæc distinctio potuit, aut non potuit prudentiores consulere, raro fit: quia tantum hoc casu, quando tractamus de lucro, *vt sup. de iur. & fact. ig. l. Regula §. sed iuris & facit infr. quis ord. in ben. poss. seru. l. 2. in fin. & sup. de instit. l. sed & si pupillus §. Proscribere.*

Nec in alijs circa supremam voluntatem imperitiæ venia datur, quam in bonis militiam, inquit *l. Impuberi 41. ff. de adminis. tut.* sed hoc aliquando remittere prætor debet, si non malitia, sed imperitia mulieris factum fuerit, ait *l. ff. de ventr. in spie.*

Periti aliquando respondent in dubio, vel sub dubio, vt notauit *glos. verbo fortasse in l. si duo 39. per tex.* ibi, & fortasse

po-

poterimus ff. de recip. arbitr. & affert versum.

Sub dubio forte, respondent sæpe periti.

Et facit *l. Mutus* 43. *ff. de procurat.* ibi forsitan, & ipsi dantur non quidem ad agendum, sed ad administrandum.

Iudicis, & officij imperitia partibus obesse non debet, ait *glos. verbo restituit in l. Quoniam* 21. C. *de appellat.* quinimo litem suam facit, & tenetur ex quasi maleficio iuxta §. 1. *de oblig. quæ quas ex del. Inst.* ibi. & vtique peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam, *& l. ex maleficijs §. si iudex ff. de act. coniuncta glos. Verbo peccasse* ibi. Quia imperitia culpæ adnumeratur, & §. *Præterea de leg. Aquil. in Instit.* ibi, Imperitia quoque culpæ annumeratur,

Idem quoque dicendum in quocunq; perito in arte. Nam si cuius rei peritia exigitur, si non habeat, est in culpa, vt dicit *glos. verbo, qui ex se in Auth. de iudic. coll. 6.*

Vulgare est, quod peritis in arte credendum sit iuxta *l. septimo mense ff. de stat. hom.* ibi, Propter authoritatem doctissimi viri Hypocratis, & ideo credendum est &c. *l. semel C. de re mil.* ibi. Nisi constet medicis denunciantibus &c. *& in cap. significasti* 18. ibi. vt peritorum iudicio medicorum *de homic.* Sed quid si non possunt plures periti inuenire, sufficiet vnus? videtur quod non per *glos. in cap. suggero* 3. *quæst.* 8. ibi. Alioquin Metropolitanus, vel Episcopus non posset audire causam cum non sint tot Episcopi. Sed *Bartol. & Bald. in d. l. semel*, dicunt vnum sufficere si non possunt plures adhiberi.

Permissum.

INtelligitur omne, quod expresse prohibitum non inuenitur iuxta *l. Nec nō* 28. *ff. ex quib. caus. maior.* ibi. Quæ clausula non illud pollicetur restiturum eum, scilicet si leges permittant, sed si leges non prohibeant, *vbi glos. Verbo hoc probibeant* sic. Item nota hic, quod omnia sunt permissa per legem, quę prohibita non inueniuntur.

Et in materia peculij idem esse constat *ex l. 3. §. Parui ff. de pecul.* ibi. Insuriosi, quoque curatorem dicimus dandam esse de peculio actionem, nam & huius seruus peculium habere potest, non si fuerit concessum, vt habeat, sed si non fuerit prohibitum ne habeat. & facit *l. Quam tuberonis* 7. *vers. sunt quidam eod. tit.*

Idem in filio famil. negotiante, si pater scit. Nam si scit eum negotiari etiam hoc permisisse videtur, si non nominatum prohibuerit merces accipere, vt prædictis verbis, dicit *l. Sed Iulianus §. Interdum ff. ad Maced.*

Quod vno modo permittitur alio modo prohibetur, vt dicit, & probat *glos. in l. sicut* 8. §. *quod si permiserit ff. quibus mod. pig sol.* sicut & contrario quod vno modo prohibetur, de alio permittitur, vt inquit *glos. vlt. in cap. vlt. de fil. presb.*

Et nota, quod specialis permissio derogat tacitæ concessioni, ita dixit *glos. verbo post decimum in l. si ita quis* 21. *ff. de vulgar.* & sæpe permittitur aliquid in genere, quod non permittitur in specie, *vt per glos. vlt. in cap. Accedens* 14. *de concess. preb.*

Nota etiam ratione officij, quædam permitti, quæ alias non permittuntur *ex l. ex quibusdam in princip. ff. de iur. fisc.* tradit *glos. Verbo Concedi in l. 1. §. sed est æquissimum ff. de postulan.*

Quod

Quod alicui permittitur etiam suis permissum videtur, *vt in l. Cum pracario* 22. *ff. de pracar.* ibi. Superuacuum est adijci ipsi suisque. Nam per ipsum, suis quoque permissum vti videtur.

Et permitti dicitur, quod volenti permittitur, dicit *glos. Verbo non permittit in l. Gallus §. vlt ff. de lib. & posth.*

Quod ius permittit, & princeps permittere videtur, ait *glos. Verbo non licet in l. legatam 5. ff. de admin. rer. ad ciu.*

Permutatio.

Fieri tunc dicitur, quando res certa pro re certa datur, vt inquit *glos. vl. in l. 1. C. de rer. permut.* & ibidem habes in quo differat ab emptione, & a contractibus innominatis. Vide etiam *l. 1. ff. eod. tit. vbi Paul. Iurisconf.* optime discurrit de differentia permutationis a venditione. Est tamen permutatio vicina emptioni, vt dicit idem *Pau. in l. 2. eod. tit. vbi notat Bart. Vnde idem Bart. in l. 1. num. 3. ff. de contrah. empt.* dixit. Nota quod verbum comparare non significat emptionem de necessitate, sed comprehendit etiam permutationem, & probat *ex d. l. 1. C. de rer. permut. Abb. vero in cap. 1. num. 2. de his, qua fi. a pral. per tex.* ibi tenet, quod verbum venditio, non comprehendit permutationem, & affert *tex. in l. 1. C. de prad. decur. sin. de cre. non alien. lib.* 10 Et pro contraria parte *l. statu liberi ff. de statu lit.* & concludit ita. Dic quod vbicumque fit commemoratio prætij verbum venditio ve. ificatur tantum in venditione vulgari sumpta; quando scilicet interuenit pretium, vt est *tex. in d. l. 1.* vnde prohibitus vendere sine certa solemnitate ne decipiatur in pretio potest donare sine aliqua solemnitate, vt est *tex. in d. l. 1.* sed vbi non fit commemoratio pretij, tunc verbum venditio capitur largo modo, nisi forte essemus in materia odiosa: sed propter communem vsum loquendi, qui regulariter debet attendi etiam cōtra proprium significatum.

Generaliter teneas, quod commutationes præbendorum de iure fieri non possunt præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet Simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam licite poterit de vno loco ad alium transferre personas: vt quæ vni loco minus sunt vtiles alibi se valeant vtilius exercere, ita decidit *Vrban. 3. in capit. Quæsitum de rer. permut. In hoc tex. quæru Abb numer. 10.* Nunquid ipsi beneficiati possunt tractare inter se de permutatione futura? Host. cum quo transit Io. Andr. hic videtur sentire, quod non. Dicit enim, quod permutatio debet compleri, seu procedere ex authoritate Episcopi, sed dat remedium habenti causam permutandi, vt conferat se ad Episcopum, & narret causam permutationis supplicando, vt dignetur sibi prouidere in aliquo loco, posset etiam secundum eum dicere, quod meum beneficium competeret bene tali personæ, & suum mihi, non autem debet hoc tractare cum alio beneficiato &c. & concludit hæc opinio videtur verior, vt possint habere tractatum, non autem concludere permutationem, sed se supponere dispositioni Superioris.

Quærit etiam idem *Abb. num. 7.* Nunquid Episcopus potest permutare etiam beneficiato inuito? & sic respondet Ioan. Andr. ponit hic vnum solum verbum in quo sentit, quod non: Nam super verbo personas, supplet volentes, tamen nihil allegat. Sed contra eum facit tex. in quantum dat Episcopo facultatem transferendi personas de loco ad locum & nullam mentionem facit de consensu partium, & confirmat ex Innoc. reliqua de hac materia permutationis beneficio-

ciorum inuenies apud eundem *Abb. vbi sup. & in cap. vniuersorum eod. tit. & per Cardinal. in Clem. 1. de rer. perm.*

Perpetuum.

SEcundum subiectam materiam intelligitur, nam in *l. Debitor* 32. *ff. de pign.* ibi perpetuo esset, inquit ibidem *glos. Perpetuo* idest quandiu essent necessarij *& in l. id vestimentum ff. de pecul. glos. pen.* Perpetuo idest, quandiu durat, non enim vestimentis perpetuo vtimur, vt *Inst. de vsufr. §. Constituitur, & in l. 1. ff. pro soc.* sic. In perpetuum, id est, dum viuunt *vbi glos. sic* & nota quod hæc dictio, perpetuo, multos habet sensus. Primus vt hic idem *glos. in l. nulla ff. eod. tit. & in cap. si gratiose de rescript. in 6. perpetuo* Secundus, perpetuum, id est generale, *vt C. de edend. l. edita* Tertio id est generaliter verũ idem de his duobus, dicit *glos. Verbo perpetuum in §. 1. de satisd. tut. in Inst.* Quarto id est vsque ad 30. vel 40. annos. Quinto id est sine interuallo, siue continuo. Sexto id est sine temporis præfinitione, & ad singula affert iura.

Et *glos. Verbo perpetuam in cap. 3. de cohab. cler.* sic ait. Perpetuam id est donec resipiscant, sic *Instit. locat. §. Adeo & Apostill. ad d. glos.* ita dicit. Dicitur perpetua secundum Innoc. quia nullum tempus habet præfinitum, & sic aptitudine dicitur perpetua, conducit ad hoc *glos. verbo spoliare in cap si autem 6. eod. tit.* ibi. Quæ spoliato perpetua intelligitur ex quo sine temporis præfinitione hic dicitur.

Perpetuum denique intelligitur vsque ad centum annos, vt in vsufructu legato municipibus disponit *l. si vsusfructus* 8. *ff. de vsufr. lega. vbi glos. vlt,* sic quærit, An idem in annuo legato relicto ciuitati, vt centum annis tollatur? & duas ponit opiniones contrarias, quarum affirmatiuam sequitur *Bart.* ibidem & responde: ad *l. Annuam 6. & l. Anua* 20. *& l. Cum quidam* 23. *&* 24. dicens non obstare, licet dicatur in illis perpetuo deberi, quia (inquit) intelligo debere perpetuo id est vsque ad centum annos, quod est longissimum vitæ tempus, & idem esse in Ecclesia concludit cum prædicta *glos.*

Qui simpliciter deponitur, perpetuo deponitur. Sic ait *glos. Verbo Inhabiles in extrauaga. execrabile 4. de praben. int. com.*

Nihil est in humana conditione, quod perpetuo stare possit *glos. verb. moderemur in cap. Cum adeo 17. de rescript.*

Persona.

EST multiplex personarum distinctio, vt satis per se patet. Sed quas personas dicemus maiores, & digniores? quærit *glos. Verbo maiores in cap. sedes 15. de rescrip.* & respondet maiores, & digniores vocat hic notabiles personas, quæ sub clausula generali comprehendi non possunt, & tex. sic. Maiores, & digniores sub clausula generali non intelligantur includi, vt sunt reges, & reginæ, & in *cap. vlt. de offic. de legat. lib. 6.* ibi. Regibus, & Reginis exceptis &c. *cap. venientes 19. & cap. eam te de sur. iu. Extrauag. vnic de praben. vbi late per glos.* de his, & alijs similibus personis.

Vnde forsan, quia persona loquentis maior est, non contineri ipsam in sermone generali notauit *glos. in l. si mercedem 53. §. vlt. ff. de act. empt. per tex.* ibi omnibus in ea habitantibus præter dominum recte recepta habitatio est.

De personis in dignitate constitutis, dicis Verbo dignitas, & adde quod graues personæ non appellantur illi, qui in dignitate sunt constituti, quia aliud est dignitas, quam grauitas, vt dicit *glos. verbo persona in cap. licet ex quadam*

47. *de testib.* vbi tex. dicit nisi forte personæ grauis extiterint. Et ipsas intelligit graues *d.glos.* scilicet non leues, puta bonæ famæ, & opinionis. Aliæ sunt personæ viles, de quibus verbo vilitas, & ipsis non sunt concedendi, nec honores, nec dignitates, iuxta *glos. vlt. in cap. Per inquisitionem 26. de elect.* Quia & portę dignitatis personis vilibus patere debent *glos.* vrbo suspendatur *in cap Nihil 44. eod. tit. de elect.*

Miserabiles personæ sunt pupilli, viduæ, & quæ virum non habent, *vt in l 1. C. quand. imp. int. pup. & vid. vbi Bart. & Bald.* notant in arbitrio iudicis esse etiam, quæ sint miserabiles.

De pupilli persona inquit *l. si minor 20. an. 4. ff. de seru. expert.* ita. Lex quippe consilio eius quasi parum infirmo resistit, vbi Bald. summat ita, vbi est inhabilitas personæ à principio, actus non potest confirmari, licet conferatur in tempus permissum.

Sæpe quod quis ex sua persona non habet, hoc per extraneum habere potest, ita *l. Aristo 3. ff. quæ res pig. & in cap. Authoritate 7. de concess. præb. lib. 6.* ibi. Licet enim ex persona sua secundus primam obtinere non possit; ex persona tamen tertij, qui primum superat illam habet. Sed magis est, quod eadem persona poterit habere, quid vt talis, quod non potest, vt alius propter diuersitatem iurium in eandem concurrentium iuxta *l. Tutorem 22. ff. de ijs quib. vt indig.* ibi. Discreta sunt enim iura (quamuis plura in eandem personam deuenerint, aliud tutoris, aliud legatarij, & cum non suæ personæ iure, sed pupilli accusauerit propriam pœnam mereri non debet, *& in l si a me 29. ff. ad l. falcid.* ibi. Non puto hoc imputandum esse in falcidiam: quia incipio postea, quasi fideicommissarius id recipere, & sic vna, & eadem persona diuerso iure cēsetur si vicem duarum sustineat, vt est hæres, & fideicommissarius iuxta terminos istius *l. & in l. Debitor 59. §. vlt. ff ad Trebell.* ibi. Quia non quasi hæres, sed quasi mater ex pacto accepit, nec occasione hæreditatis, sed errore ex pacto eam habuit, *& in l. 1. in fin. §. si a par. quis fuer. man.* ibi. Nec enim ei nocere debebit, quod iura patronatus haberet cum sit, & pater, *& in l. 6. ff. quod cuiusque vniu.* ibi. Quasi decurio hoc dedit, non quasi domestica persona, & *in l. 1. § 2. ff. de stipul. seru.* ibi. Communis seruus duorum seruorum personā sustinet. Sed ibi *not. glos. 1.* dicens quod in libero homine vix hoc inuenitur; Vnde generaliter audet dicere *glos. in cap. vlt. de institut.* sic. Nemo enim vicem plurium personarum sustinet: Quod quidem sic generaliter sine distinctione dictum, non est verum, vt apparet ex legibus sup relatis, *& in cap. 3. de probat.* ibi. Iudicium finium regund. tale est, vt in eo vtraque persona vices duarum habeat, vbi notauit *glos. & arg. ponit in contrarium.*

Non prius iuris ratio, quam persona quærenda est, ait l. quidam referunt 14. *ff. de iur. codicill.*

Nec causæ, sed personæ succurritur, quæ meruit præcipuum fauorem, inquit *l. ex pluribus 43. ff. de admin. tut. glos. tamen in l. Procuratoris 5. §. si plures ff. de tribut. act.* dicit. Nota, magis quandoq; ad rem quandoque ad personam haberi respectum, & probat *ex l. De pupillo §. Nunciationem* ibi. Nunciare autem non vtique domino oportet, sufficit enim in re præsenti &c. *ff. de oper. nou. nunc. & l. vlt.* ibi. Quia nunciato operis noui non personæ fit *eod. tit. & l. Annua 20. §. Attia* ibi. Cæterum datum templo *ff. de ann. legat. & l. Qui aliena §.* vno defendente causam communis aquæ sententia prædio datur *ff. de negot. gest.* & facit, quod alias dixit *glos. verbo executores in fin. in extrauag. vnic. de offic. delegat. int. com.* Succedit res rei, & dignitas dignitati, sicut persona

per-

personæ. Potius vero expedit rei incumbere, quam in personam agere, vt dicit *tex. in §. furti autem de oblig. quæ ex del. in Instit.* & si personæ conditio non mutetur, nec rei quidem statum conuenit immutari *l. 1. C. de impon. lucr. de script. lib. 10.*

Si quis opus facere iussus paratus sit pecuniam dare reip. vt ipsa faciat cum testator per ipsum facere voluerit, non audietur ita ait *l. fideicommissa 12. §. vlt. ff. de legat. 1.* Quia circa eligendam personam industria, tunc videtur electa prouisionem sibi commissam alteri demandare non potest, dicit *cap. Is cui 12. de offic. delega. lib. 6. & facit cap. 3. de cler. non resid.* ibi. Talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam eius per se ipsam valeat exercere & ibi *glos. pen.* sic. Sunt autem quædam, quæ per alios fieri non possunt de iure, & paulo supra ita. Quandoque tamen in casu potest, quis seruire per vicariũ, & *glos. verbo personaliter in cap. Cum dilecta 22. de rescript* in hæc verba. Nota casum nouum cum mandatur alicui, vt personaliter negotium exequatur potest alij committere vices suas, si partes consentiant, nisi in duobus casibus: in causa inquisitionis, item cum Papa mandat prouideri Ecclesiæ alicui de prælatis, & alijs ministris &c. & est simile, quod dicit lex, quod si promisisti mihi per te facturum nauem, vel aliquid consimile, per alium me non consentiente facere non potest propter industriam tuam, quam elegi, de quo; & quando sit electa personæ industria, iam dictum est Verbo electio.

Quoties cohæret personæ, id quod legatur, veluti personalis seruitus ad hæredem eius id, quod legatur, non transit, si non cohæret, transit ita *l. Non solum 9. §. Tale ff. de lib. legat. & l. 3. § vlt. ff. quib. mod. vsufruct amitt.* sic morte extinguatur, sicuti quid aliud, quod personæ cohæret, & *in l. Cum patronus 28. ff. de legat. 2.* ibi. Quoniam quod illius personæ præstatur, nequaquam ad aliam pertinere debet.

De personali vero seruitio habes infra verbo seruus, & dicit *glos. vlt. in l. Hæ operæ 23. ff. de oper. libert.* Durius est de pecunia, quam de persona seruire.

In stipulationibus persona nunquam intelligitur inesse nisi expressa sit, dicitur *in l. si ita 126. §. Chrysogonus ad fin.* ibi. Personam nunquam nisi expressa sit *ff. de verbor. oblig.*

In personas iniunctas liberalitas facta debitum naturale persoluit, habes. Verbo liberalitas.

Ex personarum qualitate, & differentia licitum fit, quod alias non liceret dicis verbo licitum.

Personarum qualitas, & delictorum quantitas in custodiendo inspicitur, vt probat *glos. verbo perseueret in l. Minime 12. C. de appellat* idem in pœnis habes verbo pœna, & ait *l. Paulus 16. in fin. ff. de negot. gest*: sic. Pro qualitate personarum, & actio mutatur, & condemnatio moderatur, vbi notat *glosa vlt.*

Nota, quod ratione personarum parcitur in expensis, vbi alias non parceretur, ita *glos verbo sine damnis in Auth. vt cler. apud propr. Episcop coll. 6.*

Notauit etiam glos. verbo comprehensus speciale esse, vt liberam personam, quis sua authoritate capiat *per tex. ibi in l. 1. C. vbi quis de Curial.*

De errore in persona habes verbo error.

Personale munus, quale dicatur, vide verbo munus.

Idem de personalibus, quod & de beneficijs curam animarum habentibus iudicium esse habendum ait *cap Dudum 14. vers. Licet autem de elect.*

Digitized by Google

Persuadere.

EST (inquit Vlpian.) plusquam compelli atq; cogi sibi parere *in l. 1. vers. Persuadere ff de seru. corrupt.* & addit. Sed persuadet Græce etiam bonum consilium, quis dando potest suadere, & malum, & ideo prætor adiecit dolo malo, qui eum deteriorem faceret. Neque enim delinquit, nisi qui tale aliquid seruo persuadet ex quo eum faciat deteriorem. Qui igitur seruum solicitat ad aliquid, vel faciendum, vel cogitandum improbe: is videtur, hoc edicto teneri.

Addit *Bart. in l. Non solum §. si mandato sub num. 2. ff. de iniur.* Persuasor dicitur ille, qui persuadet alicui propter ipsum, cui fit persuasio, & sic differt a mandante, quia mandator est ille; qui mandat delictum committi propter se ipsum mandantem, & ad satisfactionem volũtatis suæ, vt ibidem per eum, quem vide omnino in materia, vbi plures inuenies quæstiones.

Cum quis persuaserit familiæ meæ, vt de possessione decedat: possessio quidem non amittitur: sed de dolo malo actio in eum competit, si quid damni mihi accesserit. Sic Proculus *in l. 27. ff. de dol* *vbi not. Bart.*

Est famosa *l. 20. C. de furt. & seru. corrupt.* *vbi Iustinian.* sic decidit. Si quis seruo alieno suaserit, vt aliquam rem domini sui subriperet, & ad se deferret, seruus autem hoc domino manifestauerit, & domino concedente, res eius ad iniquum huiusmodi disuasionis authorem pertulerit, & ipse inuentus fuerit rem detinens, quali teneatur actione, is qui res susceepit, vtrum ne pro occasione furti, an pro seruo corrupto, quia eum corrumpere voluerit: an, non solum furti, sed etiam serui corrupti is obligetur? veteres dubitauerunt. Nobis itaque eorum alterationes decidentibus placuit non solum furti actionem, sed etiam serui corrupti contra eum dari. Licet enim seruus minime deterior factus est, tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis serui introductum est: & quemadmodum secundum iuris regulas: furtum quidem non est commissum, quia is videtur furtum cõmittere, qui contra domini voluntatem res eius contrectat: ipse autem furti actione propter dolum suum tenetur: ita & serui corrupti contra eum propter suum vitium non ab re extendatur, vt sit ei pænalis actio imposita tanquam re ipsa fuisset seruus corruptus ne ex huiusmodi impunitate, & in alium seruum, qui facile possit corrumpi hoc facere pertentet, vide etiam verbo Consilium.

Si positioni factæ per te ego respondeo cõfitẽdæ, & erro propter suasionem tuam, posse iuuari, dicit *Bart. in l. 1. numer. 2. ff. de eo per quem fact. er.* Credidi enim (ait idem) persuasioni tuæ: est iusta causa concedendæ restitutionis, & allegat *tex. in l. 1. §. fin. ff quand. act. de pecul. est anna*. Sed ego ex tali tex. id non capio, poterit tamen confirmari ex optima *glos. in reg. scienti de reg. lib. 6.* ibi: Quia id voluit persuasione dolosa, quod plus est quam violenta.

Pertinacia.

IN malo, perseuerantia in virtute; vnde pertinax valde, vel imprudenter tenens, durus irreuocabilis, indocilis, obstinatus, ita dixit *glos. Verbo pertinaciter in Clem. 1. de Sum. Trinit.*

Nihil est, quod non expugnet pertinax opera, dixit *Senec. Epistol. 51. post med.* facit namque hæreticum. vt in *d. Clem. 1.* & *in Clem. etiam 1. §. sane de vsufr.* ibi, vt pertinaciter affirmare præsumat exercere vsuras non esse peccatum decer-

cernimus eum velut hæreticum esse puniendum. Sed qui sententiam suam, quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim, quam non audacia suæ præsumptionis pepererint, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt: quærunt autem cauta sollicitudine virtutem, corrigi parati cum inuenerint: nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, ait *Hieronym. relatus in cap. Dixit Apostolus 24. quæst. 3.*

Claudit pertinacia, seu obstinatio in peccato viscera misericordiæ diuinæ, vt non parcat obstinato sic enim explicauit *Hieronym. illud Amos proph.* super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam: dicens. Iuxta tropologiam hoc possumus dicere. Primum peccatum est, cogitasse, quæ mala sunt secundum cogitationibus acquieuisse peruersis.

Tertium, quod mente decreuerit opere compleuisse. Quartum post peccatum non agere pænitentiam, & suo sibi cõplacere delicto, vt infertur *in capit. super tribus de pænit. dist. 1.* & talis tamquam ethnicus habendus est, vt ipse Dominus dicit *Matth. 18. cap. 17.*

Nota, quod magis delinquit, qui delinquendi authoritatem vsurpat, quia videtur pertinaciter defendere peccatum vt ita notauit *Abb. in cap. Quamuis 17. num 1. de decim. per tex* ibi, & probat *& cap. Inter dilectos 11.* ibi, delinquendi authoritas vsurpatur coniuncta *glos.* ibidem in illis verbis. Qui peccatum suum defendit authoritate, seu consuetudine magis peccat, & ideo magis puniri debet *de excess. prælat.*

Nota etiam secundum eundem *Abb. in capit. Qualiter 17. de accusat. numer. 1.* quod iudex & quælibet discreta persona debet errorem suum caute corrigere, nam & si in aliquo errauit non debet sponte fateri errorem suum, ne vilescat eius authoritas, nec debet errorem suũ defendere, seu in eo perseuerare sed debet cautius, & prudentius, quam potest se corrigere, & alibi dicit tex. magnæ sapientiæ est hominem corrigere, quod male loquutus est 22. *quæst.* 4 magnæ, quod not. contra istos, qui volentes pertinaciter defendere vnum errorem incidunt in infinita inconuenientia, nec talis potest dici sapiens, sed pertinax.

Pertinere.

VErbum istud latissime patet. Nam ex ijs rebus petendis aptum est, quę dominij nostri sunt, & ijs, quas iure aliquo possidemus, quamuis nostri Dominij non sunt. Pertinere ad nos etiam dicimus ea, quæ in nulla eorum causa sunt, sed esse possunt. ita dixit *Pompon. in l. verbum illud 181. ff. de verb. signif. idem glos. verbo pertinere in cap. Inter dilectos 6. de fid. instrum.* præcipue tamen ad reiuendicationem, & dominum pertinere verbum intelligi notat *glos in l. quis intentione 66. ff. de iudic. & probat Vlpian. in l. Non solum 39 §. Quæritur* ibi. & ait dumtaxat de domino cauendum, nec illis verbis, ad quem ea res pertinet, creditores contineri *ff. de procurat. vbi notauit Bart.*

Concesso aliquo cum pertinentijs intelligitur cum omni iure suo, & cum omnibus fructibus, & mancipijs, ita notarunt *Bart. & Bald in l. si quando C. de bon. vacant. lib. 10. & Addit ad eundem Bart.*

Peruenire.

DE hoc dicit *Vlpian. in l. Vtrum 26. ff. de petit. hæret.* ita & verbum quidem peruenisse ambiguum est, solumne hoc contineat, quod primo ratione fuit; an vero & id, quod durat? Puto se-

sequentem clausulam senatusconsultus sequendam *In l. autem 2. §. 1. idem Vlpian.* sic ait. Peruenisse ad venditorem hæreditatis &c. Eatenus peruenisse ad eum videri quatenus mandare potest earum rerum persequutiones actionesque tribuere: enim vero, vbi corpora nactus est, vel debita exegit plenius videri ad eum peruenisse &c. Illud tenendum est cum effectu videri peruenisse, non prima ratione, & ex eo tex. deducitur, quod non dicitur peruenire proprie aliquid ad aliquem, quod statim restituere debet, & probatur *in l. Nomen 164.* ibi. Habere sicut peruenire, cum effectu accipiendum est *ff. de verb. sig. & ex l. Aliud 72.* ibi. Sic & peruenisse proprie illud dicitur, quod est remansurum *eod. tit.*

Sufficit semel peruenisse ad proximum hæredem, vt perpetua actio esse cœperit ita ait *l. videamus 17. ff. quod met. cau.* vbi sic notauit *glos.* sufficit semel licet desinat. Et ex quo constat quid peruenisse, si dicatur in consumptum, ille ad quem peruenit probare debet, sic dicit *glos. Verbo negetur per tex. ibi in l. Creditor 60. § si inter ff. mandat.*

Petitio.

ACtio in personam infertur: petitio in rem, sic ait *Papinian. in l. 27. ff. de act.* Vnde satis patet, quod ad realem actionem pertinet, petere; Ius vero petendi tripertitium esse dicit *glosa verbo Curia in l. 1 C. quand. & quib. & quart. pars lib. 10.* in hæc verba. Nã aliud est bonum, aliud est melius: aliud optimum. Bonum est, dequo tantum est exceptio &c.

Melius est ex quo tantum iudicis officio est petitio &c. optimum quod est vndique ex omnibus suis partibus circumuallatum, quia etiam petitionem inducit per actionem. Hoc vltimum proprie, & stricte, petere, dicitur, quod proprietatem respicit, vnde dicit *glos. vlt. in cap. cum dilectus 6. de caus. poss.* quod iustior est petitio proprietatis, quæ tanquam dignior semper adtrahit ad se possessionem, vt sequatur dominium.

Causa vero petendi semper exprimenda est, alias non auditur petens, vt dicit *glos. verbo actio in cap. Dilecti 6. de iudic.* & si male petit sibi imputet, ait *Bald. in l. 1. in princip. C vt in possess. legat. At vero in l. 4. in fin. ff. de censib.* ita dicitur. Deinde post hoc impetratum cognouerit, se non debuisse hoc petere, quia res emendationem non desiderabat, nullum ei præiudicium ex eo, quod petijt, vt censum emendaret, fore.

Causam petitoris deteriorem esse constat *ex l. 2. ff. ne quis eum* ibi. Deteriore tamen loco libertus est, qui in simili delicto petitoris partes sustinet, & probatur, quia propter contumaciam, & in pœnam eius sit, quis de possessore petitor, vt notauit *glos. vlt. in l. Is cuius 18. ff. si seru. vend.* incumbit enim petitori maximum onus probandi. Vnde in casu *l. eum, qui iurauit 30. ff. de iu. iur. dixit Paul.* Abunde enim sufficere exonerari petitorem probandi necessitate.

Qui compensat deducit vt recte dicitur petere, vt notatum est verbo compensatio, & nihil interesse petere, an retinere, ait *l. si ei cui 17. ff. de lib. legat.*

Nec possit id quod habet petere, inquit *l. Titia Seio 89. ff. de legat. 2.* dicit tamen *glos. verbo de dolo in l. & eleganter §. 2. post med.* ita & sic rem peto quandoq; & habeo *ff. de dol.*

Licet vulgare sit, quod iuxta petita fieri debet condemnatio tamen *in l. Bouem 43. §.* Non solum dicitur, quod licet æstimatoria quanto minoris actione actum fuerit, officio tamen iudicis continebitur, vt reddito mancipio pretium

tium recipiatur, & ibi notat *glos. verbo* officio dicens hic nota, quod aliud petitur, & aliud in condemnatione deducitur, quod confirmat duabus legibus.

Qui præmaturè petit, plus petere intelligitur, inquit *tex. in §. Plus autem de act. in Instit.* Quin etiam licet vilissimum sit, quod quis petat nihilominus plus petere intelligitur: quia sæpe accidit, vt promissori facilius sit illud soluere, quod maioris pretij est, ait *tex. in §. Huic autem in fin. eod. tit.*

Amplius non petitum esse, verbum, Labeo ita accipiebat si iudicio petitum non esset: si autem in iudicium eum vocauerit, & satis iudicio sistendi causa acceperit: ego puto non committi stipulationem amplius non peti, hic enim non petit, sed petere vult, ita *l. Amplius 15. ff. rem rat. hab.*

Nota non debere quem petere cuius contrarium non peteret, deducit ita *glosa verbo desideret in l. si & rem 25 ff. de petit. hared.* verba tex. sunt. An hic magis possessor audiendus sit, si velit rem tradere licet deteriorem factam: non petitor si pretium desideret, quod inverecundum sit tale desiderium: idem notauit *glos. Verbo Contrarium per tex. ibi in l. pen. C. de solut. dicens.* Non debet quis postulare, cuius contrarium nõ esset petiturus.

Longior est impetratione petitio, & operosior est manus pulsans, quam sumens dixit *Augustin. lib. 12. confess. cap. 1.*

Est importunitas ambitiosa, vt cõpetitur, quod tendit ad noxam est, & nõ ambitiosa, vt cũ importunè petitur, quod est precibus impetrandũ. ait *glo in cap. vlt. de rescript.* de hac secunda inquit *tex. in extrauag. vlt. de priuileg. int. com.* Nos itaque petitionem vestram iuri consonam æstimantes, ac propterea in hac parte quieti, & indemnitati vestræ prouidere volentes &c. *& in l. 1. C. de petit. bon. lib.* 10. sic de prima dicit Imp. quoniam plerunq; ita in nonnullis causis in verecunda petentium inhiatione constringimur, vt etiam non concedenda tribuamus, nec rescripto quidem nostro aduersus formam legis latæ loci aliquid relinquatur, *vbi glos. hoc verbo relinquatur* dicit. Cuius prohibetur petitio eiusdem facta concessio non valet &c, nisi ex certa scientia dicendo non obstante hac lege, *& Bart. in sum. l. 3. C. de adopt.* ita ait. Non debet admitti supplicatio, quando aliquid supplicatur contra ius non expressa causa dispensationis per tex. ibi. Nec vllam idoneam causam addideris.

Superfluum est hoc precibus postulare, quod iam lege permissum est ait *l. vnica C. de thesau lib.* 10.

Sunt quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est. Aestimabimus itaque vtilitatem potius, quam voluntatem petentium: sæpe enim noxia concupiscimus &c. exorari in perniciem rogantium sæua bonitas est, ita dixit *Senec. de benefic. lib. 2. cap.* 14. *sic apparet exod.* 16. *& Numer.* 11. *& psalm.* 105. *&* 77 vbi filijs Israel carnes concupiscentibus a Domino concessas legimus, & adhuc carnibus ipsis stantibus in dentibus eorum ira Dei ascendit super eos, & occidit pigues &c. Deus à nobis auertat vt similem nobis petitionem concedat.

Philosophia.

Vera, dicitur legum sapientia *in l. 1. ad fin. ff. de iust. & iu.* vbi veram (inquit Vlpian.) ni fallor philosophiam non simulatam affectantes, *vbi glos. verbo ni fallor* sic. Nullo modo fallimur. Nam ciuilis sapientia vera philosophia dicitur, id est amor sapientiæ a philos, quod est amor, & sophia id est sapientia, & quæ verior dari potest sapientia, quam colere iustitiam, boni, & æqui notitiam profiteri, æquum ab iniquo separare

parare, licitum ab illicito discernere, bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum, quoque exhortatione efficere cupere? *vt in dict. l. 1. Ideo in l. Cum Syllanianum C. de ÿs, quib. vt indig.* vocauit Imperator aliũ Imperatorẽ eius prædecessorem philosophiæ plenũ philosophiæ, scilicet, legalis, vt ibidẽ *per glos. verbo imperfectum*.

Antiquissimæ philosophiæ professio erat pecuniæ contemptus, sed de multis retractis seculis abijt in desuetudinem. Nam *in l. sed & reprobari 7. ff de excusat. tut.* sic inuenies Philosophorum autem non constitutus est numerus, quia rari sunt, qui philosophantur &c. si autem proprie loquamur de substãtia, iam inde manifesti fiant non philosophantes, sed quare non philosophãtur? Quia nunc agitur de aggregandis pecunijs, illisque conseruandis, & honorandis iuxta illud. Plurimus auro venit honos. Et hoc est contra veram philosophiam; qui enim philosophãtur vere pecunias contemnunt, vt per eadem met verba dicit *glos. Verbo manifesti in dict. l. sed & reprobari*, quæ deduxit *a l. In honoribus 8. ad fin. ff. de vacat. mun.* ibi etenim veri philosophantes pecuniam cõtemnunt, cuius retinenda cupidine fictam asseuerationem detegunt &c. in quo tex. Philosophi veri, & non ficti a muneribus corporalibus excusantur, vt sunt tutelæ, & similia non vero a patrimonialibus, qui diuites sunt, & non veri, vnde Imperator, cum quidam ex his vellet se excusare a solutione munerum patrimonialium, ei rescripsit *in l. 6. C. de muner. patrim. lib.* 10. in hunc modum professio, & desiderium tuum inter se discrepant. Nam cum philosophum te esse proponas vinceris auaritia, & rapacitate, & onera, quæ patrimonio tuo iniunguntur solus recusare conaris, vbi Apostill. notauit sic Turpe est si professio hominis, & desiderium inter se discrepant, & tamen nihil crebrius videmus. Verum excusatus videbatur philosophus ille cum fundaret petitionem indicto *Senec. lib. 1. epist. 8. ad Lucill.* ibi. Philosophiæ seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas, & in supracitata *l. Cum Syllanianum C. de ÿs quib. vt indign.* ibi & maxime in libertatibus, quas semper Philosophia amplectitur, liber ergo erat ab onere soluendi. Sed verissimum est, quod Imperator rescripsit: quia vera libertas est illa animi in quem auaritia locum non tenet; qui autem auaritia tenetur non liber, sed seruus dicitur iuxta illud Paul. Auaritia, quæ est idolorum seruitus, & sic non quid mirabile decisum fuit *in dict. l. 6.* contra auarum, & diuitem Philosophum.

Sed in l. Reddatur 8. C. de profess. & med. lib. 10. vere mirabile tibi videbitur dum alter philosophus volens se excusare a patria muneribus personalibus, fuit ab Impp. Valentin. & Valente responsum sic. Turpi enim est, vt patriæ functiones ferre non possit, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur. Verum tamen non mirabiles est decisio cum loquatur de illis philosophis, qui tantum habitum, vel barbam philosophi portant, vt in princip. patet ibi qui habitum Philosophiæ indebite, & insolenter vsurpare cognoscitur, & quot huic similes inuenies hodie, sed cum barba non faciat philosophum, vt dicit vulgare prouerbium, philosophi non sunt, nec gaudebunt philosophorum immunitate, sed tantum ij, qui a probatissimis fuerint approbati, vt in prædicta l. dicitur.

Pictura.

Pretiosior est, quam scriptura, dicit *glos. Verbo imposuit ad fin in § si quis in aliena de rer. diu. in Instit. vbi Apostill.* sic addit. Hæc ratio non videtur per-

perpetua: quia scriptura pretiosior esse potest, & carior secundum *Fab.*

Depictum semper exornat materiam dũmodo sit honestum, ait *glos Verbo cedere in addit. in eitato §. si quis in aliena.*

Picturas inter impensas voluntarias, seu voluptarias esse, deducitur *ex l. In fundo 39. ff de reiuendic.* vbi notauit *Bar. num.* 10. sed si alias faciendæ erant vtiles debent existimari, vt ibidem tenet, prout in reuenali, idem *Bart. in l. voluptaria ff. de imp. in reb. dot. fact.*

Si mandatur alicui, vt depingat domum, non posse talem alij committere picturam, tenet *Bald. in l. vnic. §. Ne autem num. 6. C. de cad. toll. per tex.* ibidem vbi omnino de materia, quando eligitur industria propriæ personæ, & de alijs actibus, qui per alterum possunt, & non possunt adimpleri.

Pictores, qui depingunt, vel miniant de adulterinis coloribus, quod teneantur ad interesse, inquit *Bart in l. 2. num. 1. C. de murilegul. lib. 10. & addit.* Item tenentur crimine stellionatus *per tex. in l. 3. §. sed & si quis ibi. vel corruperit ff. de crim. stell.*

Pietas.

PRoprie loquendo inter consanguineos est, ita dicit *glos 1. in reg. Non est 19. de reg. iur. lib. 6. & probat tex. in l. ex duobus 28. § Titium ff de negot. gest.* ibi. si pietatis respectu sororis aluit filiam: actionem contra eam non habere, vbi *not. glos.* quod ex personarum qualitate, & sumptibus factis præsumitur pietas, facit *l. 1. ibi munere pietatis C. eod. tit. vbi glos.* sic. Aliquando vocatur pietas, vt inter patrem, & filium &c. & paulo infra sic. Vel dic munere pietatis idest officio illo, quod est pietas: quæ causa facit, vt etiam si vtiliter gestum sit, nihil possit petere: quia videtur naturale debitum soluisse, sed non est semper verum, quod videatur mater donare quicquid impendit, sed hoc perpenditur ex qualitate, & quantitate impensarum, & ex facultatibus matris, & filiorum &c.

Pietas autem, vt dicit *Cice. lib. art. veter.* est per quam sanguine coniunctis patriæque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus, quid igitur a pietate alienius, quam liberos proprios, hoc est sua ipsius velut viscera negligere? & idem de filijs, circa parentes dicendum est.

Pietas enim parentibus, & si inæqualis eorum potestas, æqualis debetur, vt inquit *l. furiosa 4. ff. de curat. fur.* Quod etiam de patre naturali intelligitur iuxta *l. vxorem 39. §. Codicillis in fin. ff. de legat. 3.* ibi Ad patrem naturalem pietatis intuitu pertinere, *vbi glos. verbo pietatis* sic. Cuius intuitu non nunquam a iure communi receditur, nedum a proprietate verborum.

Hæc pietas inter patrem, & filium gemina vocatur *in l. 3. §. si eum ff de lib. hom. exhib.* ibi. Pietas enim gemina efficit sine dolo malo retineri: vocatur autem gemina: quia vna pietas est communis omnium hominum, quæ proprie vocatur officium, vt alibi diximus, alia pietas est singularis scilicet inter patrem, & filium, & hæc gemina dicitur, quia homo, & quia pater, vt optime notauit ibidem *glos. Verbo gemina*, & hæc etiam in militibus in parentes constare debet, vt probauimus verbo *miles*.

Plerunque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit in casu notatu digno, dicit *l Nec in ea 22. ff. ad l. Iul de adulter. & in alio l. Propter insidias 14. C. de ijs, qui accus. non poss.* ita. Si pietas, & ratio naturalis animi tui non reuocat intentionem.

Pietatis officium non debet exerceri, quasi mercimonium, inquit *l. 3. C. de infant. exposit.* ibi. Ne videantur, quasi mercimonio contracto, ita pietatis officiũ gerere.

Non posse auiam alimenta, quæ pietate cogente de suo præstitisset, repetere; ait *l. Nesennius 36. ff. de negot. gest. vbi glos. verbo pietate* dicit sic, quæ pietas præsumitur, *vt C. eod. l. alimenta. vide in casu glos. Verbo repetere in l 7. ff. de calumniat.* vbi etiam pietate cogente repetuntur,

Et minuere etiam quartam, pietatis ratione, dicitur *in Auth. de restitut. post med. vbi* de redemptione captiuorum; pijssima namque reputatur a iure, hæc causa *in Auth. vt cum de appellat. cognosc. § si vnum de prædictis coll.* 8. ibi, & nullis alijs causis, quam in captiuorum redemptionibus expendantur, vt vnde illi a suis non sunt redempti, aliorum redemptio procuretur, & ipsorum quoq; animæ ex hac causa pijssima subleuentur,

Repentini casus iniquitas per coniecturã maternæ pietatis emendanda est, iuxta *l. 3. vbi tex.* optimus ad sustinendum testamentum *C. de inoffic. testa.*

Pietatis officium est accusare necem defuncti, cuius bona ad eum perueniunt, iuxta *l. 1. C. de ijs, quib. vt indig* ibi. Debitum officium pietatis, & pietatis ratione mulier admittitur ad accusandum, vt dictum est verbo mulier. Illa digniora sunt imitatione, quæ sunt excellentiora pietate, dicit *glos. 1 in reg. In pœnis 49. de reg. iu. lib. 6. per tex. in cap. vlt. 9. dist.*

Pietas decet principem, per quam sola Dei seruatur imitatio, ita *glos. verbo innata pietatis in cap. 1. de pac. Constan.*

Attendendum maxime est ne sub specie pietatis impietas dissimuletur, vt dicit *Trident. Concil. sess 5. de reformat. cap. 1. de reformat. iuxta fin.*

Pignus.

Constituitur per hæc verba mutua mihi decem super hoc libro, vt deducunt *doct. per tex. ibi fænerari suuenças in l. Codicillis 91. §. Instituto ff de legat. 2. Bart in l. fundus quem ff. de ann. legat.* Appellatum vero est a pugno; quia res, quæ pignori dantur manu traduntur. Vnde etiam videri potest vnum esse, quod quidam putant, pignus propriæ rei mobilis constitui, ita *Caius in l. Plebs 237. ff. de verb. sig. vnde dicit Imp. in §. Item Seruiana de act. in Inst. hac.* Inter pignus autem & hypothecam, quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interest. Nam de qua re inter creditorem, & debitorem conuenerit, vt sit pro debito obligata, vtraque hac appellatione cõtinetur. Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit, ad eam, quæ sine traditione nuda conuentione tenetur proprie hypotecæ appellatione contineri dicimus, quod deduxit *ab Vlpiano in l. si rem 9. §. 1. vers. Proprie pignus* dicimus, quod ad creditorem transit; hypothecam autem cum non transit possessio ad creditorem, *ff de pig. act.* & si icẽ *Vlpian.* dicat *in l. 1. eod. tit.* Pignus cõtrahitur non solum traditione, sed etiã nuda conuentione, & si traditum non est intelligas improprie loqui, vt ibidem notauit *glos.* 1. Nam proprie certum est, quod pignoris appellatione non venit hypotheca, vt dicit *Apostill. in d. §. 1. vbi etiam Bart. & respondet ad l. Res hypothecæ ff. de pignor*, dum dicit inter pignus, & hypothecam tantum nominis sonum differre, quæ intelligitur quantum ad actionem hypothecariam, quod clare patet *ex d. §. Item Seruiana.*

Pro quacunque obligatione etiam si futura, vel præterita, aut conditionali pignus posse constitui, inquit *Martian. in d. l. Res hypothecæ ff. de pignor. & ibidem Bart.*

Est autem pignus, vel conuentionale, vel prætorium; differunt tamen in multis, quæ

quæ ponit *glos. verbo traditum in l. 1. ff. de pignor. act.* quam per te videas.

Si nuda proprietas pignori data sit, vsus fructus, qui postea accreuit pignori cedit, eadem causa est alluuionis, sic dicit *Paul. in l. si conuenerit* 18. *§. si nuda ff. de pig. act. vbi summat Bart.* Quod accedit pignori pignus est.

Obligatio pignoris consensu, & contrahitur, & dissoluitur, ita *l. 2. C de remiss. pig.* sine enim consensu domini, nec procurator poterit obligare pignus, nisi ei expresse concessum fuit iuxta *l. solutum* 21. *§. vlt. ff. de pig. act.* ibi. Quod in procuratore ita procedit si ei mandatũ fuerit pignori dare. Vel vniuersorum bonorum administratio ei permissa sit ab eo, qui sub pignoribus solebat mutuas pecunias accipere, inquit *l. 12. eod. tit.*

Adhuc etiam, nec filius fam. sine patris cõsensu poterit in pignus dare quamuis sit pro dote filiæ, est tex. optimus *in leg. sed Iulianus 9. §. sed si ff. ad Maced.* inquit enim sed si filius fam. patre suo relegato, vel longo tempore absente, dotem pro filia promiserit, & rem patris pignori dederit senatuscons. quidem cessabit: patris tamen res non tenebitur. Plane si hæres patri extiterit filius fam & pignus prosequatur, exceptione doli summouebitur: Quod si ratum habuerit pater, pignus valebit iuxta *l. Aliena res* 20. *ff. de pig. act.* sed intelliges talem ratificationem habere locum quando tunc cum fit, res ipsa pignori data inueniatur apud dominum ratificantem, vt in *l. Qui balneum 9. §. vlt. ff. qui potior in pig.* ibi. Tunc enim priore dimisso, sequentis pignus confirmatur, cum res in bonis debitoris inueniatur, vbi *sic summat Bar.* Pignus super re aliena contractum non potest cõfirmari si tempore quo causa confirmationis euenit, res in bonis debitoris nõ inueniatur, & in fortiori casu lege tex. famosũ *in l. 4. ff. qui potior in pig.* vbi sic Paul. Titius cum mutuam pecuniam accipere vellet à Mænio, cauit ei, & quasdam res hypothecæ nomine dare destinauit: deinde postquam ex his rebus quasdam vendidisset, accepit pecuniam. Quæsitum est an, & prius res venditæ creditori tenerentur? Respondi cum in potestate fuerit debitoris post cautionem interpositam, pecuniam non accipere: eo tempore pignoris obligationem contractam videri, quo pecunia numerata est, & ideo inspiciendum, quas res in bonis debitor numeratæ pecuniæ tempore habuerit.

Non plus habere creditor potest, quam habebat, qui pignus dedit, ita ait *l. 3. in fin. ff. de pignor. & glos. pen. in cap. Cum contra 6. eod. tit.* ibi. Non enim potuit in plus obligare pignus, quam ei fuerit obligatum.

Semper plus valere debet pignus, quam sit debitum, vt dicit *glos. Verbo secundum mensuram in Auth. de exbibend. re §. vlt. coll. 5.*

Pignoris obligatio continetur sub alienationis appellatione, dicis verbo Alienatio. Plus iuris constituitur creditori per speciale pignus, quam per generale, cum mancipia generaliter obligata manumittamus, non si specialiter, ita *glos. in Auth. de non alienan. §. Nos igitur verbo tradere coll. 2.* Nec in generali obligatione venit, id quod nemo cõpos obligaret habes verbo obligatio.

Si pluribus res pignori detur æqualis omnium causa est, ita inquit supracitata *l. Alina res 20. §. 1. ff de pig act.*

Causa pignoris indiuisa dicitur, vt probat *l. Hæreditariam 65. ff. de euict.* ibi. Propter indiuisam pignoris causam; *& l. 1. C. si vnus ex plur. hæred.* ibi Multis relictis hæredibus, actionem quidẽ personalem inter eos *ex l. 12. tab.* diuidi: pignus vero in solidum vnicuique teneri: coniuncta *l. 2. eod. tit.*

Pignus datum pro vno debito, potest pro alio retineri, vt clare probat *l. 2. C. de*

fideiussor. ibi. sed cum in alia quoque causa eadem pignora, vel hypothecas habet obligatas non prius compellendus est transferre pignora, quam omne debitum exoluatur. & idem dicit *Bald. in Summ. l. 1. C. etiã ob Chirograph.* ibi, & pignus datum ob vnum debitum potest etiam pro alio chirograghario retineri: vide eundem *Bald. in lect super eod. tex.* qui videtur ponere contrariam conclusionem scilicet, quod non posit retineri pro alio debito, & facit *l. Pignoribus 22. C. de vsur.* concludit etiam, quod inquit *l. solutum 11. §. solutam ff. de pignor. act.* ibi. Plane in eam dumtaxat summam inuecta mea, & illata tenebuntur, in qua cænaculum conduxi.

Si colonus conuenerit, vt inducta infundum, illata, ibi nata pignori essent: & antequam inducat, alij rem hypothecæ nomine obligauerit, tunc deinde eam in fundum induxerit; potior erit, quia specialiter pure accepit: quia non ex conuentione priori obligatur, sed ex eo quod inducta res est; quod posterius factum est, ita inquit *Caius in l. Potior 11. §. si colonus ff. qui potior.* è contrario erit, si res specialiter fuisset obligata, vt in casu dicit *Aphrican. in l. 9 eod. tit.* in hæc verba. Qui balneum ex calendis proximis conduxerat pactus erat, vt homo Eros pignori locatori esset, donec mercedes soluerentur. Idem ante Calendas Iulias eundem Erotem alij ob pecuniam creditam pignori dedit, Consultus an aduersus hunc creditorem petentem Erotem, locatorem prætor tueri deberet? respondi debere: licet enim eo tempore homo pignori datus esset, quo non dum quicquam pro conductione deberetur: quoniam tamen tunc in ea causa Eros esse cœpisset, vt inuito locatore ius pignoris solui non posset potiorem eius causam habendam.

In reconductione pignus durat, sed hoc ita verum est si non alius pro eo in conductione priore res obligauerat: huius enim nouus consensus erit necessarius, sic disponitur *in l. Item quæritur 14. §. Qui impleto ff. locat.*

Pignus durare dum non soluitur debitum, etiam si creditor habeat contra debitorem sententiam dicitur *in l. Græce §. etiam ff. de pig* Quia (inquit) suas conditiones habet hypothecaria. id est, si soluta est pecunia, aut satisfactum, quibus cessantibus tenet &c. Nec enim per hoc videtur satisfactum creditori, quod habet iudicati actionem, sed magis notabile est, quod ait *l. 2. C. de luit. pig.* ibi. Intelligere debes vincula pignoris durare, personali actione submota; quod notauit ibidem *glos. vlt.* ad limitationem *reg. Cum principalis lib. 6.* tradit etiam *glos. verbo ipse in l si hæres 73 ff. ad Trebell.* ibi Quandoque restat pignus principali sublata.

Sed & durare vsucapione non obstante, dicit *l. 1. §. 2 ff. de pign.* in hæc expressa verba. Pignoris etenim causam, nec vsucapione perimi placuit: Quoniam quæstio pignoris ab intentione dominij separatur. Verum glos. ibidem verbo vsucapione sic declarat, & limitat, Triennij: secus in decennio, vicennio, vel tricennio per iura, quæ adducit.

Creditor Chirographarius habens fideiussorem non potest pignus retinere contra eiusdem fideiussoris voluntatem, licet contra voluntatem debitoris posit, vt probat *glos Verbo obligatus in l. ordo C. de except. rei iud.* Quando vero posit recuperare pignoris possessionem, aeijciatur, & sit per tor, vide verbo mendacium.

Quod dicitur, creditorem probare debere, cum conueniebat, rem in bonis debitoris fuisse, ad eam conuentionem pertinet, quæ specialiter facta est, non ad illam, quę quotidie solet cautionibus inseri, vt specialiter rebus hypothecæ nomine datis, cætera etiam bona, quæ nunc habet, & quæ postea acquisierit, sic

sic disponit *l. & qua 15. §. 1. ff. de pign.* Ad hec propositum affero tex. notabilem *in l. Cum res C. si alien. res pig. coniuncta glos. Verbo pignoratitia* dum istam actionem concedit pro re, quę nō erat tempore debiti contracti in bonis debitoris, sed postea fuit: & est difficilis, quia vt agatur pignoratitiæ, debet probari rem illam fuisse in bonis debitoris tempore obligationis, & difficultatem istam non sat bene resoluit: bene verum est, quod de rigore iuris, non cōpetit dicta actio, & ideo tex. dicit, sed tamen æquitatem facere, vt facile vtilis persecutio exemplo pignoratitia detur, expedit enim, pignori potius incūbere, quam in personam agere, vt *in §. furti autem actio de oblig. qua ex delict. in Instit.*

In pignore venit dolus, & culpa iuxt *l. si cum 13. §. vnic. ff de pig. act.* sed hoc intelligas in conuentionali, nam in prætorio pignore solum venire dolum, dicitur *in l. Prator ait. 9. §. 2. ff. de bon. auth. iud.* ibi. Eritq; melior eius conditio, quam in pignore creditoris, qui non tantum dolum malum, verum culpam quoque debet.

Deoitor, qui alij rem obligatam dedit in pignus, creditori non solum pignoratitia contraria tenetur, sed etiam crimen stellionatus committit, vt *in l. Tutor 16. §. 1. ff. de pig. act.* A crimine tamen excusabit eum ignorantia, non autem pignoratitia, vt ibidem dicitur.

Qui tenetur ad satisdandum, vel fideiussorem dandum an satisfaciat dato pignore? dixit quod sic, super verbo *fideiussor, & glos. in l. In eo 111. vers. Nemo ff. de reg. iu.* ita dicit sed an volens dare pignora auditur? Videtur quod sic: quia est æquipollens &c. contra quod non, &c. nam periculum est in custodia pignorum.

Ius reluendi pignus a debitore, est facultatiuum, & non præscribitur. Vide verbo *debitor*.

Licet restitutio instrumentorum sit sigr ũ renunciationis, secus est si restituatur pignus, *vt per glos. vlt. in cap. 2. de consuetud.*

Superuacuum est credere agrum specialiter hypotecæ datum permissu creditoris venisse si ipse debitor rem possideat, ità *l. sicut 8. §. superuacuum ff. quib. mod. pig. vel hypoth. solu.* Non videtur autem concessisse creditor, & si sciente eo debitor rem vendiderit, cū ideo passus est venire, quod sciebat vbiq; pignus sibi durare, sed si subscripserit fortè in tabulis emptionis concessisse videtur, addit *d. l. sicut in §. Non videtur.* Quia confirmauit subscribendo, inquit *glos. verbo eum in l. Titius §. 1. eod. tit.* Quod intellige si res cum effectu vendita fuerit ixta *d. l. sicut §. si voluntate creditoris* fundus alienatus est, &c. si tamen effectus sit secutus venditionis; Nam si non venierit, non est satis ad repellendum creditorem, quod voluerit venire. Sed si distraxit, & postea iterum ad ipsum debitorem perueniat res illa distracta, non renascitur hypotecaria semel extincta, inquit *tex l. vlt. C. de remiss. pig. glos. pen. in cap. Quamuis 8. de rescript. lib. 6.*

Pignus conuentionale venditur post biennium, vt inquit *glos. verbo statutum spatium in l. vlt. C. de execut. rei iud.* ibi. Per biennium, vt in conuentionali pignore: prætorium vero post quatuor menses. Creditor autem vendens ad quæ teneatur? dicis verbo *creditor* Nisi aliud conuentum fuerit inter eum, & debitorem: quia tunc id obseruabitur, vt *in l. 3. C. de iur. dom. impetr.* ibi. Siquidem in pactione cautum est quemadmodum debet pignus distrahi, siue in tempore, siue in alijs conuentionibus, ea obseruari de quibus inter creditorem, & debitorem conuentum est, quæ lex etiam adducitur ad hoc quod omne pactum in pigno-

gnoribus licitum est, si expresse lege non prohibeatur, de quo vide *Bald. in l. ordo C. de except. rei iud.*

Nisi vniuersum, quod debetur, offeratur, iure pignus creditor vendi potest. ita disponit *l. haeredes 26. §. Quod pro emptore in fin. ff. fam. hercisc.* quod intellige ipso creditore volente, nam si nolit, cogi non poterit iuxta tex. *in l. 6. ff. de pignor. act.* in hæc verba. Quamuis conuenerit, vt fundum pignoratum vendere tibi liceret: nihilo magis tamen cogendus es vēdere, &c. quia tua causa id caueatur &c. Inuitum enim creditorem cogi vendere satis inhumanum est.

Creditor vendens rem maximam pignori datam, cum posset alteram vendere viliorem non bona fide facit, vt notas verbo *Creditor*.

Poterit pignoris venditio impediri per oblationem debiti, habes verbo *debitor*.

Pignus mulieris dantis pro alio non potest distrahi, nisi quando ipsa circunscribit. Vide verbo *Mulier*.

Emptio pignoris facta ab ipso creditore, vel per se, vel interpositam personam non mutat, pignoris ius, sed in eadem causa manet supra iam probatum est verbo *Creditor*.

Quicquid ex venditione pignorum recipietur; primum vsuris, quas iam tunc deberi constat: deinde siquid superest sorti accepto ferendum est. Nec audiendus est debitor, &c. eligat quo nomine exonerari pignus suum malit. ita disponit *l. Cum & sortis 35. ff. de pign. act.* quod limitabis, quando debitor soluit iuxta iura, quæ ibidem glo.

Si iure creditor vēdiderit de inde pignora fuerint euicta, nec tenetur, nec ad pretium restituendum ex empto actione creditor. ità *l. ex empto §. Deniq; ff. de euict.*

Plebs, & Populus.

ILla est cæteri ciues sine Senatoribus *l. Plebs 273. ff. de verbo. sig. iste* verò omnes significat, vt *in §. Plebescitum de iur. nat. in Instit.* ibi. Plebs autem a populo eo differt, quo species a genere.

Nam appellatione populi vniuersi ciues significantur, connumeratis etiam patricijs, & Senatoribus. Plebis autem appellatione sine patricijs, & Senatoribus, cæteri ciues significantur, *glos. verbo nullatenus in cap. post electionē 7.* ibi. sic nomine populi continentur senatores *de conceß. preb. & in cap. sedes 15. verbo maiores*. Nam nomine populi continentur etiam Senatores: plebis autem appellatione sine patricijs, & senatoribus, cæteri ciues significantur, *de rescript.* Diffinitur populus ab *August. lib. 1. de Ciuit. Dei*, quod sit cetus iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus. Iste talis poterit ius condere quod proprie ius ciuile vocatur *in l. omnes populi 9. ff. de iust. & iu. & in §. Ius autem ciuile de iu. nat. in Inst. & in §. lex est eod. tit. Plebs.* etiam poterat ius plebescitum constituere *in d. §. Plebescitum* quod intelligitur nunc in populo habente iurisdictionem, non vero in recognoscente Superiorem: populus enim in regem omnem potestatem, & imperium contulit, vt *in §. sed & quod principi placuit eod. tit. de iu nat. l. 1. ff. de constit. princip. & l. 2. §. Nouissime ff. de orig. iu.*

Itaque populus pendet ab vna re, nutu, videlicet principis, & vni homini seruit, & princeps pendet a brachijs, & viribus populi, vt latius habes verbo Rex *ex Bellarmin. de ætern. felicit. lib. 1. capit. 5.* Sed quid efficiet nutus principis in ciuitate capienda, vel defendenda, si populus nequeat, aut nolit manus con-

conferere? vt ibidem per eum. Virtus legislatoris est meliora considerare, & his, qui vsuri sunt legibus, quas potuerit satisfacere, quia rectæ sunt. Populi vero est, vt in omnibus, quæ constituta sunt perduret, & neque felicitate procedente, neq; calamitatibus aliquid horum immutet, ita *Ioseph. lib.2. cont. Apion. fol. mihi 851. num.40.*

Vanæ voces populi non sunt audiendæ, nec enim vocibus eorum credi oportet, quando noxium crimine absolui, aut innocentem condemnari desiderant. l. Decurionum 12. *C. de pœn.* Quia populus sequendus non est, sed docendus, inquit *glo. verbo populi in cap.2. de elect.* facit etiam *cap si ergo* 8. *quæst.*1. ibi. Ex plebe, quæ sæpe clamoribus, aut gratia aut pretio fortasse excitata, moueri solet, vbi etiam hæc. Nulla hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio nulla propinquitatis contemplatio est. Propinquis agrorum, & prædiorum relinquatur hæreditas; gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegit.

Multa iactare solet multitudo quoties in aliqua felicitate constituta contra autorum aduersarios irritatur, sic dixit *Ioseph de antiquita. lib.6. cap.6. fol. mihi 146. ante num.*10.

Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus, admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, & indoctam concionem, linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur, ait *Hieronym. in Epist. ad Nepotian.*

Licet alicui in secreto, quod non licet in publico; & hoc ideo est ne decipiatur populus, vt dicit *glos. in cap.3. per tex.* ibi. secreto poteris *de Cler. pereg.*

Populus per decem homines constituitur, vt probas verbo *homo*.

Pluralitas.

VBi hæc, ibi discordia, dicit *glos. verbo super vnum in capi. Loquitur 24. quæst.*1. Hæc quia Canonibus inimica; ideo odiosa, & restringenda *glos. Verbo plures in cap.3. de offic. ord. lib.6.* loquens de beneficiorum pluralitate, de qua *cap. Is cui 19. de præb lib.* sic. Huiusmodi pluralitas debet solum ad duo beneficia sine cura restringi, *vbi glosa Verbo sine cura*, ait ita. Nota quod pluralis loquutio non est vaga, imo potius arcta, & restringenda; sit ergo contenta duorum numero. Pluralitas namque in duobus verificatur ad vulgarem *l. vbi numerus ff de testib. notat per tex.* ibi *Bart. in l. si gemina ff. arb. furt. cas.* aliquando etiam in tribus, vel quatuor *l. Cogi 16. §. Idem Metianus ff. ad Trebell. vide glos. & Bald. in l. & si post tres ff. si quis caut. glos in Auth. de trien. & sem. §. & quod sæpe Verbo filiorum collat.*3.

Pro plurali singularis numerus ponitur, vt probat *glos. Verbo, & legatarÿs in l. Pater filium 36. §. filiam ff. de legat.3. & in l.3. ff. de negot. gest. verbo negotia.* ibi. Quod pluralis sermo reducitur ad singularem, *& glosa pen. in l. Qui cum 9. §. vlt. ff. de transact.* ibi vt sit alleotheca numerus singularis pro plurali, sic *infr. de petit. hæred. l. Diuus §. fin. & in summ. l. falsa §. vlt. ff. de cond & dem.* sic. vna pluralitas germinat plures singularitates, & tex. ait. Nam hunc sermonem, licet pluralis sit, pro eo oportet accipi atque si separatim dixisset, Stichum si meus erit, cum moriar. Pamphilum, si meus erit, cum moriar. Nota tamen, quod pluralis loquutio semper infert suas singularitates, vt dicit *glos. Vlt. in cap. vt priuilegia 24. de priuileg. per tex. ibi ad fin.* Quia licet pluraliter dictum sit, quod in eorum iu-

cun-

cundo aduentu Ecclesiæ aperiantur, nō tamen ad Ecclesias eiusdem loci diuisim, sed prædictorum locorum coniunctim sane referendum est intellectu.

Quādoq; sumitur pluralis numerus, & verificatur in vno, *vt in l. 3. §. Negotia* sic accipe, siu vnum, siue plura *ff. de negot. gest. glos. verbo Deinde in l. Gallus §. Quid si ibi* illis viuis scilicet illo patre viuo *ff. de lib. & posth.* vbi notat etiam *Bald.* sic etiam intelligenda est *l. Diuus in fin.* ibi. & res tempore perituras permittere debet prætor distrahere, idem esse in vna re peritura. Quod & in pœnis intelligendum probat *l. 2. §. Dolo autem malo*, ibi sed & si homo vnus coactus sit adhuc dicemus coactos homines esse *ff. vi bon. rapt. & Bart.* adhuc etiam si leges dicant pro indicijs, quem esse torquendum vnum, satis esse; dicit *glos. verbo conuictus* ibi per vnum testē, vel per aliud indicium *in l. 3. ff. ad l. Iul. maiest* vbi etiam notat *Bart. num. 2. dicens* secundo nota, quod licet communiter omnes leges loquantur in plurali, & dicant præcedentibus indicijs, tamē sufficit vnum bonum indicium.

Per plures dicitur citius expediri negotium *in l. Decurio 41. C. de decurion libr. 10. coniuncta glos.* ibi. Quæ per plures expeditur citius, & tex. ibi ordinationem, quæ per plurimos cito definiri solet. Contrarium tamen probatur *ex l. 3. §. Quamuis ad fin. ff. de admin. tut.* ibi. Apparet igitur prætori curæ fuisse ne tutela per plures administretur &c. Sane enim facilius vnus tutor, & actiones exercet, & excipit, ne per multos tutela spargatur, *vbi glos. verbo facilius*, alia iura allegat, affertq; istum versum.

Segnius expediunt commissa negotia plures.

idem cōprobat *glos. 1. in §. sed si ex test. de satisd. tut. in Inst.* ibi ne deterius negotia per plures exerceantur. Vnde lamentabatur quidam moribundus dicens multitudo medicorum me interemit, vt dictum fuit verbo multitudo.

Plus.

DE modico intelligitur iuxta *l. 192. ff. de verb. sign.* vbi inquit ita Paul. Hæc adiectio plurisue, non infinitam pecuniam continet, sed modicam dumtaxat. Adiectio hæc solidorum decem plurisue admodusculam summam refertur *vbi glos. verbo modicam* sic. Id est duos aureos, *vt sup. de dol. l. Idem* secundum quosdam: alij vsque ad quartam eius, quod principaliter dicitur, id est de quo agitur &c.

Et in l. Cum filius 78. §. Pater cum filia arbitrio boni viri relinquitur plus. Peto (inquit tex.) cum morieris licet alios quoq; filios susceperis Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem nominis mei, necessitas quidem restituendi nepotibus viriles partes, præcedere videbatur: sed moderandæ portionis, quam maiorem in vnius nepotis personam conferri voluit, arbitrium filiæ datur, & ibidem notat *Bart. num. 2.* dicens secundo nota, quod si testator dicat alicui plus dandum: nec ponit verba, quæ sapiant liberam voluntatem, vel arbitrium boni viri: videtur in dubio intelligere de arbitrio boni viri, vt hic in tex. Dicit enim hic, plus tribuas, nec dixit quantum volueris, vel quantum putaueris, vel quantum arbitratus fueris, vel aliquid simile, & tamen refertur ad arbitrium boni viri, vt patet ex text. qui dicit arbitrium filiæ datur, quod est notandum, & ad fin. addit, quod in teste illa verba, vel plus nil releuant, quia iudicem incertum reddunt, & allegat *l. Cum furti ff. de in lit. iur.* Non solum autem in quantitate, sed etiam in tempore minus, aut plus in-

intelligitur. Plus est enim statim aliquid dare; minus est post tempus dare, ita dixit *Imperator in §. Fideiussores in fin. de fideiussor. in Inst. & in § Plus autem de act.* dicit quatuor modis, plus peti posse: tẽpore, loco, & causa, de quibus sigillatim exemplum ponit sic, Re, veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur viginti petierit &c. Tempore, veluti si quis ante diem, vel ante conditionem petierit. Qua enim ratione, qui tardius soluit, quam soluere deberet, minus soluere intelligitur: eadem ratione, qui præmature petit plus petere videtur. Loco, plus petitur veluti cum quis certo loco sibi dari stipulatus est, alio loco petit sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus est &c. *& in §. sequenti.* Is qui causa plus petit, vt ecce si quis ita a te stipuletur hominem stichum, aut decem aureos dare spondes? Deinde alterum petat veluti hominem tantum, aut decem aureos tantum &c.

Pœna.

GEnerale nomen est, & omnium delictorum coerctio; mulcta specialis peccati cuius animaduersio hodie pecuniaria est. Pœna autem non tantum pecuniaria verum, & capitis, & existimationis irrogari solet, & mulcta quidem ex arbitrio eius, qui mulctam dicit; pœna non irrogatur nisi, quæ quacunque lege, vel quo alio iure specialiter huic delicto imposita est, ita *Vlpian. in l. Aliud est fraus 131. ff. de verbo signif.* Alia dicitur pœna conuentionalis, quæ ex stipulationibus, seu alijs contractibus nascitur per pacta inter contrahentes gesta, vel etiam in iudicijs.

Pœna autem primo modo sumpta definitur per eundem *Vlpian sup.* quod sit noxæ vindicta, quæ sine fraude esse non potest, licet fraus sine pœna esse posit; fraus vero ipsa noxa dicitur, & quasi pœnæ quædam præparatio, & per *Augustin. lib. de pæn. relatum in cap. Pænitentia est de pænit. dist.* 3. sic. Pœna proprie dicitur læsio, quæ punit vindicans, quod quisque commisit. Ille pœnam tenet, qui semper vindicat, quod commisisse dolet. Ibi igitur pœnam esse, vbi noxia est, inquit *l. Sancimus 22. C. de pæn.*

Imponitur vero pœna, vt eius genere deterreri cæteri posint, ait *l Quoniam C. ad l. flau. de plagiar. & in l. 1. C. ad l. Iul. repet.* ibi. Vt vnius pœna metus posit esse multorum, *& in cap. 1. de maledic.* ibi. vt pœna illius, alijs terrorem incutiat: expedit enim timeri furti, vel iniurarum pœnam inquit *l. si vnus §. pacta, quæ contra ff. de pact.* Vt quos diuinus timor à malo non reuocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato, dicit *Pontif. in cap. vt clericorum 13. de vit. & honest. cler. & ibidem glos. Verbo pœna*, sic. Simile dicit lex, quos ad vitę decora domesticę laudis exempla non reuocant correctionis saltem medecina compellat, *& in Extrauag. vnic. de pæn.* ibi. Dignum etenim est, vt quos timor Dei nõ reuocat a malo, pęnarum moles in eos exagerata compescat, & in cap. eum qui 18 *de præb. lib. 6.* ibi. & si non virtutis amore, pœnæ saltem formidine a sua temeritatis audacia reuocentur, & vt doceat delinquentes, *vt in cap. Nisi 3. de offic. legat.* ibi. Pœna docente cognosceres quãtum excesseris, *vbi glos. verbo pæna*, sic ait. Quia qui stultus est in culpa sapiens fit in pœna. Non enim maior datur stultitia, quam crimen committere iuxta illud *Propb. psalm.* Ad nihilum redactus sum, & nesciui *& 2. reg. 13. 12.* ibi. Noli facere stultitiam hanc, & sæpe alibi.

Et si non imposuerimus pœnam, facilia

erunt ea, quę sunt malignitatis, inquit *Imper. in Auth vt ij, qui obliga. se hab. perbib. res min. §. 1. prope fin. vbi glosa verbo* facilia sic facilitas enim venię incentiuum tribuit delinquendi, vt dicit Canon, & e contra pæna imposita minuit maleficia. Vnde inter leges illa dicitur imperfecta, in qua nulli pęna de. mãtibus sancitur, vt refert *ex Io Andr. & Matrob. glos. verbo pæna in extrauag. vnic. de censib. int. com.*

Ad publicam, & priuatam vtilitatem imponi pænam, dicit *l. Locatio 9. §. Quod illicite ff. de public. & vectigal.* ibi. Amplius etiam extraordinem plectuntur. Alterum enim vtilitas priuatorum, alterum vigor publicæ disciplinæ postulat.

Causa in præteritum, pæna in futurum cõfertur, dicit *l. legatum 12. ff. de condit. & demonstr. & ibi glos. vlt.* sic. Iudicium autem confertur in præteritum non infuturum.

Contenti esse debemus pænis legibus contentis, inquit *l. sitta 19. ff. de verb. oblig.* & si fuerint plures, maiori debet esse iudex contentus, iuxta *cap. Quoniam frequenter §. In alijs. vt lit. non contest.* ibi. Ita videlicet, quod alter vtra pæna, quę magis timeri debeat iudex in principio sit contentus, ad aliam nihilominus processurus, si hoc meruerit proteruitas contumacis. Licet alias duplici pæna non debeat, quis grauari, *vt in l. Apud Celsum §. Labeo ff. de dol. except.* ibi. Iniquum enim esse, & hominem possidere, & pęnam exigere. Quid si diuersę sunt pænæ? quærit *glos. Verbo certa in cap. De causis §. vlt. de offic. legat.* & respondet minor imponatur &c. vel locus erit gratificationi &c. vel illam quæ magis timetur, & quod minor debet infligi, probat *l. si præses 32. ff. de pæn.* ibi. Sed si vtriusque legis crimina obiecta sint, mitior lex erit sequenda.

Et quamuis in eo casu iudex arbitrium habeat ad eligendam mitiorem pęnam, non poterit tamen eam mitigare, sed iuxta ipsam legem, pænam prædictam imponere, & si expresse non imponat, sed solum declaret reum contra legem deliquisse in pænam eius videtur condemnare, vt est *tex. in l. 1. ff. ad Turpillia*, ibi. Si autem pronunciauerit calumniatus es, condemnauit eũ, & quamuis nihil de pæna subiecerit, tamen legis potestas aduersùs eum exercebitur. Nam vt Papinianus respondit, facti quidem quæstio in arbitrio iudicantis est; pænę vero persequutio, non eius voluntati mandatur; sed legis authoritati reseruatur.

Quando vero a lege non fuerit imposita pæna, tunc arbitrio iudicis relinquitur, vt inquit *Apostill. ad l. 1. ff. de effractor.* sic, Nota & tene menti istum tex. dicit hic *Bart.* quod quando pæna non est limitata in iure remanet imponenda officio iudicis per tex. ibi. Idcirco causa cognita liberum erit arbitrium statuendi ei, qui cognoscit, & facit *l. Hodie ff. de pæn. & cap. De causis de offic. delega. & glos. Verbo puniendus in cap. 1. de rest. spol.* ibi pæna arbitraria, ex quo non statuitur hic certa pæna, & vbi est pæna in arbitrio iudicis potest suum arbitriũ extendere vsq; ad mortem, quod est verum attenta facti qualitate vt dicit *glo. verbo attenta facti qualitate in addit. in §. In summa de iniur in Inst.*

Aestimabit autem iudex omnino in prędictis causis, vt in cęteris ex personarum conditione, & rerum qualitate diligenter pęnam: nequid durius, aut remissius constituat, quam causa postulabit, vt dicit *l. Pædius 4. ad fin ff. de incend. ruin & ibidem glos. Verbo conditione*, sic. Conditionem personę inspici, vt plus minor, quam maior puniatur ex eodem delicto, *& in l. Sacrilegij 6. ff. ad l. Iul. peculat.* ibi debebit proconsul

sui pro ęqualitate personę proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel seuerius, vel clementius statuere, & ista personę qualitatis attenditur de tempore commissi *delicti iuxta l. 1. ff. de pæn.* ibi si eo tempore esset sententiam passus, cum deliquisset, & licet *glosa Verbo trium librarum in l. Properandum inferat ex tex. in §. sin autem vtraque C. de iudic.* ita. Maiori ergo pæna maiores afficiuntur: tamen *glosa* 1. ibidem intelligit, quando agitur de pæna pecuniaria, sed quando agitur de pæna corporali totum esse e contra, vt dictum est *in dict. l. Pedius coniuncta glosa verbo compelli in cap. sane* 11. *de offic. de legat.* ibi. & est notabile, quod defertur maioribus in pænis inferendis propter dignitatem, secundum ætatem etiam imponendæ sunt pænæ, aut mitiores, vt dic is verbo *ætas*.

Et si iudex fuerit in dubio, quam pænam infliget, mitiorem eliget, vt *per tex. in l. Interpretatione ff. de pæn.* ait *glos. verbo non erit in l. si furti §. vlt. ff. de ijs, qui not. infam.* ibi. Quia in dubijs pænæ potius molliendę sunt, quam exasperandæ. Et aliquando in totum remittet si viderit errore magis, quam malitia reum incurrisse, *vt in l. Quod adbibitus C. ad l. Cornel. de Sicar.* ibi. Pænam *l. Cornel.* tibi remitto, in quam credo te magis errore, quam malitia incidisse, in hoc tamen non erit facilis, cum non remitti pænam facile, publice intersit, ne ad maleficia temere quisquam prosiliat, *vt in l. si operis* 14. *C. de pæn.* cum alijs supra adductis, licet alias dicat *glos. Verbo specialis in capitul.* 3. *de offici. legat.* Quod iudex ratione amicitiæ potest remittere pænam, licet pretio non posset eam remittere.

Generaliter autem in prædictis terminis mihi videtur obseruandum, quod tradit *glos. vlt. per tex.* ibi semper in humaniorem partem declinando secundum, quod personas, & causas loca, & tempora esse videris *de transact.* dicens sic. In omnibus pænis inferendis considerantur ista quatuor Persona primo consideranda est, quæ sit, quia aliter proceditur, cum maioribus, quam cum minoribus &c. causa etiam consideranda est &c. locus consideratur in iudicijs, & tempus consideratur etiam, quia est tempus tacendi, & tempus loquendi &c. vnde versus.

Causa, locus, tempus, personaque perspiciatur.
In pænis dandis, vt eas iudex moderetur.

Et quando assuescit delictum pæna augeatur, dicit *glos. Verbo exempto per text. ibi in l. vlt. C. de comment. lib.* 12.

Augebitur etiam contra maiores, & in honoribus positos iuxta text. notabilem *in l. Presbyteri* 8. *C. de episcop. & cler.* ibi. Multo magis enim pæna digni sũt, quibus, quam plurimum honoris per nostram iussionem delatum est, si in occulto inueniatur crimen.

Pæna maior est versari inter homines, & ab eis solatium non sentire, *vt in l.* 3. *C. de apostat.* ibi. Quos etiam præciperemus procul abijci, ac longius mandari, nisi visum fuisset pænæ maioris versari inter homines, & hominum carere suffragijs, & ab ea deduxit *glos. verbo grauius in cap. Admonere* 33. *quæstion.* 2. ibi visum enim fuit maioris pænę conuersari inter homines, & hominum carere suffragijs, quam procul ab hominibus solatium hominum non sentire, idẽ fere per eadem verba *glos. verbo non minorem in Authen. Null. credent agricol. coll.* 4.

Si noxa fateri iubetur pecunia minus idoneus sit hoc est reus non habeat in bonis, leuius castigatur, ita disponitur *in l. Qui ades 9. ff. de incend. vbi glos. Verbo leuius*, sic suppletur corpore, quod pecunia deest, & licet text dicat leuius castigatur, non intelligas, quod leuior sit pęna corporalis pecuniaria: sed quod castigatio illa corporalis sit leuis, seu leuior respectu alterius pænæ corporalis.

Prima illa, & maxima peccantium est pæna, peccasse. Nec vllum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est, dixit *Senec. in Epist. 98.* Nam praua malorum acta, pæna condignos faciunt: vt alias dicis Verbo *mali*. Quibus omnibus pænis ipsi mali se subdunt iuxta *l. Imperatores 34. ff. de iur. fisc.* ibi Ipse te huic pænæ subdidisti.

In delicto æquali proximas ei imminere pænas iustum esse putamus, ait Imperator *in Authent. vt fratr. filij in fin. collat. 9.*

Pæna de sui natura perpetua est, ex quo tēpus non adijcitur, inquit *glos. verbo pænam in Clem. 1. de reb. Eccles.* Damnati autem ad tempus in exilium computāt illud tempus, quo fuerunt in carcere detenti post condemnationem, vt dictū est *sup. verbo carcer.* Pæna exilij perpetui minor est, ipso peccato notauit *gl. verbo minor*, sic dicens. Nota grauius esse peccare, quam ab inuito grauissimam pænam pati *per tex. in l. vlt. C. de spectac lib. 11.* ibi. Sed præscripti pænæ mancipentur exilij, metallis addicendi publicis, quæ pæna minor est, quam si præcepto lenonis cogatur quispiam coitionis sordes ferre, quas nolit.

Pæna damnati non debet in eius facie, seu fronte signari, sic summat *Bald. l. si quis 17. C. de pæn.* cuius verba sunt, minime in eius facie scribatur &c. quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis est cælestis, figurata minime maculetur.

Licet olim pęna damnationis in metallum in perpetuum, vel ad mortem seruus pænæ efficeretur reus: hodie nemo bene natus à principio ex supplicio fit seruus, vt inquit *Auth. sed hodie C. de donat. inter & licet ibi glos verbo ex supplicio* teneat, quod in pæna mortis non intelligatur Salicet. tamen ibidem in *Apost.* simpliciter intelligit dictum tex.

Licet pæna ad hæredem non transeat: attamen quod turpiter, vel scelere quæsitum est (vt rescriptum est) ad compendium hæredis non debet pertinere, ita inquit *l.* quod dicimus 16 *§. vlt. ff quod cert. loc.* Nec filijs ob demerita parentum debet pæna imponi, dicis verbo filius, nisi expresse ob immanitatem criminis imponatur a lege, & si in descendentes vsque ad secundam generationem extendat, de masculina tantum intelligi debet, *vt in Clem 1. de pæn* disponitur & ibi *glos. verbo masculinam*, dicit quod masculina intelligebatur, licet non fuisset appositū *ex tex. in cap. vbicunque eod. tit. de pæn. lib. 6.*

In pænalibus non fit extentio de similibus ad similia, quando pænæ imponuntur habito respectu ad priuilegium alicuius personæ etiam si ipsi casus essent separati, vt notat, & probat *glos. verbo in iudicium in addit. §. ex maleficijs de act. in Instit.*

Nec pæna tempore determinata contra sententiæ fidem vlterius porrigitur, ait *l. Imperator ff. de postulan.*

Eadem pæna afficitur, & is, qui cum prohibere tale quid posset non prohibuit, sic inquit *l. lege Cornelia 9 ff. ad l. Corn. de fals.* & in eodem loco pæna quis afficitur quo maleficia perpetrauit, vt supra verbo. Latro.

Illi datur pænæ petitio, qui in eam non incidit, ita dicit *glos. Verbo seruauerint in l. si quis maior 41. C. de transact.*

Nec in petitione pænarum auxilium proditum

ditum est, vt inquit, & probat *glos. verbo sustulerit in l. sepulchri 6. ff. de sepul. viola.*

Neq; immunitatem pœna tribuere debet. Ergo & si honoribus quis in pœnam fuerit prohibitus: poterit dici, nisi honores isti habuerint mistam muneris graue impensam, infamiã illi ad hoc non profuturam, ita disponit *l. Relegatorũ 7. §. vlt. ff. de interdict. & in l. seq.* sic. Sed honore quidem illum arceri puto, cæterum impendia debere præstare: idem *glos. Verbo alijs respondere in extrauag. vnic. de pæn. & in l. 3. §. 1. verbo lege ff. de legit. tut. & in l. si quis solidum 72. verbo legi ff. de hered. inst. & glos. verbo ad gratiam in cap. 2. de translat. episc.* ibi. Pœna enim non debet tribuere immunitatem &c. nec e conuerso gratia debet trahi ad pœnam. Nec quod decessione subsequitur, & statutum fuit ad pœnam, trahi debet ad gratiam, inquit dictum *cap. 2. vers.* sed neque illud. Nec pœna hæredis cui ablata est hæreditas, eo quod non vendicauit necem defuncti, præmium esse debet substituto eius, sed applicanda fisco, vt disponit *l. si sequens gradus 15. ff. ad Syllan.*

Nec etiam debet, quis pœnam, & præmiũ ex eodem facto habere, vt probat *glos. in l. si cui verbo Cum crimen ff. ex quib. cau maior. idem glos. in l. siue 23. ff. de negot. gest.* prout nec pœnam pati debet, vnde videtur præmium meruisse iuxta *cap. 2. de fideiussor. vbi glos.* sic similiter econuerso non debet præmium consequi vnde pęnam meretur.

Iudex qui habet purgare culpam, & illã in bonum pęnæ commutare, turpe lucrum a possessore extorquebit, & dabit pauperibus, vt dicit *glos. Verbo largiatur. per tex. ibi in extrau. 1. de sent. ex com. int. com.*

Non meretur, quis pœnam ex eo, quod inuitus patitur, vt dicit *cap. Ad eius ingred. 5. dist.* ibi. & pro hoc, quod inuita patitur, iniustum est, vt Ecclesię ingressu priuetur.

De alijs pœnis conuentionalibus nunc breuiter aliqua notemus, *& in l. In executione 85 §. Item si ita ff. de verb. sic* inquit Iurisconſ. Si fundus Titianus datus non erit, dari centum: nisi totus detur pœna committitur, *vbi glos. verbo prodest* sic. Nam hoc casu committitur pœna in solidum, & tamen in ea computandum est pretium solutæ partis *& gl. pen. in l. ex contractu 49. alias in l. Lucius 48. ff. de act. empt.* ibi. Item nota hic pœnam committi totam, & tamen pro parte erat satisfactum. Quod autem pœna in stipulatione deducta committatur absque interpellatione, dictum est verbo *Debitor.*

Ad hoc, vt possit pœna exigi, debet esse moderata, vel a leg. determinata iuxta *l. vnic. C. de sent. quæ pro eo* ibi. Cum sciamus esse naturæ congruum eos tantum modo pœnas exigi, quæ vel competenti moderamine proferuntur, vel a legibus certo fine conclusæ statuuntur, & iuxta hunc tex. intelligi debet, quod dicit *glos. verbo pœna in extrauag. 1. de cens. int. com.* ibi. Quia nec conuentionalis in foro Ecclesiastico exigi debet; alias modestiæ pontificalis obliuiscentur, qui in honestis quæstibus anhelando desiderant cum aliena iactura ditari, vbi affert eadem verba *d. l. vnic.* & ita declarauit *glos. vlt. in cap. Dilecti 4. de arbitr.* dicens. Sic etiam viri religiosi possunt petere pœnam conuentionalem &c. & ibi Dic quod pœnam a lege permissam petere possunt &c. nisi auaritiæ causa extorqueant &c. vel melius dicas, quod si pœna apponitur loco interesse, secundum hoc petere possunt pœnam, quanti sua interest &c. sed si pœna apponitur loco contumaciæ, tunc potest peti pœna, & res &c. si autem apponitur in fraudem vsurarum, peti non potest.

Ius iurandum rei illicitæ non esse seruandum,

dum vulgare est, & dicitur *in Authent. Quod eis C. de nupt.* vbi sic additur. Et pæna periurij si qua est in eum conuertenda est, qui exegit.

Rescisso forte pacto pæna ex stipulatu peti potest, ita dicit *l. Pacto 15. ff. de transact.* Si vero creditor accipiat pecuniam etiam remisisse pænam, videtur, vt inquit *l. vlt. ff. quod cert. loc.*

Potest crescere pæna per inficiationem, vbi nihil debetur, inquit *glos. verbo facta solutio in Auth. Contra qui propriã C. non num pecun.*

Si pæna promittitur pacto nudo non potest exigi nisi interfit, ita summat *Bart. l. seruus 7. ff. de seru. export.* vbi in fine Papinian. sic ait: enim vero pænæ non irrogatæ indignatio, solam duritiam continet.

Et sunt quidem hæ pænæ inciuiles inuitũ hominem iubere facere, quod facere non potest, dicit *l. Moris est 9. ff. de pan.*

Eligendi facultatem nõ esse pæna peremptam, ait *l. Cum pater 79. §. hæreditatem ff. de legat. 1.*

Pęnam non posse peti si per creditorem stetisset, quominus eam intra tempus præstitutum accipiat, inquit *l. pen. ff. de naut. fanor. & ibidem glos. vlt.* sic. Nota ergo, quod sola oblatio impedit, quod pæna committatur, vel maior vsura currere incipiat, sed si iam cucurrit, non sufficit oblatio.

Pæna dupli imposita illi, qui in potentiorem, litem transfert, parti, & non fisco applicatur, vt dictum est verbo Aduersarius.

Non defendentis, quæ pæna sit. Videas Verbo *Defendere*.

Poeta.

NVlla immunitatis prærogatiua iuuatur, inquit Imperator *l. 3. C. de profesſor. & med.* & in specie tutelæ *in §. Romæ de excusat. tut. in Inst.* sed quare? Nam si iuris professores, & cæteri, qui in dicto tit. de professor. numerantur immunes sunt, etiam poetæ eadem prærogatiua frui debebant, maxime quia eorum authoritas maxima est, & allegari potest ad decisionem causarum, *vt in l. In tantum 6. in fin.* ibi. sicut testis in ea re est Virgilius *ff. de re. diu. & in l. vlt. vbi glos ex Lucan.* affert versum fraterno primi maduerunt sanguine muri. & tradit *Ias in l. 1. num. 31. ff. si cert. pet. Felin. in c. Qualiter & quando il 2. not. 1. de accusat* sed hoc argumentum non procedit, cum talis poetarum authoritas reprobata fuerit *ab Impp. in l. sed diui fratres rescripserunt ff. eod. tit. de rer. diu.* erit ne causa, quia omnes poetę sunt pauperes? forsan, & tunc bene consonat illa ratio, alias posita *in l. Reddatur in fin. C. eod. tit. de profess.* ibi. Turpe enim est, vt patriæ functiones ferre non possit, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur. Non enim potest dari fortunæ vis maior, quam poetarum egestas inseparabilis consors, sed quicquid sit respectu iuris professorum, medicorum, & similium acquiesco. Verum non possum non egre ferre, quod *in l. Archiatros 8. C. de metat. lib. 12.* sint immunes ab hospitalitatis molestia pictores, & poetæ non, cum alias pari passu ambulent pictores, atque poetæ. Quod sane per quam durum est, sed ita lex scripta est.

Pænitentia.

DVplex est, aut enim est Dei pænitentia, aut hominis. De prima *Concil. Toletan.* sic ait *22. quæst. 4.* Incommutabilis Deus idemq; semper existens Deique summa natura, sæpe sua in sacris litteris legitur mutasse promissa, & pro misericordia temperasse sententiam. Vnde licet sit impassibilis atque incõ-

mutabilis: erebro tamen eius, & iuramenta leguntur, & pænitentia, quæ sacris extant misterijs ad operta: Iurare namque Dei est a se ipso ordinata nullatenus conuellere, pænitere vero, eadem ordinata cum voluerit immutare, sic enim *per Hierimiam* dicit Repente loquar aduersum gentem, & aduersum regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud, si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo: agam & ego pœnitentiam a malo, quod cogitaui, vt facerem eis.

Et *in capit. seq. loquens Aug.* de pœnitentia hominis, sic ait. Magnæ sapientiæ est reuocare hominem, quod male loquutus est. Hæc autem, aut est sacramentalis, aut qua homo pænitet se de aliquo actu, vel dicto, tam in iudicio, quam extra, tam in delicto, quam in contractu, vel quasi. Sacramentalis pœnitentia, secundum *Augustin. ad Macedonian. relatum in cap. Quamuis caute de pænit. dist.* 3. est vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse, & ibidem paulo supra dicit. Pęnitentia alia est incipientium, alia proficientiũ alia perfectorum, vbi etiam inuenies, qualis earum quęlibet sit, & intelligatur. Ex *Ambrosio autem relato in capit.* 2. *ead. dist.* Pęnitentia est, & mala prœterita plangere, & plangenda iterum non committere, & dictam esse, quasi pęnam semper tenere de commissis deducitur *ex capit. Reperiuntur ead. dist.* 3. ibi. Verum pręteriti semper nos debet pęnitere peccati. Secunda post naufragium tabula dicitur pœnitentia, qua culpam simpliciter confitemur, *vt ex Hieronym. refertur in cap. Secunda de pænitent. dist.* 1. c. Prima namque tabula est baptismus, vbi purgatur vetus homo, & induitur nouus 26. *distinct. & deinde* secunda vero tabula est pœnitẽtia, qua post baptismum resurgimus. Post baptismum enim lapsi per pœnitẽtiam reuocari valent, sed non per baptismum. Prima tabula est nauis, secunda tabula est scapha, qua in naufragio periculum vitatur, vt *ibidem dicit glos.* 1.

Iterum duplex est pęnitentia altera solemnis siue publica dicitur, vt *in capit. si quis post vers.* Potest & aliter intelligi, est quædam pænitentia, quæ solemnis appellatur, & in *in capit. In capite* ibi. Omnes pænitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pænitentiam 50. *dist.* Altera priuata de qua dicitur, quod Medicinæ misericordiæ tollit peccata magna habemus multa subsidia, quibus peccata nostra redidimus, pecuniam habes, redime peccatum tuum: non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua, vilis est pecunia, sed pretiosa est misericordia, vt per *Ambros. relatum in cap. Medicina de pænitent. dist.* 1. quod quidem intelligitur, quo ad partem satisfactoriam ad quam præcedere debet dolor de commissis, vt supra, & verbo confessio.

Hæc propter pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum summè necessaria est, vt dicitur *in cap. Alma mater de sent. excom. lib. 6. vbi glos. verbo ad peccandum*, ait. Quia procliuis est cursus ad voluptatem, & natura imitatrix vitiorum, & ob id sæpissime vere pænitenti venia repromittitur, vt per *Augustin. in cap. In tantum ad fin. de pænit. dist. 3. & in cap. seq.* inuenies, quæ sit vera, & quæ falsa pœnitentia. Vnde *Imperator in l. Manichaos C. de haret.* ait. Delicti enim veniam pænitentibus damus.

Tam in solemni, quam priuata pœnitentia quoad partem satisfactoriam imponi debet, iuxta *tex. 26. quast. 7.* Tempora pœnitudinis, inquit, habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos, pariter etiam habentes ętatis senilis intuitum, & periculorum quoq; quo-

quorumcunque, aut ægritudinum respicientes necessitates, vbi notat *glosa verbo iudicio* dicens ex hoc patet, quod omnes pœnitentiæ sunt arbitrariæ. Vnde Episcopus potest diminuere pœnitentiam, quam indixit Papa, & probat *ex cap. Latorem 33. quæst. 2. ad fin.* ibi. tamen si illius conuersionem, & lachrymarum fontem in omnibus videris floridis actionibus, & optimis operibus pullulare: humanius circa eum solicitudo peruigil appareat mitisq; in omnibus demonstretur, idem probatur *ex cap. Accedens 50. dist.* ibi si autem eum talem pœnitentiam agere fraternitas vestra cognouerit &c. & addit præd. *gl.* ad comprobationem, sicut procurator ex causa potest mandare contrarium illius, quod mandauit Dominus, vt in *l. si hominem 30. ff. manda.*

Omni pœnitenti prohibetur thorus, gladius, & equitatura, durantibus pœnitentiæ diebus, vt notauit *glos. verbo gladio in capit. 2. per tex.* ibi. de homic. vbi alia iura.

Durior pœnitentia propter scandalum est imponenda iuxta *cap. vnic. de vot. lib. 6.* ibi tanto propter plurium scandalum & exemplum, durior pœnitentia transgressoribus debeatur.

Licet culpa per pœnitentiam tollatur, infamia tamen non aboletur, ita dicit, *glosa in capitul. Nisi cum 10. de renunciat.*

Pœnitenti vtilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis adstringi: quia difficile est inter ementis vendentisque commertium nõ interuenire peccatum sic Leo Papa *in capit. Qualitas de pænit. dist. 5.*

Si quis positus in vltima necessitate suæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus, quod petit, sed non præsumitur, quod bene hinc exit: si securus hinc exierit, ego nescio: pœnitentiam dare possumus, nunquid dico damnabitur? sed non dico liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? Vis quod est incertum euadere? age pœnitentiam, dum sanus es, si sic agis dico tibi, quod securus es: quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti: Si autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes peccata te dimiserunt, non tu illa, sic *Augustin. in cap. 2. de pænit. dist. 7.* & per totas illas septem dist. habes famosos tex. in hac materia, quos videas, nec enim omnes possumus hic transcribere.

Consuetudinem dare iurisdictionem etiã in foro pœnitentiali, dicit *glos. Verbo a iure prope fin. in extrauag 2. de sepultur. int. com.*

In delictis pœnitentiam non proficere in foro fori certum est *ex l. Qui ea mente 67. ff. de furt.* ibi. Nemo enim a tali peccato penitentia sua nocens esse desijt. In contractibus autem, quando pœnitentia proficere possit, ponit ibidem *gl. Verbo desijt,* & nos aliquos, prout infra, ponimus casus.

Dum contractus nominatus non est perfectus pœnitentiæ locum esse non dubitatur *ex l. si pecuniam 5. §. 1. vers. Item si quis ff. de condict. cau. da.* ibi. Deinde pœnitent, si quidem, non dum emptus sit, pœnitentia dabit condictionem, si hoc ei manifestum fecerit, &c. Si vero iam emptus sit, pœnitentia non facit iniuriam.

In contractibus vero innominatis pœnitentiæ semper locus est re integra, hoc est dum non ex vtraq; parte perficitur, iuxta *glos. magistram in d. l. Si pecuniam Verbo* sed cum liceat pœnitere ita dicentem. Caue tamen, quia re integra tantum pœnitere possum, non postea, quam feceris, vel facere inchoaueris &c. & idem dico in do, vt des, & do vt facias, & in permutatione, & est forte ratio, vt habeat locum pœnitentia in prædictis: quia sicut debiles sunt illi

con-

contractus in contrahenda obligatione ita & in ea retinenda. In contractibus autem nominatis non licet pænitere, *vt C. de act. & oblig. l. sicut ab initio*: præterquam in tribus casibus in mandato, *vt Inst. de manda §. recte*. In societate, *vt infr. pro soc. l. & si socius § fin.* Item in deposito, *vt infr. depos. l. 1. §. pen. & glos. Verbo si pænitentia in l. si quis 27. §. 1. ff. mandat.* ibi. Pænitentia, quæ locum habet in huiusmodi contractu innominato, vt hic, *& infr. eod. l. si hominem &c.* non autem innominatis, vt hic &c.

In iudicio licet pænitere ante litem contestatam, vt notat *glos. vlt per text. ibi in l. Is qui se ff. de reiuendic.* dicens, & sic. Nota ante litem contestatam licere pænitere, non post, vt hic, *& l. Non id circo 12. C. de contrahend. empt.* ibi. Nec enim (licet in continenti) facta pænitentiæ contestatio, consensu finita rescindit.

Celsus itaque scribit licere respondẽti pænitere, si nulla captio ex eius pænitentia sit actoris, ita inquit *l. De atate 11. §. vlt. ff. de interrogat. act. vbi glos.* ponit quando possit, & quando non; eam videas.

Iustum est (vt postquam ad oppositionem eandem procedit) nequeat in præiudicium eius, contra quem opposuit, vlterius pænitere, ait *cap. Ab eo 31. in fin. de elect. in 6.*

Nota argumentum, quod testis sit admittendus, licet prius fuerit infamis, si accepit pænitentiam, quod quidam concedunt; sed *Ioan. contra arg. de remil. &c.* & pœnitentia quoad Deum, non quoad mundum, vel solum principẽ valeat sibi data, sic dicit *gl. verb. omni macula in l. Imperialis 23. C. de nupt.*

Appellans potest pœnitere ex ratione *l. si quis 28. C. de appellat.* ibi. Ne iustæ pœnitudinis humanitas amputetur, idem per eadem verba *glos. verbo perdet in cap. Item qui dominum, quæ fuit prima cau. benef. amittend. Sed glos. verbo commutandi in d. l. si quis ita ait.* Aduertas quod iste appellans potest pœnitere: in quantum ista appellatio facit pro aduersario, ista pœnitentia non admittitur.

Pœnitudinis rubore non cõsueuit pro fundi, quod consilij moderatione proficitur, vt dicis verbo consilium.

De pœnitentia testatoris habes infra verbo testator.

Posse.

Aliquis dicitur aliquid posse quinq; modis, qui his versibus continentur.

Posse quidem rebus dant ius, natura potestas.
Officium, meritum, sextum diuina voluntas.

De potentia iuris est *text. in capit. Faciat homo* pro temporali salute hominum, quod potest 22. *quæst. 2. & in cap. Agathosa 27. quæst. 2. in fin* ibi. Non potest ex parte conuerti, & ex parte manere in seculo, de hac dicit *glos. Verbo potuerit in cap. Nisi cum 10. de renunc.* illud dicimur posse, quod de iure possumus, *& in cap. Quamuis 8. de offic. ordin. lib. 6. verbo continuatis* ibi & illud dicimur posse, quod de iure possumus.

De potentia naturæ loquitur *cap. Puberes 3. in fin.* ibi pubertatem ostendit, & generare iam potest de *desponsat. impub.* De officij potestate *cap. 1. de consang. & affin. sic ait in fin.* Per iudices discretos, qui potestatem habeant iudicandi, & 21. *dist. cap 1. §. Inter eos vers. Petrum* vero quasi in summum sacerdotem elegit, dum ei præ omnibus claues regni cælorum tribuit, *& in cap. Inferior* ibi. Quia quem non potest absoluere, nec potest iudicio inferior potiorem ligare

ead. dist. & *in cap. Cum inferior de maior. & obed.* De potentia meriti agitur *3. quaest. 7. cap. 1 cum seq.* Denique de potentia diuinæ voluntatis, dicitur *in cap. Principium 9. Charitas de paenit. dist. 2.* ibi. Posse autem peccare (vt August. ait) non est aliquid posse imo aliquid non posse. Vnde ille solus vocatur ōnipotens, qui hoc non potest, quia omnia potest, quæ posse est aliquid posse, vt sup. notasti verbo *peccatum*.

Omnia supradicta non ex meo deduxi marte, sed ex *glos. Verbo impotentia in cap. Sciscitatus 13. de rescript.* (prout omnia a me dicta, quæ in toto Apolectate continentur, cum iura allegata perlegerim) & si dixero tibi, quod non remansit in vtroque iure verbum vllum a me præteritum, non mentiar, Dicit itaque prædicta *glos. fin.* Quod potentia, seu posse ad duo tantum extenditur, scilicet facti, & iuris. Et tex. a contrario de impotentia loquens, sic ait. Nos vero ita sentimus, quod tam de iure, quam de facto illa impotentia censeatur. De iure si aliquem illorum seruum, vel infamem aut alio legitimo impedimento detentum esse constiterit. De facto si constiterit eum casu mortis occumbere, aut ineuitabilis necessitatis articulo impediri quominus valeat interesse.

Notabis tamen, quod licet quis de præsenti nequeat facere si dolo fecit antea quo minus posset, hoc quoque facere posse videbitur, vt prædictis verbis, inquit *l. verum 64. §. Tempus ff pro soc.* & *addit* sic. si tamen non dolo, sed sua culpa, vt facere possit, desijt: dicendum est condemnari eum non debere, & in hoc vltimo est singularis tex. iste. Nam cum verbum, potest, sit ex[..]finitum ad futurum licet sit præsentis temporis, vt inquit *glos. Verbo. Quandoque in l. si ita 53. ff. de legat. 1.* cum alijs per *Apostill.* ibidem, videbatur dicendum, quod etiam intelligeretur posse, qui culpa sua desijt posse, & sic condemnari debebat, sed inquit glos. verbo potest in *l. Quod Seruius ff. de cond. cau dat.* Quod nos non extendimus ad futurum, sed secundum præsens iudicamus.

Posse aliquando significat posibile fuit, seu est, vt per *glos. Verbo Alio testamento in l. 1. ff. de iniust. rupt.* ibi. Item, quod dicit. potuit, id est posibile fuit, & sic significat hic naturalem posibilitatem, sic *in l. Cum in secundo 16. eod. tit.* ibi si tamen conditio existere potuerit &c. Quandoq; autem significat potentiam hominis, *vt sup. in d. l quod Seruius*, & quandoq; iuris, vt dictum est, addo tex. optimum *in l. filius qui 15. de condit. inst.* ibi. Nam quæ facta lædunt pietatem existimationem verecundiam nostram, & vt generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt: nec facere nos posse credendum est. Vnde dicit *glos. verbo non licet in l. vulgo ff de stat. hom.* Posse non intelligitur, qui non honeste potest, & apud *Cassiodor.* inquit Theodoric. Cum omnia posimus sola nobis credimus licere laudanda.

Non videtur etiam posse, qui commode non potest. vt dicit, & probat *glos. verbo profecto in l. 1. §. 1. C. de annal. except* & a contrario hoc posse facere, quis dicitur, qui commode potest, vt per *gl. verbo possit in l. 3. C. quod cum eo, & gl. vlt. in cap. si vere 34. de sent excom.* ibi. qu a id d[..]c mur posse, quod sine incommodo possumus. & probat *l. Nepos Proculo 125. in fin.* ibi. Cum commodum erit, hoc est cum sine incommodo meo potero *ff. de verb. sig vbi Apostill.* sic.. Nota, quod illud dicimur posse, quod commode conuenienter possumus &c. conuenienter, intellige salua mea dignitate, vt ibidem dicit *glos. verbo Alieno, & idem tex.* ibi, Cum salua mea dignitate potero.

Notanter dic, quod posse non dicetur, qui facit per beneficium restitutionis, seu per aliud remedium extraordinarium, *vt ex Cardinal. in Clem. 1. quaest. 24. de caus.*

cauſ. poſſeſs. refert. Apoſtill. ad gloſ. verbo poteſt in l. Quandiu 68. ff. acquir. hered.

Licet regulariter ſit quod quis per ſe non poteſt, nec per alium poterit, vt *in l. quæritur 38. ff. de bon libert.* ibi. Ne qui ſuo nomine a bonorum poſſeſsione ſubmouentur per alios eam cõſequantur: tamen in multis poteſt quis per alium, quod non poteſt per ſe, vt ecce ratione indiuiduitatis in re communi cum minore, maior quod per ſe non poteſt, poterit per minorem, notauit *gloſ. vlt. in l. ſi communem ff. quemadmod. ſer. amitt. per tex.* ibi. Tamen propter pupillum, & ego retineo, quia indiuiduum eſt.

Item bona fides, quæ in contractibus requiritur facit, vt quod ego non poſſum, poſsim, vt alius iuxta *ſumarium Bart. in l. ſi mandato 59. §. 1. ff. mandat.* Conſequitur ergo per alium quod per ſe non poteſt, dicit, & probat *gloſſ. verbo nocebit in l. Cum autem 23. ff. de donat. inter.* ibi. Quædam tamen poſſumus per alios, quæ per nos non: & deducitur *ex l. liberis 7. verſ. ſi duo, ff. de liberal. cau.* ibi. euenit igitur, vt ei proſit, qui eum comparauit ſciens, quod alius ignorauit, *vbi gl. verb. ignorans* dicit. Nota quod innocens nocentem excuſat. Notat etiam *gloſ. verb. accomod. in l. vl. C. de pact.* Quod, qui nõ poteſt tacere, ſcilicet paciſci, alij tamen cõſentit; & addit. e contra quãdoq; poteſt per ſe quod non poteſt per alium.

Et poſſe, & velle ad quemcunq; actum requiri, ſatis clarum eſt, & deducitur ex tex. *in cap. Cum ſuper 23. de offic. delegat.* ibi. Cum noluerit, quod potuerit, & quod voluerit adimplere nequiuerit, vbi notat *gloſ. verbo noluerit* dicens, quod velle, & poſse contraria ſunt.

Poſseſsio.

Licet interdum proprietatem quoq; verbum poſseſsionis ſignificet; ſicut in eo, qui poſseſsiones ſuas legaſset reſponſum eſt, vt inquit *Paul. in l. Interdum 78. ff. de verb. ſig. & in l. Locorum 11. C. de omn. agr. deſert. lib. 11.* ibi. Proprietas poſseſsionis intemerata permaneat tradit *Bart. in l. Cum antiquitas C. de vſufru. & alij.* Tamen hic quæ apponenda, & notanda putauimus, intelligimus tantũ de poſseſsione quatenus a proprietate differt & nihil commune habet cum proprietate, iuxta *l. Naturaliter 12. §. nihil commune ff. de acquirend. poſseſſ.*

Eſt igitur poſseſsio iſta, iuxta *Paul. lib. 4. ad edictum in l. 1. ff. illo tit. de acquir. poſſeſſ.* appellata a pedibus & (vt Labeo ait) pedum quaſi poſitio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit. Multiplex autẽ eſt poſseſsio. Nam alia eſt naturalis tantum, & alia ciuilis tantũ: alia ciuilis, & naturalis ſimul, vt patet *ex gloſ. verbo. Quia naturaliter, & verbo ait in d. l. 1.* alia ciuiliſsima. Alia plena, ſemiplena alia, & alia vacua. Item alia eſt viſibilis, alia inuiſibilis. alia conuentionalis, & alia iudicialis: Alia violenta, clandeſtina alia, & alia precaria, vel ficta, & alia libera de quibus omnibus, & ſingulis videas per text. iura, & doct. quos latiſsime, & plena manu per *Bertach. in ſuo repert. verbo Poſseſsio a verſ. Poſseſsio* quotuplex cũ ſequentibus. Nos vero hic ponimus tantum ea, quæ magis notatu digna ſunt iuxta noſtri Apolectatis intentionem. Addo etiam quod item dicitur poſseſsio momentanea, vt *in tit. C. ſi de mom. poſſeſs.* & talis vocatur non quod durat per momentum, ſed quia parum duratura eſt apud poſseſsorem, cum actor docuerit de proprietate, vt dicit *glo verb. momenti in c. 1. de cau. poſſ.* & addit & a ſententia momentaneę poſ-

Digitized by Google

ſeſsionis ſecundum leges non apppellatur, &c. ſecus ſecundum Canones.

Scias primum aliud eſſe poſsidere, & longe aliud in poſſeſsione eſſe, vt ait *l. Si quis* 10. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Nam qui conduxit prædium, & poſtea precario rogauit deſinit poſsidere, & incipit in poſſeſsione eſſe prout ſunt, qui rei ſeruandæ cauſa, legatorum, & damni infecti, qui non poſsident, ſed ſunt in poſſeſsione cuſtodiæ cauſa, prout ſic ponit *Vlpian. in dict. l.* 10. *tradit etiam gl. Verbo in poſſeſſionem in Auth. de exhib. re. §. ſi vero ſemel coll.* 5. ibi & longe aliud eſt poſsidere, & aliud eſt in poſſeſſione eſſe.

Item aliud eſt poſsidere, aliud eſt detinere, vt in hæretico ſi habeat res Eccleſię: vel laicus decimas percipiat; dicuntur detinere, & non poſsidere, & ideo illis non dari reſtitutionem ſi dicant ſe ſpoliatos, ponit *gloſ. Verbo commodo in cap. ex parte* 14. *de reſt. ſpoliat. probat etiam gloſa verbo præſumuntur in cap. vlt. eod. tit. lib.* 6. ibi & aliud eſt detinere, & aliud in poſſeſſione eſſe.

Poſsidere alio modo intelligitur, quando de ſatiſdando agitur, nam tunc poſſeſſor debet eſſe de bonis immobilibus, quoad proprietatem, & non ſufficiet, quoad vſumfructum, licet vſufructuarius poſſeſsionem habeat naturalem, vt eſt *tex. optimus in l. ſciendum eſt* 15. *§.* 1. *ff. qui ſatiſd. cog.* Poſſeſſor autem (inquit) is accipiendus eſt, qui in agro, vel ciuitate rem ſoli poſsidet, aut exaſſe, aut ex parte. Sed & qui vectigalem, vel emphyteuticum agrũ poſsidet poſſeſſor intelligitur. Item qui ſolam proprietatem habet poſſeſſor intelligendus eſt. Eum vero, qui tantum vſumfructum poſſeſſorem non eſſe Vlpian. ſcribit. Vnde clare patet, quod vſufructuarius minus iuris habet, & ſic dicit *l.* 3. *ff. ſi vſufruct. petat.* abſurdum eſſe, plus iuris habere eos, qui poſſeſsionem vſufructus, non etiam dominiũ adepti ſunt.

In acquirenda poſſeſsione attenditur origo, & non ratio iuxta *l. Clam poſſidere* 6. *ff. de acquir. poſſeſſ.* ibi, Non enim ratio obtinendæ poſſeſsionis, ſed origo nanciſcendæ exquirenda eſt, cum initium cuiuſq; rei ſit maxime attendendũ, vt late probatum eſt in Verbo initium.

Poſſeſsio autem plurimum facti habet, dicit *l. Denique in fin. ff. ex quib. cau. maior. & l.* 1. *§. Adipiſcimur ff. de acqu. poſſ.* ibi. eam enim rem facti, non iuris eſſe, *& cap. Cũ noſtris 6. in fin.* ibi. Quia talis poſſeſsio plus habet facti, quam iuris, vbi notat *gloſ. de conceſſ. prabend.* Quandoque vero plus iuris, quam facti, vt per prædictam *gloſ. & in d. l.* 1. *verbo Apedibus* ſic. Quia quandoque habet plurimum, quandoque multum, quandoque parum iuris habet poſſeſsio, & latius exemplificando, tradit *gloſ. verbo interuenerit in l.* 1. *C. de acqu. poſſ.* ibi. & not. quod hæc poſſeſsio, quæ per procuratorem acquiritur habet multum iuris, & modicum facti, nam quæritur ignoranti, ſed non vſucapio, vt hic, & eſt alia, quę habet plurimum facti, quã iuris, vt ea, quæ per nos acquiritur, nam oportet, quod corporalis ſit ibi apprehenſio, quę eſt facti, licet animus ſit neceſſarius, quod facile eſt &c. hæc eadem habet multum iuris in retinendo cum ſolo animo retineatur, & eſt tertia, quæ dicitur habere plurimum iuris, vt quæ acquiritur a filio, vel ſeruo, ex cauſa peculiaria: Nam poſſeſsio talis acquiritur ignoranti &c. & in hunc modum intelliges *l. Poſſeſſio* 49. *ff. illo tit. de acquir. hæred.* dum ait & plurimũ ex iure poſſeſsio mutuetur &c. quia poſſeſsio non tantum corporis, ſed etiã iuris eſt.

Cum ergo ad acquirendam poſſeſsionem requiratur apprehenſio, quæ eſt facti, & animus, qui iuris eſt, clare ſequitur, quod hæreditas poſſeſsionem non habet, quæ facti, & animi eſt, vt dicit *l.* 1. *§. Scæuola ff. ſi quis teſt. lib.* nam cum hę

domina ficta, iuris fictione, non potest vere apprehendere facto possessionem, nisi fuerit possessio ciuilissima, quæ ex dispositione statuti transfertur in hæredem sine apprehensione, *vt in statut. Rom. lib.* 1. *cap.* 147. & alijs, de qua ficta possessione non agimus, cum solum Apolecta tractet de his, quæ sunt iuris communis. Nec contra primam conclusionem, quæ dicimus hæreditatem non possidere facit *l.* Cū *miles* 30. *ff. ex quib. cau. maior.* dum in fine dicit ibi. Quia possessio defuncti, quasi coniunctim descendit ad hæredem: & plerumque nōdum hæreditate adita completur; quia loquitur quoad alios iuris effectus scilicet, quoad complendam vsucapionem a defuncto inceptam; quoad vero possessionem, nisi naturaliter comprehensa sit ad hæredem non pertinet, vt dicit expresse *l. Cum hæredes* 23. *in fin. ff. de acquir. poss.*

Non autem corpore, & actu necesse esse acquirere possessionem, sed etiam oculis, & affectu dicitur *in l.* 1. *§. pen. ff. eod. tit.* & addit exemplum sic, & argumento esse eas res, quæ propter magnitudinem ponderis moueri non possunt, vt columnas; nam pro traditis eas si in re præsenti consenserint, & vina tradita videri, cum claues cellæ vinariæ emptori traditæ fuerint. Vnde dicit *glos. vlt. in cap.* 2. *de consuet.* ita sic etiam res non apprehenditur, & tamen possessio transfertur, vt per claues &c. visu etiam transfertur possessio &c. nec etiam semper in acquirenda possessione necessarius est actus corporalis, vnde sufficit affectus aliquo actu interueniente &c. licet lex dicat, quod possessio acquiritur corpore, & animo, non altero tantum &c. ita quod rei apprehensio per se, vel per alium &c. hoc tamen scias, quod si Ecclesia non apprehendat possessionem rei sibi collatę dominium tamen nihilominus adipiscitur, quod non est in priuato, & ponit versus sequentes.

Visu siue rei mutuata. venditione.
Clauibus, & cartis, mea si conduco scienter.
Quamuis non aliter detur possessio, transit.

Et *glos. verbo transfert in §. Item si quis de rer. diu. in Inst.* eosdem refert dicens sunt multi casus in quibus res non apprehenditur, & tamen possessio transfertur, *& in cap.* 1. *de consuetud. recti. feud. gl.* 2. tribus prædictis versibus, addit, & ponit post primum istum secūdū.

Si conductorem iussi deponere; rerum.

Et dicit. Nota hic per patientiam possessionem transferri &c. Alias transfertur possessio per retentionē vsufructus &c. alias designatione &c. Alias oculorum subiectione, dum tamen affectus interueniat, vt &c. Alias alterius rei traditione puta clauium horrei &c. & per clausulam constituti, vt dicitur, transferri possessionem etiam sine alia apprehensione, certum est *ex l.* Quod meo nomine possideo, possum, & alieno nomine possidere. Nec enim muto mihi causam possessionis, sed desino possidere, & alium possessorem ministerio meo facio *ff. de acquir. poss* Ex qua l. etiam deducitur non posse, quem mutare causam possessionis, & clarius dicit *Paul. in l.* 3. *§. Illud quoque* receptum est a veteribus neminem sibi ipsi causam possessionis mutare posse, *eod. tit. & in l. Ad probationem* 23. C. *locat.* ibi; nemo enim sibi iure possessionem mutare potest, & ampliabis non solum in possessione ciuili, sed etiam in naturali, iuxta *l.* 2. *§. Quod vulgo* respondetur causam possessionis neminem sibi mutare posse; sic accipiendum est, vt posses-

sio

ſio non ſolum ciuilis, ſed etiam naturalis intelligatur : & propterea reſponſum eſt : nec colonum, nec eum, apud quem res eſt depoſita, aut cui commodata eſt, lucri faciendi cauſa pro hærede vſucapere, poſſe *ff. pro hared.*

Quod quidem Marcellus *l. Qui bona* 19. *§. vnic.* ſic limitat. Quod ſcriptum eſt apud veteres. Neminem ſibi cauſam poſſeſsionis mutare poſſe : credibile eſt de eo cogitatum, qui & animo, & corpore poſſeſsioni incumbens, hoc ſolum ſtatuit, vt alia ex cauſa id poſſideret ; Non autem ſi quis dimiſſa poſſeſsione prima, eiuſdem rei, denuo ex alia cauſa poſſeſsionem nanciſci velit, *ff. illo tit. de acquir. poſſ.*

Limitat etiam Iulianus *in l. Non ſolum* 33. *§.* 1. *ff. de vſuſcap.* in hunc modum. Quod vulgo reſpondetur ipſum ſibi cauſam poſſeſsionis mutare neminem poſſe ; toties verum eſt, quoties quis ſciret ſe bona fide ab initio non poſſidere, & lucri faciendi cauſa inciperet poſſidere : idque per hoc quoque probari poſſe : ſi quis emerit fundum ſciens ab eo cuius non erat, poſſidebit pro poſſeſſore, ſed ſi eundem a domino emerit incipiet pro emptore poſſidere: nec videbitur ſibi ipſi causã poſſeſsionis mutaſſe, vbi ſic ſummat Bart. Nemo poteſt cauſam ſuæ poſſeſsionis mutare, niſi ſuperueniat cauſa extrinſecus iuſta, & vera, vel putatiua, quod deduxit *ex l. Cum nemo cauſam* ſibi poſſeſsionis mutare poſſit proponaſque colonum nulla extrinſecus accedente cauſa C. *de acq. poſ.* vbi dicitur, quod ex actu iniuſto, ſeu nullo poſſeſsio acquiritur, quod non procedet in poſſeſſore volente mutare cauſam poſſeſsionis, cum cauſa non ſit iuſta, & lucri faciendi cauſa incipiat Verba autem *d. §.* ſunt, ſi vir vxori cedat poſſeſsionem cauſa donationis, plerique putant poſſidere eam : quoniam res facti infirmari iure ciuili non poteſt & quid attinet dicere non poſſidere mulierem, cum maritus, vbi noluerit poſſidere, protinus amiſerit poſſeſsionem : Quoniam in ſumma poſſeſsionis non multum intereſt iuſte, quis an iniuſte poſſideat, inquit *l.* 3. *§. ex contrario ff. dict. tit. de acquir. poſſeſſ.*

Si quis bona fide poſſidens ante vſucapionem amiſſa poſſeſsione cognouerit rẽ eſſe alienam, & iterum nanciſcatur poſſeſsionem, non vſucapiet: quia initium ſecundę vſucapionis vitioſum eſt, ſic ait *l. ſi is, qui* 15. *§. ſi quis ff. de vſucapion.* Nam, vt inquit *l. Item veniunt §. P etitam ff. de petit. hered.* vbi ſcit, incipit eſſe malę fidei poſſeſſor ideſt cum primum ei denunciatum eſſet. Quid autem ſi ſcit quidem, nemo autem ei denunciauit ? & puto debere, cæpit enim malæ fidei poſſeſſor eſſe &c.

Acquiritur etiam poſſeſsio per ſolutionem ſecundum *gloſ. Verbo Colonum in l. Qui vniuerſas* 51. *§. Quod per colonum ff. de acquir. poſſeſſ.* ibi. idem forte ſi colonus mercedem hæredi ſoluerit. 1

Licet dicatur *in l.* 4. *§. ſi viam ff. de vſuſcap.* quod nec poſſideri intelligitur ius, incorporale, *& in l. ſeruus* 43. *§. Incorporales* res traditionem, & vſucapionem non recipere manifeſtum eſt *ff. de acquir. rer. dom.* tamen quaſi poſsideri, & ſic improprie, poteſt, vt ibidem notauit *gloſ. Verbo traditionem, & in l.* 2. *ff. de interd.* verbo de liberis ibi. Eſt ergo proprietas, & quaſi ſic, & poſſeſſio vera in rebus corporalibus, & quaſi vt in rebus incorporalibus, *& in l. Regulariter* 9. *verbo ius poſſidere ff. de pet. hered.* ibi & dic quod incorporalia, vt ſeruitutes improprie, quis dicitur poſſidere &c. & magis improprie creditor ius, quod habet in debito improprijſſime cum ipſe debitor dicitur hoc ius poſſidere debiti.

Sed quæritur quomodo quis acquirat hãc quaſi poſſeſsionem, & reſpondet *gloſa verbo trium in cap. Cum Eccleſia* 3. *de cauſ. poſſeſſ.* ſic ſi aliquis ter vtitur aliquo iu-

iure per hoc est in quasi possessione *glo. vero verbo duobus in capit. Cum olim 7. eod.tit.* dicit quod quadruplex actus necessarius est:

Transfertur etiam possessio propter contumaciam, & fit quis de possessore petitor, vt ait *glos. vlt in l. Is cuius 19 ff. si seru. vendic.* idem dicas propter mendacium Rei, vt supra notasti in Verbo *mendacium*, & quando possessor missus in possessionem bonorum Rei fiat actor vide *glos. 1. in capit. contingit de dol. & contum.* & clarius per *glosa vltim.* ibidem.

Cum praecedit alia possessio, qui sequitur accipere non potest, dicit *l. si filius 42. §. Papinianus vers. Cum filius alias est l. Papinianus § Cum filius ff. de bon.lib.* Nam neque iustae, neque iniustae possessiones duae concurrere possunt, ait *l. Duo in solidum 19. ff. de precar. & l. Si vt certo §. vlt. ff. commodat.* ibi. Duorum quidem in solidum dominium, vel possessionem esse non posse *l 3 §. ex contrario* plures eandem rem in solidum possidere non possunt *ff. de acquir. poss. & cap. Licet causam 9. de probat.* ibi. Cum duo insimul eandem rem, & eodem modo insolidum possidere non possint. Potest tamen quis ex duabus causis, & diuersis possidere, quamuis nemo ex duabus causis dominus esse possit, notauit *glos. Verbo ab eo in l. seruum Titij 49. ff. manda. per text. in dict. l. 3. §. ex pluribus* causis possidere eandem rem possumus *ff. illo tit. de acquir. possess.*

Verus possessor post annum efficitur, vt notauit *gl. verbo possessor* ibi. ex hoc videtur, quod quis fit verus possessor, post annum, & non ante per tex. ibi. Verum tamen ne alius, post annum verus efficiatur possessor *in cap. Pastoralis 11. §. vnico ad fin. de offic. ord.*

Melius est possidere potius, quam in personam experiri, sic ait *l. 1. ff. de superficieb. & in l. 2. ff. vti possid.* ita. Qualiscunque enim possessor hoc ipso, quod possessor est plus iuris habet, quam ipse, qui non possidet, *& in l. Is qui 75. ff. de reiuendic.* sic. Quia longe commodius est ipsum possidere, & aduersarium ad onera petitoris compellere, quam alio possidente petere, & ex ea deduxit & clarius explanauit *Imperator in §. retinendae de Interdict. in Inst.* sic. Quia longe commodius est, & potius possidere, quam petere, ideo plerunque, & fere semper ingens existit contentio de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo est, quod etiam si eius res non sit, qui possidet: Si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco probatio, propter quam cum obscura sunt vtriusque iura contra petitorem iudicari solet; quod alias dixit etiam *Iuriscons. in l. vtifrui ad fin. ff. si vsus fruct. pet.* ibi. vincet tamen iure, quo possesso es potiores sunt, licet nullum ius habeat. Vnde vulgaris regula est, quod melior sit possidentis cōditio *l si debitor 10. ff. de pignor. glos. in l. 2 ff. ne quis eum, & saepe* alibi. Quod intelligendum puto de iusta possessione: quoniam si dolo quis possessor inuentus fuerit non debet sibi talis possessio patrocinari, vt dixit *glos. verbo in possessione in cap. 1. si de inuestit. feud. controuers. fuer. per tex* optimum *in l. eam*, quae in possessione libertatis non sine dolo malo reperitur: in seruitutem constitutae simile habere praeiudicium edicto perpetuo cauetur *C. de liberal. cau.* licet in casu *l. si procurator 9. ff. de dol. except.* adhuc melior dicatur conditio possidentis, qui turpiter pecuniam accepit.

Sicut, & à contrario, qui dolo desijt possidere pro possessore habetur, vt dictat iuris regula, & habetur, *in l. 2. § si ex fundo ff. ne quid in loc. pub.* ibi. Etenim parem esse cōditionem eius, qui quid possideat, vel habeat, atque eius, cuius dolo malo fecit, quominus possideret, vel ha-

haberet, *& in l. sed & si 28. §. Perinde ff. de petit. hered.* ibi. Nam & is, qui dolo fecit, quominus possideret, vt possessor condemnatur. Accipies, siue dolo desierit possidere, siue dolo possessionē noluerit admittere. Si vero aliter, & si ne dolo desierit possidere, & pro ea re in iudicio fuerat pulsatus antequā desijsset possidere, quid dices? habebitur ne pro possessore? Audi Iuriscons. *in l. Tigni §. si quis non ff. ad exhibend.* sic dicentem, si quis cum iudicij accepti tempore possideret, postea, sine dolo malo possidere desierit, absolui eum oportet quamuis sit (inquit Pomponius) quod ei imputetur cur non statim restituit, sed passus est secum litem contestari.

Rei mobilis possessio dicitur vilis, & abiecta, vt dicit *glos. in l. Peregre 44. ff. de acquir. possess. per l. Rem, quæ nobis 15. & l. si rem mobilem 47. eod. tit.* vbi probatur, quod etiam me ignorante perdo possessionem rei mobilis, & tamen contrarium est in re immobili, iuxta *l. Quāuis 46. eod. tit.* ibi. Ita nō debet ignoranti tolli possessio, quę solo animo retinetur:

Generale est in omni violento possessore, vt res sit eius periculo, ita inquit *glosa Verbo periculo in l. Qui ratiario 30. ff. ff. de pig. act. per tex.* ibi. si inuito ratiario retinuisset eius periculo ratem fuisse, respondi, *& ex l. 1. §. rectissime* ibi sic sit, vt etiam si homines, vel pecora demortua sint post deiectionem, interdicto locus sit *ff. de vi arm. & l. pen. eod. tit. l. 1. C. quod met. cau.*

Nota, quod possessor, cum titulo tenetur de percipiendis, quos verus possessor percipere potuisset. Sic & in eo, qui emit in fraudem creditorum, & in eo, qui emit contra interdicta legum sciens. Itē qui emit a fisco non solemniter vendente, sed regulariter titulus excusat a percipiendis, ita tradit *glos. in l. sed & 12 ff. quod met. cau. per tex.* ibi. Nec solum eos, qui percepti sunt, verum si plus ego percipere potui.

Non ne omnes, qui sibi videntur gaudere conquæsitis, eisq; vti nesciunt alienum possidere conuincimus. Hoc autē certe alienū non est, quod iure possidetur: hoc autē iure possidetur, quod iuste, & hoc iuste, quod bene: omne igitur, quod male possidetur alienum est: male autē possidet, qui male vtitur. sic ex *Augustin ad Macedon. in cap. pen. 14. quæstion. 4.*

Nemo sibi incertus esse debet, quantum possideat, dicit *glos. verbo restituantur ad fin. in cap sententia de pac. Constant. ex tex. in l. subsignatum 39. §. vlt ff. de verb. sig.* vbi etiam *glos. Verbo incertus* eadem verba, & addit rationē sic. Quia incertam partem nemo possidere potest, licet ad incertam partem detur rei uendicatio, vel petitio hæreditatis *ex l. Quæ de tota 75. §. Incertæ partis vendicatio* datur si iusta causa interueniat *de reiuendicat. & l. 1.* ibi. Qui partem hæreditatis petit *ff. si pars hæred. peta.*

Possessio continuata probatur ex præsumptionibus, vt dicit *glos. Verbo probetur in additione in l super 11. C. de præscript. long.* in hæc verba, & aduertas secundum doct. hic quod possessio continuata probatur ex præsumptionibus: nam si quis possidet iam sunt decem anni, & possidet hodie, præsumitur medio tempore possedisse: quia possessio solo animo retinetur.

Qui detinet etiam præsumitur possidere, & eo ipso probatur possessio, vt tenet *glos. Verbo recuperauerit* in supracitato *cap. sententia de pac. Constant.* Nota tamen, quod propter præsumptionem etiam possidens probat, vt tenet *glosa verbo monstrauerit per tex. ibi in Auth. vt cum de appellat. cog. §. siue igitur col. 8.* Retentionem autem possessionem non operari dicit *glos. in l. ex quibus 51. ff. de condict. indeb.* ibi. Non enim habere possessionem est, habere retentionem. Neque coloni neque depositarij dicuntur possidere, quamuis naturaliter

ter possideant, vt deducitur *ex l. Communi 7. §. Inter ff. con de iud.* ibi. Neque iis, qui depositum susceperunt hoc iudicium competit, *vbi glos. verbo possideant* sic declarat, possideant, alij non sibi, vel possideant idest detineant nec enim naturalem, vel ciuilem habent possessionem, *vt ex l. Certe §. Is, qui ff. de precar. & l. 2. C. de præscript. 30. ann.*

Nec etiam is, qui mittitur in possessionem eo quod ei non facit cautum, possidet, iuxta *l. 5. ff. vt in possess. legat.* his verbis. Is cui legatorum, fidei cōmissorum nomine non cauetur missus in possessionem, nunquam pro domino esse incepit: nec tam possessio rerum, quam custodia datur. Neque enim expellendi hæredem ius habet, sed simul cum eo possidere iubetur, vt saltem tædio perpetuæ custodiæ extorqueat hæredi cautionem.

Sola possessio non sufficit in beneficijs Ecclesiasticis, nisi adsit canonica institutio. Sicut nec sola possessio facit aliquem decurionem, sed iusta electio. ita inquit *glos. vlt. in cap. 3. de procurator.* Nec etiam in eis possessio vnius, iuuat alium: cum in talibus non cadat successio iuris vel facti, licet in casu cadat successio litis, vel causæ, vt dicit *glos. Verbo. Qua alias prope fin. in extrauagan execrabile de præbend. inter comm.*

Si aliquis in possessione beneficij fuerit, eo non vocato non debet alius mitti licet possessor priuatus sit, ipso iure iuxta *tex. in cap. Licet Episcopus 28. de præbend. lib. 6.* ibi. Illum tamen cui contulerit, non debet te non vocato (cum tibi forsan ius possit competere retinendi) in possessionem ipsius inducere corporalem, coniuncta *glos. pen.* ibi. Id intellige secundum doct. in omni eo casu, in quo priuatus est, quis ipso iure.

Possessio absentis turbata, potest per seruum, amicum, proximum, & colonum defendi, & restitui, iuxta *glos. vlt. in capit. vnic. de cleric. peregr. ex tex. in l. 1 C. si per vim*, & non obstante exceptione de defectu iuris in proprietate possessio violenter ablata restituitur, nisi consentiente spoliato tractari de proprietate ad *cap. 1. de restit. spol.* ibi. Quamquam ante omnem contentionem possessio ei debuerat violenter ablata restitui: tamen, quia Euentus diaconus consentiente illo, constituit se legitime probaturum dictum campum eiusdem Ecclesiæ iuris esse &c *vbi glos. 1.* sic arguit contra conclusionem, sed videtur, quod non est restituendus, si aduersarius in continenti vellet probare dominium, & probat per iura ibidem allegata, ad quæ sic respondet, sed non obstant illæ leges: quia non loquuntur in interdictis vnde vi, imo in interdicto de adipiscenda possessione.

Et si petitorio, & possessorio est actum vna sententiæ terminari debet, & præmittitur possessorium interminando, sed in exequendo præualet petitorium, vt decidltur *in cap. Cum dilectus 6. de caus. possess.* ibi. sed licet in pronunciatione sic possessio præmittenda: in executione tamen debet proprietas præualere, *vbi glos. vlt.* sic semper enim proprietas tanquam dignior trahit ad se possessionem, vt sequatur dominium, quia iustior est petitio proprietatis. Remoto namque iure petitoris non debere amplius quæri de iure possessoris, inquit *l. Paulus 12. §. 1. ff. quibus mod. pign.* soluit.

Non amitti possessionem ex difficultatibus dicit *l. Corruptionem 16. C. de vsufruct.* ibi. & satis durum est per huiusmodi difficultates amittere, quod semel possessnm est. Nec ex solo tempore amitti dicis verbo *tempus*: sed an amittatur siquis formam suę possessionis noluit conseruare? videndum est? & in casu *l. Nonnunquam 8. ff. de collat. bon.* hæc inuenies disposita. Tam & si re-

respondere possit videri eum possessionem repudiasse, qui formam possessionis conseruare noluit, sed benignior est diuersa sententia, maxime cum de bonis parentis inter fratres disputetur cõsiderabis tex. istum,& an illud verbum, maximè, sit operatiuum ad hoc, vt in alijs casibus etiam non videatur, quis amittere possessionem, quando noluit eiusdem conseruare formam.

Qui possessione fuit spoliatus, sicut licet per se in continenti restitutionem sibi facere, sic & per alium, vt inquit *glossa verbo postea in l. Cum fundum 18. ff. de vi armat.* vbi notabiliter sic ait Apostil. ista glos. est singularis ad hoc propositum, quod facultas capiendi propria authoritate, vel faciendi vindictam de offensione potest exerceri per alium, non solum, per nos metipsos, quibus competit ista facultas: quod verum intellige in concessione legali: secus in vindicta permissa alicui à statuto: quia non potest alteri committi, & per alium explicari.

Illud ridiculum est dicere, quod non aliter vult quis dimittere, quam si transferat, imo dimittere vult, qui se transferre existimat, ita inquit *l. Quod meo 18. §. si furioso ff. de acquir. possess.*

Non possidere immobilia, quem suspectũ facit. Item immobilia pauca possidere ex *l. sciendum ff. qui satisd. cog. & l. si creditores ff. de priuileg. cred.* tradit *glos. verbo officium in l. si fideiussor 7. §. vlt. ff. eod. tit. qui satisd. cog*

Potentia, & Potestas.

QVærit *Bald. in l. 1. n. 19. C. de inst. & subst.* Nunquid in conditionibus potentia significet actum? & respondet, videtur, quod sic *ex l. 3. §. Si quis ff. de fideicomm. libert.* Interdum tamen actus significat aptitudinem *l. Thais 41. §. splendoforus eod. tit. & l. qui habebat ff. de vulgar.* Proprie vero actus, actum significat, & potentia potentiam ex iuribus; quæ ibidem allegat. Alias potentia id est potestas, & e contra, vt per eundem *Bald. in cap. 1 de constitut.*

Potestatis autem verbo plura significantur: in persona magistratuum; imperium: in persona liberorum, patria potestas: in persona serui dominium, vt ait *Paul. in l. 215. ff. de verb. sig.* vnde dicit *glos. Verbo Potentia in l. 2. C. de annal. except.* Potens est, qui habet merũ imperium, vnde non conuenitur. In maioribus siquidem est regendi, & iubendi potestas, in minoribus obsequendi necessitas, *vt in cap. Quamuis in fin. dist. 2.*

Si deuiat terrena potestas iudicabitur a potestate spirituali, sed si deuiat spiritalis minor à suo superiore: si vero suprema a solo Deo non ab homine poterit iudicari testante Paulo Apostolo, sic inquit *Extrau. 1. de maior. & obed. int. com.* Neque enim potentioribus pares esse possumus, vt inquit *l. 3. ff. de alien. iud. vbi glos. affert versum*

Contra maiorem nemo præsumat honorem.

& glos. Verbo aqua in extrauag. execrabilis 4 de præbend int. com. ita. Potentioribus tamen nobilitate literatura, (vt de carnis proximitate, seu alijs taceamus) pares esse non possumus nec debemus: est enim gradus inter Angelos, Apostolos &c. *& Ioseph. de bell iud. lib. 6. cap. 11. num 30.* hæc. Hinc autem validissimam legem tam feris bestijs, quam hominibus esse præfinitam potentioribus cedere. Apud eosque esse victoriam, apud quos fuerit robur armorum. Vnde feris peior fera est, qui non cedit, sed cum potentiore vult contendere, ac æmulari parque fieri. Nam (*vt inquit Hieronym. ad Rustic.*) iuxta

mi-

miserias hujus temporis, & vbiq; gladios sæuientes satis diues est, qui pane non indiget. Nimis potens est, qui seruire non cogitur, & ista sit contentus potentia, & si nolit illa acquiescere; videat ne reputetur ei ad iniustitiam, propter quam multi potentes processerunt inanes, vt extat probatum sup. Verbo iustitia in *vlt. vers.*

Sumitur etiam potestas pro facultate ad aliquid faciendum iuxta *l. Quoties §. Prætor ait ff. de noxal. act.* ibi. In potestate sic accipere debemus, vt facultatem, & potestatem eius exhibendi habeat, cæterum si in fuga sit, vel peregre non videtur esse in potestate.

Sed nunquid est habenda ratio potentiæ in electionibus, siue diuitiarum, siue nobilitatis, sicut habetur ratio dignitatis, sic quærit *glos. Verbo Impotentiam in capit. Constitutus 46 de appellat.* & respondet ita Argum. quod sic &c. sed contra videtur, vt paupertas præferatur &c. si omnes aliæ circunstantiæ essent pares hinc inde, satis potest recurri ad diuitias, seu potentiam, vt per eas subleuetur Ecclesia.

Quando per legem prohibetur potentioribus, vel per contractum ne emant, vel in eos fiat cessio, aut quid simile. Qui intelligantur potentiores? hic quæri potest. & *glos. Vlt. in l. si ita quis 135. §. ea lego ff. de verbo obligat.* dicit, Ecclesiam potentiorem dici *&* *in l. vlt. C. de iur. emphyt. verbo vetari* per iura, quæ allegat, militem, Curialem, clericum, & Ecclesiam esse potentiores, sequitur *Ias. in d. §. ea lege num.* 12. quem omnino videas, *vbi num.* 13. sic notabiliter ait. Secundo habes ex ista glos. dum dicit imo licet in suis, quod prohibitio alienationis iuris emphiteutici ne alienetur in potentiorem non intelligitur de alienatione, quæ fit in suis filijs, vel descendentibus etiam si sint potentiores, quam glos. teneas menti, quia forte non habes in iure similem, & pro ista glosa bene facit, nam ratione suitatis, ista videtur potius continuatio dominij à patre in filios suos, & non alienatio *l. In suis ff. de lib. & posth. vnde not. ex ista glos. Bart.* quod licet sit filius maior, & potentior patre, forte factus marchio a rege non comprehenditur inter potentiores prohibitos, imo plus tenet *Bald. in l. ea lege nu.* 15. *C. de condict. ob caus.* dicens plus dico e contra, quod filius in patrem *per l.* 1. *(vbi opt. tex.) C. de impon. lucrat. desc. lib.* 10.

Dicitur etiam potentior ad prædictum effectum familiaris Cardinalis, nam alienatio facta in eum lite mota, in potentiorem facta dicitur, vt notant *doct. in c.* 2 *de alienat. iud. mut. eminent. Card. Paris. cons.* 96. *num.* 16. *vol.* 4.

Impotentiam non præiudicare cuiquam disponit *tex. in cap. ex ratione* 8. *de appellat.* ibi. Per impotentiam vos cõstiterit omisisse, nolumus, quod iustitiæ vestræ debeat preiudicium generari. Et facit illud generale, quod si per me non steterit, mihi non imputatur, vt ibidem notat *glos. vlt. ad fin.*

Impotentia proueniens ex nimia senectute, vel corporis debilitate bene nos repellit a promotione, ita dicit *glosa Verbo impotentiam in capit. Constitutis* 46. *de appellat.*

Precarium.

ALiud est de iure ciuili, quod precibus ad vtendum alicui datur, & istud reuocari potest. quandocunque non obstante aliquo pacto, vt de prima parte dicit *Vlpian. in l* 1 *ff. de prec.* vbi etiam dicitur in quo distat a donatione, & in quo simile sit commodato, & de secũda *Cels. in l. Cũ precario* 12 *eod tit.* Cũ precario (inquit) aliquid datur si conuenit, vt in K. l. Iul. precario possideat: nunquid exceptione adiuuandus est, ne ante ei possessio auferatur? & nulla vis est

huius conuentionis, vt rem alienam domino inuito possidere liceat, & ratio ponitur *per Bart. in Summario*; quia pactum contra substantiam contractus est nullum, & in hoc differt precarium etiam accommodato; nam commodatum vsque ad præfinitum tempus non poterit reuocari a commodante *l. In commodato 17. §. sicut autem* voluntatis, & officij magis, quam necessitatis est commodare: ita modum commodati finemque præscribere eius est, qui beneficium tribuit. Cum autem id fecit, id est postquam commodauit: tunc finem præscribere, & retro agere, atque intempestiue vsum commodatæ rei auferre: non officium tantum impedit; sed & suscepta est obligatio inter dantem accipientemque; Geritur enim negotium inuicem, & ideo inuicem propositæ sunt actiones &c. *ff. commodat. & gl. cum Bart. in l. 1 ff. de precar.* vbi in quibus differat acommodato dicitur. De iure autem Canonico vltra prædictum precarium datur aliud, quod vocatur precaria, & aliud precariæ concessiones nominantur, de quibus *in cap. 1. §. hoc ius & in capit. precaria 1. & 2. 10. quæst. 2. & in cap. 1. & 2. de precar. & tradit glos. verbo precariæ, & in cap. vlt. eod. tit. vbi ex Host. ponit versus.*

Ria, ria, rium, tria sunt quibus est caput vnum.
Ria sunt solita post singula lustra renasci.
Ria fit ad mortem, nec citra vult reuocari.
Rium finitur, tunc quando vult suus author.

Potest precarium concurrere cum conducto non eodem tẽpore, sed diuerso hoc est id quod precario habetur, potest postea conductione teneri, & e conuerso, *vt in l. si quis ante* conduxit postea precario rogauit: videbitur recessisse a conductione: quod si antè rogauit, postea conduxit: conduxisse videbitur: potius enim hoc procedere videbitur, quod nouissime factum est *ff. de acquir. possess.*

Precario possidens non habet ius aliquod aduersus eum, qui ei concessit, vt est optimus. Et subtilis *tex. in l. 1. §. si tibi* fundum precario concessero, cui via debeatur: deinde tu à domino fundi precario rogaueris, vt hac via ad fundum eum vtaris: an noceat tibi exceptio si aduersus eum velis interdicere a quo precario viam rogasti? & magis est, vt noceat &c. *ff. de itin. act. que priua.* Intelliges tamen, quod qui precario habet non possidet, sed is cuius nomine precario, quis possidet iuxta *l. Certe 6. vers.* is qui rogauit, vt precario in fundo moretur, non possidet, sed possessio apud eum qui concessit, remanet *ff. de precar. Abb. in capit. Cum non liceat 12 de præscript.* vbi dicit ideo non posse præscribere, qui precario habet *num.*

Precarij rogatio ad hæredem eius, qui precario rogauit, non transit; Quippe ipse dum tenet, nõ etiam heredi eius concessa possessio est *l. Cum precario 17. ff. ibid. tit. de precar.*

Præcedentia

Aut datur circa personas, aut circa res, seu verba, aut clausulas. De prima dicitur *in l. vlt. ff. de fid. instr.* sic Semper seniorem iunior, & amplioris honoris inferiori, & marem fæminæ, & ingenuum libertino præferemus & *in l. 1. in fin. C. de offic. mag. offic.* ibi. vt is gradu cæteros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecit anteire, *& in cap. Miramur circa fin. 61. dist.* ita. Nec potest de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis pro moribus castis, pro actionibus

bus strenuis celsioris præmium loci debetur, *& in cap. statuimus ead. dist.* hæc. Cum valde iniquum sit absurdumque, vt imperiti magistris, noui âtiquis præferantur rudes emeritis.

De secūda sumpta in plurali numero neutrius generis dicitur, quod præcedentia expressa, & clara limitant, & declarant subsequentia generalia, prout tenet *Bald. per tex. ibi in l. Legatorum 34. §. Qui plures ff. de legat. 2. & glosa verbo inferiore in l. si cum fundum 126. ff. de verb. sig.* ibi & contra, præcedentia restringunt sequentia de cuius tex. intellectu idem *Bald.* vbi supra, & ad vtrumque est optimus *tex. in l. si seruus plurium 53. §. vlt ff. de legat. 1. in fin.* ibi. Item earum, quæ præcedunt, vel quæ sequuntur summarum scripta sunt spectanda, *& glos. Verbo præcedat in cap. Causam, quæ 18. de rescript.* ibi. & ita quandoque clausula sequens determinat præcedentia, & quandoque præcedens sequentia, prout iuris ordo requirit *ex cap. Apost. 32. quæst. 7.* ibi quid respondebimus de hoc, quod dicit posterius, & vir vxorem suam non dimittat? quare non addit excepta causa fornicationis, quod dominus permisit, nisi quod similem formam vult intelligi, &c *& cap secundo requiris 41. de appellat.* ibi. Cum (sicut vtriusque iuris argumenta nos docent) ea quæ in principio ad medium, & ad finem: illa vero, quæ in medio ad finem atque principiū referri contingat, & alia iura, quæ ibidem *glo. verbo vtriusque iuris.* Notabis tamen cum *Bart. in l. si quis ex argentarys §. si initiū,* quod præcedens clausula potius subsequentem declarare debet, quam e contra, vt ibidem *num. 1. ff. de edend. & in l. Auia in princip. ff. de cond. & dem.* Præcedens clausula, sū clare per se, & specialiter aliquid decernit, ad vniuersalem statim sequentem referri non debet, prout deducitur, ex *l. Cohæredi 41. §. Qui patrem. & filium pro parte hæredes instituerat,* & inuicem substituerat: reliquis cohæredibus datis, post completum illem, ita scripsit. Hos omnes inuicem substituo. Voluntatis fuit quæstio an commemoratione omnium patrem, & filium substitutioni cohæredum immiscuisset, an eam scripturam ad cæteros tantum transtulisset? Quod magis verosimile videtur propter specialem inter patrem, & filium substitutionem *ff. de vulgar. & pupill: & ita tenuit Bald. in l. 1 num. 5. C. de legit. hæred.* ibi. Consului contrarium, quia quando prima clausula habet propriam, & specialem determinationem clausula vltimo posita non refertur ad illud, *vt not. in l. 1 §. deinde ff. postul. & de legat. 1. l. Talis scriptura.*

Præceptor.

Nostros præceptores, sequi debemus iuxta *l. si ædibus 32. ff. de dam. infect.* ibi. Nostri præceptores negant &c. & ibi, & est plene nostrorum præceptorum hæc sententia.

Præceptor docendo discit vt deducitur *ex l. 1. C. de excusat. artif.* ibi. Quo magis cupiant, & ipsi peritiores fieri, & suos filios erudire *lib. 10. vbi glos. Verbo fieri* ita.

Discere si quæris doceas, sic ipse doceris,
Nam studio tali tibi proficis atque sodali.

Alia iam dixisti supra Verbo *Magister.*

Digitized by Google

Præceptum.

HOc dicitur fieri per Verbum teneri, vt declarat *Pontif. in Clem Exiui de verb. sig.* ibi. Vbicumque ponitur in regula, hoc vocabulum, teneantur, obtinet vim præcepti, & obseruari debet à fratribus, sicut tale, & per quæ alia verba fiat, & consilium, vide *Ant. de Butr. in cap. Nam & concupiscentiam de constit.*

Præcepto Domini non obedire peccatum est, & consilio si vti nolueris minus boni adipisceris: non mali aliquid perpetrabis *ex D. Augustin. refertur in cap. quisquis 14. quæst. 1. vbi in fin. ex Gregor.* ita: quod præcipitur imperatur, quod imperatur necesse est fieri, si non fiat pœnam habet: vbi consilium datur offerentis arbitrium est, vbi præceptum necessitas est seruientis, vt obediat, vel imperantis, vt ei obediatur.

Iussus, & præceptum æquiparantur, quia necessitatem imponunt. vt dixisti verbo iussus, & adde *glossa Verbo Quemadmodum in l. 1. ff. quod iuss.* ibi. Iussus importat necessitatem, *vt Inst. de Attil. tut. §. pen.* & nota prouerbium rogatio domini præceptum est: sed mandatum spontaneam obsequij præstationem. Quinque nouas ponit differentias inter mandatum, & præceptum *Felin. in capit. eam te num 9. de rescript.*

Præcepto iudicis etiam sine ordine, & causæ cognitione parẽdum est, & qui eo facit excusatur, quia parere necesse habet *l. Non videtur 128. vers. Qui* iussu iudicis facit non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet *ff. de reg. iu. vbi gl.* sic interrogat, sed quid si iniuste? Dicunt quidam ei non parendum, & qui paruerit tenetur. Tu dic: aut præcepit aliquid exercendo officium suum, aut sicut quilibet priuatus. Primo casu, qui paret, nec in dolo, nec in culpa est, vt in domo diruenda, & similibus: quamuis iniustum sit præceptum iudicis: & hoc propter rerum iudicatarum authoritatem. *vt sup. ad Trebell. l. seruo inuito §. Cum prætor.* & propter publicam vtilitatem, quæ est vt maleficia puniantur &c. in quibus puniendis subiecti præstare debent suum auxilium, vt &c & quia præsumendum est iuste latam, sicut iurauit, vt &c. si vero non exequatur officium suum, dico nullatenus parendum, etiam si ius præcipiat, nisi in reuerentiæ exhibitione, vt &c. Nec obstat, quod iurant subiecti parere omnibus præceptis: quia restringitur ad ea, de quibus verisimiliter est actum &c. In casibus non solum non obedire, sed etiam debent resistere officiales sui, vt &c. Prædicta distinctio in atrocibus potest intelligi: at in his, in quibus non est dolus, etiam extra officium suum, parens excusatur &c. Vide etiam *glos. verbo obedientiam in cap. Ad aures de tempor. ord.*

Si quis, quod decreto prætoris non obtẽperauerit, ductus sit, non est in ea causa, vt agat iniuriarum propter prætoris præceptum dixit *Vlpian. in l. Iniuriarum 13 ff de iniur. vbi glos.* propter prætoris addit, authoritas maioris excusat, præsumitur enim iustum præceptum, vt per *glos. in ead. l. verbo non videtur.*

Præceptum legis mitius esse præcepto testatoris, dicit *glos. vlt in fin. in l filio 7. ff. vt legat. nom.* non tamen in præcepto de non alienando, quia hoc si appositum fuerit nudũ à testatore non obligat hæredem, iuxta *l. Lucius 91. ff. de legat. 3.* ibi. Nihil proponi contra voluntatem defuncti factum, quominus ad hæredem pertineant, cum hoc nudum præceptum esset.

Preces

SI fuerint importunæ videntur inducere Simoniam, vt dicit *glos. Verbo solicitasse in cap. per inquisitionem 26. de elect. Innoc. in cap. Tuam in princip. de atat. & qual.* quod potest confirmari ex his, quæ *Senec. lib. 2. de benef. cap. 1.* ibi. Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit: Quoniam &c. nulla res carius cõstat, quã quæ precibus empta est: Nec est magna differentia inter pretium, & precem licet deterius sit pretio corrumpere, quam precibus, vt inquit *glo. verbo. In solidum in l. si non solum 10. ff. si quis omiss. cau. testa.*

Quamuis alias non referat per quem preces offerantur, vt notat *glos. Verbo priuamus in cap. 2. §. Ad hac de haret lib 6.* tamen speciale est in in eo tex. quod habentes beneficia ecclesiastica ad preces hæreticorum, sunt priuati illis beneficijs.

Quod preces potentum inducant metum ponit *Felin. in cap. 1. sub num. 2. vers. An autem preces de offic. delega, & facit glos. Verbo quemadmodum in l. 1 ff. quod iuss.* iam supracitata Verbo præceptum. ibi. Rogatio domini præceptum est.

Frustra precibus impetrari, quod iure communi conceditur vulgare est *ex l. vnic. C. de Thesau. lib 10.* ibi. vt superfluum sit hoc precibus postulare, quod iam lege permissum est, cum alijs *per glosa ibidem Verbo lege.*

Præcipitatio.

GEneraliter reprobatur, vt statim dicam, & præcipue in proferendis sétentijs. Nam *in cap. Deus omnipotens 2. quæst. 1.* ita inuenies. Ne præcipites in discutiendis negotijs essemus: & ne mala proximorum prius quisquam præsumat credere, quam probare: cuius exemplo mouemur, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites simus, aut temere indiligenterque probata in discussa quoq; iudicemus &c. nec præcipitanter quicquam agat aliquis, notat etiam *glos. verbo iustam in fin. in cap. Cum Bertoldus 18. de re iud. ibi & sic est arg.* quod iudex nõ debet nimium festinare ad sententiam. & Calixtus Papa *in cap. Ponderet 50. dist.* Tempore indigemus, vt aliquid maturius agamus, ne præcipitemus consilia, & opera nostra, neque eorum ordinem corrumpamus, vnde dixit *Cardinal. in Clem. Pastoralis de re iud.* quod festinatio in causa est nouerca iustitiæ *ex eod. tex.* ibi. Quia huiusmodi sententia, quæ non a discretione matre virtutum, sed a nouerca iustitiæ voluntaria scilicet iudicantis præcipitatione, est ergo præcipitatio iniquitas, seu iniquitatis operatio, si quidem odit iustitiam, & probatur *ex glos. vlt. in cap Non in perpetuum 24. quæst. 3.* ibi. Iniquitas enim omnia præcipitat, virtus autem lenta est, & omnium percunctatrix, & *Origen.* ita. Læta virtus cunctatrix, ante iudicat, quam incipiat, quid decorum, quid honestum sit, iniquitas autem omnia præcipitat, & addit *glos. Verbo nouerca in dict. Clem. Pastoralis.* ita, sicut se habet nouerca ad priuignos, quæ sæuire solet in illos, sic se habet ad iustitiam voluntas præcipitata iudicis: vnde dixit quidam.

Gaudet in afflictos sæuire nouerca potestas.

Et glos. Verbo celeritate in cap. vlt. de elect. lib. 6. per tex. ibi. Celeritate præferens cupiditatem propriam iuri, & inordinatum affectum etiam æquitati, sic ait. Nota quod hic reprobatur celeritas, & est generale in omnibus personis promouendis &c. Item propter rei nouitatem

tem &c. Item propter reuerentiam Sacramenti recipiendi &c. Item propter metum incommoditatis emergentis &c. Item propter honestatem, vt res carior habeatur &c. Item propter certitudinem habendam &c. Item propter reuocandi difficultatem, vt in dandis sententijs &c. vel in ipsarum executione &c. Idem in legibus condendis &c. Item propter rei dignitatem &c. Item propter periculosam Sacramenti iterationem &c. Interdum autem desideratur acceleratio propter metum contaminationis &c. propter metum defectus &c. propter metum vsurpationis &c. propter magnitudinem transmigrationis &c. propter inobedientiæ culpã propter debitum obedientiæ, propter rectitudinem dispensationis. Item propter periculum imminens, vt in vacatione Ecclesiæ &c. vnde & cautio damni infecti celeritatem desiderat. Sed notabis, quod in his casibus, & similibus, vbi desideratur celeritas, si non est determinata, ad arbitrium iudicis refertur, vt dixit *glos. verbo celeriter in cap. Non est 7. de regular.*

Vbi vero expresse celeritas non requiritur, læta virtus cunctatrix sequenda est: Nam interest viuentium ne præcipitentur, vt dixit *glos. Verbo si non protinus in l. Diuortio 37. ff. de negot. gest. per tex.* ibi. Non enim e vistigio in officio deliquit, si non protinus distraxit &c. præterire denique aliquid temporis debebit &c. quod clarius dixit *Vlpian. in l. 6. ff. de interrogat. act.* & quia, inquit hoc defunctorum interest, vt successores habeant: interest, & viuentium, ne præcipitentur quandiu iuste deliberant & ne alij festinatione alterius lædantur vt inquit *Paul. in l. Cum solus 67. ff. de acquir. hared.* & quia nihil ordinatum est, quod præcipitatur, & properat, vt dixit *Senec. Epist.* 40.

Vnde ascendendum est de gradu ad gradum, nam qui nimis festinat se ipsum præcipitat, prout summatur *l. vt gradatim 11. ff. de muner. & bonor.* & propter festinationem priuatur, quis præmio alias sibi debito iuxta *l. edicto 13. §. Cum ante apertum testamentum ff. de iur. fisc.* ibi. Neque enim dignam esse præmij tam præcipitem festinationem, & alias punitur festinatio, vt notat *gl. verbo amittat in l. 2. C. de secund. nupt.* ibi. Non enim matrimonium, sed nimia festinantia punitur.

Prædestinatio.

Licet hæc magis Theologis, quam Iuristis conueniat, tamen quia apud istos etiam aliqua inueniuntur de prædestinatione scripta breuiter, ne mittamus falcem in alienam segetem, Dicimus cum *Abb. in proæm. decretal. verbo. Rex pacificus sub num. 7.* quod prædestinatio est præparatio gratię, & prędestinatus nullo modo damnari potest. Vnde prædestinatio est ad bonum, præscientia ad malum. Non tamen intelligas, quod prædestinatio, vel præscientia necessitet ad bonum, vel ad malum; sed quia Deus sciebat aliquos esse casuros, ideo illos non prædestinauit: alios vero quos sciebat ad bonum reuersuros, prædestinauit, & de vtroq; est *tex. optim. in cap. vasis iræ 23. quæst. 4. vbi Augustin. in hac verba.*

Vasis iræ nunquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inuenitur homo habere peccatum: quia nec Deus peccanti homini iustè inferret iram, si homo ex prędestinatione Dei cecidisset in culpam. Prædestinationem Dei, siue ad bonum, siue ad malum in omnibus operari ineptissime dicitur, vt ad vtrũque homines quædam necessitas videatur impellere: cum in bonis voluntas sit intelligenda non sine gratia: in malis autem voluntas intelligenda sine gratia.

Cum

Cum vero aliquos a Deo, aut traditos desideriis suis, aut obduratos legimus, aut relictos magis in peccatis suis, hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorum crimina præcesserunt, vt ipsi sibi pœnam debuerint, qua eis etiam supplicium verteretur in reatum: atq; ita nec de iudicio Dei querimus, quo deserit meritos deseri: & misericordiæ eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinauit; sed ideo eum non prædestinauit, quia recessurum ab obedientia esse præuidit.

Prædestinatio quoque Dei semper in bonum est: quæ peccatum sola voluntate hominis commissum, aut remittendum nouit cum laude misericordiæ: aut plectendum cum laude iustitiæ. In malis autem operibus nostris, sola præscientia Dei intelligenda est: quia sicut præsciuit, & prædestinauit, quæ ipse fecit, & vt faceremus, dedit: ita præsciuit tantum, non etiam prædestinauit, quæ nec ipse fecit, nec vt faceremus exegit. Hi autem de quibus dicitur, ex nobis exierunt, sed non fuerint ex nobis: si enim fuissent ex nobis mansissent vtique nobiscum: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt: & quia præsciti sunt casuri, nõ sũt prędestinati, essent autẽ prędestinati, si essent reuersuri, & in sãctitate ac veritate mãsur. Ac per hoc prędestinatio Dei multis est causa standi: nemini est causa labendi. Non ergo necessitatem facit correctionis, vel obdurationis diuina prædestinatio, seu præscientia: cum boni per gratiam corrigantur, & libero arbitrio mali pereant. Nec enim quia prædestinatio, seu præscientia Dei falli non potest, necessario eueniunt, quæ prædestinantur, vel præsciũtur: sicut nec necessario prædestinantur, vel præsciuntur, quæ futura sunt; sed quia bona absque eius gratia, mala præter eius scientiam euenire non possunt.

Quamuis ergo conuenienter dicatur, si hæc prædestinata sunt, vel præscita, necessario euenient: non tamen ideo absolute verum est, sed necessario eueniunt, quæ prædestinata sunt, vel præscita: quia hic necessitas refertur ad verum euentum, ibi ad intuitum diuinæ præscientiæ, *vnde Augustin.* Duæ sunt (inquit) necessitates: simplex vna: veluti necesse est omnes homines esse mortales: altera conditionis: vt si aliquem ambulare, quis scit eum ambulare necesse est. Quod enim quisque esse nouit: id esse aliter, quam notum est nequit. Sed hæc minime secum illam simplicem trahit: hanc enim necessitatem non propriam facit natura, sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntate gradientem: quamuis eum: tunc cũ gradiatur incedere necessarium sit. Eodem igitur modo si quid prouidentia presens videt, id necesse est esse: tametsi nullam naturæ habeat necessitatem. At quidem ea futura, quæ ex libertate arbitrij proueniunt, præscientia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata diuinum necessaria fiunt per dispositionem diuinæ notionis. Per se vero considerata, absolutam naturæ suæ libertatem non deserunt. Fient igitur procul dubio cuncta, quę futura Deus esse pręnoscit: sed eorum quædam de libero arbitrio: quæ quamuis eueniant, existendo, tamen naturam propriam non amittunt: quæ priusquam fierent, etiã non euenire potuissent.

His omnibus mala nostra libero ascribuntur arbitrio: cum alibi diuinæ adscribantur indignationi. *Vnde Gregor.* Cum suprema indignatio sese (vt ita dixerim) medullitus mouet: hanc opinio, vel oppositio humana non remouet: nec se cuiuslibet vtiliter deprecatio o-

bijcit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit. Hinc est enim, quod Moyses, qui reatum totius plebis, apud Dominum suis precibus tersit: dumque se obicem obtulit diuinæ iracundiæ vim placuit: ad petram Oreb veniens, & pro aquæ exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi domino irascente non potuit.

Item August. De Tyrijs vero, & Sydonijs, quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum desuper, vt crederent: quod credituros fuisse ipsa Veritas, docet, si talia qualia apud non credentes facta sunt virtutum signa vidissent. Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant si possunt, qui calumniantur: & ostendant cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit; apud eos, quibus profutura erant, non fecerit. Nos enim si ratione facti profunditatem iudicij eius penetrare non possumus: manifestissime tamen scimus, & verum esse, quod dixit, & iustum esse, quod fecit: & non solum Tyrios, & Sydonios, sed etiam Corozaim, & Bethsaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis voluisset Dominus operari: neque enim vlli falsum videri potest, quod Veritas ait: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo.

Itē qui per prophetam Iudaicæ plebi promisit: Ecce ego sepiam vias tuas spinis, & muniam eas lapidibus quadris: id est adimam tibi facultatem peccandi. idem per Psalmistam de damnandis dixit: Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum; & Angelus Domini persequens eos, sed in his omnibus vitia nostra humanæ adscribuntur mentis arbitrio, quod diuina clementia in electis misericorditer vertit ad bonum: in dānandis iuste relinquit ad malum, sicut ergo quamuis certissime sciamus neminem vltra terminum à Deo sibi præfixum esse victurum, omnibus tamen languentibus non incongrue medemur: sic quamuis nemo saluetur, nisi prædestinatus ad vitam, omni tamen delinquenti est adhibenda correctio: nec malorum est negligenda disciplina.

Ex supradicto igitur tex. clarissime colligitur, quod prædestinatio est solius Dei miserentis ad saluandum bonos, præscientia vero iuste ad damnandum malos Reliquas vero quæstiones de materia, quæ latissimæ sunt, atque difficiles relinquimus DD. Theologis: tum quia, non est seges nostra: cum etiam, quia Apolecta nostrum de quæstionibus non agit, sed solum de textibus, & glos. vt sæpe diximus. Possem, certe afferre non paucos de prædicta materia tractantes optimas quæstiones per me visas. Verum ex iam dictis causis, taceo.

Prædicator.

INter cætera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaxime sibi noscitur esse necessarium: quia sicut corpus materiali: sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Vnde cum sæpe contingat, quod Episcopi propter suas occupationes multiplices vel inualitudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobandum est omnino, nec de cætero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare verbum Dei populo, maxime per amplas diœceses, & diffusas, generali constitutione sancimus, vt Episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere, & sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum (cum se ijdem nequiuerint) solicite sollicitantes, eas verbo ædificent,

cent, & exemplo: quibus ipsi cum indeguerint congrue necessaria subministrent, ita decreuit *Innoc.3. in Concil. generali relatus in cap.15. de offic.ord.*

Notabis *ex dict. tex.* qualiter Episcopi tenentur ad prædicandum, & si sunt impediti eligere debent idoneos viros suis expensis ad dictum prædicationis munus, quod notauit *Apostill.ad Auth. vt null. Iud. coll.9.* ibi sic Episcopus tenetur mittere predicatores per diœcesem suam suis expensis.

Idoneus autem ille erit in hac materia, qui potens in opere, & sermone inuenitur, vt prædictus tex. ait, & notabis, quod prius ponitur in opere ad imitationem Christi Domini, qui primum cœpit facere, & postea docere *Act.1.* Nam si vitam non duxerit exemplarem ipse, & eius predicatio despicietur iuxta illud *Gregor. in capit. Infames in fin 3. quæst.7.* ibi. Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur a quo sumpsit per eadem Verba *Pont. in Extrauag.1. de priuileg. int. com. & in cap. Qui sine peccato ead.3. quæst.7. idem Greg.* sic. Reuocentur igitur intus ad conscientiam, vt prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant, *& in fin.* ita. Nisi quod prius ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpe feriuntur, vt ipsi iam mundi per vltionem veniāt, qui aliorum vitia corrigere festinant, *& Ambros. in capit. seq.* multa quæ videas. Quo ad vero sermonem, dicit *tex. in capit. Ecclesiæ principes 35. dist.* hæc, An non confusio, & ignominia est Iesum crucifixum pauperem, & esurientem fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre? si in Apostolorum loco sumus non solum sermonem eorum imitemur, sed etiam conuersationem, & abstinentiam.

Nec etiam fabulæ in prædicatione afferri debent ex ratione *tex. in cap. Cum multa 86. dist.* ibi. Quia in vno ore se cum laudibus Iouis, Christi laudes non capiunt. Nec in sermonibus suis prælatis detrahent, vt inquit *Clem.1. §. Quibus de priuileg.* & quia non est humilitatis meæ atque mensuræ de ministris Ecclesiarum sinistrum quippiam dicere, vt ait *glos. Verbo detrahant in d. §. Quibus ex D. Hieronym. ad Rust.* habeant illi ordinem suum, & gradum.

Aduertant tamen, qui Verbum Dei audiunt, quod quanquam sacerdotem tam a suis, quam ab alienis criminibus oporteat esse immunem: licet aliorsum sese habuerit, non ideo verba suæ prædicationis debent contemnere. Sicut enim (vt ait Hieronym.) lixiuium per cinerem humidum fluens lauat, & non lauatur: ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lauat a sordibus peccatorum, prout ita dixit *Anacletus Papa cunctis fidelibus in cap vlt §. vlt.83. dist.* & facit, quod dicit *Augustin.* contra hæreticos relatus *in cap. si iustus fuerit 1. quæst.1.* ibi. Qui vero fuerit superbus minister, cum Zabulo computabitur: sed non contaminatur donum Christi: quia per illum purus fluuius transit, & venit ad fertilem terram: scio quia lapis ex aqua fructum ferre non potest: & si per lapideos canales transit aqua ad areolas in canali lapideo: sed ortus plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus Sacramenti, vt lux pura ab illuminandis excipitur: sed per immundos transiens non coinquinatur.

Non licet mulieribus prædicare, etiam si prælatis, nec maribus laicis, nec clericis, nisi sint curati, vel super hoc priuilegiati, ita ponit *glos. Verbo prædicent in Clem.1. de religios. dom.*

Prædicatio verbi Dei in diuinis includitur, sic *glos. Verbo Ad diuina in Clem. vnic. de for. compet.*

Præiudicium.

NOn censetur princeps alicui facere per suas litteras *cap. Cum inferior. in fin. de maior. & obed.* ibi. Absque alieni iuris præiudicio, *vbi glos. vlt.* ita, & sic Papa non intendit alij per suas litteras præiudicium irrogare, *& in l. si quis à Principe* ibi. Non est credendus sic ædificare, vt cum incommodo alicuius id fiat, & *§.* Merito ibi. Ista oportet permitti, vt sine iniuria cuiusq; fiat, & ita solet Princeps &c. *ff. ne quid in loc. pub. & in cap. super eo 15.* ibi. Non tamen intentionis nostræ diœces. Episcopo vel Archipresbytero, vel Archidiacono præiudicium generare *de offic. deleg. vbi glos. Verbo intentionis.* Alia concordantia. Si autem præiudicium sibi facienti patrocinetur quis, ipse sibi præiudicat, vt dicit *glos. verbo patrocinabatur in cap. ex litteris 6. de transact.* ibi. Qui enim scienter patrocinatur petenti rem suam sibi præiudicat, & eodem modo si quis, cui primo competebat alicuius rei actio permisit sequētem agere præiudicium sibi fecit, prout inquit *glos. vtraque pars in cap. veniens 38. de testib.*

Per colonum præiudicium possessioni, inuito, vel inscio domino imponi non posse, & iure, & legis authoritate declaratur, sic *l. 17. C. de agricol. & cens. lib. 11.*

Prælati.

NOmine prælati Ecclesia intelligitur, & prælati monasterium, sic dicit *glos. pen. in capit. edoceri 21. de rescript. per tex.* quem allegat *in l. Annua §. 1. ff. de ann. legat.*

Electio seu postulatio prælati postquam est præsentata Pontifici, amplius non potest reuocari ex ratione *tex. in capit. Bona 4. vers. nec obstabat de postul. prælat.* ibi. Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium approbatur, & præsentatur Rom. Pontif. approbanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent. & iudicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur.

Quanto tempore prælatus electus potest abesse, & expectari est dictū *verbo Absentia, & verbo electio.*

Qui in prælatum eligitur, & si minor sit, non debet esse sub patris potestate, ita *glos. pen. in cap. 3. de ætat. & qual.*

Nullus autem se ingerere debet Ecclesiasticæ prælationis officio, dicit *cap. Per nostras 26. de iur. patr. vbi glos. Verbo ingerere* sic hoc ipso tanquam ambitiosus debet repelli &c. quia non ambitione, sed labore vnumquemque ad honorem conuenit peruenire.

In prælatis maior requiritur obseruantia, iuxta *cap. Qualiter, & quando 24. de accusat.* ibi. Diligentius tamen est obseruandum in prelatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam: & quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo teneantur non solum arguere, sed etiam increpare: quin etiam interdum suspendere, non nunquam etiam ligare, frequens odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. Vnde dicitur *in Conc. Trid. sess. 6. de reform. cap. 1.* Ad restituendum colapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam, deprauatosque mores emendandos &c. ab ijs, qui Ecclesijs maioribus præsunt initium censuit esse sumendum. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum.

Quod enim agitur a prælatis facile trahitur a subditis in exemplum iuxta, quod Dominus inquit ad Moysem in Leuit. Si Sacerdos, qui est vnctus peccauerit faciet delinquere populum, prout inquit *c. Magna 7. de Vot. vbi glos. verbo agitur,*

gitur, sic iuxta illud componitur orbis regis ad exemplum: Nam prælati sunt tanquam signum ad sagittam, vnde inferiores vitam eorum respiciunt, *& gl. Verbo Abbates in extrauag. vnic. de cens. inter com.* ibi. Quia quod agitur a prælatis, cito a subditis trahitur ad exemplum &c. Alias tot mortibus digni sunt quot perniciosa exempla.

Non sufficit prælato, quod sit bonus in se, nisi etiam sit quantum est in se bonus in subditis, ait *glos. Verbo in subditis in Clem. 1 de ætat. & qual. per tex.* ibi. diligentius obseruent per se ipsos, & faciant a suis subditis obseruari.

Faciant prælati Ecclesiarum, quod sint imitatores Nabuthæ, qui vineam suam cruore defendit: imitentur Ambrosium idem dicentem: Si vultis corpus occidere, occurram, vultis in vincula rapere, vultis in mortem? voluntas est mihi, pro altaribus gratis immolabor, vt refert *glos. in capit. 3. de immun. Eccles. lib. 6*

Oportet prælatos cum caritate corrigere, decet eos inferre humiliter, quod docent, & paterna subiectos dilectione fouere, sic debitor delicatus effugitur, sic onerosus creditor minime reperitur ita ait *Extrauag. 1. de offic ord. int. com.* Alias multum longe a paterna pietate videretur, si præpositi subditis suis graues existerent, quos in cunctis necessitatibus pastoris debent more facere, vt inquit *glos. Verbo caritatiuum in Extrauag. vnic. de censib. int. comm.* Si vero non corrigit, & tacet eo ipso consentit, & ex eo permittitur securitas delinquendi, vt dixit *glos. 1. in cap. Irrefragabili 13. de offic. ordin.*

Decet vt & prælati, & alij tam exempti quam nō exempti, suis iuribus sint cōtenti, & alter in alterius iniuriam non prosiliat, seu iacturam, ait *tex. in Clem. vnic. iuxta fin. de excess. prælat.* Nec debent plus extorquere a subditis, quā soluant, ne in eorum damnis lucra sectantes, quærant prædam potius, quam subsidium in subiectis, *vt in cap. Quia plerique 8. de immun. Eccles.* Si enim contra egerint, & male se habuerint, poterunt eis subditi resistere *vt infra verbo subditus.*

Aduertes tamen, quod malus prælatus, & si non habeat diadema Sanctitatis, habet tamen diadema dignitatis, quæ ex se, nec de se peccauit, licet suppositum, cui dignitas inerat male egerit, propter quod dignitas sibi iniuncta infecta fuit, vt inquit *glos. verbo bonæ mem. in Extrauag. vlt. de hæret. int. com.* Vnde videtur, quod ratione dignitatis non debet resistere subditi. Et satis est, quod si fuerit malus prælatus, timeat bonos subditos, vt alias dicit *glos. vlt. in l. 3. C. de Palatin. lib. 12.* Nam confusio erit malo prælato, malū esse bonis præsidendo. Quanto enim quilibet præest melioribus, tanto maior ipse, & honestior esse debet, vt dicitur *in Auth. de defensor. ciuit. §. 1. vers. Nos igitur coll. 3.*

Ob prælati delictum, Ecclesia ad tempus priuatur feudo, ita summat *Bart. cap. vlt. de capitul. Corradi in feud.* Quod intelliges durante vita illius prælati postea vero ad successorem reuertetur, vt ibidem dicitur. Quia factum prælati non debet Ecclesiæ aliter imputari, vt dicit *glos. de veritate in cap Dudum 54. de elect.* Quando autem confessio prælati præiudicet Ecclesiæ dixisti Verbo confessio.

Prælati statum maiorem esse religiosorum asserit *glos. vlt. ad med. in Extrauag. Cum inter de Verb sig.* sic dicens. Cum status prælationis videatur, posse dici maior, quam status Religiosorum profitentium paupertatem, cum de statu religionis transeant ad statum prælationis pontificalis &c. quod Ecclesia non permitteret, si status prælationis minoris esset perfectionis, quam Religionis.

In-

Institutio prælati plus iuris tribuit, quam patroni præsentatio, iuxta *cap. Cum dilectus 6. de offic. legat.* ibi. Cum igitur plus iuris habeat in concessione prælatus, quam in præsentatione patronus, nec præiudicatur prælato. Si quando per Apostolic. Sed. Legatum eo inconsulto Ecclesia concedatur. Ex ratione, deducta ibidē *per glos. Verbo plus iuris,* quia ex præsentatione patroni, non consequitur, quis plenum ius, eo quod ante confirmationem prælati potest patronus variare.

Illud generaliter traditur, quod quilibet prælatus collegiatæ Ecclesiæ licet subsit Episcopo, est tamen iudex ordinarius in plebe sua, & habet iurisdictionem cognoscendi, & excommunicandi, ita ponit *glos. Verbo Ecclesiastica in cap. 3. de offic. ord. idem Apostill. in Auth. de defensor. ciu. §. 1. in fin. coll. 3. per tex. in cap. Cum ab Ecclesiarum de offic. ord. & glos. in capit. Quanto 7. eod. tit.* vbi vltra alia sic. In omnibus his potissimè consideranda est consuetudo cuiuscunque Ecclesiæ, quæ dat iurisdictionem, quod probat etiam *text. in cap. Duo 9. eod. tit.* ibi. Vel prisca consuetudo illis contulit ab antiquo. Quam iurisdictionem eijcere non poterit: Sicut enim subditus non potest eijcere iurisdictionē episcopalem, sic nec prælatus suam iurisdictionem, vt inquit *glos. 2. in cap. Cum venerabilis 21. de censib.*

Quod si fuerit lis inter prælatū, & subditū suspensa erit iurisdictio prælati, ac si esset appellatum ab eo, cum ex odio videatur procedere, negotio cœpto, ita argumentatur *glos. 2. in cap. pen. de accusat. & affert* alia argumenta in contrarium: verba vero eiusdem *tex.* sunt. Præmiso, vt negotio ipso pendente præfati monachi eidem abbati obediant & intendant, ita tamen, quod per hoc prosequutio negotij non valeat impediri.

Prælatus sine assensu Capituli conuenire, vel conueniri non potest, ita dicit *glos. in cap. Causam quæ 9. de iudic.*

Nota ius nouum, vt prælatus iuret in animam suam, & fratrum, vel maioris partis, olim solus prælatus præstabat iuramentum hoc, ita *glos. Verbo Conuentuum in cap. 2 de testib. lib. 6.* cuius verba sunt. Abbate, & priore nomine suo, & in animas conuentuum eorumdem, vel maioris partis ipsorum recepto iuramento, de veritate dicenda.

Si prælatus accepit pecuniam mutuo, videtur eam conuertere in vtilitatem Ecclesiæ, ita dicit *glos. in casus positione l. vlt. C. ad Macedon.*

Prælatus non solum tenetur de dolo, culpa lata, & leui ad instar tutoris, sed etiam de negligentia, cum etiam propter negligentiam remoueatur, quod potest intelligi cum negligentia crassa est. Sic *glos. Verbo negligentia per texibi in cap. 3. de offic. Archidiac.* Et sic diligens esse debet ad inuestigandam veritatis fidem cum illi compertæ, cedere habeat opinio, vt dicit *glos. verbo volentes in extrauag. 2. de verb. sig.*

Tenentur prælati reclamare contra litteras superioris, si viderint fuisse concessas sinistra informatione, vt notauit *gl. verbo Nuncians in Auth. de mandat. princ. §. Deinde coll. 3. per tex.* ibi. dicens sic. Et hoc est contra miseros prælatos, qui timent in tantum litteras papæ, vt non audeant reclamare, quod facere non debent, dicitur autem in eo tex. quod in multis non debent exequi mandata principum, nisi eis primum nuncient, & ipsi principes secundo præcipiant exequi, cuius verba ponis verbo Princeps.

Felix prælatus ille est censendus, cui vnā Ecclesiam bene, ac fructuose cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit, ita inquit *Conc. Trid. sess. 7. cap. 2. de reform.*

Alia habes infra in verbo præsidens.

Prælegatum.

Est idem, quod legatum, & illud, præ, nihil operatur, sicut, & cum dicitur præcle&ctio, & est figura Epilepsis, vel tantologia secundum *Azon.* vel dic, quod est cohæredi relictum, quod ante, vel extra suam partem habet, sicut, & in dote prælegata, dicitur dotis relictum, quod ante suæ dotis tempus capitur, prelegatum vocatur, prout dicit *glos. in rubr. ff. de dot. prælegat.*

In restitutionem fideicommissi venire prælegata dicitur *in l. 3. §. Quidam liberis ff. ad Trebell.* ibi. Imperator noster rescripsit, præceptiones quoque fideicommisso contineri: quia non portionem hæreditariam testator commemorauit, sed simpliciter, portionem. In portionem autem, & præceptiones videri cecidisse, *vbi not. doct. & in l. In fideicommissariam 18.* ibi. Si legatum sit hæredi relictum, & rogatus sit portionem hæreditatis restituere id solum non debere eum restituere, quod a cohærede accepit. Cæterum, quod a semetipso ei relictum est in fideicommissum cadere Diuus Marcus decreuit *eod tit. & in l. Cum virum 16. C. de fideicomm. Imperatores* dixerunt ex Papiniano non ignorasse, etiam legata, idest prælegata, vt exponit ibidem glos. fideicommisso contineri, idest vbi hæres rogatus fuerit quicquid ex hæreditate ad eum peruenerit, post mortem restituere: animaduertere etiam præceptionis compendium testatoris verbis comprehensum esse, *vbi glos. vlt. destinguit* & intelligit hoc, si antequam rogaretur de restitutione, prælegauit; secus si postea, *vt ff. ad l. falcid. l. Titia*, & prosequitur, sic. Vel dic latius si quæras an prælegationes sint restituendæ, & pro qua parte imputantur in quartam? Distingue an prius restituere, & postea præcipere iussus est, an e contra? Primo casu semper restituet præceptiones, & est ratio: quia non videtur rogasse de eo, quod nondum dederat &c. videas per te, & an sit vera prædicta distinctio, vide *Paul. & Ias.* ibidem illam reprobantes, quod mihi durum videtur, dum adest text. validus *in d. l. Titia 85.* ibi. Quæro an Titius ea, quæ prælegata sunt, etiam pro ea parte hæreditatis, quam rogatus est restituere, integra retinere debeat? Respondi Titium legata integra retinere debere, quod limitabis nisi extraneus fuerit rogatus restituere testatoris filio, vt notauit *Bart. per tex. ibi in l. liberto 21. §. filium ff. de ann. legat. sub num. 6.* ibi. Intellige ergo legem nostram tantum hoc casu, quando extraneus est rogatus restituere partem hæreditatis filio. Sed si essent duo filij inuicem rogati, tunc contrarium erit, vt ibidem dicit.

Hæredi repudianti hæreditatem non debentur prælegata, iuxta *l. Quidam 7. ff. si quis omiss. caus. testa.* ibi. Titio legauit, idest prælegauit (vt per glos. ibidem) Omisso testamento, & cæt. Non probe legatorum actionem Titius postulabit *Bart. in l. Miles §. pro parte num. 2. ff. de legat. 2.* Videtur tamen in contrarium *tex. in l. Qui filiabus §. vlt. vbi expresse sic summat. Bart.* Qui repudiat hæreditatem consequitur prælegatum totum *ff. de legat. 1.* de cuius intellectu videas eundem *Bart. in l. si patroni §. sed nec illud in fin. ff. ad Trebell.* vbi intelligit in certis casibus regula vero est, quod voluntatis ratione legatorum, seu prælegatorum actio denegabitur ei, qui non agnouit hæreditatem, vt dixit *Papinian. in l. Quid ergo 92. in fin. ff. de legat. 1.* Ex quo text. etiam deducitur legata, seu prælegata posse totam absorbere hæreditatem ibi. Plane si pluribus filiis institutis inter eos verbis legatorum bona diuiserit.

Præ-

Prælegata non tollunt, quod hæredes teneantur pro portionibus hæreditarijs, sic enim per *Impp. Seuer. & Antonin. rescriptum est in l.1. C. si cert. pet. in hæc verba*. Neque æquam, neque vsitatam rem desideras, vt æs alienum patris tui non pro portionibus hęreditarijs exoluatis, tu & frater tuus cohæres, sed pro æstimatione rerum prælegatarum: Cum explorati iuris sit hęreditaria onera adscriptos hæredes proportionibus hæreditarijs, non pro modo emolumenti pertinere. In prælegatis locum habere falcidiam disponitur *in l. Et cohæredibus* relicta legata quatenus modus falcidiæ legis præstitutus patitur, posse peti certissimi iuris est *C. ad l. falc.*

Præmium.

VIrtutum præmia tribui merentibus conuenit, & aliorum honores alijs damnorum occasionem fieri non oportet, dicit *l. 4. C. de stat. & imag.* Vnde spe præmij incitamur, vt dicit *glos verbo præmio per tex. ibi in l. lege Cornelia 25. ff. ad Syllan. vbi Apostill.* sic. Vnde apud iudices (*vt Cic. de inuent. lib. 2.* ait) de præmio accusatorum sæpe agitur, & est *tex. in l. 1. C. de assessor.* ibi. spe præmiorũ atque honorificentia sua prouocent eos, quorum prudentiam sibi putant esse necessariam.

Dispendium quis pati non debet, vnde videtur præmium meruisse, ait *cap. 2. de fideiussor. vbi glos.* sic. Similiter e conuerso non debet pręmium consequi, vnde pœnam meretur. Nam vbi puniri debet, non debet præmium reportare, dicit *glos. pen. in l. Testamenta ff. de mil. testa.* & bene probat *l. Milites 13. §. 1. ff. de re milit.* ibi. Illud constat præscriptionis huius commodum, ad eos, qui ignominiæ causa missi sunt non pertinere, quod præmij loco veteranis concessum intelligitur, & ex diffinitione præmij clare patet. Nam illud dicitur, quod redditur alicui in bonum eius, iuxta *D. Thom. in sentent. dist. 29. quæst. 4.* Mali vero bonum non merentur.

Nota quod non debet quis pœnam, & pręmium ex eodem facto habere, ita dicit *glos. verbo Crimen in l. sicut 38. ff. ex ex quib. caus. maio. per tex.* ibidem *glos. verbo Consequi in l. siue 23. ff. de negot. gest.* In casu tamen *l. Decreto 10. ff. de suspect. tut. dicit glos.* ibidem hæc. Item nota hic, quod consequitur quis ex eodem facto præmium, & pœnam, sic *C. de ijs qui sib ascrib. in testa. l. 1. & additio in ead. glos.* ait. Pro solutione, vide distinctionem, quam ponit *Dyn. in capitul Quod ob gratiam de reg. iur. lib. 6.*

Ad hoc propositum incidit quæstio. An præmium promissum reuelanti crimen debeatur indicanti, qui commisit, vel eius socio? & dicendum, quod non, esset enim contra dicta supra proxime haberetque præmium, vnde pœnam meretur, & est optimus *tex. in l. Idem 4. §. si tibi in fin. ff. de condict. ob turp. cau.* quem totum tibi refero. Si tibi, inquit *Vlpian.* ob indicium dedero, vt fugitiuum meum indices, vel furem rerum mearum: non poterit repeti, quod datum est: Nec enim turpiter accepisti. Quod si a fugitiuo meo acceperis, ne eum indicares, condicere tibi hoc possum, quasi furi. Sed si ipse fur ob indicium a me acceperit, vel furis, vel fugitiui socius: puto condictionem locum habere. Licet contrarium dicat probare *Bald. in l. 1. sub numer. 6. vers.* Sed quęro quid in socio criminis *C. de condict. ob turp. cau.*

Et quid in officiali capienti delinquentẽ, debebitur ne illud pręmium? Et dicemus, quod non, Non enim pręstat beneficium, qui officij debitum impendit, & ideo præmium non meretur, vt summant *Bald. & Salicet l. 2. C de oper.*

li-

libert. idem *Bald. in l. Ab hostibus* 12. *sub num.* 1. ibi facit ad hoc, quod dicit quicunque ceperit exbannitum habeat viginti, quod si potestas ceperit, non debet habere; quia facit ex debito.

Præscriptio.

PRoprié, & strictè in rebus immobilibus dicitur, Vsucapio vero in mobilibus. Sed largo modo vtrunq; nomen promiscue sumitur in vtrisque rebus, vt ponit *glos. in rubr. de vsucap. in Instit* per iura, quæ ibi. *& glos.* 1. *in l.* 3. *ff. ead. tit.* ibi. Item large &c. Et diffinitur, quod sit quodam ius ex tempore congruens authoritate legum vim capiens, pœnam negligentibus inferens, finemque litibus imponens. Nam ideo introducta est (vt inquit *tex. in l. Cum notissimi C. de præscript* 30) Ne possessores eiusmodi prope immortali timore teneantur. Vsucapionis autem diffinitionem ponit *Modestin. in d. l.* 3. *ff. eo. tit.* & sic ait Vsucapio est acquisitio vel adiectio dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti, vbi prædicta glos. 1. ait quod acquisitio accipitur pro causa acquisitionis dominij non vero, quod sit ipsa acquisitio, quæ definitio iuxta proximè dicta etiam præscriptioni conuenit.

Latissima, & difficilis est materia præscriptionis, vt satis constat ex *tit. varijs ff. & C. eo. tit.* & in iure Canonico, & ex multis tractatibus de materia editis, quare nos pauca dicemus, prout est nostri Apolectatis institutum.

Præscriptionis exceptiones odiosas esse dicitur *in l vlt. C. de annal. except. ibi.* Cum contra desides, & sui iuris contemptores odiosæ exceptiones oppositæ sunt, *& in Auth. vt Rom. Eccles. cent. an gaud. priuil.* impium, & iniquissimũ præsidium earum appelletur ibi. Nec iniquis hominibus impium remaneat præsidium, & ibi. Nec improba temporis allegatione se se tueatur. Dicitur autem iniquum præsidium præscriptio respectu iuris, & æquitatis naturalis, vt ibidem notauit *glos. & sequitur Abb. in cap. vlt. numer.* 21. *in fin. de præscript. Bald. in l. Ancillæ num.* 11. ibi. Quia præscriptio est contra naturalem æquitatem *C. de furt.* Appellatur etiam præscriptio inuidiosa *in l.* 1. *C. de quæstion.* ibi. Præscriptionis inuidia euanescit.

Sed notabis, quod non omnes præscriptiones sunt odiosæ, cum aliæ dicantur fauorabiles, & aliæ mistæ. Odiosa est illa 30. ann quæ tantum odio non petentium est inuenta iuxta *d l fin. C. de annal. except. & l si quis emptionis C. de præscript.* 30. fauorabilis dicitur, quæ tantum fauore possidentis inducta est, vt vsucapio. Mista vero, hoc est fauore, & odio, vt in præscriptione 10. vel 20. ann. quæ odio non petentis, & fauore possidentis est inuenta, *vt in princ. de vsucap. in Inst.* ita ponit *glos. verbo ex vna parte & verbo ex vtroque per text. ibi in l fin. C. de edict. diu. Adr. toll.* vbi etiam notauit *Bald. sub numer.* 13. *vers.* Vnde decimo nota distinctionem præscriptionum, quia aliæ fauorabiles, aliæ odiosæ, aliæ mistæ.

Quod bona fides requiratur in præscribente, vulgare est, hæc autẽ quomodo probetur iam dictum extat Verbo bona fides. An hæc cum titulo insimul debeat concurrere? In rebus Ecclesiasticis expressum est *in cap. si diligenti* 17. *de præscript.* ibi. Cum in præscriptione rerum Ecclesiasticarum bona fides, & iustus titulus exigatur, vbi late glos. & ibidem declarat sic. Iustus titulus necessarius, quando iure communi res non potest præscribi, si vero potest, sola bona fides sufficit, quod probat *tex. in cap.* 1. *de præscript lib.* 6. ibi. Nam licet ei, qui præscribit rem Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium ius commune, vel

vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiet bona fides; ubi tamen est contra ius commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori tribuat causam præscribendi, & iuxta hunc text. procedit *cap. 3. de reb. Eccles. eod. lib.* ibi, Decernimus adeo viribus omnino carere, vt nec ius aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam pareat, *ubi not. glos. verbo præscribendi* dicens sic, Et est hoc speciale cum alias ex inutili contractu transferatur dominium, & minus iustus titulus det causam præscribendi. Unde clare patet, quod in alijs rebus titulus non sit necessarius, sed sola bona fides sufficit.

Sed quid dicendum si completa præscriptione mala fides superueniat, an teneatur præscribens rē præscriptam restituere? Nam certum, & indubitatum est, quod quandocunque interuenit mala fides ãte completam præscriptionem casu interrumpit *cap. vigilanti 5. de præscript. & cap. vlt. eod.* Post vero completam respondet *glos.* ex veriori opinione, post alias, quod non teneatur restituere, quia non est amplius aliena, sed propria ex præscriptione authoritate iuris: hanc sequitur, & comprobat *Abb. ibidem in d. cap. vigilanti num. 6. & præcipue in vers. Ego vero* indistincte dico opinionem secūdam, quæ videtur communior Canonistis, veriorem, & in foro conscientiæ esse seruandam &c.

Qui præscribit, similis est soluenti, inquit *glos. Verbo Cuiusque anni in l. Cum notissimi §. vlt. C. de præscript. 30. & probatur ex l. si pupillus 46. in fin.* ibi. Is autem qui tempore liberatus est, non ei similis est, qui nihil habet, sed ei qui satisfecit; habet enim, quod obijciat petitori, *vbi not. Bart. ff. de admin. tut.* idem vero *Bart. in l. Item illa §. Quod adijcitur num. 1.* dicit hoc esse, quo ad quid, non in omnibus similis est enim soluenti quoad damnum creditoris &c. *ff. de constit. pec.*

In præscriptione, vltima tempora spectanda sunt, ita inquit *glos. Verbo Vltimo in cap. 3. de caus. possess.*

In his præscriptionibus, quæ spectant ad statum iudiciorum, Ecclesia restituitur, vt si contumax condemnata fuerit, sic *glos. verbo restituimus in cap. 3. de in integr. rest. & latius verbo Ecclesia dicimus.*

Ad præscriptionem interrumpendam sufficit generalis petitio *in l. vlt. C. de annal. except.* ibi. Nihilominus videri ius suum omne, eum in iudicium deduxisse, & esse interrupta temporum curricula.

Nota hic, quod interruptio alia ciuilis, alia naturalis. Naturalis est, quoties ipsa possessio amittitur, quod multis modis fit, *vt ff. de acquir. poss. l. Qui vniuersas.* Ciuilis multiplex est. Et primo fit per contestationem, item per quasi contestationem. Item per executorem. Item per debiti agnitionem, vel solutionem partis, vel fenoris. Item per solam libelli oblationem in casibus, ita *glos. magistra verbo Innouata in supracitata l. Cum notissimi §. Imo & illud C. de præscript. trig.* vbi alios interrumpendi modos inuenies.

Errantes in iure non præscribere, ait, & probat *glos. verbo si fraude in l. si fraude 6. C. de præscript. long. temp.*

Contra subiectionem non currere præscriptionem dicit *glos. Verbo subiectione in cap. Præterea 10. de transact.* Idem procedere in facultatiuis tenet *glo. verb. opponere in fin. in dict. l. Cum notissimi §. eodem iure C. de præscript. 30.* ibi Ilte facultas non potest præscribi, sicut nec facultas eundi per viam publicam, quia licet per mille annos non eris semper poteris ire.

Præ-

Præsentatio.

QVod dicitur de electione, idem de præsentatione potest dici, & sæpe vnum pro altero verbo sumitur; Sed proprie præsentationis verbum refertur ad ius patronatus, vt dixit *Dec. consil.* 117. *col. pen. in princip. Abb. in cap. vlt. num.* 4. *de iur. patro.* ibi. Nam proprie patronus non eligit, sed præsentat. Sed in aliquibus differunt. Nam quando aliud expresse constituitur in contrarium in præsentatione ab eo, quod cõstitutum est in electione, non debemus id extendere ad electionem, vt dicit *Abb. in cap.* 3. *sub num.* 6. *de iur. patro.* vbi sic prosequitur. Et ex hoc habes vnam differentiam inter ius eligendi, & ius præsentandi. Et potest esse ratio diuersitatis. Nam præsentatio innititur gratiæ, vt supradixi, electio vero iuri communi, *vt in cap.* 1. *sup. de elect.* Item pinguius ius habent electores, quam præsentatores, vt colligitur *ex glos. in cap. Quanto* 93. *dist. iuncto cap. Quod autem infr. eod.* Item tractatur de modico præiudicio patronorũ si pendente lite alius instituatur per Episcopum, sed electoribus fieret magnum præiudicium, cum forte haberent superiorem, quem non vellent; vel quem non expediret habere, merito aliud statuitur, cum contenditur de iure præsentandi, & aliud de iure eligendi. Bene verum est, quod priusquam patronus præsentet, eligit primo præsentatum, seu, vt verius loquar, præsentandum, & postea eum præsentat, taliter quod præcedit electio præsentationem, vnde non debet dicere patronus, præsento vobis clericum, cui Ecclesiam concessi, seu contuli, sed debet dicere hunc clericum elegi, vobis præsentandum, & sic præsento eum, & peto eum per vos institui, vt prædictis formalibus verbis tenet *Abb. in dict. capit. vlt. numer.* 1. *de iur. patron.*

Differunt etiam præsentatio, & electio, quia præsentatus dicitur institui, sed electus dicitur confirmari. Et per electionem acquiritur ius electo, *vt in capit. Cum inter canonicos de elect. & glo. notab. in cap. Quanto* 63. *dist. verbo relato*, quæ dicit, quod per electionem acquiritur exercitium: sed per præsentationem quam facit patronus non acquiritur tale ius præsentato. Proprie namque differentia est inter institutionem, & confirmationem; Confirmatio fit de electo a collegio, & dicitur superior confirmare, quasi simul firmare, quia per electionem iam fuit translatũ ius, sed per institutionem transfertur plenum ius, vnde instituere est ius in beneficio in alium transferre, de quo *in cap. Authoritates de Instit.* ita ponit prædictis verbis *Abb. in cap. Nobis* 25. *num.* 4. *de iur. patro.*

Item etiam differunt electio, & præsentatio; quia licet electiones non possint fieri alternatiue; præsentationes tamẽ possunt, vt probat *glos. per iura, quæ ibi. verbo præsentare in Clem. vnic. de iur. patro. per tex.* in illis verbis plures præsentare personas.

Bene acquiritur ius præsentato a vero patrono, licet Episcopus eum non admittat, dummodo suam voluntatem patronus non mutet, & sic potest agere, vt sua præsentatio confirmetur; sicut electus potest agere, vt sua electio confirmetur, sic dicit *glos. Verbo Aduersus in cap. Cum Bertoldus* 18. *de re iud.*

Qui est in quieta possessione eligendi, vel præsentandi potest eligere, & præsentare, & ille consequitur ius ex hoc. Qui enim est in possessione quieta debet vti iure suo, quousq; euincatur ab eodem, Et sic consequitur quis dominium ab eo, qui non est dominus, & sufficit hoc electo, vel præsentato tantum in possessorio obtinere, id est, quod elector sit

in quasi possessione eligendi ad hoc, vt confirmetur electio, vel praesentatio, ita inquit *gl. f. Verbo* Duobus *in capit. Olim 7. de caus. possess.*

Lite pendente inter patronos super iure praesentandi, & infra quatuor menses nō fuerit diffinita, nec praesentatio fiat, Episcopus vel superior prouidet de Ecclesia, sic decidente *tex. in cap. 3. in fin. vbi notat Abb. in princip. de iur. patron.*

Sola praesentatio facta capitulo de litteris papalibus super aliquo beneficio, absq; alia insinuatione, vel inhibitione executoris afficit illud taliter, quod de eo non possit alteri fieri collatio, *vt in capit. Si capitulo 5. de concess. preb. lib. 6.* ibi. Per solam illorum praesentationem capitulo ipsi factam absque alia etiam executoris insinuatione, inhibitione, seu reseruatione beneficium pro quo sibi conferendo scriptum extiterat adeo est affectum, quod de illo alteri facta collatio non obtinet firmitatem.

Praesentia.

Praesens multis modis dicitur respectu absentis, vt habes verbo Absens. Et latius tradit *glos. Verbo praesens in Auth. de fideiussor. §. 1. coll. 1.* in haec verba. Praesens multis modis dicitur respectu absentis. Primo quando se ad inuicem audire possunt. Secundo quando quis est in eadem prouincia, vt cum de praescriptione inter praesentes agitur. Tertio cum est in iudicio, vt in productione testium, quae debet fieri praesente altera parte. Quarto si est domi, cuius nomine volo nunciare opus nouum. Sexto, vt si est in ortis, cum tractamus de procuratore constituendo. Sexto modo accipio hic, si est etiā in eodem territorio, vt facile possit citari. Et in specie praesentia ratione prouinciae notauit *glos. in l. vlt. C. de praescript. long per tex. verbo. Inter absentes*, dicens. Nota qualiter quis dicatur praesens, vel absens ratione prouinciae.

Proprie autem praesens est illud, cuius essentia praesentatur sensui, vel intellectui secundum *Thom. 1. p. summ. quaest. 8. art. 3.* Et sic nota praesentia non pendere; vt optime dixit *glos. Verbo. Non ipsam in l. Cum hi §. vlt. vers. siue autem per tex.* ibi. Pendere acceptilationem non ipsam, sed effectus eius *ff. de donat. int. vir.* Pendent enim, quae sunt de futuro, & non de praesenti.

Praeponderant futuris praesentia, & serijs, iucunda, & laeta tristibus, & properata tardioribus, vt dicitur *in cap. Inter haec hircum il primo de penit. dist. 3. & consonat tex. in cap. omnes* ibi. Quanto ea retribui tardius putant 47. *dist.* Nam (vt dicit *glos. in l. Cum ij in princip. ff. de transact.*) omne futurum despicitur suadentque praesentia fructum, & facit *l. 1 vbi Bart. ff. de in lit. iur.* du dicitur ibi in summario, quod non debemus inspicere ad id, quod euenire potest, hoc est ad futura; & pulchrius *glos. Verbo Modico in d. l. Cum ij*, dum ait.

Ad praesens oua, cras pullis sunt meliora.

Praesentia pro cōsensu habetur, ita inquit *glos. 1. in l. si seruus. §. Si fumum ff. ad l. Aquil. & glos vlt. per tex. ibi in l. Lucius in fin. ff. de manum. test.* sic operatur praesentia consensum, *& glos Verbo iure legitimo in l. Cum ostendimus §. vlt. ff. de fideiussor. tut.* ibi. Item nota patientiam, & praesentiam praeiudicare. Et probat bene *tex. in capit. vlt. de accusat. lib. 6* ibi. Processerit te praesente, nec reclamante, aut quicquam super hoc excipiente &c. vlterius impugnare nequibus. *Glosa tamen in l. Sabinus 28. verbo. Poterit ff. com. diuid.* sic in con-

contrarium refert ex tex. Ergo non intelligitur consentire præsens; Alioquin nec pro damno ageret, vt statim dicitur: & sic est hic generaliter præsens nō semper consentit, sic *infr. de pig. act. l. Casus arg. contra infr. de euict. l. Quidam ex parte.*

Est etiam optimus *tex. in l. Titia cum testamento 35. §. Lucia Titia ff. de legat. 2.* vbi fideicommissarius, qui fuit præsens, & testis in diuisione fideicommissi non videtur consentire; & potest petere dictum fideicommissum, cuius verba sunt. In qua diuisione &c, quasi testis affuit. Quæro an fideicōmissi persecutionem acquisitam sibi &c. eo quod interfuit diuisioni amisisse videatur? Modestinus respondi, fideicommissum ipso iure amissum non esse, quod ne repudiatum quidem videri potest, *vbi glos. verbo non esse*, ponit quando præiudicat præsentia, & quā do non, ex pluribus, quę allegat iuribus.

Vbi aliquorum pręsentia desideratur, quod in eorum absentia agitur non tenet, ita inquit *glos. verbo solummodo in cap. Causam matrimonij 16. de offic. delegat.* & arguit in contrariū, soluitq; in hunc modum. Duobus modis desideratur pręsentia alicuius, quantū ad necessitatē, & sic est verus primus tit. vt hic, &c. Item quantū ad honestatē, vel vtilitatem, & talis absentia non vitiat, quod actum est, & de vtroque affert iura, quę poteris per te videre. Ego vero solum tibi referam, *l. si intres 20. ff de recept. arbitr.* vbi si sunt tres iudices non poterunt diffinire duo absente tertio, licet possint eo præsente, & contradicente. Ait enim *Cels lib. 3. ff. ita.* Si in tres fuerit compromissū, sufficere quidem duorum consensum si pręsens fuerit, & tertius: alioquin absente eo licet duo consentiant, arbitrium non valere: quia in plures fuit compromissum, & potuit præsentia eius trahere eos in aliam sententiam; vbi *glos. vlt. fin.* Nota hic quod plus facit absentia, quàm pręsentia cum cōtradictione sic *infr. solut. matr. l. 2. &c.* Et sunt omnes isti casus speciales. Alias autem, quod potest fieri te inuito, multo magis te ignorante &c.

Coram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat id: eoque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat non videtur coram eo fecisse. Scire autem, non etiam velle is debet. Nam & inuito eo recte fit, quod iussum est, ita inquit *l. 209. ff de verb. sig.*

Præsens dicitur, qui abest pro seruitio Ecclesiæ, vel Episcopi. Vide Verbo absens.

Præsumptio

GLos. Verbo *præsumptioni in l. Non est 23 ff eo quod met cau* sic ait. Vt plene scias; præsumptio alia est iuris, & de iure, alia hominis, alia naturalis, alia facti. De prima habes de muliere tacite stipulata, contra quam præsumptionem non admittitur probatio in contrarium, *vt C. de rei uxor. act. l 1.* idem de stipulatione ab arrogato &c. Sed hanc appellant alias præsumptionem legis, sicut & dicitur præsumptio Canonis, *vt 13. dist. cap fraternitatem*, & hæc magis dicitur fictio, & fit super certo facto. Hominis autem præsumptio, tam secundum leges, quàm secūdum Canones, est illa, de qua hic lex dicit contra quam recipitur probatio in contrarium. Nam & si aliquis malam famam habuit, secundum Canones potest se purgare: Et hæc duplex: Nam quandoque transfert onus probationis, quandoque non, sed durius adstringit ad probandum &c. Naturæ, præsumptio dicitur, vt cum exhæredo filium meum, præsumitur contra me, quod iniuste eum exhæredauerim; & hoc

hoc propter naturam, & ideo hæredes debent probare causas exhæredationis, *vt C. de inoffic. testa.l. Omnimodo, & de lib. præterit. Auth. Non licet*. Præsumptio facti alia præcedentis, alia subsequentis: præcedentis, vt si semel calũniatus est, *vt infr. de accusat. l. si cui §. Idem:* subsequentis, vt si aliqui accusati fuerint de adulterio, quod depellebant obtentu proximitatis, si post conueniant in nuptias, præsumuntur etiã prius adulterasse, *vt C. de adulter. l. si quis: idem ponit glos. magna in capit. 11, qui fidem 30. de sponsal.* ibi. Nota circa huiusmodi præsumptiones, quod præsumptio alia est iuris, alia Canonis siue legis, alia hominis, alia naturæ alia facti &c.

Et glos. in rubric. de probation. sic. Præsumptio autem triplex est. Nam quædam est talis, cui statur etiam si contra quis probaret, vt mulierem stipulatam dotem &c Alia cui statur donec contra probetur, vt si res fuit patris, hæredis esse præsumatur &c. Alia cui non statur aliquo modo, nisi adminicula habeat, vt probatio per priuatum instrumentum.

Ego autem ne laboremur in incerto latius & clarius cum *Abb. in capit. Quanto 8. num 2. de præsumpt.* dico quod multa reperiuntur vocabula in hac materia, vt indicium *l. Indicia C. de reiuendic. de quo idem Abb. in cap. Tertio loco de probat.* Argumentum, *vt in cap. Forus de verb. sig.* Suspicio, *vt in cap. Primo semper* ibi. Nullum iudicetis suspicionis arbitrio *2. quæst. 1. & in capit. Dixit 32. quæst. 1. & l. Absentem ff. de pæn.* Opinio vt colligitur *in l. 3. §. Eiusdem ff. de testib. per Bart. in l. Admonendi ff. de iur. iu.* Præsumptio temeraria *de sent. excomm. cap. Inquisitioni*. Præsumptio non modica *vt in cap. super eo de testi.* Præsumptio probabilis, *vt in dict. cap. Inquisitioni*. Præsumptio vehemens, *vt in cap. litteras de præsumpt.* Præsumptio violenta, *vt in dict. cap. Quanto per glos.* quæ idem est, quod vehemens, *vt in capit. Cum contumacia de hæret. lib. 6. & dict. cap. litteras*, sed ignoramus, quando dicatur probabilis & violenta.

Et prosequitur idem *Abb. dict. num 2.* Ego prius attingam præsumptionem iuris, secundo, hominis. Circa primum aduertendum, quod quando ius disponit aliquid statuendo super certo, quod tamen in se non est verum, illa appellatur fictio Exemplum *in l. vnica C. de rei uxor. act.* vbi ius fingit mulierem dotem sibi fuisse stipulatam, quæ in veritate nõ fuit stipulata, & hoc facit ius. Quandoque in fauorem alicuius, & de hoc ibi *in glos. & per doct. in cap. Is, qui de spons.* Quandoq; ius præsumit super incerto ex aliquibus coniecturis, & hoc dupliciter. Quandoque enim ius præsumit in tantum, quod super illa præsumptione statuit aliquid ac si verissimum esset, quod præsumit. Exemplum *in cap. Is qui de spons.* vbi dicitur, quod si quis cognouit carnaliter sponsam, quod secum tunc voluerit contrahere matrimonium per verba de præsenti, nec admittitur probatio in contrarium Et illa appellatur magistraliter præsumptio iuris, & de iure. Vnde scias, quod ista non sunt vocabula iuris, sed magistralia. Et vt plurimum, quando ius inducit hanc præsumptionem exprimitur, quod non admittatur probatio in contrarium. Sed idem dic tu, quando non exprimit, dummodo super sua præsumptione statuat. probatur *ex Auth sed iam necesse C. de donat. ant nupt. &c.*

Quandoque ius præsumit aliquid, sed super sua præsumptione non firmat in tantum pedes, vt super illa certum quid statuat, & illa appellatur simpliciter præsumptio iuris, & contra eam, semper admittitur probatio in contrarium, vt dicit *glos. & bene in cap. Ferrum*

rum 50. *dist. in glos. vlt. & not. in dict. capit. Is, quæ.* Quandoque tamen ius exigit strictiorem probationem, vno casu, quam alio, *vt in cap. Quia verisimile eod. tit. de præsumpt. & in cap. Super hoc de renunciat. & in d. l. Non est* 23 *ff. quod met. cau.* Quandoque vero non præsumitur in tantum, vt requirat probationem in contrarium, sed solum exigit, vt indicatur purgatio 2. *quæst.* 5. *cap. Presbyter & in capit.* 2. *de purg. can.* Et in hoc non potest dari certa doctrina, sed serua legem secundum, quod disponit *arg. l. Prospexit ff. qui, & a quib.*

Item numer. 3. *prosequitur idem Abb.* sic. Venio nunc ad secundum scilicet præsumptionem hominis, & appello præsumptionem hominis, quando iudex ex aliquibus coniecturis aliquid pro, vel contra aliquem, seu in aliqua causa præsumit. Pone exemplum *in cap. afferte de præsumpt. & capitul. si testes* 4. *quæst.* 3. *& in l.* 3. *ff. de testib.* vbi dicitur, quod iudex debet sui animi motum informare ex argumentis, & testimonijs, quæ rei aptiora esse comparent, facit *capit. Causam de re iud. & melius cap. In præsentia de ren.* Cum enim iudex non possit perduci ad veram scientiam facti per aliquem sensum corporeum, nisi factum esset notorium permanens, oportet, quod adducatur ad firmam credulitatem ex præsumptionibus, quæ quidẽ præsumptiones causantur ex multis coniecturis, & ex dictis testium. Nam iudici non constat, an testes verum dicant, & maxime, quando sunt contrarij, sed ex multis argumentis, & coniecturis hoc præsumit. Ideo dicit lex, quod animi sui motũ iudex informari debet ex argumentis, & testimonijs, quæ rei aptiora esse comperit, & vero proximiora. Nec enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis assistit, & hæc dicuntur *in dict. capit. Si testes* 4. *quæst.* 3. *& dict. l.* 3. *ff de testium.* & alibi dicit *glosa iuncto text.* quod si testis cito respondet est præsumptio, quod sit mendax: si vero est morosus præsumitur dubitare, vt hẽt *tur cap. Qui ambulat §. sed aliud* 5. *quæstion.* 5. *& Innoc. in cap. Quoniam contra de probat.* dicit, quod si iu ex perpendit testem vacillare non debet sequi dictum suum; *& iurisconf. in d. l.* 3. dicit, Tu magis scire potes, quanta fides sit testibus adhibenda, quasi dicat; & super hoc non potest dari certa doctrina, sed ex varijs coniecturis, iudex præsumit pro, vel contra testes.

Nam præsumptio, prosequitur idem *Abb.* Non est aliud, quam quædam suspicio, quæ causatur in animo iudicis, vel cuiuscunque ex varijs, vel argumentis, seu inditijs, & secundum, quod coniecturæ, vel argumenta, vel indicia vrgent, causatur, firmatur, augmentatur illa suspicio. Si enim indicia, seu argumenta essent temeraria,, vt puta, quod fuit visus Clericus loqui cum muliere, nulla alia coniectura existente, vis præsumere adulterium, certe male præsumis. Non enim ex hoc debet causari aliqua sinistra suspicio, ad hoc, quod *not. in cap. Absit* 11. *quæst.* 5. & si de facto causaretur, illa est suspicio, seu præsumptio temeraria, de quo *in d. cap. Inquisitioni.* Si vero coniecturæ aliquatenus vrgent, puta quod fuit visus sæpe secum in secreto loqui, & contabulari, & vterque est iuuenis, tunc causabitur suspicio, seu ppræsumptio probabilis *arg* 81. *dist. cap. Clericus solus.* Non tamen ducit iudicem ad credulitatem, vt eum propter hoc solum, de crimine adulterij condemnet, sed procederet, vt habetur *in cap.* 2. *de cohab. cler.* Item possent esse aliæ coniecturæ magis vrgentes, ita quod causarent suspicionem, seu præsumptionem magis vehementem, & tunc procederet ad

magis

Digitized by Google

magis grauia, puta ad purgationem indicendam. Quandoque etiam ad suspensionem a beneficio, & officio, donec se purgauerit, *vt in cap. Inter de purg. can.* Quandoque coniecturæ sunt strictissimæ, & vrgentissimæ, itaut vix ipse reus audeat diffiteri delictum, & tunc causatur tanta præsumptio, quod adducit iudicem ad credulitatem, & fertur sententia contra eum, de ipso delicto ad hoc *cap. Præterea de test. & d. cap. Afferte & bonus tex in l sciant cuncti C. de probat. canonizata 2. quæst 8. cap sciant.*

Ex quibus concludit idem *Abb.* quod non potest dari certa doctrina, quando præsumptio sufficiat ad sententiam, quando ad semiplenam probationem, quando ad suspensionem beneficij, & officij, & similes effectus, sed iudex ex suo bono, & æquo iudicio ex varijs coniecturis arbitratur hoc, vt in iuribus supra allegatis, & si male arbitrabitur, corrigetur factum, per iudicem appellationis &c. Et addit iterum sic. Et his etiam concludo non curandum, qualiter appelletur suspicio, vel præsumptio an scilicet vehemens, an probabilis, an violenta, an necessaria &c. Quia hæc sunt potius vocabula magistralia, quã iuris: assumunt enim sibi nomen secundum ipsarum potentiam. Nam appellatur violenta illa, quæ sufficit ad sententiam, quia quasi violenter trahit iudicem ad credulitatem. Vehemens dicitur, quia in tantum vrget, quod vehementer facit iudicem suspicari contra Reum *infr. eod. cap litteras.* Probabilis, quasi proba; seu recta, id est causata, & non temere: vel quia reddit factum verisimile, non tamen ita violenter, vt sufficiat ad sententiam, vide ad hoc bonam *glos. in cap. Insinuatum in fin. de sim.* Sed vt dixi sup. non cures tu de his nominibus, siue vocabulis. Imponas enim, quod nomen vis, sed considera qualitates, & potentias, & secundum illas iudicetur effectus. Ideo dicit *Innoc. in cap. Quia eod tit. de præsumpt. in fin.* quod quidam appellant violentas præsumptiones, quas alij dicunt probabiles, sed in hoc non est vis, nisi in verbo secundum eum, & quæstio de vocabulis est pertinacibus relinquenda, vt ibi notat *Innoc. & glos. sup. rubr. Infert.* quasi dicat, quod non est facienda vis qualiter nuncupetur. Nõ enim habemus iura, quæ coniecturæ inducant præsumptionem violentam, & quæ probabilem, & quæ vehementem, nec quid operetur vehemens, quid probabilis. Nam varij effectus causantur, secundum quod coniecturæ vrgent, vt colligitur ex iuribus supraliegatis; quin imo *glos. & doct.* non ponunt vehementem præsumptionem pro specie distincta, vt in hac glos. & in alijs superius allegatis, quia forte comprehendere eã voluit sub violenta, vt volunt *doct. infr. eod. cap. litteras.* Sed non videmus, quod vehemens non semper sufficit ad condemnationem, vt patet *in cap. Inter de purg. can. & in cap. Cum contumacia de haret. lib. 6. & infr. eod dict. cap. litteras.* & si vis alias præsumptionis diffinitiones, vide *Bald. in rubr. C. de probat. a num. 8.*

Ex prædictis clare intelliges iura, *& glos.* de quibus infra, quomodo, & in quibus præsumptionibus procedant, & locum obtineant, quæ dicuntur. Nam cum inueneris, quod talis præsumptio non admittit probationem in contrarium, intelliges, quod illa dicitur iuris, & de iure. Nam *in cap. Quoniam frequenter 5. vt lit. non contest.* nõ admittitur probatio contra illam præsumptionem, quia talis est, prout ibidẽ notauit *glos. verbo in fraudem idem in Auth de æqua lit. dot. §. Aliud quoque coll. 7. vbi glos. verbo priuilegium* dicit, Quia est iuris & de iure præsumptio non enim contra eam admittitur probatio, & ijsdem verbis *glos. verbo esse credendum in l.*

Anti-

Antiqua 23. C. ad Velleian.

Quod etiam violenta præsumptio non admittat probationem in contrarium voluit *glos. vlt. in cap. vlt. quid sit inuest. in vsib feud.* ibi. Quod dominus non admittitur ad probationem, intelligas istud, quando violenta præsumptio est, & talis, quæ non recipit probationem in contrarium. Cum vehemens, seu violenta præsumptio (quæ eadem est) pro probatione accipitur, vt a *glos verbo vehementem in cap. litteras 14. de præsumpt.*

Sed contra prædictam *glos* obstat expressus *tex. in cap. vlt. in fin. de presb. bapt.* vbi natus ex Christianis parentibus, & conuersans inter Christianos violenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, vt iisdem verbis ait, & prosequitur, vt hæc presumptio pro certitudine sit habenda, & tamen idem tex. addit, Donec euidentissimis forsitan argumentis cõtrarium probaretur, admittit ergo violenta, seu vehemens præsumptio, probationem in cõtrarium. quin imo plus dicit *glos. verbo plenum in cap. ex litteris 4 de in integr. rest.* ibi. Sed talis præsumptio potest elidi per aliam præsumptionem &c. & inde est, quod per præsumptiuam præsumptionem, & minus plenam eliditur præsumptio contumaciæ &c. Nam violenta præsumptio eliditur iuramento &c.

Sic ergo præsumitur pro aliquo ratione iuramenti, vt dicit *glos. in cap. Ad audientiam 13. de præscript.* vbi præsumitur pro tabellione ratione officij iurati, & *glos. in cap. vlt qui matr. accus.* ibi. Item not. hic quod plus valet iuramentum vnius, quam iuris præsumptio: quia per istud iuramentum eliditur iuris præsumptio: & maxime si fuerit honesta persona, nam ratione honestatis etiam præsumitur, pro aliquo, vt *per citat glos. in d. c. Ad audientiam.*

Verius igitur videtur dicendum, generaliter presumptionem admittere in contrarium probationem, nisi vbi expresse a iure non admittitur, vt in præsumptione iuris, & de iure, vt supra dictum est; Et ob id dicitur, quod statur præsumptioni donec probetur contra, vt dicit *glos. Verbo Contrarium in l. Nuptura 58 ff. de iur. dot.* per *tex. in fin.* ibi. Presumptionem ad filij debitum spectare verisimile est, nisi euidentissime contrarium approbaretur, & *l. Generaliter. 24. etiam in fin. ff. de fideicomm. lib.* ibi. Sed cum ex præsumptione libertas præstita esse videbitur, hæredis est contrariam voluntatem testatoris probare.

Vnde cum omnia præsumantur licere, qui contra istam præsumptionem, dicit tenetur probare, vt dicit *glos. in l. 2 ff. de probat.* & *facit l. Ab ea parte, quæ dicit* aduersarium suum ab aliquo iure prohibitum esse specialiter lege, vel constitutione id probari oportet *eodem tit.* Idem in alijs præsumptionibus iuxta *glos. vlt. in l. Tutor 41. §. 1. ff. de vsur.* ibi. Præsumptio tamen est propter epistolam, quod stipulatio intercessisset, nisi contrarium probaretur, & *gl. verbo probare in l. si pactum 9. ff. de probat.* ibi. Hoc propter præsumptionem, quæ facit pro altero, præsumitur enim quilibet suo hæredi, vt sibi, prouidere &c. & prosequitur sic fallit autem nisi est in contrarium actum &c. vel nisi talis naturæ sit res debita, quod non transeat ad hæredem, vt vsusfructus, vel similis seruitus personalis.

Præsumptionem iuris esse, quando quis iuri suo contrarium facit, quod eidem iuri suo præsumitur renunciare, inquit *glos. verbo recessum in cap. Gratum in fin. de offic. de legat*

Præsumptum est quosdam seruos bonos esse, quia nationis sunt non infamatæ, sic ait *l. Quod si 31. §. si plures iuxta fin. ff. de ædil. ed. vbi glos. non infama-*

ta, ita. Sæpe solet filius similis esse patri; & illud non potest arbor mala fructus bonos facere, *& Apostill. ibidem & glos. iuncto text.* suo ibi præsumptum not. quod argumentum sumptum per locum a præsumptione valet. Item not. quod qui nascitur ex bonis parentibus præsumitur bonus, ex malis malus. Et *in l. Præcipiunt 37. eod. tit. de adil. ed.* ita. Præsumptum est enim ea mancipia, quæ rudiora sunt, simpliciora esse, & ad ministeria dociliora, & aptiora: trita vero mancipia, & veterana difficile esse reformare. Ex quo forsan prodijt nostrum Lusitanum prouerbiũ. Negro velho naõ toma bem a lingua, hoc est seruus veteranus non bene discit nouam linguam.

Nominationem mariti, & vxoris præsumptionem matrimonij facere, dixit *glos. verbo nominent in cap. Illud 11 de præsumpt.* in hæc verba. Ista nominatio præsumptionem inducit &c. Non tamen sufficientem probationem inducit præter quam in casu *C. de lat libert. toll. l. unic. § similique modo.*

Item nota, quod præsumptio inducitur ex consuetudine patris fam. inquit *glo. in l. vel vniuersorum 12. ff. de pig. act. per tex.* ibi. & plura, quæ allegat iura. præsumitur etiam aliquid ratione sanguinis, vt inquit *glos. verbo in fratrem in cap. litteras de præsumpt.* quem allegat *Apostill. ad l. vnic. § Taceat C. de rei vxor. act.*

Talis quis præsumitur esse qualis inuenitur *l. pen. C. si seru. export. ven.* ibi. status tuus is videtur, qui in te post manumissionem is deprehenditur. Melius autem est præsumptionem pro statu liberis esse, ait *l. Sticho 40. prope fin. ff. de statulib.*

Inducere præsumptionem vnius vocem dixit *glos verbo iudicem in cap. 1. de consuet. rect. feud.* & affert in contrarium aliqua iura.

Ex suspicione etiam oriri præsumptionẽ colligitur *ex cap si quis 4. de purgat canon.* ibi. Et si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, canonice se expurget. Sed intellige secundum dicta *per Abb. vbi sup.* & prout *gl. in eod. cap. 4. verbo verisimilibus* ibi. Suspicio temeraria semper repellitur &c. Verosimilis inducit præsumptionem, hic: Violenta sufficit ad sententiam, vide etiam *verbo suspicio, & glos. in cap. Quanto 8. de præsumpt.* idem, vbi ponit nos versus.

Tu suspensus eris. si causa probabilis extat
Si violenta rues non te temeraria tenet.

Super incerto præsumitur, super vero, quod certum est, fingitur, sic ait *glosa verbo præsumatur in l. vnic. §. Accidit C. de rei vxor act. idem Apostill ad glo. etiam verba præsumatur in Clem. vnic. de for. comp.* ibi. Quia fictio de certo, præsumptio super certo.

In maleficijs præsumitur iniuste factum, vide *Verbo Maleficium.* In contrarium vero præsumitur in iudicio, quod scilicet omnia iuste sint acta, *vt Verbo Iudicium.* Quid autem in Instrumentis? habes verbo Instrumentum.

Quandoque ex præsenti circa præsens; Quandoq; ex præsenti præsumitur circa præteritum. Quandoq; ex præsenti circa futurum. Quandoque ex præterito circa præteritum. Quandoque ex præterito circa præsens. Quandoq; ex præterito circa futurum, ita ponit *glos. vlt. in cap. scribam 9. de præsumpt.* & affert versus illos.

Rumor de veteri faciet ventura timeri.
Cras poterunt fieri turpia, sicut heri.

Si vis plenius de hoc videas iura, quæ *Abb.*

Abb. in dict. cap. Quanto in fin. & citat. cap. scribam num. 1. de præsumpt. est etiam *glosa pen. in l. si quis 34. C. ad l. Iul. de adult.* ibi. Et not. hic præsumptionem ex præsenti in præteritum, & *glos. Verbo superiorum in l. Quicunque C. de apoch. pub. lib. 10.* ibi. Præsumptio de præterito ad plus præteritum, vel de præsenti ad præteritum habes &c. & *glos. verbo actibus in cap. 1. de cler. peregrin.* ibi. Nam per actus sequentes præsumitur de præteritis, & e conuerso.

Nota, quod propter præsumptionem etiã possidens probat, vt tradit *glos. Verbo monstrauerint in Auth. vt cum de appell. cog. §. siue igitur coll. 8.*

Nota etiam quod aliquando quis ex præsumptione damnatur, vt notauit *glos. per tex. ibi in Auth. vt lic. mat. & au. §. vlt. verbo punire ead. coll. 8.* Sed id speciale est in odium spernentis denunciationem, prout eadem *glos.* dicit.

Non est verisimile compulsum in Vrbe iniquè indebitum soluisse. Sed huiusmodi præsumptioni debet apertissimas probationes violentiæ opponere, ita ait *l. 23. ff. quod met. cau.* Aliàs autem reg. est vulgaris, quod præsumptio, præsumptione alia, quæ saltem maior sit, tollatur, *vt in l. Diuus* ibi. Existimari potest, quod non sua culpa coniũcta *glos.* ibi. Existimari idest præsumi, & sic est præsumptio contra præsumptionem &c. *ff. de rest. in integ. cap. litteras 14.* ibi. Quamquam verisimilius videatur *de præsumpt.* & notauit *Abb. in cap. cum inter R. 16. num. 5. de elect.* ibi. Item nota, quod vbi concurrunt duæ præsumptiones, quarum altera non præponderat inuicem se elidunt: secus vbi altera esset vehementior. Sed quomodo iudicabitur potentior? Respondet idem *Abb.* Bonus iudex arbitrabitur, an & quando sit par, vel altera potentior, quia non potest super hoc dari certa regula.

Pretium.

PRetia rerum, non ex affectione, vel vtilitate singulorum, sed communiter fungi, ait *l. si seruum 33. ff. ad l. Aquil. idem l. Pretia rerum 63. ff. ad l. falc.* Vnde dixit *glos. in l. 2. verbo Iudicis prope fin.* quod iustum pretium non estimabitur illud, quod vnus, duo, vel tres volunt dare pro re. *Et glos. pen. ad fin. in cap. Cum causa 42. de testib.* dicit, quod ex qualitate rei, & quantitate redditũum pretium rei probatur, & *l. si fundum 94 de legat. 1.* ibi. Excusso pretio secundum redditum eius fundi coniuncta *glos. 1.* ibi. Nota pretium secundum redditum rei.

Et iusta pretia non ex præterita emptione, sed ex præsenti æstimatione constitui, inquit *l. 3. §. Si quis palam ff. de iur fisc.* Nonnullam tamen pretij varietatem loca temporaque afferunt, ait *dict. l. Pretia rerum §. 1. ff. ad l. falc.* & postea sic. Cum hic quoque nec ex ea, quæ raro accidit varietate, pretia constituantur. *Et Senec. lib. 6. de benef. capit. 6.* dicit. Prætium autem cuiusque rei pro tempore est.

Et in l. 4. ff. de eo, quod cert. loc. sic Iurisconsf. ait. Scimus quam varia sint pretia rerum per singulas ciuitates regionesque maxime vini, olei frumenti. Pecuniarum quoque licet videatur vna eademque potestas vbique esse, tamen alijs locis facilius, & leuioribus vsuris. Sed & in eadem ciuitate, prout vidi Romæ, hæc, quæ de pecunia dicuntur, accidunt. Nam do annis retro actis inueniebantur scuta aurea facilius, & leuioribus cambijs, at nunc difficilius, & maioribus in magno excessu. Quod faciunt, & bella, & monetæ æstimatio aucta, vt dicitur, sed vellem, quod sicut nunc augetur cambium, sic minuatur, vbi diminutio monetæ fiet, & bella

cessent, iuxta *l. 2. C. de veter. num. lib. 11.* ibi. Omnium quoque pretia specierum decrescere oportet.

Corpora, si qua sint in bonis defuncti secundum rei veritatem æstimanda erũt: hoc est secundum presens pretium, nec quicquam eorum formali pretio æstimandum esse, sciendum est, ita inquit *l. In lege 62. ff. ad l. falc.* Et intellige formale pretium, esse illud, quod a contrahentibus formatam fuit tempore emptionis. Vel formali, hoc est, singulari veluti rationes sanguinis, vtilitatis, vel confinium, vt hic declarat *glos.*

In rebus non necessarijs verum pretium, in necessarijs pretium conuentum inspicitur, sic summat *Bart. l. si res 5. ff. de in rem vers.* Si res, inquit tex. non necessarias emerit &c. quatenus verum pretium faciat, cum si necessarias emisset in solidum quanti venissent teneretur.

Ante pretium solutum dominij quæstione mota pretium soluere emptor non cogitur nisi fideiussores idonei a venditore &c. offerantur, sic *l. pen. §. 1. ff. de peric & comm. reiuend.*

Pretium loco succedere, notat *glos. in l. Labeo 14. ff. de verb sig. per tex.* ibi. Quia videtur ei abesse res, cui pretium abest *glos in l 4. §. vlt. ff de alien. iud.* ibi. Nam qui pretium habet, rem habere videtur *per tex.* ibi. Quia potest existimari in locum hæreditariæ rei venditę pretium successisse, notauit etiam *glos. vlt. in l. si eum seruum 23. ff. si cert. pet & glos. in l. 4. §. vlt. verbo possidere ff. si quis omiss. cau. testa.* ibi. Quia pretium loco rei est *glos. pen. in fin.* ibi. Item nota, quod pretium succedit loco rei *in l. Si fundum 94. ff. de legat. 1. & in l. Plane 97. verbo habeat per tex. ibi. ff. eod. tit.* Quod non procedere in actione hypothecaria particulari, ait *Apostill.* Ex his per eam allegatis, *ad dict. glos. pen.* Idem esse in quibusuis particularibus rebus dixit *glos. in l. 4. §. vlt. de alien. iud.* ibi. Dic secundum *Bart.* hic, quod in vniuersalibus iudicijs pretium succedit loco rei, vt hic, secus vero in particularibus, idem *glos. vlt. in l. Qui vas 49. §. vlt. ff. de furt.*

Sed quid dices *ad l. si eum seruum 23. ff. si cert. peta. vbi Apbrican. decidit ex Iulian.* quod pretium rei legatæ mihi, ab alio venditæ, possum recuperare, quasi ex re mea, & sic clare patet, quod etiã in particularibus succedit pretium loco rei? Respondet ibi *glos.* quod ibi pretium venit in vniuersali iudicio actionis negotiorum gestorum, quia in subsidium ratam habui venditionem, iuxta *l. Mater tua C. de reiuendic.* ibi. Sin autem postea de ea venditione consensisti, vel alio modo proprietatem eius amisisti: aduersus emptorem quidem nullam habes actionem aduersus venditorem vero de pretio negotiorum gestorum actionem exercere non prohiberis. Vide ibidem *Bald. num. 13.* Quod autem res succedat loco pretij habes in Verbo res.

Ofilius impensæ verbo negat pretium significari, ita ait *Labeo in l. Quibus 40. §. 1. ff. de condit. & ibi. Bart. in Summario* sic. Appellatione expensarum rei pretium non continetur. *Bald. in l. terminato C. de fruct. & lit. exp. ad fin. in vers. vltimo scias & in rubr. C. de verb. sig. in 6. quæst.*

Pretium rei, in venditione prohibita, fisco applicari tenet *glos. Verbo Exempto, in cap. 1. de probib. feud. alien. per Feder.* ibi. Nec venditor retinebit, sed eo carebit, & applicabitur fisco &c. Sed ibidem contra tenet *Bald. in vers. Demum* dicens, quod tale pretium venditor retinebit. Sed hoc intelligi debet, quando lex prohibens venditionem expresse non dicat, quod pretio venditor priuetur.

Rei furtiuæ pretium non esse furtiuum expresse decidit *l. Qui vas 49 §. vlt. ff de furt.*

furt. in hæc verba. Nummus igitur hic, qui redactus est ex rei furtiuæ pretio, non est furtiuus.

Deterius est pretio corrumpere, quam precibus sicut in sententia, ita *glos. in l. si non solum* 10. *verbo. In solidum ff. Si quis omiss. cau. testam.*

Plerunque plus est in manus pretio, quam in ea, sic inquit *l. Mulieris* 13. *§. res ff. de verb. sig.* & idem est, quod Ouidius ait. Materiam superabat opus.

Pretium conuersum in vtilitatem domini, qui venditioni factæ rei suæ per gestorem suum non consentit, restitui debet per ipsum dominum emptori, ita summatur *l. si pretium* 19. *C. de procurat.* Euincens tamen non tenetur ad pretiũ, dicit *l. super empti* 16. *C. de euict. ad fin.* ibi. Nam super pretio euictæ portionis non eum, qui dominium euicerit, sed auctricem conueniri consequens est *vbi glos. vlt.* sic. Nota ergo vendicantem non teneri ad pretium, *vt sup. de furt. l. In ciuilem &c.*

Princeps.

SVb huius nominis appellatione multos contineri constat. Nam Deus princeps vocatur apud *Isai.* 9. ibi. Deus fortis, pater futuri seculi princeps pacis. Interdum Angelus de se dicit *Iosue* 9. Ego sum princeps exercitus. Interdum Papa *in cap. Corpora* ibi. Sine consilio principis, idest Papæ, vt ibidem notat *glos. de consecr. dist.* 1 *& Verbo. Principi in cap.* 2. *de maio. & obed.* Interdum Episcopi *ex eod. capit. Corpora* ibi. vel Episcoporum, *& in cap. si quis de maior. & obed.* Iudices etiam Ecclesiastici principes nuncupantur *in capit. Diffiniuit in fin.* ibi. Secundum electionem principis, idest iudicis Ecclesiastici, explicat ibidem *glos.* Imperator nominatur etiam princeps *in capit.* 2. ibi. Ad Fredericum præcipuum principem *de sent. & re iud. lib.* 6. & rex dicitur princeps sæpius in iure dicimus *exod.* 22. ibi. Principi populi tui non maledices 1. *reg.* 13. ibi. Qui non obedient principi morte moriatur, & de Canon. atque ciuili multoties reperies vltra iura, quæ allegat *glos. Verbo Regum in Clem. vnic. de bapt.* Secundum quam dic, quod si large sumatur, princeps, quod iam omnis baroniam habens sit princeps, sic & large omnis regens prouinciam, dominium, gentem prolem, vel plebem, dici potest rex, *vt* 24. *quæst.* 4. *cap. Duo ista.* Apes etiam & grues habent principem 7. *quæst.* 1. *cap. In apibus*, & diabolus etiam dicitur princeps mundi apud *Ioann.* 14. & vitiorum *de panit. dist.* 2. *cap. princeps*, & in his multum posset instari. Sed non expedit, ita prædicta *glos. Verbo. Regum.*

Ex qua dic, quod componitur Princeps ex primum, & capio, & dicitur quasi primum capiens locum, vel dignitatem &c. & subiungit sic. Et aduertendum, quod decret fundamenta *§. vt ergo*, loquens, de imperatore, rege, & principe, submittit de Marchione, duce, comite, & barone, vel alio notabili potentatu: per quod videtur ex ordine, quod princeps maior sit prædictis Marchione Duce &c. Et ex hoc puto, quod principatus hic sumatur pro notabili potentatu merito comparando regiæ dignitati. Et iuxta hunc sensum ea, quæ infra dicimus intelligimus de principe, tam Ecclesiastico, quam seculari, qui primum habeat locum.

In primis perfectus princeps habere debet tria principalia munia, de quibus *in lib. sap. cap.* 9. *in princ.* ibi. Et sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ a te facta est, vt disponat orbem terrarum in æquitate, & iustitia, & in directione cordis iudiciũ iudicet. In æquitate, idest sancte quod ad se, in iustitia, quoad cognoscendas alio-

Digitized by Google

aliorum naturas, & necessitates, ad reddendum vnicuique, quod suum est, instar Adami cognoscentis singula, & dominantis in omnia, & in directione cordis, se omniaque sua conferentis in veri Dei religionem, & cultum hoc enim affert correctum, quod est ambulare in rectitudine non declinando ad dexteram, nec ad sinistram, neq; claudicando ad duas partes, ad quod conducit illud *Isa.* 44. *in princ.* ibi. Noli timere serue meus Iacob, & rectissime, quem elegi, scilicet vt me coleret, vt mihi seruiret, & recta ad me contenderet, vt explicant Theologi ad quos me refero.

Sed rediamus ad nostrũ ius Canon. & Ciuile secundum quod inuenies circa religionem in principe hæc verba *Ioann.* 20. directa ad Imperat. Iustinian. relata *in l. Inter claras* 4. *C. de sum. Trin.* Nihil est enim, inquit, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe: nihil est quod ita nequeat occasui subiacere, quam vera religio. Nam cum auctorem vitæ, vel luminis vtraque respiciant, recte, & tenebras respuunt, & nesciunt subiacere defectui. Vnde dixit *Imp. in l.* 1. *C. si aduers vend.* Neque perfidiæ, neque periurij me authorem tibi futurum sperare debuisti.

Principem vigorem iustitiæ, & legem animatam vocauit *glos. Verbo vigorem in l. Probibitum* 5. *C. de iur fisc. lib* 10 *per text.* ibi. Sed iustitiæ vigorem id fieri statuisse, *& glos. Verbo Alieno in l. More* 5. *ff. de iurisd. com. iud* ibi. Princeps est lex animata in terris, *Et in Extrauag.* 1. *verbo lucem de concess. præb.* sic. Nota principem, qui lex est animata in terris &c. lucis, & claritatis amicum fore, nam nihil proprius est legi, quam claritas. Et principum ora diuinitus promulgare leges late habes in verbo lex. Et non solum debere iustitiam tenere, sed etiam diligere verbo Iustitia. Principis verbum debet esse firmissimum, etiam sine iuramento, inquit *glos. verbo deierauit in cap.* 2. *de sent. & re iud. lib.* 6. Nec debet in facto suo fraudem adhibere, nec aliquem propter beneficium suum decipere, nec alicui inijcere laqueum, nec verbum suum variare, vt *per glos. verbo in vltimis voluntatibus in addit. in cap.* 1. *de conc. præb. lib.* 6. *& glos. Verbo. Concessum in Extrauag. vnic. de priuileg.* ibi. Ne alias videatur quis principali authoritate circumscriptus. Est enim quasi Deus. Cœlestis namque Deus in cœlis est, ita princeps in terris, vt dicit *glos. Verbo caleste in l. Iubemus* 10. *C. de Sacros. Eccles.* Et neque armis, neque militibus, sed Deo debet princeps suam fundare spem dictum est verbo Imperator.

Seruare primus ipse debet leges iuxta *§. vlt. quib. mod. testa. infirm.* ibi. Licet enim, inquiunt, legibus soluti simus, attamen legibus viuimus, *& in l. Ex imperfecto* 23. *ff. de legat.* 3. ibi. Decet enim tantæ maiestati eas seruare leges quibus ipse solutus esse videtur, cum alijs, quæ in verbo rex afferuntur.

Si princeps hæres sit institutus, rogatusque hæreditatem restituere, præcepta aliqua summa vel re etiam si in præceptione minus quam quarta pars esset, non amplius principem se vendicaturum pati. Sed & si sine vlla præceptione rogatus fuerit hæreditatem restituere, plerunque quarta pars donata est a principibus, & ita diui Traianus, & Adrianus, & Antoninus rescripserunt, vt testatur *Martianus in l si legatus* 30. *§. vlt ff. ad Trebell.* Ita namque vere dicitur iuris religiosissimus, *vt in proam. Inst. & in l vnum ex familia* 69. *§. Item Marcus, vbi notat glos. ff. de legat.* 2. sicut prouidentissimus in armis ibidem vocatur.

Lex principi imperatrix erit, non illa quidem aut libris extrinsecus scripta, aut in tabulis, sed animata intus in ipsa

ratio, semper cum eo conuersans eiusdemque obseruatrix quæque eius animam nunquam finit, sine tutela sui esse viuendum, dixit *Plutbar. lib. de regno & Clau. 4. consulatu Honorij vers. 296.* hæc,

In commune iubes si quid censes ve tenendum.
Primus iussa subi: tunc obseruantior æqui.
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum.
Auctorem parere sibi.

Cum quo consonat *Sanazar. lib. 1. epigr. 16.* ibi,

Publice nimirum lex tunc sibi constat. & æquum.
Imperium, Rex cum quod iubet, ipse facit.

Et ita ab exemplo principis esse argumentandum, dixit *glos. Verbo Lotharius in cap. Venerabilem 34. de elect.*

Soli principi, & ius, & æquitatem interpretari, licere dicitur *in l. 1. C. de legib.* ibi. Inter æquitatem iusque interpositam interpretationem nobis solis, & oportet, & licet inspicere, *& in l. 2. vers. si quod vero* ambiguum fuerit visum: hoc ad imperiale culmen per iudices referatur, & ex authoritate Augusta manifestetur, cui soli leges condere, & interpretari concessum est *C. veter. iu. enunc.*

Eodem modo beneficia principalia ipsi principes solent interpretari, vt ait *l. ex facto 43. ff. de vulg. & pup.* Et addit ita. Verum voluntatem principis inspicientibus potest dici eatenus idem tribuere voluisse, quatenus filius eius in eadem valetudine perseuerasset. Et paulo inferius sic. Etenim iniquum incipit beneficium principis si adhuc id valere dicamus, *vbi glos. Verbo auferret*, sic infert. Ergo receditur ab eo, quod diu æquum visum est, propter vtilitatem superuenientem. Nam nec in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere moris est nostri, ait *l. Nec auus C. de emancip. lib. & l. Ius postliminij 14. C. de capt. & postlim.* ibi. Nec tibi iniuriam fieri patimur, *& in l. 2. §. si quis a Principe* simpliciter impetrauerit non est credendum, sic ædificare, vt cum incommodo id fiat alicuius, neque sic concedatur *ff. ne quid in loc. pub.* Licet quandoq; per nimiam importunitatem petentium, princeps non concedenda, concedat, vt inquit *glos. verbo qualitatem in cap quando 5. de rescript.* vbi etiam hæc. Et sic est argum. quod ea, quæ per solicitudinem nimiam elicita sunt, non valent. Nec enim boni principis est vnum altare cooperire, & aliud excooperire, vt inquit, & probat *glos. Verbo successorem prope fin. in cap. sententia de pac. Constant.*

Vnde quando similia beneficia alteri nociua conceduntur a principe, non debent executores ea mandare executioni nisi prius eo consulto, vt disponitur *in Auth. de mandat. princ. §. Deinde coll. 3.* ibi. Et domorũ destructiones &c. Si quis autem cui tale aliquid iussum est, veniat, omnino non recipias eum, nisi sacram pragmaticam ostendat &c. tunc suscipiens quidem talem famam, non autem aliquid agens ex ea antequã ad nos nuncians secundã nostram præceptionem suscipias, quem tex. aut nesciunt, aut nõ seruant executores mandatorum principalium, sed statim exequuntur, & contra eos insurgit ibidem *glos. Verbo Nuncians*, sic dicens. Hoc est contra miseros prælatos, qui timent in tantum litteras papæ, vt non audeant reclamare, quod facere non debent, vt hic dicitur, *& infr. vt nulli iud. §. Et hæc vero iubemus coll. 9. & C. Si cont. ius vel vtil. pub. l. Et si non cogni-*

tio.

Digitized by Google

tio, nec per hoc deseruiunt legi imo seruiunt, & propter hoc papæ, vel principi, *vt C de appellat. l. fin. in fin.*

Cum enim princeps omnibus sit pater, *vt in Auth. Neq; vir, quod ex dot. coll.* 8. ibi. Vt quod eis parentes non seruant, hoc post Deum, qui communis est pater, dicimus autem qui imperium habet, & omnium subditorum amator, non videtur per beneficium alteri concessum, alteri præiudicium inferre. Nam attendit ad commodum subiectorum, & non e contra, quia etiam illud existimat proprium *in l. vnic. §. vlt. C. de Cad. toll.* ibi. Nostrum esse proprium subiectorum commodum imperaliter existimantes. Et ampliorem prouidentiam subiectis confert, quam forsitan ipsi vigilantes inueniunt, vt dicit *Iustinian. in l. 37. C de appellat.* Et voluntarios labores appetit, vt quietem alijs præparet *in Auth. vt diu. iuss glos. Verbo seruus in proœm. Decretal.* & alia de materia dicuntur verbo *Papa.*

Quando vero fuerit dubium an beneficiũ, mandatum, vel præceptum principis sit iustum aut iniustum, propter bonum obedientiæ debet exequi, vt dicit *glos. vlt in cap. 2 de maior. & obed.* ibi. Si dubium esset præceptum principis propter bonum obedientiæ, quod sibi præcipit faciat, *& glos. etiam vlt. in capit. Dilecta 12. eod. tit.* ita. Si certum est, quod sint salubria, vel etiam si sit dubium &c. Si certum est, quod essent mala non est obediendum. Nec ob id dicetur contemptor authoritatis principis. Nam quod *Bald. ait in sum. l. Sacrilegij instar. C. de diu. rescript.* scilicet, quod contemptor authoritatis imperialis pæna sacrilegij punitur, vel negare principem posse, est crimen quasi sacrilegij committere; intelligitur quando præceptum iustum est, vel dubium, non vero quando certum est malum esse. Cur autem dubium præceptum adimpleri debet, videtur ea esse ratio, quia in dubio pro principe præsumitur, quod præcipit iustum, & eius mentem esse iuri conformem, vt notauit *Bald. & Aretin. in dict. l. Ex facto ff. de vulgar.* Et quia cum principe non est pugnandum iuxta illud.

Ardua res est homini mortali vincere numen.

& alibi.

An nescis longas reges habere manus,

Et quia authoritas principis attendi debet adeo vt etiam Papa ad eandem attendat, prout *Gelas. dicit in cap. facultates 13. quæst. 2.* ibi. Quia & filiorum nostrorum principum, ita emanauit authoritas. Si ergo superior respicit illam, quomodo poterit inferior despicere?

Insuper tota fidelitas debetur principi est enim Deus in terris, & de eo scriptum est diliges Deum &c. vt inquit *Bart. ad glosa verbo fidelitatis in Extrauaga. ad reprimen. & glos. 1. in cap. 1. de pac. constant.* ibi. Princeps est legatus, siue proconsul Dei, *& in Verbo debitam, &* supra dictum est, qui vero non adimplet sui principis mandatum, fidelitatem ei videtur negare, quod idem procedere in consiliarijs, & senatoribus eius, deducitur *ex l. Quisquis C. ad l. Iul. maiest.* dum tales, pars corporis principis nominantur. Et de illis credit princeps ob singularem industriam, explorata eorum fide, & grauitate ad huiusmodi officia adhibitos non aliter præcepturos pro sapientia, ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret præcepturus, vt alias dicitur *in l. vnic. ff. de off. præf. Et. præt.* conducit illud, quod de Senatu inquit *l. 23. ff. de aqua plu.* ibi. Quod principis aut Senatus iussu opus factum fuerit.

Conuenit maxime principi clementia, *vt in Auth. de exhib. re. §. Si vero semel*

ad

ad med. coll. 5. ibi. Quoniam vero ad clementiam omnis a nobis aperta est lex, *& in l.2. ff. de interd.* ibi. Sed aliud clementiæ meæ conuenit, *& Ioseph. de antiquitat. lib.2. cap.2.* sic ait. Quantumuis magna laus est opem ferre in rebus angustis, non minus tamen principem ornat clementia, præsertim in causa, quæ ad ipsius iniuriam priuatim attineat: Si enim parua peccata remittentes, merita laus sequitur, quid in capitali crimine iram cohibuisse, an non diuinæ clementiæ proximum videri debet? Vide etiam *Verbo iniuria, & Verbo male dicere*.

Conuenit etiam, & humanitas principi, vt dixisti *verbo humanitas*. Et castitatis est amator verbo *castitas*. Et vt omnia, quæ decent Principẽ h:c in vnũ congeram ex allegatis *per Octauian. Cacheran. in proam. decis. Pedam.* Dico Decere principem esse subditorum suorum patrem, erga eos mitem, placidum, lenem prouidum, æquum, humanum, magnanimum, liberalem, pecuniæ contemptorem, haud obnoxium affectibus sibi ipsi imperantem, voluptatibus dominantem, ratione vtentem, ingenio perspicacem circunspectum, stabilem, constantem, & inflexibilem, magna cogitantem, authoritate præditum, industrium, suo parentium imperio seruatorem, & fautorem, ad beneficentiã promptum, lentum ad vindictam, ad iustitiam omnino propensum, aditu facilem, & alloqui volentibus se commodum præbentem, pacis ac tranquillitatis amatorem, & conciliatorem, qui bonos defendat præmijsque alliciat, malos vero pænis afficiat.

Et Senec. in lib.1. de clement. cap.13. sic sermone affabilis, accessu facilis &c. & *Nazar. in paneg. Constantini* hæc. Quid? faciles aditus. Quid? aures patientissimas. Quid? benigna responsa. Quid? vultum Augusti decoris, grauitati hilaritate permixta.

De liberalitate dicit *glos. verbo temporaliter in Extrauag. vnic. de sent. excom.* ita. Cum ipse Princeps petentibus se exhibere consueuit liberalem &c. & sibi in donando immensitas est. Expectant namque vniuersi gratiam a principe cõsequi, vt per *glo verb spe. in ead extrauag.* Vnde inter principes statim donatio firma manet etiam si sit inter coniuges, vt dictum est verbo donatio.

Plato Atheniens. interrogatus in quo quis posset gratiam principis obtinere, ita fertur respondisse. Si vis insipientis principis obtinere gratiam, ipsius sequere voluntatem, si autem sapientis, quæ ad rem non pertinent, vel contra rationem sunt ostendere non omittas. Sed dicit *Isai. cap.* 32. quod non vocabitur vltra is, qui insipiens est, princeps.

In lata gente gloria regis est, in diminutione plebis contritio principis, ita dicit *cap. Ecclesia, qua pactione prope fin.* 4. *quæst.* 4. & ideo princeps imperium suum hominum adiectione potius, quã pecuniarum copia debet velle auctum, vt dicis *verbo homo, & Verbo Rex*.

Omnia principis esse intelliguntur, scilicet, quoad iurisdictionem, non quoad dominium, & vtilitatem, vt ait, & probat *glos. Verbo, & cuius ipsi sunt in l. 1. C. in quib. col. cens. lib.11.* Et ideo non potest princeps rem priuati vendere inuito, nisi ob publicam vtilitatem, vt dicit *glos. in l. vlt. ff. de natal. rest. ex tex.* ibi. Patrono consentiente debet libertus ab imperatore natalibus restitui. Idem videtur dicendum si aliqua iusta causa adsit, ergo si voluntas eius fuerit, poterit id facere, cum dicat *gl. in l. Relegati 4. in fin. ff. de pan.* quod principis voluntas iusta causa dicitur per tex. ibi. Nisi imperator aliqua ex causa &c. Sed quid poterit priuatus facere contra principis voluntatem? necesse est, vt deponat ipse priuatus pro-

priam, & suum præstet consensum; licet alias Principis metus sit vis præcisa, quæ omnino consensum tollit, vt dicit *glos. Verbo. Pro infectis in cap. Vassalli de pac. Constant.* Debet autem princeps super hoc prius deliberare sicut facere solet, prout notat *glos. verbo deliberatione in Extrauag. vnic. de praeben.* ibi.

Nota principem, qui omni lege solutus est, deliberatione velle vti in agibilibus per tex. in illis verbis, Deliberatione super hoc, cum fratribus nostris habita diligenti. Non vero poterit ei imponi necessitas, vt probauit *glos. verbo necessarium in §. Sed ista quidem de act. in Inst.* Et quis est tantæ authoritatis, vt nolentem principem possit coarctare? vt alias dicitur *in Auth. de appellat. §. 2 coll. 4.*

Sed non est tale, quid præsumendum de principe, qui (vt dictum est) pater omnium, & singulorum dicitur. Et ad sanautem eorum sicut Reipub. nulli magis conuenit attendere, quam ipsi, vt alias dixit *Paul. in l. 3. ff de offic. praefect. vigil.* Si vero totum in contrarium faciat vt tyrannus iudicabitur, & deponi poterit, vt dicitur *in cap. In Christi, vbi notat glos. Verbo coronam de pac. Const.* quæ omnino videnda est in materia depositionis faciendę per Papam de principe seculari. Et si toleratus fuerit sciat se longo tempore nõ regnaturũ: Nam vt princeps multo regnet tempore, non debet (vltra alia) eleuare cor suum in superbiam super fratres suos, neque in partem dexteram, vel sinistram declinare, *vt in Deuter. cap. 17. 16*

Principatus autem quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit etiam si moribus atq; actibus non offendit, ipsius tamen initij sui est perniciosus exẽplo dicitur *in cap. Miramur 61. dist.*

Nota, quod nullus dolus potest committi cum principe nec ambitio, vt dicit, & probat *glos. verbo Dolus in l. Probatorias 9. C. de diuers. offic. lib. 12.*

Vbi princeps ibi Securitas, ita summatur *l. 1. C. de ijs, qui per met. iud. per text.* ibi. In sacro enim comitatu nostro timere nihil debuisti.

Nota ex potestate principis Ecclesiæ induci fictionem vacationis beneficij, vbi alias non esset, naturam enim rei immutare potest in aliam, & fingere, quod alias non est vere, ita inquit *glos. Verbo vacare in Extrauag. vnic. de praebend.*

Soli principi licet aurum proijcere, & sic iactare, vt ait *glos. verbo Missilia in l. Quis ratione 9. §. Item si quis ff. de acquir. rer. dom.* Sed hodie etiam in eo non est in vsu hæc constitutio, prout nõ esse apud prætores consules, & magistratus, qui olim argenti missilia proijciebant, iuxta *glos. citatam.*

In consilium principũ assumptos excusandos; &c. quoniã circa latus eius agerẽt, & honor delatus finem certi temporis ac loci non haberet, sic inquit *l. Iuris peritos 33. ff. de excusatio. tut. vbi notat. Apostill.* quod officialis ad beneplacitũ principis dicitur perpetuus.

Si quis afferat, cum mandatis nostris secretis se venisse: Omnesq; sciant nemini quicquam (nisi quod scriptis probauerit) esse credendum, nec vllius dignitate terreri, ita disponit *l. vnic. C. de mandat. princip.*

Principale.

Regula vulgaris est *ab Vlpian. tradita in l. 139.* sic dicens. Cum principalis causa non consistit: plerunque nec ea quidem, quæ sequuntur locum habent *ff. de reg. iur.* & ab ea deductum *cap. Accessorium eod. tit. lib. 6. & vtrobique glos.* afferunt quemplurima iura, quibus addo *l. Bos 26. C. de vsur.* ibi. Principali enim actione non subsistente satis superuacuum est super vsuris, vel fructibus adhuc iudicem cognoscere. Limitabis tamen iuxta *l. Et si is quem 9. C.*

9. *C. de prad. min.* vbi principali resci-sa venditione, accessorium remanet firmum ibi. Pignora sane, quæ ob euictionis periculum idem curator ex rebus proprijs tibi obligauit, non prohiberis persequi, & notauit *glos. verbo datur in l. Sed Iulianus §. Interdum ff. ad Maced. & in d. l. Cum principalis, & l. 2.* sic ait. Intelligere debes vincula pignoris durare personali actione summota *C. de luit. pig.*

E contrario autem accessorio sublato, nõ tolli principale, dicit *glos. Verbo manebit in l. Si quis 16. §. si duo ff. de vulg & pup. subst.* ibi. Nec principale potest rumpi per accessorium, sed principale per principale testamentum rumpitur. Nec confirmari *l. Ex testamento 44 eod. tit. & l. Quod per manus vbi Bart. ff. de iur. codicill.*

Principal concesso, & quæ in consequentiam veniunt, concessa intelligantur, & ob id dicitur *in l. Definitionem 6 ff. de pecul.* Eo ipso, quod dominus seruo peculium constituit, etiam vicarijs cõstituisse existimandus est. Nam principale trahit ad se accessorium, etiam si pretiosius sit ipso principali, vt notat *Bart. in sum l. Heres meus 98. §. vlt ff. de legat. 3.* Et sic ponit pro regula idem *Bart. in l Ambitiosa sub num. 17. vers. Tertia regula est*, quod possunt fieri õnia consequentia, siue quibus non potest principale explicari *ff. de decret. ab ord. faciend.*

Ex eodem Bart. ibidem num. 19. Dic principale duobus modis intelligi posse: vno modo, vt denotet ordinem naturæ veluti verberatur filius, certe ipse filius principaliter iniuriatur, & pater per consequentiam, *vt in l. 1 ff. de iniur.* Certe isto casu, illud, principale, non denotat ordinem temporis, quia eodem instanti fit iniuria patri, & filio, sed denotat quendam ordinem naturæ, qui intellectu percipitur. Secundo modo potest intelligi, vt denotet ordinem intellectus: in quo est sciendum, quod in intellectu finis dicitur principium, & illud dicitur principalis esse finis ad quod intellectus finaliter tendit: Exemplum, mandator, & fideiussor licet ante reum intercedat, dicitur teneri accessorie, eius reus principaliter. Ratio est, quia ad hunc finem contrahentes tendebant, quem precor omnino videas ad intelligentiam principalis, & accessorij, siue consequentis.

Priuatio

Habitum præsupponit, vt deducitur *ex l. Manumissiones ff. de iust. & iur. Bart. in l Decem 116 in summ.* ibi. Non sequitur priuatio, nisi præcedat habitus per tex ibi. Et soluente Titio non liberatur Mæuius, quia nec tenebatur *ff. de verb. sig. l. 1. ff. quib. mod. vsufr. amitt.* ibi. Sed ita demum amittitur capitis diminutione vsusfructus, si iam constitutus est. Cæterum si ante aditam hæreditatem, aut ante diem cedẽtem, quis capite minutus sit constat nõ amitti, & ibidem notat *glos. Verbo non amitti* diceas, quod enim non est, amitti non potest.

Neminem iure suo priuandum esse nisi trina citatione præcedente deducitur *ex l. Impuberibus § vlt. ff de suspect. tut.* ibi solet edictis euocari; coniuncta *glos.* ibidẽ scilicet tribus, vel vno pro omnibus, & facit *glos Verbo Tertio in Clem. 1. de vit. & honest cler.* Licet in eo, quod vnum pro tribus sufficiat, dicat contrarium *ex eo tex.* ibi. Et tertio moneant idem in officio tenet *Ias. in l. 1. §. 1. numer. 12. ff. si quis ius dicent non obtemp. ex Bald. & alijs Canonistis in capit. Ex litteris de constit.*

Quod non est lege cautum, non inducere priuationem tenet *Bald in Auth ex testamento num. 13. C. de secund. nupt. per tex. in Auth. de non eligen. secund. nub. §.*

Cum igitur ibi. Nec est qualibet lex aliquid tale diceas, sic neque priuabimus matres filiorum successione *collat. 1.*

Priuilegium.

Dicitur quasi priuata lex *in capit. vlt. post med. 25. quæst. 1.* his verbis. Neque enim priuilegia aliquibus concederentur, si præter generalem legem nulli aliquid specialiter indulgeretur. Priuilegia namque dicuntur, quasi priuata legis, eo quod priuatam legem singulis generent, *& in capit. Abbate 25. propos. de verb. sig.* ita: Quia cum priuilegium sit lex priuata, & lex non debeat esse obscura, vel captiosa, sed certa, & manifesta, nec esset priuata, nisi aliquid specialiter indulgeret, profectò sic intelligenda sunt illa verba, vt res, de qua agitur, valere possit potius quam perire, *& glos. in l. Quod fauore 6. in fin. C. de legib.* sic. Tunc enim dicitur fauor vel priuilegium, cum est extra ius commune: Nam dicitur Priuilegium, id est priuata lex, *& in cap. licet quibusdam 18 de regular.* de eo videtur dicere ibi. Et lege priuata, quæ publicę legi præiudicat, licet ibi *glosa* intelligat legem priuatam, esse amorem Dei, vel charitatem; Nam dubiū non est, quod priuilegium lex priuata sit ex dictis *& glos. in l. 3. C. de iur. reip. per tex.* ibi. Secundum legem ciuitatis &c. id est priuilegium.

Alia realia, alia vero personalia esse priuilegia notat *glos. vlt. in l. vnic. C. de priuil. dot.* & dicit illa ex tempore æstimari, hæc ex causa. De illis dicitur nūquam extingui *in l. 3. ff. de censib.* ibi. Rebus nunquam extinguitur, *& in l. Sordidorum 14. C. de excusat. mun. lib. 10.* de vtrisque sic. Neque enim potest esse perpetuum, quod non rebus, sed personis contemplatione dignitatis atque militiæ indulsisse non constat, *& in d. l. 3. de personalibus* ita. Quippe personis data quidem immunitas, cum persona extinguitur.

Sed quid dices de priuilegio concesso personæ ratione officij, an finito officio, ipsa viuente, extinguetur nec ne? Et quidem durare dixit *glos. per tex. ibi in l. vnic. C. de mag. sacr. scrin.* in illis verbis post depositum etiam officium, *& est tex. in l. 2. C. de præpos. sacr. cub. lib.* ex ratione de qua ibi. Ne sordidis adstricti muneribus decus ministerij, quod militando videbantur adepti, otij tempore & quietis amittant.

Nec Reale, nec personale conceditur priuilegium si res vel personæ adhuc non existant iuxta *capit. Ad audientiam 5.* ibi. Tibi non possumus de iure deferre, cum nulli Canonici adhuc ibidem existant, quibus priuilegiū conceda tur, & ibidē *glos. Verbo non possumus* dicit, sic. Ergo patet, quod rei, quæ non est, non datur priuilegium. *de Eccles. ædif.*

Concessum capiti priuilegium omnibus eius membris concessum intelligi probat *l. restituenda 6. in princ.* ibi. Nam vniuersis redditur quod pro voto omnium primatibus conceditur *C. de ad mon. diu. ind.* Et statim vim suam habere, cum peruenerit ad illum, cui conceditur, dicit *glos. Verbo vim suam in cap. 1. de concess. præben. lib. 6. per text.* ibi. De illis priuilegijs, & indulgentijs debent intelligi, quæ vim suam habent mox cum ad illos quibus conceduntur perueniunt. Et plus dicit idem *tex. paulo sup. in vers.* Nec obstat ibi. Quia in priuilegijs, & indulgentijs, seu concessionibus specialibus, secus existit, in quibus sufficit, quod ad illorum, quibus conceduntur notitiam perueniant.

Authoritas priuilegij debet obseruari iuxta *cap. Ad audientiam 13. de præscrip.* ibi. Nos igitur magis authoritatem priuilegij, quam depositiones testium attendentes, *vbi glos. Verbo magis* arguit

guit in contrarium, & respondet hoc esse speciale propter antiquitatem facti, & contrarium esse generale. *Et in cap. ita nos in fin. 25. quast. 2.* sic dicitur. Ita priuilegiorum authoritas videtur esse seruanda, vt eorum subueniatur inopiæ, non vt suarum diuitiarum augmento, & possessionem non modica extentione porrecta, baptismales, seu parrochiales Ecclesiæ penitus destruantur. Vnde dicit *glos. 1. in fin. capit. 1. de censib.* quod tunc etiam priuilegium perditur propter detrimentum, *& glos. ult. in cap. Quid per nouale de verb. sig.* ita ait. Si enim priuilegium incipiat esse iniquum, perditur priuilegium &c. Et ab eo, quod diu æquum visum est receditur, propter euidentem vtilitatem &c. Eadem ratione receditur propter enorme damnum ab eo, quod diu obtentum est.

Seruari autem debet priuilegium iuxta eiusdem tenorem, nec vltra eius metas transgredientem, dicit *cap. Porro cum seq. de priuileg.* ibi. Quod totum ex inspectione priuilegiorum plenius aduertere debes, & secundum quod inueneris ita obserues. Sic enim nos volumus priuilegiorum suorum seruare tenorem quod eorum metas transgredi minime videantur, *& in cap. 1. eod. tit. lib. 6.* sic volentes libertatem (quam nonnullis Apostolica Sedes priuilegio exemptionis indulsit) sic integram obseruari, vt illi illam non infringant, & ipsi eius limites non excedant.

Non solum autem priuilegium non debet vltra suas vires transgredi, sed quod magis est, si fuerit latum restringi debet, vt notauit *Apostill. ad capit. 1. §. statuimus de decim. lib. 6.* dicens sic. Ecce quod priuilegium latum restringitur quando solum in genere exprimuntur aliqua, quibus specifice expressis non fuisset tam amplum priuilegium obtentum. Verba *vero tex.* sunt. Cum non sit dicendum asperum, sed pium potius, & benignum, si super decimis futurorum noualium, contra parrochialium Ecclesiarum grauamē (quod ex districtione indulti huiusmodi possit accidere) taliter obuiatur.

Et semper consideranda est mens potius, quam verba priuilegij, vt notauit *glos. 1. in cap. Quamuis 26. de priuil. per tex.* ibi. Et sic Apostolicorū priuilegiorum non vim, & potestatem, sed sola verba seruantes, addit etiam *glos. prædict.* sic. & male certe, quia consideranda est mens potius, quam verba; Mens vero concedentis est, vt in priuilegio gratia aliqua contineatur iuxta *cap. In his 30. in fin.* ibi. Ita, quod dicti fratres ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consequuti *de priuileg. coniuncto capit. Abbate 25. prope fin. de verb. sig.* ibi. Nec esset priuata, nisi aliquid specialiter indulgeret, iam *sup. citat.*

Et si super priuilegijs Sed. Apost. quæstio oriatur: non vult papa de ipsis per alium iudicari, ita *glos. Verbo declaramus in cap. ult. de confirm.* & ipse papa *in capit. Cum venissent 12. de iud.* ibi. Cum super priuilegijs Sed. Ap. causa vertatur, nolumus de ipsis per alios iudicari, vbi addit *glos. vlt.* sic, Et hoc ideo quia eius est interpretari, cuius est condere. Dicas quod hoc habet locum cum verba ambigua sunt, & obscura, quia tunc eius est interpretari, vbi vero aperta sunt potest iudex dicere, non obstat priuilegium.

Quæ vero Rom. Ecclesia insignum priuilegij sibi tantum seruauit, nullus alius sine sua speciali licentia attentare debet, sic dicit *glos. verbo Romano in cap. 1. de tempor. ord.* Et si vis scire, quæ sint illa vide *capit. Quod ad translationem de offic. legat.*

Priuilegia antiqua, quod possunt renouari, dicit *glos. verbo reparare* ibi. Arg. pro priuilegijs antiquis, & neglectis, vt possint, & debeant renouari *in Auth.*

de

de hered. & fale §.1. Ità tamen, vt per innouationem non plus iuris accrescat quam per priuilegia prædecessorum nostrorum obtinuit, cum per hoc non nouum ei concedere, sed antiquum ius conseruare velimus, dixit papa *in cap. ex parte 13. ad fin. de priuileg.* Et nec aliquid diminui, vt inquit *Imp. in l. vlt. de prapos. agent. in reb. lib. 12.* ibi. Cum per absurdum perque temerariũ sit hanc nostræ liberalitatem pietatis, quem quam astuta interpretatione non ad augumentum anteriorum priuilegiorum, sed diminutionem conuertere.

De consuetudine priuilegium potest competere, nam quemadmodum ipsa dat iurisdictionem; ita & priuilegium: cum ista sint paria, vt dicit *glos. verbo de consuetudine in cap 1. §. 1, de appellat. lib 6.* Contra vero consuetudinem imperator concedendo, nunquam intelligitur concessisse *glos vlt. in capit. vlt. Quid sit inuest. in vsib. feud.* Si vero concedatur contra legem debet in eo fieri mentio de eadem, vt tenet *glos. 1. in l. si non 9. C. de testam.* ibi, Si non speciali priuilegio ab Imperatore concesso, in quo dicatur. Non obstante lege, *vbi Apostill.* ait. Notabilis *glos.* secundum Ludou. & Corn, quod rescriptum iuri contrarium debet habere clausulam derogatoriam Idem de priuilegio contra aliud priuilegium expresse disponit *capit. veniens 19 de prascript.* ibi. Non obstante priuilegio Clem. Papę per quod priuilegijs suorum prædecessorum non extitit derogatum, cum de ipsis non fecerit mentionem. Aliquibus tamen intendit Papa derogare, vt in eo, de quo *glos. 1. in addit. magna ad fin. in cap. vbi periculum 3. de elect. lib 6*

Propter publicas necessitates conceduntur multa priuilegia, vt dicit *Iust. in l si fideiuss. 27 ad fin. C. de fideiuss.* Et de his præcipue intelligitur, quod dixit *glos. in c. suggestum 9. de decim.* sic. Arg. quod secundum diuersitatem temporũ, & varietatem rerum sunt varianda priuilegia. Et prosequitur. Sed contra, quia priuilegia perpetua firmitate stare debent &c. Et pro responsione, sic dicit. Causa noua superueniente bene perditur priuilegium &c. Item propter delictum ciuium &c. Item propter negligentiam spatij decem annorum &c. Itẽ cum enorme præiudicium alij inducit. Vnde versus,

Indultum tollit contemptus, crimen, abusus.
Oppositum factum, damnum, tempus variatum.

Et de singulis affert iura, vltra quæ, ego aliqua. Et de abusu est *text. in capit. Tuarum 12. de priuileg.* ibi. Quia priuilegium amittere videtur, qui permissa sibi abutitur potestate *cap. vt priuilegia 14. eod. cap. Contingit 45 de sent. excomm. & capit. vbi ista 74. dist.* ibi. Nam priuilegium dignitatis meretur amittere, qui permissa sibi abutitur facultate. *glos Verbo censiri in cap. 3. de stat. Monach,* ibi. Quia per hoc, priuilegio suo renũciare videntur, ex quo abutuntur eo, *glos. 1. in l. vlt. C. de spectac. lib 11.* ibi. Et sic nota priuilegium amittere, qui abutitur *& in l 3. C. de aqua duct. eod. lib* ita, quod si quis aliter fecerit, non solum id quod prius iure beneficij fuerat consequutus, amittit &c.

Quod autem ipso facto perdatur, ait *cap. vlt. de vit. & hon. cler.* ibi. Cum facto abijciant priuilegium clericale, vbi notat *glos.* dicens. Nota quod ipso facto amittit quis priuilegium suũ, *& glo. 1. in c. 1. de cler. coniug.* ibi. Contrario facto, suo iuri renunciarunt priuilegio clericali, *& glos. Verbo recepisse in cap. Pro illorum 22. de praben.* sic. Et ita, qui semel facit cõtra priuilegium suum sibi præiudicat in illo *per tex.* ibi. Indul-

dulgentiam, quam habent, non seruasse &c. facit *cap. Accedentibus 15. de priuileg.* ibi. Cum enim tanto tempore contra indulta priuilegia decimas soluerint, eis renunciasse tacite præsumuntur, *& cap. Si de terra 6. eod. tit. ibi.* De priuilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis, cum liberum sit vnicuiq; suo iuri renunciare, eoque modo non potestis vos in hac parte tueri. Et per vnum actum contrarium recedi à priuilegio dicitur *in Summario l. 2. C. de iur. dom. impet. per tex.* ibi. A beneficio impetrato recessisse videtur, de qua materia, vide pulchre per *Abbat. in cap. Cum accessissent col. vlt. de constit. & per doct. in l. voluntaria C. de excusat. tut. relat. per glos. 1. in d. l. 2.* & quod peccatur etiam per eum, qui semel agnoscit iudicium iudicis verbo iudicium.

Tollitur etiam priuilegium per sententiā, sicut per conuentionem, & per arbitriū vt ait *glos. in cap. suborta 21. de re iud. per tex.* ibi. Prætextu priuilegij de nouo reperti prædicta sententia non debet retractari &c. & ibi. Si præfati Innoc. priuilegium Alexandro fuit in iudicio præsentatum, & ipse tulit sententiam contra illud intelligitur reprobasse.

Non amittitur autem per eum, qui iure communi vti voluit, vt de milite dicit *l. 3. in fin. ff. de mil. testa.* ibi. Neque enim qui voluit iure communi testari, statim beneficio militari renunciauit.

Nec immunitatis priuilegium perdit, qui acceptat voluntarie munus, aut honorem, *vt in l. 2. ff. de priuileg. veter.* Honeste, inquit, Sacramento solutis data immunitas, etiam in eis ciuitatibus, apud quas incolæ sunt valet, nec labefactatur, si quis eorum voluntate sua honorem, aut munus susceperit, vbi videas *glos. verbo labefactatur, & in l. 2. C. de ijs qui spon. pub. mun. lib. 10* sic. Qui publici muneris vacationem habet: si aliquem honorem, excepto decurionatu, sponte susceperit, ob id quod patriæ suæ vtilitatibus cesserit, vel gloriæ cupiditate paulisper ius publicum relaxauerit, competens priuilegium non amittit, *& in l. 12. C. de excusat. tut.* sic. Voluntariæ tutelæ munera priuilegijs nihil derogat.

Vagabundum vero perdere priuilegium notauit *glos. verbo spoliandus in l. 3. C. de domest. & protect. lib. 12.*

Pari militiæ par debetur priuilegium, *vt in l. vlt. C. de palatin. Sacr. larg. eod. lib. 12.* ibi. Cum enim par similisq; militia sit, iustum, & competens videtur ijsdē vtrumq; officium priuilegijs gloriari.

Priuilegium militum ad alienam iniuriam porrigi non oportere, ait *l. Impuberi 41. ff. de admin. tut* Neq; enim in præiudicium tertij priuilegium concessum intelligitur, vt sup. dixi, & est optimus *tex. in l. 3. ff. de oper. libert.* vbi libertus, qui obtinuit à principe priuilegium anulorum aureorum, non est immunis iure successionis patroni in eius bonis, & de tali liberto dicit idem text. hæc verba. Hic enim viuit quasi ingenuus, moritur, quasi libertinus.

Nec priuilegium tollere priuilegium, notauit *glos. vnic. in l. Dotalem 17. ff. de mil. testam.* Nec priuileg um testantis tollit delictum scribentis, sed priuilegium scribentis tollit, vt ait *glos verbo Senatusconsulti in l. In fraudem § Si quis ff. de mil. testa.*

Nihil facit ad interpellandam iurisdictionem eius qui de fideicommissaria libertate cognoscit, priuilegium cuiusque vel Ciuitatis, vel corporis, vel officij in quo quisq; est, vel conditio personarum, hæc ait *l. Neq; infantes 36 in fin. ff. de fideic. libert.*

Non etiam derogatur conuentioni per priuilegium iuxta *cap. 3. de decim.* ibi, Quia non fuit nostræ intentionis per priuilegium nostrum conuentioni derogare. Nec lite pendente priuilegium, seu indulgentia supra reliti gi sa, veritate

rate tacita valet, vt infert *glos. ex text. ibi in cap vlt. vt lit.pend.*

Priuilegium vnius partis sæpe etiam ad aliam extendi dixit *glos verbo de veteris in capit. Cupientes 16. de elect. lib.6.* Et quod magis est etiam de vna ad aliam personam ratione communionis iuxta *cap. vnic. §. vlt. de iur. patr. lib. 6.* ibi. Ita quod ratione communionis priuilegium Ecclesiæ transeat ad laicum, ad instar eius, qui communem rem habet cum pupillo &c. Ita quod per Ecclesiam consequetur, quod per se consequi non posset. Habet etiam vxor priuilegium sui mariti quamuis mortuus sit, & ipsa remansit in viduitate, vt habes verbo vxor. Et priuilegium fori, quando transeat in cessionarium dictum fuit verbo Cessio.

Priuilegiatũ posse vti priuilegio suo contra priuilegiatum dixit *glos. verbo Ius pignoris in l. Sed si pecunia 3. ff de reb. eo. & sequitur Bald. per text. ibi in l. Iubemus num.1. C. ad Trebell.* Et licet alibi legerim, quod *Bart.* tenet contrarium *in l. sed milites in princ. de excusat. tut.* secundum vnam lecturam, quam non inueni, tamen vidi *Bart. in l. verum §. Item quæritur ff. de minor.* sic dicentem *in princ.* Si sunt duo priuilegiati pari priuilegio præfertur ille, qui agit de damno vitando: sed si vterque certat de hoc, potior est causa Rei. Sed si sunt priuilegiati dispari priuilegio priuilegium potentius præponitur.

Priuilegio libertatis an possit renunciari ab Ecclesia exempta? Vide Ecclesia de homine vero exempto, quod non possit, etiam se subijciendo ordinario *not. Apostill. ex glos. vlt. in Clem. Cum eo. de sent excom.*

Facilius tolluntur priuilegia, quam iura communia; vnde, & difficilius expugnantur sic ait *glos. vlt. in l. 1. C. si aduers. vend.* Et personalia citius, quam realia extingui dicit *glos Verbo persona in fin. in Extrauag. vnic. de prabend.* ibi. Quia citius personis, quam locis vel dignitatibus concessæ dispensationes alibi summouentur.

Est gratis dictum si priuilegiatus vellet vti maiori priuilegio, quam ille, qui eum priuilegiatum fecit, *vt in Extrauag. Postulasti 10. de praben. int. com.* ibi. Ridiculum enim esset, vt eadem fabrica potiori, quam nos priuilegio vteretur.

Probatio.

De hac superuacaneum existimabam aliquid hic afferre, cum post alios adsit plenissimus tractatus in volumina tria diuisus *Iosephi Mascard. Iurisconsf. celeberrimi*, sed ne videretur nostrum Apolecta deficere in hac parte, quæ est vna de principalibus iuris, reuocari sententiam, & aliqua apponi curaui *ex tex. glos. & doct.* antiquioribus iuxta ordinem vsq; adhuc a me propositum, obseruatum, & vsque ad finem obseruandum.

Et secundum *glos. in rubr. C. de probat.* Probatio est rei dubiæ per argumenta ostensio a, probe, dicta; probe enim agit, qui probat, quod intendit, quam diffinitionem dicit ibidem *Bald. numer. 3. reprobare Canonistas*, & post aliam, quæ etiam reprobatur ab eo, ponit istam *sub num.7.* Probatio est fides veri legitimis modis, & temporibus facta causæ cognitori. Et benedicit causæ cognitori, hoc est iudici huic enim, & non alij fit probatio, vt dicitur *in l. Quingenta 12. ff. de probat.* ibi. Hæres ipse id probare iudici debet, *vbi glos.* notauit. Iudici, & non aduersario faciendam esse fidem, & affert alia iura. Sed tu nota, quod diffinitio *glos.* potest defendi *ex tex. in cap. 2. de cler. pereg.* ibi quod nisi de ipsorum ordinatione Canonica per idonea tibi constiterit argumenta coniuncta *glos.* ibidem sic. Non dicis

per

per testes, & instrumenta; sed per argumenta esse probandum, quia per argumenta siue indicia probatur æque sicut per testes,

Quatuor esse modos conuincendi, seu probandi notauit *glos. verbo dicta testium in cap. Cum ad Sedem* 15. *de restit. spol. per tex.* ibi. Quia nec per dicta testium, vel confessiones partium &c. vel instrumenta &c. nec per euidentiam facti nobis constare potuerit, & prædicta *glos.* ait. Et quintus potest addi scilicet violenta præsumptio. *Et glos. verbo. Non aliter in Auth. de testib. §.1. coll. 7.* Sunt quatuor modi probandi, per testes &c. Item per instrumenta &c. Item per confessionem partium &c. Item secundum M. est quartus modus scilicet iudicis conscientia. *Et Hostiens. in summa de probat. vers.* Et quot sunt species probationis? Respondet nouem, vnde versus.

Aspectus, sculptum, testis, notoria, scriptum
Iurans, confessus, præsumptio, fama probabunt.

Hæc de plena probatione intelliguntur; Semiplena vero fit, puta perscripturam domesticam, quæ non sola, sed cũ alijs valet, & sic semiplenam inducit probationem. Vel per comparationem literarum, ex qua non plena, sed qualis qualis sumitur fides, vel per fugam Rei, qui debuit ibi respondere, vbi officium gessit, vel per vnum testem defertur iuramentum actori, qui nouit veritatem rei maxime si res petita est modica, & actor est honestus. Testem autem vnum, dico inducere præsumptionem. Item & duo faciunt plenam; ergo vnus semiplenam, ita ponit *glos. verbo Exactio in l. Admonendi* 31. *ff. de iur. iu.*

Regulariter instrumentis, & testibus probari solet; fit tamen probatio leuius, & securius per scripturam, ita dixit *glos. verbo in scriptis ad fin. in addit. in cap.* 1. *§. Postquam de censib. lib.* 6. Per exempla etiam probatio fit. Sed quomodo? interrogat *glos. verbo tutores in l. Chirographis* 18. *ff de admin. tut.* & respondet. Authoritate iudicis fuit publicatum &c.

Qui petit, probationem facere tenetur, vt est vulgaris regula *l. Actor, quando asseuerat C. de probat. & melius ex tex. in l. Quæritur* 14. *ff. de Carb. edict.* ibi. In eo quod à possessore peteret, probationem ei incumbere. Et eo non probante absolui debet reus iuxta iuris explorati definitionem de qua testatur *ca. vnic. vt Eccles. benef. vbi glosa Verbo Actore* sic. fallit, nam ratione præsumptionis, aliquando transfertur, probatio in reum &c. Item cum actor fundauit intentionem suam iure cõmuni &c. Item cum reus assumit onus probandi &c. Item in communibus iudicijs vtriusque probatio auditur. Item cum vterque dicit se possidere &c. Item in crimine falsi vtriusque testes audiuntur &c. Item in crimine læsæ maiestatis in sacramentis desertis, in proditione patriæ, & in crimine peculatus vtriusque testes audiuntur &c. Item priuilegium actoris transfert onus probandi in reũ; puta si pupillus, aut mulier repetat solutum tanquam indebitum, reus tenetur probare debitum &c Item delictum ipsius rei transfert onus probandi in ipsum &c Item negatiua, quæ habet in se affirmatiuam implicitam probari debet à reo. & ibi de singulis affert iura. Et quod delictum infìciationis transfert onus probandi in reum *glos. in cap. vlt. de solut.*

Notabis tamen, quod in aliquibus, quando exigitur probatio, ea dicitur ex eo, quod in contrarium non probatur. Sic probant quam plures *glos. vt in l.1. verbo Probandum est C. de condict. ob turp. cau.* ibi. Vel probat eo ipso, quod non

probatur contrarium; & in l. 2. C. qui test. fac. poss. verbo probationibus. ibi. Quod probatur eo ipso, quod contrarium non probatur, idem glos. in l. Omnium C. de testam. & in l. Hi qui C. de appellat glos. vlt. & in l 1. verbo monstrauerit C. de tempor. & repar. & in l 4. verbo probat C ad l. Cornel. de fals. vbi tex. sic si suam innocentiam probat, & in l 1. C. de fid. instr. & iu hast. fisc. lib. 10. verbo Omni ordine ad fin. ibi. Itē quomodo proba- solemnitatem deesse? imo contra debet probari eam affuisse, vt &c. hæc probat, eo ipso, quod non probatur contra. Et facit tex. in l seruis C. qui mil. poss. lib. 12. ibi. Et suam ignorantiam (eo quod contrarium minime probatur) ostendere, vbi notat glo. ost ndere dicens. Nota probari ignorantiam, eo ipso, quod contra non probatur.

Probatio exigenda est ab ijs, quorum officij fuit prouidere, vt pupillo idonee caueretur, ita ait l. Non est necesse 11. ff. de probat. vbi glos. sic. Nota ergo hic quod præsumitur quis non idoneus, nisi probetur idoneus, de hoc iam sup. verbo idoneus.

Cum quis tenetur ad alterum duorum, scilicet probare, vel cauere, quod voluerit præstando liberatur, ita glos 1. in cap 1. de procurat Si vero quis, cum teneretur ad vnum, se adstrinxit ad duo probanda, quorum alterum per se sufficeret, tunc non sufficit probare vnum, nisi impleuit intentionem suam, ad quā se obligauit, ita glos. verbo se adstrinxit in cap. Licet causam 9. de probat.

Quæ de nocte fiunt difficilis probationis esse notauit Apostill. ad glos. Verbo Ignorantiam in l. si cum exceptione 14. §. In hac actione ff. quod met cau. dicens, hæc glos. reputatur singularis ad hoc, vt probatio eorum, quæ de nocte fiunt reputetur dificilis. Verba vero glos. sunt ista. Iuste ignorare possum, quis mihi vim fecerit, cum talia fiant de nocte:

Difficile etiam esse probarē, singula vtensilia, inquit glos. verbo comprobare in l. si quando 9. C. Vnde vi. vbi ratione istius difficultatis admittitur probatio per iuramentum vim passi.

Nulla sit negantis probatio, vt est dictum verbo negatio, vbi etiam, quando fiat. Eo ipso, quod quis non probat calumniari videtur iuxta l. 1. C. de aduocat. diu. iudicio ibi. Quod si non docueris præuaricatum, & calumnia notaberis glos. relegaretur per tex. ibi in l. 3 §. 1. ff. de testib. sic dicens. Sunt ergo hic Argu m. quod quis eo ipso, quod non probat calumniari videtur, vbi alia allegit, & respondet ad iura in contrarium, probat etiam glos. verbo. Non potuit in Auth. vt litig. iur. §. Si quis autem coll. 9.

Non omne probabile esse certum infert Apostill. ad cap. Personas 20. de testib Id autem probabile est, quod per se, vel alijs iunctum, facit adminiculum, vt ex Salicet. in l. Ad probationem 1. C. de probat tradit Apostill. in l 3. §. vlt. ad verbum modum probabilem ff. de ann. legat.

Notandum est, quod inopia probationis emergente, conuolandum est ad auxilium, quod aliás esset respuendum, prout notauit glos. Verbo inopia per tex. ibi in cap. vnic. de content int. dom. & fidel. Debet igitur probationis facultas ampliari, vt per glos. vlt. in l. pen. C. de haret. per tex ibi. Permittimus, ne probationum facultas angustetur, & in Auth. de instr. caut. §. 1. vers. si quis igitur coll. 6. sic. Neq; enim, vt abbreuiemus probationes ponimus legem, sed vt effi- eas, & caute faciamus. Neque consuetudo in contrarium vim obtinet per extrauag. 1. de offic. ord. int. comm. ibi. Quod consuetudo prædicta, contra communem vtilitatem, facultatem probationum (quæ non est angustanda) restringit, propter quod etiam, vt salua scilicet sit rerum probatio &c.

Vnde

Vnde etiam publicatis attestationibus admittitur aduersarius ad probandum contrarium, si ante publicationem super hac probatione contraria instrui non potuit, vt ita summatur *capit. ex tenore 35. de testib. vide etiam cap. Cum causam 42. & cap. Cum in tua 44. eod. tit.*

Eo ipso, quod quis vult subtrahere copiã probationis aduersario suo, præsumitur iniquam causam fouere, & experiri debet in se iudicis authoritatem elusã, ita inquit *glos. vlt. in cap. Intimauit 18. de testib.* quod deduxit *in cap. Constitutis 45. in fin. eod. tit. & cap. Peruenit 4. de test. cog. & capit. Infames vers. Si quis autem ex litigatoribus 3. quæst. 7. & l. Prouidendum vers. si quis C. de postul.* vbi eadem verba.

Impedietur vero probatio fieri de his, quę non prosunt, & si probarentur, vt per *glos. verbo. Nihilominus in cap. Cum contingat 36. de offic. delegat.* ibi. Nota, quod non debet quis admitti ad probandum illud, quod probatum non prodest, & facit *l. Ad probationem 21. C. de probat.* ibi. Si quidem huiusmodi, licet probetur factum, intentioni nullum præbet adminiculum.

Nec etiam admittetur probatio contra præsumptionem iuris, & de iure, vt sup. dictum est *verbo præsumptio*, & ibidem an procedat in violenta præsumptione.

Procurator.

SEcundum *Vlpian. in l. 1. ff. de procur.* Ille est, qui aliena negotia mandato domini administrat. Et prosequitur sic. Procurator autem, vel omnium rerum, vel vnius rei esse potest. Constituitur autem, vel coram, vel per nuncium, vel per epistolam: quamuis quidam (vt *Pompon. lib. 24.* scribit) non putent vnius rei mandatum suscipientem, procuratorem esse, sicuti nec is quidem, qui rem perferendam, vel epistolam, vel nuncium perferendum suscepit, proprie procurator appellatur. Sed verius est eum quoq; procuratorem esse, qui ad vnam rem datus sit. Vsus autem procuratoris per quam necessarius est: vt qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel non possunt: saltem per alios possint vel agere vel conueniri. Dari autem procurator etiam absens potest, *& in l. 2.* addit Paul. Dummodo certus sit, qui datus intelligitur, & is ratum habuerit.

Competit vero illa definitio tam procuratori dato ad iudicia, quam ad negotia, vt deducitur *ex glos. verbo procuratores in cap. vnic. de oblig. ad ration.* ibi. Procurator dicitur, qui mandato domini aliena negotia in iudicio administrat &c. & ibi. Alius dicitur procurator ad negotia datus, de quo agitur *per tot. tit. ff. & C. manda.*

Non dicitur vero procurator, qui propria negotia facit, *vt in l. 2. ff. mandat.* ibi. Quod si tua tantum gratia tibi mandẽ, superuacuum est mandatum. Adeo vt nec ille cui mandantur actiones, procurator dici possit iuxta *l. Qui stipendia 9. C. de procurat.* ibi. Nec potest dici eum, qui honesta & verecunda causa præcedente mandatas sibi actiones exercuerit, alieno negotio fungi: cum licet intentio ex persona alterius sumatur, hunc tamen rem suam gerere non ambigitur.

Regulariter, qui non prohibetur expresse ad exercẽdum procurationis officium, idoneus reputatur, inquit *cap. 1. de procurat. lib. 6.* Nam procurare non est honor, sed onus tantum, & vile officium, vt inquit *glos. Verbo Aliud in cap. 3. de procurat lib. eodem Et glos. Verbo certis personis in l. 1. §. Ait prætor ff. de postulan.* ibi. Esse aduocatum honor est &c. Sed esse procuratorem onus est, & quoad vilitatem tex est expressus *in l. 34. C. de decurion. lib. 10.* vbi Impp. Gratian.

& Valent. in hæc verba. Si quis procurationem facultatum suarum curiali crediderit esse mandandam, totius dignitatis exceptione depulsa, grauissima pœna plectetur. Ille vero, qui immemor libertatis, & generis, infamissimam suscipiens vtilitatem existimationem suam seruili obsecundatione damnauerit, tradatur exilio, *vbi glosa* verbo vtilitatem dicit, alias vilitatem, *& not.* officium procuratoris esse vile, *& in l. vniuersos 15. eod. tit.* ibi. Vile officium sicut procurationem,

Glos. tamen in cap. licet 7. de procurat. sub notab. 1. ita inquit. Et secundum *doct.* quando dicitur, quod officium procuratoris est vile officium, non intelligatis, quod reddat vilem, vel infamem, illum, qui exercet tale officium, sed dicitur vile, eo quod viles personæ admittuntur ad exercendum tale officiũ: Et intelligitur de procuratione particularium personarum, non autem de procuratione regia, *& glos. Verbo idoneum in cap. 4. de iuramento calum.* ibi, Dicit lex, quod procurator propter infamiam non repellitur *Inst. de except. §. vlt.*

Spontaneum dicit esse officium procuratoris eadem *glos. proxime citata*, *idem glos. verbo si tutor in §. si tutor de inoffic. test.* ibi. Aduocatus, vel procurator sponte facient cum illa officia sint spõtanea, & probat *l. filiusfam. 8. ad fin.* ibi. Inuitus procurator non solet dari *& l. Inuitus* procurationem suscipere nemo cogitur *ff. eod. C. de procurat.* Et inuitum accipere debemus, non eum tantum, qui contradicit verum eum quoque, qui consensisse non probatur; vt sunt vltima verba *dict. l. filius*.

Et e conuerso domino inuito, nemo procurator constituitur. Nam hoc ipso suspectus est, quod operam suam ingerit inuito iuxta *l. Quæ omnia 25. § 1. ff. de procurat.* vbi notat *glos. Verbo suspectus*. Et ponit regulam generalem dicens, quod suspectus est, qui se ingerit, quam probat *ex l. semper §. Conductores* ibi. Vnde subsisti potest, an prohibendi sunt a præside, vel procuratore Cæsaris, etiam si vltro se offerant *ff. de iur. immun. coniuncta glos. offerant & sic suspecti &c.* & alijs, quæ poteris per te videre, quam certe regulam, certissimam esse accepi in multis; quod quidem inuerecundum est: colligitur *ex dict. § 1.* dum dicit, quod talis dimittetur ad purgandum conuitium prædictæ suspectionis, si dicat se procuratione carere velle, sed ita si illæsa existimatione sui fiat, Cæterum ferendus est pudorem suum purgans.

Sed si talis, vel alius falsus procurator admittatur in iudicio cum cautione de rato, videtur, quod amplius non poterit repelli, vt notauit *Apostill. in l. Inter quos 39. §. Alieno ff. de dam. infect.* dicens sic. Scribentes reputant illum textum sing. ad hoc, quod procurator falsus postquam est admissus in iudicio cum cautione de rato, non potest amplius repelli; quia per illam est effectus legitimus tex. vero sic ait. Alieno nomine stipulari, ita licet, vt quod damnum domino datum sit, comprehendatur. Cauere autem debebit is, qui stipulabitur, dominum ratam rem habiturum: exceptioque procuratoria stipulationi inserenda erit, sicut in stipulatione legatorum. Quod si ei non cauebitur mittendus est in possessionem procurator omnino, vt ei exceptio procuratoria non noceat. Sed & si ratum fuerit habitum procurator videtur: inquit *l. 3. § stipulandum ff. ead. sol.*

Procurator habens mandatum generale potest illa facere, quæ solitus est dominus facere, *vt in l. vel vniuersorum bonorum* administratio ei permissa est ab eo, qui sub pignoribus solebat mutuas pecunias accipere *ff. de pig. act.* & notauit *Apostill. per tex. ibi in l. Qui semisses 13. §. 1. ff. de vsur.* vbi ampliat etiam

quoad

quoad præiudicialia. Et quod possit soluere, est *tex. in l. quodlibet debitum 87. ff. de solut.* ibi: Quoniam cum quis procuratorem omnium rerum suarum constituit, id quoque mandare videtur, vt creditoribus suis pecuniam soluat; neque postea expectandum est, vt ratum habeat. Sed sub generalitate grauiora non veniunt, vel maiora, quã in ipso procuratorio sint expressa iuxta *Clem. 2. de procurat.* Nec sub ea generalitate intelligenda est facultas concessa cum libera; Quia ad hoc, vt procurator habeat liberam, oportet quod dominus concedat liberam, *vt ex Bald. dicit Apostill. ad l. Quam Tuberonis 7. ff. de pecul.* & tunc poterit dominium transferre etiam per errorem, prout dicis verbo Error.

Hic potest quæri an procurator ad vendendum constitutus, possit vendere, & dominium transferre habita fide de pretio? Et inuenio *Apostill. ad glos. verbo soluto in l. si procurator 5 ff. de iur. fisc.* sic dicentem. Ista *glos. est notab.* ad hoc propositum, quod sicut procurator vendens rem domini sui non potest habere fidem de pretio, ita idem est in ipso minore, & Ecclesia. Sed non allegat tex. aliquem tale quid dicentem. *Bald. vero in l. Inciuile num. 2. C. de rescin. vendit.* ponens hanc quæstionem dicit, quod procurator generalis possit transferre dominium habita fide de pretio, nisi ei expresse esset prohibitum, quod fidem de pretio non haberet, sed præsenti pecunia venderet, & allegat *l. Quicunque 5. §. Non tamen vers. si ei quis,* ibi. Nisi forte mandatum ei fuit præsenti pecunia vendere *ff. de instit. act.* Specialis autem procurator ad vendendum constitutus non potest habere fidem de pretio, & probat *ex l. A diuo pio §. si post, alias §. sed si emptor* ibi pecunia distrahi, coniuncta *glos. Verbo liberata* ibi. Non videtur ergo posse haberi fidem de pretio ab exequentibus *ff. de re iud.* Contrarium tenuit *Bart. in d. §. Non tamen* ibi. Nota argum. quod procurator datus ad vendendum, potest vendere bona, habita fide de pretio. Sed si vis resolutionem veram, vide eundem *Bart. in dicto §. sed si emptor num. 2. 3. & 24.* quem omnino sequor ex optime per eum adductis, cum in contrarium non adsit lex expresse loquens de procuratore vendente habita fide de pretio. Nisi in procuratore fisci, *l. si procurator 5. ff. de iur. fisc.* ibi. Pretio tamen soluto coniuncta *glos. vlt.* sic. Nõ autem habita fide de pretio, vbi dicit hoc esse speciale, & idem in minoribus, & Ecclesia. Et in executore sententiæ *dict. §. sed si emptor* ex ratione per eundem *Bart.* considerata scilicet, quia potestas executori est data ob certam causam limitatam, vt conuertatur in causam iudicati: quæ causa non impletur habendo fidem de pretio, sed recipiendo: & ne procedatur in infinitum, & ne retardetur executio, quæ rationes cessãt in alio procuratore speciali. Pignori vero dare non poterit procurator, nisi id specialiter ei mandatum fuerit, iuxta *l. solutum 11. §. vlt. ff. de pign. act.* vel vniuersorum fuerit constitutus, *vt sup. dictum est.*

Bene gerere concessum procuratori videtur, non vero male; inquit *glos. in l. Nã & nocere ff. de pact. per tex. in l. Quacunque 50. coniuncta glos.* Quia non videtur hoc ei commissum, sed vt bona fide faciat *ff. de procurat.*

Si excedit procurator vires mandati domino sciente, præiudicat ipsi domino, nisi statim contradicat. Alias non præiudicat factum procuratoris domino ignoranti, ita ponit *glos. Verbo protinus per tex. ibi in cap. Cum olim 34 de offic. de legat.* quam sequitur *Apostill. etiam per tex. ibi, in l. si vt proponis C. de nupt.* & addit prædicta *glos.* protinus sic. Et si iudex scientibus partibus excessit etiam fines mandati eis præiudicat

eat *glos. vero §. in cap. 1. vt lit. non commiss. verbo procuratoris*, sic ait. *& generaliter* factum procuratoris domino præiudicat, nisi excedat vires mandati, vbi videas omnino de materia, vide etiam *glos. 2. in cap. Dilecto 25. de præb.* vbi etiam videtur sentire contrarium, *& glos. Iudices recusare in cap. Cum olim 7. de caus. poss.* ait. Sed mirum videtur, quod factum procuratoris in hoc casu præiudicat domino, cum hic non posset habere Dominus recursum contra procuratorem. Procurator vero in committendo, domino non nocet, vt inquit *Apostill. ad cap. si compromissarius 37. §. si vero de elect. lib. 6.*

Procuratoris autem scientiam, & dolum nocere debere domino, neq; Pomponius dubitat neq; nos dubitamus, ait *l. 5. ff. de tribut. act.* Confessio vero non nocebit si à domino fuerit reuocata *ex cap. scriptum 40. de elect* ibi, Per confessionem procuratoris aduersæ partis in iudicio factam, sed postea reuocatam coniuncta *glos.* ibi. Sine aliquo interuallo sicut testis, qui potest corrigere dictum suum in continenti. Et si quis probet se errasse non nocet confessio, ait *glos. verbo Confiteretur in cap. Dudum 54. eod. tit.*

Si plures sint hæredes, vnum tantum procuratorē constituere debere, ait *l. quod si nolit 31. §. si plures ff. de adil. ed.* ibi. Ait Pomponius omnes consentire debere ad redhibendum dareq; vnum procuratorem, ne forte venditor patiatur iniuriam, dum ab alio partem recipit hominis, alij in partem pretij condemnatur, idem *l. Iam tamen 5. §. si tamen ff. iud sol.* vbi ponit limitationem in hæredibus actoris, & sic ait. Si tamen plures fideiussores defendere fuerint parati, videamus vtrum vnum defensorem debeant dare, an vero sufficiat vt vnusquisq; eorum pro parte sua defendat, vel defensorem substituat? Et magis est, vt nisi vnum dent procuratorem, desiderante scilicet hoc actore, committatur stipulatio ob rem non defensam. Nam & plures hæredes necesse habebunt vnum dare procuratorem: ne defensio per plures personas scissa incommodo aliquo afficiat actorem. Aliud est in hæredibus actoris, quibus necessitas non imponitur, vt per vnum litigent.

Procurator ad agendum non cogi ad defendendum, dicit *l. Inuitus 17. C. de procurat.* ex ratione, de qua ibi. Cum fidem susceptam implere sufficiat. Sed posse incipere citationem, & iudicium cum procuratore dicit *Apostill. in l. Ita ait 21. per tex.* ibi. Nam si fuit procurator, cum habueris, quem conuenias *ff. ex quib. cau. maio. & per l. 3. ff. de alim. lega.* ibi. Vocatis hæredibus, procuratoribusue eorum, *& l eum qui res agit hæredum* aquibus tibi deberi fideicommissum, dicis cuoca ad prætorem *C. de procurat.*

Non debebit durior conditio curatoris fieri, quam est domini præter quam in satisdādo, ita ait *l sed & ea 36. §. desiderare autē ff. de procurat.* Sed nec poterit procurator, qui pro domino vinculum obligationis suscepit, onus eius recusare iuxta *l. Procurator 67. ff. de procurat.* iuste tamen recusabit inconstantiam domini, de qua *in l. In causa 27. eod. tit.*

Si insolidum procuratores constituti sunt, vnus potest sine altero agere, & alia facere prout negotia occupauerint, aliter non poterit vnus agere sine altero, licet in tutoribus aliud sit benigne receptum, vt probat *glos. verbo generalis in cap. Petitio 9. de procurat.*

An proroget procurator de re ad rem, vel de tempore ad tempus: vide verbo Prorogatio. Tempus procurationis factæ attendendum esse, sicut tempus electionis dicit *glos. vlt. in cap. Post cessionem 7. de probat. per text.* ibi. Quod excommunicatus erat cum procura-

tio-

tionis officium assumpsit.

Vniuersitatis Reip. procurator pro ea non pro singulis interuenit, ita *l. 2. ff. quod cuiusq; vniuers*

Meminisse oportet; quod procurator lite contestata dominus litis efficitur, & ideo per procuratorem appellare potest, sic *l. Ab executore §. vlt. ff. de appellat.* Ideo ante litem contestatam libera potestas est, vel mutandi procuratoris, vel ipsi domino iudicium accipiendi, vt dicit *Paul. in l. Ante 16. ff. de procur. & glos. verbo hanc exceptionem in l. sicut 8 §. 2 ff. quib. mod. pig sol* ibi. Potest enim dominus litis a simplici procuratore reuocare mandatum re integra &c. Postea vero non, nisi causa cognita; addit *Vlpian. in l. 17. eod. & in l. si procurator 11. ff. de dol. except* ita

Si post litem contestatam dolo, quid fecerit: an exceptio eo nomine in iudicium obijcienda sit? dubitari potest: quia litis contestatione res procuratoris fit, eamque suo nomine exequitur. Et placet de procuratoris dolo excipiendum esse.

Notabis tamen ad id, quod diximus, quod procurator ante litem contestatam nō potest alium procuratorem constituere; esse verum in procuratore ad agendum: sed ad negotia procurator datus alij demandare potest, & tunc substituens reuocare non potest substitutum, qui suscepit mandatum, nisi habeat reuocandi potestatem, prout ita notauit *glos. vlt. in cap. ex parte 33. de rescript.*

Notabis insuper, quod propter suspitionem potest procurator, non solum ante, sed etiam post litem contestatam remoueri, & hoc est, quod vult *Vlpian.* innuere sup. dicens causa cognita, id est constito de causa. Vt puta si affinitate aliqua aduersario coniungatur, aut si familiaris fiat aduersario. Et quoties causa noua superueniat. Sed hoc verum est si procurator contradicat, secus si consentiat: quia tunc sine causæ cognitione poterit remoueri, sicut ante litem contestatam nulla interueniente causa, ita notauit *glos. Verbo Propter in cap. ex parte de rescript.* Si vero sit procurator in rem suam nullo modo reuocari potest, vt tenet *glos. dict. verbo hanc exceptionem in citat. l. sicut 8. §. 2. ff. quib. mod. pig. sol. per tex. in l. Procuratore 5. ff. de procurat* sed ibi dicit *glos.* hoc non esse verum simpliciter, sed in tribus casibus, scilicet si litem contestatus fuerit procurator: vel partem debiti accepit: vel denunciauit debitum ne solueret: aliâs enim dominus præfertur iuxta *l 3. C. de nouat.* Si delegato (inquit Gordian.) non est interposita debitoris tui, & propterea actiones apud te remanserunt, quamuis creditori tuo aduersus eum solutionis causa mandaueris actiones, tamen antequam lis contestetur, vel aliquid ex debito accipiat, vel debitori tuo denunciauerit, exigere a debitore tuo debitam quantitatem non vetaris.

Licet autem reuocetur, quando scilicet, potest, tamen interim per procuratorem gesta valent, nec reuocantur, vt dicit *glos. citata verbo hanc exceptionem in l. sicut 8. §. 2. ff quib. mod. pig. sol. & verbo propter in d. capit ex parte de rescript. & verbo. Ad illum in cap. Auditis 8 de procur* ibi. Et si tempestiue reuocatio fuisset facta non ostensa iudici, vel aduersario: nihilominus valuisset quicquid fecisset vsq; ad ostensionem reuocationis. Si vero reuocatio tempestiue fuerit facta aliter ostensa aduersario, vel iudici, quidquid fuerit postea non valeret.

Sed prædicta, ne intelligas in procuratore ad contrahendum matrimonium deputato. Sane si is antequam contraxerit, a domino fuerit reuocatus, contractum post modum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea cum qua contraxit reuocationem huiusmodi penitus ignorent) nullius momenti existit:

stit: cum illius consensus defecerit sine quo firmitatem habere nequiuit, vt prę dictis verbis disponit *cap. vlt. de procur. lib. 6.* Et de facto vidi contigisse in terminis similem reuocationem, & matrimonium celebratum postea nullum, licet ignota esset reuocatio.

Sed in terminis quibus valent gesta, dum ignoratur reuocatio, quis probabit reuocationem notam à procuratore? sic quærit *glos. verbo si reuocatio in cap. ex parte 33. de rescript.* Et post alia respondet ita, Papa tamen dicit, quod reus debet probare, quod non sint impetratæ literæ per procuratorem, quia non est prę sumendum, quod suam pecuniam iactet, & ideo propter præsumptionem transfertur probatio in reum. Fiet autem hæc sufficiens vno teste cum iuramento partis reuocantis, vt verbo Testis dices infra.

Etiam si contrariam sententiam reportauerunt, qui te ad exercendas causas appellationis procuratorem constituerunt, si tamen culpa tua nihil factum est, sumptus quos in lite probabili ratione feceris, contraria mandati actione petere potes, sic disponit *Imp. Alex. in l. 4 C. mandat.* Ex qua deducitur, quod procurator etiam si victus fuerit, repetit sumptus factos, quod intelliges iuxta distinctionem *Vlpian. in l. Iam tamen 5. ff. iud. sol §. In hoc* ibi. Quid tamen si, & ipsi hoc sibi assumpserint, vt defendant? An mandati possint agere? Et si quidem victi sint: vtiq; quod ob rem iudicatam præstiterunt consequentur: Sumptus tamen litis minime petent. Sin autem obtinuerint: poterunt sumptus litis consequi, quasi iuxta mandatum, & si non mandatum fuerit: sicque procurator cum mandato indistinctè repetit omnes sumptus, siue victus fuerit, siue obtinuerit, sine vero mandato, si obtinuerit tantum: & ita declarat *glos. verbo obtinuit in l. ex parte 40. verbo obtinuit ff. fam. hercisc.*

Procurator tenetur de dolo, & lata culpa. Sic summatur *l. si procuratorem §. Dolo ff. manda. Sed Impp. in l. 13. C. eod.* etiã leuissimam culpam, non vero fortuitum casum præstare procuratorem decernunt sic. A procuratore dolum, & omnem culpam non etiam improuisum casum præstandum esse iuris authoritate declaratur, *& glos. in l. si fine 20. ff. de posit.* ibi. Procurator durius adstringitur, cum teneatur etiam de leuissima culpa, *& in l. 2. ff. manda.* ibi. Item cum mea tantum sit vtilitas videtur solus dolus venire, quod quidam dicunt &c. sed nos indistinctè dicimus eum teneri de omnibus, nisi de casu &c. In eo autem, qui non animo procuratoris interuenit, sed affectionem amicabilem promisit in commonendis procuratoribus, & actoribus, & in regendis consilio, non teneri, sed si quid dolo fecit, non mandati, sed magis dolo teneri, prout prædictis verbis disponit *l. Idem 10. §. si cui ad fin. ff. mandat.* & in casu *l. vlt. C. de pact. conuent.* venire solum dolum, & culpam leuem: non autem leuissimam, disponitur, vt ibidem notauit *glos. Verbo Dolum*.

Qui non possint esse procuratores veluti miles, minor, fæmina &c. habes *in l. Neq; fæmina 54. ff. de procur. & in prædictis verbis notas.*

Deniq; notabis, quod licet iuris permissione aliquis admittatur sine mandato veluti pater pro filio, maritus pro vxore, & propinquus pro propinquo; non ideo procuratores a iure sunt facti, vt declarat *tex. in supracitata l. 3. §. stipulationem ff. iud. sol.* ibi. Quod autem eis agere permittitur edicto prætoris non facit eos procuratores.

Incertus procurator dari non potest, vt dicit *glos. Verbo elegerint in cap. Ad hæc 10. de rescript. per l. 2.* his verbis. Dummodo certus sit, qui datus intelligitur *ff. de procurat.*

Pro-

Prodesse.

Quilibet intentus esse debet, vt alijs prosit, & non noceat: vt notauit *glos verbo affici in l. seruus 7. ff de seru. export. per tex.* ibi. Cum beneficio affici hominem, intersit hominis, *& glos. verbo debere in l. Et eleganter §. si quadruples ff. de dol.* ibi. Vt sibi proficeret, non vt alij noceret. *Et glos. vlt. in l. In creditore 38 ff. de euict.* vc. Item nota hic, quod cogetur quis cedere, quod est sine suo damno &c. sic debeo pati fieri, quod non nocet mihi &c. *per text.* ibi. Cui enim non æquum videbitur, vel hoc saltem consequi emptorem, quod sine dispendio creditoris futurum est? *& in l. In re 25. ad fin. ff. de seruit. vrb.* ibi. Aut id opus tollat, quod fecit, si modo toti societati prodest id opus tolli, *vbi glos. Verbo toti* ita ait. Sic quod omnibus, non quod vni tantum expedit. Ad idem conducunt, quæ *in l. Actione 66. §. diximus post med. ff pro soc.* ibi Semper enim non id, quod priuatim interest vnius ex socijs seruari solet, sed quod societati expedit, *vbi glos* sic. Nota quæ multis prosunt præferuntur his, quæ paucioribus.

Prodigus.

Ille est, qui neq; finem, neque modum habet in expensis, vt deducitur *ex l. 1. ff. de cur. fur.* ibi. Si talem hominem inuenerint, qui neq; tempus, neq; finem expensarum habet, sed bona sua dilapidando, & dissipando profundit. Nam prodigus dat danda, & non danda. Auarus tenet tenenda, & non tenenda, largus medium tenet inter vtrunque, ita inquiunt *glos. in cap. ex parte 10. verbo prodigalitatis de consuet. & in §. Item prodigus verbo prodigus quibus non est perm. fac. testa in Inst.* afferentes infra scriptos versus.

Prodigus est animi vitio retinenda profundens.
Qui retinet dandum cupide, censetur auarus.
Largus, qui sumptum facit ex ratione libenter.

Et Arist. in Ethic. inquit, quod prodigus in dando excedit, in capiendo deficit; & subijcit, quod iste est melior, quam auarus: quia non abiecti, & ingenerosi est excedere in dando, & non capere, de mentis tamen est. Non est vero dubium, quod sit vitium prodigalitas, vt patet *ex cap.* sæpe se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, vt tenacia parsimonia, effusio largitas &c. 41. *dist. & ex citat. cap. ex parte* ibi. Prodigalitatis vitio de consuet. *& Senec. Epist.* 121. ibi. Sic mentitur prodigus liberalem, cum plurimum intersit vtrunq; quis dare sciat, aut seruare nesciat. Sed in comparatione auaritis multo ipsa excusabilior, illa enim inhonorat sequaces suos, hoc autem e contrario. Si Hyspano credimus, ita dicenti. *Aunq; es vitio, es vitio honrado.* Illa semper vituperatur: prodigalitas vero aliquando laudatur, *vt in Clem. 1. de reliq. & ven. sanct.* ibi. O singularis, & admiranda liberalitas, vbi donator venit in donum, & datum est idem penitus cum datore; Quam larga, & prodiga largitas cum tribuit, quis se ipsum.

Succurrendum est prodigo per dationem curatoris, *vt in citat. l. 1. ff. de cur. fur. & in l. His, qui §. vnic. ff. de tut. & cur.* ibi. Non est nouum quoldam, & si mentis suę videbuntur ex sermonibus compotes esse; tamen sic tractare bona ad se pertinentia, vt nisi subueniatur eis, deducantur in egestatem &c. Nam æquum est prospicere nos etiam ijs, qui quod ad bona ipsorum pertinet

 net

nec furiosum faciunt exitum. Furiosis igitur comparantur, & quod in furioso procedit, in prodigo procedere satis colligitur *ex d. l. 1.* ibi. Curatorem ei dare exemplo furiosi; Et tandiu erunt ambo in curatione, quandiu, vel furiosus sanitatem, vel ille sanos mores receperit; differunt autem in hoc, quod prodigo per legem, & a iudice fit interdictio bonorum, & ante hoc potest alienare: secus in furioso, cui statim adueniente furore ipso iure est interdictum, vt notauit *glos. verbo lege in dict. l. 1.* & sic prodigus ipso iure non priuatur bonorum administratione. Vnde dicit *Bald. in l. Cum fratrem 9. numer. 7. C. de his quib. vt indig.* hoc. Hinc est, quod licet aliquis sit notorie prodigus: tamē nisi sit ab administratione suorum bonorum repositus per sententiam, potest contrahere, & testari, vbi iura allegat, & ibidem ad eum additio, vide tamen *Bart. in l. Is cui lege ff. de test. in 2. quaest. & in l. Is cui bonis 6. ff. de verbo. & in l. si quis cum sciret ff. pro empt.*

Aequiparatur etiam prodigus pupillo in contrahendo, non vero in delinquendo vt dicit *Bart. in l. Si curatorem num. 3. C. de in integr. rest. & in l. si quis in tantam C. vnde vi. num. 14.* Vnde sicut minori competit restitutio, sic & prodigo *Bald. in d. l. 3. C. de in integr. rest. versic. tu dic. Paul. & Alex. in l. Marcellus ff. de fideiussor.* vbi plenius, & priuilegijs pupilli gaudere deducitur *ex glos. sing. verbo. Ad agnatum per text. ibi in l. 2. C. de curat. furios.* quam notauit *Bald. in l. Infantis numer. 2. C. qui admitt.*

Proditor.

NOmen hoc de plurimis dicitur. Nam qui propter timorem non defendit veritatem, & qui tacet eam, proditor vocatur *in capit. Nolite timere eos 11. quaest. 3.* ibi. Sicut enim ex his verbis ostenditur, non solum ille proditor est veritatis, qui transgreditur veritatem, palam pro veritate mendacium loquitur. Sed etiam ille, qui non libere veritatem pronunciat, quam libere pronunciare oportet: aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere conuenit, proditor est veritatis, *vbi gl. verbo Proditor*, notat, & addit proditorem esse, qui sibi crimen cognitum malitiose publicat *in capit. si peccauerit 2. quaest. 1.* ibi. Nam si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere: non eris corrector erroris, sed proditor. Item qui sibi commissum secretum reuelat, *vt in c. Nerui* ibi. & prodere trepidat *13. dist.* Vnde sacerdos reuelans confessionem etiam proditor appellatur *in capit. omnis 12.* ibi. Aut alio quouis modo aliquatenus prodit peccatorem *de paenit. & remiss.* Et qui malitiose circumuenit alium, & callide seducit, vt in periculum salutis trahat. Et qui rem sibi commissam exponit hostibus, vt ponit *glos. verbo Proditionibus in capitul. Clericus, qui 46. dist.*

Dicitur etiam proditor, qui sine causa offendit eum, qui de ipso confidebat, vt fecit ille proditorum maximus Iudas Iscariotes, qui etiam traditor vocatur, duo namq; commisit grauissima, & proditionem, & traditionem, quae inter se differunt, vt notauit *glos. per text. ibi. in l. 2. ff. si ventr. nomin. & ibidem Bart.*

Proditorem vocat etiam *Bald. in l 3. numer. 11. C. de sum. Trin.* eum, qui venenat aliquem, vocat insuper eum, qui offendit nulla praecedente diffidatione *in Auth. Item nulla sub num. 2. C. de episc. & cler. vide Bart. in Extrauag. qui sint rebell. verbo Rebellis num. 4. & 5.* vbi additio plura alia ponit genera proditionis, & *Bertach. super hoc verbo* vbi dicit, quod proditor punitur ex sola

la attentatione per *l. Quisquis C. ad l. Iul. maiest.* quæ tantum loquitur de conspiratione contra principem. vel eos, qui sunt ad latus principis, & cum hæc sint crimina maiestatis læsæ, & sic atrocissima, iure punitur solus affectus, sine effectu; in alijs vero in quibus expresse non inuenimus, non debemus sine lege, & contra legem affectus sine effectu punire.

Profectus.

MAgna pars est profectus velle proficere, dixit *Senec. Epist. 72. ad fin.* Et sic parum sciens si velit in scientia proficere, & sit spes inposterum profectus, promoueri poterit, alias nullo modo, vt inquit *Apostill. ad Clem. 1. de ætat. & qual.*

Vnde spiritualis profectus quæritur, salutis dispendium subsequi non debet, inquit *cap. 2. de regular. lib. 6.*

Professio.

VEl tacita, vel expressa in qualibet religione potest dari, vt colligitur clare ex his, quæ *Abb. in cap. Cum causam 27. post num. 6. & num. 7. de elect.* Illa ex habitus delatione probatur ex eodem *Abb. & ex tex. in cap. 1. vers. qui vero post 14. annum* habitum religionis assumpserit, si per annum, illum gestauerit ex tunc religionem assumptam præsumitur veraciter esse professus *de regular. lib. 6. & Clem. vlt. eod tit.* Eos qui deinceps in discretionis constituti ætate, nouitiorum habitum in aliqua religione per annum portauerint: hoc ipso religionem illam decernimus esse professos, & in alijs actibus a professis fieri solitis, veluti suffragijs in electionibus *Abb. in capit. Cum virum num. 9. eod. tit. de regular. glos verbo monachum in cap. Porrectum 13. eod.* Hæc vero ex emissione trium votorum obedientiæ scilicet, castitatis, & paupertatis, de quibus *in cap. Vidua 20. quæst. 1. capit. Cum ad monasterium in fin. de stat. monach. Card. in Clem. 1. §. sane eod. tit.* Diuersimode tamē obligant: Nam, qui facit professionē expressā obligatur illi monasterio, in quo fecit professionem sed quando fecit tacitam, ipse solum obligatur in genere: ita quod potest transire ad religionem laxiorem, vt notauit *glos. in casus posit. not. 1. in cap. 1. de regular. in 6.* vbi dicit hoc falli in religionibus mendicantibus, sed *tex.* in quo fundatur, qui est *cap. 3. eod. tit.* simpliciter loquitur ibi. Non illi specialiter cuius habitus est susceptus, sed generaliter religioni alicui recipientem obligat. Sic etiam è contrario diuerso modo quis soluitur a professione expressa, quam a tacita: quia ab expressa necesse est, vt clare probet metum, & vim coactiuam procedentem V.g. a præcedentibus minis per patrem terribilem rigidum seuerum, & solitum minas executioni mandare ex doctrina *Bart. & glos. in l. 1. §. quæ onerandæ ff. quar. rer. act.* quam in terminis de quibus loquimur, sequitur *Abb in capit. Cum virum 12. num. 8. post med. de regular.* ibi. Intelligo ergo illud *cap.* puellæ a contrario sensu, quando præcesserunt minæ, vel verbera, seu pater erat terribilis, ita quod puella contradicere in præsentia patris &c. & amplexatur *Rot. in multis decision.* de quibus non agit Apolecta nostrum. In professione vero tacita solum sufficit probatio per præsumptiones contrarias. Nam cum hæc fundetur in solis præsumptionibus, non iuris, & de iure, vt supradiximus verbo præsumptio, contrarijs potest elidi, iuxta *glos. sing. in cap. Tuarū verbo falso signatos, quam sequitur ibi Abb.*

Mmmmm 2 num.

num.6.de priuileg. dicens, quod vbicunque constat de animo deferentis habitum, quando non intendit profiteri, tunc delatio habitus quantumcunque longi temporis non inducit professionem, *& Dec ibidem num.33. Innoc. in cap.1. in fin. de his, quae vi.*

Differunt etiam, quia tacite professus non potest in praelatum eligi religionis, nec alterius iuxta *cap Nullus religiosus ad abbatiam*, seu praelaturam suae, vel alterius religionis de caetero eligatur, nisi antea fuerit ordinem regularē expresse professus *de elect. lib.6. & cap. Indemnitatibus 34. eod. tit.* ibi. Nec in abbatissam, aut priorissam &c. de caetero eligatur &c. Et expresse fuerit professa ordinem regularem.

In professione vero tacita, aut expressa requiritur de iure in masculo, vt valeat aetas 14 annorum completa, in faemina 12. *vt in cap. si In qualibet, & cap. Puella 20. quaest. 2. & in cap. Postulasti 21. de regular. sed de Conc. Trid sess. 25. eod. tit. cap. 15.* professio non fit nisi 16. annus sit expletus. Sed quid si ante fuerit facta, & sic nulliter, vt disponitur in dictis iuribus, an postea ratificari possit? & quod sic *in cap. Significatum 11. eod. tit.* ibi. Sed si post &c. professionem a se prius factam ratam habuerit, *vbi glos.* sic. Valet vt ex nunc, sed non vt ex tunc *per l. 4. in fin* ibi. Sed si antea fecerit, & ingressus prouinciam in eadem voluntate fuerit, credendum est Legatum habere iurisdictionem, non ex inde ex quo mandata est, sed ex quo prouinciam proconsul ingressus est *ff de offic. procons.* idem tenet *glos. verbo roboratur in cap. Cum virum 12. eod. tit. de regular.* cuius verba sunt. Praesertim si ratihabitatione sequuta, & si eam contradixisse constiterit, quod ante gestum fuerit roboratur, & quatuor modis posse fieri hanc ratificationem notat *Apostill. ad glos. Verbo ratam habuerit in d. cap. significatum 11. de regular. per text. in capitul. 1. eod. titul. lib. 6.*

Sed insurgit hic magnum dubium. An ratificatio ista sufficiat fieri tacite, vel necessaria sit expresse, & per ipsum profitentem tantum, an autem sit necessarius nouus consensus Religionis? Et quidem ad primam partem, respondet *glos. proxime citata dict. verbo ratam habuerit* sic, Quod intellige si expresse consentiat, imo certe etiam tacite, si vltra illud tempus remaneat, & allegat *cap. literas, & capit, accessit de despons. impub.* additque tamen causa maioris certitudinis in principio 15. anni eius voluntas requirenda est, & sic seruant plures religiosi, & bene, quod vero ad secundam partem maius est dubium, & videtur, quod solus consensus profitentis sufficiat: Nam cum id pendeat tantum ex voluntate ipsius, non erit necessaria noua superioris acceptatio ex his, quae *Bart. in l. Quo enim in fin. ff. rem rat. hab. & in l. Pomponius vers. ex eodem fonte ff. de negot. gest. Alex. cons. 126. in fin. vol. 5. Dec. in l. semper qui non prohibet ff. de reg. iur.* Cum enim ratificatio non sit aliud, quam voluntatis declaratio, fieri potest absente parte, *vt per Abb. in cap. vlt. num. 15. de confess Alex. cons. 130. vol. 5 Grauet cons. 148 num. 11.* & ita videmus ingestis a falso procuratore, quae ratificantur a domino tantum, *vt in l. licet ff. de iud. l. si pecuniam C. de negot. gest.* & in mutuo a filio fam. recepto, quod validatur patris ratificatione *l. vlt. C. ad Maced. & ita dicit Bald. quod si contractus est* nullus in fauorem alicuius, ille solus potest approbare *per tex. ibi. in l. Cum interdicta C arbitr. tut. & per l Iulianus §. Si quis colludente ff. de act. empt.*

Et in materia matrimonij carnalis, de quo ad spirituale validum est argumentum, est tex. vulgaris, *in cap. Ad id de sponsal.* per quem ex veriore opinione

in

in hac professionis materia, ita tenuit *P. Sanch. de matr. lib. 7. disput. 37. numer 61.* in hæc verba. Idem censendum est de eo qui metu cadenti in constantem virum professus est &c. Cum enim nullum vitium in consensu acceptantis interfuerit, sed ex parte sua firmus, & validus extiterit, satis est, vt ea professio irrita conualescit, accedente libero professi consensu, quo sciens nullitatem prioris, velit eam ratam habere, *& lib. 2. disput. 37. num. 14.* cum ibi per eum allegatis, & late probat *Suar. tom. 3. de religion. lib. 7. capit. 1. Emmanuel Rodrig. 2. tom. sum cap. 29. concl. 4. num. 5. Nauar. lib. 3. consil. in tit. de regular. cons. 24. in priore. edit. & in posteriore* 50 & casu quo desideraretur acceptatio, seu præsentia superioris, videtur sufficere acceptatio Papę *in d. cap. significatum 11. de regular. & cigat. cap. 1. eod. tit. lib. 6.* dum ibi decernitur professionem irritam conualescere per professi ratificationem *Sanch. dict. disputat. 37. num 64.*

Verum prædictis non obstantibus verior est contraria sententia asserens in ratificatione professi necessariũ esse nouũ consensum religionis, eo potissimum fundamento, quod non est dubium professionem esse quendam contractum inter profitentem, & religionem vltro citroq; obligatorium, tam ipsum profitentem ad implendum, quod in professione promittit, quam ipsam religionem ad alendum sustentandum, & regendum profitentem, & cum in omni contractu æqualitas debeat seruari, vt ipse validus sit iuxta *l. Si id quod ff. de resc. vend. l. pen. C. Com. diu.* ibi. vt in omnibus æqualitas seruetur. Si solius professi nouus consensus in ratificatione requireretur, inæqualitas manifesta resultaret: nam sic ex professione nulla a principio facta resultaret, quod religio tantum esset obligata profitenti, ipse vero non religioni, quod nullo modo est dicendum, cum contractus non debeat claudicare ab vna parte, vt per dicta iura dicunt *doct.* Et præsertim *Bald. cons. 18. num. 2. lib. 1. Paul. Castr. cons. 412. paulo post princ. vers. Modo lib. 1. Crauet. Cons. 290. numer 5. vers. decimotertio.* Si ergo fuit nullus contractus respectu profitentis ex defectu consensus, eodem modo fuit nullus respectu Religionis, quæ nullo modo visa fuit se obligare illi, qui sibi non erat obligatus, vnde totus ille contractus nullus fuit, & quemadmodum in ratificatione profitentis eius nouus requiritur consensus, ita in eadem nouus etiã requiritur religionis, vt nouissime in terminis firmat *R. P. Castro Palao in oper. moral. 3. p tract. 16. de stat. Relig. disput. 2. punct. 5. nu. 2. ex Basil. Sanch. & Less.* ibidem allegatis.

Ad ea vero, quæ in contrarium adducuntur potest responderi facilime, quod iura disponentia ratificationem posse fieri ab vna tantum parte; procedere quãdo ab ea tantum pendet, vt in domino qui ratificat factum sui procuratoris, & sic videmus etiam in contractu pupilli celebrato sine authoritate tutoris, qui cum sit nullus respectu ipsius tantum, ipse solus potest eum ratificare si velit, quia tantum ab eius pendet voluntate contractus validitas, cum ab eius parte tantum contractus claudicet iuxta *l. Iulianus 14. §. si quis a pupillo* sine tutoris authoritate emerit, ex vno latere constat contractus. Nam qui emit obligatus est pupillo: pupillum autem sibi non obligat *ff. de act. empt. §. 1. de auth. tut. in Inst.* Et eodem modo in mutuo facto filio fam. quod a patre potest ratificari iuxta *d. l. vlt. C. ad Maced.* At vero in alijs contractibus id non procedit, cum in eis stet regula generalis in contrarium dicens non debere ipsos claudicare, & dum expresse contra eam non inuenitur dispositũ non debemus sine lege id asserere. Nec

Papa

Papa *in dict. cap. significatum*, & *cap. 1. de regular.* id dicit, sed tantum professionem irritam per ratificationem conualescere, quod intelligi debet iuxta terminos iuris dato etiam consensu Religionis. Nec etiam quidquam obstat *dict. cap. ad id de sponsal.* quia ex eodem patet responsio, nam ideo ibi tenet ratificatio facta per vim impulsam ex copula subsequuta per liberum consensum, quia in eandem ratificationem per ipsam met copulam accessit consensus sponsi; & sic ratificatio per vtrunq; fuit facta, vnde potius pro, quā contra facit *tex.* prædictus. Et hæc sufficiant; quinimo latius digressus fui contra nostri institutum libelli: sed ipse parcat, & tu benigne lector, non enim sine causa magna feci. Nā olim in vna causa per multos annos vertēte in Curia Romana inter D. Franciscam Coronel Monialem q. Monasterij d. Odiuellas Vlixbonen. & Antonium Gomes da Mata fuit disputata dicta quæstio, cum ipsa ageret de nullitate suæ professionis per vim, & metum factæ, & pendente lite datisq; remissorialibus ad probationem, in ipso actu probandi eadem comparuit ad loquutorium monasterij coram iudice remissoriali, & dixit, quod licet vsq; tunc non esset monialis, inposterum volebat esse, & a causa desistebat seq; subscripsit vna cum iudice prædicto, & notario. Et missa in Curiam præfata desistentia, & ratificatione super validitate, aut nullitate eius, dictum fuit de iure vsq; ad satietatem hinc inde. Et tandem resolutum inualidam ratificationem opinione Palao approbata per Rot. ipsaq; D. Francisca declarata non monialis, quia per vim, & metum professa fuerat. Egressaque est e monasterio post viginti annos, & vltra a quibus fuerat ingressa. Cum ergo in ea causa plurimum laborarem, vt in præsenti Apolectate, apponendum existimaui laborem illum etiam hic, tanquam notatu dignum, nouitate casus, & quia rarus non destruet intentionem nostri libri.

Professio facta in Religione laxiore tenet, licet votum ante factum esset de intrando Religionem arctiorem: quia secundum votū solemne derogat primo simplici, sic dicit *glos. verbo professio in cap. Porrectum 13. de regular.* & habes verbo votum, & Religio.

Rationi non congruit, vt homines disparis professionis, vel habitus in ijsdem monasterijs socientur, dicit *Clem. 1. de elect.*

Mors ciuilis dicitur professio, & ideo ab omnibus publicis siue ciuilibus actibus professus excluditur iuxta *Extrauag. 1. de offic. ord. int. com.* ibi. Quæ quidem monachos ad prædicta, tum propter eorum professionem, quæ illorum vocem facit funestam, & ipsos arcet a iudicijs, & publicis siue ciuilibus actibus.

Prohibitio.

Aut est legis, aut testatoris, aut etiam contrahentium, & istæ omnes æqui parantur, vt dicit *Bald. in l. Ea lege num. 8. vers. Tertio opponitur C. de condict. ob cau.* Nam si de prima dicitur, quod legis virtus est (inter alias vetare, & illud, lex iubet ea, quæ facienda sunt prohibet que contraria. De secunda, etiam testatoris dispositio lex est vt probat *Auth. de nupt. §.* Disponat itaq; vnusquisq; in suis, vt dignum est, & sit lex eius voluntas *coll. 4. coniuncta glos. verbo voluntatem in cap. Tua nobis 17. de testam.* ibi. Et tanquam lex vltima voluntas seruanda est. Et de tertia eodem modo id, quod inter partes conuentum est, lex appellatur *l. In lege locationis scriptum erat 32. ff. locat.* Et quod lege fieri potest id etiam per contractum, & e conuerso fieri posse, dicitur

tur *in l. vlt. in fin. C. de fideiussor.* ibi. Si enim pactis conuentis hoc fieri conceditur, & in vsu quotidiano semper hoc versari aspicimus: quare non ipsa legis authoritate hoc permittatur? Vnde Prætor ait pacta conuenta, quæ neque dolo malo, neque aduersus leges, plebescita, Senatus consulta, edicta, decreta principum, neq; quo fraus cuiquam eorum fiat facta erunt, seruabo, vt testatur *Vlpian. in l. Iuris gentium §. prator ff. de pact.* & passim in iure inuenies contractum sub legis nomine appellatum.

Quod lex prohibet, etiam si non addat, nullum fore, si fiat, nihilominus nullum esse vulgaris est regula *l. Non dubium C. de legib.* Nullum enim pactum inquit, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente sufficit enim legislatorem aliquid prohibuisse, & si non adijciat, quod contra factum fuerit non valere, vt prædictis verbis ait *glos verbo cognitione in cap. Ecclesia 4. de suppl. negl. prælat.* Et hoc procedere etiam si ab aduersa parte non opponatur, dicit *l. 7. ff. de postul.* his verbis. Quos prohibet prætor &c. Omnimodo prohibet etiam si aduersarius eos patiatur.

Quod prohibitum non inuenitur, concessum intelligitur, *vt in l. 3. §. Parui ff. de pecul.* ibi. Nam & huius seruus peculium habere potest, non si fuerit concessum, vt habeat. Sed si non fuerit prohibitum ne habeat, *& in l. statuts 7. C. de relig. & sumpt. fun.* ibi. Cum iure suo eorum, quæ minus prohibita sunt vnicuique facultas libera non denegetur. Quamuis non nunquam intelligatur prohibitum, quod non inuenitur concessum, vt inquit *cap. 2. de translat. Episcop. & arguit glos. verba expresse ex capit. Pastoralis 13. per tex. ibi de appellat.* & si vis scire quando, & quomodo hoc procedat, vide *glos. Verbo. Non inuenitur in dict. c. 2.* vbi quamplurima refert iura pro vtraq; conclusione, quibus addo optimum *tex.* declarantem ipsas *in Clem. Exiui de verb. sig.* ibi. Nâ vbi aliquid alicui prohibetur generaliter, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum. Si vero in specie aliquid prohibetur de vno de alio permittitur, vt dicit *glos. vlt. in cap. vlt. de fil. presb.*

Prohibito aliquo etiam id, per quod ad illud peruenitur, censetur prohibitum est conclusio deducta *ex l. Ossa in fin ff. de religios.* ibi. Etiam si non ipse prohibitus sit, sed procurator eius, quia intellectu aliquo prohibitus, & ipse videtur *l. Oratio 16. ff. de sponsal.* ibi. Quæ quasdam nuptias inhibuit, de sponsalibus nihil loquuta est: : recte tamen dicitur etiam in his casibus ipso iure nullius esse momenti *glos. in l. 1. ff. si mens fals. mod.* ibi. Sic è contra videtur quis prohibitus, qui per alium prohibetur, *& in l. si vt certo §. vlt. verbo dominium* ibi. Nam quoties aliquid prohibetur, & id prohibitum est per quod peruenitur ad id *ff commod. & in l. Idemq. 16. §. 1. verbo diuidatur ff pro soc. & glos. in dict. l. Oratio. & in l. vlt. per glos. vlt. C. si manc. ita fuer. alien. & per glosam verbo manserunt ad fin. in l. Quemadmodum C. de agric. & cens. libr. 11. & glos. in cap. præterea de offic. delegat.* sic. Item est Arg. quod aliquo prohibito prohibetur omne id, per quod peruenitur ad idem. Et addit ita, veruntamen licet aliqua sint annexa, & alicui concessa, licet vnum admittatur, non tamen aliud imo nec illud.

Cui minora prohibentur, & maiora prohibita censentur. sic *ex l. Cui pacto 5. ff. de seru. export.* deducitur per illa verba ibi. Ne scilicet, qui caret minoribus fruatur maioribus, *& l. Moris est 9. ff. de pæn.* ibi. Si tamen apud Legatum fuerit prohibitus postulare, credo per consequentiam, nec quidem apud

præ-

præsidem relictam illi postulandi facultatem coniuncta *glos. verbo per consequentiam* ibi. Nam cui minus interdicitur, multo magis maius, *& in l. Relegatorum 7. §. vlt. ff. de interd.* ibi. Est enim per quam ridiculum eum, qui minoribus pœnæ causa prohibitus sit, ad maiores aspirare, maioribus tamen prohibitus minores petere non prohibetur, *& in cap. Cum illorum* 33 ibi. Cum maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora *de sent. excomm.*

Quod quis suo nomine exercere prohibetur, id nec per subiectam personam agere debet: sic dicitur *in l. 2. ff. de administr. rer. ad ciuit.* vbi videas *glos. afferentem* iura, quando possim per alium, quod per me non possum. Et quando aliquid principaliter prohibetur, possit per consequens admitti *glos. verbo. Non posse in l. 1. ff. si vsusfr. pet.*

Qui alium prohibet ex officio, is etiam prohibetur facere iuxta *l. Alius* 15. *ff. si seru. vend* ibi. Quia quod alium facientem prohibere ex officio necesse habuit, id ipse committere non debet.

Prohibitum ex necessitate tolleratur, vt dixit *glos. verbo vrget in l. 1. §.* Sed excipiuntur per tex. ibi. Sane quoties res vrget cogendi sumus *ff de ser.*

Ius prohibitiuũ non esse amarè interpretandum dicit *l. Si id quod* 29. *ff. de donat. int. vir.* ibi. Et sane non amarè nec tanquam infestos ius prohibitæ donationis tractandum est, sed vt inter coniunctos maximo affectu, & solam inopiam timentes. Verum notabis verba quibus vtitur tex. Non tanquam infestos, quibus innuit, quod erit contrarium si prohibitio fiat propter infestationem, nam tunc etiam amare fiet interpretatio iuxta optimam *l. 1. C. quæ res export. non poss.* vbi prohibitio facta transferendi vinum, & alia de quibus ibi, intelligitur amarissimè, vt ne quidem gustus causa possit exportari, vbi notauit *Bald.* sic. Nota quod illi, qui non possunt portare vinum extra districtum, etiam vnam metretam portare non possunt gustus causa, quin incidant in pœnam. Quæ autem aliæ res sint prohibitæ vendi? habes *in tit. anteced. C. quæ res vend. non poss.* Prohibitio alienationis a lege, vel testatore, aut etiam contrahentibus facta impedit dominij translationem, nisi fuerit in contrarium a iure dispositum, *vt in Auth. Res, quæ C. com. delegat.* vbi statim inuenies, quod non intelligitur talis prohibitio in causa dotis, vel propter nuptias donationis. Nec etiam intelligitur, quando creditor vendit pignus ipsius debitoris prohibentis; nam *in l. 1. C. deb. vend. pig.* sic disponunt Impp. Seuer. & Antonin. Si sunt qui emere prædia tibi obligata velint, non impediuntur scriptura testamenti, qua complexus est debitor nulla a se prædia venundari, & pœnam addidit, vt fisci fierent. Nec enim potuisse eum huiusmodi lege ius creditoris facere deterius manifestum est, *vbi Bald. notat.* Nec in in causa necessitatis, *vt in l. Peto* 71. *§. prædium ff. de legat.* 2.

Nec intelliges alienationis prohibitionem valere si non apponatur causa prohibendi, nam *in l. Pater* 36. *§. Iulius Agrippa ff. de legat.* 3. Similem prohibitionem non impedire alienationem dicitur, vbi sic *Summat Bart.* Nudum præceptum vel prohibitio alienationis sine causa, alienationem non impedit. & dictum est verbo. Alienatio ibi alia. Causa autem erit veluti fideicommissi conseruandi in familia, maioratus, & altera similis. *vt in dict. §. prædium, & in l. filius fam. § Diui il.* 2. *ff. de legat.* 1. *l. Cum pater §. Quindecim de legat.* 2.

Non intelligi etiam prohibitionem alienationis extra familiam, nisi tantum vsq; ad quartum gradum disponit *Imp. in Auth. de restit. fideic. coll.* 9. ibi. Multum nobis visum est plenum esse pieta-

te quatuor postea generationes huiusmodi in medium deduci quæstionem. Neq; etiam intelligi si fiat in proprium filium, qui de familia non sit, inquit *Bald. per text. ibi. in l. Cum pater §. Cum inter liberos ff. de legat. 2.* vbi in addit. firmat supra proximam conclusionem.

Sed & in re communi prohiberi socius a socio, ne quid faciat potest, vt tamen factum opus tollat, cogi non potest, si cum prohibere posset hoc prætermisit, ita decidit *l. Sabinus 28. ff. com. diu.* Et plus dicit *glos. verbo ex causa competere in l. At si quis 14. ff. de relig. per tex. ibi. in §. seu vers. Idem labeo ait* fieri posse contra prohibitionem, & tamen eundẽ esse effectum ac si prohibitio non esset, quod probat per aliqua iura.

Vetare dominum accipimus etiam eum, qui ignorat, hoc est eum, qui non consentit, sic ait *l. Qui vas 49. ff. de furt.* Sed quid si scit, & tacet? in præcedenti conclusione decisum est *Sed glos. vlt. in cap. Non ne 5. de præsumpt.* sic distinguit. Vel melius dicas, quod vbi per prohibitionem meam possum prohibere, quod fit, & taceo: tunc taciturnitas pro consensu habetur &c. Si vero per prohibitionem meam, non possum prohibere, quod fit, tunc non obstat mihi taciturnitas. Sic procedit *l. lege Cornelia 9. ff. de fals.* ibi. Eadem pœna afficitur, & is, qui cum prohibere tale quid posset, non prohibuit, *& capit. Constitutis 45. de testib.* ibi. Quia verosimile non videtur, vt eo inuito talia fierent, & ob hoc non caret scrupulo societatis occultæ, eo, quod si voluerit poterit prohibere.

Longe diuersum esse non præbere consensum, & expresse aliquid prohibere, dixit *Pontif. in capit. sicut 33. de Simon. Martianus tamen dicit in l. Qui liberos 19. ff. de rit. nupt.* quod non solum prohibet filios in matrimonium collocare vel nubere, qui dotem dare non volunt, sed etiam qui conditionem non quærunt.

Prohiberi quis non potest piscari, nec venari, sed solum ne ingrediatur in agrũ suum: sed hoc vsurpatum est, sic ait *Vlpian. in l. Iniuriarum 13. prope fin. ff. de iniur.*

Prohibitus honoribus non excusatur ab impendijs, dictum est verbo honor.

Promissio.

IDem est atq; stipulatio, qua aliquid dare, vel facere promittimus, vt inquit *Pompon. in l. stipulationum 5. § stipulatio ff. de verb.* a quo sumpsit *glo. verbo stipulamur in §. 1. eod. tit. in Inst.* personæ vero, quæ contrahunt diuerso nomine appellantur. Nam cui promittitur stipulator vocatur, qui autem promittit promissor, *vt in l. 4. eod. tit.* & sæpe inuenies. Plures sunt promissiones, quia quædam in dando quædam in faciendo consistunt iuxta *l. 2. eod.* Aliæ conuentionales, aliæ prætoriæ, aliæ tam prætoriæ, quam conuentionales, quæ communes dicuntur, & aliæ iudiciales, de quibus *in d. l stipulationum.* Est & aliud genus promissionis, quæ pollicitatio vocatur, & differt ab illa promissione, quæ duorum consensus est, & conuentio; hæc autem est solius offerentis promissum, *vt in l. 3. ff de pollicitat.*

De eadem pollicitatione *Vlpian. sic ait in l. 1. eod. tit.* Non semper autem obligari, qui pollicitus est, sciendum est: Sed si quidem ob honorem promiserit decretum sibi, vel decernendum, vel ob aliam iustam causam: tenebitur ex pollicitatione. Si vero sine causa promiserit, non erit obligatus: & ita multis constitutionibus, & veteribus, & nouis cõtinetur. Item si sine causa promiserit, cœperit tamen facere obligatus est, qui cœperit, & ibidem ponuntur modi incipien-

piendi, quos notat mirabiles *glos. verbo purgauerit, & in l. Toties 6. eod. tit.* idẽ *Vlpian.* sic. Si quis pecuniam ob honorem promisserit, cæperitq; soluere, eum debere, quasi cæpto opere Imp. noster Ant. rescripsit.

De promissione autem dicit *Pontif. in capit. 3. de pact.* Sic studiose agendum est, vt ea, quæ promittuntur, opere compleantur, quod intelligitur, si ab altera parte promissio fuerit adimpleta. Nam (vt dicitur *in capit. 3. de iur. iu.*) Nec tu ei etiam si promissum tuum iuramẽto, vel fidei obligatione interposita conditione firmasses, aliquatenus teneris, si constat eum conditioni minime paruisse. *Et glos. vlt. in cap. Breui 17. eod. tit.* Si vero Ecclesia non seruauit ei fidẽ in suis necessitatibus, nec ipse tenetur ipsam iuuare. Loquens de aduocato, qui iurauit Ecclesiam defendere. Nec iuramenta, & promissa extendi ad ea, de quibus cogitatum non est, inquit *gl. verbo. In mente per tex. ibi in capit. Ad nostram 25. eod. tit.* & facit *cap. Exijt de verb. sig. lib. 6.* ibi. Clare videtur promissionem huiusmodi ad alium intellectum absq; intentione promittentis non debere perstringi: Nisi vt obseruantia euangelij, sic sicut tradita reperitur a Christo, videlicet quod præcepta, vt præcepta, & consilia, vt consilia a promittentibus obseruentur.

Vnusquisq; quod spopondit suo impendio dare debet, quandiu id quod habet in in rerum natura est, ita *l. Quod nisi 20. ff. de oper. lib.* Et in eo loco, vbi promisit facere solutionem ibi contraxisse dicitur, *vt in l. Contraxisse ff. de act. & oblig.* & ibidem posse conueniri non obstante quolibet priuilegio disponit *cap. Dilecti 17. de for. compet. vers. Verum quia*, & si fuisset priuilegium tale concessum non tamen prodesset illis, qui se certo loco respondere, vel soluere aduersarijs promiserunt, cum ibi & vbi domicilium habent, valent cõueniri, quod intelliges si ibi inueniantur iuxta *cap. 1. §. Contrahentes* vero aliarum diœcesum super contractibus initis in Remen. diœcesi ab eisdem (nisi inueniantur ibidem) trahere coram se non debent inuitos *eod. tit. lib. 6.* & istud vltimum subintelliges quando simpliciter promisit soluere, secus si vltra promissionẽ renunciauit suo foro, quia tunc etiam si ibi non inueniatur, vbi cum renunciatione promisit soluere ibi potest conueniri iuxta *glos sing. verbo pro non dato in l. 1. ff Si quis in ius voc.* in hæc verba. Sed per hoc pactum scilicet renunciationis erit hoc plus, vt & si ibi non inueniatur tamen sit remittendus, vt in delictis, quam valde celebrem, & singularem dicit, & sequitur *Abb. in cap. 1. sub num. 22. de Iudic.* ibi. Hoc tamen commune dictum limito *per glos.* quæ reputatur sing. &c. quando simpliciter promisit soluere. Secus si vltra promissionem renunciauit suo foro, quia tunc etiam si non inueniatur habet locum remissio, vt remittatur ad eum locum vbi destinauit solutionem, hoc enim voluit renunciando foro suo &c.

Promittens alienum factum non obligatur ad faciendum. Sed tantum ad interesse, vt supra dictum est in verbo factum, quod si se tantum obligauerit ad faciendum, etiam suum hæredem obligari dicit *Vlpian. in l. stipulatio ista 38. vers. sed si te obligat. ff. de verb.* Sed quid si fuerint plures heredes quomodo tenebuntur? in solidum quilibet, an vero pro proportionibus hæreditarijs? Et quidem si agimus de promissione dandi certam quantitatem, diuidua est pro missio, seu obligatio tam quoad ipsam obligationem, quam etiam quoad solutionem; Si vero de promissione faciendi, vt in hoc §. agimus, est penitus indiuidua: audi *Vlpian.* sic distinguentem *in l. 85 ff. de verb.* In executione, inquit, obligationis sciendum est quatuor causas esse. Nam interdum est aliquid,

quod

quod a singulis hæredibus diuisim consequi possumus: aliud quod totum peti necesse est, nec diuisim præstari potest: aliud quod pro parte petitur, sed solui nisi totum non potest: aliud quod solidum petendum est, licet in solutione recipiat sectionem. Prima species pertinet ad promissorem pecuniæ certæ: nam & petitio, & solutio ad portiones hæreditarias spectant. Secunda ad opus, quod testator fieri iusserit: nam singuli hæredes insolidum tenētur: quia operis effectus in partes scindi non potest. Quod si stipulatus fuero per te hæredem ve tuum non fieri, quominus eā agam, & si aduersus factum sit tantum dari: & vnus ex pluribus hæredibus promissoris me prohibeat: verior est sententia existimantium vnius facto omnes teneri: quoniam licet ab vno prohibear, nō tamen in partem prohibeor: sed cæteris famil. hercisc. iudicio sarciet damnum, quam legem pulchram, & elegantem, dicit ibidem *glos. in princ.* & si non intelligis prout hic posita est, videas ipsam *glos.* explicantem. Alias quam plures possem afferre etiam famosas, & elegantes, sed non omnes possumus transcribere, sufficit ex his, quas afferimus ad te reddendum legum potius, quam exemplorum amatorem.

Prorogatio.

Fit de tempore ad tempus, *vt in l. 2. versic. si & iudex ff. de iudic.* Si & iudex (inquit *Vlpian.*) ad tempus datus, & omnes litigatores consentiant (nisi principali iussione specialiter prorogatio fuerit inhibita) possunt tempora, intra, quæ iussus est litem dirimere, prorogari, & ibidem *glos.* inhibita notat, & addit sic quandoque de personis ad personas, *vt sup. eod. l.* 1. quandoq; de re ad rem, *vt infr. eod. l. de qua re §.* 1. *Et glos. verbo prorogatio in cap. Petro* 40. *de offic. delega.* sic. Nota ergo, quando posit fieri prorogatio de tempore ad tempus &c. Elapso illo expirat iurisdictio, nisi partes intra illud tempus de communi cōsensu prorogauerint tempus &c. Et hoc faciendum est de consensu iudicis. Et ita triplex consensus requiritur, sic arbitrium prorogatur &c. vt dicis *verbo Arbitrer* & prosequitur eadem *glos.* sic. Item de re ad rem, puta datus est super vna re tantum super alia re si consentiant omnes scilicet partes, & iudex; potest iurisdictio prorogari &c. Item de persona ad personam fit prorogatio &c. & tunc prorogatur iurisdictio altera parte inuita. Item prorogatur iurisdictio iudicis ad eos, qui non sunt de sua iurisdictione de consensu ipsorum &c. Et hæc prorogatio in alienum iudicem ex certa scientia, & non per errorem fieri debet &c. Et hoc intellige, quando ille, in quem partes prorogant iurisdictionem, habeat ordinariam, vbi affert iura de singulis.

Non poterit autem prorogatio fieri per procuratorem, nisi tantum ad ea, quæ in commissionis literis inueniuntur expressa iuxta *cap. Cum olim* 32. *de offic. de legat.* ibi. Nec ad ipsos potuerit iurisdictio prorogari, cum procurator ad illa solummodo intelligatur constitutus, quæ in commissionis literis inueniuntur expressa, *vbi glos. verbo. Cum procurator* sic. Et nota, quod licet per principales personas posit fieri prorogatio iurisdictionis &c per procuratorem tamen fieri non potest, cum de hoc non fuerit cogitatum, quando fuit constitutus procurator, *& verbo Protinus* ita. Item nota, quod licet procurator non posit prorogare de tempore ad tempus: quia qui dat procuratorem, vt statim agat, intelligendum est permittere procuratori, & postea litem prorogare &c. Item procurator prorogare potest ad id, quod est prope

mandatum &c. & prorogat ea, quæ sunt præparatoria mandaro &c. & accessoria ipsius siue sequelam &c. Prorogatio de re ad rem inuito reo non valet deficiente iurisdictione: quia Imperator inuito reo non potest extendere rescriptum ad alias res, quas in rescripto non expressit &c. Sed per reconuentionem bene extenditur ad res alias inuito actore, de quibus nulla mentio habita est in rescripto

Prorogatio dicitur esse idem cum prorogato iuxta *l.*4. ibi renouare, vel protelare eum *ff. de dam. infect. l.* 5. *ff. de precar.* Sed si manente (inquit Pompon.) adhuc precariatu in vlterius tempus rogasti prorogatur precarium: nam nec mutatur causa possessionis, & non constituitur eo modo precarium, sed in lõgius tempus profertur. Si vero præterita die rogas: propius est, vt soluta iam causa precarij non redintegretur. Sed noua causa constituatur. Quod intellige quando prorogatio fuerit eiusdem naturæ, & formæ cum prorogato, vt optime declarauit *glos. verbo specialiter in capitul. Hi qui* 12. *de præbend. lib.*6.

In materia prorogationis temporis, vel termini notat *Bald. in repetit. l. Æmilius* 39. *num.*19. *ff. de minor.* quod tempus prorogationis est vnum, & idem tempus, nec reputatur diuersum iuxta *dict. l. Sed si manente.* & debet fieri durante termino, vel tempore, post terminum vero lapsum, non habet locum prorogatio, quia tempus absortum non potest prorogari iuxta definitionem prorogationis ab eodem positam ibi Est enim (inquit) prorogatio termini labentis, nondum lapsi, extensio. Et hæc intelligitur cum omnibus qualitatibus præcedentibus, de quibus nihil potest mutari, vt summauit *Bart. in l. Labeo* 30. *ff. de recep. arbitr. per tex.* ibi Hæc autem clausula diem compromissi proferre nullam aliam dat arbitro facultatem, quam diem prorogandi: & ideo conditionem primi compromissi, neq; minuere, neq; mutari posse.

Sed quid dicendum in fideiussore, quando prorogatur terminus principali intelligetur ne etiam ipse obligatus pro pro rogatione? Negatiue respondet *dict. l. Labeo §. sed si per fideiussores.* sic: fideiubens in prima conductione, non tenetur in prorogata *ad l. si cum Hermes* 7. *C. locat.* Sed puto si fideiubere noluerit, tunc alium non absimilem adhibẽdum teneri principalem, *vt in dict. §. Sed si in fin.* vt sic sit prorogatio cum omnibus suis qualitatibus.

Non poterit prorogari iurisdictio secularis per clericos iuxta vulgarem *reg. capit. si diligenti* 12. *& capit. significasti* 18. *de for. compet.* Sed nunquid poterit clericus consentire in laicum iudicem de sui Episcopi consensu? Et videtur, quod sic *ex cap. Clericum* nullus præsumat apud secularem iudicem Episcopo non permittente pulsare 11. *quæst.* 1. Ergo Episcopo permittente potest, argumento facto à cõtrario sensu, quod in iure nostro validum est, vt vulgariter dicitur, sed contrarium credit *glos. verbo Clerici prope fin. in dict. capit significasti, & in dict. c. si diligenti verbo pacto,* ex rationibus, de quibus ibi.

Non posse etiam fieri prorogationem per vassallos, & feudatarios sine consensu domini tenuit *Bart. in l.* 1. *§. Et post operis sub num.*8. *ff. nou. oper. nunc.* ibi. Idem dico hodie de iure nostro, si aliquis de aliquo comitatu, vel regno, vbi sit rex, vel comes perpetuus: iste non poterit litigare coram extraneo iudice sine eius consensu, & pro se affert *glos. Verbo Duos in capit. Imperialem §. vlt. de probib. feud. alien. per Feder.* quæ sic ait. Sed nunquid ab initio poterunt ipsi litigantes ire sub alio iudice, & non sub domino, saltem in concordia, ita quod sententia ab alio iudice lata teneat? vel nũquid tenebit sententia tanquam

quam a non suo iudice lata? Responde forte non tenebit, quoniam Imperator voluit, quod domini esset cognitio, & determinatio istius causæ: ergo alijs iudicibus videtur prohibuisse cognitionem, & vasallis ne irent ad alios iudices. Sed in fine contrarium innuit, dicens. Vel dicas referre vtrum per errorem iuerunt ad alium iudicem an scienter, primo casu non tenet in secundo, sic prorogando eius iurisdictionem cæterum tu videas, quos affert additio ad eundem *Bart. verbo. In regnis* confirmantes dictum *Bart*

Prospera.

NOn verbis, sed moribus quærenda sunt, *vt in capit Ecce 99. dist.* ibi. Ego non verbis quæro prosperari, sed moribus.

Prospera in aduersis desidero, aduersa in prosperis timeo: quis medius locus, vbi non sit humanæ vitæ tentatio? ita *Augustin. lib.* 10 *confess. cap* 18. *numer.* 2. Et addit. Et quia aduersitas dura est, & naufragat tolerantia, nunquid non tentatio vita humana super terram sine interstitio?

Cum tibi alludit huius mundi prosperitas, sic te quasi in lubrico retinebis, nec tibi dabis portus liberos, sed circũspicies, quo sit eundum sic *Senec. in lib. de quatuor virtutibus.*

Protestatio.

MVlta sunt nomina, quibus hæc appellatur. Nam *in l. vlt. C. de negot. gest.* vocatur testatio prope fin. ibi. Sed ex quo ea testatio facta est ad eum, vel in scriptis, vel sine scriptis &c. *& in l. vlt. C. de his qui per met. iud. non appell.* cõtestatio nũcupatur ibi. Qui vero vim substinuerunt, contestatione publice proposita &c. coniuncta *glos ibidem verbo. Contestatione* vbi dicit. Debet enim intra decem dies publice protestari, quod non potest appellare, vel timet &c. *& in l. Emptor 9. C. de præscr. long. temp.* ibi. In cuius initio contestationem haberi sufficit, *vbi glos. contestationem* id est protestationem. Dicitur etiam detestatio, *vt in l. subsignatum 39 §. detestari de verb. sig. vbi gl. Detestari*, alias attestari, alias protestari, *& l. detestatio 40. eod. tit. & l. Plebs 237. vers. detestatum* est cum testatione denunciatum eod. item denunciatio prohibitio, interpellatio, & prædictio vt ex iuribus probat *Bart. in l. Non solum §. Morte an. 11. ff de oper. nou. nunc.* vbi magistraliter de materia protestationis inuenies quamplurima.

Et quia notabiliora iuxta stilum nostrum infra ponam, ad intelligentiam eorum transcribam tantum, quæ idem *Bart. in d. §. Morte dicit num.* 12. vbi quærit quot sint species protestationum, & respondet sic. Tamen verè loquendo quatuor sunt species. Quædam est protestatio declaratoria voluntatis protestantis. Secunda est protestatio prohibitoria, seu inhibitoria ne aliquid fiat. Tertia est protestatio incitatoria, vt aliquid fiat. Quarta est protestatio certificatione alicuius, quod est, vel quod nõ est, & reliqua videas per te, vsq; ad satietatem; quia ego venio ad assumptum nostri Apolectatis.

In *l. At si quis 14. ad med. ff. de Relig. & sumpt. fun.* sic dicitur. Oportebit igitur testari quemquam quo animo funerat, ne postea patiatur quæstionem &c. plenius igitur testari oportet, vt & sumptus seruari possint, & iam intelliges hunc tex. loqui de prima specie protestationis de eadem loquitur *tex. in l. si filius 18. ff. ad Maced.* dum ait. Debet pater, si actum improbat, continuo testationem interponere contrariæ volũtatis, *& glos. verbo. Non timore in capit.* 1.

capit.1. de his, quæ vi. ibi. Sed quia con. ftraat de protestatione voluntatis ab initio facta adhuc præsumitur nolle, *& in l. Pro harede 20. ff. de acquir. hared.* ib. & ideo testari solent liberi, qui necessarij existunt non animo hæredes se gerere, quæ gerunt, sed animo pietatis, aut custodiæ causa &c. & sic protestatio prodest, vt dicit *glos. Verbo protestatus in cap.2. de in integr. rest.*

Notabis tamen, quod non proderit, quando facta sit contra substantiam facti, vel rei, super qua erit facta, vt si quis protestatus fuisset, cum reciperet aliquem in Canonicum, vt non haberet præbendam, quæ substantia est negotij: quia qui receptus est in canonicum non debet carere præbenda, *vt in cap. Relatum de prabend.* Si vero protestatus fuerit ita, quod ea quæ dicit, non dicit animo contestandi litem, talis bene valet. Quãdo igitur inuenies, quod protestatio contra proprium factum non valet, intelliges de actu facto directe contrario protestationi, & taliter quod actus, & protestatio se insimul non compatiuntur, *vt per glos. in cap. Cum Vintonien. 25. verbo admiserunt* ibi. Et sic protestatio non profuit contrarium faciendo *de elect. & in cap. vt quis 25. eod. tit. lib. 6. verbo protestatio* ibi. Per contrarium enim factum protestationi videtur obuiari. Vbi vero dupliciter potest intelligi aliquid, secus erit, ita habet *glosa verbo sine praiudicio in cap. Cum M. de constit. coniuncta ibidem Apostill.* de quo vide per *Bart. vbi sup. à numer.17.* aliter distinguentem.

Protestatio etiam non habentis ius protestandi non officit, prout sic summatur *l. si maior 13. C. de resc. vend.* & clare patet ibi. quod loquitur de secunda protestationis specie, prohibitoriæ scilicet, seu inhibitoriæ, & de eadem dicit *Bald. in l. vlt. num. 28. C. de edict. diu. Adrian. toll.* quod protestans in iudicio, ne vlla fiat nouitas super tali possessione debet allegare causam, quare protestatur aliás inanis est protestario, & allegat *l. 1. C. de prad. decur. lib.10.* ibi. Omnesque causas sigillatim quibus strangulatur nominatim exponat, vide etiam *Bart. vbi sup. numer.39.* De tertia vero protestatione, quæ dicitur incitatoria ad aliquid faciendum, idem *num 46. & in l. Cum filius fam. 49. §. vlt. ff. de verb. oblig.* Et deniq; de quarta scilicet certeficatoria alicuius, quod est, vel non est factum, idem *in dict. §. Morte a numer 64.*

Protestationem conseruare ius protestanti asserunt *doct. per text. in l. si debitori 4. §. 1. ff. quib. mod. pig. sol.* in illis verbis, Nisi soluta causa pignoris sui consenserit, & in supra allegata *l. At si quis §. Plerique ff. de relig. & sumpt. fun. cap. solicitudinem 54. de appellat.* non vero ius aliquod de nouo tribuere omnes concludunt, nec inuenies aliquam *l.* tale quid dicentem.

Nota, quod licet non semper sit obediendũ protestationi iuxta, quæ idem *Bart. d. §. Morte*, tamen si protestanti prodest, & protestato non nocet, parendum semper esse dixit *Bald in l. Pacts nouissima numer.10. in fin. C. de pact. per tex. in l. virilis 8. §. si adierit coniuncta glos. verbo de dolo ff. de legat. praest.*

Protestatio cui aduersarius consentit liberat protestantem, ita summat *Bart. in l. vlt. §. Item si pradixerit, vt vnusquisque* vectorum res suas seruet, neque damnum se præstaturum, & consenserint vectores prædictioni, non conuenietur *ff. naut. caup.* Vnde non præiudicabit ignoranti, cuius consensus requirebatur, sicut præiudicat scienti, & consentienti, vt notauit *glos. Verbo protestatione in cap. Cumana 50. de elect.*

Prouerbium

NOn paruam habere authoritatem in iure deducitur *ex capit. Et si Iudaos* 13. *de Iuda.* Si quidem ipse Innoc. 3. illud affert, & approbat ibi iuxta vulgare prouerbium mus in pera, serpens in gremio,& ignis in sinu,suis consueuerunt hospitibus exhibere, *& Dionis.in capit. Ecclesias vers. Item praecepit* Dominus per eadem fere verba 13 *quastion.* 1. Ex quibus in decisionibus causarum allegari posse prouerbia dixerunt ibidem *doct.* & praecipue *Ioan. And & in l. solent prope fin.* ibi. Vetus prouerbium est *ff. de offic. proconf. & in l si eborus* 77. §.1. ibi. et saepe audisse senes, ita dicentes *ff. de legat.*3.*& in cap. Quemadmodum* 25. ibi. Qui turpius eijcitur,quam non admittitur hospes *de iur. iu. vbi Abb. num.*2.

Est autem prouerbium (*vt ex Cicer.refert Ioann. And. in dict. capit. & si Iudaos*, scientia generalis, cui cōsuetudo nacem attribuit, opinio communis assensum accommodat, incorruptae veritatis integritas acquiescit, & per eadem verba *Host. in eod. cap. & si Iudaos.*

Prouidentia.

EA videtur esse, quae fit ad succurrendum necessitatibus opportuno tempore, *vt in l.* 1. *C. de agricol. & cens. libr.* 11. ibi. Cum prouidentia sit opportuno tempore his necessitatibus satisfacere. *Et in capit. Post natalem de pac. Constant.* ibi. De qualibet prouincia cum ipsis sagaciter disponat. Et quanto pretio secundum qualitatem temporis sit annona vendenda,vtiliter prouideat fortasse ob hanc rationem dicitur prouidentia in armis, vt notauit *glos. in l. vnum ex familia* 69.§. *Iti Marcus ff. de legat.*2. *per tex.*ibi. Princeps prouidentissimus, & iuris religiosissimus dicens prouidentia in armis, religio in legibus tempus autem armorum quis dubitat tempus necessitatis non esse, ad quod maxime prouidentia necessaria est?

Tam quis debet prouidere ea,quae possunt facere contra ipsum, quam pro se ipso, vt inquit *glos. verbo merito in capit.insinuante* 23. *de offic. delegat.*

Prouisio.

ILa est bona, quae aequalitatem eligit, lucrum, & damnum pensat, & diuidit aequa lance, & ideo statera in manibus eius est posita, vt sic cum ea, gratias quas facit aliquibus ponderet, vt non per eas alij enormiter aggrauentur,ita dixit *glos. verbo participent in Extrauag. vnica ne sed. vac. int.com.*

Prouisionis latum est verbum,quod comprehendere potest nominationem postulationem praesentationem, & collationem, vt dicit *glos.verbo prouisioni in Clem. vlt. de elect. & in cap. si compromissarius* §. *Idem in fin. glos. vlt. eodem tit. lib* 6.

De prouisione Ecclesiae, quod non debeat fieri imperitis, dicit *Hieronym ad Nepotian. relatus in capit. Gloria Episcopi* 12. *quast.* 2. sic. Multi aedificant parietes, & columnas Ecclesiae subtrahūt; marmora nitent, auro laquearia splendent; gemmis altare distinguitur: & ministrorum Christi nulla est electio, quid est enim imperitus, nisi marmor & lapis qui prouisus nitet, & splendet, & perito non prouiso, Ecclesiae subtrahitur columna, quae illam sustentare poterat?

Prouisis duobus, quod in dubio pro Apostolico sit iudicandum probat *Clem.* 1. §. *neutro vt lit. pend.* ibi. Neutro autem ipsorum beneficium possidente a

erit

Rom. Pontif. propter authoritatis prærogatiuã in collatione huiusmodi præferendas.

Prouidere de vnica dignitate, non est prouidere in Ecclesia, sed de Ecclesia, vt ait *glos. verbo incerta in Clem. 1. de præben. vide etiam verbo beneficium*.

Prouisio facta in casibus separatis porrigitur ad eosdem casus simul coniunctos sic summat *Bart. l. si ita scriptum 13. vbi optimus tex. ff. de lib. & posth.* cum quo consonat *l. Clemens 81. ff. de hæred. instit.* Et si fuerit facta in vno casu, quod extendatur ad omnes similes etiam dixit *Bart. in sum. l. Gallus 29. §. Et quid si tantum eod. tit. de lib. & posth. per tex.* ibi. Vt ad similitudinem mortis cæteri casus admittendi sint ibidem *Bart. in l. Titius §. 1. eod. tit.* & facit regula *l. Tale pactum 41. §. vlt. coniuncta glosa vlt. vbi etiam Bart ff. de pact. l. vlt. vbi idem Bart. & doct. C. de inst. & subst.*

Notabile dictum est *glos. in l. 4. ff. vt in possess. legat.* dicentis, quod prouisio hominis, si perit, restauratur *per tex* ibi. Prouisio autem legis perdita non restauratur iuxta *l. sciendum §. pen. ff. qui sat. cog. & l. 1. C. si aduers. vend.*

Proxeneta.

Istius officium vile esse constat *ex l. 3. ff. de proxenet.* ibi. Sunt enim huiusmodi hominum, vt in tam magna ciuitate, vt officinæ coniuncta *glos. officina*, idest vilia officia. Et prosequitur idem tex. Est enim proxenetarum modus, qui emptionibus venditionibus commercijs, contractibus licitis vtilis non adeo improbabili more se exhibent. Notabis tamen, quod tales non adhibentur, vt concludant contractum, sed solum, vt tractent, nisi specialiter eis fuerit commissa conclusio, vt dicit *Bald. in l. multum interest num. 9. C. si quis alt. vel sib.* in hæc verba officium enim proxenetæ est non concludere, sed tractare, nisi a partibus haberet mandatum ad concludendum.

Salarium debetur proxenetæ, quod vocatur proxeneticum sordidum *in princip. dict. l. 3.* & sordidum dicitur, quia debet offerri, non expectare peti, vt ibidem declarat *glos.* Non intelligas tamen hoc de illis proxenetis, qui tractant super rebus spiritualibus, quia tales nec petere, nec recipere salarium possunt esset namque non solum sordidum, sed etiam simoniacum, vt decernit *Alex. 3. in cap. Cum essent 12. de Simon.* & expressius *glos. verbo. Mediatores in capit. 1. de testib. lib. 6.* ibi. Qui proxenetæ dicuntur &c. & ibi. Et si in spiritualibus salarium recipit, vel aliquam promissionem commodi temporalis, Simoniacum est: verum velim, vt non amare, & stricte hoc intelligas, sed cum moderamine, de quo *Nauar. in man. capit. 23. sub numer. 106. vers. Ad quintum* quem refert *Paris. de confident. quæst. 22. a numer. 15.* vbi etiam dicit, quod si detur mediatori, illud quod decet pro labore quem suscipit semel, vel frequenter adeundo collatorem, & redeundo ab eo, vel in compensationem alicuius interesse considerabilis damni vel lucri cessantis non esse Simoniacum. *Tolet. in sum. lib. 5. cap. 29. num. 2. in fin.* ibi. Hæc distinctio multum etiam prodest pro Simonia mẽtali: inseruire enim alicui hac spe, & hoc desiderio, quod ille beneficium dabit non est Simonia &c.

Item proxeneta contractus vsurarij dicitur etiam vsurarius, & vti talis tenetur ad restitutionem vsurarum, vt dicit *glos. vlt. in l. si sciente ff. ad l. Pomp. de parricid.* ibi. Et nota arg. contra proxenetas, vt teneantur reddere vsuras secundum Ecclesiam, ac si ipsi accepissent & ibidem *Bart. & Alex. Sed Bart alias in cap. 1. §. similiter col. vlt. vers. Quæro an proxeneta de controuers. inuestit.* contra-

trarium dicit, & dictam *glos.* non sequitur: *Alex. vero in l. 4. § si procurator ff. quod quisq; iur.* eam declarat tantum habere locum, quando principalis contrahens non est soluendo.

Proxenetam posse testificari de his, quorum mediator extitit si partes consentiant disponitur *in Auth. de testib §. quoniam vero collat.* 7. ibi. Sancimus si vtraq; pars consentiat, quod & mediator fiat testificator (componãtur enim ea, quæ ab eo dicuntur) compellere eũ etiam nolentem testimonium perhibere, *vbi glos. verbo legem* tenet, quod etiã altera parte tantum volente, poterit si velit, sed non compelletur, quod sequitur *Bald. in l. Omnibus sub num.* 7. *C. de testib.* vbi videas de materia addit. verbo proxeneta.

De dolo, & lata culpa teneri proxenetam, dicit *l. 2. in fin. ff. eod. tit. de proxenet.* vbi sic notat *Bart. & in l. 2. ff. si mens. fals. mod. dix.*

Proximus.

SEcundum legem naturalem, & diuinam quilibet homo, homini proximus est nulla hominum facta distinctione iuxta illud Luc. 10. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit, qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus. Vade & tu fac similiter.

At vero secundum legem ciuilem is est, quem nemo antecedit; sicut is vltimus quem nemo sequitur; & interdum idem primus postremusq; qui solus occurrit, vt per eadem verba dicitur *in l. 2. ad fin. ff. de suis, & legit. & in l. 1 ff. Vnde cognat.* sic. Proximus etiam dicitur, qui solus est, quamuis proprie proximus ex pluribus dicatur. *Et in l. Qui duos* 10. *in fin.* ibi. Et proximus agnatus intelligitur, qui solus est quique neminem antecedit, tradit etiam *glos. verbo proximis in Auth. defuncto C. ad Tertull. vbi alia iura.*

Quomodo autem sit hæc proximitas regulanda an scilicet respectu testatoris, aut respectu vltimi possessoris, quando agitur de succedendo iuxta terminos vulgatissimæ *l. Cum ita* 33. *§. In fideicommisso ff. de legat.* 2. quæstionis est inter nostros iuris professores, quorum alij dicunt respectu testatoris considerandam esse, alij vero vltimi possessoris, de quibus per nostrum *Gam. decis.* 206. *a num.* 23. *vbi num.* 27. *per* 16. fundamenta confirmat esse intelligendam proximitatem respectu possessoris Et videtur pro hac text. expressus *in cap. vnic. de nat. succ feud.* vbi loquendo de vltimo possessore, sic ait. Ad solos, & ad omnes, qui ex illa linea sunt ex qua iste fuit, & hoc est, quod dicitur ad proximiores pertinere, nisi euidenter in contrarium constet de voluntate testatoris, nam tunc tantum proximior videtur hæres ex ipsa defuncti voluntate, vt dixit *glos Verbo repetitum in l. non iustam in fin. C. ad Trebell.*

Proximus præsumitur scire conditionem proximi sui iuxta *l. si filium* 37. *C. de liberal. caus.* ibi. Qui tam proxima necessitudine coniunctus, eius conditionis ignorantiam simulare non potest.

Prudentia.

DEfinitur *a Philosoph. 6. Eth.* 9. quod sit habitus cum ratione verum circa humana operatiuum, *& lib. 1. ma. moral.* quod sit habitus electiuus eorum, quæ in nobis sunt, & alibi quod sit vera existimatio circa vtilitatem. Illam versari circa ea, quæ non semper eodem modo fiunt, in quibus consilium, & electio cadit, dixit idem *dict. lib 6. cap. 4.* In quibus autem differat a scientia intelligentia, & arte. Vide in dictis verbis.

Impossibile esse quempiam prudentem, nisi sit bonus, dixit idem *Philosoph. dict. lib. 6. cap. 9. in fin.*

Prudentis viri est dissimulare imo emendare, quod in se intelligat, & indignari sibi magis, quam alijs, inquit *Hieronym. ad Rust.*

Et Ioseph. de antiquit. lib. 3. cap. 2. num. 10. ad fin. sic. Hoc enim esse prudentium initijs aduersariorum potentiæ, quam primum obstare, nec expectare, dum quotidianis successibus in maius augeatur, & potius curare ne in discrimen veniant, quam vt periculo eximantur.

Prudentia vero iuris, secundum nostrum *Imperat. in §. 2. de iust. & iu. in Inst.* Est diuinarum atq; humanarum rerum notitia, iusti atq; iniusti scientia, quod deduxit ex *Vlpian. in l. Iustitia 10. in fin. ff. eod. tit.* Sed quæ est differentia inter iustitiam, & ius, & iuris prudētiam? interrogat *glos. verbo. Notitia citat. §. 2. & in ead. l. 10.* & respondet. Iustitia, est virtus: ius est eius virtutis executio: Iuris prudentia est scientia illius iuris. Item iustitia est tribuere ius suum vnicuiq; ius coadiuuat: iuris prudentia docet qualiter fiat illud. *Et in glos. seq. quæ est vlt.* ita per iustitiam habemus ne fallamus: per iuris prudentiam ne fallamur: vnde scriptum est, sapiens fallere non vult: falli autem non potest.

Publicatio.

DE multis dicitur; Nam bonorum publicatio appellatur. Et fiebat olim per condemnationem ad mortem vel naturalem, vel ciuilem reseruata tantum legitima portione liberis damnati, vt testificatur *Callistratus in l. 1. ff. de bon. damn.* sic dicens. Supplicij damnatione bona publicantur, cum aut vita adimitur, aut ciuitas, aut seruilis conditio irrogatur. Etiam ij, qui ante concepti, & post damnationem nati sunt, portionem ex bonis patrum damnatorum accipiunt; liberis autem ita demum portio tribuitur si iustis nuptijs nati sunt. Hodie vero non publicantur bona damnatorum, sed ad ascendentes, & descendentes, & transuersales, *vt in Auth. Bona damn. C. de bo. dam.* excepto crimine læsæ maiestat. vt ibidem in quo veteres leges seruari iubentur. Et de hac publicatione aliqua habes verbo bona.

Dicitur etiam publicatio processus, de qua *in capit. Cum I. & A. 22. de re iud.* ibi. Depositionibus coram partibus minime publicatis, nec ostensis, quem ibidem dicit *sing. Innoc.* ad hoc vt talis publicatio licet sit de iustitia, non tamen est de substantia, vt notauit *Apostill. super prædictis verbis*, & ob id non vitiari processum idem *Innoc. & Abb.* de quo videas *Bart. in l. Prolatam num. 4. C. de sent. & interloquut.* De publicatione testium an sit de substantia, vide omnino *per Felin. in dict. cap. Cum I.*

Publicatio etiam fit de instrumentis scripturis, & alijs documentis, sed proprie loquendo fit de priuatis, quia authentica non publicantur, sed exemplantur, *vt not. Innoc. & Host. in cap. vlt. de fid. instr.* Fit etiam publicatio testamenti de qua *Bald. in l. 2. numer. 4. C. quemadmod. testa. aper. & in l. vlt. C. de re iud. & in l. Publicati C. de testa.*

Publicantur etiam leges, & constitutiones principum, vt ad omnium perueniant notitiam, & ignorantia non allegetur iuxta *Extrauag. vnic. ne Sed. vac.* ibi. Cum non sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur, *& in Extrauag. vnic. ad fin. de dilat. inter com* per eadem verba, & itidē *Extrauag. vnic. de furt. etiam int. com.* Nam non est necessarium singulorum au-

auribus intimari, quod est pubice publicatum, inquit *glos. in reg. Eum, qui* 31. *de reg. iur. in* 6. vnde dixit bene *glos. verbo ostendens in l. si tutor* 5. *C. de peric. tut.* quod in his, quæ publice sciuntur, requiritur probatio ignorantiæ ibi. Vel publice sciebatur.

Fit denique publicatio de his, quæ a priuatis fieri prætenduntur ad quæ partis aduersæ requiritur citatio, & ipsa propter absentiam, seu latitationem non reperitur, iuxta *Clem.* 3. *in fin. de elect.* ibi. Sic solemniter volumus publicari quod ad appellati, seu eius procuratoris notitiam posit verisimiliter peruenire.

Publicum esse, quod omnibus patet deducitur *ex Vlpian. in l.* 1. *§. Consequens ff. de suspect. tut.* ibi. Quasi publicam esse hanc actionem, hoc est omnibus patere, & ibi *per Bart. & per Imperat. in §. Consequens eod. tit. in Inst.* Alias dicitur publicum, quod est huius populi, vel illius tantum, vt per *glos. Verbo publica in §.* 1. *de rer. diuis. in Instit.* ybi etiam sic. Publica, quasi populica, scilicet omnium populorum. Et quot modis publicum dicatur, vide etiam *per Ang.* In quo vero differunt publicũ, & commune dicit *glos. Verbo. Communia in l. Quædam ff. de rer. diu. & in §. Littorum verbo publicus eod titul. in Instit.*

Non videtur nuptias inijsse furtiuas, quæ post tam magni temporis iugitatem nõ temere, nec clanculo, sed publice, contestatione deposita nupsisse firmatur, ita dicit *l. uxor.* 7. *C. de repud.*

Et quod ex publicis archiuijs profertur habet testimonium etiam susceptibile &c: sic *in Auth. de his, qui ingred. ad appell. §. vlt. coll.* 5.

Pudor.

SVmitur etiam pro ipsa castitate, quam pudor, & verecundia tuetur, sic inquit *glos. verbo pudor in l. Ita nobis cordi pudor est*, vt remoueamus prisci iuris ambages. Indignum est enim, vt vltionem pudoris præstigia versuti iuris excludant *C. ad l Iul. de adult.* Vnde fœminis magis naturalis est iuxta illud *Imper. in l. Optimam C. de contrah. & commiss. stip.* Mulieres (quas naturalis pudor) non omnibus perperam sese manifestare concedit, *& in §. Sed veteres de noxal. act. in Inst.* ibi. Cum in filiabus etiam pudicitiæ fauor hoc excludat.

Qui proprio parcit pudori excusatur secus si ad fauorem, & commodum parcit pudori eius, vt notauit *Bartol. in sum. l. Quintus Mutius* 48. *ff. mandat. per text. ibi. in fin.* Cæterum in posteriore casu non oportet esse noxiæ fideiussori si ipse pepercit pudori suo, ex quo deduxit etiam *glos. Verbo. Insobole in l. Cum satis* 22. *C. de Agricol. & cens. lib.* 11. Et parcendum est pudori.

Vitandi sunt, qui pudicitiæ impuberis possunt insidiari, ita dicit *l. si disceptetur* 5. *ff. vbi pup. educ. deb.* Et hac ratione præcipitur *in cap. Cum locum* 14. *de sponsal.* teneri puellam, de cuius matrimonio quæstio ventilatur, in domo honesta hoc est in qua pudicitia eius secura sit.

Nihil sic perdit hominem vt pudor dixit *Ioseph. de bell. Iud. lib.*6. *cap.*11. *ante finem lin.*10.

Publicatio.

DEbet fieri iuxta formam *Con c. Trid. sess.* 13. *cap.* 1. *de reform.* Et ibi (inquit) ob delicti grauitatem virga opus

fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, & cum lenitate seueritas.

Punitur quis in eo, quo deliquit *cap. 3. de translat. Episc.* ibi, Volentes (sicut dignum est) vt in eo puniantur, in quo peccauerunt *cap. An sit 42. de appellat.* ibi, Cum in eo quis puniendus sit, in quo deliquit; qui appellationi deferre neglexit, se beneficio appellationis reddit indignum *cap. Pastoralis 29. ad fin. de iur patr.* ibi. Quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse *Auth. omnes peregrini ad fin. C. com. de success. vbi glos. vlt.*

Quanto citius punitio exercetur tanto in vtilitatem publicam, & priuatam redundat. Dicitur enim *in Extrauag. qui sint rebell.* sic, Quanto plus differtur punitio tanto plus crescit culpa, & gentibus perniciosius in exemplum transit, & facit optimum dictum *Ioseph. de antiquit. lib 8. cap. 1. ad fin.* ibi. Vt scias quod nihil lucrentur nocentes, etiam si non statim post peccatum puniantur, sed per omne tempus, quod propter impunitatem securi sibi videntur, crescit illorum pœna, quam iam dudum sunt promeriti. Et forsan in hoc fundatur *tex. in l. si quis diutino* tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus pœna eius subleuanda erit *ff de pan.* nō enim parua pœna est in reatu esse, cum reatus status, & reorum conditio sit, vt habitus demissus, pannosus squalidus hinc reorum sordes, & sordidi rei dicuntur, prout notat ibidem *Apostill.* & sic videmus *Genes. 4.* dū Dominus punit Cain relinquendo eum viuum, & in eodem signum, vt non interficeretur, sed vt profugus, & vagus esset in suo reatu sub perpetuo timore, nemine persequente, nisi tantum scelere ipsius commisso. Et alias dixit *Iurecons. in l. Ex facto 43. § vlt. ff. de vulgar. & pupill. subst.* Satis enim punitus, est in eo, quod fecit contra legem *& in l. Diuus 14. ff. de offic.* *presid.* Cum satis furore ipso puniatur. Vnde potest etiam dici ob hanc rationem, quod misericordia exercetur cum iustitia per punitionem ministratur, *vt dictum est sup. verbo iustitia.* Nam misericorditer agitur cum ipso delinquēte in liberando eum ab illo reatus statu, & continuo pœnæ timore, quo torquetur. Et circa Remp. etiam misericordia operatur cum ei intersit, ne delicta maneant impunita ad arcendos eius homines à criminibus.

Magnorum criminum faciendam esse punitionem omni tempore disponit *text. in l. Prouinciarum 9. C. de fer.* ex ratione de qua ibi. Cum facilime, & in hoc summi Nummis speretur venia, per quod multorum salus, & incolumitas procuratur, & ex illa, quam ibidem affert *glos. in casus positione ad fin.* ibi. Quia non potest fieri maius sacrificiū Deo, quam vt ij, qui in suam, & aliorum perniciem diuagantur, competenti debeant rigore compesci; *& ex Senec. in traged.* quod non potest pinguior victima mactari Deo, quam reus iniquus.

Quandoq; puniri opus sine affectu; quoad legem promotionis, & quandoq; affectum sine opere dicit *glos. vlt. in cap. 1. de conuers. infid.* vt de primo dicit *capit. si quis* non iratus, sed propter disciplinam aliquem verberauerit, vel palmam alicui dederit, & casu occiderit, sicut fieri solet: quantum ad gratiam innocens est: quia voluntatem non opus requirit: quantum autem ad legem reus est, quia opera lex quærit, *15. q. 1. vbi glo verbo. Quantum ad legē.* Et de secundo *cap. Qui studet 1. quast. 1. & in l. si quis non dicam rapere, sed attentare C. de Episc. & cler.*

Ita punitur, qui causam causæ præstat, sicut & qui primam causam præstat: ita deduxit *glos. vlt. in cap. Presbiterum 7. de homicid. per text.* ibi. Si ex ipsa percutione interijt, vel aliquam infirmita-

mitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse.

In criminibus quibus vltimum supplicium est impositum, venit illud remittendum si iusto dolore commissa sunt, *vt in l. si adulterium 38. §. Imperatores ff. ad l. Iul. de adult.* ibi. Vltimum supplicium remitti potest. Difficillimum enim est iustum dolorem temperare: Et magis quia plus fecerit, quam quia se vindicare non debuerat puniendus sit.

In atrocioribus non esse inconueniens vnum puniri pro alio notauit *Apostill. ad l. Quisquis in filij verò sit per verbo In quibus C. ad l. Iul. maiest.* cuius verba iam posita inuenies verbo Filius.

Aliquem ex præsumptione damnari, notauit *glos. verbo punire in Auth. vt lic. mat. & au. §. vlt. coll. 8.* vbi addit esse ibi speciale in odium spernentis denunciationem.

Punire permittitur appellatione non recepta, dum princeps non rescribit, quando manifestus est latro, vel seditio prærupta, factaque cruenta, vel alia iusta causa habes verbo sententia.

Punitionem non debere fieri propter rerum desiderium Verbo Iudex.

Purgatio.

QVadruplex est spiritualis scilicet, de qua *in capit. Non potest de consecr. dist. 4.* sic dicitur. Non potest quis gratiam vitæ cælestis accipere, nisi purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pænitentiæ confessionem, per donum baptismi salutaris Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi *& in cap. vlt. 15. quastion. vlt.* ibi. Sacramenta diuina, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt *& cap. si qualibet culpa sequenti solet* pia operatione purgari *22. quæst. 5.* Altera Canonica ideo sic dicta, quia a Canonibus sacris instituta, de qua *in cap. 1. & 2. 12. quæst. 5 & in tot. tit. de pur. canon.* & qualiter hæc fieri debeat habes ibi. *in cap. Quoties*. Altera dicitur vulgaris, quia a vulgo fuit inuenta, de qua *in tit. de purgat. vulg.* & fiebat per ignem, vel aquam, quæ per sacros canones prohibetur *in capit. Mennam 2. quæst. 4.* ibi. Vulgarem deniq; & nulla canonica sanctione fulcitam legem, feruentis scilicet aquæ, siue frigidæ ignitique ferri contactum &c. Apostolica authoritate prohibemus firmissime, *& cap. Consoluisti* ibi. Nam ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri a quolibet, sacri non censent Canones *ead. cau. & quæst. & in capit. vlt. illo tit. de purg. vulg.* ibi ferri candentis iudicium subire compellunt &c. cum huiusmodi iudicium sit penitus interdictum, vt pote in quo Deus tentari videtur. Huius etiam vulgaris purgationis datur altera species, & fiebat per singulare certamẽ, duellum, seu Monomachiam, de qua loquitur *tex. in capit. Monomachiam dist. 2. quæst. 4. qua ibidem in fin.* reprobatur: cum hæc, & huiusmodi sectantes Deum solummodo tentare videantur, *& in cap. 1. de torneament. Concil. Trid. sess. 25. de reformat cap. 19.* Altera denique est, quæ fit in purgatorio ab his, qui in hoc seculo sufficientem pænitentiam non fecerunt; quia alias si facerent, non haberent, quid in purgatorio purgandum: non enim Deus iudicat bis idem iuxta *cap. Quid ergo* ibi. Non iudicabit Deus bis id ipsum in tribulatione *23. quæst. 5.* nec consurget duplex tribulatio, aflixi te, & non affligam vltra, dicit ipse per *Nahum proph.* Si ergo hic non fuit pænitentia peracta, in purgatorio peragetur, *vt in dict. capit. Quid ergo, & in cap. Qualis 25. dist.*

Purgatio Canonica fit per suspectos *in cap. Ex parte 5. de offic. ord.* ibi. Et eos suspectos habueris &c. ipsos compellere debes &c. purgationem præstare, & ibidem *glos. vlt.* sic. Et ita quod Episcopus

pus habet suspectos potest compellere ad purgationem præstandam, vt hic dicit, dummodo publica laborent infamia &c. & si sint infamati apud bonos, & graues &c. & non sit orta ab inimicis.

Purgat etiam quis pudorem suum, vt supra verbo pudor.

DE LITTERA Q.

Qualitas.

Sine subiecto non potest esse, notauit *Apost. ad tex. in l. si ser 4. §. 1. ff. de act. emp* dicens. Nota *tex.* & ad hoc allegatur, qualiter sine subiecto, non potest esse qualitas, & verba *text* sic se habet. Nō potest æstimari bonitas loci, qui non extat. Natura autem qualitatis est aliquid ponere in esse præter substantiā vt inquit *Bald. in l. Ea quæ num.* 10. *in fin. C. de condict. indeb.* Et cum eodem notabis, quod qualitas secundum Legistas non inuenitur in proprio prædicamento, sed in prædicamento qualitatis, *vt in l. Aut facta* 16. *§. Qualitate* cum factum, vel atrocius, vel leuius est, vt furta manifesta à non manifestis discerni solent *ff. de pæn.* Item in prædicamento, quādo videlicet qualitas inest tempori, veluti nox, vel dies priuilegiata *l. Gracchus* ibi in adulterio noctu deprehensum interfecit *C. ad l. Iul. de adult.* Item in prædicamento vbi, quando est priuilegiatus locus, vt Ecclesia, vel platea, *vt in l. si quis in hoc genus sacrilegij C. de Episcop. & cler.* Item in prædicamento facere, vnde dolus dicitur qualitas, quę inest facienti, & quādoq; appellatur substantialis qualitas, vt dolus in furto, quia furtum per dolum diffinitur, sed in homicidio dolus non est substantialis qualitas, sed accidentalis, quia in substantia homicidiū non differt iustum ab iniusto, licet differat in agnitione facti, *vt in l. si quis id quod* 7. *§. vlt. ff. de iurisdict. om. iud. & in l.* 3. *§. Ex contrario ff. de acquir. possess.*

Item inuenitur qualitas in prædicamento facti per quod aliquid fit, *vt in cap. significasti in fin. de homicid. & in l.* 1. *§. Sed si clauia ff. ad l. Cornel. de sic.* Item inuenitur qualitas in prædicamento pati, puta cicatrix si exagerat, idest, aggrauat afflictionem passo: vnde est propriè qualitas, *vt in l. vlt. ff. de his, qui deiec.* Item qualitas reperitur in prædicamento ad aliquid seu relationis. Nam relatio siue respectus delinquentis quādoque exagerat, & quandoque extenuat delictum, & pœnam eius, *vt in l. si ignorans* 52. *ff. locat.*

Est igitur qualitas apud Legistas quicquid inducit alterationem subiecti siue locus siue tempus, siue quodcunque accidens secundum eundem *Bald. in l. De quibus* 31. *numer.* 120. *ff. de legib.* vbi etiam vtitur prædictis exemplis.

Sed nota, quod est quædam intrinseca qualitas cum qua homo nascitur, scilicet, quod aliquis sit castus, sobrius, & hanc præsumitur quis habere donec contrarium probetur. Est quædam extrinseca, vt literatura, & talis qualitas non præsumitur, nisi probetur, sic ait *glos. verbo scientiæ in cap. si forte* 11. *de elect. lib.6.* Et ibi etiam dicit *Ioan. And. ex Monach.* sic. Vbi nil facere habeo cum homine, præsumere eum debeo dignū, sed

sed vbi volo dare sibi filiam meam, id est Ecclesiam in sponsam, debeo inquirere de dignitate sponsi, saltem, quoad excepta in *cap. Cum in cunctis de elect. & infr. eod. Licet canon.* & quia eligens inuenire tenetur conditionem debitam filiæ.

De qualitate personarum, quod attendenda sit in causis, dicitur *in capit. De parentela 2. 35. quæst. 6.* ibi. Cæterum in huiusmodi casibus consideranda est qualitas personarum, quæ aliquod contra quosdam adstruere volunt.

Pro qualitate personarum, & actio mutatur, & condemnatio moderatur, ita inquit *l. Paulus 16. in fin. ff. de negot gest.* *vbi glos. vlt* ait. Nota qualitatem personæ inspici.

Qualitas per quam augetur, vel minuitur condemnatio potest pendente iudicio addi, vel detrahi de libello, sic *Bald. in l. 4. §. si detracta ff. de noxal. act.* cuius verba sunt, donec autem prius iudiciũ agitatur licencia est agenti, si eum pœniteat, tunc ad noxalem causam transire.

Nota quod trãslatione iudicij potest qualitas actionis alterari, ita notauit *Bart. per tex. ibi. in l. Tam ex contractibus ff. de iud. con.sticta l seruus de ijs, qui not. infam.* Et quod qualitas omissa faciat de nouo iudicium agitari *Bald. in l. Ancillæ in fin. C. de furt.*

Qualitas adiecta vni rei repetita intelligitur in alijs in eadem oratione contentis, seu per copulam, &, coniunctis, vt *in l. Seia 20. §. Caio, vbi notauit Bart. ff. de fund. instr. & in l. 4. §. Erit sub numer. 1. vers. breuiter ff. de vi bon. rapt.* Et adiuncta verbo qualitas verificari debet tempore verbi, vt notauit idem *Bart. per tex. ibi in l. Titius 26. ff. de mil. testam. & in l. In delictis 4. §. 1. ff. de noxalib. act. & facit optimus tex. in §. Proximus de legit. agnat. succ.* vbi Imperator agens de qualitate proximitatis ad succedendum, sic inquit. Proximus autem (si quidem nullo testamento facto quisquam decesserit) per hoc tempus requiritur quo mortuus est is cuius de hæreditate quæritur. Quod si facto testamento quisquam decesserit: per hoc tempus requiritur, quo certum esse cœperit, nullum ex testamento hæredem extiturum. Tunc enim proprie quisquam intestatus decessisse intelligitur, Quod quidem longo aliquando tempore declaratur. In quo spatio temporis sæpe accidit, vt proximiore mortuo, proximus esse incipiat, qui moriente testatore non erat proximus. Si vero qualitas vitiaret dispositionem in sequenti actu licet in eadem oratione esset posita, non censebitur repetita iuxta *l. seruo alieno 116. §. si ab impubere* ibi. Nec videtur repetita conditio, quæ inutile legatum facit *ff. de legat. 1. glos. verbo dumtaxat in l. si quis a filio 22. eod. tit.* vbi alia iura.

De qualitatibus vero narratis, quando omnes probari debeant, vel vna earum sufficiat probari. Videas plene per *Felin in cap. Licet causam a num. 40. de probat.*

Quantitas.

Discreta, seu materialis est aggregatio vnitatum, quæ ad vnum terminum terminatur V. g. decem: Nam si terminatur ad diuersos numeros, diuersi sunt numeri, vt quinq; & quinq; sic colliges *ex Vlpian. in l. 24. ff. de solut.* vbi ait hæc. Vbi fideiussor pro duobus indena fideiussit obligatus est in viginti. Et siue viginti, siue dena soluit vtrunq, reum liberabit. Sed si quinq; soluerit, videamus quem ex eis releuet. In quinq; erit ille releuatus, de quo actum est: aut si non apparet, antiquum debitum erit inspiciendum. Quantitas vero continua, seu formalis est, quando partes formaliter tendunt ad vnum, & eundem nue

numerum, vt gleba ad fundum, & membra ad hominem, & de hac loquitur idē *Vlpian. in l. si seruus 14. §. Boue surrepto*, & occiso condictio, & bouis, & corij, & carnis domino competit, scilicet si corium, & caro contrectata fuerint. Sed si dominus condictione, bouis pretium consecutus fuerit, & postea aliquid eorum, de quibus supradictum est, condicat omnimodo exceptione summouebitur: contra si corium condixerit & pretium eius consecutus, bouem condicet: offerente fure pretium bouis, detracto pretio corij, doli mali exceptione summouebitur *ff. de condict. furt.* prędictam quantitatis diuisionem, & diffinitionem tradit ex dictis legibus. *Bald. in l. vnic. numer. 12. C. de sent. quæ pro eo.*

Quantitatis appellatione posse venire etiam speciem dixit *Metian. in l. 93 ff. de legat. 3.* in hæc verba. Quisquis mihi hæres erit damnas esto dare fideique eius committo, vti dec quantas summas dictauero, dedero Aristo, res quoque corporales contineri ait, vt prędia mancipia, vestem &c. Quia hoc verbū, quantas non ad numeratam dumtaxat pecuniam referri. & ibi. *Bart. notat etiā glos. verbo comparandum per text. ibi in l. Plane 34. §. si eadem res ff. de legat. 1.* dicens. Nota etiam quantitatem accipi quandoq; vt speciem. Sed quid dices in solutione facienda, poterit ne dari in solutum species pro quantitate? Videtur affirmatiue respondere *glosa verbo pondus in l. 1. §. 1. ff. de aur. & arg. legat.* ibi. Ergo quantitatem, in qua locus est vicissitudini solutionis: sed quomodo? si alias dicitur *in l. 2. §. Mutui in fin.* ibi. aliud pro alio inuito creditore solui non potest *ff. si cert. peta.* distinguit hic *Bart. in fin.* in hunc modum. Tertio casu quando debetur quātitas. Tunc aut debitor non potest soluere quantitatem, & cogitur creditor accipere rem, *vt in Auth. de fideiussor. §. quod autem relata in Auth. nisi C. de solut.* Aut debitor potest soluere pecuniam: & tunc aut tenetur ad illam quantitatem respectu certæ speciei, & liberatur soluendo speciem illam, *vt in l. Miles §. 1. infr. de re iud. & l. si vero §. fin. infr. solut. mat & l. si fundum per fideicommissum in princ de legat. 1.* Si vero tenetur ad quantitatem simpliciter, tunc non potest soluere speciem pro quantitate, *vt in l. Eum a quo C. de solut.* fallit in casu *Auth. hoc ius porrectum C. de Sacros Eccles.*

Quantitas promissa bis in contractibus, semel tantum debetur, iuxta *l. stipulatio ista 38. §. Alteri vers. vlt.* ibi. Eum qui ita dicit mihi decem, & Titio decem, eadem decem, non alia decem dicere credendum est *ff. de verb. oblig.* quod verum intelligas, quando in eadē oratione, & eodem actu nō si sint diuersi actus, vt ibidem *per Bart. & facit optimus tex. in l. Quingenta 12. ff. de probat.* vbi eadem in testamento legata, & postea in codicillis repetita bis debentur, nisi contrarium probet hæres a quo petuntur, vt in fin. ibi. Et hic igitur cum petitor duas scripturas ostendit, hæres posteriorem inanem esse id probare iudici debet *Bart. in l. Triticum num. 3.* ibi. Ideo in dubio intellige de diuersis decem *ff. de verb. oblig.*

Quantitatem magnam, vel paruam intellige secundum qualitatem personarum, inquit *glos. vlt. in Auth. Quod locum C. de collation.* quam ibi sequitur *Bart. & Ang. Bald. in l. Cum antea num. 4. C de arbitr.* sic ait. Quid est dicere in magna quantitate? Respond. Magna, & parua dicitur respectu personarum, & causæ *glos. vero in l. 3. §. Quamuis autem ff. si cui plusquam per l. falc. per tex.* ibi. quibus minuta alimenta sunt relicta &c. decem aureorum, ait ita. Sic dicuntur minuta vsq; ad decem aureos.

Maior quantitas trahit ad se minorem, vt *per glos. verbo pro portione in l. Quicquid 27. ff.*

27. *ff. de acquir. rer. dom. & in verbo. Sed si maiorem in l. 2. ff. de reiuendic & est tex. in l. 1. §. si stipulanti* mihi decem, tu viginti spondeas non esse contractam obligationem, nisi in decem constat &c. Manifestissimum est in viginti, & decem inesse *ff. de verb. oblig. l. Inter pares §. 1. ff. de re iud. & facit l. Diem proferre §. si plures ff. de recept. arbitr. Bald. in l. Qui quartam 15 numer. 1. ff. de legat. 1.* sic ait. Nota quod in primo, & secundo responso maior, quantitas trahitur ad minorem, quando de minori est consensum: nec hoc est mirum, quia minor quotitas, seu quantitas inest maiori, vnde quodammodo concurrunt hic verba, & mens.

Quarta.

MVltiplex in iure nostro inuenitur. Nam legitima, quæ debetur filijs, & inferioribus, & superioribus, quartam nominari reperies *in l. Cum quæritur 6. C. de inofficios. testa.* Cum quæritur (inquit Antonin. Imp.) an filij de inofficioso patris testamento possint dicere: si quartam bonorum partem mortis tempore testator reliquit, inspicitur, *vbi Bald. & Salic.* notant, legitimam esse olim quartam, *& in l. Parentibus 8. eod. tit.* ibi. Quartam ex iudicio parentis obtineat. Quæ legitima, seu quarta postea adaucta fuit, ad tertiam bonorum partem, si filij inueniebantur non plus quatuor, si vero plures, ad dimidiam bonorum, *vt in Auth. de triens. & semiss. §. 1. coll. 3. & in auth. Nouissima C. eod. tit.* appellatur etiam hæc legitima, seu quarta, debitum bonorum subsidium, *in l. si totas 5. C. de inoffic. donat.*

Alia dicitur quarta, quæ debetur iure institutionis, & deducitur ex legatis, & fideicommissis particularibus, & appellatur falcidia, de qua loquuntur *tit. ff. & C. ad l. falc.* Alia est Trebellianica, quæ in vniuersalibus fideicommissis locum habet, prout etiam *in tit. ff. & C. ad Trebell.* de vtraq; disserit *Iustinian. in §. sed quia haredes scripti de fideic. hared.* vbi etiam inuenies quod hæc Trebellianica fuit inuenta temporibus Vespasiani, Pegaso, & Pusione consulibus, vnde Pegasiana potius quam Trebellianica dicenda erat *Vlpianus autem in l. 1. ff. ad Trebell.* inquit factum esse Senatusconsultum temporibus Neronis, Octauo kal. Septembris Anneo Seneca, & Trebellio maximo consulibus, & sic, Trebellianica incepit appellari a boneto nomine Pegasi, ex ratione, de qua idem *Imp. in §. Sed quia stipulationes* ex Senatuscons. Pegasiano descendentes & ipsi antiquitati displicuerunt, & quibusdam casibus captiosas eas homo excelsi ingenij Papinianus appellat, & nobis in legibus magis simplicitas, quam difficultas placet; ideo nobis omnibus suggestis, tam similitudinis, quam differentijs vtriusq; Senatusconsulti placuit exploso Senatuscons. Pegasiano, quod postea superuenit omnem authoritatem Trebelliano Senatuscons. præstare &c. *eodem tit. de fideic. hared. in Inst.*

Est & alia quarta, quæ debetur filio adoptiuo, seu arrogato per constitutionem D. Pij, de qua loquitur *Vlpi. in l. si arrogator 22. ff. de adopt.* ibi heredes quoque restituere debere bona arrogati, & præterea quartam partē cum alijs iuribus, de quibus ibidē *per gl. verbo quartā, & in §. Cum autē de adopt. in Inst. ad fin.* ibi iubetur quartam partem bonorum suorum ei relinquere. Quomodo autem hęc quarta pars intelligatur, an scilicet sit respectu omnium bonorum, an vero respectu quartæ debitæ filijs naturalibus, & legitimis? Videas *per glosam in dict. §. Cum autem & citata l. si arrogator verbo quartam.*

Alia etiam est quarta, quæ debetur patro-

no de liberti bonis, de qua *in tit. ff. de bon. lib. per tot.* & de ea dicit *Bald. in §. 1. num. 2. C. ad l. falc.* quod debet deduci de singulis rebus secundum allegata per eum.

Aliam notabilem quartam inuenies, quæ debetur concubinæ, quam quis acceperit ea intentione, vt eam duceret in vxorem, & postea animo mutato illam expellat, tenetur ei quartam partem suæ substantiæ dare, de qua agit *Iustinian. in Auth. quib. mod. nat. effic. legit. §.* Quoniam autem in interpellationibus ibi. Et illam, si quidem indotata sit, nostræ cōstitutionis vti bonis, quartam substantiæ viri percipientem, siue expellatur, siue prius moriatur vir. Et vxor legitima, si fuerit indotata, vir autem locuples etiam habebit quartam de bonis eius, iuxta *Auth. præterea C. vnde vir & vx.*

De iure Canonico inuenies etiam quartā aliam, quæ debetur Episcopis de oblationibus fidelium iuxta *cap. Vobis enim* ibi. Et quatuor portiones videlicet, vel de fidelium oblatione &c. ita vt vnam tollat antistes, *& in capit. Concesso* ibi, Reditus, & oblationes fidelium in quatuor partes diuidat; quarum vnam Episcopus sibi ipsi retineat &c. & *capit. Quatuor autem 12. quæst. 2.* Quæ quidem de iure antiquiori erat tertia, vt constat *ex cap. de his 10. quæst. 1. in fin.* ibi. Tertia pars fideliter Episcopis deferetur, *vbi glos.* sic ait. Alibi dicitur quod nihil habeat præter cathedraticum, *vt infr. ead. quæst. 3 cap. 1.* aliàs de medietate *vt infr. cap. proxim.* Nota ergo quod tempore primitiuo cum pauperes essent Episcopi, statutum fuit, vt Episcopi de Episcopalibus Ecclesijs, & omnibus bonis Ecclesiæ sumerent medietatem, *vt in cap. seq.* Sed in omnibus parrochialibus Ecclesijs tertiam *16. quæst. 1. capit. Constitutum*; procedente tempore ex parrochialibus tantum tertiam decimarum, & oblationū habeent, *vt infr. ead. cap. Decreuimus* Postmodum quartam *12. quæst. 2. capit. vobis &c.* Hodie autem, nec tertiam parrocchialium habebunt, nisi velint fabricam reparare &c. Vel dic, quod secundum consuetudinem ista dantur, vt extra *de sepult. cap. Certificari.* hodie autem cum sint diuites nihil habebunt præter Cathedraticum &c. Debetur Episcopo altera quarta, quæ etiam vocatur canonica, de omnibus, quæ relinquuntur iure institutionis, vel alio titulo vniuersali, vel singulari, Ecclesijs, vel pijs locis, vel pauperibus, exceptis quibusdam casibus priuilegiatis, & de hac loquuntur *cap. officij 14. & cap. requisisti de testa. & in cap. Conquerente 16. de offic. ord.* Licet de iure ciuili Episcopus nullam quartam debeat habere, vt disponitur *in l. si quis ad declinandam §. in omnibus C. de Episc. & cler.* vbi omnino videas *per Bald. & ibidem Adden.* De quarta vero, quæ debetur Ecclesiæ parrochiali, de funeralibus est *Clem. Dudum de sepult. vbi late per Cardinal.*

Duas quartas alteram legitimam, Trebellianicam alteram deducere filium rogatum a patre restituere hæreditatem disponitur *in cap. Raınaldus, & capit. Rainuntius de testam.* Quod limitat *l. filius, quem habentem 24. C. famil. hercisc.* quæ est famosa, & difficilis, vt ibi *sum. notatur* vbi sic inquiunt Impp. Filius quem habentem fundum, portionem hæreditatis fratribus, & quibusdam alijs sub conditione verbis precarijs restituere sanxit testator post eius conditionis euentum, hæreditaria parte prædij in quarta ratione retenta cōpensato præterea, quod a cohæredibus vice mutua percepit, & siquid deest in supplementum, deducto quod a cæteris in eo fundo soluitur supra quartam habens, reddere compellitur, & ibidem notat *optime Ias. à numer 6. quem vide vbi num. 9. 10. & 11.* alias ponit limitationes:

tiones: Vide etiam *Bald. in l. Iubemus n numer.* 6. *C. ad Trebell & in l. Quanquam C. ad l. falc.* Licet contrarius sibi videatur dum dicit *d. num.* 6. has quartas esse lucratiuas, *& in dict. l. Quanquam in princ.* ait trebellianicam esse ex causa lucratiua, legitimam vero contra, cum reputetur, vt æs alienum; legitimam enim detrahere filium, vt suum hæredem, trebellianicam, vt extraneum.

Deductionem quartarum non habere locum, vbi expresse fuerit per testatorem prohibitum, disponit *Auth. de hæred & falc. §. Hinc nobis vers. Si vero* expressim designauerit non velle hæredem retinere falcidiam necessarium est testatoris valere sententiam, & aut volentem eum parere testatori, forsan etiam quedam iuste, & pie relinquenti: lucrũ non in percipiendo habentem, sed solum pie agendo &c. *coll* 1. Quod intelligi debet in extraneo hærede, sed in suo, vel quasi, vt in suis ascendentibus, & patronis, & fratribus non poterit prohiberi quarta debita a iure, cum in ea non possit grauari filius a patre, nec e contra, *vt in Auth. vt cum de appell. cog. §. Aliud & §. hoc quidem coll* 8. *& Auth. de trien. & sem. §. Probibemus coll.* 3. *& l. Quoniam in prioribus* 32. *C. de inoffic. testa.* Nec patronus a liberto *vt in Auth. de hæred. & falcid. §. vlt.* ibi. Non autem excipimus a lege, neque patronatus successiones, & ibi enim legitima eis seruata parte, *& in §. Sed nostra de success. libert. in Instit.* Nec frater a fratre turpi persona instituta, iuxta *Auth. de hæred. & falc. §.* 1. *vers. Primum itaq; est cogitandum l. fratres* 27. *C. de inoffic. testa.* & idem in omni persona, cui necessario debetur: vt in coniuge inope superstite apud morientem diuitem supradictum est, & probat *glos. verbo hæredem in d. Auth. de hæred. & falc. §. Hinc nobis versic. si vero expressim.*

Quasi.

Denotare improprietatem, & diminutionem deducitur, *& l. Si cum dotem* 23. *§. vlt. ff solut matr.* Si mulier (inquit Vlpian.) in conditione mariti errauerit, puta veriq; esse liberum, qui seruus esset: concedi oportet, quasi priuilegium in bonis viri, videlicet, vt si sint, & alij creditores, hac præferatur circa de peculio actionem: vt tamen si aliquid debeat domino seruus, nõ præferatur mulier: nisi in his tantum rebus, quæ vel in dotem datæ sunt, vel ex dote comparatæ sunt, quasi & hæ dotales sint, *vbi glos. in vtraq; Verbo.* Quasi notat dicens non esse priuilegium dotis, cum dos non dicatur, vbi matrimonium non est, & ideo, quasi, & non esse res dotales eadem ratione, & ob id quasi res dotales est etiam optimus *text. in l. Si quis* cum a fideicommissario sibi cauere poterat, non cauerit: quasi indebitum, plus debito solutum eum repetere posse diui Verus, & Antonius rescripserunt 39. *ff. de condict. indeb.* nã proprie indebitum dici non debet, cum debeatur, sed improprie hoc est, quasi indebitum dicitur, dum non fuit cautum, & ibi notat *glos. verbo quasi dicens* improprietatem notat secundum primum, & tertium casum, secundum medium, veritatem, & dicit bene, nam aliquando proprietatem, & veritatem denotat, vt dicit *glos.* 1. *in l.* 1. *ff. de transact. per text.* ibi. Qui transigit, quasi de re dubia, & lite incerta, neq; finita transigit, prædicta vero *glo.* sic. Et quod dicit, quasi, improprietatem notat secundum quosdam &c. Tu dic, quod est veritatis expressiuum &c. idem *glosa vlt. post princ.* ibi. Et quod hic dicit, quasi, expressiuum est veritatis, & ibidem *Bald. num.* 7. *in l. Qui Romæ* 122. *§. vlt. ff. de verb. oblig.* sic. Dictio, quasi,

quandoq ponitur per modum causæ exprimit veritatem, quando per modum similitudinis exprimit fictionem. Si vero quasi, adiungatur, cum verbo, quodammodo, tunc improprijssimus fiet intellectus, *vt in l. Id tempus* 14. *§. in relegats*, in accessione temporis, quo testatur possedit, legatarius quodammodo quasi hæres est *ff. de vsucap.* & ita intellexit *Bald. in l. si abducta C. de furt. sub num.6.* dicens sic: ibi ponitur duplex ratio improprietatis, dum dicit quodam modo, quasi velit dicere text. quod improprijssime. Est etiam diminutiua dictio, quasi, vt per eundem *Bald. in l. vlt. num.*41. *in fin.* ibi. Item debent asserere tempus esse completũ, & non adijcere aliquam diminutiuam dictionem, vt quasi &c. *C. de edict. diu. Adr. toll.* & hæc est magis communis significatio. Nam sic dicitur quasi contractus *in princ. de oblig. quæ ex quas. contr.* & quasi delictum, *de oblig. quæ ex quas. del. in Inst.* & quasi possessio, quasi dominium: & alia similia, quæ sunt diminutiua, & improprie dicuntur respectu contractus, delicti, possessionis dominij &c.

Quæstio.

SI summatur pro interrogatione, nihil aliud est quæstio, quam dubitabilis interrogatio, vt dicit *Bald. in l. Mauius* 88. *num.*1. *ff. de legat.*1. & de hac dicitur *in l. Iam hoc iure in fin. ff. de vulgar.* Euitandæ quæstionis gratia, specialiter vtrunq; casum impuberi substituat, *& in l. quæstionem C. de fideic. & l. vlt. C. de pact.* hinc forte habuit ortum nomen torturæ, quæ etiam quæstio dicitur: nam solet fieri de re dubia, iuxta *tit. ff. & C. de quæstion.* & de ea dicitur *in l. Item apud Labeonem* 25. *§. Ait prætor ff. de iniur.* sic. Quæstionis verbo etiam ea, quam malam mansionem Greci dicunt, continebitur. Cum igitur per tormenta habita quæstio est, tunc quæstio intelligitur, & paulo supra ita. Quæstionem intelligere debemus, & tormenta, & corporis dolorem ad eruendam veritatem, & ibi *glosa verbo dicunt* addit: Si ponitur in carcerem vt non comedat, donec dicat id, de quo quæritur, *& glos. verbo tormentis in Clem.*1. *de haret.* ibi. Puto autem, quod ieiunia, quæ inquisitores ad veritatem eruendam solent indicere, sint tormenta. Nam quæstionis verbo, intelligimus tormenta corporis, dolores, & malam mansionem *Vlpian. in l.*1. *§. Quæstionem* ampliat eius significationem *ff. ad Syll.* hoc modo dicens. Quæstionem autem sic accipimus, non tormenta tantum, sed omnem inquisitionem, & defensionem mortis.

Quando vero perueniri debeat ad tormẽtorum quæstionem, ponit idem *Vlpian. in l.*1. *ff. eod. tit. de quæst.* sic. In criminibus scrutandis, quæstio adhiberi solet: sed quando & quatenus id faciendum sit videamus. Et non esse a tormentis incipiendum Diuus Augustus constituit: neque adeo fidem quæstioni adhibendam &c. Ad tormenta seruorum, ita demum venire oportet, cum suspectus est reus, & alijs argumentis, ita probatione admouetur &c. quæ ad criminalistas iudices pertinent, viderint &c.

Verum illos monere vellem verbis eiusdem *Vlpian. in dict. l.*1. *§. In causa de quæst.* ibi. Quæstioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam constitutionibus declaratur. Etenim res est fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam pleriq, patientia, siue duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, vt exprimi ab eis veritas nullo modo possit. Alij tanta sunt impatientia, vt inquouis potius mentiri, quam pati tormenta velint: & ita fit, vt etiam vario modo fateantur;

vt

vt nō tantum se, verum etiam alios criminentur. Vere quidem res fragilis, & periculosa, in qua accidere potest condemnari innocens, & noxius impunitus relinqui, durus namq; delinquens meritam punitionem fugit, tormentum contemnendo, mollis vero nō valens illud tollerare innoxius cōdemnatur, vt sæpè visum est. Quapropter quæstionis vsus omnino debebat aboleri, & audiui abolitam esse in Aragoniæ Regno optima cum ratione, nam si satius, vel sanctius est delinquentem impunitum relinquere, quam innocentem cundemnare, *vt in l. 5. ff. de pen.* cur non reprobatur quæstio, in qua tot innocentes condemnantur, & delinquentes absoluuntur? Et insuper quia plæna non fit probatio per quęstionem, saltim in nimium duris, & in nimium mollibus secundum quosdam, vt testatur *glos. verbo præstando in l. vlt. C. de quæstion.* Sed solum in mediocribus, qui difficillime inueniuntur, cum medium tenere, sit difficile. Si ergo vt plurimam non fit plæna probatio per tormentū, ad quid eo vtendum? ad perdendos innocentes, & saluandos nocentes? absit, & ab aula iudiciorum recedat tormentorum quæstio, prout recedit in militibus, doctoribus clericis, & senibus, vt suis verbis notatur.

Dicitur insuper quæstio, causa in iudicium deducta, de qua *in cap. Conquestus 5. de fer.* ibi. Non prorogari, sed expediri debeat quæstionem. Sed dubium est, an vt dicatur quæstio, necessaria sit litis contestatio, an vero antea? *Et glos. pen. in l. 3. C. fin. regund.* sic respondet: hic erat lis contestata; & ideo dicit quæstio; sed in principio legis, dicit querimoniam: quia non erat lis contestata, ex qua infertur differentia inter quæstionem, & querimoniam, idem *in l. 4. verbo quæstionem eod. tit. sequitur Bald. in l. 1. num. 3. cum glos. ibidem C. de long. temp. præscript. glos. vero in l. qui fidem 16. verbo cogetur ff. de transact.* dicit, quod ante litem contestatam dicitur quæstio ibi, Quod si conuenit, vt daret ei pænam, si quæstionem ei faceret, qualitercunq; petatur, vel molestetur, committitur, de quo dubitat *Bart. in l. Amplius num. 5. ff. rem rat. hab.* & concludit ita. Finaliter possumus dicere, quod quando verbum quæstionis profertur a lege, tunc intelligatur per litis contestationem: si profertur ab homine, & tunc intelligitur etiam ante litis contestationem, & sic intelligit allegata iura.

Postquam autem quæstio iniudicium deducta est, aliæ insurgunt quæstiones, velut incidens, quæ concernit principalem quæstionem: veluti si actor seruus dicatur, & si miles. Alia emergens, veluti testem admittendum, vel non admittendum, & similes, *vt per glosa magnam in l. Quod iussit ff. de re iud. vbi Apostill.* notat non bene dicere in incidenti: quia secundum *Alex.* incidens dicitur illud, quod respicit merita causæ, & habuit ortum ante litem contestatam, vt exceptio pacti, transactionis, & compensationis, de quo vide *gl. etiā magnam in cap. 1. de ord. cog. & ibi Abb.* vbi etiam inuenies, quod quæstio emergens debet decidi expresse, vel tacite non expectato fine causæ *ex cap. Exhibita de iudic.* Sed quæstio incidens, quæ concernit factum principale potest differri, vt simul terminetur cum negotio principali per tex. ibi. *& per l. 1. coniuncta glos. vlt. C. de ord. iudic. vbi etiam Bart. & Bald.*

Et quæstionem facti, & iuris esse constat *ex l. Idem 16. ff. de stat. hom. dum Vlpian. in fin.* dicit, Quæstio ergo facti potius, quam iuris est, *vbi Bald. numer. 3.* dicit ait, quod facti quæstio est, quæ factum, & non ius, continet: iuris vero illa, in qua non de facto, sed quid iuris sit, & in addit. sic. Quæstio facti dicitur, quando factum est incertum, super

super quod lex non præsumit, & super hoc nec sapiens potest consulere, nec iudex iudicare, nec pars tenetur respondere. Quæstio iuris est, quando factum est certum, vel incertum, tamen super eo cadit iuris præsumptio.

Dominij quæstionem non posse locatori a conductore opponi, ita *l. si quis conductionis* C. *locat.* Nec commodanti a commodatario, iuxta *l. Commodare* 15. *cum l. seqq. vbi Bart. ff. commodat.* Nec in mutuo posse excitari, dominij quæstionem colligitur *ex l. Non vnde* originem pecuniæ, quæ mutuo datur, habeat; sed qui contraxit, si vt propriā numerauit in huiusmodi obligationibus requiritur *C. si cert. pet. Bald. in l.* 2. *§. appellata ff. eod. tit.* nec in deposito, nisi fuerit de proprio dominio ipsius depositarij: vt optime distinguit *Bart in l. Qui rem ff. de posit.* quem etiam, vide late *in l. si alienam ff. sol mat.* Item nec a colono, iuxta quæ *Bart. in l. litibus num.*4. *C. de agricol. & cens. lib.*11.

Querela.

SVb se continet varias species. Nam si quis, vel qui, conquesti fuerint de aliquo, vel aliquibus, propter iniustitias, vel publicas, seu communes, vel priuatas, querela dicitur fieri, *vt in Clem.* 1. *de barrt* ibi. Multorum querelæ Sedis Apost. pulsauit auditum, *& Clem.*2. ibi. Multorum ad nos querela deduxit *cap. Grauis querela* 11. *de rest. spol. & cap.*1. *de deposit.* ibi grauis illa querimonia &c. Et est querela inofficiosi testamenti, inofficiosæ dotis, & donationis, vt patet *ex sing. titul. ff. & C.* Querela etiam dicitur appellatio *in l. si ab arbitrio* 10. ibi. cum querela potuerit ad competentem iudicem deferri coniuncta *glos.* ibidem, querela, idest appellatio *ff. qui satisd. cog.* Et quando dominus contra vassallum alienantem feudum, agit, querela dicitur illa actio, seu accusatio, vt notauit *Bald. in cap.* 1. *§. Insuper coll.*3. *versic. si vero tu loquens de prohib feud. alien. per Feder.*

Notabis tamen quod licet illa querela, de qua dominus agit contra vassallum, & quilibet sequerit de iniurijs, seu iniustitijs, sibi factis, actio seu accusatio dicatur; tamen aliæ querelæ inofficiosi testamenti, dotis, vel donationis est controuersia inter doct. an accusatio dicatur, aut actio? *& Bald. in l. Certum num.*35. *in fin.* C. *vnd. leg. & vnd. cog.* dicit, quod querela est accusatio. Sed *glos. verbo prosit in l. Posthumus* 6. *§. vlt. ff. de in offic. testa.* dicit sic. Item nota hic, quod querela, non est actio ex rationibus, quas affert. Et prosequitur, nec accusatio, quia aliquando daretur heredi: quod non esset, si esset accusatio. Dicitur ergo quoddam ius medium tenens inter vtrunque rescindens in totum testamentum, vel pro parte &c. & ibidem *Bart.* quod non sit actio, nec accusatio, nec exceptio: sed officium iudicis, & esse remedium subsidiarium, *& in l. Nam & postea §. Si minor num.*3 *ff. de iur. iur. & in l. Inanimum vitium num.*2. ibi. Nota secundo, quod querela inofficiosi testamenti est auxilium subsidiarum, quod habet locum, vbi aliud non competit *C. de libr. præter.* tu sequere, quem volueris.

DE

DE LITTERA R.

Ratihabitio.

HVius duo esse genera, ponit *Bart. in l. Pomponius 19. sub num. 12. ff. de negot. gest.* dicens. Ex illo vers. habemus duo genera ratihabitionis. Primo est ratihabitio voluntaria; de quibus late differit *numer. seqq.* & sequitur *Bald. in l. si pupilli 6. §. si Titij numer. 3. eod. tit.* ibi. Duplex est ratihabitio necessaria, & voluntaria. Quæ quidem diuisio, seu distinctio, optima est ad concilianda aliqua iura, quæ inter se pugnare videntur, de quibus ijdem *doct.* Nam cum regula sit ratum me habere non posse, quod meo nomine non est gestum, & aliàs contra inueniatur, necesse est recurrere, ad prædictam distinctionem, vt scilicet in voluntaria ratihabitione regula procedat: in necessaria vero, quod in contrarium inuenitur.

Et quia causam distinctionis nobis præbuit *dict. l. Pomponius*, & ipsa reputatur apud *doct. & glos.* difficilis illam transcribere libet, & breuiter de eadem discurrere: sic itaq; (inquit Scæuola) Pomponius scribit, si negotium a te, quamuis male gestum probauero, negotiorũ gestorum te mihi nõ teneri. Videndum ergo ne in dubio hoc, an ratum habeam: actio negotiorum gestorum pendeat. Nam quomodo cum semel cœperit nuda voluntate tolletur? Sed superius ita se putare, si dolus malus à te absit, Scæuola. Imo puto, & si comprobem adhuc negotiorum gestorum actionem esse. Sed eo dicto te mihi non teneri, quod reprobare non possum semel probatum. Et quemadmodum, quod vtiliter gestum est apud iudicem, necesse est pro rato habere, ita quod ab ipso probatum est. Cæterum si vbi probaui, non est negotiorum gestorum actio: quid fiet, si à debitore meo exegerit, & probauerim, quemadmodum recipiam? Item si vendiderit ipse, denique si quid impenderit, quemadmodum recipiet? nam vtiq; mandatum non est. Erit igitur post ratihabitionem negotiorum gestorum actio.

Ponit Pompon. in princ huius l. conclusionem in iure vulgari fundatam, scilicet, quod semel approbatur, amplius non reprobatur, ita quod si per ratificationem ego approbaui factum, illud non potero postea reprobare, nisi ratione doli in facto commissi. Scæuola autem dicit, quod & si approbem, licet non sit commissus dolus, potero agere negotiorum gestorum actione, non contra factum, quod approbaui, sed contra qualitatem facti. Non enim sequitur ratum habeo factum, ergo & qualitatem facti V.g. quidam nomine meo absq; mandato vendidit rem meã, ratificaui venditionem, at non cum pecunia numerata, sed habita fide de pretio, non ratificaui hanc qualitatem, & potero exigere per actionem negotiorum gestorum pretium ab ipso gestore venditore; Quia per illam generalem approbationem, seu ratificationem, sicut non videtur remissus dolus, vt Pomponius dicebat, sic nec culpa, vel reliqua, nisi exprimatur, & hoc voluit dicere *glos. ibidem verbo probauero*, licet obscure loquatur, asserens, quando ratum

tum habeo per verbum, & per aduerbium, aut per verbum simpliciter, quod tunc videatur, quis approbare factum, quando per verbum tantum ratificat, & quando per verbum, & aduerbium V. g. bene factum est, tunc, & factum, & qualitatem facti videatur approbare, quod clarius explicauit *Bartolus ibidem numer.* 18 *&* 19. Sicut ex ratihabitione datur actio negotiorum gestorum inter extraneos, sic quando filius, vel seruus gessit, & pater aut dominus ratificauit, datur actio, quod iussu ex ipsa ratificatione *l.* 1. *§. Si ratu* habuerit quis, quod seruus eius gessit, vel filius, quod iussu actio in eum datur *ff. quod iuss. vbi glos. verbo ratum:* per quem dixit *glos. verbo praestaret in l. Cum fundus* 6. *seruum ff. si cert. pet.* quod ratihabitio iussui comparatur.

Ratihabitio constituet negotium tuum, quod ab initio tuum non erat, sed tui contemplatione gestum, sic ait *l. Si pupilli* 6. *§. Item quaeritur ff. de neg. gest.* non vero si alterius contemplatione, *vt in ead. l. §. sed si ego* ibi, Et tu ratum habueris nihil agi ratihabitione, *vbi glos.* sic. Nota quod ratihabitio non reconciliat alieno nomine gestum &c. nisi in casibus *l. vlt. ff. eod. tit.* vbi in subsidium, quod nomine meo non fuit gestum, possum ratum habere, *& in l.* 1. *C. de his, qui a non dom.* vt ibidem notauit *glos. quanti* in illis verbis, habendo ratum, licet non suo nomine gestum, vide etiam *glos. verbo Sempronium in dict. l. si pupilli* 6. *§ si Titij*, vbi innuit, quod sufficit, quod posset fieri suo nomine. Item circa spiritualia possum habere ratum, quod meo nomine non est gestum, vt dixit *glos. verbo consentiente in cap. Quod sicut* 28. *de elect.*

Non tantum verbis ratum haberi posse, sed etiam actu Paulus respondit *in l.* 5. *ff rem rat. bab. & in l. Indebitum* 9. *C. de condict. indeb.* ibi. Sed per huiusmodi factum ratum contractum habuisse probans, a se debitum ostendit esse solutum, *& in l. si seruus* 67. *ff. de fideiussor.* ibi. Nam qui mandati agit ratam haberi solutionem videtur, & ibidem *Paul. in sum.* sic. Qui agit ex contractu alterius, censetur ratificare, *& glo. in l.* 2. *C. si ex fals. instr.* ibi, Sed solo eo casu confirmatur, quo falsus procurator egit; nam dominus appellando ratum habuit &c. *& glos. verbo confessus in cap. Cum super* 23. *de off. delega.* ibi. Ipso facto habemus ratum, *& tex. in capit. Insuper* 4. *qui matr. accus. poss.* ibi. Semel etiam copulae carnali consentit ex ratihabitione sibi super hoc silentium non ambigitur indixisse. Sed non improbare ratihabitionis pars est, dicit *glos. Verbo comprobare in l. Quo enim* 12. *ff. rem rat hab.*

Retrotrahi ratihabitionem probat *l. Licet* 56. *ff de iud.* ibi. Tamen & si quis cum procurator non esset litem contestatus sit, deinde ratum dominus habuerit, videtur retro res in iudicium recte deducta, *& l. si fundus* 16. *§.* 1. *ff. de pignor.* ibi. Dicendum est hoc ipso, quod ratum habet, voluisse eum retrocurrere ratihabitionem ad illud tempus, quo conuenit, & notauit *glos. verbo valebit in l. Aliena res* 20. *ff. de pignor. act* ibi. Valebit ab eo tempore, quo conuenit, *in l. Si ego* 25. *verbo suam ff. de negot. gest.* ibi: Quia ratihabitio retrotrahitur ac si a principio fuisset *glos* 1. *in capit. pen. de elect.* ibi. Sic enim in maleficijs ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur iuxta *l.* 1. *§. Deijcisse, vbi etiam glos. ff. de vi arm. & verbo dimittens en cap. Post* 11. *de renunc.* ibi. Alias ratihabitio retro sibi praeiudicat &c. quod in maleficijs verum est, *& verbo ratihabitio in ca.* 2. *de pact.* ibi. Sed quasi regulare videtur, quod ratihabitio retrotrahitur, & confirmet praecedentia, & verbo ratam *in capit. si compromissarius* 37. *de elect. lib* 6. ibi con-

Trahitur enim ratihabitio retro, & mãdato comparatur, *vt tex. in cap. Cum quis 24. de sent. excomm. eod. lib.* ibi. Cum ratihabitio retrotrahatur, & mãdato debeat comparari: *& in l. vlt. ff. de bon. poss.* ibi. Rati enim habitio ad confirmationem prioris postulationis pertinet, & melius *in l. vlt. C. ad Maced.* ibi. Cum nostra nouella lege generaliter omnis ratihabitio prorsus retrotrahatur, & confirmet ea, quæ ab initio subsequuta sunt, & iuxta hanc legem videntur intelligi *tex. in l. Sed & si 10. ff. ad Trebell.* ibi. Si ratam habeat restitutionem hæreditatis, benignius est tunc intelligi translatas in eum videri actiones, *& in l. 3. §. Acquirere ff. de bon. poss.* ibi. Quod si me non mandante, bonorum possessio mihi petita sit, tunc competere cum ratum habuero, id quod actum est, dum illam dictionem, tunc, non declarant, quomodo debeat intelligi de eo tempore, quo tunc ratifico, an vero de eo, quo actum fuit.

Ratum autem dominus habere debeat cũ primum, aut certior factus est, sed hoc cum quodam spatio temporis accipi debet, sicut in legato, quando de repellendo quæreretur spatium, quoddam temporis assumitur, nec minimum, nec maximum, & quod magis intellectu, quam elocutione exprimi possit, sic dicit *l. 13. ff. de solut. & in l. Quo enim 12. §. Iulianus ff. rem rat. hab.* sic. An tunc demum cum primum certior factus est? hoc autem &c. erit accipiendum cum quodam spatio temporis, nec maximo, quod magis intellectu quam elocutione &c.

Notabis tamen supradicta procedere in actibus, qui dependent ab ipsius tantum ratificantis voluntate, nam si etiã ab alterius, eo contradicente non tenebit ratificatio, vt bene considerauit *glos. verbo. Mandatum in cap. Ex parte 33. de rescript.* ibi. Et ita patet hic ex litera seq. quod ratihabitio in tali casu locum non habet aduersario contradicente, & latius comprobatum est ex dictis sup. verbo. Professio.

Neq; etiam in sententijs procedit ratihabitio sicut in alijs actibus, vt dicit *gl. verbo mandantibus in capit. Cum ab vno 4. de sent. & re iud.* An autem possit fieri de gestis a duobus iudicibus a tertio absente? dixisti verbo iudex.

Ratio.

Potest dupliciter sumi, aut quatenus ex intellectu procedit, aut quatenus ex administratione redditur, iuxta illud redde rationem villicationis tuæ. De prima dicit *D. Thom. 1. sent. dist. 3 quæstion. 4.* quod est natura intellectualis obumbrata, Quo ea magis quisq; vtitur, eo maioris authoritatis eius verba esse videntur, ait *tex. in capit. 1. dist. 20.* Ratio enim sapientia est, dixit *Ioseph. lib. de Machab. fol. mihi 865.* & paulo sup. sic. Itaq; vt primum voracitate sublata repudiatisq; multiformibus cibis, ieiunijs seruiamus, ratio facit. Deinde vt vilis pecuniæ vsus habeatur, & parui pendatur cumulus dignitatũ, eius etiam bonæ rationis assertio est: vt resistatur libidini, & manus obuiæ luxurioso opponantur ardori, non ne rationis hoc donum est? & infra, Ratio est itaque cuius est omne, quod facimus, per illã animi punitio omniumq; vitiorum detestatio est: quæ officio periti functa cultoris, inutilia sarmenta succidens, & omnem spiritum noxij humoris enecans, illud solum, quod profuturum intelligit, manere permittit, & infra. Etenim dicet aliquis si ratio principatum obtinet passionis, cur habemus sæpius impiam voluntatem? si hoc existimas esse, ridiculum est. Nam ratio non potest obtinere ne desideretur aliquid: sed potest cogere vt quod desideratum fuerit, prudentis consi-

consilij ratione vincatur; vt puta obtinere non potes, ne irasceris, sed cogere potes, vt nullum scelus iratus admittas. Turpissimas quoq; similiter voluptates non, ne concupiscas, sed ne his satisfacias obtinebis.

Ama igitur rationem, huius te amor contra durissima armabit: Ratio hæc recta, & consummata felicitatem hominis impleuit, vt inquit *Senec. epist. 75. & epist. 37.* Si vis tibi omnia subijcere te subijce rationi, multos reges, si ratio te rexerit, *& lib. 4. de benefic. c. 10.* Nihil sine ratione faciendum est: quoniam ratio omnis honesti comes est. Quod autem ratione caret extirpare necesse est, dicitur *in cap. Corepiscopi 68. dist.* Ideo quod ratione firmatum est legibus stabeliri dicitur, & sola ipsa naturalis ratio allegata sufficit prolege vt deducitur ex *Modestin. in l. scire 15. §. Consequens autem vers. sufficit autē* ibi. Tametsi sufficit firmare ex ipsa naturali iustitia *ff. de excusat. tut. & ex Paul. in l. 1. ff de port. quæ lib dam. alias l. Cum ratio naturalis quasi lex &c. de bon. damn. & cap. Cum nobis 19. ad fin* ibi. Tam rationes, quam Canones obseruare *de elect. & cap. Ex eo 32 eod. tit. lib. 6.* ibi. Cum tam iuris, quam rationis existat, *vbi glos. verbo rationis* ait quæ, deficiente iure scripto, allegari potest &c. Lex enim est omne, quod ratione consistit, *& cap. secundo requiris 41. §. Tertio postulas in fin.* ibi. Ipsa namq; ratio dictat *de appellat. vbi not. Abb. num. 8.* dicens, quod licite in decisionibus causarum allegatur ratio naturalis, & plus dicit *in cap. vt debitus 59. eod. tit. num. 36.* in hæc verba, & ex his nota, quod per rationem naturalem possumus restringere verba legis, *& gl. verbo rationi in cap. vt quis 25. de elect. lib. 6.* ait quod ratio est idem atque lex, quę consuetudini præualet, & exemplis anteponenda est, adeo vt ratio legis abrogatæ duret, & allegari possit, vt inquit *glos. Verbo substantia in addit. cap. pri. 1. de restit. spol. lib. 6.* Neq; enim naturalis ratio authoritate Senatusconsulti mutari potuit, inquit *Gaius in l. 2. §. 1. ff. de vsufr. ear. rer. & Imper. in l. 1. C. quæ sit long. consuet.* sic. Nam & consuetudo præcedens, & ratio, quæ consuetudinem suasit custodienda est, & iterum atq; melius ad propositum *Vlpian. in l. Verum 22. §. vlt. in fin. ff. de minor.* ibi. Vt magis ratio ætatis, quam senatusconsulti habeatur ex quo deducitur, quod ratio naturalis ciuili præfertur: quia ciuilis ratio naturalia iura corrumpere non potest *l. Eas obligationes 8. ff. de cap. dimin. §. Sed naturalia de iu. nat. in Inst.*

Debet autem talis esse ratio, quæ generalis, & necessaria sit; Et vbicunq; ratio locum habet, & lex: quandoque habet locum ratio, & non lex: & contra lex habet locum, & non ratio, vt dicit *glos. 1. in l. Non omnium ff. de legib.* vbi exēplificat, *& in l. si cum 14. §. post annum verbo. Et reiff. quod met. cau.* sic. Est autem tunc necessaria ratio, vt quando ipsa ratio deficit, deficiat, & lex, & tunc quando ipsa locum habet, & lex, & facit *l. Illud ff. ad l. Aquil.* ibi. Eaque ratio similiter in hac actione iniuriæ interueniat, sequitur vt idem debeat existimari coniuncta *glos.* ibi. vbi est eadem ratio, & idem ius, *& l. A Titio 108. ff. de verb. oblig.* ibi. Nam cum conditio etiam ex incertę personę facto parere obligationem possit &c. cur non idem in dote promissa respondeatur, ratio reddi non potest. Quod etiam in pænalibus procedere, ait *glos. Verbo Ita lia in cap. 1. de temper. ord. lib. 6.* in hæc verba. Vbi enim est eadem ratio, & penitus omnimoda similitudo, non proprie dicimus extendere &c. tunc enim pænæ dicuntur extendi, quando ad casum non omnino similem extenduntur. Nota tamen, quod aliquando vbi non est eadem ratio, est tamen idem ius, vt no-

notauit *glos Verbo. Et tamen in l. si quis 5. ff. de collat. bon. per tex.* ibi. Hæc in patre adoptiuo ratio reddi non potest; & tamen idem dicemus.

Glos. in capit. si quando 5. verbo rationabilem de rescript. deducit arg. ex eo dicens Hic est argumentum bonum de omnibus esse reddendam rationem, & valet ad testes examinandos, vt causam sui dicti reddant, aliàs valere non videtur testis dictum &c. & prælatus paratus debet esse reddere rationem omni poscenti, & addit verum est, quod de omnibus ratio reddi debet si potest, sed quandoq; per impotentiam aliter contingit, *vt in l. Non omnium* quæ a maioribus constituta sunt ratio reddi potest *ff. de legib. Abb. vero in eod. cap. si quando numer.* 4. sic distinguit. Cum quæritur an de omnibus sit reddenda ratio, aut quæritur nunquid quis teneatur reddere rationem, aut quæritur vtrum possit ratio reddi de omnibus. Primo casu tenetur si ex officio sibi incumbit vt testis, de quo dic, vt plane *not. in cap. Cum causam de testi.* Sed si ex officio sibi non pertinet hoc, non tenetur vltra quam velit. Secundo casu vtrum possit reddi de omnibus ratio? dicendum est, quod de secretis diuini iudicij non potest reddi ratio, ita loquitur *cap. Nabuchodonosor, & cap. Vasis ira §. de Tirijs 23. quæst.* 4. Quædam sunt quæ consistunt in voluntate principis, & de illis nõ potest reddi ratio, in & his procedit *l. Non omnium*. Exemplum prædictorum. Si quæratur, quare fuit inducta vsuscapio? ratio est inpromptu, ne dominia essent incerta, & vt puniatur negligentia domini, *vt not in reg. possessor de reg. iu. in 6.* Sed si quæratur, quare fuit præfixum triennium, & non maius, vel minus tempus, non potest reddi ratio sufficiens, sed sic visum fuit principi. Secretorium namq; secreta debet esse ratio, vt dixit *glosa verbo differendas in l. De bonis 6. ff. de Carb. edict.* Licet ratio, quæ a discretione procedit, non deberet deesse in ipsa principis constitutione, prout alias dixit *glos. in cap. 2. verbo rationis de regular. lib 6.*

Ratio non impletur manifestis. Maior eius pars pulchriorque in occultis est, occulta probationem exigunt, ita ait *Senec. Epist. 96. post med.* Quod vero ratione non capio Astrologis relinquo, vt refert *glos. Verbo. Inter solem in capitul. Solitæ 6. de maior. & obed.*

Vt ratio concludat debet esse diuersa a dicto, nam quando est idem cum dicto nihil concludit, vt notat *Bart. in sum. l. 12. ff. de petit. hæred.* cuius tex. verba sunt. Qui interrogatus cur possideat, responsurus sit, quia possideat: nec contendit se hæredem, vel per mendacium.

Duas rationes, vnam vincere notauit *gl. verbo naturalia in l. Cum in adoptiuis 10. C. de adopt.. per tex.* ibi. Quia in vnam personam concurrunt, & naturalia, & adoptionis iura idem *glos verbo meliores in Auth. de consangu. & vter. frat. coll 6. & in §. Sed hodie de adopt. in Inst. verbo iura,* vbi addunt, nisi vna sit melior, quam duæ.

Est notabile, quod dicit *glos. Verbo. Confusionem in Auth. de nupt. § Si vero altera coll.* 4. ibi. Plerunque vbi sunt duæ rationes, licet vna tollatur, si alia remanet, per consequens etiam prima remanet, sed intelligi debet iuxta terminos *tex. in §. Affinitatis de nupt. in Inst.* vbi quando lex fundatur in duabus rationibus, si vna cessat, adhuc dispositio legis, quoad ipsius effectum remanet, *vt per Bart. in l. Liberorum in princ. ff. de ijs, qui not. infam.* sic limitata *reg. l. Adigere in §. Quamuis ff. de iu. patr. l. Tutelas, vb. Bart. ff. de cap. dim.* quibus probatur cessante ratione legis, cessare ipsius dispositionem. Alia de iuris ratione dicuntur verbo. Ius.

Quatenus ratio sumitur pro redditione administrationis factæ, ad eam rationem reddendam plurima requiruntur, quæ sigillatim enumerantur *per Bertach. in suo repert. verbo. Ratio redditur in vers. Rationum redditio,* quem tu videas. Ego vero tantum circa materiam pauca notabiliora ponam, quæ ex *tex. & glos.* collegi, iuxta stillum nostri libelli.

Disponitur *in l. Qui filium 22. ff. de man. test. in fin.* sic. Item quæsitum est rationem argenti reddere iussus, in quem modum intelligendus sit conditioni paruisse: id est an si quædam vasa sine culpa eius perierint, atq; ita reliqua vasa hęredi bona fide assignauerit, perueniat ad libertatem? Respondi peruenturum, nam sufficere si ex bono, & æquo rationem reddat, deniq; quam rationem bonus pater fam. reciperet, ea hæredi reddita, impletam conditionem videri.

Et in l. 81. ff. de condit. & dem. ita. Cum seruus ita liber esse iussus sit, si rationes reddiderit, eiq; fundum hæres dare damnatus sit: videamus vtrum conditio libertati proposita sit, an vero & legato? Et quidem si libertati soli accipiamus propositam, nullus tractatus amplius superest. Nam legatum purum inuenitur, & ideo inutile fit. Quod si cōditio etiam legato inserta sit (quod quidam recte putant) simul cum libertate dies quoque legati vtiliter cedit. Quid ergo continetur his verbis, si rationes reddiderit? Quidam hoc aiunt si reliqua reddiderit, quasi nihil intersit vtrum sub hac conditione, si reliqua, vel sub hac, si rationes reddiderit; Sed nos neq, conditionem meram putamus esse, quæ in datione existat, neque meram conditionem, quæ in facto sit: sed eam conditionem, quæ ex mistura quadam consistat. Nam non vtiq; si ille insolle reliqua obtulerit, liber erit. Non enim testator hoc sensit: Sed illud, vt rationes reddat, quomodo serui reddere solet, id est legendas offerre rationes primum; deinde computandas, vt explorari posset computationes probe, an improbe referantur: accepta recte relata, an non recte. Ita enim incipit quidem res a facto, peruenit autem ad pecuniam. Inest etiam his verbis, hæredes notitia instrui rationem, vt sciāt, quid quacunque in ratione scriptum sit. Nam quod ipse viuus facturus erat, id ab hæredibus suis fieri iussisse intelligitur. Ille autem solebat vtique non sic seruo suo ostendenti reliquas rationes subscribere, sed ita vt legeret examinaret, exciperet. Itaque cum seruo sub hac conditione testamento libertas datur, si rationes reddiderit: non hanc solam habet significationem, si cautiones instrumentaq; omnia actus sui exhibuerit hæredi, sed & reliquas soluerit.

Et Pompon. in l. 110. eod. tit. hæc. Qui sub conditione rationum reddendarum liber esse iussus est, docere debet, constare fidem hominibus, quæ ab eo gesta sunt: vt neque subtraxerit quid ex iis, quæ acceperit, neque expensum rationibus præscripserit, quod non dederit. Sed & quod reliquum per contentum scriptum est remanere apud eum, soluere debet. Neque enim aliter liber esse potest, quam si hoc modo, conditioni, sub qua data est libertas, satisfecerit. Cæterum debitores, cum quibus ipse contraxit, non vtique in diem mortis domini sui fuisse idoneos præstare cogendus est: sed eo tempore, quo his creditum est, eius conditionis fuisse, vt diligens pater fam. his crediturus fuerit.

Et si quæras, vbi reddendæ sunt rationes? idem *Pompon. respondet in l. Tales 111. §. vlt. eod. tit.* ita. Priscus respondit statuliberum non vtiq; ibi, vbi pater fam. decesserit, aut vbi ipse relictus sit, aut vbi velit rationem reddere debere, sed inte-

interim proficisci ad eum, cui reddere debeat, vtique si is reip. causa abest. Verissimum est autem, vt alias aliud ex persona locoque sit æstimandum. Notabis tamen, quod licet Priscus indistinctè respondeat eum, qui debet reddere rationes teneri accedere ad eũ cui reddendæ sunt vbicunque fuerit, tamen *Pompon. in fin. huius tex. in vers. verissimum*. Limitat dictum Prisci, & id relinquit arbitrio iudicis, qui ex qualitate loci, & personæ, æstimabit, vbi sint reddendę, vt notauit *Paul. Castr. num. 2. in dict. §. Priscus*. Notandum est insuper, quod hoc procedit in casu speciali, quando relinquitur sub illa conditione, si rationes reddiderit. quia tunc cum teneatur parère conditioni ad ipsum tangit, illam implere, & agere, vt rationes ab eo reddendæ, recipiantur iuxta *qua Bald. in l. suus quoq; num. 8. ff. de hæred. inst. & in l. 1. numer. 23. C. de inst. & subst.* Nam alias eum, qui aliena negotia siue ex tutela siue ex quocunque alio titulo, administrauit: vbi hæc gessit rationem oportere reddere decreuerunt *Impp. in l. 1. C. vbi de ratioci.*

Rationi vero non exigendæ modus adhibitus: scilicet, vt culpa, non dolus remissus intelligatur. Idque in eius persona, qui negotia gessit, cuique rationis reddendæ necessitas fuerat testamento relicta, ita inquit *l. Cum tale 71. §. 1. ff. de cond. & dem. & in l. 122. ff. de legat. 1. sic Martian.* Si seruus vetitus est rationes reddere: non hoc consequitur, vt nec quod apud eum sit, reddat, & lucri faciat: Sed ne scrupulosa inquisitio fiat: hoc est, vt negligentiæ ratio non habeatur; sed tantum fraudũ, & notauit *glos. Verbo. Cum rationibus in addit. in §. Peculium de legat. in in Inst.* dicens. Et nota, quod remissio redditionis rationum non comprehendit reliqua, nec dolum, seu latam culpam, sed scrupulosam tantum inquisitionem, quod facit ad quæstionem de eo, cui concessum est liberum arbitrium, ita quod non possit sindicari.

Alijs etiam modis sumitur ratio, scilicet pro quantitate fructuum, vel æris alieni imputandi, vel non imputandi, *vt in l 8* ibi æris alieni rationem in hæreditate relicti, *& in l. 11.* ibi In ratione legis falcidiæ retentiones omnis temporis hæredi in quadrantem imputantur *ff. ad l. falcid.* & sæpe alibi. Pro cura etiam apud *Cic. inuenies 2. offic.* ibi. Habenda ratio rei familiaris, quam delabi sinere flagitiosum est. Pro causa, seu occasione apud eundem *lib. 15 epist* ibi. Cum ad Cylistra propter rationem belli quinque dies essem moratus. Pro modo, & via, vt ego vobis ostendam rationem, qua ista fugiatis apud *Salust. in Catil.* Pro proportione, vt cum tria ad quatuor &c. quod ad Grammaticos potius quam ad Iuristas pertinet.

Rebellis.

ID est infidelis, ea infedilitate generali, quæ inducit rebellionem. Nam sciendum est, quod hæc dictio infidelis generalis est, & comprehendit etiam eum, qui modicæ rei principi furtum fecerit, de qua in fedilitate non loquimur hic. Quædam autem est infidelitas vero animo, quæ cadit in modum proditionis: & istud est nomen generale comprehendens omnes, qui stant sicut subditi, & inter subditos corpore, mente tamen cum hostibus, & inimicis nunciando eis secreta, & similia, de quibus inquit *Iurisconſ. in l. Omne delictum 6. vers. Exploratores* qui secreta nunciant hostibus proditores sunt, & capitis pænas luunt *ff. de re mil. & in l. Si quis aliquid 38. vers. Transfuga*, ad hostes, vel consiliorum nostrorum renunciatores: aut viui exurantur, aut furca suspendantur *ff. de pæn. & in l. A missio-*

Digitized by

missione § Qui deficiunt capite minuuntur, defectae autem dicuntur, qui ab his, quorum sub imperio sunt, desciscunt, & in hostium se numerum conferunt *ff. de capit. dim.* Hoc igitur modo assumpto vocabulo vocantur rebelles, quo vocabulo antiqui legum conditores non vtebantur, & ideo facta fuit de nouo constitutio *ab Imp Henrico 7. in Extrauag Qui sint rebell. in lib. Auth. relata, quae alias dicitur coll. 11. tit. 2. de qua omnino videas per glos. & Bart. ibidem latissime*, & ideo non plus dicendum.

Receptator.

PEssimum genus est receptatorum, sine quibus latere nemo diu potest, & praecipitur, vt perinde puniantur atq; latrones, ita *Martian in l. 1. ff. de recept.* quod intelligas cum *Vlpian. in l. Qui vas 49. vers. Qui furem* nouit siue indicet eum, siue non indicet, fur non est: cum multum intersit furem, quis celet, an non indicet. Qui nouit, furti non tenetur: qui celat hoc ipso tenetur *ff. de furt* Nam ex eodem *Vlpian. in l 1. vers. Quod autem ff. de seru. corrupt.* Est proprie recipere, refugium abscondendi causa seruo praestare, vel in suo agro, vel in alieno loco aedificio ve, *& in l. 3. ff. de incend. rui.* ibi. Qui receptores non minus delinquunt, quã aggressores. Sed enim additum est dolo malo: quia non omnis, qui recipit statim, etiam delinquit, sed qui dolo malo recipit.

Etiam receptator intelligitur, qui demittit accepta pecunia, vel surreptorum parte iuxta *d. l. 1. §. In pari causa* habendi sunt, qui cum apprehendere latrones possent, pecunia accepta, vel surreptorum parte dimiserunt *ff. eodem tit. de recept.* Non vero is, qui affines recepit, *vt in l. ead. inquit Paulus* sic: Eos, apud quos affinis vel cognatus latro conseruatus est, neque absoluendos neq; seuere admodum puniendos Non enim par est eorum delictum, & eorum, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt. Et intelliges semper praedicta in sciente: nam ignorans non tenetur, *vt per glos. in d. l.* vbi etiam dicit, quod ignorantia praesumitur iuxta *leg. verius ff. de probat.* nisi delinquens sit notorius: quia tunc ignorantiae praesumptio tollitur, vt notat *Apostill. ad dict. glos.* Limitabis etiam in casu *l. omnis. C. de colon. Illyrican. lib. 11.* vbi receptantes colonos, de quibus ibidem puniuntur etiam ignorantes; aiunt enim Impp. sic. Itaut etiam dominus fundi in quo alienus fuisse monstrabitur pro qualitate peccati coerctionem subire cogatur: nec sit ignoratiae locus, cum ad criminis rationem solum illud sufficiat, quod incognitum sibi tenuit.

Recipere.

INtelligitur iure dominij, vn notat *Bartol. in l. Cum mota num. 5. C. de tran. sact.* ibi. Ex his habes notare, quod ista verba suscipere, recipere, & similia debent intelligi iure dominij. Et quod differat recipere ab accipere notauit, *glos. Verbo recepisse in l. 3. ff. de dot. praelegat. vbi Vlpian.* in casu, quo mulieri fuerunt legati, duo fundi vltra alios duos suae dotis, & iussum a testatore eius marito, quod ea defuncta, quicquid ad ipsam ex haereditate peruenisset restitueret; decidit, illam mulierem in ea conditione esse, vt id demum restituere cogatur, quod deducta dotis quãtitate ad eam peruenit: Dotem enim recepisse eam magis, quam accepisse, & videtur, quod differentia sit in eo, quod accipere, de alieno suscipere intelligatur: recipere autem de proprio, prout etiam alias dicitur de, reddere, & da-

& dare, redditur namque alienum, datur quod suum est. Secundum eundem *Vlpian. in l. 1. §. eleganter* ibi. Aliud enim est reddere, aliud quasi de suo dare *ff. deposit. vbi Bart. in sum.* sic qui quasi de suo soluit, non videtur depositum reddere, & idem *Vlpian. in l. Quod si nolit* 31. *§. Si plures versic. In factum* actio, loquens de suo redhibito venditori domino, vtitur verbo recipere, vt ibi. Iniquum est enim postquam véditor agnouit recipiendo mancipium, esse id in causa redhibitionis, quæri verum debuerit redhiberi an non debuerit, *vbi glos.* notat, quod quis recipiendo agnouit, postea reprobare non potest *ff. de adil. ed. Vide etiam infr. verbo. Reddere.*

Attamen multoties inuenies recipere, quando de alieno aliquid suscipitur, vt per *Senec. lib. 6. de benef. capit.* 42. ibi. Tam conuicium est recipere, quod non debes, quam non dare, quod debes, & *glos. verbo volentes in capit. 2. de censib. lib. 6.* ibi, Cum alias sæpius sit licitum recipere, quod non licet exigere, *& in cap. 3. eod. tit.* ibi. Ne aliqui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam præsumerent, vel etiam recipere a volente, vbi notat *glos.* hunc casum esse specialem, in quo exigere, & recipere parificantur, cum alias diuersum sit recipere, ab exigere, exigitur enim, quando ab inuito extorquetur, recipitur, quod a volente offertur, vt notat ibidem *glos. verbo. Exigere.* Licet improprie etiam ponatur exigere a sponte volente iuxta *l. fideicõmissa* 11. *§. si rem, vbi glos. verbo exigisset ff. de legat.* 3.

Qui indebitum recipit quasi ex contractu debere videtur, dicit *Imp. in §. Item is, cui de oblig. qua ex quas. contr. l. Si in area* 33. ibi, Nam is, qui non debitam pecuniam soluit hoc ipso aliquid negotij gessit *ff. de condict. indeb.* & ibidem notat *glos.* dicens. Non quod obligatio ex contractu nascatur, sed quasi. Et recipiens poterit conueniri ibi. vbi recepit vel alio quolibet loco iuxta *l. Qui loco certo* 27. *eod. tit. vbi notat Bart. num.* 1. & 2. Quia etiam tenetur actione furti si sciens indebitum recepit. Quoniam furtum fit cum quis indebitos nummos sciens acceperit, vt dixit *Scæuol. in l.* 18. *ff. de condict. furt.*

Reconciliatio.

Hanc si sumas quatenus conceditur pænitenti duplex esse potest: aut publica, aut priuata: illa a solo Episcopo fit, *vt in cap. si iubet* sanctitas vestra suggero. Nam memini præterito concilio statutum, vt chrisma, vel reconciliatio pænitentium, nec non & puellarũ consecratio a presbitero non fiat 26. *quæst.* 6. hæc autem a presbitero conceditur *in cap. Presbyteri* de occultis peccatis iussione Episcopi pœnitentes reconciliant *ead. cau. & quæst. cum seqq. per tot.* Publica reconciliatio est, quando pœnitentes ante Ecclesiæ ingressum publice repræsentantur, & per impositionem manus Episcopalis Ecclesiæ publice reconciliantur, quæ sacerdotibus videtur esse prohibita, sic ait *cap. ministrare dict.* 26. *quæst.* 6. appellatur etiam hæc reconciliatio solemnis, & debet fieri in scriptis iuxta *cap. Si qui voluerint* ibi. Ante omnia autẽ hanc ab eis confessionem per scripturam exigi oportet 1. *quæst* 7. *& in c. Legum.* ibi. Sed vt qui accusatur. aut excommunicatur, seu reconciliatur: per scripturam accusari, seu reconciliari iubetur 2. *quæst.* 1.

Si vero sumas reconciliationem pro ea, quæ fit de Ecclesia polluta per sanguinis, aut seminis effusionem iuxta *capit. Proposuisti de consecr. Ecclef. & cap. significasti de adult.* ea debet fieri per Episcopum, iuxta *cap. Aqua* 9. *de consecr.*

per. Eccles. per aquam, cum vino, & cinere benedictam *dict. cap. Proposuisti.* Licet de iure antiquo fieret de nouo cõsecratio *in cap. si motum* ibi. Si homicidio, vel adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentissime expurgetur, & denuo consecretur *de consec. dist. 1. notauit glo verb. reconciliari in fin.* ibi. Quod sanguinis effusione, vel seminis pollutione non consecratur.

Dicitur etiam reconciliatio, illa, quæ fit inter inimicos, de qua fuit dictum, verbo pax, & de ea dicit *Bart. in l 3. § vlt. ff. de adim. legat.* quod tollit exceptionem inimicitiæ; Sed quid dicendum quoad iudicem? poterit ne operari reconciliatio prædicta, quod iudex nõ inquirat, nec criminaliter procedat contra reum offendẽtem pro pęna applicanda fisco, vel alia ad satisfactionẽ reip.? respondit *Bart. in l. 1. §. Vsq; adeo num. 1. ff. de iniur.* per illum text. quod veritas est posse iudicem procedere, quia talis reconciliatio, seu remissio facta per offensum prodest tantum, quoad actionem competentem ipsi remittenti, secus quoad vindictam publicam; quod confirmat *ex l. Qui catu 5. §. Qui vacantem ff. de vi. pub. vbi sic Iureconsul.* Qui vacantem mulierem rapuerit, vel nuptam, vltimo supplicio punitur, & si pater iniuriam suam precibus exoratus remiserit, tamen extraneus reum postulare poterit, *vbi glos. verbo extraneus*, addit rationem, quia per pactum non fit præiudicium extraneo, cui scilicet competit ius accusandi crimen publicum *l. Iurisgentium §. si paciscar ff. de pact.* & confirmatur ex his, quæ *Bald. in l. Insulam §. Ad virum ff. sol. matr.* vbi dicit, quod factum, seu reconciliatio inter virum, & vxorem non præiudicat iuri tertij, & prosequitur his verbis. Et facit ad quæstionem de duobus nobilibus facientibus pacem sub pœna applicanda Ecclesiæ, tandem rupta pace reconciliant se, & omnem iniuriam remittunt: nam per hoc non præiudicant Ecclesiæ.

In mutuo etiam dari reconciliationem constat. Nam si fateor me accepisse mutuas a te pecunias spe futuræ numerationis, quas non numerasti, nec infra biennium, ego reclamaui, licet à principio actione non tenerer, tamen biennio transacto teneor, & fit mutuum per reconciliationem a lege introductam iuxta *l. In contractibus C. de non num. pec.* idem est si aliena pecunia mutuata fuerit, in qua mutuum non consistit a principio, & tamen per stipulationem reconciliatur mutuum, *vt in l. 2. C. Si cert. petat.* item per consumptionem, *vt in l. Nam & si fur. 13. ff. eod. tit. & l. Si quis pro eo §. si nummos ff. de fideiussor.* Item per vsucapionem, & denique per conditionis euentum, aut defectum vt ex iuribus, quæ *glos. verbo tuum in l. 2. §. Appellata ff. si cert. pet.*

Recognoscere.

Est confiteri, seu asserere, sic ponitur *in c. Per inquisitionem 26.* ibi. Quando prædictus Episcopus recognouit in præsentia quorundam canonicorum &c. *vbi glos verbo recognouit*, sic ait, talis recognitio, siue confessio licet fieret extra ius præiudicat confitenti *de elect. & in cap. Constitutus 6.* ibi. In qua ius patronatus monasterio vestro recognoscebat, coniuncta *glos. recognoscebat* idest confessus fuerat ius patronatus *de relig. dom. & in cap. Odoardus.* ibi. idem in eum recognoscentem huiusmodi debita, id est confitentem, vt ibidem *per glos. de solut. & in cap vlt. de excess. prælat.* ibi. Quæ omnia idem Episcopus in nostra, & nostrorum fratrum præsentia publice recognouit, *& in cap. Per tuas 10.* ibi. per ipsum suum filium publice recognouit *de prob.* Vnde dicitur recognoscere scripturam pri-

priuatam hoc est confiteri; & potest para cacari ad eam recognoscendam, vt per *Bald. in Auth. Contra qui propriam num.22. C. de non num. pec.* & recognitione facta plena resultat probatio, vt deducitur *ex citat. glos. Verbo recognouit in dict. capit. Per inquisitionem, & facit l. Publica §. vlt. ff. deposit. & l. Cum de indebito §. fin. ff. de probat.*

Recognitio etiam fit de personis per earum nomina, & prænomina iuxta *l. Ad recognoscendos singulos* nomina comparata publico consensu *C. de inge. & manum. & in l. vnica C. de mut. nom.* ibi: Sicut in initio nominis cognominis prænominis recognoscendi singulos impositio libera est &c. Et per faciem, seu caput iuxta *l. Cum in diuersis 44 vbi not. Bart. ff. de relig. & sumpt. fune.* ibi: Cuius imago fit, vnde cognoscimur, practicam vero recognoscendi hominem ponit *Bart. in l. stigmate numer. 1. C. de fabricens. lib. 11.* sic dicens Ista lex probat vnam solemnem practicam si quæratur in iudicio, de aliquo homine recognoscendo verum iste sit, qui tali tempore fuit in studio, qui sic fecerit, & testes dicunt se recognoscere, quia viderunt, & inspexerunt faciē eius &c. Sed pone, vt de facto accidit, inuenitur homo mortuus, cuius facies est adeo deuastata, quod per eam non potest cognosci: certe deueniendum est ad alia signa corporis, & si testis dicat recognosco, quod est talis ex tali cicatrice, quam habet in aliqua parte corporis, quod talis testis recte probat.

De rebus etiam fit recognitio, vt in feudalibus, & emphyteoticis: emphyteota namq; & vassallus tenetur facere recognitionem, vt notat *Bald. in l. Plures a pocbis C. de fid. instru. per tex.* ibi. vt in præfatis casibus, & alijs similibus &c. vt in emphyteusi, & feudo, & omnes teneri ad recognitionem faciendam per hanc legem; addit idem *Bald.*

Est notabile, quod dicit idem *Bald. ex Dyn. per ipsum allegato in l. 1. num 12. C. quand. lic. ab empt. disced.* in his verbis. Quidam confessus fuit se habere quoddam castrum, a quodam milite: dictam confessionem, & recognitionem recipiente pro se, & quibusdam quorum erat consortes. Modo dubitatur numquid ex tali confessione consortes, qui non fuerunt præsentes, & quorum nomine recepta fuit, dicta confessio possint agere, vel hæredes eorum ex confessione prædicta sine aliqua cessione? & determinatur quod sic, quia confessio prædicta habetur loco traditionis; ex iuribus, & rationibus, quæ affert.

Recte, & Rite.

PRoprie, recte, causam, rite, vero ius vel iuris solemnitatem denotat, ita ponit *glos. verbo recte in l. 2. ff. de inoff. test.* quod probat *ex l. Non putauit §. Non quæuis ff. de bon. poss. cont. tab. & Bart. in dict. l. 2. nu. 2.* sic. Nota *ex tex. & glos.* differentiam inter, recte, & rite, nam, recte, significat iustitiam rei, in se, seu rectitudinem causæ; rite, significat iustitiam, seu solemnitatem in ordine, & allegat *l. sed & si lege 28. §. scire ff. de petit. hæred.* vbi melius *gl. verbo recte* sic. Nam rite ius, quia fit ibi solemnitas testium, & alias recte causam denotat, vt instituat, quem debet puta filium non exhæredet. idem *Bart. in l. Lecta num. 15. in fin. & 16. ff. si cert. pet.* ibi. Secundum hoc verbum recte, denotat solemnitatem, quod solemniter fiat solutio. Alibi *glos.* dicit, quod hæc dictio, recte, significat causam, secundum propriam significationem &c. vide etiam eundem *Bart. in l. Iuste, vbi etiam glos ff. de acquir. hæred.*

Rector.

SVb hoc nomine plura continentur. Nã & præses dicitur Rector Prouinciæ, vt in *l.1.ff. de offic. præsid.* vbi *Bart.* sicut, & legatus *in l. pen. eod. tit.*

Ecclesiæ rector, etiam dicitur de quo, inquit *gloss. verbo committatur in Clem. 2. de religios. dom.* Ita hodie instituuntur perpetui rectores in locis talibus &c. vbi *Apostill* sic Perpetui, quod vtilius dicit esse Cardin. hic. Nam crebra mutatio rectorum loca consumit, & docente experientia etiam hodie obseruatur, *& in Extrauag. vnic. de praben.* sic. Dum non sunt in vnaquaq; Regione rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis,& honori, quæ carentes defensorum auxilio in iuribus suis, & libertatibus multipliciter collabuntur, & eadem verba *Extrauag. Execrabilis 4. eod. tit. int. com.* & post verbum collabuntur addit, ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat decessorum.

Debet autem talis esse literatus, quia ad ipsum pertinet prædicare verbum Dei, iuxta *Clem. Dudum §. verum de sepult.* vbi *Cardinal in princ.* Licet minus vigeat in scientiæ olani, quam Monachus vel frater, vt dicitur verbo. Monachus.

Si præsentatus fuerit a patrono, debet per Episcopum recipi, *vt in cap. Monasterium 17. quæst. 7.* & ipse poterit præsentare clericos ad titulum illius, & eligere vnum clericum ministrum in Ecclesia, iuxta *cap. pen. vbi Abb. not. 1. eod. titul.*

Dicuntur etiam rectores vniuersitatis, & Collegij de quibus agit *Bald in Auth. habita C. ne fil. pro pat.* vbi dicit, quod tales non possunt esse clerici bigami, vxorati, hermafroditi, nec minor 25. ann.

Hospitalis, & confraternitatis etiam rectores appellantur, & istos posse esse laicos, dicit *Clem Quia contingit de religios. dom.* & quod regulentur tanquam tutores, inquit *Dec. cons. 72.*

Reddere.

ALiud est reddere, aliud quasi de suo dare, ita *l.1.§. Eleganter prope fin. ff. deposit.* & ita semper, quando vtimur hoc verbo, est quando rem alienã reddimus, veluti in deposito, *vt in dict. l.1. §. An in pupillam* ibi. Si res deposita deterior reddatur agi depositi potest: cum enim deterior redditur, potest dici dolo malo redditam non esse, *& in l. Quod seruus 11. eod. tit.* ibi. Nec enim conuenit bonæ fidei abnegare, id quod quis accepit, sed debebit reddere ei, a quo accepit, sic tamen si sine dolo malo omnia reddat: hoc est, vt ne culpæ quidem suspicio sit.

Sic etiam dicimus reddere rationes de negotio, & administratione rerum, quæ nostræ non sunt, de quo iam sup. verbo ratio.

Adhuc tamen, & dare significat iuxta *l. Cum quidam 21. ff. de legat 2.* ibi. Etenim verbum reddendi quanquam significationem habeat retrodandi, recipit tamen, & per se dandi significationem; quia qui reddere iubetur, & dare iubetur, inquit *l. Hæres meus 95. ff. de legat. 3. l. verbum reddendi de verb. signi. & l. Qui vxori, vbi gloss. ff. de aur. & arg. leg.* Aliquando etiam ponitur pro præstare, vt peto mihi reddi librum, hoc est præstari *l. Cum etiam vbi Bald. not. 2. C. de reb. cred.*

Reficere.

ESt, quod corruptum est in pristinum statum instaurare, verbo reficiendi, tegere, substituere, sarcire, ædificare, item

item aduehere apportareq; ea, quæ ad eam rem opus essent, continentur, ita ait *l* 1. *ff. de riu.* Vnde dicit *Bart. in l.* 2. *§. Si quis ædificium ff. nou. oper. nunt.* quod reficere non est, de nouo facere, *per glos. in l.* 1. *§. pax ff. de mort. infer.* & facit *cap. Consuluit de Iuda. & l. vlt. C. eod. tit.* Reficitur ergo, quod adhuc existit, deterioratum tamen; Si vero totaliter fuerit destructum, noua instauratio, non refectio, dicitur, vt notabiliter dicit *Alex. in dict. §. si quis ædificium*.

Vrgentem, & necessariam refectionem esse admittendam, ait *l* 3. *ff. de riu.* & Reip. administratores teneri ad dictam refectionem disponit *l. vlt. C. de oper. pub.* ea tamen limitatione, vt si plus expendatur in refectione, quam quanti esset ipsum, quod reficitur, non fiat talis refectio *ad l. Meditarranea ciuitates C. de annon. & trib. lib.* 10.

Non tam necessariam refectionem itinerum, quam riuorum esse, dicit *l. vlt. ff. de riu.* & tradit rationem; Quoniam non refectis riuis omnis vsus aquæ auferretur, & homines siti necarentur, & sane aqua peruenire, nisi refecto riuo, non potest: at non refecto itinere difficultas tantum eundi agendique fieret, quæ temporibus æstiuis lenior est.

Relatio.

SI fiat de causa per iudicem ad superiorem, habet effectum suspensiuum, taliter quod talis iudex in ea non procedere possit, vt dicit *glos. Verbo transtulerat in cap. Licet* 5. *de offic. lega.* ibi. Nam eo ipso, quod iudex dicit se velle referre negotium ad Superiorem, non potest amodo cognoscere &c. Et illico relationis exemplum litigatoribus edere tenetur. Vnde quod in appellatione dicitur etiam de hac relatione intelligendum est, & iura, quæ de ea agunt, collocata inuenies sub *rub. de appellat. & relat.*

Fit etiam relatio per nuntium in causa de his, quæ ad eius officium pertinent de hac dicit *Bald. in l. In minorum C. in quib. cau. in integr. rest. non est nec.* quod poterit fieri etiam tempore feriato in vtilitatem hominum, non in honorem Dei, licet contrarium sit in practica, vide etiam eundem *in l. Dies festos circa medium vers. & est tertius actus C. de fer. & Bart. in Extrauag. Ad reprimend. verbo de plano.* Et quod possit fieri etiam per literas suo sigillo sigillatas dicunt *Host. & Io Andr. in capit. Quoniam contra de probat.* Debet autem de ea constare in actis, iuxta *l. Hos autem §.* 1. *ibi: Liquere ff. in quib. cau. in poss. ea. vbi Bart. circa princip. Salic. in dict. l. Dies festos.* & sic dicitur esse de processu *per glos. in l. pen. C. ad Trebell.*

Relationem vero per peritos artis; vel medicorum indistincte posse fieri omni die feriata etiam in honorem Dei dicunt *Bald. Alex & alij in l.* 1. *§.* 1. *ff. de fer.* & plus ait Alex. quod adeo verum est, vt etiam parte non citata procedat.

Altera est relatio, quæ fit de vna scriptura, oratione, vel re ad aliam, de qua inquit *D. Thom. de potent. Dei quæst.* 7. *art.* 9. quod sit ordo vnius rei ad aliam. Et illam fieri cum omnibus suis qualitatibus *Bart. in l.* 1. *ff. de recept.* & est communis conclusio *ex l. Asse toto ff. de hared. inst. l. Talis scriptura ff. de cond. inst. l. Si ita scripsero ff. de cond. & dem. l. Ait prætor ff. de iud. in §* 1. An autem ad omnia fiat, vel ad aliqua? dubium est. *Et Bart. in l. Quæsitum §. si quis fundum ff de fund. inst. & in dict. l. Talis* dicit ad vicina esse faciendam, *per tex. in l. Hæredes palam §. Sed & si notam ff. de testam.* Et tenet *glos. verbo ista in §. æque si agat de act. in Inst.* ibi. Nam ad proxima facienda est relatio,

Digitized by Google

sed ibidem *Apostill.* sic intelligit dicens hoc verum, si ad omnia non possit fieri & iuxta istam declarationem procedit quod dicit *Bart. & citata glosa* quando etiam fuerit dubium, & vt contrarietas euitetur. Nam ad ea, quibus conuenit, & non ad alia facienda est relatio, *vt not. in l si idem cum eodem §. vlt. ff de iurisd. om. iudi.*

In antiquis recurrendum esse ad relationem, dixit *glos. verbo relatio in Extrauag. 1. de pœnit. int. com.*

Relatiuum operari idem, quod expressio propriorum nominum, inquit *Bald. in l. vlt. C. de impub. & al. in vers. 2. oppono*, vbi etiam quod in dubio facit specialem non generalem relationem.

Quando relatiuum quis, vel qui iungitur verbo futuri temporis inducere conditionem est communis, & vulgaris conclusio *ex l. Stichum, qui meus erit ff. de legat. 1. vbi Ias. num. 2. & ex l. si quis fundum, vbi Bart. ff. de contrah. empt.* quod intelligit idem *Bart.* quando distributiue non collectiue repetitur *in l. Debitor §. verisimile notab. 1. ff. de contrah. empt.* Et si fuerit relatiuum quantitatis in dubio non facere conditionem deducitur *ex l. si Titius §. vlt. vbi Bart. ff. de legat. 2.* Licet idem contrarium asserat *in dict. l. si quis fundum.*

Est etiam communis conclusio, quod prædictum relatiuum quotiescunq; apponitur sine copula verbis generalibus antecedentibus ea restringit *ex l. Ea tamen adiectio, vbi Bart. ff. de legat. 1. id in l. Cunctos populos C de Sacrosſ. Eccles. & in l. Omnes populi ff. de iust. & iur. Bald. in l. precibus in princip. C. de appellat.*

Natura correlatiuorum est, quod vnum non sit reliquum, vt inquit *Apostill. in cap. Per vestras 26. de iur. patr. per l. 3. in princ. ff. de præscript. verb.*

Religio.

PRoprie loquendo inter Deum, & homines dicitur, vt inquit *glos. 1. in reg. Non est 19. de reg. iu. in 6.* De ea inquit *Imp. in l. Manichæos C. de haret.* sic. Quod in religionem committitur diuinam, in omnium fertur iniuriam a quo deduxit *glos. Verbo grauius in cap. vergentis 11. eod. tit & addit.* & publicum crimen committit.

Qui contra iuramentum venit, contra Religionem facere non est dubium, *ex l. Quod si deferente 22. ff. de dol.* ibi. Per iniurandum transactum videri &c. stari enim religioni debet. Summam esse rationem, quæ pro religione facit, dicitur *in l. Sunt 43. ff de religios.* a quo sumpsit *glos. vlt in cap. Ad nostrā 5. de confirm. vtil.* & sic multa religionis fauore conceduntur, *vt per eandem glos.* & probat *l. Locum 21. ff. de vsufr.* ibi. Et hoc verum fauore Religionis, *l. 2. §. Si quis nemine ff. ne quid in loc. pub.* ibi: In loco autem sacro non solum facere vetamur, sed & factum restituere iubemur, & hoc propter religionem.

Minus proprie dicitur etiam Religio inter homines, vt videmus in funerando cadauera, iuxta *tot tit. ff. de Relig. & sumpt. fun. & l. 1. §. Interdictum hoc ff de mort. infer.* ibi. Quia religionis interest monumenta extrui, & exornari. Et sic religiosum locum fieri, cum mortuus in eum infertur, inquit *Imp. in §. religiosum de rer. diu. in Inst.* Vnde forsan religiones dictæ sunt in quibus religiosi homines viuunt mortui, & viui sepulti sunt iuxta illud *psal 67. qui habitant in sepulchris.* Et insuper, quia apud eos propria religio ad Deum perfectius obseruatur.

De hac dicit *glos. verbo conferendum post princ. in c. beneficium de regular. lib. 6.*

Plantare debemus religionem, & plantatam fouere debemus, *& in capit. vlt. 12. quaest. 2.* sic. Religiosam vitam eligentibus congrua nos oportet consideratione prospicere, ne cuiusquam necessitatis occasio, aut desides faciat, aut robur (quod absit) conuersationis infringat, *& in cap. In qualibet 13. quaest. 8. Imp. Constantin. & Constans.* ita dixerunt. Scientes magis religionibus, quam officijs, & labore corporis, vel sudore nostram Remp. contineri.

Nimia autem non debet esse religionum diuersitas, ne grauem in Ecclesiã Dei confusionem inducat, vt inquit *cap. vlt. de relig. dom.* quod iterum fuit approbatum *in cap. 1. eod. tit. lib. 6.* ibi; Religionum diuersitatem nimiam (ne confusionem induceret) generale concilium consulta prohibitione vetauit, *vbi glos. verbo nimiam* ita ait. Pene nil immensum bonum &c. nec in multitudine sacrificiorum propitiatur Deus &c. Et melius est paucos bonos, quam multos malos habere ministros. Et hanc opinionem sequuta est beata Teresia, dum paucitatem religiosorum in suis monasterijs valde commendat, vt iam alibi dixi.

Religio perimitur si meritoria subditi obedientia subtrahantur. Magna quidem paupertas, sed maior integritas, bonum est, obedientia maximum si custodiatur illæsa: Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti donatur, & animo, quos velut affines, & liberos ditioni alterius humilis iugo propriæ voluntatis adstringit, sic ait *Extrauag. 1. de verb. sig. prope fin.*

Vbi gubernaculum disciplinæ contemnitur, restat, vt religio naufragetur, inquit *Clem. 2. de stat. monach. & ibi gl. verbo contemnitur* sic. Vbi non timetur reprehensor, securus accedit temptator.

Ambire, & concupiscere aliena, reprobabilius est in religioso, dicit *glos. 1. in Clem. 1. de decim.* vnde grauius puniendi sunt, vt dicis Verbo Monachus. De primo, quod religiosi plus infirmentur, est optima *glos. Verbo religiosos in Clem. In plerisq; 5. de elect.* hæc dicens. Religiosi magis in hoc laborant, quam alij: quia communiter cupiunt magis exaltari, quam alij: Nam, vnde dicit Guid. quilibet magis appetit, quo se videt destitui. Vnde Angli, & Scoti, plus quam alij vinum appetunt, quia in suis partibus illo carent *& glos. verbo ambitionis,* quæ sæpe religiosorum oculos excæcat *in Clem. vlt. de elect.* Et si vis scire, quæ religionis totam massã corrumpunt, vide Verbo abusio.

Opprobrium facit religioni, qui religiosus non existens habitum illum religioni conuenientem portat similem, vt dicit *glos. Verbo opprobrium in extrauag. vnic. de verb. sig.*

Religiosus executor ab aliquo in sua voluntate vltima deputatus, non potest (cum nec velle, nec nolle habeat) huiusmodi officium suscipere, vel exequi nisi a superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta iuxta *capit. 2. de testam lib. 6. vbi glos. verbo officium,* sic ait. Hodie rationem huius officij ordinarius loci exigit a religiosis, etiam exemptis: & si circa id delinquant eos punit.

Qui promittit intrare aliquam Religionem tenetur complere promissum, & potest, & debet compelli, *ita glos. verbo professio in cap. Porrectum 13. de regular. vbi Apostilll.* sic. Si tamen profitetur aliam religionem, etiam si laxiorem, tenet professio: quia secundũ votum solemne derogat primo simplici *infr. eod. capit. Qui post votum lib. 6.* Et quod religionis ingressus omnibus votis præiudicet, habes *verbo Monachus.* Non tamen tollit irregularitatem ex delicto prouenientem, vt tenet *glos. vlt. ex tex. ibi, in cap. 1. & vlt. de eo, qui*

ord. furt. Sed inducit causam dispensationis in fauorem religionis, vt ibidem notauit Anch. Sed quid in ingratitudine? respondet *glos. Verbo. Quasi ingratum in l. vlt. §. hoc autem C. de Episc.* sic videtur, quod non possit exhæredari: quia talis ingressus omnem maculam abstergit.

Religiosi mendicantes hi dicuntur, quibus victum tribuit incerta mendicitas & qui redditus, & possessiones ex regula, & constitutione habere non possunt, ita *glos. 1. in capit. vnic. de excess. prælat. lib. 6.*

Inter religiones non potest argui, quod vna sit perfectior altera, ex eo, quod pauperior, vt dicit *glos. verbo. Perinde ad med. in Clem. Exiui de verb. sig.* vnde dicit *glos. vlt. etiam ad med. in Extrauag. cum inter de verb. sig.* quod status prælationis potest dici maior, quam status religiosorum profitentium paupertatem, cum de statu religionis transeant ad statum prælationis pontificalis, quod Ecclesia non permitteret, si status prælationis minoris esset perfectionis, quam religionis.

Possunt religiosi de licentia sui superioris habere peculium, seu administrationem peculij pro vtilitate monasterij, vel pro se ipsis alendis, iuxta *cap. Insinuante; qui cler. vel uou.* non vero, vt habeant ad disponendum pro arbitrio suo, quia tunc eis non poterit talis licentia concedi *cap. Cum monasterium de stat. monach.* esset enim contra votum paupertatis, & proprium dicerentur habere, *vt not. verbo Monachus*, & paupertas. Quando autem religiosi possint pœnam conuentionalem petere. *Vide Verbo pœna*.

Religiosi nō debent fieri necessitate compulsi, sed voluntate, & amore tantum religionis, nam si ex necessitate fiant, ea cessante, religionis amor finitur, vt videmus non raro, & de his dicit *glo verbo infirmitate in cap. 3. de renunc.* hæc.

Dum fero languerem, fero religionis amorem.
Expers languoris, non sum memor huius amoris.

Tenuis religio dicitur, quæ hæsitat in his, vbi non est aliquatenus hæsitandum, vt dixit *Pontif. in capit. Et si 18. de Simon.* ibi. Tenuem religionem vocantes, quæ in talibus hæsitat &c.

Religio etiam dicitur circa leges, sicut prouidentia circa arma, quod notauit *glos. in l. vnum ex familia 69. §. Item Marcus ff. de legat. 2. per text.* ibi. Princeps prouidentissimus, & iuris religiosissimus.

Deniq; religionem quatuor modis capi, notat *glos. verbo religioni in cap. 1. de testib. in Clem* quos si plenius videre cupis lege *Cardinal. in ead. Clem. notab. 4.*

Remedium.

ORdinarium vbi competit, non esse extraordinarium dandum, dicitur in vulgata *l. In causa 17. ff. de minor.* ibi Nam si communi auxilio, & mero iure munitus sit, non debet ei extraordinarium tribui auxilium. Vnum tamen remedium extraordinarium non tollere aliud extraordinarium, dicit *glos. vlt. in l. Is qui 39 ff. ex quibus caus. maior.* de quo vide *Bartol. in l. 3. § si in loco communi numer. 1. in fin. & seqq. ff. nou oper, nunc.*

Remedium in tempore debet quæri non vero postquam causa fuerit vulnerata, *vt in l. Sancimus 5. C. in quib. cau. rest. in integr.* ibi. Melius etenim est intacta eorum iura seruari, quam post causam vulneratam, remedium quærere.

Causa remedij potest fieri, quod alias nō valeret, prout est notabilis decisio *Pompon. lib. 5. ad Sabin. in l. 67. ff. de iur. dot.* sic

sic dicens. si vsusfructus fundi, cuius proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi a domino proprietatis detur: difficultas erit post diuortium circa reddendum ius mulieri: quoniam dicimus vsumfactum a fructuario cedi non posse, nisi domino proprietatis, & si extraneo cedatur, id est, ei qui proprietatem non habeat, nihil ad eum transire, sed ad dominum proprietatis reuersurum vsumfructum. Quidam ergo, remedij loco, recte putauerunt, introducendum esse, vt vel locet hunc vsumfructum mulieri maritus, vel vendat vno nummo: vt ipsum quidem ius remaneat penes maritum, perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat, vbi *glos. verbo ad eam* sic infert; Fit ergo remedij loco vnius nummi tantum locatio, quæ alias nulla esset, maxime pro re digna magna mercede.

Remissio.

Vel potest fieri de personis, vel de rebus, vel etiam de iuribus, seu actionibus. De personis fit ratione delicti, *vt in l. si cui 7. §. vlt. in fin. ff. de accusat.* ibi. Vt reum in prouinciam remitteret, vbi sacrilegium admisit, *& in Auth. vt null. iud. §. Si vero quis, verf. si vero cognoscatur* ibi. Periculo suo, & officij sui comprehendere huiusmodi, & ad iudicem prouinciæ transmittere, in qua peccauit, supplicijs legitimis subijciendum *coll. 9 glos verbo commissa in l. 1. C. vbi de crim. ag. oport.* & tetigi sup. Verbo. Latro. Ratione vero contractus, regulariter non fit remissio de loco ad locum, iuxta *cap. 1. §. contractus de for. comp. libr. 6. & quæ not. Bart. & doct. in l. Heres absens §. si quis verf. circa hanc legem ff. de iud.* idem *Bart. in l. 1. ff. de eo, quod cert. loc. in fin.* ibi. Vltimo hic videtur casus, quod in contractibus non fit locus remissioni de vno loco ad aliũ &c. Quod intelliges nisi in ipso contractu renunciatum fuerit suo foro, quia tunc obseruabitur, quod inter partes fuit gestum, videntur enim voluisse, vt ibi tantum causa decideretur, vt per *Bart. in d. l. Heres absens*. Et in reddenda ratione administrationis fit remissio ad locum, vbi gesta fuit, *vt sup. dictum est verbo ratio verf. & si quæres.*

De remissione rerum dicit *Bart. in l. Peculium 4. num. 1. ff. de pecul* quod remittere est donare. & probat *ex l. si mulier 10. ff. de condict. cau. dat.* ibi. Quia nihil interest vtrum ex numeratione pecunia ad eum fine causa, an per acceptilationem peruenerit. Non autem intelliges hoc si remittatur pignus debitori, quia tunc nec pignus donatur, cum ipsius sit debitoris, nec etiam debitum propter quod pignus datum fuerat, cum remaneat debiti obligatio intacta, vt dictum est verbo pignus, vt tradit *Bart. in l. 1. §. 1. ff. quib. mod. pig. vel hypoth. sol. & in l. Etiam 1. quæstion. C. ad velleian.* remissio vero debiti, remissionem pignoris operari dicit *l. Soluitur, & ibi Bart. ff. eod. tit quib. mod. l. Debitum C. de remiss. pig.*

De remissione pensionis, seu mercedis facienda colono, vel conductori propter graue damnum dicitur *in l. Ex conducto §. vis maior, vbi Bart. & doct. ff locat. cap. Propter eod. tit.* & de facienda emphyteutæ tempore belli videas *Bart. & Alex. in l. Interdum §. Quod naufragio ff. de acquiren. poss.*

Remissio iuris fit cum aliquis dubium litis euentum remittit, de quo dicitur, quod remittens non potest allegare se deceptũ *arg. l. 1. C. de pact.* Conditionis (inquit Seuer. Imp.) incertũ inter fratres non iniquis rationibus conuentione finitum est, *& est tex. in l. 17. C. de vsur.* Si ex lege (ait) possessionem mater tua apud creditorem suum obligauit: vt fructus iudicem plurarum consequa-

nus est protinus aliud mittere, & munus munere expungere &c, qui festinat vtique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et vt breuiter dicam, qui minus cito cupit soluere, inuitus debet, qui inuitus debet ingratus est.

Remunerationem pro crimine commisso, vel committendo non valere, etiam si stipulatio interueniat, dicit *Papinian. in l. 123. vbi not. doct. Bartol. Alex. & Paul. ff. de verb. oblig.* Si plagij (inquit) faciendi, vel facti causa, concepta sit stipulatio, ab initio non valet.

Licet non valeat inter virum, & vxorem donatio, vt est vulgare, valet tamen remuneratio, vt inquit *Bart. in l si voluntate num. 2. C. de dot. promiss.* & affert *tex. in l. Quod autem §. si vir. ff. de donat. int. vir.*

Renunciatio.

Dici potest, quòd sit rei, vel iuris proprij facta scienter legitima confutatio *in cap. Quam periculosum 7. quæst. 1.* ibi vt quis cedat iuri suo, & potestati. Et in ea est vulgata atq; generalis regula, quod renunciantibus iura sua amplius regressus non datur *l. Quæritur 14. §. si venditor ff. de ædil. ed.* ibi. Remittentibus enim actiones suas, non est regressus dandus d. *cap. Quam periculosum* ibi. Nec recipere postmodum potuit, quod semel cessit.

Est etiam in materia, iuris alia vulgata regula: Omnes licentiam habere his, quæ pro se introducta sunt, alias inducta sunt, renunciare *l. In conscribendo 39. C. de episc. & cler.* & per eadem verba, altera *l. si quis in conscribendo 29. C. de pact cap. si de terra 6. de priuileg.* ibi. Cum liberum sit vnicuique suo iuri renunciare *l. si iudex 42. ff. de minor.* ibi. Quia vnicuique licet contemnere hæc, quæ pro se introducta sunt. Vnde dixit, & bene *glos. vlt. in l. Circa 19. C. locat.* Non esse contra l. aliquam, si aliquis renunciet, ei quod pro se introductum sit, cum possit hoc de iure fieri. Operabitur autem talis renunciatio odium ipsius renunciantis non vero fauorem, vt optime in casu appellationis, quæ communis est appellanti, & appellato, notauit *glos. vlt. in additione in cap. Ex parte de rescript* ibi. Dic quod renunciare potuit in sui odium, non in sui fauorem. Nam, & verbo renunciare non poterat re non integra in præiudicium appellati. Non solum expresse, sed etiam tacite renunciatio potest fieri, vt notat *glos. pen. in l. Postquam liti de prædio mota renunciasti C. de pact.* ibi. Fuit facta hæc renunciatio per hæc verba nolo amplius venire ad causam: quocunq; enim modo potest ostendi expresse, vel tacite satis est per *l. Si ea 7. in fin.* ibi. Si agere supersederit renunciasse causæ intelligitur *C. de his, qui accus. non poss. l. 31. ff. de minor.* vbi Papinian. ita. Si filius emancipatus non accepta contra tab. bonorum possessione, post inchoatam restitutionis quæstionem, legatum ex testamento patris maior 25. an. petisset, liti renunciasse videtur. Nam ipso facto renunciauit quis iuri suo, vt inquit *glos Verbo confessus in cap. Cum super 23. de offic. delegat. facit glos. verbo non posse in l. Celsus 28. ff. de recept. arb.* ibi. Quia sponte accipiendo renunciauit, & probat *l. De lege 6 ad fin. ff. de l. Commissor.* ibi. Si post statutum diem reliquæ pecuniæ venditor legem dictã non exercuisset, sed partem reliqui debiti accepisset, videri recessum a lege commissoria, & ibidem *glos.* sic. Et nota quod pecuniam petendo, legi renunciat, vt hic &c. Sic petitor hæreditatis, habendo pretium rei &c. Sic depositor accipiendo vsuras suo renunciat priuilegio &c. & *l. 7. eod. tit.* ita. Post diem commissoriæ legi præstitutum, si ven-

ditor pretium petat legi commissoriæ renunciare videtur, nec variare, & ad hanc redire potest. *& glos. verbo necessario ad med. in Clem. vlt. de verb. sig.* ibi. Expresse renunciare videtur, qui obligatum non recipit.

Sic renunciat quis priuilegio suo, si semel agnoscit iudicium, vt dictum est supra verbo iudicium. Sic etiam. Per hoc, quod reuerentiam exhibet iuri suo videtur renunciare, vt dicitur *in capit. 3. prope fin. de his quæ fi. a maio. part. vbi glos.* hic. Et licet verbis non renunciet aut non consentiat, ipso facto tamen consentit, est etiam altera *glos. verbo. vtraq; pars in cap. veniens 38. de testib.* ibi. Quia si primo sibi actio eius rei competebat, & permisit sequentem agere, præiudicium sibi fecit &c. quia hoc ipso tacite renunciare videtur iuri suo &c. quia quam cito sciuit causam illam tractari, statim debuit contradicere, & se opponere, quod cum non fecerit, præsumitur consentire &c. Secus si nesciuisset causam agi. Sic etiam si quis contradicat actum, non poterit ex eo aliquid commodi consequi, *vt in cap. Cum olim 19. de cens.* ibi. Quia compositionem idem Abbas nullatenus approbauit, sed studuit multipliciter impugnare, ex ea non debuit beneficiũ consequi, cui renunciasse tacite videbatur.

Renunciat qui se periculo supponit, ita inquit *glos 1. in l. Principes 6. C. de princ. agen. in reb. lib. 12.* Sed renunciasse, & eum accipere debemus, qui per alium renunciauit *l. 1. in fin. ff. si mens. fals. mod.*

Facta renunciatione, quod ipso iure tollatur id, cui renunciatum est; videtur probare *glos. verbo resignauit in capit. Cum priaem 4. de pact.* ibi. Quoniam facta renunciatione ipso iure irrita sunt instrumenta &c. & aduersarius potest illa petere.

Renunciari facilius iuri speciali, quam communi, dicit *glos. verbo esse credendum in l. Antiqua 23. C. ad Velleian.* ibi. Quia per huiusmodi confessionem a iure speciali receditur, scilicet a beneficio Velleiani, quod facilius fit, quã si a communi iure vellet recedere.

Qui renunciat spirituali iuri, siue beneficio, pure, & sine aliquo pacto debet renunciare, aliàs esset simoniacum: quia non habet ibi locum renunciatio sub modo, vel conditione, & inde est, quod non potest redire ad ius suum, sed in transactione, seu in pacto, secus est cum ibi admittatur do, vt des &c. ita notat *glos. Verbo. Ex consensu post med. in cap. Cum inter 16. de elect. & probatur ex cap. super hoc 5.* ibi. Nec interuentu pecuniæ, nec promissione, coniuncta *glos verbo pecunia.* ibi. Quia licet renũciatio non teneat, priuari tamen debet iste, quia Simoniam commisit, pecuniam recipiendo pro re spirituali, *de renunciation.*

Nota, quod aliquis cogitur renunciare obtenta licentia renunciandi, ita notauit *glos. verbo. Compellendos per tex. ibi. in cap. Quidam 12. de renunc.* Sed hoc ideo est ne illudatur Papa, sicut si postulatio præsentetur papæ, non potest postea recedere ab ea, ait prædicta *glosa.*

Renunciationem esse stricti iuris, & non extendendam nisi tantum ad ea, de quibus est facta; clare colligitur *ex l. Iubemus C. ad Velleian.* ibi Eadem renunciatio ad illos contractus, & illas res, seu personas, quibus consensum suum proprium accommodauerint coarctetur. Et ideo renunciatione facta per filiam dotatam a patre, de amplius ei non succedendo, adhuc poterit ipsa succedere, vt dicis verbo filius.

Non renunciat iuri suo, qui gratiæ aduersarij se submittit, ita summatur *capit. veniens 13. de renunciat. vbi glos. verbo commisisse,* sic ait. Et si commisit se illorum gratiæ, & ipsi nullam gratiam

fa-

faciebant, poterat vti iure suo.

Non est verisimile, quod sponte iuri suo renunciauerit, qui renunciat spoliatus sic inquit *cap. 2. de restit. spol.*

Renunciari an possit libertati Ecclesiæ exemptæ? habes verbo Ecclesia.

Repetitio.

ALio nomine appellatur condictio, quando scilicet agitur de repetenda pecunia indebite soluta, vel alia re iniuste detenta, *vt in l. 1. ff. de condict. cau. dat.* ibi. causa secuta, repetitio cessat *l. 1. ff. de condict. ob turp. cau. l. 1. ff. de condict. indeb.* ibi. per hanc actionem condicere poterit, sed si sciens se non debere, soluerit, cessat repetitio, *& per tot. & de condict. furt. & de condict. tritic.* vbi quamplurima inuenies iura in quibus, & datur, & cessat repetitio hæc siue condictio.

De hac dicitur *in l. si stipulatus 16. ff. de fideiussor.* Interest enim pecuniam eius retinere potius, quam solutum repetere, & ab ea deduxit *glos. verbo. Potius in l. si debitor 12. ff de lib. legat.* dicens. Interest nostra non soluere potius, quã solutum repetere.

De eadem dicit *Paul. in l. 54. ff. de reg. iur.* huius per errorem dati repetitio: eius consulto dati, donatio est, vbi habes bonam *glos.* distinguentem, quando datur, vel non detur repetitio de indebito soluto. Quando vero sit solutum non indebitæ summæ, quod non detur repetitio, videas verbo solutio. Et quod detur ei, qui tutus est exceptione 30. ann. si soluat verbo exceptio, & quia hic incidit de exceptione adduco vnam *glos. magistram in l. Qui se 7. ff. de condict. cau. da. verbo. Exceptione,* & si alibi eã retuli, netædeat te, inquit enim sic. Quadruplex est exceptio doli. Vna, quæ nascitur tempore contractus, vt si dolo me induxisti, vt promitterem tibi x. Et hoc casu cessat repetitio si soluam; *vt infr. de condict. indeb. l. Qui exceptionem.* Secunda quæ succedit in locũ non numeratæ pecuniæ: & hæc nascitur tempore quo agitur non tempore confessionis, *vt infr. de except. dol. l. 2. §. circa.* Tertia quæ succedit in locum exceptionis pacti, & iuris iurandi præstiti: & his duobus casibus solutum per errorem repetitur, *vt infr. de condict. indeb. l. si nõ sortem §. indebitũ.* Quarta est, quæ succedit in locum exceptionis facti, vel intentionis: quod est quando nec actor habet actionem, sed de facto agit, & sic reus de facto excipit, vt hic dicit. Lex autem ita habet. Qui se debere pecuniam mulieri, putabat iussu eius dotis nomine promisit sponso, & soluit: nuptiæ deinde non intercessernnt quæsitum est verum ipse possit repetere, qui pecuniam dedisset, an mulier? Nerua, & Aticilinus responderunt, quoniam putasset quidem debere pecuniam, sed exceptione doli mali tueri se potuisset, ipsum repetiturum. Sed si cum sciret se nihil debere, promisisset; mulieris esse actionem, quoniam pecunia ad eam pertineret. Sin autem vere debitor fuisset, & ante nuptias soluisset. & nuptiæ secutæ non fuissent: ipsum posse condicere, causa debiti integra mulieri ad hoc solum manente, vt ad nihil aliud debitor compellatur, nisi vt cedat ei condictitiam actionem.

Si quid amplius fuerit erogatum iudicio, *negot. gest.* nec ab hærede recte petitur, nec de iure fideicommissi, cum voluntas finem erogationi fecerit, ita *l. Qui aliena 33. §. Libertos ff. de negot. gest.* vbi *Apostill.* sic ait. *Bald.* hic dicit text istum sing. ad hoc, quod executor vltimæ voluntatis excedens fines mandati, & sic plus expendens, quam debeat, non potest repetere, & sic ista executio mandati habet fines, siue formam taxationis, pro quo concordat *text. & be-*

Digitized by Google

ne facit in l. Sed & si quis ff. de relig. & sumpt fun.

Hi qui pro filio fam. sine voluntate patris eius intercesserunt, solutum non repetent: hoc enim D. Hadrianus constituit, & potest dici non repetituros. At qui perpetua exceptione tuti sunt, Sed & ipse filius fam. & tamen non repetit: quia hi demum solutum non repetũt, qui ob pœnam creditorum actione liberantur, non quoniam exonerare eos lex voluit. Quamquam autem soluendo non repetunt, sic *Vlpian. in l. Sed & si 11. § Non solum vers. Sed si ff ad Maced. & ibidem glos. non repetunt*, ita. Scilicet a creditore, sed an a filio? Quidam sic per actionem mandati, *vt in princ. huius §.* Ego contra, cum omiserint exceptionem peremptoriam scientes &c.

Soluens ex causa iudicati, etiam repetere non potest; vt dicitur *in l Cum putarem 37. ff fam herfisc. l. fideiussor 29. §. pen. ff manda.* ibi. Tunc autem propter authoritatem rei iudicatæ repetitio quidem cessat sEt ad impediendam repetitionem sufficit, quod quis se putat condemnatum, ait *d. l. Cum putarem*. Impedit etiam repetitionem turpitudo, *vt eodem verbo notas.*

Alia est repetitio, quæ fit, vel intelligitur facta de quacunque re, causa, modo vel conditione indispositionibus tam legalibus, quam vltimæ voluntatis, & contractus, vt statim ex iuribus ostendimus in quibus, vel datur, vel non admittitur repetitio.

Et ante omnia notabis, quod licet aliàs dicatur apud Grammaticos, habent repetita leporem: apud nos tamen non passim admittitur repetitio, quin imo reprobatur, ita vt *Vlpian.* excusauerit ædiles de repetitione per eos facta dicens. Ego puto ædiles tollendæ dubitationis causa bis id dixisse *in l. 1. § Sed sciendum est ff. de ædil. ed. sic & Greg. 9. in cap. In Genesi 55.* repetitionem euitans dicit. Ne vel idem repeti videretur *de elect.* Nec dubium est, quod repetita tædio sint; non ne vides, quod discipuli, & fratres Apost. & Euang. Ioannis affecti tædio dicebant. Magister quare hoc semper loqueris? teste *Hieronym in Epist. ad Galat.*

Et si quæras, cur ergo leges admittunt sæpe sæpius repetitioem, & quod plus est, obseruant coniecturas in omnibus dispositionibus ad eam admittendam? prout ex infra citandis patet? Respondeo facilime, ideo admittitur tacita, vt euitetur expressa, expressa enim tædium generat, tacita vero contra, Hinc est, quod plerunq; ea, quæ in præfationibus conuenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur: sic tamen, vt non ex ea repetitione inutilis efficiatur stipulatio, vt dixit *Iureconf. in l. Titia 134. §. Idem respondi ff. de verb. oblig.* a quo deduxit *glos. vlt. in §. Præterea de inutil. stip. in Inst.* ibi. Quæ enim in præfationibus dicuntur, in contractibus repetita creduntur, per tex. ibi. Neque enim necesse est in respondendo omnia repeti, quæ stipulator expresserit, & notat *Bart. in summario l. Item quia §. vlt. ff. de pact.*

In contractibus repetita censentur, quæ fuerunt dicta in primo, et in nouatione notat *Bart. per tex. ibi in l. Aliam 29. ff. de nouat. num. 2.* procedit distinguendo, & in contractu facto V g. pro te, & post mortem tuam filijs tuis repetitionem eorum, quæ pro te dicta sunt, pro filijs tuis intelligendam esse deducitur *ex Aphrican. in l. Pater cum filia 25. ad fin.* ibi, Etenim vim e ius stipulationis hanc esse, vt si in matrimonio mortua esset dos patri redderetur, perindeque habendum ac si talis stipulatio interposita fuisset &c. *ff. de pact. dot.* quam sic intelligit *Bart. in l. Licet imperator ff. de legat. 1. num. XI.*

Ex eadem *l licet*. Legata ab instituto relicta, censeri a substituto repetita satis

clare colligitur ibi rescripserit videri voluntate testatoris repetita a substituto, quæ ab instituto fuerant relicta de cuius materia late, & bene agit ibidem *Bart. a num.6. vsque ad fin* tractâs has quæstiones vtrum conditio adiecta institutioni videatur repetita legato facto eidem. Et conditio apposita in persona eius, qui est sibi coniunctus. Et an legata in vno testamento relicta videantur repetita in alio testamento postea facto? & quid importet repetitio facta per dictionem, amplius, & de repetitione per dictionem. Item; Et quid in contractibus. Quid in die, & conditione appositis,& in principali dicta, repetita intelliguntur in fideiussore,seu accessorio. Et verum persona,vel qualitas posita in vno capite, intelligatur repetita in sequentibus, & deniq; quid in legibus, seu statutis?

Et vltra prædicta. Nota argum. quod intelligitur tacite repetitum, quod prius fuerat dictum, quod deducit *glos. 2. in l. si iudex 32. ff. de iudic.* cuius tex. verba sunt. Tanta ex integro tempora in personam eius præstituta intelligemus, quamuis magistratus nominatim hoc in sequentis datione non expresŝit.

Hæc verba, quanti, &c. & si non habent verbum, plurimi, sic tamen accipiendo constat, ita ait *l. Quemadmodum §. vlt. ff. ad l. Aquil. vbi glos. vlt.* sic. Ex vi repetitionis, vt plane *not. Inst. eod §. Deniq; & Bald. ibidem* sic. Dicta in vno capite legis intelliguntur repetita in alio capite eiusdem.

Non admittetur autem repetitio, vbi de voluntate contrariũ constabit, iuxta *l. seruo 116. §. Si quis a primo ff. de legat. 2.* ibi. Repetitio non valet, quia defuncti voluntas hæc est, vt semel debeantur *d. l. Licet 77. eod. tit.* ibi. Tamen hoc ita erit accipiendum, si non fuerit euidens diuersa voluntas, quæ ex multis colligitur &c.

Non etiam intelligitur repetitum, quod repetitum vitiat, vt ita summat *Bart. l. vlt. ff. de fideicommiss. lib. vbi glos. vlt.* ait. Non esse sub intellectum, quod vitiat.

Replicatio.

Exceptio exceptionis appellatur *ab Vlpian. in l. 2. ff. de except.* ibi. Replicationes nihil aliud sunt, quam exceptiones, & a parte actoris veniunt: quæ quidem ideo necessariæ sunt, vt exceptiones excludant: Semper enim replicatio idcirco obijcitur, vt exceptionem oppugnet. Sicut enim reus iuuatur in exceptionibus, ita actor in replicationibus, *not. Bald. per tex. ibi in l.* Non exceptionibus actores, quibus reis auxilium tribuitur certis, ex causis sed replicationibus suam intentionem, (si quam habeant) muniant C. *eodem tit.*

Replicationes esse temporales sicut actiones dicit *Bart. in l. quæsitum 31. §. vlt. ff. de pecul.* Sed videtur perpetuo posse obijci. Nam si replicatio est exceptio, vt dictum est, & constat exceptionem perpetuam esse, *vt in l. Pure 5. § vlt. ff. de dol. except.* quare non etiam replicatio perpetua erit? nec satisfaciet responsio, quod replicatio est idem, quod actio, seu pars, vel corroboratio actionis, & sic regulatur tanquam actio, itane quod disponitur in actione, idem in replicatione intelligatur, & sicut actio finitur tempore, eo quod actor quidem in sua potestate habeat quando vtatur suo iure, sic finietur replicatio cum eadem sit ratio, prout conatur respondere *glos. pen. in d. §. vlt. & in d l. Pure §. vlt. verbo competit.* Quia est expressus *tex. in l. 6. C. de except.* sic dicens. Si pactũ intercesŝit in exceptione, sine temporis præfinitione de dolo replicari potest, *vbi Bald. & Salic. notant* Replicationem tempore non expirare. Quid dices?

dices? cogita, & tenea an possis conciliare sic. Quod quando actor in replicatione aget tantum, tanquam reus de defensione sua ad excludendam exceptionem Rei, non vt ex ipsa replicatione consequatur, quod consequi non poterat per actionem, tunc quia vera exceptio est, & defensio, perpetuo illam poterit allegare, & in hunc sensum procedere *d. l. si pactum C. de except.* Si vero in replicatione velit actor tanquã talis vti ea, ad consequendum, quod per actionem consequi non poterat, tunc quia agit, & non defendit, non poterit replicatione vti cum vicem actionis habeat, & si actio perempta erat, eodem modo replicatio censetur perẽpta, & ita procedit *d. l. quæsitum* 31. *§. vlt. ff. de pecul.* Et si tibi non placet, affer aliam meliorem, & audieris, aliter tace, & acquiesce huic si quidem fundatur in ratione, & tex. de quibus sup. & authoritate *Bart. in l. si expressim* 19. *sub num.* 5. *ff. de appellat.* vbi probat, quod quemadmodum reus potest pluribus exceptionibus, licet contrarijs vti, sic & actor pluribus replicationibus etiamsi contrarijs: redditque eandem rationem ibi. Nam dicit lex, quod replicationes exceptiones sunt &c.

In replicatione non videri actorem fateri contenta in exceptione tenet *Bald. in Auth. si dicatur C. de testib.* in prima opposit. & probatur *ex cap. Illud* 8. *de præscript.* dum ab excipiente requirit probationem, & ibidem etiam a replicante dum ait sic. Verum si de præscriptione, & interruptione inter partes fuerit mota quæstio, ab vtraque parte testes recipi debent &c. & probat *Baldus in l. Sed & si quis §. fin. prope fin. ff. si quis caut.*

Repudiatio.

IS potest repudiare, qui & acquirere potest, dicit *Paul. in l.* 18. *ff. de acquirem. poss.* Vnde is, qui hæres institutus est, vel is, cui legitima hæreditas delata est: repudiatione hæreditatem amittit, si in ea causa erat hæreditas, vt adiri posset. Cæterum hæres institutus sub conditione, si ante conditionem existentem repudiauit, nihil egit ita *Vlpian. in l. Is qui* 14. *eod. tit. nam, vt inquit Pompon.* repudiare non possumus, quod nec pertinet ad nos antequam dies veniat, vel conditio existat *in l. si ita* 46. *§.* 1. *ff. de legat.* 2. vel ad nos sit delata, *vt in l.* 1. *vers. decretalis ff. de successʃ. edict.* ibi. Sed repudiari eã non posse verius est: quia non dum delata est. Licet super iure incerto possit quilibet pacisci *ad l.* 1. *C. de pact.* cum diuersum sit repudiare, a pacto remittere, vt notauit *glos in d. §.* 1.

Quod autem semel repudiatum est redintegrari minime concedimus, ait *l. vlt. C. de cond. insert.* sicut, & e contrario; quod acquisitum est repudiari non potest, sera namq; repudiatio est, vt dicit *Vlpian. in d. l.* 1. *vers. decretalis ff. de succ. ed.*

Repudiationem fraudulentam nõ nocere, ait *Bart. in summ. per text. ibi. in l filia mea* 60. *ff. solut. matr.* & probat l. *si is qui bonis paternis*, se abstinuit per suppositam personam emptoris, bona patris mercatus probetur: perinde eum conueniri oportet à creditoribus, atq; si bonis paternis se immiscuisset *ff. de acquir. hered.* & notatur *in sum. l.* 3. *ibi.* quia ex posteriori possessione præsumitur fraus *C. de nat. lib. vbi Bart. num.* 3. sic. Nota quod præsumitur repudiatio fraudulenta ex hoc, quia bona repudiata postea quis incapax repertus est possidere &c.

Res.

TRia esse rerũ corpora, dictum est verbo *Corpus*, hic autem aliqua de his dicemus. Et primo de rebus in genere, & postea in specie de Repub. re iudicata, re integra, re eadem, & diuersa. Et quoad primum de rebus *Senec.lib.2.de benef cap* 34. Res esse magis, quam verba. & prosequitur Ingens copia est rerum sine nomine, quas non proprijs appellationibus notamus, sed aliunde commodatis.

Rei appellatione multa contineri constat. Nam non solum ea, quæ in patrimonio sunt, sed etiam, quæ in nominibus in stipulatione, rem saluam fore, contineri ait *l.Cum pupillus 9 ff.rem pup sal.* quæ sic summatur. Etiam nomina debitorum comprehenduntur appellatione rerum, & generaliter dicit *glos. verbo, pecunia in l. pen. C. de constit. pec.* ibi. Verbum, rei, pro ijs, quæ sunt extra patrimonium, & *Paul. in l. 1. ff. de verb. sig.* sic. Rei appellatio latior est, quam pecuniæ, quia & ea, quæ extra computationem patrimonij constat.

Appellatione rei, factum etiam contineri ait *glos. verbo rei in §. 1. de obligat. in Institut.* & prosequitur sic. Ex quo dixerunt aliqui, quod si statuto caueatur, quod pro quacunq; re petita soluatur solidus pro libra, quod habebit locum in facto petito, quod verum limitat hic *Bald.* quando tale factum erat æstimabile, vt libram scribi, domum ædificari: Si autem esset inæstimabile, vt facere vxorem consentire, tunc nihil esset soluendum, quia verba statuti debent intelligi in casu possibili, hoc est quod res possit æstimari, probat etiam d. conclusionem *glo.verbo dati in l. Naturalis 5. ff. de præscript. verb.* ibi. Nam verbum Rei etiam facta comprehendit, cum sit generale per *l. 1. infra ff. si cert. pet.* Rei appellatione, & causam, & iura contineri, ait *Vlpian. in l. 23. ff. de verb. sig.*

Rerum Italicarum significatione eas contineri, quas perpetuo quis ibi habuerit, atq; ita disposuerit, vt perpetuo haberet. Alioquin si aliquo tempore, quid transtulit in alium locum, non vt perpetuo ibi haberet, sed vt denuo ad pristinum locum reuocaret, neque augebit, quo transtulit, neque minuet vnde transtulit, ita inquit *l. Ex facto 35. ad med. ff. de hared. instit.* & *facit l. si ita 84 ff. de legat* 3. ibi. Et Labeonis distinctionem valde probo, qui scripsit, nec quod casu ibi sit magis esse legatũ, quod limitabis in casu *l. Cum quidam 4. ff. de fund. instr.* ibi. Labeo & Trebatius, boues ei fundo cessuros putant, vbi opus fecissent, non vbi manere consueuissent, quod procedit ex vi legati fundi instructi iuxta illam rubr.

Rerum vocabula immutabilia esse, hominum vero mutabilia, inquit *l. si quis in fundi 4. ff. de legat.* 1. Item rerum aliæ sunt vniuersitatis iuris, aliæ corporum vide *glos. verbo regressus in l. 1. ff. de euict.*

Magis res, quam verba esse intuenda, ait *glos. verbo hares esto in l. 1 in fin. ff. de hared. inst.* Vnde dicit Imp. Nos enim non verbis, sed ipsis rebus legem imponimus *l. 2. C. com. de legat.*

Res gesta potior, quam scriptura habetur *l. multum interest C. si quis alt. vel sib.* Rei potius expedit incumbere, quam in personam agere, ita *in §. Furti autem actio de oblig. qua ex del. in Inst.* & facit *l. Pupilli scientia 6. ff. quod fals. tut.* ibi. Melius dicetur rem suam restitui pupillo debere, quam incertum cautionis euentum expectare.

Æstimari res pecunia, non vero pecuniam rebus deducitur *ex l. si ita 43. ff. de fideiussor.* ibi. Non vt æstimatio rerum, quæ mercis numero habentur, in pecunia numerata fieri potest, ita pecunia quo-

quoque merce æstimanda est. Vnde loco rei succedit, vt dictum est verbo pretium, sed non e conuerso nisi in casu, de quo *glos. verbo conditionis in l. 1. C. de castr. pecul. lib. 12.* ibi. Et sic. Nota quod res succedit loco pretij fauore militiæ. Succedit etiam res rei, & dignitas dignitati, sicut persona personæ vt dixit *glos. verbo Executores ad fin. in Extrauagan. vnic. de offic. delegat. int. comm.* Cum autem res transit de vna persona ad aliam, non transit cum suo priuilegio, vel sua causa, vel honore, vel onere, vt dicit *glos. in cap. Super 27. §. si vero de offic. delegat. text.* vero sic. Quia quod potest ex sola iurisdictione sibi a principe delegata, non potest cum iurisdictione sibi à condelegato cõmissa. Si vero in eadem persona res manet, & personæ conditio non mutetur, nec rei quidem statum conuenit immutari, vt dicit *l. 1. C. de impon. lucrat. descript. lib* 10.

Rei meæ possum dicere legem, quam volo, vt notauit *glos verbo tempore per tex ibi. in l. 1. C. de solut.* Nam suæ quidem quisque rei moderator atq; arbiter dicitur *in l. In re mandata 21. C. mandat. l. nemo exterius 8. C. de iudic. ibi.* Iustum est enim suæ cuique committere; pro re namq; sua quisq; est optimus moderator, & arbiter. Vnde qui rem dixit primum esse allodialem, potest dicere postea esse feudalem, *vt not. verbo feudum.* Præsumitur autem res libera, nisi contra probetur, *vt per glosam verbo. vt frui ff. si vsusfr pet. & glosa verbo possessoris in l. sicuti 8. §. Sed si quæratur ff. si seru. vend. per l. siue possidetis C de probat.*

De alienis vero rebus nemo debet esse moderator contra earum domini voluntatem vt dixit Imp. *in l. vlt. ad fin. C. de pact.* ibi. Cum in alienis rebus contra domini voluntatem aliquid fieri, vel pacisci secta nostrorum temporum non patiatur. Quod etiam procedit in re communi, in quã omnium voluntatem esse sequendam non ambigitur: iniquũ enim visum est, voluntatem vnius, ex modica forte particula dominij, præiudicium socijs facere, vt in expresso dicit *l. si autem 10. ff. de aqua plu.* & in materia debiti est *text. sing. in l. Et si iuss 8. in fin.* ibi. Hodie tamen ita demum pactio huiusmodi creditoribus obest, si conuenerint in vnum, & communi consensu declarauerint, quota parte debiti contenti sint *ff de pact.* Poterit tamen extraneus admitti ad licitandum in re communi si socius eam vult viliori pretio, vt habes verbo licitatio. Et rei pretium dicitur per quod ipsa vendi potest vt per *glos. verbo. Non valent in cap. In ciuitate 6. de vsur.* ibi. Res enim tantum valet, quantum vendi potest. Si autem inter ipsos socios fuerit contentio super ea re communi, in pari pretio conditione, vel dubio, semper qui maiorem partem habet præferri debet, vt inquit *glos. 2. in l. 2. C. de metat. & epi. dim. lib. 12.*

Nota occasione rei meæ quæsitum mihi deberi, probat *glos. verbo ortum per text. ibi. in l. vlt. §. Sed cum C. de furt.* & alia iura, quæ allegat. In re tamen comparanda, id non procedit: quia nõ interest cuius pecunia emitur, sed cuius nomine emitur, nisi casualia notentur, vt inquit *glos Verbo nominatim in capit. 2. de ijs, qui feu. dar. poss.* & casus notat his versibus.

Fit res dotalis nummis dotalibus empta,
Fitque pupillaris, nummis res empta pupilli:
Et ne conuertas, idem de milite dicas.

Notabis tamen, quod licet res empta pupilli pecunia fiat pupilli, vt versus cantat, & probat *l. Curator 3. C. arbitr. tut.* non ita erit si fuerit empta pro alio

alio pupillo, quia tunc non eius pupilli, cuius pecunia empta fuit, sed eius, cuius nomine emptio celebrata est, fiet & solum ius pignoris habebit in ea re pupillus, cuius pecunia erat: vt decidit *Vlpia in l. 3. ff. de reb. eo* in haec verba; Sed si pecunia alterius pupilli alteri pupillo sit fundus comparatus, isq; pupillo, vel minori traditus sit: an pignoris obligationem posit habere is, cuius pecunia fundus fuit emptus? Et magis est vt saluum sit ius pignoris &c. & notauit *glos. ibidem verbo ius pignoris*, vide etiam specialem casum, quem *not. glosa in l. vxor 56. ff. de don. inter vir.*

Res, quae nondum est, accusari non potest, nam id, de quo agendum est, primo in rerum natura debet esse, ita ait *glosa verbo. Ad futuras in cap. vlt. de rescript.* & facit *l. Nisi 6. §. Sed ita ff. quod cuiusq; vniuers.* ibi. Quia non posit videri de ea re, quae adhuc in controuersia non sit, decreto dari persecutionem. Futuro tamen aedificio, quod nondum est, vel imponi, vel acquiri seruitus potest, vt dicit *Pompon. lib. 33. ad Sabin. in l. si seruitus 22. §. vlt. ff. de seru. vrb. & Paul. lib. 39. ad edict. in l. Labeo 20.* ibi. Nam scilicet nondum aedificato aedificio seruitutem constituere: quare non aeque liceat non dum inuenta aqua, itidem constituere seruitutem *ff. de seruit. rustic.* de quo vide etiam *l. vlt & pen. & glos. ibi ff si seru. vend.*

Amplius quam semel res mea esse non potest, ita inquit *l. Et an eadem 14. ff. de except. rei iud. & Imp. in §. fit itaque de act. in Inst.* sic. Nec res, quae iam actoris est eius magis fieri potest sępius autem deberi potest, dicit *d. l. Et an eadem*.

Saepe cum magna captione a rebus nostris reuocamur: ita dicitur *in l. si quis 6. ff. quemadm. test. aper.* perduntur tamen, si petenti eas, consentimus, vt inquit *glos. verbo patrocinabatur in capit. Ex litteris de trasact.* ibi. Qui enim scienter patrocinatur petenti rem suam, sibi praeiudicat.

Res abesse videntur etiam eae, quarum corpus manet, sed forma mutata est, & ideo si corruptae redditę sint, vel trāsfiguratae videri abesse, ita ait *l. Mulieris 13. §. res ff. de verb. sig.* Videtur etiam res abesse cui pretium abest *l. Labeo 14. eod. tit. vbi glos. not.* & infert, sic Ergo pretium succedit loco rei. Intelligitur etiam abesse, licet apud me sit, quando eam teneor praestare, vt probatur *in l. Plane 34. §. Quod si rem ff. de legat. 1.* ibi. Nam hactenus mihi res ab esse videtur quatenus sum praestaturus.

Tunc in potestatem domini rem redijsse dicendum est, cum possessionem eius nactus sit, vt iuste auelli non posit, ita *l. sequitur §. Tunc l. ff. de Vsucap. vbi glos. verbo non possit*, sic. Nota quandoq; redi in possessionem, non tamen in potestatem, vt &c. quandoq; non redit in possessionem, & tamen redit in potestatem, vt &c. Non videtur etiam in potestatem domini redijsse, quod interdicto, vnde vi restituturus sit possessionem, ait *d. l. 4. §. si tu vi.*

Et nota, quod facilius renascitur res quā de nouo nascatur, ita inquit *glos. pen. in l. si testamentum 23. ff. de testam.* Semel autem nata non redditur inutilis etiamsi perueniat ad eum casum aquo nasci non potest, vt in legato dicitur *in §. Si quis debitori vers. Ex contrario de legat. in Inst.* cuius verba iam habes verbo legatum. Videtur tamen dici contrarium *in §. Si seruus domino de noxal. act. in Inst.* ibi. Interdicitur actio, quia in eum casum deducta sit, in quo consistere non potuit, vbi notauit *glos. pen.* Et vere in hac conclusione fuerunt variae opiniones, vt constat ex *Marcell. in l. Existimo 98. ff. de verb. oblig.* ibi. Et maxime secundum eorum opinionem, qui etiam ea, quae recte constiterint, resolui putant, cum in eum

Digitized by Google

casum reciderint, a quo non potuissent consistere: *ubi notat glos.* regulam istam non esse veram generaliter, pro ea ca[illegible] *l. si sub una* 136. *§. 1. eod. tit.* [illegible] *glos. Verbo euanescit, & l. pen. §.* [illegible] *eod. tit. glos. verbo. Ex*[illegible] *in l. filius 44. §. ult. ff. de furt. l. Quia in eum casum* res peruenit a quo [illegible] pere non potest 16. *ff ad l. Aquil. & glos. verbo experiri in l. si seruus ff. de noxal. act.* Sed potest distingui, quod quando res non est perfecta si deueniat ad casum, a quo non poterat incipere euanescit; Si vero iam perfecta, & consumata, contrarium erit, vt notat *Bart. in summ. d. l si sub una §. 1. & Apostill. ad glos. verbo legatum in l. si res aliena* 52. *ff. ad Trebell.* ibi. Non est verum, quando dispositio est perfecta, & consumata, secundum *Bart. in l. Pluribus §. fin ff. de verb. oblig.* & sic debet limitari *l. 3. ff. de ijs, quæ pro non scrips.* ibi. Nam quæ in eam causam peruenerunt a qua incipere non possunt pro non scriptis habentur.

Rem subtrahere intelligitur, qui eam negat, vt inquit *l. Hæreditatum* 68. *§. unic. ff. ad l. falc.* ibi. Quia nihil interfsit subtraxerit, an hæreditariam esse negauerit.

In rebus paruis, nec debent fieri magnæ expensæ, nec molestiæ maximæ pro eis faciendæ, vt disponitur *in Auth. de instr. caut. §. ult. coll. 6.* ibi, vt non de rebus exiguis maximas attritiones homines sustineant, *ubi glos. attritiones*, sic. Et nota dici rem exiguam vsq; ad librã auri, alias dicitur parua vsq; ad 10. lib. auri. Res vero exiguæ, quod possint dari insolutum, vide verbo *solutio*, vbi verius est dari mediocres.

Regula est vulgaris, quod res inter alios acta, alijs non nocet, & dicitur *in cap. Cum super 17. in fin. de re iud.* Et idem in re iudicata infra dicitur sub verbo res iudicata, vbi limitas.

De re lucratiua fuit iam dictum verbo lucrum, & de re familiari, *verbo familia.* Quod res non debent puniri, sed delinquentes dixisti verbo *Iudex ver. peccantes*. Quando res Ecclesiæ possunt vendi, habes verbo *Ecclesia*. In eis dicit *Imp. in l. Sancimus 18. C. de Sacros. Eccles.* sic. Cur enim non facimus discrimen inter res diuinas, & humanas? Et quare non competens prærogatiua cælesti fauori conseruetur?

Respublica.

GLos. in *Auth. de hered. & falcid. §. 1. Verbo. Reip. coll. 1.* sic ait. Tribus modis Respublica dicitur. Primo Romanorum, vt hic. Item pro ciuitate Romana tantum, & tunc proprie, *vt ff. de verb. sig. l. Eum qui*. Item pro qualibet ciuitate, & tunc improprie, *vt C. de offic. ciui qui vic. alt. iud. l. 1.* Ponitur, & 4. pro quolibet municipio, *vt ff. de publ. & vect. l. sed & hi §. pen.*

Hanc tueri saluamq; & incolumem seruare nulli magis, quam principi conuenire dixit *Iurisconf. Paul. in l. 3 ff. de offic. præf. vig.* in hæc verba. Nam saluti Reip. tueri, nulli magis credidit conuenire, nec alium sufficere ei rei, quam Cæsarem. Sed quia non potest in omni Republica præsẽtialiter princeps esse, ideo earum cura committitur primoribus, & optimatibus cuiusq;: Nam optimum quidem est optimatum regimen, & sic in administrata republica viuere, vt inquit *Ioseph. lib 4. de antiquit. cap. 8. fol. mihi* 104. *num.* 40. *& lib. 6. cap. 4. num.* 20. de Samuele, sic ait. Valde enim optimatum gubernatione delectabatur, non ad aliam felicitatem populi conducibiliorem existimans. Et sub istis administratoribus Respublica est, sicut minores sub curatoribus. vt notauit *glos. verbo solet. per text. ibi in l. Respublica* minorum iure, vti solet *C. quib. ex caus. maior.* Et Reipublicæ quã

plu-

plurimos ex his habere ad defendendum suam causam interest, dicit *l.4. ff. nou. oper. nunc.* vbi ampliat *Apostill.* non solum procedere in ciuilibus tantum illius, sed etiam, quod forenses admittantur *ex Alex. & Ang. in l.2. ff. ne quid in loc. pub.* & facit *l.1. §. Quamuis ff. de ventr. inspic.* ibi. Qualis qualis sit debet audiri rem, & publicam, & suam gerens. Rempub. magis religionis, quã officijs, & labore corporis, vel sudore contineri dixerunt *Imp. Constantin. & Constans relati in cap. In qualibet 23. quæst.8.* Et vt pacata atque quieta sit, non difficile obtinebunt si sollicite agant, vt malis hominibus careat iuxta *l. Congruit ff. de offic. præsid.* Et obseruent, quæ aliàs *Marc. Cato relatus ab Augustin. de Ciuit. Dei lib. 5.* Dixit, euitentque contraria vt conseruetur, & crescat, in hæc verba, iam alibi relata, Nolite existimare maiores nostros armis Remp. ex parua magnam fecisse, quia si ita esset, nos multo pulchriorem haberemus: quippe sociorum atque ciuium, præterea armorum atque equorum nobis maior, quam illis copia est: sed alia habent, quæ nobis nulla insunt, domi industriam, foris iustum imperiũ, animum in consulendo liberum, nec delicto, nec libidini obnoxium. Pro his nos habemus luxuriam atq; auaritiam publice egestatem, priuatim opulentiam. Laudamus diuitias, sequimur inertiam, inter bonos, & malos discrimen nullum facimus, omnia virtutis præmia ambitio possidet.

Per leges, sicut per arma Remp. sustentari dixit *glos. in l.1. §.1. C. de nou. Cod. fac. per tex.* ib. Et ad ipsius Reip. sustentationem &c.

In ciuilibus dissentionibus quamuis sæpe per eas Respublica lædatur, non tamen in exitium Reip. contenditur. Qui in alterutras partes discedunt, vice hostium non sunt, eorum inter quos iura captiuitatum aut postliminiorum fuerit, dicit *l. Si quis 21. §. vnic. ff. de capt. & post.*

Interest Reip. nuptias celebrari, & ideo fauore earum conceditur priuilegium fœminæ creditrici, vt suum debitum in totum consequatur *in l.3. ff. de priuileg. cred.* ibi. Interest enim Reip. & hanc solidum consequi, vt ætate permittente nubere possit. Et vt liberis hominibus frequẽtetur iuxta *l.3. C. de bon. lib. & in l.2. C. de indict. vid. toll.* ibi. Augeri enim magis nostram Remp. & multis hominibus legitime progenitis frequentari. Et quod sint diuites etiam maxime Reip. interest, vt inquit *glosa verbo subiectis in Auth. vt iud. sin. quoquo suffrag. §.1. coll.2. per tex.* ib. Et imperium, & fiscus abundabit vtens subiectis locupletibus: non vt eos expoliet aut excoriet, sed vt conseruet indemnes, *vt idem tex.* ait. Debitores vero suos retineat idoneos, & ipsis commodum, & cumulum debiti minime nutriat iuxta *l.2. C. de debit. cap. iu. lib. 11.* & dum non soluunt ne ad honorem ipsius admittat, vt dictum est, verbo *Debitor*. Et creationes gubernatorum eius, non ex inimicitia facere, sed æstimatione vera, & commodo ipsius, cum publicæ vtilitatis, sic intersit, *vt in l. vnic. C. si propt. inim. creat. fact. fue lib. 10.*

Nauium etiam exercitium ad summam Reip. pertinere, ait *l.1. §. Si is qui nauem ff. de exerc. act. & ibi glo. summam* id est ad summam vtilitatem Reip.

Expedit etiam Reip. ne quis re sua male vtatur, vt dicit *imp. in §. Sed & si maior de ijs, qui sunt sui, vel alien. iu. in Inst.*

Non erit decens vt, quæ bene exclusa sunt, in Rempub. rursus introducantur, ita disponitur *in Auth. quib. mod. nat. effic. sui §. Illud tamen vers. Adoptionis col. 7.* Sed si quos approbauit posse ex causa reprobari dicit *l. Sed & reprobari 7 ff. de excus. tut.* cũ alijs sup. verbo. Medicus.

Licet quis non posſit vendere, nec legare domum ad eam diruendum, *vt l. Senatus 42. ff. de contrab. empt. & in l. Catera 43. § si duobus ff. de legat.* 1. Tamen Reip. fauore dicitur *in §. seq. d. l. 43.* sic. Sed & si quis ad opus Reip. faciendum legauerit, puto valere legatum. Nam & *Papinian. lib.* 11. Resp. Imp. noſtrū, & D. Seuerū conſtituiſſe, eos qui Reip. ad opus promiſerunt poſſe quid detrahere ex ædibus ſuis vrbanis atq; ruſticis, eoq; ad id opus vti, quia hi quoq; non comercij cauſa id haberent. Sed videamus vtrum ei ſoli ciuitati legare poſsit, in cuius territorio eſt, an & de alia ciuitate in aliam transferre poſsit? Et puto non eſſe permittendum.

Municipio fideicommiſſum relinqui poſse dubium non eſt. Sed ſi non caueatur: aduerſus municipes quidem, non dubitamus ex hoc edicto iri in poſſeſsionem poſſe. Ipſos vero municipes, ſi eis non caueatur non idem aſſecuturos: ſed contrario remedio opus erit: videlicet, vt decreto prætoris actor eorū in poſſeſsionem mittatur, ſic Metian. *in l.* 12. *ff. vt in poſſ. leg.* Nam ea, quæ Reſp ſeu eius municipes facere tenentur, per eos quos municipij res geruntur, faciunt, *vt in l. Municipibus 96. ff. de cond. & dem.*

Municipibus plenus ius in bonis libertorum libertarumque defertur: hoc eſt id ius, quod etiam patrono, ita *l vnic. ff de libert. municip.*

Rempublicam, vt pupillam extra ordinem iuuari moris eſt, ita *l. 3. C. de iur. Reip. lib.* 11. *& ibi gloſ.* ſic quærit. Sed intra; quod tempus? videtur perpetuo; quia ſemper eſt pupilla, & hic Argum. intra triennium &c. quod non videtur ſtare: quia dicit pupillam, nō dicit minorem, & eodem modo dicit in Eccleſia *gloſa vero in l. Nihil 17. ff. ad Maced.* ita inquit: Quidem notant Sic, quod ciuitas ſit minus priuilegiata, quam minor, cui ſenatus non obſtat, *vt ſup. de minor. l. verum §. fin.* Et quia loco priuati maioris eſt, *vt de verb. ſig. l. Eum qui nec.* Poteſt tamen dici eam reſtituendam *arg. ſup. Ex quib. cau. maior. l. Sed & ſi pro patre § fin. & C. de iur. reip. l. Remp. & C. de Sacroſ. Eccleſ.* [illegible]

Ij, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur, ſic inquit *Imp. in §. 1. de excuſat. tut. in Inſt. vbi Apoſtill.* ſic addit [illegible] in Somnio Scipio; dicit omnibus, qui patriam ſeruarunt, iuuerunt, auxerunt, certum eſſe in Cœlo, & diffinitum locum, vbi beati ſempiterno æuo fruuntur.

Res iudicata.

SEcundum *Modeſtin. in l. 1. ff. hoc tit.* ſic definitur, quod ſit, quæ finem controuerſiarum pronunciatione iudicis accepit, quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit. Sed quæri poteſt an res iudicata dicatur, quando à ſententia poteſt appellari, vt ſub illa definitione comprehenſa intelligatur? Et quidam dixerunt, quod non, ſed tantum eam diffiniri, à qua non poſsit amplius appellari: quod poterit confirmari per *l. Poſt rem iudicatam*, vel iureiurando deciſam, vel confeſsionem in iure factam, nihil amplius quæritur *ff. de re iud.* Sed ſi appellatio interponitur, amplius quæritur ſuper cauſa, & ſententia, ergo res iudicata non dicitur. Sed contrarium eſſe dicimus. Nam verba diffinitionis bene conueniunt etiam ſententiæ, à qua poteſt appellari; cum pronunciatio illius iudicis finem ponet controuerſiæ, de qua coram eo agebatur. Deinde confirmatur: quia *l. 1. §. vlt. ff. ad Turpill.* dicit, quod pronunciatum prouocationis remed. extinguitur: eſt ergo aliquid, quod extinguitur, ſcilicet res iudicata; & denique expreſſum videtur *in l. litigatoribus* 14. *C. de*

C. de appellat. ibi. Appellare vocem cum res iudicata poposcerit. Et ita tenet *glos. verbo. Attentari in l. Eleganter 23. ff. de condict. indeb.* quam sequimur. Licet altera *glos. quæ est 1. in dict. l. 1.* dicat rem iudicatam non dici, nisi quando appellari non potest.

Quod ait Senatus, quæ iudicata sunt rata manent, ita intelligendum est, vt iudicata debeamus ab eo accipere, cui iudicandi ius fuerit, ita ait *l. 1. §. vltim. ad fin. ff. ad Tertyll.* & insuper si rite, & non nulliter iudicatum fuerit iuxta *l. si se non obtulit 4. §. Condemnatum* accipere debemus eum, qui rite condemnatus sit. Cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit dicendum est condemnationis verbum non tenere *ff. de re iud.*

Nec inter alios res iudicata, aut prodesse, aut nocere solet, sed sine præiudicio prioris sententiæ totum ius alij creditori integrum relinqui, ait *l. Claudius Felix 17. ff. qui potior. in pignor.* facit ratio *l. Idem est 12. ff. de iur. iu.* ibi. Quia & si petissem a te hæreditatem probassemque meam esse, nihilominus ab alio petendo id ipsum probare necesse haberem, *& in cap. Cum super 17. in fin. de re iud.* sic. Cum res inter alios acta non noceat regulariter alijs. Non procedit autem in casu, de quo *in cap. pen. eod. tit.* in hæc verba. Quamuis regulariter alijs non noceat res inter alios iudicata. Ei tamen, qui cum sibi primũ de ea re actio, vel defensio competebat, sustinuit sequentem agere: ac illi etiã, qui passus est eum, a quo causam habuit experiri, est præiudicium generatum, & ibidem *glos.* enumerat alios casus.

Cum iudicatur rem meam esse, simul iudicatur illius non esse, ita *l. Pomponius 40. §. 1. in fin. ff. de procur.*

Cum accesserit aliquid rei iudicatæ, non est a re iudicata recessum, ita ait citata *l. si se 4. §. si ex conuentione ff. de re iud.*

Quamuis alias indebitam pecuniam solutam possit quis per condictionem indebiti repetere: tamen propter authoritatem rei iudicatæ repetitio quidem cessat, vt inquit *Vlpian. in l. si fideiussor 29. §. pen. ff. mandat.* quem intelligas cum *glos. ibidem verbo cessat.*

Res integra.

IN causis, illa dicitur dum est ante litem contestatam, vt deducit *glosa ex tex. in l. Et quia 6.* ibi antequam res ab eo, cui mandata est iurisdictio, geri cœperit *ff. de iurisd. om. iud.* verba autem *glos. verbo antequam* sunt hæc. Sed qualiter incipit geri? dic lite contestata: non enim cœptum videri potest ante litem contestatam, cum & iudex possit recusari, & euitari &c. ponit etiam *glos. in l. Mandatum* re integra, domini morte finitur 15. *C. manda.* ibi. In causis ante litem contestatam. & prosequitur, in negotijs autem potest quæri, an inceperit aliquid, vel paramenta fecerit, *vt in l. 1. §. cœpisse ff. de pollicit. in l. si pecuniam 5.* ibi. Deinde parato tibi &c. *ff. de condict. cau. dat. glos. vero in cap. vt debitus 59. Verbo Assignata de appellat.* sic ait. Rem intelligo integram ante citationem, per quam iurisdictio perpetuata est.

In electionibus autem sic disponit *cap. In causis 30. de elect.* Cum res non esset integra; quia in tractatu iam processerunt electores. *Et in capit. vbi periculum 4. §. 1. ad fin. eod. tit. lib. 6.* sic. Vel etiam si absentes &c. Superuenerint re integra, videlicet antequam eidem Ecclesiæ sit de pastore prouisum, & ibi notat *glos.* diuersitatem huius verbi, re integra, in hoc text. qui loquitur de Cardinalibus in electione Pontificis, ab alio supra proxime loquente in alijs electionibus, *& Apostill. ad l. Quod si minor §. Non semper ff. de minor.* ita. Sic qui

qui vocatus ad electionem respondit se nolle interesse electioni, si veniat ante electionem, & scrutinium admitti debet: quia sunt integra per text. ibi. Si quidem omnia integra sunt audiendum esse.

In emptione, sic ait *l. 1. C. quand. lic. ab empt. disc* Re quidem integra ab emptione, & venditione vtriusque partis consensu recedi potest, *& glos. verbo integra*, ita scilicet vere, hoc est neque pretio soluto, neq; re tradita &c. idem *glos. 1. in l. si ego 25. ff de negot. gest.* ibi, Re integra, vel quia non tradidisset, vel quia detradendo se non obligasset, *& l. 2. ff. de rescind. vend.* hæc ait. Potest enim, dum res integra est, conuentione nostra, infecta fieri emptio: atq; ita consistit posterior, quasi nulla præcesserit; sed non poterimus eadem ratione vti post pretium solutum emptione repetita: cum infectam emptionem facere non possimus.

Quid ergo si die præterita, sed antequam hæres venderet, vendicare legatarius velit? interrogat *Iurisconf. in l. Mancipiorum 6. ff. de opt. legat.* & respondet. Audietur: quia non est damnum subiturus hæres, propter quod decernere id prætor solet &c. Ergo toties actio deneganda non est, si omnia integra sunt. Ex quo tex. deducitur, quod post terminum a iudice constitutum auditur, quis re integra.

In actione diuidenda, ait *l. Quoties 48. §. si creditor ff. de pecul*, ita. Sed re integra non esse permittendum actori diuidere actionem, vt simul cum emptore, & venditore experiatur, vbi *glos.* sic. Re integra, id est non dum lata sententia, tamen iam lite contestata, alias posset actor diuidere.

Notabis *cap. Quicunq; 11. de sent. excom. lib. 6.* dum diuersimode intelligit hoc verbum, re integra, nam qui capi, vel occidi iubet Ecclesiasticum proferenté excommunicationis sententiam, excómunicatus declaratur, nisi re integra reuocauerit tale mandatum, quod intelligit idem *glos.* antequam ad iniuriá personalem perueniatur. At vero si bona illius Ecclesiastici inuadantur, re integra intelligitur, si intra octo dierum spatium non reuocauerit, vt notauit ibidem *glos.* eodem verbo re integra.

Res eadem.

VT dicatur, necesse est, vt omnia hæc concurrant. Inspiciendum est, an idem corpus sit *l. Cum quæritur 12. ff. de except. rei iud.* Quantitasq; eadem idemque ius *l. 13.* Et an eadem causa petendi, & eadem conditio personarum: quæ nisi omnia concurrant alia res est *l. 14. eod. tit.*

Sed & si omnes iudices mutati essent, tamen & eandem rem, & iudicium idem, quod antea fuisset permanere: neq; in hoc solum euenire, vt partibus commutatis eadé res esse existimaretur, sed & in multis cæteris rebus &c. Quapropter cuius rei species consisteret rem quoque eandem existimari, ita inquit *l. Proponebatur 76. ff. de iud.* Licet alias supradicatur, quod reddita non videtur *ex l. 3. §. 1. ff. commoda.* cum licet deterior, eadem sit.

Eadem res non potest duos effectus contrarios parere, *vt per glos. verbo facta in cap. vlt. de lit. contest. lib. 6. & probat l. eum, qui ades 23. ff. de vsucap.* ibi. Neque enim recipi potest, vt eadem res soli, & tanquam mobilis possessa sit.

Dicitur etiam res eadem, quando est consecutiua ex altera, vt tenet *glos. verbo quæstio in l. hinc quæritur ff. de pecul.* Notabis tamen in hac materia, quod quando vna res non potest accedere duobus accedet pretiosiori: si vero potest tunc pretiositas non attenditur, vt inquit *glos verbo bonitatis in l. si partem 25. ff.*

25. *ff. de seru. rustic.* & quæ sit pretiosa summatim cognoscitur, dicit *glos. verbo d. seruo in l. Emptor 37. ff. de euict.*

Res diuersa.

EX dictis *in princ. sup. proximo verbo*, constat quæ sit, *& in l. Non a iudice 64. §. unico ff. de iud.* sic dicitur. Si quis alio iudicio iudicatum solui satis acceperit, deinde alio iudicio agat: non committetur stipulatio: quia de alia re cautum videtur, *vbi glos.* sic. Alio iuditio, id est propter alium iudicem, & sic dicitur aliud iudicium, hoc ipso, quod mutatur iudex, sicut e contra dicitur idem &c.

Tunc dicuntur res separatæ, quando circa diuersa omnino officium suum gestor adhibuit: tunc vero dicitur inseparabilis, quando circa eandem rem tantum gestoris perseuerat officium, ita *glos. verbo. Non possit in l. Eum a Actu ff. de negot. gest.*

Commutata forma substantialis res non dicitur eadem, sed diuersa, sic summat *Bald. l. Iulianus 9. §. si quis rem ff. ad exhib. vbi Apostill.* dicit. Nota istum *tex.* ad quod semper allegatur, quod licet sit identitas materiæ, si est diuersitas formæ res dicetur esse diuersa concord. *de pig. act. l. si conuenerit §. Si quis cauerit.* Item commutatione litis alia res esse dicitur *l. 3. C. ad exhib.*

Rescriptum.

IAm supra verbo litteræ nō pauca dicta sunt de hoc verbo; nunc aliqua etiam dicamus. Et in primis tempus datæ rescripti esse attendendum, satis patet *ex cap. Eam te 7. de rescript.* ibi. Quod nullatenus fecisses si datam litterarum attendisses *glos. verbo iuramento in capit. Constitutus 19.* ibi. Quia data rescripti attenditur, *& glosa 1. in capit. Constitutus 36. ead. tit. glos. verbo postmodum in cap. Cum bona 8. de ætat. & qualit.* ibi. & est argum. quod tempus impetrati rescripti attendendum est.

Ordinem etiam rescripti seruandum notauit *glos. verbo transponentes in capit. Cum dilecta 22. de rescript.* & addit sic. & ordo verborum ostendit ordinem processuum: arguitque in contrarium, & soluit ita. Vbi aliquid principaliter mandatur; illud tanquam principale, & primo tractandum est. Cætera vero secundario tanquam accessoria subsequentur, sunt expedienda sicut hic. Vbi vero plura principaliter committuntur non refert, quod illorum primo tractetur, nisi forte vnum de natura sui præcedat. Quid autem dicemus, si ordo rescripti sit contra iuris ordinem? quē sequemur? *Et glos. in cap. Ex parte 13. verbo rationabilis de offic. legat.* sic ait. Argum. quod magis est procedendum secundum iuris ordinem, quam secundum formam rescripti &c. Sed contra &c. sol. Semper sequenda est forma rescripti si non contradicat: secus est &c. Hoc verum est, nisi papa ex certa scientia contrarium mandet, tunc est ei obediendum etiam si durum sit mandatum

In huiusmodi literis intelligenda est, hæc conditio, etiam si non apponatur, si preces veritate nitantur, ita *capit. 2. de rescript. & ibi glos. verbo conditio.*

Rescripta personalia sunt, nec ad personas, nec ad res alias, quam quæ continentur ibi, extenduntur, sic *glos. in cap. significauit 26. de rescript. & glos. vlt. in cap. Edoceri 21. eod. tit.* ibi. Quia rescripta non extenduntur ad res, vel ad personas, in eis nō comprehensas, quoniam stricte sunt intelligenda. Nec extenduntur ad lites, quæ non extabant tempore impetrati rescripti, vt inquit *glos. 1. in cap. 3. de renunc.* Et generaliter, quod rescripta demandata iudicibus dicantur tota die stricti iuris: eo

quod

quod in eis nihil venit nisi ea de quibus in eis actum est, inquit *glos. in §. vnic. vers. Item in his in casus positione de oblig ex consens. in Inst.*

Per rescriptum principis lites sopitæ suscitari non debent, imo tales a limine iudiciorum debent expelli, qui volunt lites sopitas suscitare, sic *glos. verbo suscitare in cap. Nonnulli 28. §. sunt alij de rescript.*

In editione litterarum D. Papæ facienda aduersario, omnia ponenda sunt, quoniam litterę communes sunt &c. Et ea, quæ sunt communia integraliter sunt &c. & tradendæ sunt litteræ ad videndũ ita *glos. pen. in cap. Eam 3. de rescript.*

Dolus, & negligentia præsumitur in eo, qui per annum steterit, quod non vtitur litteris, sic *glos. in capit. si autem 9. de rescript.*

Contra ius commune, vel consuetudinem rescripta non valent, nisi fiat de eis mentio cum clausula, non obstante, vt tenet *glos.* 1. *in l. si non 9. C. de testib.* ibi. Si non speciali priuilegio ab imperatore concesso, in quo dicatur non obstante lege &c. & ibidem notat *Apostill.* dicens. Nota *glos.* Secundum Ludou. & Corn. quod rescriptum iuri contrarium debet habere clausulam derogatoriam, vide etiam *Bald. in l vlt. coll. 2. versic. quarta quæstio C. si cont. ius, & in l. rescripta coll. 2. C. de prec. Imp. offer.* Et cum fiunt contra legem esse ambitiosa, dicit *glosa verbo. Interpretati sunt per tex. ibi. in l. 3. ff. de minor. & l. rescripta C. de prec. imp. offer.*

Suppresio dignitatis vitiat rescriptum, sic *glos. verbo. Non facta mentione in cap. Cum ordinem de rescript.*

Non admitti ad officium, in quo quis deliquit etiam si afferat rescriptum principis disponit *l. si aliquid 12. C. de susceptor lib. 10.* ibi. Et si rescriptum nostrum elicitum clandestina supplicatione intulerit.

Falsum præsumitur rescriptum iniquitatem continens, vt inquit *glos. vlt. in cap. 2. de rescript.* ibi. Quia falsæ præsumuntur litteræ istæ, quæ tantam continent iniquitatem *arg. l. Quoties C. de prec. imp.* & tales falsarij mitti debent ad D Papam puniendi. Et quando tale præsentatur, vel aliud, quod sinistra informatione fuerit impetratum, adimpleri, non debet cum dicat *Papa in capit. si quando 5. de rescript.* patienter sustinebimus si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum.

Sed quid si in rescripto defuerit aliqua Syllaba erit ne vitiosum? & videtur, quod sic per *cap. Ex parte 11. de fid. instr.* ibi. Quia rescriptum Apostolicum &c. hæc figura, O, deerat, asseritur vitiosum, & ibidem *glos.* O, sic. Ex hoc videtur satis, quod non debuit valere: quia in litteris D. Papæ nihil debet diminutum esse &c. Et cum multa deliberatione, & maturitate traduntur &c. Vnde non est verisimile, quod aliquod vitium possit ibi manere. Sed propter tam modicum defectum non vitiatur, maxime si rescriptum in alijs appareat omnino legitimum cum fuerit vitium scriptoris, siue nimia occupatio, quod nocere non debet.

De vitio autem latinitatis *glos. verbo manifestum in capit. Ad audientiam 11. de rescript* sic ait. Patet quod vitium latinitatis vitiat rescriptum &c. *Arg.* cõtra, quod propter malam latinitatem non vitientur rescripta, vt &c. vide supra per eam allegata.

Residere.

QVi ad residentiam tenentur, ab ea non nisi ex studio, vel alia rationabili causa ad tempus excusantur, sic dicitur *in Clem. 1. §. Cæterum de stat. Monach. vbi glos. verbo Causa*, ita ait. Si propter infirmitatem, aeris intemperiem, capitales inimicitias, vel similia.

Re-

Residuum.

HVius commemorationem totum admittere, dicit *l. 2. C. de hared. instit.* à qua deduxit *glos. verbo teneatur in cap. 2. de vsur. lib. 6.* ibi. Nam & residui commemoratio totum admittit, *& glos. verbo ex nulla in l. Item 17. ff. de hared. inst.* Vide *Bart. in l. Offidius in princ. ff. de legat. 3. & Alex. in d. l. 2.* sic. Quando non reperitur pars in cuius defectum posset verbum illud verificari.

His verbis, quicquid ex hæreditate mea superfuerit, rogo Titio restituas boni viri arbitrium inesse credidit, scilicet D. Marcus, iudicauit enim erogationes, quæ ex hæreditate factæ dicebantur, non ad solam fideicommissi diminutionem pertinere, sed pro rata patrimonij, quod proprium habuit hæres distribui oportere, sic *l. Titius 54. ff. ad Trebell. & in l. Deducta 58. § vlt. eod. tit.* ita. Quod ex hæreditate superfuisset cum moreretur restituere rogatus, fructus superfluos restituere non videtur rogatus. Cum ea verba diminutionem quidem hæreditatis admittant, fructuũ autem additamentum non percipiant. *& In Auth. contra C. ad Trebell.* taliter rogatus restituere, tenetur saltem ad quartam partem relictorum, fideicommissario reseruare.

Resistere.

NOn solum est turbare, sed etiam quæstionem, aut controuersiam mouere, vt dicit *Bald. in l. 1. C. de test. glos. verbo nouerit in l. Lucius Titius 78. §. tres hæredes ff. ad Trebell.* ibi. Et dicitur quis mouere controuersiam etiam resistendo vt &c. Et qui tenetur resistere debet id facere viriliter: alias etiam dolus fit, vt dixit *glos. verbo dolo in l. 2. si vent. nom.*

Nota, quod etiam principis officialibus resistitur si excedant in suo officio, vt probat *glos. verbo resistentibus per text. ibi in l. Prohibitus 5. C. de iur. fisc. lib. 10. & l. contra 5. C. de executor. lib. 12.* ibi. Et licebit prouinciali, si probetur obnoxius contra vetitum, exactionem sibi vendicans, temeritatem legitime repellere, *vbi glos. verbo. Prouinciali* sic. Nota dari licentiam resistendi officiali excedenti modum &c. idem *in Auth. vt litig. iur. §. Et hoc coll. 9. in fin.* ibi. Et si quid amplius eos exigere voluerint licentiam habeant eis resistendi.

Respondere.

NOn solum intelligitur, quando ad interrogata fit responsio iuxta *tot. tit. ff. de interrogat. act.* & iura de quibus infra. Sed etiam solutionem denotat, nam quando aliquis promittit respondere certo loco, intelligitur, idest soluere, vt optime *per Bald. in l. Eam quam ante num. 1. C. de fideicomm.* ibi. Respondere idest satisfacere: Ergo ille qui promittit respondere certo loco, promittit soluere: Non enim intelligitur de responsione contradictoria: Sed de executiua. Non enim interest stipulatoris apponere pactum contradictorium, sed satisfactorium: alias tãquam fatuus loqueretur contra se ipsũ. Vide etiam *Paul. Castr. in l. si conuenerit ff. de iurisd. om. iud glos. verbo. Respondere in l. 3. vbi etiam Bart. ff. de procurat. Bald. in l. si quis in conscribendo C. de episc. & cler. & in l. 1. ff. de in ius voc. & quod habetur in cap. Dilecti extr. de for. comp. & per doct. in cap. 1. extr. de iudic.* prout allegat *addit. ad Bald. in d. l. 1. C. de fideic.*

Quando vero sumitur pro responsione ad in-

integra debet esse conformis ipsa responsio interrogationi iuxta *l.1.vbi glo. verbo vt interrogatus ff. de verb. oblig.* Et clara, non autem obscura, cum nihil respondere, & obscure respondere, paria sint *l. De atate §. Nihil interest, vbi Bart. ff. de interrog. act.* idem dicas in responsione alternatiua, & incerta *l.Certum ff. de confess. glos.in cap.præsentium de testa. lib 6.*

Si clara est responsio, simpliciter facta, intelligitur, iuxta qualitates interrogationis, *vt in l. si defensor §. 1. ff. de interrog. act. & ibi not. Alex. glosa Verbo dispensauerit in capit. Tua de sponsal. & verbo recusant in cap. peruenit il 2.de test. cog. & verbo si prospectum in l 1.C. de diuers. rescript. Bart. in l. De atate §. quod autem ff. de interrog.act.*

Si fuerit vnica responsio facta super duo quæsita, ad vtrunque referri, dicitur *in l.Consilio §. quæsitum, & ibi Bart. & glos. ff. de curat. fur. vide omnino Abb. in capit. 1. prope fin. de mut. petit.* Quæ conclusio patitur magnam difficultatẽ *ex cap. Non ne de præsumpt.* vbi Christus Dominus ad duo, quæ illi conuiciabantur Iudæi, respondens tantum ad vnum, alterum visus est negare probat etiam *Bart. in d.l. 1.C. de diuers rescript. Bald in l. siue col.2. vers. Item pone* C. *de probat.* Respondens simpliciter se hæredem esse, intelligitur insolidum, nisi aliter limitetur iuxta *d.l.si defensor § 1. ff. de interrog.act* Et sibi præiudicat tantum, quoad interrogationẽ factam iuxta *l.vlt. vbi Bart eod tit.* etiã si respondeat ad id, quod nõ est, *vt in l si fine eod.tit.* nisi respondeat sub protestatione, vt notauit *glos. verbo. Nihilominus in capit. Cum contingat de offic. delegat.*

Poterit responsio reuocari, vt ponit *glosa verbo iusta causa vers. Sed quid dices in in cap. Cum in positionibus de iur. iu.lib. 6. Bald. in l. edita C.de edend.* quod verum dicit *glos. Verbo reuertitur in capit. apud misericordem 32. quæst. 1.* antequã responsio in scriptis reducatur *per cap. Olim de cens. & habes iam sup. Verbo. Confessio* vbi alia de materia.

Restitutio.

Siue sit illa, quæ datur minoribus iuxta *rubr. de minor. & de rest. in integ.* siue quæ conceditur maioribus *ex rubr. Ex quib. cau. maio.* & clausula illa, si qua mihi iusta causa &c. siue quę datur spoliatis iuxta *tit. ff. de vi arm. & C. vnd. vi. & de rest. spol* siue etiam quæ a principibus conceditur natalibus restituendo *ex tit. de natal. rest. & in Auth. quib. mod. natural. coll. 6.* vel tandem, quæ ab iisdem indulgetur sententiam passis, semper diffinitur, quod sit in pristinum statum repositio *l. Quod si minor. §. restitutio, vbi Bart. ff. de minor. idem Bart. in l. Ab hostibus §. Sed quod simpliciter in fin. ff. ex quib. cau. maio. l. videamus §. in fautana ff. de vsur.*

Vndę quando fieri videtur restitutio omnia restitui debent. Nec enim sufficit ipsum corpus restitui, sed opus est, vt & causa rei restituatur, id est, vt omne habeat petitor, quod habiturus foret, si eo tempore, quo iudicium accipiebatur restitutus fuisset, vt inquit *l. Præterea 20. de reiuend.* Nam & verbum, restituas, quod in hanc rem prætor dicit, plenam habet significationem, vt fructus quoque restituantur: ait *l. videamus 58 ff de vsur.* Et addit sic, Et ideo cum restitui prætor vult, veluti interdicto vnde vi, etiam fructus sunt restituẽdi, & addit *glos. verbo putat in l. Au 23. §. 1 ff. ex quib. cau. maio.* ibi. Cum enim certum sit possessionẽ restitui debere, ergo & fructus veniunt, vt &c & *glos. vlt. in l. Et Aticilinus 35 ff. de seruitut.* ibi. Item nota hic quod restituta re in pristinum statum, & pristina iura restituenda sunt, per tex. ibi. Itaque,

quod

quod ius habuerunt primum, cum ea aqua ad eos peruenire non potuit, id eis restitui placet.

Et denique dic cum *Iurisc. in l. Plene ff. de verb. sig.* Restituere est etiam possessorem facere, fructusque reddere: pleraque præterea restitutionis verbo continentur, *& in l. 35. eod. tit.* Restituere is intelligitur, qui simul, & rem, & causam actori reddit, quam is habiturus esset, si statim iudicij accepti tempore res ei reddita fuisset, idest vsucapionis causam, & fructum, *& in l. Cum prætor 85. eod.* ibi. Nam verbo restitutionis omnis vtilitas actoris continetur. Et latius patet restitutorium iudicium secundum Canones, quam secundum leges etiam, vbi quis dolo, vel metu perdit rem, vt per *glos. verbo. Contra spoliatorem in cap. 2. de ord. cog.*

Permittitur autem iudici æstimare ex bono, & æquo, quid debet restitui, in quo & illud continetur, vt si quis inuicem actorem præstare oportet eo compensato, in reliquo damnetur reus, sic dicit *glos. verbo bona fidei in l. sed & si 22. ff. solut. matr.*

Restituere videtur, qui in pristinum statum reducit: quod fit siue quis tollat id, quod factum est, siue reponat id, quod sublatum est, & id interdum sumptu suo, ita inquit *l. 2. §. ex fundo ff. ne quid in loc. pub.* Et si non fecit, nec iussit fieri, sed factum habet, dicit sic idē tex. Si vero nihil horum interuenit, sed habet factum, tunc dicemus patientiam solam præstare debere. De restitutione, quæ datur minoribus, sic *Imperator C. de in integr. rest.* Minoribus in his, quæ ignorauerunt, vel prætermiserunt inumeris authoritatibus constat esse consultum, *& in l. Præfecti 18. ff. de minor.* sic. In integrum vero restitutio erroris proprij veniç petitionem, vel aduersarij circumuentionis allegationem continet. Et si serius venierit, & existat, qui plus liceatur, an in integrum propter lucrum restituendus sit? Et quotidie prętores eos restituunt, vt iterum admittatur licitatio, sic dicit *l. Et si 8. ff. de minor.* Fortasse, & mulieri propter imperitiam etiam conceditur, vt ait *Iurisc. in l. De die 8 §. si seruus ff. qui satisd. cog.* His qui ob ætatem, vel rusticitatem, vel ob sexum lapsi non ediderunt, vel ex alia iusta causa, subuenietur, ita inquit *l. 1. §. vlt. ff. de eden.* In ijs, casibus restitutionis auxilium maioribus damus in quibus dumtaxat rei persequendæ gratia queruntur, non cum lucri faciendi causa ex alterius pæna, vel damno auxilium sibi impertiri desiderant, sic *l Sciendum 18. ff. ex quib. cau. maior.* Sed & si magistratus copia non fuit, Labeo ait restitutionem faciēdam *l. Sed & si §. prætor ait eod. tit.* Adde etiam quando noua defensio superuenit, *vt in cap. vlt. de in integr. restit.* ibi. Nisi nouis defensionibus ad huiusmodi beneficium sit admittenda, *vbi gl. vlt.* sic. Tunc enim propter nouas defensiones iterum auditur. Quæ autem sint? Vide verbo. *Defensio.*

Constat autem omnis ætatis hominibus restitutionem eremocidij præstari debere si se doceant ex iusta causa abfuisse *l. Et si 8. §. pen alias § vlt. ff. de minor.* Omnis restitutio tam maioris, quam minoris intra quadrienniū debet fieri, & hoc est contra opinionem illorum, qui dicunt, quod restitutio semper est danda, & ante quadriennium, & post, & quandoque argum, illius aduerbij, semper, ita tenet *glosa verbo. Aliquot in cap. Contingit 3. de transact.*

In consilio quidem cognoscentis de restitutione in integrum esse oportet, num is qui se minorem annis læsum esse dicit, diligens pater fam. fuerit, actibusque publicis industrium se docuerit, vt lapsum eū per ætatē verisimile non sit, ita ait *l. 1. C. qui & aduers. quos.* Cum malitia suppleat ætatem, restitutionis auxilium, tam sacris constitutionibus,

quam rescriptorum authoritate constitutum est, ita *l.3. C. si min. se maio. dic. & in l. verum 12. §. sciendum ff. de min.* sic. Ita non restituetur, qui sobrie rem suam administrans, occasione damni non inconsulte accidentis, sed fati velit restitui: Nec enim euentus, damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas.

Neque pupillum extraordinem iuuandum praesertim, si nouum beneficium cum alterius iniuria postularet, dicit *l. Sed cum 12. ff. ad Trebell. vbi glos. vlt.* intelligit de iniuria magna, secus si parua. Item. Neque pupillũ, neque Remp. cum pro libertate iudicatur, in integrũ restitui posse, ait *l. Illud 9. ff. de appellat.*

Aduersus eius sententiam, qui vice principis cognoscit, solus princeps restituit sic *l.3. C si aduers. rem iud.* Nam iudex minor non potest contra sententiam maioris restituere, vide *glos pen. in l.2. eod. tit.*

Non datur etiam restitutio ijs, qui veniam aetatis impetrauerunt ex ratione *tex. in l.1. C. de ijs, qui ven. at.* ibi. Ne ij, qui cum eis contrahunt principali authoritate circumscripti esse videantur. Non enim inde iniuriarum debet nasci occasio, vnde iura nascuntur *ad l. Meminerint C. vnde vi.*

Nec restitutioni locus est in re, quae statũ mutauit iuxta *l. si ex causa 10 §. Pomponius ff. de minor.* ibi. Quoniam res non capit restitutionem, cum statum mutat, *& glos.1. in l. 2. ff. de in inugr. rest.* ibi. Quia cum res mutat statum nulli restitutioni locus est.

Item nota, quod in spiritualibus non habet locum restitutio in integrum: quia non videntur decepti, qui meliorem vitam elegerunt, sic tenet *glos. vlt. in cap. pen. de ijs qua ui.* Nec etiam datur restitutio minori ad adeundam hereditatem, quam repudiauit etiam per restitutionem, vt dictum est verbo. *Filius.* An detur fideiussori succedenti minori? vide verbo *Fideiussor.* Et quod personarum reuerentia excludat restitutionem videas verbo *reuerentia.*

In materia vis, ad hoc vt restitutio competat regula est tria, quod ille, qui praetendit restitui duo debet extrema probare scilicet possedisse, & spoliatum fuisse, prout notauit *glos. pen. in capit. consultationibus 10. de offic. deleg.* ibi. Nota quod haec duo probare tenetur, qui petit restitui, scilicet se possedisse, & spoliatum fuisse &c. & idem est si aliquis spoliauit, vel mandauit, vel ratam habuit spoliationem, probat etiam *glo. verbo restitutionem in cap. Olim 12. de rest. spol. & in l.1. §. hoc autem interdictum* nulli alij competit, nisi ei, qui tunc cum deijceretur, possidebat *ff. de vi. arm.* Quod intelliges si petat restitui per viam actionis, non enim per viam exceptionis restitutionem obtinebit iuxta *cap.2. de ord. cog.* ibi. Verum spoliatione in modum exceptionis tantum probata, non est per hoc restitutio facienda.

Spoliatus si contra ius petit se restitui, ita quod exceptio obstat ipsi possessorio nõ est faciẽda ei restitutio ex his, quae *glos. verbo sufficiens in cap. sententia de pac. Constant.* Quid autem si reus vellet incontinenti probare dominium? videtur quod cesset restitutio *ex cap.1. de rest. spoliat.* ibi, Quamquam ante omnem contentionem possessio ei debuerat, violenter ablata, restitui: tamen quia Euetus diaconus &c. consentiente illo constituit se legitime probaturum dictũ campum eiusdem Ecclesiae iuris esse &c. *vbi glos.1.* sic. Sed videtur quod non est restituendus, si aduersarius in continẽti vellet probare dominium &c. vbi allegat iura, verum sic respondet. Sed non obstant illae leges, quia non loquuntur in interdicto adipiscendae possessionis. Ex qua clare patet, quod quando agitur vnde vi, quaestio dominij non impedit restitutionem; nisi quando a-

ctor

ctor consensit agitari dictam quæstionem dominij non facta protestatione, quod nullo modo tractari volebat de ea, sed tantum de vi, & restitutione sibi facienda; quia tunc nulla protestatione facta, videtur consentire, & impeditur restitutio probato dominio *ex d. cap. 1. de rest. spoliat.* ibi. Consentiente illo &c. & in hunc sensum procedit *glos.* & iura, quæ ibi affert in *cap. 3. de nou. oper. nunc.* ibi. Quia restitutio etiam differtur si incontinenti offerantur probationes, & quæ dicuntur supra verbo *Possessio*.

Restitutio coniugis an sit facienda coniugi, quando opponitur de inualiditate matrimonij in gradu prohibito? vide verbo *opinio*, & verbo *uxor*. Et an differatur propter scandalum? verbo *scandalum*.

De restitutione, quæ fit contra sententiam scias quod dupliciter potest contingere, aut enim per indulgentiam tantum aut per restitutionem in integrum.

De prima sic dicitur in sũmario *l. 2. C. sent. pass.* Indulgentia solam pœnam remittit, non autem bona restituit, coniuncta *glos. verbo. Quid sit*, nec etiam filiũ restituit ad patriam potestatem, *vt in l. Insulam 6. eod. tit.*

De secunda, ita *in l. 1. eod. tit.* Vt autem scias, quid sit in integrum restituere, honoribus, & ordini tuo, & omnibus cæteris te restituo. Et de vtraq; eadem dicit *glos. verbo eximi in l. 1. ad fin. ff. de postul.* ibi. Aliud est in restitutione, quæ omnino in statum pristinum aliquem reducit, vt hic: Et aliud indulgentia, per quam sola pœna remittitur, & infamia remanet.

Notabis tamen, quod licet concedatur in integrum restitutio, non operabitur in his, quæ tunc temporis erant iam alienata; quia restitutio principis non trahitur retro contra ius quæsitum alteri, *vt notauit glos. in d. l. 1. C. de sent. pass. in addit.* & probat aliàs *cap. Quamuis 8. in fin. de rescript. lib. 6.* ibi. Cum talis restitutio (vbi aliud non exprimitur) intelligatur fieri sine iuris præiudicio alieni.

Notabis etiam casum, in quo licet concedatur restitutio in integrum, non tamen restituuntur iura amissa, licet res in pristinum statum redierit, *vt ex tex.* deducit *glos. 1. in cap. vnic quid iur. si post alienat. in vsib. feud.*

De restitutione natalium, sic inquit *glosa verbo præmandans in Auth. quib. mod. nat. §. si quis sane coll. 6.* Restitutio natalium plenam dat restitutionem.

In restitutione, quæ fit in iudicio vniuersali, sic ait *glos. verbo. Earum in l. Restituta 37. ff. ad Trebell.* Nam, & cum vnum sit ius vniuersale, per vnam rem sufficit fieri restitutionem.

In l. 2. ff de prætor. stipulat. sic ait Iurisc. Quandiu enim aliquid superest, tandiu non potest videri opus restitutum. Videtur autem dolo facere dominus, qui cum habet restituendi facultatem, non vult restituere, ita inquit *l. In bona fidei 37. ad fin. ff. de pecul.*

Qui restituitur sicut in damno morari nõ debet, ita nec in lucro sic *l. 1. C. de reputat.* & ideo quicquid ad eum peruenit, vel ex alio contractu hoc debet restituere, *vbi glos. verbo restituere* intelligit sic, si locupletior factus est.

Vt an data sit restitutio, vel danda contra præmissam sententiam partibus præsentibus decernatur, quarum assertione merita causarum panduntur, sic *in cap. Tum litteris de in integr. rest.*

Boni prætoris est potius restituere litem, vt ratio, & æquitas postulabit, quam actionem famosam constituere, ad quã tunc demum descendendum est, cum remedio locus esse non potest, ita inquit *l. Diuus 8. ff. de in integr. rest.*

Re-

Digitized by Google

Retentio.

FAcilius conceditur cui competit actio iuxta *l. Cum soluta vbi not. Bald. C. de condict. indeb.* & facit ratio *l. si stipulatus 16. ff. de fideiussor.* ibi. Interest enim eius pecuniam retinere potius, quam solutam stipulatori a reo repetere. Et adhuc quando actio non competit, retentio competere potest, nam *Papinian. in l. sumptus 49. ff. de rei uenate.* actionem negat pro sumptibus factis in re aliena, & tamen exceptionem, seu retentionem concedit, & deducitur *in l. 2. §. vlt.* ibi. Hoc non peti, sed præstari solere *ff. de orig. iur. & ex l. 1. §. Proinde ff. de var. & extraord. cog.* ibi. Nec de honestanda dum in iudicio honor petitur &c. & ibi tametsi honeste accipiantur, in honeste tamen petuntur.

Ampliabis notabiliter *d. l. sumptus per l. 14. ff. comm. diuid. vbi Paul. lib. 3. ad Plautium* sic ait. Impendia autem, quæ dum proprium meum fundum existimo, feci, quæ scilicet, si vendicaretur fundi pars per exceptionem doli retinere possem: an etiam si communi diuidundo iudicio mecum agatur, æquitate ipsius iudicij retinere possim. Cōsiderandum est. Quod quidem magis puto: quia bonæ fidei iudicium est cō muni diuidundo: Sed hoc ita si mecum ageretur. Cæterum si partem meam alienauero, non erit vnde retinere possim. Sed is, qui a me emit an retinere possit, videndum est, nam si vendicaretur ab eo pars: impendiorum nomine, quæ ego fecissem, ita vt ego poterat retentionem facere. Et verum est, vt & in hac specie expensæ retineantur. Ex quo tex. clare liquet, quod retentio pro expensis transit in singularem successorem, & ibidem *not. Bart.*

Retentionem vnius rei pro alia fieri posse videntur probare iura hæc *l. si non sortem 26. §. si centum* ibi. Ager vero retinebitur *ff. de condict. indeb. l. si necessarius 8. §. Pignori* ibi. Et reliqua mancipia poterit retinere *ff. de pig. act. l. Quod dicitur 5.* ibi. Manebit igitur maritus in rerum detentione donec ei satisfiat *ff. de impens. in reb. dot.* Sed in contrarium regulam ponendam, scilicet nō posse retineri rem vnam pro alia tenet *glos. verbo retinebit in d. §. si centum ex l. si non inducta 5. C. in quibus cau. pig. tac.* ibi. Nec enim prætextu debiti pensionum, restitutionem eorum morari potest: cum si quid sibi deberi domina fundi ex pensionibus, vel quacunque ratione probari possit, huius solutionem solemniter conueniat, iura vero sup. in contrarium procedere per fallentias d. regulę, quod melius declarauit *Bart. in d. §. Centum opposit. vlt.* dum dicit posse retineri rem pro debito obligatam, dummodo retineatur propter sumptus, vel melioramenta in eandem facta, quæ peruenit ad ipsum occasione illius debiti, non rem, quæ peruenit propter aliud, vide etiam *Ias.* ibidem ponentem regulam cum limitationibus.

Reuelatio.

SI intelligas de ea, quæ fit per diuinam inspirationem, de qua dixit Christus Dominus *Matth. 11. d. Confiteor* tibi pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Dic eam non credi factam simpliciter asserenti, ex ratione *tex. in cap. Cum ex iniuncto 12. de haret.* ibi. Cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nude tantum asserere, quod ipse sit missus a Deo, cum hoc quilibet hæreticus asseueret, & per istum tex. ita notauit *glos. verbo reuelatum in Clem. 1. vers. potissimum* igi-

igitur de reliq.& vener. sanct. Sed oportet quod astruat illam inspirationem, reuelationem, vel missionem, per operationem miraculi, *vt in d. cap. 12. continetur*, vbi addit *glos. Verbo Miraculi*, quod nec istud statim credendum est; quia quandoq; miracula fiunt per malos *cap. teneamus* ibi præter vnitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant similia Moysi 1 *quæst.* 1.

Addit insuper *d. cap. Cum ex iniuncto* 12. *de haret.* vel per scripturæ testimonium speciale. Nam scripturis sanctis creditur adesse inspirationem, seu reuelationem illam, vnde de illis non possumus dubitare, vt notauit *glos. in capit. Noli* meis litteris quasi Canonicis scripturis deseruire 9. *dist.* Cum hoc tamen stat posse quemlibet orantem, & petentem à Deo impetrare reuelationem, vt dicitur *in cap. si ergo* 8. *quæst.* 1. ibi. Nisi hoc si cui oranti, & petenti a Domino reueletur. Et si post inspirationem, & reuelationem faciat contra, præsumptione, & obstinatione dicetur niti secundum *Cyprian. relatum in capit. vlt* 8. *dist.*

Si vero intelligas de reuelatione, quæ fit de secretis humanis. Certum est, quod nullo modo peccatum occultum debet reuelari iuxta *cap si peccauerit* in te frater tuus corripe eum inter te, & ipsum solum. Quare? quia in te peccauit. Quid est in te peccauit? tu scis, quia peccauit; quia enim secretum fuit, quando in te peccauit: secretum quare num corrigis, quod peccauit in te? nam si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere: non eris corrector erroris, sed proditor &c. 2. *quæst.* 1. *vbi not glos.*

Vnde dicunt doct. quod reuelans secreta punitur de falso, & deducunt *ex l. 1. §. Is qui aperuerit*, alias. Is, qui peruerterit viui testamentum, legis Corneliæ pæna tenetur *ff. ad l. Corn. de fals. & l. si quis aliquid* 38. *§. Qui viui testamentum* aperuerit: recitauerit, resignauerit: pæna *l.* Corneliæ tenetur &c. *ff de pæn.* tenetur etiam actione in factum, & iniuriarum si iniuriæ faciendæ causa secreta publicauerit iuxta *l. si quis testamentum* 47. *§. sed & si quis* tabulas testamenti apud se depositas deleuerit, vel pluribus præsentibus legerit &c. *ff. ad l. Aquil.*, quod ampliat *Bald. in cap. 1. vers. nota reuelationem quib. mod. feu. amitt.* etiam si damnum non afferat ex reuelatione.

Reuelans secreta Capituli, seu Concilij, quæ iurauit tenere sub silentio, tanquã falsus habetur, & vt periurus mentitur, ac per consequens ei non creditur, vt tenent *Ioan. Andr. in cap. litteras de præsumpt. Bald. in l. Nullum C. de testib.* Sed quid dices si iste, vel alius, qui iurauit non reuelare producatur in testem, tenebitur ne reuelare, an vero seruare prius iuramentum de non reuelando? *Abb. in cap. 2. num 7. de offic. ord.* sic respondet. Si est sacerdos qui id scit, vt Deus, hoc in sacramento pœnitentiæ, dic secure tenendum, quod non ad hoc *cap. Dilectus de excess prælat. & in cap. Omnis vtriusque de pænit. & rem.* vnde secure respondere potest se nihil scire: quia non producitur in testem, vt Deus; sed vt homo, & tanquam homo nescit: Secus autem si nesciret, vt Deus, & vt homo sciret, licet alius sibi dixisset secreto, & iuramento præstito, quod non reuelet: nam non obstante illo iuramento si producitur in testem debet dicere veritatem: ratio est, quia illud iuramentum non extenditur ad illum casum, cum scilicet producitur in testem: & si intendebat iurans ad hunc casum se extendere iuramentum fuit temerarium: & ideo non seruandum, ita sentit *Innoc. in cap. Qualiter & quando infr. de accusat.* Sed idem *Abb. in ipso cap. Qualiter il p. num. vlt.* videtur limitare hoc dictum quando testis interrogatur super crimine non occulto; non

vero

vero si fuerit occultum, vt ibi vltimo quæro nunquid super occultis circunstantijs criminis testes sunt interrogandi? *Innoc.* & *Host.* concludunt quod sic: Satis est enim, quod crimen non sit occultum, sed si esset infamatus de fornicatione in genere: & mulier esset incerta, non debet testis reuelare hanc fornicationem, quia est occulta: quod est notandum: Sed si mulier esset infamata: tunc testis debet super hoc deponere, etiam si prius iurasset extra judicium hoc non pandere: quia aut iurauit non pandere: cogitauit testis hũc casum, & tale iuramentum esset temerarium, *vt in cap. intimauit de testi.* & *in cap.1. de fals.* aut non cogitauit hunc casum, & non extenditur iuramentum ad hoc *arg. cap. 1. de iur. iu. &c.* Vide etiam eundem *Abb. in cap. Dilectus numer. vlt. de excess. prælat.* vbi ad prædictam quæstionem respondet indistincte dicens, quod iuramentum de non reuelando, non intelligitur in casu quãdo producitur, vt testis, nec quis potest tali iuramento adstringi cum sit contra publicam vtilitatem. Tu cogita.

Potest etiam hic quæri an sciens delictum committendum teneatur reuelare? Et videtur quod non, nam conscij delicti, tunc demum tenentur eadem pœna, cum sunt participes, vt notauit *glosa sing. verbo conscij in l. vtrum 6. ff. ad l. Pomp. de parricid.* dicens, Conscij, sub audi, & participes, nam ex sola scientia non puniuntur, & ibidem notauit *Apostill. & Bart.* inquit dictam *glos.* regulariter procedere: falli tamen quando delictum erat committendum aduersus eum, cui iste conscius erat subiectus *ex l.2. ff. de parric.* vbi Scæuola sic. Frater autem eius, qui cognouerat tantum, nec patri indicauerat relegatus est: idem in seruo respectu domini per *l.1. in princ. & in §. quæstionem* ibi. Non aliter nisi conscij fuissent *ff. ad Syllan.* idem in vasallo respectu domini, vt in subdito non reuelante coniurationem, seu delictum committendum contra principem, seu ciuitatem propriam ex *l. Quisquis C. ad l. Iul. maiest.* & *Abb. in cap. 1. de rest. spol. num. 9.* addit sic. Idem puto dicendum consimili ratione in clerico non reuelante delictum contra Episcopum, vel sacerdotem parrochialem: cum isti sint parentes spirituales ipsius, quem omnino videas.

In prædictis autem casibus cum quis tenetur reuelare, si reuelat videtur etiam dari debere ei præmium, & honorem, aut saltem veniam iuxta distinctionem, de qua *d. l. Quisquis in §. vlt.* in hæc verba. Sane si quis ex his in exordio initæ factionis, studio veræ laudis accensus initam prodiderit factionem, prœmio, & honore donabitur. Is vero, qui vsus fuerit factione, si vel sero (incognita tamen adhuc) consiliorum arcana patefecerit, absolutione tantum ac venia dignus habebitur.

Reuerentia.

PRoprie loquendo inter maiorem, & minorem dicitur, ita *glos. 1. in capit. Non est 19. de reg. iur. in 6.* & licet ipsa asserat, quod inter patrem, & filium non dicatur nisi dilectio: tamen inuenio, quod *in l 6. ff. de in ius voc.* inquit sic *Iurisconsſ.* Vna est enim omnibus parentibus seruanda reuerentia.

Patrono semper reuerentia exhibenda est tam viuo, quam defuncto *l. Apud §. Aduersus ff. de dol. except.* & paulo infra, sic. Namq; conuenit tam viuo, quam mortuo patrono a liberto honorem exhiberi. A simili ergo, & homo inferioris dignitatis, maiori personæ debet exhibere reuerentiam, vt dicit, & probat *glos. verbo seruitutem in l 1. §. Sed & si ff. de aqua plu. ar.* vbi *Apostill.* alia concordantia.

Et in materia feudi videtur, quod vassallus

lus teneatur præstare domino eandem reuerentiam, quam libertus tenetur patrono exhibere iuxta *capit. consc. de mil. vasall. qui cont.* ibi. Si vero Vasallus conqueritur de domino, forsan, qui feudum malo ordine intrauit, domino perperam respondente: quid vasallo faciendum sit, quæritur? Respond. eum curiam debere vocare, & in eadem Curia de domino conqueri. Curia autem debere adire dominum: eumque salua reuerentia competenter cogere: vt vel possessionem restituat, & acquiescat, vel iudicio curiæ se committat, coniuncta *glos.* ibidem verbo *salua reuerentia*, dum ita in princip. ait. Ecce, quod liberto æquiparatur vasallus: nam libertus salua reuerentia, cum patrono experitur, *vt C. de lib. cau. l. Cum affirmus &c.* Verum nō ita est, sed quid est, quod dicit, salua reuerentia (prosequitur eadem *glos.*) nunquid non poterit vasallus dominum suum in ius vocare sine pæna veniæ non petitæ, sicut de liberto dicitur *ff. & C. de in ius voc.*? Respond. Non puto, quod in his ambagibus sit locus consuetudini. Sed dic, salua reuerentia &c. Scilicet quātum ad actionem famosam, quæ scilicet verbis est temperanda, vt legitur alias de liberto *in d. l. Apud 4. §. Aduersus de dol. except. & in l. 1. C. de obseq. patr. præst.* ibi. Contra patronum tuum famosam actionem instituere non potes.

Nec liberis, neq; libertis aduersus parentes, atque patronos restitutionem competere decreuit *Iustinian. in l. 2. C. qui & aduers.* quos in hæc verba. Sancimus, nullo modo, neque aduersus parentes vtriusque sexus, neque aduersus patronum, patronamue dari restitutionem. Nam personarum reuerentia omnem eis excludit restitutionem: cum proculdubio sit, etiam ipsas personas cauere, ne quid suæ opinioni contrarium existat.

Reuerentia, quando metui æquiparetur in liberto, muliere, clerico, respectu patroni, viri, & episcopi? habes Verbo. *Metus*. Cæterum quod reuereri sit actus timoris, & vt debetur Deo, sit actus latriæ, dicit *D. Thom. 2. 2. quæst. 81. artic. 2.*

Reus.

IN criminalibus a reatu dictus, in ciuilibus vero, non a reatu, sed à re, quæ in stipulationem deducitur. Sed alij a re, id est, veritate. Alij à re, id est contractu, quo obligatur: Alij a re, id est, firmitate, ideo quia efficaciter stipulatur, & efficaciter tenetur ex Virg. voti reus, idest, quia erat voto adstrictus. Et sic verbum, reus, firmitatem significat, ita *glos. in l. 1. ff. de duob. re. & in §. 1. verbo. Et stipulandi eod. tit. in Inst.* sic. Hic dicitur reus stipulandi ille, qui rem aliquam stipulatur, a re, non a reatu dictus, e contra reus promittendi, qui aliquam rem promittit, vt &c. Alias reus tantum debitor dicetur, vt &c. aliàs dicitur reus, qui conuenitur.

Non statim reus, qui accusari potuit, existimetur: ne subiectam innocentiam feriamus, nec impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij, ita *l. vlt. C. de accusat. & ibi. glossa feriamus. sic ex Boeth.* Non tantum dixerim, vltimam esse aduersæ fortunæ sarcinam, quod dum miseris aliquod crimen infligitur, quæ perferunt meruisse creduntur. Et ad hoc quod non debet esse, quis credulus est, *ff. de eo per quem fact. er. l. 1. §. 1.* Nec etiam ex eo solo, quod reus est absolutus accusator dicendus est calumniator, vt habes verbo *accusator*.

Reo criminis postulato, interim nihil prohibet recte pecuniam a debitoribus solui. Alioqui plerique innocentium necessario sumptu egebunt, ita inquit *l.*

41. *ff. de solut. & ibidem Apostill.* sic. Ista *l. iuncta l. Post contractum ff. de donat. iuncto tex. in capit. si tibi absenti de priuileg. lib. 6.* facit in argum. quod electores priuandi per sententiam possunt ante priuationem eligere.

Non solum ille reus est, qui falsum de alio profert, sed etiam is, qui aurem cito criminibus præbet, sic ait *cap. Non solum* 11. *quæst.* 3.

Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat *ex D. Aug.* ad Casulan. *refertur in cap. quisquis d.* 11. *quæst.* 3.

Reatum excludere beneficium, & honorem dicit *glos.* verbo hoc edictum *in l. Quia 6. §. hoc edictum ff. si quis omiss. cau. testa. per l.* 1. *in fin.* ibi, Omnem enim huiusmodi honorem reatus excludit *C. vbi Senat. vel clariss.*

Constitutionibus obseruatur, vt non relatione criminũ, sed innocẽtia reus purgetur *l. Is qui 5 ff de publ. iud.* Et hinc procedit in criminalibus non dari reconuentionem. Et licet *in l. Viro atq; vxore ff solut. mat.* videatur dari, dum ex ea, cum alijs concordantibus deducitur paria delicta mutua compensatione tolli, intelligas quando agitur ciuiliter, quia tunc compensatio, & reconuentio admittitur, nõ vero quando criminaliter, vt per *glos. & doct.* ibidem.

Non posse meliorem, & pinguiorem victimam Deo offerri quam reum iniquum punitum dictum est verbo *punire*.

Cito violatur auro iustitia, nullamq; reus pertimescit culpam, quam redimere nũmis existimat, sic inquit *capit. Pauper* 11. *quæst.* 3. *vnde Imperat. in Auth. vt null. iud. §. Quoniam vero coll* 9. ait: Nos enim reos quidem ex legibus pœnas sustinere volumus, damna vero subiectis nostris aut lucrum ex hoc iudicibus, aut eorum hominibus siue officialibus nullatenus concedimus.

Morte rei iudicium soluitur. Cæterum si postquam accusator destitit, reus decesserit, non ideo magis delictum accusatoris releuatur, ita ait *l. In senatusconsultum* 15. *§. si propter mortem ff. ad Turpill.*

Reo artifici optimo, & valde Reip. vtili pœna capitalis nõ infligitur, habes verbo *artifex*.

Rei si artibus moras nectant, ad solutionem debiti coarctandi sunt, sic in *l. vnica C. de suffrag.* Est enim reorum semper fugere, vt inquit *glos. in casus positione in l. Inter stipulantem 83. §. si stichum ff. de verb.* vnde non solum, quia negat, & inuitus iudicium sustinet, sed quia subterfugit iudicium potest dici, quod faciat controuersiam, vt alias dixit *glosa verbo fiet in l.* 1. *ff. de Carb. edict.*

Obligatio rei plenior est fideiussoris obligatione iuxta *l. Generaliter 5. ff. de fideiussor.* Et tamen, licet reus non sit verbis obligatus, acceptilatione per fideiussorẽ liberatur, vt dicitur *in l Et per iusiurandũ & si fideiussori ff. de accepti.* vbi *glos. verbo liberatur* sic. Cõsequitur reus per aliũ, quod per se non potest.

Iniquissimum est ex conditione actorum obligationes reorum extendi, per quos nihil factum erit quominus cum his agi possit, ita *l. si seruus 4. ff. de diuers. & tem.*

Actor dicitur reus cum replicat, & reus agere cum excipit, vt dicit, & probat *glos. verbo, quod multum in l. vlt. C. de eden.* Et licet possit reus contrarijs vti exceptionibus, & defensionibus, non poterit tamen vti contrarijs probationibus, *vt ex Io. And.* refert *glos. vlt. in addit. in l. scripturæ 14. C. de fid. instr.*

In speciali actione non cogitur possessor dicere, pro qua parte eius sit, hoc enim petitoris munus est, non possessoris, sic *Vlpian. in l 73 ff. de re iud.* An vero teneatur reus exhibere actori instrumentum? videas verbo *Exhibere*.

Sæpe conuenti consequimur, quod non

con-

consequimur agendo, ita dicit *glos. verbo non iniquè in l. quod si nolit 31. §. Si plures ff. de adil. edict.* Et in his, quæ sunt temporalia ad agendum, perpetua ad excipiendum esse, dictum fuit verbo *Exceptio*.

Cum reus non potest ire ad iudicium propter non tutum accessum, iudex tenetur locum prouidere securum, vel committere causam in loco non suspecto, ita *glos. verbo iudicem in capit. Cum R. 35. de offic. delega.*

Reo plus dilationis concedi quam actori, dixisti verbo. *Dilatio.* Sed cum temperamento, de quo *Impp. in Auth. de exhib. re. §. Si vero semel coll. 5.* ibi. Sicut enim eius curam habemus; Sic etiam per dilationem agi aliquid aduersus actorem, modis omnibus aduersamur.

In pari causa, potior est conditio rei, vt notauit *glos. in l. 2. ff. ne quis eum*, cuius verba sunt. Deteriore tamen loco libertus est, qui in simili delicto petitoris partes sustinet. Sed intellige iuxta distinctionem, de qua *glos. verbo. Et pertinentijs in capit. Cum ad Sedem 15. de rest. spol.* ibi. Circa initium iudicij accipimus id, quod est vtilius actori &c. & id quod nocet reo &c. In medio litis æqualiter præsumitur pro vtroq; &c. in fine magis præsumitur pro reo &c.

Sane si Actor omnino in probatione defecerit, reus debet (& si nihil præstiterit) obtinere. Præsumptione vero faciente pro illo, reo deferri potest iuramentum, ad ostendendam suam innocentiam, nisi iudex (inspectis personarum, & causæ circunstantijs) illud actori videat deferri, sic disponitur *in cap. vlt. §. vlt. de iur. iu. & habes verbo. Actor.*

Inter reos non computari debet, qui causa Reip. abest, nisi affectasset absentiam prædictam, vide verbo. *Absentia.*

Rex.

A Regendo dictus, sed fastus regius, non disciplina putata est regentis, sed superbia dominantis, dixit *Aug. de ciuit. Dei lib. 1. cap. 2.*

Regis cura est, vt gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria, sic Reip. moderatori beata ciuium vita proposita est, sic *Cic. lib. 8. epist. ad Attic. epist. 11.* Ideo autem eius auctoritas fuit constituta, vt eam per determinationis opportunæ suffragium, tollat ambigua, lites auferat, altercationes dirimat, & obscura succidat, quam per cultoris prouidi sarculum excirpet vitia, virtutes inserat, corrigat excessus, moresq; reformet, vt aliàs dicitur *in proam. Clem.*

Rex est, cum honesta intuetur, salutem sibi commissi gregis curat, & nihil imperat turpe, nihil sordidum. Vbi verò impotens, delicatus, cupidus, transit in nomen detestabile, ac dirum, & fit tyrannus. *Senec. epist. 114 & lib. 1. de Clem. capit. 11.* ita. Inter tyrannum quippe, & regem quid interfit? Species enim ipsa fortunæ, ac licentia par est, nisi quod tyranni voluptate sæuiunt, reges non nisi ex causa, & necessitate. Quid ergo nonne reges quoq; occidere solent? Sed quoties id fieri publica vtilitas persuadet, tyrannis sæuitia cordi est.

Nec Rex veraciter dici potest, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrænat; sed lubrica eneruatione magis illicitis eius motibus cedit; vt alias dicitur *in cap. vlt. 2. quæst. 1.*

Ad onus Regis spectat defensio fidei, & impugnatio infideliũ. Vnde præceteris debet abstinere ab ijs, a quibus tenetur alios cohibere, ita *glos. verbo præeminent in extrauag. vnic. de Iuda.* Nihil enim est, quod lumine clariore præ-

Digitized by Google

fulgeat, quam recta fides in principe, vt dictum est supra verbo. *Princeps*.

Duæ sunt præcipuæ qualitates, quæ necessariæ sunt regibus, sapientia, & iustitia: Sed cum sapientia coniungit scriptura prudentiam, & consilium, & omnia illa, quæ ad intelligentiam pertinent: cum iustitia coniungit clementiam, & misericordiam, & reliquas virtutes, quæ voluntatem ornant, & perficiunt &c. vide Eminentissimum Bellarm. *de æterni. felicit. & sanct. libr.* 1. *capit.*4.

Et quoad iustitiam, dixit *Ioseph. de antiq. lib.* 6. *cap.*4. *num.* 20. de quodam rege sic. Qui propter innatam iustitiam non amabat regiam potestatem, vt nimiam, & *Imp. in Auth. de non elig. secund. nub.* §. *vlt. coll* 1. sic. Æqualitatis, & iustitiæ sumus amatores, qui in omnibus alijs, & in consortijs volumus obtinere, & *in cap. Postulasti* 21. *de homic.* ibi Rex, cui ad bonorum laudem, vindictam vero malorum gladius est commissus.

Et quoad clementiam idem *Ioseph d. lib.* 6. *cap.* 14 *num.*40. sic. Decet enim clementia, & humanitas eum, cui fata regnum destinauerunt, & idem *Imp. in Auth. de exhib. re.* §. *si vero semel ad med. coll.*5. ita. Quoniam vero ad clementiam a nobis omnis aperta est lex, & iam supra verbo. *Clementia*. dictum est.

Decet etiam misericordem, & benignum esse regem, maxime in parcendo, iuxta *Auth. vt iud. sine quoquo suffrag.* §. *Illud videlicet vers. oportet prope fin.* ibi. Quos nobis tradidit Deus, vt eis per omnia parcamus, eius sequẽtes benignitatẽ, *vbi glo. not. & in capit.* 1. *de pac. Const.* ibi. Et pijs affectibus misericordiæ Rom. imperium regere &c. & ibi. quod nos solita nostræ benignitatis gratia ad fidem, & deuotionem Lombardorum, qui aliquando nos, & imperium nostrum offenderant, viscera nobis innatæ pietatis aperientes &c. quæ non solum in pænis corporis afflictiuis, sed etiam in bonorum publicationis exercenda est, vt probat illud benignissimum rescriptum de quo testatur *Iurisconf. in l. vnic. ff. de port. quæ lib. damn.* alibi iam per me relato, in his verbis; Sed, & diuus Adrianus in hæc verba sẽtentiam rescripsit. Fauorabilem apud me causam liberorum Albini, filiorum numerus facit: Cum plus imperium, hominum adiectione potius, quam pecuniarum copia malim, ideoq; paterna sua concedi volo, quæ manifestabunt tot possessores etiam si acceperint vniuersa, ô si ita reges fecissent! forsan, & feliciores, & potentiores redderentur.

Amatorem veritatis regem maximè esse conuenit, vt per *glos. verbo. Contrarium veritati in Extrauag. vlt. de verb. sig.* ibi. Veritatem asserentium sumus tantummodo amatores *ex Auth. vt in priuat. dom. sacr. myst.* & dicit *Imp. in l. vnic. C. de dedit. lib. toll.* ibi. Nos qui veritatem colimus ea tantummodo volumus in nostris esse legibus, quæ re ipsa obtinent. Et in facto suo fraudem non debet adhibere, nec alium propter beneficium suum decipere. Nec alicui inijcere laqueum, nec verbum suum variare, vt inquit *glos. verbo. in vltimis voluntatibus in addit. capit.* 1. *de concess. preb. lib* 6.

Regis est curare de subiectorum remedijs, & commoditatibus; & pro eis labores voluntarios appetere, ampliorémque prouidentiam illis conferre, quam forsan ipsi vigilantes inueniant, vt dictum est verbo *Imperator*. Et existimare omnes subiectos suos filios, & nepotes affectione paterna, iuxta *l. si quis filium* 34. *C. de inoffic. testa.* Et maximorum, & mediocrium atq; paruulorum curam esse, & neminem a sua sollicitudine remouere, vt *in Auth. de defensor. ciu.* §. & *iudicare ad med. coll.*3.

Decet etiam regiæ maiestati, eas seruare leges

leges quibus ipse solutus esse videtur, iuxta *l. Ex imperfecto 23. ff. de legat. 3. vbi Apostill.* sic. Præclare in hanc sententiam *Plutarch. in libell. de doct. princip.* his verbis. Quis igitur imperabit principi? Nempe lex omnium Regina, & mortalium, & immortalium, vt ait Pindar. Non ista quidem lex foris in libris, aut tabulis scripta ligneis, sed viua illa insita ratio, semper conuiuens, & familiaris principi, *& l. 4. C. de legib.* sic. Digna vox est maiestate regentis, legibus alligatum se principem profiteri &c. Et re vera maius imperio est submittere legibus principatum, *& in l. 3. C. de testam.* ibi. Licet enim lex imperij solemnibus iuris imperatorem soluerit: Nihil tamen tam propriũ est imperij, quam legibus viuere; sic enim populos instruit ad eas omnino seruandas iuxta illud vulgare.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et per contrarium quandoquidem ea est rerum humanarum natura, vt cũ principum, ac magistratuum moribus, etiam subditi deprauentur, quorum modestia, seu norma corrigi debebant, & pro virtutibus, vitia eorum sequantur, vt prædictis verbis *Ioseph. de antiq. lib. 8. cap. 3. ad fin. & lib. 9. cap. 8. numer. 40.* sic. Ioas Rex à pristina religionis cura facilè desciuit: Moxq; & primates populi ad eundem modum deprauati sunt vt nihil apud eos potius haberetur, quã contemptus iuris, ac iustitiæ: hac de causa inuenies in sacr. pag. multoties Dominum conqueri de Ieroboam, qui peccando, peccare fecit *Israel. libr. 3 reg. d. cap. 14.*

Item regum officium est, proprium facere iudicium, atque iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos, & peregrinis, pupillisque, & viduis, qui facilius opprimuntur a potentibus, præbere auxilium, vt per *Hyeronim. in cap. regum 23. q. 5.*

Potestas regis illa est, vt pendeat populus a nutu principis, sed admista est potestati infirmitas: quia pendet princeps a brachijs, & viribus populi. Quid efficiet nutus principis in ciuitate capienda, vel defendenda, si populus nequeat, aut nolit manus conferere? Itaque populus pendet ab vna re, nutu videlicet principis, & vni homini seruit. ita *Eminent. Bellarm. de ætern. felic. cap. 1. fol. 35.* Si pro salute temporali pendet Rex a populo; non mirum est, quod pro æterna pendeat a Pontifice, sed magis est quod Pontifex pro temporali egeat rege, vt dictũ fuit verbo *Imperator*. vbi alia, quæ omnia de rege intelliguntur.

Propter dictam potestatem, & authoritatem in dispositionibus, semper reges excepti videtur iuxta *cap. vlt. in princ. de offic. delega. lib. 6.* ibi, Regibus & reginis, qui sicut dignitatis altitudine præeminent, sic prærogatiua gratiæ ipsos conuenit anteferri, dumtaxat exceptis *cap. venientes e. Eam te 22. de iu. iur. & Extrauag. Execrabilis 4. de prab. inter com.* ibi. Ac regum hijs, qui propter sublimitatem eorum ac generis claritatem sunt potioris prerogatiua gratiæ attollendi, dumtaxat exceptis, vide etiam *Extrauag. vnica de prabend.* An ista regis authoritas excuset vocatum a Legato, vel alio prælato papæ inferiore, vide verbo *Legatus*. vbi etiam quid si vocetur a papa.

An propter prædictam authoritatem omnia regis esse intelligantur? Affirmatiue tenuit *glos. verbo. Omnia in l. Bene a Zenone C. de quadr. præscript.* Sed contrarium dicit idem tex. Non enim loquitur de omnibus bonis simpliciter; Sed secundum quid, hoc est, de omnibus suis bonis patrimonialibus, seu fiscalibus, vt ibi; Cum omnia principis esse intelligantur, siue ex sua substantia siue

te ex fiscali aliquid fuerit, alienandum: Si enim simpliciter omnia essent principis, non ægrotaret Achab, eo quod Naboth ei cedere vineam suam noluit, *vt 3. reg. 21.* Sed illam authoritate, & potestate propria tolleret: Vel intellige omnia bona esse regis alio modo, de quo *Bart. in Extrauag. Ad reprimendum in verbo Totius orbis.* sic enim Imperator dicitur dominus orbis *in l. Deprecatio 9. ff. ad l. Rhod. de iact. vt sup. verbo Imperator vers. Antoninus dixit.*

In lata gente gloria regis est, in diminutione plebis contritio principis, sic *in cap. Ecclesia, quæ pactioni prope fin. 1. quæst. 4. & Hieronym. ad Gaudent.* ita Gloria quippe regis multitudo populi: sed neq; in ea multitudine, neq; in armis fiduciam habere debet, *vt cit.* verbo. *Imperator.* prout etiam a contrario, nemo confidere debet in principibus *ex Proph. psal. 145. & Ioseph. de antiq. lib. 15 cap. 2. num. 40.* ait. Nec reges solere meminisse accepti in priuata vita beneficij, quandoquidem, mores cum fortuna sint mutati.

Decet regiam maiestatem habere fideles, cum quibus delectetur, cum tædio affecta fuerit, prout dixit *Arist. ad Alex.* ipse vero rex lætus debet esse, vt ab omnibus optetur, vt per *Cassiodor. lib. 12. epist.* Et illos fideles eliget de gente sua non vero aduenas, & foraneos, quemadmodum, & è conuerso, rex debet esse de eadem gente, iuxta illud *Deuter. 17. 15.* ibi. De numero fratrum tuorum, non poteris alterius gentis hominem regem facere qui nō sit frater tuus

Regem Rom. corona triplici coronari dicit *glos. verbo vestigijs in Clem. vnic. §. Porrò de iur. iu.* Prima est ferrea, quam recipit ab Archiepiscopo Colonien. in Aquisgrano suæ diœc. &c. ferrum autē fortitudinem designat, qua vincere debet rebelles, & infideles conculcare. Secunda est argentea, quam ingressus Italiam recipit a Mediolanen. Archiep. in villa Modicien. eiusdem Diœc. &c. argentum designat mundiciam, & claritatem, & significat ipsum principem talem esse debere. Tertia est de puro auro: qua coronatur per Papam in Ecclesia Sancti Petri ad altare S. Mauritij, & designat aurum (quod est preciosius, & excellentius omnibus metallis) ipsū imperatorem, alijs regibus, & principibus in potentatu, & iustitia excellentiorem esse debere. Sic olim in his tribus metallis dabatur tributum Romanis.

Per eundem tex. tenet *glosa verbo Reges,* quod Rex. Rom. qui nondum Imperator est, nec coronatus, priuilegia dare possit, & probat ex Specul. & alijs, idē tenet *glos. verbo rex in cap. Nos de pac. Constant.* his verbis. Hic ergo est expressum, quod Rex Rom. etiam ante coronationem potest concedere priuilegium &c. dicit *Host.* quod vidit in Alemania per principes iudicari, & teneri, quod Rex Rom. post electionem concordem, habeat omnem potestatem quam Imperator, nec vnctio aliquid addat.

Rex, quæ munera non recipit, vide verbo *Munus.* Et quod sit pauper eod. Verbo. *pauper.*

Nec regis, nec regni alicui arcana scrutari conuenit, vt inquit *glos. verbo. Diuersorum in Extrauag. vnic. de preb.*

In turbatione regni rigor iuris seruari non potest, ita inquit *glos. vlt. in cap. vlt. de transact.*

Denique vt finem huic verbo imponamus referre libet *Eminentissimi Bellar. verba de ætern. felic. lib. 1. cap. 1.* quæ sic habent. Quid tantum laboras, & sudas, vt particulam mundi huius obtineas, qui totum possidere poteris si volueris? Certè si ad hoc regnum serio mortales, aspirarent, vel de illo attentè cogitarent: erubescerent vtiq; bella gerere pro angustissimis portiunculis terræ. Offert tibi Deus, ó homo, societatem

tem immensi atq; aeterni regni, & ita pro vnius oppiduli defensione, vel acquisitione tisilini generis, vbi multae committuntur rapinae, & caedes, & alia peccata innumerabilia, quibus Rex regum iustissime prouocatur ad iram, vbi est prudentia, vbi consilium tuum?

Rogare.

Ponitur, & pro praecepto aliquando, & pro mandato, vt notauit glos. 1. in cap. Rogo 11. q. 3. ibi pro praecepto sumitur; & in l. si serui tui rogatu 44. ff. de negot. gest. pro mandato. Et e conuerso mandare, pro, rogare, ponitur, vt notauit etiam glos. verbo mandauit in cap. Guilisarius 23. quaest. 4. dicens hic mandare, ponitur pro rogare, sicut alibi ponitur rogare, pro mandare, &c. & Paul. lib. 32 ad edict. in l. 1 mandare, & rogare aequiparat dicens Item siue rogo, siue volo, siue mando, siue aliud quodcunq; verbũ scripserit, mandati actio est ff. manda. Bart. in l. si negotium C. de negot. gest.

Caeterum, quod maiorum rogatio pro iussu habeatur, ponit Bart. in tract. de tyrannid. 7. quaest. princip. & Bald. in l. si mandator ff. quod cum eo. & ex Clem. Dudum §. vlt. ibi, tenore praesentium rogamus, deducit Cardinal. de sepult. vnde versus,

Est rogare duarum species violenta iubendi.

Idem esse in dispositionibus testamentarijs, nemo vnquam dubitauit, cum plusquam notum sit testatoris dispositionẽ quocunque modo prolatam pro lege obseruari ex vulg. Auth. de Nupt. §. Disponat coll. 4.

Rogatio testium non videtur esse necessaria ex Pompon. in l. Ad fidem rei gestae faciendam etiam non rogatus testis intelligitur ff. de test. Sed videtur de iure recentiori necessaria in Auth. de test. §. Et licet coll. 7. ibi. Dum ad hoc ipsum assumantur testes; cum ibi ibidem per glos. assumantur &c. Quasi dicat tales debent esse testes; quibus fuerit negotiũ patefactũ, vt praebeant solutionẽ, & rogati sint, vt testes sint &c. & in Auth. Rogati, vt in testamẽtis nõ fortuito, vel trãseuntes veniãt C. eod. tit. Sed verius mihi videtur, quod regulariter necessaria non sit talis rogatio, nisi in casibus a iure expressis: vt in testamentis, & solutione de quibus in dictis Auth. agitur & in alijs sui bous casibus, vt per glos. in d. l. Ad fidem verbo non rogatus ff. de test. quia sic euitatur iuris correctio caetera de hac materia, & de Notarij rogatione videas per Bertach. latius super hoc verbo rogatio.

Roma.

Plus quam notum est, quod fuit condita a Romulo, & Remo fratribus, & a priore sumpsit nomen, vt per Liu. lib. 1. decad. 1. fol. 2. vers. Condita Vrbs conditoris nomine. Plurimis autem nominibus inuenies in iure appellatam. Nã dicitur Anterior in Auth. vt Eccle. Rom. in princ. coll. 2. ibi. Vt legum originem anterior Roma sortita est, ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse nemo est, qui dubitet. Vetus nominatur in l. 1. §. pen. Splendidissima in eadem l. §. Quae omnia C. de vet. iur. enu. l. Aeterna in l. 1. C. de priuil. corp. Vrb. Rom. & l. 1. C. de Suar. lib. 11. Regia in §. fin. de Satisd. in Inst. Antiqua, Inclyta, Alma in l. vlt. C. de rest. in integ. & in l. 2. & 3. C. vbi Senat. vel clariss. Sacratissima, in l. 1 in fine C. de donat. Felicissima in Auth. de Lenon. in princ. coll. 3. & in Auth. de tabullar. & de Eccles. reb. nõ alien. §. vlt. coll. 4. Senior in l. Arrogationes C. de adopt. Florentissima maxi-

ma

ma *in Auth. de exhib. re. §. Si vero coll.* 5. Regia *in Auth. quib. mod. nat. effic. sui §. si quis igitur coll. 7.* Et dicitur anterior respectiue: nam est secunda Roma, vt Constantinopolis, quæ videtur habere eadem priuilegia, quæ vetus habet, *vt l. 1. C. de priuileg. vrb. Constant. lib. 11.* Nisi in quibusdam: nam vetus habet primam Sedem Ecclesiarum, secunda habet secundam, *vt in Auth. de Eccles. tit. §. 1. coll. 9.* Item originem legum habet vetus, & non noua, *vt in citato Auth. vt Eccles. Rom. in princip. coll. 2.* Item fontem sacerdotij habet vetus, & non noua, *in eod. Auth.* Item vetus Roma caput est orbis terrarum, & imperator ibi creatur, non in noua, *vt in l. Nemini §. Quoniam C. de consul. lib. 12. & l. 1. §. pen. C. de vet. iur. enucle.* Et deniq; priuilegium, quod habet vetus Roma in præscriptione centum annorum; non habet noua, *vt in rub. dict. Auth. vt Eccles. Rom.* ita inuenies dixisse *glos. verbo. Anterior in eod. Auth.*

Additio Ioann. Andr. post glos. verbo gens sancta in capit. fundamenta 17. de elect. lib. 6. ita ait. Dicebat & hic Io. Monach. quod Roma fundata a prædonibus adhuc de primordijs retinet, dicta Roma, quasi rodens manus, & talem affert versum.

Roma manus rodit, quos rodere non valet, odit.

Communis patria, Roma, dicitur *in l. sed & reprobari 7. §. vlt ff. de excusat. tut.* ibi. Quoniam in Regia Vrbe, quæ & habetur, & est communis patria decenter vtiq; vtilem se ipsum præbens, non minus quam in proprio patria immunitate fruetur. Omnes ciuitates teneri Romam sequi tanquam caput disponit *Iustin. in §. vlt. de satisd. in Inst.* ibi. Cum necesse sit omnes prouincias, caput omnium nostrarum ciuitatum, id est hanc Regiam Vrbem, eius obseruātiam sequi, ex quo dicit *glos. Verbo Romano in cap. 1. de temp. ord.* lic. Et quod Romæ fit expectandum est. Sed contra inuenies apud *Procul. lib. 4. epist.* relatum *in l. 12. ff. de offic. præsid.* sic dicentem. Sed licet is, qui prouinciæ præest, omnium Romæ magistratuum vice, & officio fungi debeat: Non tam spectandum est, quid Romæ factum est, quam quid fieri debeat *glos. vlt. in d. §. vlt.* concordat dicens, quod *d. l. 12.* procedit, quando quod Romæ fit, per errorem fit: citatus autem *§ vlt.* quando ex certa scientia est consuetudo, vel lex. Cum hoc tamen stat, quod quando lex non tollit consuetudinem, vnaquæq; ciuitas, abundat in suo sensu, & sic obseruare debet suam consuetudinem, & ex generali principis permissu inducere potest consuetudinem etiam contra leges, cui stare debet, vt notauit *glos. prædicta in addit.*

Rubrica.

DEbet esse generalis ad nigrum, vt omnia, quæ in nigro disponuntur, comprehendat: prout notauit *Bart. in l. 1. notab. 1. ff. si cert. pet.* vbi *Vlpian.* ita ait. Quoniam igitur multa ad contractus varios pertinentia iura, sub hoc titulo prætor inseruit: ideo rerum creditarum titulum præmisit &c. Rei, quoq; verbum, vt generale, prætor elegit. Et si rubrica generalis est, nigrum etiam generaliter intelligitur, *vt ex glos in l. vnic. C. de capit. ciu. exim. lib. 11.* ibi. Item quia hæc rubr. generalis est, tradit ibidem *Bart.* Ex quo deducitur illa regula vulgaris, quod leges intelliguntur iuxta rubricam, sub qua situatæ sunt debet namque nigrum conuenire rubro vt per *glos. Certo.* ibi. Quia illius materia in illo titulo ponitur &c. *in capit. ibi qui 12. de rescript. in 6. & in cap. si*

super

super 9. verbo principalis de offic. delega. eod. lib

Notabis tamen, quod dicit *glos. verbo. Illicitas in Auth. de incest. nupt. in princ.* Quod plerunque generalior est tex. quàm rubr. *vt in Auth. vt Eccles. Rom.* Nam de alijs ibi loquitur: & e contra rubrica generalior est textu, vt patet *C. de Relig. & sumpt. fun.* Nam licet in rubr. dicat delusu, in tex. tamen non dicit, idem notauit etiam *glos. in rubr. C. de reb. cred.*

Rumor.

VArie a doctoribus nostris diffinitur: quidam enim dicunt, quod est veritas sine certo actore. Alij verò, quod est vocum obstrepentium multitudo; Alij quod est particularis assertio ex incerto authore, & sola suspitione prouenient. Alij quod rumor dicitur cum pauci aliquid, non tamen publice dicunt, vt per relatos *a Bertach. in suo repert. super hoc verbum* vbi denique *ex Bald. in rubr. C. de probat. vers. forma vero.* Rumor dicitur instantaneus clamor. Verum mihi magis placet illa *Alex. cons. 96. vol. 4.* quæ ait. Cum pauci aliquid non tamen publicè dicunt, vt sic differat a fama, cum publice ista procedat, & sit viciniæ acclamatio, vt notat *Innoc. per tex. ibi. in capit. Tertio loco 13. de præsumpt.* dicens rumorem minus esse, quam famam *glos. vlt. in cap. super eo de consang. & a fin. & melius glos. verbo. Confessionem per tex.* ibi. vel rumorem viciniæ *in capit. super eo, 5. de eo. qui cogno. consang.* quam allegat altera *glos. verbo sicut est fama in cap. si duo 35. quæst. 6.*

Vnde dixit *Bald. in l. 1. C. de probat.* quod sicut rumor facilius nascitur, quam fama, sic facilius moritur. Et *Ioseph. de antiquit. lib. 8. capit. 2. fol. mihi 215. lin. 30.* ait ita. Sic enim fore, vt experimento non rumoribus crederet, qui sæpe numero falsi, eo quod toti a fide renunciantium pendeant, paulo post euanescunt. Quapropter nec obesse, nec prodesse fallum rumorem deducitur *ex l. vlt. ff. de hered. inst.* ibi. Quia falsus rumor non debet obesse.

Rusticus.

ILle est, qui habitat extra muros Ciuitatis, vel Castri, & qui in Castro in quo penuria hominum est, vt tenet *Bartol. in l. Conficiuntur §. Codicilli vers. Quæro qui dicantur rustici ff. de iur. codicill. & probat l. 1. C. ne rustican. ad vll. obseq. deuoc.* ibi. Ex rusticana plebe, quæ extra muros posita &c. vbi etiam *Bart.*

Vtili ratione perspectum est, vt innocens, & quieta rusticitas peculiaris patrocinij, id est defensoris, locorum beneficio perfruatur, sic disponit *l. 3. C. de defensor. ciu.* Et quia rustici sunt ad ciuitatem necessarij, *vt in l. 2. ff. de nund. ad fin.* ibi. Indiget enim ciuitas pluribus vtiq; rusticis, & alijs conductoribus.

In multis rusticus excusatur, vt statim dicemus: sed non ob id dicetur generaliter in omnibus excusatus, vt non sat bene dixit *glos. verbo rusticitatem in l. si quis 7. ff. de iur. om. iud.* ibi. Nota rusticitatem excusari, per text. in illis verbis. Quia si per imperitiam, vel rusticitatē ab ipso prætore iussus fecerit, non tenetur; prout ibidem notauit additio dicens ita. Dic quod generaliter rusticus non excusatur, nisi in casibus a iure expressis, & *Apostill. ad glosā verbo. Armata in l. 1. C. de iur. & fact. ignor.* dum ait, quod rusticus excusatur in ignorantia iuris si non potuit peritiores consulere, addit ita. Displicet tamen *Bart. Paul. Bald. Salic. & Iaso* Et ratio est: quia non subuenitur rustico, nisi in casibus a iure expressis *per*

tex. in l. vlt. C. eod. tit. de iur. & fact. ignor. Nam ibi clare disponunt *Impp.* quod in his, quæ iuris sunt, mulieres nõ excusantur, nisi quando expressè excusatæ inueniuntur, ergo idem in rusticis, ex æquiparatione, de qua *l. 2. §. vlt. ff. de iu. fisc.* cuius verba infra.

Rusticitati hominis parcendum erit, inquit *Paul Iurisc. in l 2. ff. si quis in ius voca. non ier.* per quem, *& per d l. 7. voluit Bald. & alij relati per Bertach.* super hoc verbum, quod regulariter excuset rusticitas; sed plus placet additio, de qua supra proxime: Semper enim quando excusatur rusticus iura loquuntur in casibus specialibus, *vt in l. 1. ff de ventr. inspic. §. 1.* ibi. Vt si per rusticitatem aliquid fuerit omissum ex ijs, quæ prætor seruare voluit, non obsit partui, Quale est enim, si quid ex ijs, quæ leuiter obseruanda prætor edixit, *& in l. 3. §. si quis ignarus ff. ad Syllan.* ibi. Æque non tenebitur si fortè per imperitiam, vel rusticitatem ignarus edicti prætoris, vel Senatusconsulti aperuerit, & *in l. 2. §. vlt. ff. de iur. fisc.* ibi. Non nocere cuique se detulisse si ea persona sit, quæ ignorare propter rusticitatem, vel propter sexum fœmineum ius suum possit, *& in l. pen. C. qui admit.* ibi. Sciat sibi non obesse si per rusticitatem &c. intra præfinitum tempus minime petijsse noscatur, *vbi glos. Verbo. Aliam*, dicit simpliciter, quod ignorantia iuris succurrit rusticitati, & ad eam *Apostill.* ait sic. Quando dubitatur, si potuit adire peritiores, vel ne *ex Ias. & vide Barba. in capit. Cum vniuersum de rer. permut.* vbi inquit, quod in ijs, quæ sunt iuris diuini, & naturalis, & etiam rustico sagaci, non est parcendum. Nam (vt inquit *l. 1. C. de interd. mat.*) Circumueniri rusticitatis, & imperitiæ velamentis non oportet. Denique ait *l. vlt. C. de testa.* Quod ab antiquis legibus, & a diuersis retroprincipalibus sæper rusticitati consultum est, & in multis dixit, & non in omnibus. Et sic vera est conclusio, quod rustici non generaliter excusantur, sed in his, in quibus specialiter inueniuntur excusati, de quibus alia dixisti verbis Ager, & Agricola. Et cum hoc stat etiam verum esse dictum *glos. Verbo cadat in Auth. Ad hac C. de usur.* Quod aliàs subuenitur plus rusticis, quam alijs.

Non esse rusticum excusatum, si sine venia vocet iniudicium personas, de quibus *in tit. de de in ius uoc. expresse disponit l. 2. C. eod. tit.* dicens; Nec in ea re rusticitati venia præbeatur, cum naturali ratione honor huiusmodi personis debeatur.

Sancta rusticitas omnia palam habet, ita dixit *glos. Verbo. Coloni in §. Item Seruiana de act. in Inst.* agens de differentia inter colonum, & inquilinum ad effectum tacitæ hypothecæ.

Rustici coloni adscriptitij si milites fiant, reuocantur ad coloniam, vt dictum est Verbo. *Miles.* Non etiam audent portare arma, sicut alias dicitur, quod rustici non audent optare pecuniam, vt notat *glos. 1. in capi. si quis rusticus per tex. ibi. de pac. tenend.* Nec potest hodie pugnam imponere militi *glos. Verbo Capitali in cap. si rusticus militem eod. tit.*

Glos. est notabilis *in l. Idem 10. §. Idem Labeo ff. mand.* vbi dum tex. dicit, quod mandatarius deducit impensas etiam illas, quas fecit in excurrendis agris, sic interrogat. Sed quid si erat rusticus qui eques viuit? & respondet, non repetit cum consuetudo sua sit seruanda &c. & ibidem *Additio* ita. Illa *glosa* est valde notabilis ad hoc, quod rustici non debent equitare, & ideo non debent eis refici expensæ vecturarum, & est argum. pro quæstione rustici producti in testem, qui si nolit venire nisi eques cogatur venire pedes, quia non com-

patit

petit sue conditioni equitare.

Vulgarem Rusticorum esse opinionem quæstiones scindere per medium dicit glosa ult. in l. Nesennius ff. de negot. gest.

DE LITTERAS.

Sacerdos.

SVB nomine Clerici comprehenditur, sic testante *Isidor. lib. 7. Etymol. cap. 12. relato in cap. Cleros 21. dist.* in hæc verba. Cleros, & clericos hic appellatos credimus: quia Matthias sorte electus est: quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Cleros enim Græce, sors latine, vel hæreditas dicitur: propterea ergo dicti sunt Clerici: quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent. Generaliter autem clerici nuncupantur, omnes qui in Ecclesia Christi deseruiunt: quorum gradus, & nomina sunt hæc. Ostiarius, psalmista, lector, exorcista, acolithus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. Et infra sic Presbyter Græcè, Latinè senior interpretatur, non modo pro ætate, vel decrepita senectute, sed propter honorem, & dignitatem, quam acceperunt Presbyteri nominantur. Ideo autem presbyteri Sacerdotes vocantur: quia sacra dant, sicut Episcopi: qui licet sint sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent: quia nec Chrismate frontem signant: nec paracletum spiritum donant, quod solum deberi Episcopis, lectio Actuum Apost. demonstrat. *Et glos. Verbo Sacerdotum in capital 2. de cohab. Cleric.* sic. Nomine Sacerdotis intelliguntur inferiores, vt patet hic, quia inferiora intelliguntur in superioribus, *Vt 93. dist. capit. Legimus &c.* Et e conuerso appellatione Clericorum, superiores, vel maiores intelliguntur.

Maior dicitur Sacerdos non solùm, quoad clericos inferioris ordinis, sed etiam quoad alios seculares, etiam si in principali, regali, aut imperiali dignitate constitutos, lege *cap. Solita 6. de maio. & obed.* & inuenies hæc. Potuisses autem prærogatiuam sacerdotij ex eo potius intelligere, quod dictum est, non a quolibet, sed a Deo non Regi, sed Sacerdoti non de regia stirpe: sed de sacerdotali prosapia descendenti: de Sacerdotibus videlicet qui erant in Anathot. Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & dissipes; ædifices, & plantes, & infra. Præterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti. Vtrunque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, maior est: quæ vero carnalibus minor, vt quanta est inter solem, & lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur. Vide etiam *capit. Suscipitis distinct. 10.*

Nec dicas text. istum loqui de Pontificibus, & non de Sacerdotibus, quia, vt ex

ex eo patet in principio etiam de Sacerdotibus sermonem habet, & si non acquiescis lege *text. in Auth Quomod. Ep. sc. §. 1. coll.* 1. ibi. Sacerdotium, & Imperium, *& in Auth. de non alienan. § finimus coll.* 2. ibi. Nec multum differant Sacerdotium, & Imperium, de quibus iam *sup. verbo. Imperium vers. maxima.*

Nec mirum cum *Aug. de dignit. Sacerd.* sic exclamat. O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius, velut in vtero Virginis incarnatur. O fælices Sacerdotes si Sacerdotaliter viueris. O cæleste mysterium, quod per vos pater, filius, & Spiritus Sanctus, tam mirabiliter operatur, super tã ineffabili ministerio vestro, quod vno eodemque momento idem Deus, qui præsidet in Cœlo in manibus vestris est, in sacrificio: Cœlum miratur; Horrescit infernus, contremiscit diabolus; reueretur quam plurimũ Angelica celsitudo. Quid retribuam Domino (vt de cæteris taceam, quæ retribuit mihi) pro tam singulari dono sacerdotij mihi impenso, quod est datum optimum donum perfectum? V. g. ille, qui creauit me sine me, creatur mediante me: & ille, qui ex nihilo cuncta creauit sine me, dedit mihi (si fas est dicere) creare se. O venerabilium celsitudo manuum, O fœlix exercitium, vbi tractat Christum Sacerdos Dei filium, cuius diliciæ sunt, esse cum filijs hominum. O Sacerdotes, attendite, maior est vobis dignitas collata, quam Angelis, qui adorant, quod vos conficitis, nec ipsi conficere possunt. O altitudo scientiæ Dei, O ineffabilis clementia Saluatoris, quod datum non est Angelis, concessum est hominibus, Sacerdos hoc Sacramentũ ineffabile conficit, Angelus conficienti sibi, quasi famulus assistit. O quam venerabile, quam gloriosum insigne fuit apud antiquos nomen Sacerdotij, sed hodie quid abiectius, eo? quid vilius? O Sacerdotes, si anima cuiuslibet iusti, Sedes Dei est, multo magis sedes, & Templum Dei esse debetis, mundi, & immaculati. Si Sepulchrum Dei gloriosum est, in quo iacuit examine corpus, gloriosiora debent esse corpora vestra, qui e morte suscitatus dignatur in habitare. Si Beatus est venter, qui nouem menses Christum portauit: ita, & si nõ tantum, tamen beata debent esse corda vestra, in quibus quotidie eligit sibi hospitium filius Dei: si beata sunt vbera, quæ paruulus suxit: ita debet esse os beatum, quod carnem eius sumit, & sãguinem sugit: carnes ergo vestras cum timore eius configite, & vobis diligenter prouideatis: Ne lingua loquendo, quæ vocat de Cœlo filium Dei, contra Dominum loquatur: & ne manus, quæ intinguntur Sanguine Christi, polluantur sanguine Christi.

Quapropter dixit *Anselm. in epist. ad Hebr.* quod Sacerdotes noui testamenti non pro parentum nobilitate, sed proprie suæ merito eliguntur, nec attendendum quod parentes habuerint, sed cuius meriti sint, & idem *Aug. super Ioan. relatus in cap. recurrat ad fin.* 1. *quæst.* 4. sic: Nec electio muneris quæritur in successione generis, sed in perfectione vitæ, & in sinceritate scientiæ & virginitas fæcunditati præfertur, & Sacerdotibus continentiæ castitas imperatur, *& in cap. Omnium* 32. *dist.* ita. Omnium Sacerdotum tam excellens est electio, vt hæc, quæ in alijs membris Ecclesiæ vacant a culpa, in illis tamen habeantur illicita: *& in capit. sinit* 2. *quæst.* 7. hæc. Quoniam sicut Domini Sacerdotum segregata debet esse conuersatio ab eorum conuersatione, ita & litigatio, quia seruum Dei non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes.

Si ergo prædicta omnia concurrunt in eo, qui vult sacerdos ordinari, miror sanè, quod aliqui prælati zelum amarum habentes, nolunt talem admittere dicentes

tes prouenire de tali, vel tali genere, forsitan in gradu remotissimo, & tam ignoto, & sæpe ex solo rumore, aut dicto vnius; sæpius maleuoli, & inimici hominis, non attendentes, quod in omni gente, qui facit iustitiam, acceptus est Deo, nec Sanctuarium Dei conuenire iure hæreditario possideri, vt alias in simili dixit *Innoc. 3. in cap. Ad decorem 5. de Instit.* & in multis locis ius diuinum, & Canonicum disponit. Et si dicant, quod non credunt se illi tali, ex eo, quod prouenit a dicto tali, vel tali genere: credant operibus, prout Christus Dominus, alias dixit, & iuxta eiusdem doctrinam nō potest arbor mala bonos fructus facere, nec bona malos fructus facere, ex operibus nam que cuiusq; is, qui agit, cognoscitur. De interioribus verò cognoscere, solius Dei est, nec ipsi Ecclesiæ, eius dilectissimæ sponsæ, id tribuere voluit.

Sacerdotis igitur est nulli nocere, prodesse velle omnibus. Posse autem solius Dei est, dixit *Ambros. lib. de offic. in cap. Deniq; 14 quæst. 5.* Non ne melius est, propter misericordiam rationem reddere, quampropter crudelitatem? Vbi enim pater fam. largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, vt quid Pontifex, aut Sacerdos eius austerus vult apparere? dicit *cap. Alligant 26. quæst. 7.* Et si Christus Dominus ea facta, in quibus dubium est, qua animo fiant, præcipit in meliorem partem interpretari iuxta illud Estote misericordes relatum *in cap. 2. de reg. iur.* quomodo ea, quæ bona sunt in malam conijciemus? non dicam Pontificis, prælati aut Sacerdotis, sed nec cuiuslibet secularis est.

Nemo gradum Sacerdotij, pretij venalitate mereatur: quantum quisq; mereatur, non quantum dare sufficit, æstimatur. Profecto enim quis locus tutus, & quæ causa esse poterit excusata, si veneranda Dei Templa pecunijs expugnentur? quem murum integritatis, aut vallum fidei prouidebimus, si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpat? Quid denique cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta, corrumpatur? Cesset altaribus imminere profanus ardor auaritiæ, & a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Profecto enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus, ita ait *l. si quem quam 30. C. de Episcop. & Cler.*

Postquam verò fuerit legitimè ad Sacerdotium promotus solus nō poterit missarum solemnia, vel alia diuina officia, sine ministri suffragio celebrare, ita disponitur *in cap. Proposuit 6. de fil. presbyt.*

Nec cōstbitur in causa, in qua fuerat ante Sacerdotium electus arbiter, sententiam proferre, etiam si sub pœna obligatus esset proferre ex notabili *text. in l. Nam distinguemus 3 7. ff. sed vers.* Sacerdotio obueniente videtur innouari arbiter sententiam dicere. Id enim non tantum honori personarum, sed, & maiestati Dei indulgetur, cuius sacris vacare Sacerdotes oportet *ff. de recept. arbitr.*

Non tamen a patris potestate liberatur, vt tenet *glos. pen. in capit. 5. de ætat. & qual.* ibi. Et presbyter dicitur in potestate patris esse &c. & ibi per ista iura videtur, quod sacer ordo, non liberet a patria potestate; alij dicunt, quod liberat. Videas Verbo *Clericus.* & verbo. *Pater.*

Tam Sacerdotes, quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his, qui pereunt: quatenus eorum redargutione, aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint ab Ecclesia separentur, ita *in cap. Tam 24. quæst. 3.* quod certum est intelligi de publicis, cum de occultis, & potissimum de in pœnitentia confessis non poterit Sacerdos, nec verbo, nec aliquo

quo alio modo, aut signo prodere, iuxta *capit. Omnis 12. ad fin. de pœnit. & remiss.* & quæ dicis super Verbo. *Reuelare.*

Sacerdotis, autem peccatum, non reuelandum, sed cooperiendum esse dicitur *in capit. In scripturis 96. dist.* vbi referuntur verba Imp. Constantini, sic verè si proprijs oculis vidissem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachali habitu circumamicti sunt, peccantē, clamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. Sed quam per contrarium hodie obseruatur in mundo, qui non veretur tanquam nouacula acuta dolos facere, & iniquitatem loqui aduersus Christos Domini.

Atrocem sine dubio iniuriam esse factam manifestum est, si tibi illata est cum esses in Sacerdotio, & dignitatis habitum, & ornamenta perferres, ita inquit *l.4. C. de iniur.* nec intelligas, quod requirantur pretiosa ornamenta, cum alias dicat *Gregor.* quod licet sordibus vestibus inducti sint sacerdotes, despiciendi non sunt, vt egeni, sed rogandi, vt patroni.

Sed multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes: multi in nomine, & pauci in opere: videte fratres quomodo sedetis super cathedram: quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat. Non omnis Sacerdos Sanctus, sed omnis Sanctus est Sacerdos. Qui benè sederit super cathedram, honorem accipit cathedræ: qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ. Ideoq; malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem: in iudicio enim tuo Sedes ita dicit *Chrysostom. in cap. vlt dist. 40. & Hieronym in capit. Transferunt 24. quæst. 3.* hæc. Veteres scrutans historias inuenire non possum aliquos alios scidisse Ecclesiam, & de domo populos seduxisse, præter eos, qui Sacerdotes a Deo positi fuerant &c. Isti ergo vertuntur in laqueum tortuosum in omnibus locis ponentes scandalum. Absit a nobis Sacerdotibus tale quid, & omnis macula peccati, vt simus sancti, & immaculati ad sacrificandum Agnum immaculatum.

Si aliqui Sacerdotum fuerint per sententiam condemnati propter incontinentiam in suspensionem, post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes apparuerint: officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi, eius executionem habere, vt disponitur *in cap. Sane Sacerdotes de Cler. coniugat.*

Sacramentum.

Omnia Spiritualia largo modo appellari posse Sacramenta notauit *Abb. in cap. 2. sub num. 1. in fin. per tex.* ibi, seu alijs Sacramentis de Simon. propriè tamen sunt septem, vt ibidem *Abb.* & notum est. Quod autem eorum sit maius tradit *Cardinal. in Clem. 1. §. 2. op. pos. 1. de reliq. & venerat. Sanct.* vbi hos ponit versus.

Maior in effectu baptismus, Corpus in esse,
Coniugium signo, maiori chrisma ministro.

Vulgaris est Sacramenti diffinitio ex *Augusti. de ciuit. Dei lib. 10,* ... *in cap. Sacrificium de consecr. dist. 2.* quod sit Sacræ rei signum in hæc verba sacrificium visibile, inuisibile est sacramentum, id est sacrum signum: & prosequitur. Item alibi Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma. Itē *in lib. 2. de doct. Christ.* Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus aliud aliquid faciens ex se in cognitionē venire.

De

De Sacramentis receptis ab hæretico, sic *ex Innoc. dicit Abb. in cap fraternitatis 4. num. vlt. de haret.* Si ignoranter ab eo fuerunt recepta, quod non solum confertur essentia Sacramentorum, sed etiam gratia: nam & Iudas fuit hæreticus 1. *quæst.* 1. Eos tamen baptizauit, & tenuit eius baptismus 1. *quæst.* 1. Dedit: sed si scienter tunc non confertur gratia, *vt* 1. *quæst.* 1. vbi *Aug. lib. de baptism.* Sic. Etiam corde tardiores intelligunt baptismum Christi nulla peruersitate dantis, vel accipientis posse violari. Sed quia aliud est sacramentum, ab effectu sacramenti: cum eos, qui in ipsa vnitate Ecclesiæ perdite viuunt: constet remissionem peccatorum: nec dare, nec habere posse: quia non malignis, sed bonis filijs dictum est: si cui dimiseritis peccata dimittuntur: cui tenueritis tenebuntur: patet ergo hæreticos tantum dare vel accipere Sacramentum baptismi, & non dare remissionem peccatorum.

Et licet *Ambrof.* citatus *in capit. Non sanat cad.* 1 *quæst.* 1. dicat, quod baptismus perfidorum non sanat, nec mundat, sed polluit *in cap. seq.* declarat Leo Papa, & intelligit de hæreticis Arrianis, & Sabellianis, qui non in forma Ecclesia, sed suæ peruersitatis baptisma ministrabant.

Intra Catholicam Ecclesiam, in mysterio corporis, & Sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil a malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito consecrantis: sed in Verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus Sancti. Si ergo in merito esset Sacerdotis nequaquam ad Christum pertineret nūc autem sicut qui baptizat ipse Christus est: ita ipse est, qui per Spiritum Sanctum hanc suam efficit carnem, & transfundit sanguinem. Credendum est enim, quod in verbis Christi Sacramenta conficiantur: cuius prius creantur Imperio eius vtiq; verbo recreantur ad melius ita *Aug. lib. de corp. Domin.* relatus *in capit. Intra* 1. *quæst.* 1. & *lib.* 2. *contra Epist. Parmenian. in cap. seq.* sic. Omnia Sacramenta obsunt indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus: sicut & verbum Dei vnde dictum est: quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, nolite facere. idem *in capit. Per Esaiam dist. cau. & quæst.*

Sacrilegium

Sic de eo dicit *glos. vnic.* & magistralis *in capit. Sacrilegium* 17. *quæst.* 4. Sacrilegium magistraliter varijs modis describitur, vno modo sic. Est sacræ rei violatio, siue ipsa in alio: & hic appellatur sacra res, siue sit res ipsa sacra siue ipsa persona Ecclesiastica. Alio modo describitur sic Sacrilegium est publici iuris transgressio Quid autem sit ius publicum habes *sup.* 1. *dist.* ius publicum. Largius tamen quandoque dicitur committere sacrilegium, qui disputat de iudicio principis, vel cum dies solemnis violatur: vel cum legibus, seu Canonibus reuerentia non impenditur.

Committitur autem tribus modis sacrilegium, vt cum sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro aufertur, dicit prædicta *glosa*, & latius probatur *in cap. Quis inuentus fuerit ead.* 17. *quæst.* 4. De pœna vero imposita Sacrilegis dicit eadem *glos.* quod aliquando est spiritualis, vt si committatur in personam Ecclesiasticam, quia talis est excommunicatus ipso iure iuxta *cap. si quis d.* 17. *quæst.* 4. Sed si in rem Ecclesiæ, tunc post trinam admonitionem excommunicandus est, *vt dict. cap. Quisquis §. Item si quis*, & *cap. si quis contumax*. Secundum leges durior pœna imponitur. Nam *Vlpian. lib.* 7. *de offic. proconf. in l.* 11 *ff. ad l. Iul. pecula.* sic ait Sacrilegij pœnam debebit pro-

proconsul pro qualitate personæ proq; rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus vel seuerius, vel clementius statuere. Et scio multos etiam ad bestias damnasse sacrilegos: nonnullos, & viuos exussisse, alios vero in furca suspẽdisse. Sed moderanda pæna est, vsq; ad bestiarum damnationem, eorum, qui manufacta Templa effregerunt, & dona Dei noctu tulerunt. Cæterum si quis interdiu modicum aliquid de Templo tulit, pæna metalli coercendus est: aut si honestiore loco natus sit, deportandus in insulam est.

Sacrilegium committi si iura Ecclesiæ vsurpantur, clarè patet *ex cap. Conquestus* 16. *de for. comp.* ibi. Cum autem valde sit iniquum, ea quæ collata sunt pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclesijs, vel relicta: aut eis iustis modis alijs acquisita, alijs vsibus applicari propter, quod merito inuasores ipsarum rerum tanquam sacrilegi sunt anathemati, vsque ad satisfactionem congruam, supponendi.

Committunt etiam Sacrilegium, qui contra diuinæ legis sanctitatem, aut nesciendo committunt, aut negligendo violant, & offendunt, aut qui de principali iudicio disputant dubitantes an his dignus sit, quem princeps elegerit; Ita *in dict. cap. si quis in §. committunt* 17. *quæst.* 4. quod deductum fuit *ex l.* 2. *C. de crim. sacrileg.* cuius verba iam sup. relata sunt verbo Imperator; similiter de iudicio Summi Pont. disputare non licet, dicit *§. vlt. d. capit. si quis coniuncto cap seq.* Deniq; ne te afficiam tædio Sacrilegiorum videas alia plura eorum genera apud *Cardinal. in Clem.* 1. *de pæn.* 1. *quæst.* vbi omnia.

Salarium.

QVod aduocato datur, alias dicitur honor *in l.* 1. *ff. de var. & extraord. cognit. § In honorarijs. vbi glos. verbo. Honor.* sic. Honor, id est salarium, ideo sic dictum, quia honor est donanti, & cui datur &c. qui debet dari pro facultate, & dignitate donantis &c. & etiam eius cui donatur &c. vt pro modo litis & tex. sic, Proque aduocati facundia, & fori consuetudine, & iudicij, in quo erat acturus æstimationem adhibeat. Vocatur etiam salarium *in l.* 3. C. *de aduoca. diu. iud.* vbi notauit *glos. verbo. Et solatio*, dicens id est salarium nam solatium est eis habere salarium.

Petunt aduocati salarium; doctores liberaliũ artium, mercedes; nutrices nutricia, proxenetæ philo[...]phia, sic inquit *glos. Verbo nutricia in dict. l.* 1. *ad fin. ff. de var. & extraord. cog.* Sed de quo tẽpore petent? *in l. Per hanc* 7. *vers. Sexcenti* C. *de aduoca. diu. iud.* disponitur quodde medio anni cursu ibi. Sed cum ad medium iter peruenerint patrocinij rerum fiscalium id est Kalend. Octobris per annos singulos sine cunctatione soluentur coniuncta *glos. Verbo per annos* ibi. Nam incipiebant anni singuli secundum antiquos in Kalendis Aprilis. Quod tamen videtur intelligendum in aduocatis fisci, & alijs publicis scilicet communitatis, vel vniuersitatis, qui constitutum habent singulis annis certum salarium, non verò in aduocatis priuatorum, vt alids notauit *glos.* post casus positionem *in l.* 1. *C. de aduocat. fisc.* Nam istis non debetur nisi post præstitum patrocinium *arg. l* 1. *C. de primipil. lib.* 12. dum ait commoda primipilatus post administrationem incipiunt deberi coniuncta ibidem *glos.* 1. administrationem, scilicet finitam, & addit sic. Et nota arg. quod pensio in fine anni sit soluenda. Tamen *glos. in l. venditor §.* 1. *ff. com. prad* sic inquit. Et nota hic arg. quop a principio est salarium dandum aduocato, per tex. ibi. Non aliter hoc faciat, nisi prius solitum pro hoc salarium

rium domino præstat. & facit *dict. l.* 1. *§. Diuus Seuerus* ab hæredibus aduocati, eo mortuo prohibuit mercedem repeti; quia per ipsum non steterit, quominus causam ageret *ff. de var. & extraord. cog. & glos. magna verbo personis post med. in l si vno 17. §. Item quidam ff. locat. vbi etiam Bart. & in d. l.* 1. *§. Diuus & facit l. Qui operas 41. vers.* Aduocati quoque si per eos non steterit quominus causam agant, honoraria reddere nō debent *ff. locat.* est etiā optima *glos. verbo. Consequamur* ibi. Sed tu dic, quod statim *in l. vnica C. de suffrag.*

Quam non prætereundam esse duxi: ait namque: si qui desideria sua explicare cupientes ferri sibi a quoquam suffragium postulauerint, & ob referendam vicem, se sponsione constrinxerint promissa restituant cum ea, quæ optauerint consequantur, *vbi not. glos. verbo constrinxerint,* quod etiam nudo pacto obligatur quis promittens aliquid aduocato nomine palmarij, seu victoriæ, *& in verbo petere*, vbi curiositer sic interrogat. Sed tunc quæro si plura fuerunt capitula, & in aliquibus amisit, in alijs vicit, quod conuentum est nomine palmarij in totum, vel in partem peti debeat? Et forte in totum, quia verum est eum vicisse. Et prosequitur. Item & quæri potest, si non vicit, sed transegit? & puto posse quasi vicerit, vel quasi per eum non steterit quominus vincat pro hoc *ff. manda. l. fin.* Item potest quæri an etiam pro salario vno etiam in causa appellationis debeat præstare patrocinium? quod non, puto: ne sic in infinitum teneatur *ff. de damn. infect. l. Qui bona §. fin. &c.*

In salario autem, seu verius mercede debita alijs arteficibus mechanicis si ipsi moriantur non finito opere, merces nō eis debitur nisi pro rata temporis licet per eos non steterit quominus finirent, vt per *Bald. in dict. l. vnic. C. de suffrag. vers.* Sed ego dico, quod in salario, & *Bart. in citata l. si vno §. Item quidam col. 3. vers. vt tamen apparet ff locat.*

Salus.

Nemo æternæ salutis immemor præsumitur iuxta *tex. in l. vlt. ff. ad l. Iul. pecul.* ibi. Neminem diuini timoris contemnendo iusiurandum arbitramur immemorem, vt saluti propriæ vllum commodum anteponat, & dicit *glos.* 3. *in cap In nostra 4 de procurat. per tex.* ibi. quod suæ salutis obliti &c. Vnde libenter audit Pontifex illos, qui pro salute propria sunt soliciti, & contra etiam si faciendum est libenter, non admittit, *vt in capit. Veniam ad fin. 35. quæst. 9.*

Defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur, ait *l si quis percussorem C. ad l. Cornel. de Sicar.*

Neq; oportet salutem dominorum, seruorum arbitrio committi, vt dicitur *in l. vnius 18. vers seruo qui vltro ff. de quæstion.*

Publicæ salutis, & securitatis interest, & cloacas, & riuos purgari, sic *l. De pupillo 5. §. si quis ff. nou. oper. nunc.* & ibidem *glos. verbo securitatis* sic. Nam & cœlum pestilens, & ruinas minantur cloacarum immunditiæ.

Non potest videri id pro derelicto habitum, quod salutis causa interim dimissum est, ita inquit *l. Interdum 21. §. 1. in fin. ff. de acquir. poss.*

Si pax humana tam dulcis est pro temporali salute mortalium, quanto dulcior est pax diuina pro æterna salute Angelorum, sic dixit *Aug. ad Bonifac. in cap. Noli existimare 23. quæst. 1.*

Quid aliud animorum salus videtur esse, quam virtus? Quid aliud ægritudo, quam vitia? dicit *Boeth. in lib. de consolat.*

Saluus conductus.

DAtus ab inimico non est eredendus, vt dixit *Pontif. in cap. Accedens* 4. *vt lit. non contest.* ibi. Et licet litteras non habuit de conductu: si tamen missæ ea fuissent: non debebat se credere suis capitalibus inimicis. Nam salui-conductus cautio fragilis est, vt ibidem notauit *glos. verbo inimicis & Abb.n.* 3. *glos pen. ad fin. in capit. Ex transmissa* 8. *de restit. spol.*

Non datur saluus conductus, homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus, *vt in Auth. de mandat. princip. §. Neque autem coll.* 3. coniuncta *glos. ibidem verbo neque custodes.* id est, neque dabis. & si dederis, neque serues *Bart. in l. Illicitas §. Ne potentiores in fin. ff. de offic. præsid.* & plus dicit *Bald.* quod & si iudex prædictum saluum conductũ concedat iuratum, non tenebitur seruare, cum sit contra legem, secus si lege permittente, vt per eum *in cap. Item Sacramenta de pac. iur. firm. prope fin. in vers. quæro vtrum si iudex.*

De dictione, saluo, quod sit modificatiua, & reseruatiua præcedentium, tradunt *doct. ex glos. verbo si pure in l. Item Labeo* 23. *ff. fam. hercisc.* quam reputant sing. plures allegati per Bertach. super hoc verbo, cui addo Corset. eodem verbo. Sed prædicta *glos.* aliud non dicit, nisi hoc. Si pure quia non dixit, saluo, quod infra dicam, & aliud non inueni, inuenio tamen optimum tex. iam a me alibi positum *in l. Si venditor* 4. *§.* 1. sic dicentem si in venditione pignoris cõsenserit creditor &c. dicendum erit pignus liberari, nisi salua causa pignoris sui consenserit. Nam solent multi salua causa pignoris consentire *ff. quibus mod. pig. sol.* per quem conclusio satis probata manet.

Sanguis.

PRoprius a quolibet redimi quomodocunque potest permitteate *l.* 1. *in fin. ff. de bon. eo. qui ant. sent.* ibi. Nam ignoscendum censuerunt ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptũ voluerit, & deducitur ex generalitate *l. Transigere* 18. *C. de transact. vbi glo. verbo prohibitum* ibi. Sed accusato licet qualitercunq; redimere sanguinem suum, & vtrobique *Bart. & doct. Bald. in l. Generaliter C. de Episc. & Cler.*

Sanguinis cõiunctio facit, vt a iuris regulis recedatur, vt notarunt *Bart. & alij in l.* Si *cognatis ff. de reb. dub. Alex. in l. Quisiliabus ff de legat.* 1.

Sanguinis effusionẽ nõ intelligi de paucis guttis dicit *glos verbo effusionem in cap. Cum illorum* 32. *de sent. excom.* & probat *ex cap. Reuertimini vers. Verbum effusionis* nomen largitatis ostendit 16. *quæst.* 1. & ibidem confirmat *glos. verb; ostendit in l.* 2, C. *de in offic. donat.* ibi: Impetu quodam immensæ liberalitatis in filium effudit, & facit *cap. sæpe ibi effusio largitas* 41. *dist.*

Qui multum emungit elicit sanguinem ex Salom. refertur *in cap. Deniq; vers. Vt enim* 4. *dist. vbi glos sanguinem* addit. Sic qui multum corrigit offendit *in cap. Cur beatus Paulus* 45. *dist.* ibi. Leuiter castigans reuerentiam exhibet castiganti: asperitatis autem nimiæ increpatio, nec increpationem recipit, nec salutem. Et ideo si quis aliter, quam dictum est prædictos honorabiles subditos licentia perceptæ potestatis elatus, malitia enim tantum crediderit verberandos, iuxta modum verborum quæ intulerit excommunicationis pariter, & exilij sententiam sustinebit; facit etiam illud Salom. noli esse nimis iustus, relati *in cap. Serpens de pœnit. dist.* 1. debes enim iustitiam temperare modo-

derstior. Nam quemadmodum tibi curandus præbeatur, quem fastidio habes qui contemptui se, non compassioni mendico suo futurum putet; vt ibidem dicitur.

Sapientia.

EST multarum, & mirabilium rerum scientia, secundũ *Arist. lib. 1. Rethor. & lib. 1 Ethic. cap. 6.* dicit sic. Esse autem quosdam sapientes existimamus totaliter, non secundum partem &c. Ex quo colligitur, quod sapientia complectitur scientiam, & intelligentiam: quia & de principijs est, & de his, quæ a principijs manant, iudicat, & discernit.

Ioseph. in lib. de Machab. fol. mihi 865. in paru. sic ait. Ratio etenim sapientia est, nam nemo inter bonum malumque diffiniendi potest habere consilium, nisi sapientia radicitus fulciatur: iam ipsam sapientiam sequitur semper sociata iustitia.

Senec. Epist. 91. post princ. dicit. Sapientia altius sedet, nec minus edocet, animorum magistra est &c. vtilia molitur, paci fauet, & genus humanum ad concordiam vocat.

De sapiente autem idem *Senec. de consolat. ad Elbiam*, vel Ediam matrem, sic inquit. Nec secunda sapientem euertunt nec aduersa demittunt, *& lib. 14. Epist.* ita: Non affligitur sapiens amissione liberorum non amicorum, eodem enim animo fert illorum mortem, qui suam expectat, *& epist. 60.* hæc. Sapiens autem ad omnem incursum munitus, & intentus: Non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert interritus, & contra illa ibit, & inter illa, *& in epist. 9. lib. 1.* sic. Nihil autem sapienti necesse est, ergo quamuis se ipso contentus sit, amicis illi opus est, & hos cupit habere quamplures. *Cicer. vero lib. paradox.* dicit solum sapientem liberum *glos. in l. Iustitia ad fin. ff. de iust. & iur.* sic. Sapiens fallere non vult, falli autem non potest.

Da occasionem sapienti, & sapientior erit *Prouerb. 9.* & refertur *in capit. vides in fin. 25. quæst. 6.* videas *Senec. epist. 110.* Debet igitur interrogari sapiens, & ipse tenetur interrogantibus prodesse; Et sapientem non esse apud se met ipsum, vt dicit scriptura, vnde per optime *Senec. lib. 1. epist. 7.* inquit. Nec me vlla res delectabit, licet eximia sit, & salutaris, quam mihi vni sciturus sum: Si cum hac exceptione detur mihi sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enunciem, reijciam. Neque enim appellari sapiens poterit, licet alias sapientissimus sit, si sapientia sua alijs non proficiat, quemadmodum nec medicus vocabitur si infirmis non subueniat: Nam vt dicitur *in lib. sapient. cap. 6 26.* Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum, & si non prosint, quomodo curabunt? Et ad propositum benè faciunt, quæ *Senec. lib. 7. de benef. cap 1* ibi. Plus prodesse si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu tibi, & in vsum sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum,

Circa illud, quod vulgariter dicitur, sapientis est mutare consilium audi, quæ dicat *Senec. lib. 4 de benefic. cap. 34.* vltra ea quæ iam dicta sunt verbo. Error. Illud superbum promissum nunquam facti sui pœnitere, nec vnquam emendare, quod fecerit, nec mutare consilium. Non mutat sapiens consilium omnibus his manentibus, quæ erant, cum sumeret, ideo nunquam illum pœnitentia subijt: quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quam quod factum est &c. Cæterum ad omnia cum exceptione venit, si nihil inciderit, quod impediat. *Et cap. 38.* sic. Non est turpe cum re mutare consilium, *& cap. 39.*

Destituere leuitas non erit, si aliquid interuenit noui.

Pauca sapienti dicas, & multa intelligit, vnde dicitur, quod potissima pars est principium, quasi processus sit facilior ita ponit *glos. verbo opinari in Auth. de consang. & vter. fratr. coll. 6.*

Quanta patiatur sapiens pro sapientia. Videas R. P. *Pened. de reb. Salomon. lib. 3. cap. 10. quaest. 8.*

In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere, & si quid aliter sapitis, hoc cuique vobis Deus reuelauit, ita ex *Aug. in cap. Noli frater 9. dist.*

Quod dicitur ab Apostolo. Non licet sapere plusquam oportet sapere, sic exponit *glos. verbo oporteat in cap. Adhuc instant de poenit. dist. 3.* Ille dicitur sapere plusquam oportet sapere, qui diuinum consilium nimis altè perquirit.

Quid autem iniquius est, quam impia sapere, & sapientioribus doctoribusque non credere. Sed ad semet ipsos recurrunt, & ideo, magistri erroris existunt: quia veritatis discipuli non fuerunt, sic *in cap. Quid autem 24. quaest. 3.* Et illorum infinitus est numerus, quos ego saepius expertus sum, & ad iracundiam prouocatus, videns quod cum alias litteras non didicerent, nolebant Doctoribus acquiescere, & obstinati in suo errore persistebant. Stulti ex vestro ore, vos iudico, dicitis, quod sapientes, & qui litteras dedicerunt, errant, & vos praesumitis, qui eas non didicistis, non errare? Manete igitur in ipso vestro errore in poenam eiusdem, forsan ex ea sapientes aliquando fietis. Nam (vt inquit) *glos. verbo poena in capit. 3. de offic. Legat.* Qui stultus est in culpa, sapiens fit in poena per tex. ibi. Poena docente cognosceres quantum excesseris.

Sapienter, idest callidè, sic ironice dicit, Non enim potest dici sapienter cum ob id tenuatur, sic ne in lacum, sic explicat *glos. vlt. verba l. quaesitum 56 ff. de cond. & demonstr.* ibi. Sapienter faciet haeres, si impedierit eum, quominus praestet operas, sic alias dicitur *in cap. Ecclesias singulas ad med. 13 quaest. 1.* Sapere est de alieno labore fructum quaerere, si sapere est velle, quod non possis.

Satisdatio.

Licet proprie loquendo intelligatur cum fideiussoribus, vt per *Caium lib. 5. ad edict. prouinc. in l. 1. ff. qui satisd. cog.* his verbis. Satisdatio eodem modo appellata est quo satisfactio: Nā vt satisfacere dicimur ei, cuius desiderium adimplemus: ita satisdare dicimur ei, cuius desiderium adimplemus: ita satisdare dicimur aduersario nostro cum pro eo, quod à nobis petiit, ita cauemus, vt cum hoc nomine securum faciamus, datis fideiussoribus *glos. verbo nullam in §. 2. de satisdat. in Inst.* ibi. Nā satisdatio per fideiussores fit. Cautio autem sine eis praestetur iuxta *l. Sancimus C. de verb. sign. & glos. pen. in l. pen. ff. de petit. hared. & notatis supra Verbo Cautio*, tamen aliquando minus proprie, vnum pro alio ponitur, vt inuenies apud *Vlpian. lib. 32. ad edict. in l. Exempto 11. § vlt.* ibi cauetur, & ibi. Satis autem non dantem *ff. de act. empt.* vbi notauit *glos. satis autem* sic dicens. Et accipitur satisdatio pro nuda promissione, nam cum fideiussore satisdare non tenetur, *& ex l. de qua in §. seq.*

Si semel fuerit satisdatum, quaesitum est, an rursus cauendū sit, si forte dicatur egenos fideiussores esse datos. Et magis est, vt cauere non debeat hoc enim D. Pius rescripsit Pacuuiae Licinianae. Ipsam enim facilitati suae expensum ferre debere, quae minus idoneos fideiussore acceperit. Neq; enim oportet per singulas

gula momenta onerare eum, a quo satis petitur, ita inquit *l. 3. ff. vt in possess. legat.* Planè si noua causa allegetur, quod fideiussor decesserit, aut etiam rem omnem familiarem inopinato fortunæ impetu amiserit, æquum erit præstari cautionem, addit *Papinian. in l. 4. eod. tit.* Idem dicendum si satisdatio prima fuerit finita, vt notauit *glosa verbo. Et finitam in Auth. de ijs, qui ingred. ad appell. coll. 5.* ibi. Et sic nota, quod satisdare debet iterum in causa appellationis iudicio sisti: nec mirum, quia prima satisdatio est finita, ex quo est finitum primum iudicium &c.

Si quis alio iudicio iudicatum solui satis acceperit; deinde alio iudicio agat non committetur stipulatio, quia de alia re cautum videtur, Ita inquit *l. Non a iudice 64. §. vnic. ff. de iudic.* & ecce aiter tex. promiscue vtens verbo, satisdatio, & verbo cautio, & alibi vt infra potes notare.

Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi cum satisdatione, sic. *l. In eo 111. ff. de reg. iur.* vbi glos. sic quærit, sed an volens dare pignora audiatur? & respondet, videtur quod sic, quia est æquipollens, &c. e contra videtur, quod non, &c. nam periculum est in custodia pignorum. Et ego quæro, si in terminis regulæ propositæ plures sint expromissores, & quilibet offerat satisdationē quis præferetur? Videtur quod idoneior, iuxta ea quæ de tutoribus dicit *l. Si plures 18. ff. de testam. tut.* ibi. Tunc idoneior præferendus erit, vt & tutorum personæ inter se, & fideiussorum comparentur.

Notabis tamen in materia satisdationis tutorum, quod plerunque bene probati, & idonei, atq; honesti tutores etiam si satis nō dent, non debent reijci quinimo, nec iubendi sunt satisdare, vt dicit *l. Testamento 17 ff. eod. tit. de testa. tut.* & in *l. legitimis 5. ff. de legit. tut.* sic. Vt si persona honesta sit remittatur ei satisdatio, maxime si substantia modica sit. Sicut & a contrario si non sit honesta, nec cum satisdatione admitti debet ex ratione optimi *tex. in l. 6. ff. de suspect. tut.* satisdatio, inquit, propositum maleuolum tutoris nō mutat, sed diutius grassandi in re pupillari præstat facultatem a quo duxit *Imp. in §. Nouissimi eod. tit. in Inst.* & post eos *glosa verbo suspectus in cap. Venerabili 37. de offic. deleg.* ibi. Nec admittendus est, si velit satisdare: quia satisdatio non mutat maleuolum animum tutoris.

Releuabitur etiam a satisdatione si substantiam idoneam possideat, nec maleuolum habeat animum, & sufficientem ad fidem gubernationis habeat, vt ait *l. De creationibus 20. C. de Episcop. aud.* vbi *glos. sufficientem,* sic. Diuites enim a satisdatione excusant. Sed arg. contra &c. *& glos. verbo exploretur,* ita. Aliàs è contra, satisdatio pauperi remittitur, *vt in l. Cum non facile. ff. si cui plusquam per l. falc. & glos. verbo personarum in Auth. de hæred. & falc. §. Si quis autem* ibi. Vt si sit impossibile, vel difficile satisdare propter paupertatem remittetur ei fideiussio.

Filio vel seruo sub conditione a patre domino ue hærede instituto legatum est, huius legati satispetere non possunt. Sed si pendente conditione emancipatus, vel manumissus satispetant: quæritur an audiendi sint si beneficium patris dominiue ipsis onerosum sit: an sibi imputare debeant, qui dederint eis postulandi facultatem? Sed melius est per mediocritatem causam dirimere, vt cautioni tantum cum hypotheca suarum rerum committantur, sic ait *Paul. in l. 7. ff. vt legat. nom. cau.* vbi *glosa vlt. dicit.* Item nota quod vbi lex remittit satisdationem, tamen cauetur: Non ergo, vbi testator remittit, quia maius est præceptum legis, quam testatoris.

Magis

Magis fauet lex ei, qui necessariam satisdationem præstare debet, quam ei, qui voluntariam: quia primum si ibi satisdare non potest, alio loco satisdare permittit: secundum non, ita ponit *glo. vlt. in cap. Ab arbitris 11. de offic. delega. lib. 6.*

Satisdationis præstatione prohibita a testatore, etiam si postea detur dissipatio non erit locus præstationi satisdationis, sic disponente *l. vlt. ff. vt legat. nom. cau.* ibi. Satis a patre meo exigi veto. Quæsitum est cum ille Seius dissipet &c. an ad satisdationem compelli possit? Respondi non compellendum.

Is cui legatorum fideicommissorum nomine non cauetur, missus in possessionem nunquam pro domino esse incipit, nec tam possessio rerum ei, quam custodia datur. Neq; enim expellendi hæredem ius habet, sed simul cum eo possidere iubetur, vt saltem tædio perpetuæ custodiæ extorqueat hæredi cautionem, ita se habet *l. 5. ff. vt in possess. legat.*

Nemo non petenti offerre tenetur satisdationem, sed petenti eam, non facere moram, sic ait *l. 2. §. 1. ff. quor. legat.* Si vero is a quo petitur satis, offerat cognitionem, & dicat, hodie constat de fideicommisso, hodie agamus. Dicendum est cessare satisdationem, cum possit ante de fideicommisso, quam de satisdatione constare. Nec non illa cognitio imploráda erit ab hærede. Si forte dicatur per calumniam satispeti hoc enim commune est omnium satisdationum. Diuus enim Pius rescripsit, eum, apud quem satispetitur, debere explorare numquid per calumniam satispetatur, de quare summatim debet cognoscere, sic *l. 3. ff. vt in poss. legat.*

Qui tenetur ad satisdandum infra certum tempus, adhuc post ipsum elapsum admittetur, si non post longum tempus offerat, sic deducitur *ex Papinian. in l. 2. ff. de custod. reo.* ibi. An postea domino permittendum sit oblata satisdatione &c. Vel qui per inopiam illo momento temporis satisdationem implere non potuit &c. quod vtique facilius admitti poterit, si non post longum temporis spatium hoc desideretur.

Per satisdationem datam de iudicio sisti non videtur quis nec in iudicem, nec in iudicium consentire, vt expresse infertur *in Auth. offeratur C. de lit. contest.* dum post eam datam permittit iudicē recusare ibi data fideiussione &c. & ibi aut iudici alium associari petat, vel recuset eum, & tenet *Bart. in l. si conuenerit ff. de iurisd. om. iud.*

Scandalum.

NIhil cum eo faciendum disponit *capit. 2. de præscript. cap. Gaudendum* ibi. Ne quem scandalizent 16. *quæst.* 3. *cap. Nolite* ibi. Ne in aliquo, vel ipsi scandalum patiamini, vel alijs scandalum faciatis 11. *quæst.* 3. notauit *glosa per tex. ibi in cap. Ad aures 3. de tempor. ord.* Dicens Arg. nihil cum scandalo faciendum esse. & alia plura allegat iura, per quem tex. dixit etiam *glos. verbo. Nihil indict. cap. 2.* quod propter scandalum desistendum est à iure suo. Et prosequitur dicens. Et sic Dominus cum sciret non debere se soluere tributum, tamen propter scandalum soluit. Et Apostolus ne aliquem scandalizaret proprijs manibus victum sibi quærebat 28. *quæst.* 1. Iam nunc versus fin. & propter scandalum consuetudo seruanda est, vt fecit mater Augustini 12. *dist. Illa in fin.* ibi. Augustinus idem authoritate Ambrosij asserit: Mater mea Mediolanum, me secuta inuenit Ecclesiam Sabbato non ieiunantem cœperat fluctuare quid ageret: tunc ego consului de hac re beatissimæ memo. Ambro-

brosium Episcop. At ille ait: Cum Romam venio Sabbatum ieiuno, cum Mediolani Sum non ieiuno: sic, & tu ad quamcunq; forte Ecclesiam veneris eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalum: nec quemquam tibi: hoc cum matri renunciassem libenter amplexa est.

Vnde dicit *tex. in cap. Quod dilectio de consang. & affin.* hæc. Obseruatæ consuetudini deferendum, quam aliud in dissensionem, & scandalum populi statuendum quadam adhibita nouitate. Nec enim ignoramus, quod dissensiones, & scandala prauis actibus aditum præparant, rancores, & odia suscitant, & illicitis moribus ausum præbent; inquit *Extraug. 2. de sepult. inter com.* Vnde debemus, quantum ex alto permittitur, pacem inserere, remouere scandala, *vt in Extrauag. 1. de priuil. etiam int. com.* & ideo dixit *glos. ex Bal. in §. Apum de rer. diu. in Inst.* Magis timeo scandalum, quam futurum iudicium.

Et ita propter scandalum aliquid omittitur impunitum, quod alias non esset omittendum, vt dicit *glos. verbo multitudo in dict. cap. 2. de tempor. ord. & Apostill. ad glos. vlt. in l. qui eadem 16. ff. ad l. Corn. de sicar.* ibi. Nota quod propter scandalum aliqua postponuntur, & fiunt quæ aliter non fierent *concord. cap. De his vero 50. dist. & cap. Placuit de consecr. dist. 1.* Sic etiam propter scandalum receditur a iure, vt dicit *glosa Verbo si non potest in capit. Cum teneamur 6. per tex.* ibi. Aut si non potest ei sine scandalo prouideri *de praben.* idem *glos. verbo sine scandalo in cap. 3. de iur. patron.* Et propter scandalum multa etiam contra ius committuntur, *glosa verbo consuetudo in cap. 3. de cognat. spirit.* Propter scandalum restitutio quandoque differtur, vt dici consueuit, ita *glos. verbo restituendus in cap. Ad petitionem 22. de accusat.*

Cessandum esse ab operibus, etiam licitis, propter scandalum, per *cap. 2. de nou. oper. nunc.* ibi. Tu saltem pro vitando scandalo proximorum, ab huiusmodi etiam prohibitis non cessasti: cum sacræ scripturæ testimonia debueras didicisse, quod licet opera illa, quæ sine peccato mortali committi possunt pariter & dimitti, sit pro scandalo vitando cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistendum, Non tamen propter euitandum debet veritas deseri, vt ibidem notauit *glos.* Vtilius namque scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur; iuxta *capit. Qui scandalisauerit de reg. iur.* a quo eadem verba sumpsit *glos. verbo consuetudinem in cap. 2. de obseru. ieiun.*

Causa durioris pœnitentiæ est scandalum, *vt in cap. vnic. de vot. lib. 6.* ibi. Tanto propter plurium scãdalum, & exemplum durior pœnitentia debeatur

Vbi graue scandalum est, non indicitur purgatio, sic ait *glos. vlt. in cap. Ex litteris 14. de homic.* & respondet ad arg. in contrarium.

Indignum est eis ab Ecclesia subueniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari, inquit *cap. 2. ne cler. vel monach.* a quo deduxit *glos. verbo postposito in c. Transmissa 15. de elect.*

Scandalum inducit irregularitatem habes eodem verbo irregularitatis. Et quod scandalum generetur ex dissimilitudine habitus, vide verbo *habitus*.

Est igitur obuiandum scandalis, iuxta *Clement. 1. de offic. ord.* vbi *glos. Verbo Scandala*, ait etiam si pusilla sint, & ibidem *Cardinal. notab. 7 Clement. vnic. de immun. Eccles.* vbi etiam *Cardinal. quæstio. 1. plena manu Clement. 1. de sent. excomm. & Clem. 3. eod. titul.* vbi etiam idem *Card.*

Scho-

Digitized by

Scholaris.

PLuribus prosequitur encomijs, & laudibus scholares noster Iustinian. & priuilegia cōcedit quasi miserabilibus personis, *in Auth. Habita C. ne fil. pro pat.* in hæc verba. Omnibus, qui causa studiorum peregrinantur scholaribus, & maximè diuinarum, atque sacrarum legum professoribus, hoc nostrum pietatis beneficium indulgemus &c. Dignum namque existimamus, vt cum omnes bona facientes, nostram laudē, & protectionem omnimodo mereantur, quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo, & nobis eius ministris, vita subiectorum informetur quadam speciali dilectione, eos ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur? qui amore scientiæ exules facti, de diuitibus pauperes semet ipsos exinaniunt, vitam suam periculis exponunt, & a vilissimis sæpe hominibus, quod grauiter ferendum est, corporales iniurias sine causa perferunt. Hac igitur generali, & inperpetuum valitura lege decernimus, vt nullus de cætero tam audax inueniatur; qui aliquam scholaribus iniuriam inferre præsumat, nec ob alterius cuiuscunque prouinciæ delictum, siue debitum (quod aliquando ex peruersa consuetudine factum audiuimus) aliquod damnum eis inferat; scituris huiusmodi sacræ constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerum ablatarū ab omnibus exigendam in quadruplum, notaque infamiæ eis ipso iure irroganda, dignitateq; sua cariturós in perpetuū. Verumtamen si litem eis quispiam super aliquo negotio mouere voluerit: huius rei opinione data scholaribus, eos coram domino, vel magistro suo, vel ipsius Ciuitatis Episcopo, quibus hanc iurisdictionem dedimus conueniat. Qui vero ad aliud iudicem eos trahere tentauerit, etiam si causa iustissima fuerit a tali conamine cadat. Scholares, qui gaudent, vel non gaudent prædictis priuilegijs, videas omnino *per Bald in dict Auth. habita*, vbi latissime: & ibi inuenies, quod etiam famuli eorum gaudent, non vero fideiussores.

In l. vnic. C. de stud. liberal. vrb. lib. 11. disponitur, quod loca deputentur lectoribus: ne discipuli sibi inuicem possint obstrepere, vel magistri: ne vel linguarum confusio permixta, vel vocum, aures quorundam, aut mentem a studio literarum auertat, & ibidem *glos. vlt.* notat, quod facile hoc euenit in his scolaribus, qui male intenti quandoq; castra ædificant, quandoque tegulas domus numerant. Insuper, inquit: Et est hic arg quod faber non potest malleare iuxta scholas: publica enim vtilitas, quæ replet ciuitatem sapientibus, præfertur, sic *ff. solut. matr. l.* 1.

Multum operari notitiam scholasticam, sicut, & militarem, dicit *glos. verbo. In scholis in cap. innotuit* 20. *de elect.* Sed quæro per quantum temporis hæc notitia poterit acquiri? Hanc quæstionem pro vtraque parte tractauit *glos. verbo. instructus in cap. Tam ex litteris* 5. *de rest. in integr.* dicens Arg. quod in modico tempore non potest quis multum addiscere *arg. cap.* 1. 48. *dist.* ibi. Momentaneus namque sacerdos nescit &c. & ibi, qui in puncto horæ, nec dum discipuli fiunt magistri &c. quia nemo repente fit Summus *de panit. dist.* 2. *cap. hæc qua de charitate Arg.* contra. Quandoque enim ingenium supplet tempus in bene studentibus sicut industria supplet tempus &c. nec sufficit diu in scholis fuisse, sed laudabiliter vixisse inquirendum est. Quid dicis lector clarissime? certe mihi videris studiosus, curiosus,

sus, & ingeniosus, sed tamen tyro, si respondeas parum temporis sufficiens esse; non enim magna scientia acquiritur, nisi per longum tempus, & tota hominis vita (& si longissima) breuis est, ars vero longa, ita testante scientiæ Apollineæ *Princips 1. Aphorism. 1. licet Iustinian. in proœm. ff or.* quinque annorum faciat mentionem, vbi notat *glos. verbo. Quinti anni* studeas quæso, & inuenies, quod quanto plus addisces tanto plus tibi restat ad discendum; & alia de hoc in Verbo sequenti.

Scientia.

SI intelligas de litterarum scientia, ignorare non debes, quod ipsa non tractat principia, vt de intelligentia dicitur, sed ab illis iam cognitis discurrit, & est de rebus, quæ semper eodem modo sunt, & aliter esse non possunt. Eamque sic diffinit *Philosoph. 1. Eth. 5.* Scientia est de ex necessitate entibus, & est quoddam scibile demonstrabile. Et scire est rem per causas cognoscere, *vt per Bald in l. 1. num. 7. ff. de iust. & iu. & in l. Cum antiquioribus numer. 6. C. de iu. de lib*, vnde qui nescit causam, scire non dicitur iuxta *eund. Bald. in l. Si is num. 1. ff. de acquir. hered.*

Cum autem scientia non sit insita a natura, ab euentu est, & cum diligentia acquiritur, & requirit studium, & exercitium studij exposcit vsum librorum, vt dicit *glo. verbo. Nequaquam esse scientiam in Extrauag. vlt. de verb. sig.* exercitio namq; scientia crescit, prout notauit *glos. verbo. Exercitio in l. Milites 15 C. de re mil. lib. 12.* Nec putes te in alio exercitio occupatum, scientiam acquisiturum, cum ipsa quæcunque sit, requirat totum hominem, vt benè, & verissimè inquit *Bald. in l. vlt. §. 1. ff. com. de legat.* Totus ergo studeas, non vt plus alijs scias, sed vt melius, sic enim ait *Senec. Epist. 90. in fin.* Et postquam te totum studio litterarum tradideris, & tibi videaris scientificus, vnum scias (vt primum requisitum) quod nescis; ita asserente *Hieronym. ex Socrat. in prolog. Bibl. Epist ad Paulin. vers. Esdras, & Nehemias ad fin.*

Et si postquam ita studio incuberis, & te imperfectum in scientia cognoueris sume consilium *Pontif. in cap. Nisi cum pridem de renunciat.* supple imperfectũ scientiæ, charitatis perfectione, & tradit *glo. excedũt in Clem. 2. de magistr.* nõ vero, vt ipsa iocose ait, imperfectum scientiæ quandoque suppleri perfectione expensarum, cum alias text. ibidem vanitates expensarum in doctorandis scholaribus maxime reprobet.

Nec terreat te, si parum scientem cognoueris, si spem habueris profectus, cum non solum possis promoueri, vt dicit *Apostill. in Clem. 1. de ætat. & qualit.* Sed etiam ad præbendas, & dignitates, cum vix ad culmina dignitatum (nedum ad præbendas) viri eminentis scientiæ, valeant reperiri, ita testante *Pontif. in capit. Venerabilis 37. de præbend.*

Scientiam filij esse lætitiam patris, dixit *glos. verbo solebat in l. Sed Iulianus §. Quod dicitur ff ad Maced. per text. in Auth. Constit. quæ de dignit. §. Si ergo in fin.* ibi. Hoc enim multo maior patribus laus erit, & lætitiæ occasionem præbet magnæ *coll. 6.*

Si præditus es scientia litterarum, ignorare non debes Sanctorum patrum constitutiones, vt incipit *cap. 4. de conuers. coniug.* Nam turpe, & indecorum est, ius in quo versaris ignorare, sicut alias fuit dictum Seruio sulpitio de quo testatur *Pompon. in l. 2. vers. Seruius autem ff. de orig. iur.* & de scientia iuris ciuilis, videas verbo *Sapientia*.

Quæ scientia requiratur ad aliquem eligendum, dictum est verbo, *Electio*. Et

Digitized by

si sibi non fuit allegata *glos. pen. in cap. congregato* 53. *de elect.* sic se habet. Et ita defectus scientiæ facit aliquem ineligibilem &c. & non solum impedit promouendum, sed reijcit iam promotum &c. & defectus scientiæ inducit renunciationem &c. & si non sit eminentis scientiæ, saltem sit sufficientis &c. Et non solum debet habere scientiam sacrarum litterarum; sed etiam secularium negotiorum &c. vt sit paratus omni poscenti reddere rationem &c. quia cum ipse debeat docere alios, non debet tunc discere. Et quod promotus propter defectum scientiæ ab Episcopatu repellatur, est etiam *glos. verbo litterarum scientia in capit. Cum in cunctis* 7. *de elect.*

Scientia in fratribus plusquam in rectoribus viget sup. dictum est verbo *Monachus*.

De alia scientia quam quis tenetur scire licet litteras non dedicerit loquitur, *Vlpian. in l.* 2 *ff. quis ord. in bon. poss. seru. ad fin.* ibi scientiam eam obseruandam esse, Pomponius ait, non quæ cadit in iuris prudentes; sed quã quis aut per se, aut per alios assequi potuit scilicet consulẽdo prudẽtiores, vt diligentiorem patrem fam. consulere dignum sit. Vbi notat *glos. vlt.* quod iuxta sensum huius tex. intelligitur cõclusio illa, quæ dicit quemlibet teneri scire ius.

Altera insuper dicitur scientia, quam quilibet artifex in ea, quam profitetur arte tenetur scire, de qua loquitur idẽ *Vlpian. lib.* 1. *ad edict. adil. Cur. in l. sciendum* 19. *ff. de adil. edict.* ibi. Non vtique perfectum eum præstare debet, sed ad aliquem modum peritum, vt neque cum summæ scientiæ accipias, neque rursus inductum in arteficio; sufficiet ergo talem esse, quales vulgo artifices dicuntur, vbi notat *Apostilla*, quod sufficit mediocris scientia, & facit *glos. verbo illitteratos*, ibi sufficit mediocris scientia *in cap. Illitteratos* 36. *dist.* & melius in materia *l. si quis venditor* 18. *ad fin.* ibi satisfacere videtur etiam si mediocrẽ coquum præstet *eod. tit.* quod intelligas quando simpliciter dicatur artifex. Si vero cum adiectione melioris, aut optimi, necesse est, vt non mediocris; sed eminentis scientiæ seu arteficij sit, ex eodem tex. ibi. Venditor, qui optimum coquum esse dixerit, optimum in eo arteficio præstare debet. Item altera est scientia facti cõtingentis, vel actus gesti, seu cuiuslibet alterius rei. Et de hac dicit *glos. verbo sciat in l.* 2. *§. Idem Labeo ff. de aqua plu.* Sic. scire propriè est veritatem visu perceptam in mente tenere. De eadem dicit *l. regula* 9. *ff. de iur. & fact. ig.* ita Et recte Labeo definit se ẽtiam neque curiosissimi, neque negligentissimi hominis accipiendam, verum eius, qui eam rem diligenter inquirendo notam habere possit, *& in l. Nec supina* 6. *eod. tit.* sic. Scientia enim hoc modo æstimanda est, vt neq; negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur. Ex quibus intelliges iura, quæ requirunt in aliquo scientiam, de qua agimus, qualiter eam teneatur habere &c.

Scire etiam dicimur, quod ab alijs audiuimus, ita ponit *glos.* 1. *in cap. Cum contingat* 24. *de rescript. idem glos. verbo notitiam in extrauag. vnica ne sed. vac. & glos. verbo fide dignus in Extrauag. etiam vnic. de crim. fals.* ibi. Cum videatur scire, quod ab alijs audiuit. Sed hoc intelligas minus propriè, quia propriè, vt iam supra proximè dictum est, scire est veritatem visu perceptam in mente tenere; hoc autem propriè de illo non potest dici qui ex aliorum recitatione quid credit, prout citata *glosa verbo sciat in l.* 2. *§. Idem Labeo ff. de aqua. plu.* dicit. Et in his terminis, an qui non credit, habeatur pro sciente?

vide

vide verbo ignorantia, vel verbo credere &c.

Quisque scire debet propriæ rei vires, iuxta *l. Quisquis maior.* 15. *C. de rescind. vend.* 101. Qui familiaris rei scire vires, vel merita, atque emolumenta scire debuerat, ex qua deducitur regula, quod idem est scire, atque scire debere, & probat *l. Qui fundum* 7. *§. seruus meus ff. pro empt.* ibi. Quia aut scit seruus peculium sibi concessum non esse, aut scire debet, *& in l. si duo* 38. *ff. de acquir. hared.* ibi. Qui enim scit, aut scire potuerit, *& in l. si Titius* 49. *ff. de fideiuss.* ibi. Cum scire potuerit, aut ignorare non debuerit mulierem frustra intercedere, *& l. pen. ff. ad Maced.* ibi. Nulli obstare, nisi ei, qui sciret, aut scire potuisset, *& in Clem. vnic. ad fin. de concess. preb.* ibi. Imputet quidem sibi si hoc casu, quo de ipsius commodo agitur, id quod per se, vel alium scire potuerit, ignorauit *glos. verbo eius in fin. per tex.* ibi. vel est, vel esse debet, non ignarus *in l. Qui cum alio* 20. *ff. de reg. iur.* & in his terminis inter scientem, & ignorantem non dari differentiam, dictum fuit verbo ignorantia. Nec tibi videatur *d. l. Quisquis contraria dispositioni tex. in §. Præualuisse quib. ex cau. man. non lic. in Inst.* dum ait Sæpe enim de facultatibus suis amplius, quam in his est, sperant homines, quia fundatur in alia regula, quæ ait fraudē non præsumi in dubio: & ideo requiritur ibi probatio fraudis in testatore manumittente &c.

Omnes scire debent, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere, ita ait *l. vlt. C. vnd. vi. glos. verbo profugus in l. Omnes* 8. *C. de agric. & cens. lib.* 11. Et de hac scientia dicit *glos. verbo sciuerit in l. Item veniunt* 22. *§. Præter hæc vers. petitam ff. de petit. hæred.* ita. Et sic nota, quod nocet scire, vbi plura affert iura, *& tex. in ead. l. §. Petitam* ita ait, Nam vbi scit, incipit esse malæ fidei possessor. Qui autem sciens alienum vendidit dolo non caret, *vt in l. exempto* 12. *§. Denique ff. de act. empt.* & de hoc inquit *glo. verbo. omnimodo per tex. in l. Idque* 46. *eodem tit.* sic. Nota hic scientem plus teneri quam si esset ignorans, *& glos. vlt. in l. vlt. C. cred. euict. pig* 101. Nota ergo aliquem scientem teneri, qui ignorans non teneretur, idem esse in procuratoris scientia, vt domino noceat, dixit *l.* 1. *ff. de trib. act.* in hæc verba. Procuratoris autem scientiam, & dolum nocere debere domino, neque Pomponius dubitat, neque nos dubitamus.

Dolo etiam videtur facere venditor, qui sciens vitium rei, illud non patefecit emptori, de quo sic ait *l. Iulianus* 14 *ff. de act. empt.* Si vero sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei. Scientia vero emptoris ipsi nocebit, vt notauit *glos. per tex. ibi in l. si tamen* 48. *verbo.* Et qui *ff. de ædil. ed.* de qua materia videas omnino *l. Cum mancipium* 51. & ibidem *glos.* 1. *eod. tit.* & facit ratio *l. Imo* 16. *ff. de lib. cau.* ibi. Nam si sciuit liberum, & & sic emit, ipse se circumuenit. Sed aduertas, quod ista scientia non præsumitur in emptore, etiam si in comparando vtatur pluribus cautelis, vt dictum est supra verbo. *Emptor*.

Aduertas insuper, quod etiam alienæ rei scientia, non nocebit emptori ad impediendam vsucapionem, si ex post facto superueniat, quando ab initio bona fides præcessit, vt dixisti verbo bona fides, & verbo initium, & probat *glosa verbo pro suo in l. si ancillam ff. pro suo,* vbi *text.* curiosus certè, quem sic *summat Paul.* Si post cœptam vsucapionē partus ancillæ furtiuæ per bonæ fidei possessorem superueniat scientia, quod ancilla erat furtiua: ita demū procedit, & completur vsucapio, si ignorauit cuius esset, vel sciuit, & sibi

Digitized by

denunciari non potuit: vel si potuit, denunciauit, alias secus. Qui autem scit ante inchoatam non potest iuste posside re ad *l. seruus 34. ff de stipul. seru.* ibi. Quia non potest videri iuste seruisse ijs, qui liberum esse non ignorabant, de quo etiam infra latius vers. Alterius.

Scientia domini sic accipienda est, si cum prohibere posset, non prohibuit, ita dicit *l. 3. ff. de noxal. act. & in l. 4.* sic. Rectius itaque dicitur scientiam eius accipiendam, qui prohibere potest, *& in l. 1. ff. de tribut. act.* hæc. Scientiam hic eam accipimus, quæ habet, & voluntatem, sed (vt ego puto) non voluntatem, sed patientiam, non enim velle dominus debet, sed non nolle. Si igitur scit, & non protestatur, tenebitur &c. Ex quo notabis quod quandoque datur scientia sola sine voluntate, & quandoque cum voluntate tacita, quandoque cum prohibitione expressa, vt ita prædictis verbis notauit *glo. verbo sciente per text. ibi in l. 1. §. si is, qui nauem ff. de exercit. act. & facit l. 1. ff. si fam. furt. fec.* ibi. Scientiam enim expectare debemus, quæ habet, & voluntatem. Idem dicas in scientia patris respectu eorum, quæ filius gessit *per text. in l. Sed Iulianus §. Interdum ff. ad Maced.* ibi. Quoniam voluntate patris contractum videretur. Nam si scit eum negotiari etiam hoc permisisse videtur; si non nominatim prohibuerit merces accipere. Nam scientia inducit patientiam, patientia consensum ad id, vt inquit *glos. verbo non teneri in l. Labeo 19. ff. de aqua plu. & probat l. 1. §. Magistrum ff. de exercit. act.* ibi. Cæterum si scit, & passus est eum in naue magisterio fungi, ipse eum imposuisse videtur, & dixisti verbo. Consensus.

Intelligas autem scientiam prædictam, iuxta *l. Quam Tuberonis 7. ad fin. ff de pecul.* ibi. Scire autem non vtique singulas res debet dominus ex necessitate, sed per maiores grossioresque partes; & facit etiam ratio, quam de altera, & certa scientia loquendo, dixit *Pontif. in Extrauag. 1. de verb. sig.* ibi. Non enim particularium omnium certa potest dari scientia &c

Nota præsumi scientiam, dicit *glos. vlt. in l. Si hæres 68. §. vlt. ff. ad Trebell. per tex.* ibi. Si totam hæreditatem rogatus restituere, sponte adieris, & sine deductione quartæ partis restitueris, difficile crederis per ignorantiam magis, non explendi fideicommissi causa hoc fecisse. Præsumitur etiam in contrahentibus clandestine iuxta *cap. Cum inhibitio §. Si quis vero de cland. despons.* ibi. Cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur, *& glos. verbo Errore in l. 4. C. de incest. nupt.* ibi. Clam fuerat contractum, vnde præsumitur scientia secus si palam, quoniam bona fides præsumitur &c. idem *glos. verbo. Nostri in l. si adulterij 38. ff. ad l. Iul. de adult.* sic. Sed ibi clam, vnde scientia præsumitur &c. Palam vero inducit ignorantiam, seu errorem, *vt per glos. verbo. Si error in ead. l. 38. §. 1.*

Etiam in testatore legante rem alienam præsumitur scientia ratione affectionis circa legatarium, vt legatum teneat, *vt sup. Verbo. Legatum.*

Sic item ex scientia præsumitur donatio affinitatis ratione, vt notauit *glos. verbo scissent in l. si seruus 39. ff. de donat.* ibi. Et ita scientia præiudicat circa amissionem dominij: quia præsumitur eos voluisse donare affinitatis ratione *per tex.* ibi si id scissent fratres, aut postquam donata esset ratam habuissent.

Non debuit certiorari, qui sciuit, ait *glo. pen. in l. Tutor 16. §. Contrariam ff. de pig. act. & verbo cognouerunt in cap. Cum inter 18. de elect.* ibi Quia si sciuit certiorari non debuit, *& probat l. 1. §. vlt. ff. de act. empt.* ibi. Quia

non videtur esse celatus, qui scit, nec certiorari debuit, qui non ignorauit. Nec eum excusabit obliuio, vt per *glos. verbo debet in l. qui fundum 7. §. Seruus ff. pro empt.* ibi. Nota quem non debere tradere obliuioni, quod scit.

Etiam indebita impedit repeti scientia, inquit *glos. verbo. Ad mulierem in l. vlt §. 1. ff. quæ in fraud. cred.*

Alterius scientia nec alteri nocebit, vel ignorantia proderit. Sic inquit *l. Non solum 22. ff. de lib. cau.* Et prosequitur: si eum liberum esse emptor nescijt, postea autem scire cœpit, hoc ei non nocebit, quia tunc ignorauit. Sed si tunc sciuerit, postea autem dubitare cœperit, nihil proderit, & hæredi, & cæteris successoribus scientia sua nihil nocet, ignorantia nihil prodest. Tria ergo possunt notari ex hoc tex. scire, nescire, & dubitare, vt alias notauit etiã *glos. verbo si dubitat per tex. ibi in l. 3. §. si eum versis, qui nescit ff. de lib. hom. exhib.* Et licet, vt patet, diuersa sint possunt tamen aliquando operari eundem effectum, vt scilicet ita teneatur sciens, sicut nesciens aut dubitans. Nam qui vendit sciens seruum esse furem, & non declarauit tenetur, & qui nesciens vel dubitans, declarauit esse bonæ frugi, cum aliàs non esset, eodem modo tenetur audi *l. Iulianus 13. ad fin. ff. de act. empt.* sic ponentem vtrunque. Inter hunc igitur, & eum qui scit interest, quoniam qui scit præmonere debuit furem esse, hic non debuit esse facilis ad temerariam indicationem.

Pro limitatione regulæ in princip. vers. antecedenti notabis *tex. in l. Sed Iulianus 9. §. Non solum ff. ad Maced.* ibi. Verius est vtriq; scientiam alterius nocere, vbi notauit *glos. verbo vtrique* & affert alia iura in cõtrarium dicens imo e contra ignorantia alterius alteri deberet prodesse &c.

Scientiæ causa an sit necessaria in teste ibi videbis.

In priuatis contractibus, & pactionibus non facile scire petitor potest, quid inter eum, qui delegatus est, & debitorem actum est, ita dicitur *in l. Doli mali 19. ff. de nouat.*

Scienti non subuenit: quoniam se ipse decepit, sic ait *l. 1. §. vlt. ff. quod fals. tut.* Planè si is sit, qui auxilio non indiget, scientia ei non nocebit, vt puta. Si pupillus cum pupillo egit. Nam cum nihil actum sit scientia non nocet, ita *Vlpian. in l. 3. eod tit.*

Interdum tamen, & si scientia nocet, restitutio facienda erit, si a prætore compulsus est ad iudicium accipiendum, sic *l. 5. eod. tit. & in l. Nouissime 7. eod. tit.* sic. Quid enim si compulsus, aut metuens ne compelleretur authoritatem accommodauerit, non ne debebit esse excusatus? & ibidem *glos.* Respondet ita. Certe sic. Scienti dies vtiles cedi, dicit *vlpian. in l. 2. ff. quis ord. in bon. poss.* Et addit ita. Cæterum quacunque die nescierit, aut non potuerit nulla dubitatio est, quin dies ei non cedat. Fieri autem potest, vt qui initio scierit, vel potuerit bon. possessionem admittere incipit nescire, vel non posse admittere: scilicet si cum initio cognouisset eum intestatum decessisse, postea quasi certiore nuntio allato dubitari cœperit nunquid testatus decesserit, vel nunquid viueret, quia hic rumor postea irrepserit. Idem & in contrarium accipi potest vt quis ignorauerit initio postea scire incipiat.

Quæ facilius sciri possunt, si ignorentur grauius coercentur, ita *glosa Verbo. berba mala in l. Sed addes 21. §. 1. ff. locat.* idem in ignorantia crassa, & supina, vt habes verbo. *Vassallus.*

Digitized by Google

Scribens.

SCiendum est generaliter, quod si quis scripserit se fideiussisse, videri omnia solemniter acta, sic ait *Vlpian. in l. 30 ff. de verb. oblig. vbi glos. ad fin.* sic dicit. Item *not. arg.* quod ex quo aliquid inuenitur scriptum: præsumitur voluisse scribens, & allegat *l. Ex hac ff. de dol. & Auth. Contra qui propriam C. de non num. pec. & Apost ad dict. glosam* ita. Scribentes hic, maximè *Bald.* dicunt istam *glos. notab.* ad hoc, quod instrumentum publicum in dubio præsumitur esse confectum de partium voluntate, . Et pro ratione dic, quod ideo, quia hæc est solemnitas intrinseca, quare non mirum si præsumatur interuenisse.

Si quis sua manu se exhæredem scripserit an contra tab. bonorum possessionem possit accipere videamus? & *Marcell. lib. 9. ff. nocere* & hanc exhæredationem ait: quia Senatus hoc pro non scripto, non facit, quod contra eum est, ita *Vlpian. in l. Non putauit 8. §. si quis ff. de bon poss. cont. tab. per quem tex.* dicit *Bart. in l. Ex sententia ff de testam. tut.* quod scribens se tutorem, aut executorem in testamento non poterit se excusare a tali officio.

Scribens nomen suum in litteris alteri missis crimen falsi committit, vt tenet *glo. verbo. Et quid in l. Titio 36. ff. ad municip. per l. 1. §. in rationibus ff. ad l. Corn. de fals.*

Notabilis est *glos. in l. stipulatio 21. §. Hoc autem verbo siue autem ff. de oper. nou. nunt.* dum ita ait. Ex hac littera collige argumentum, quod scriptor potest cogi præcise ad scribendum, & poni in compedibus, vel tenetur ad interesse si hoc placeat scholari &c. & est ratio ne turbetur publica vtilitas idest studium, sicut, & hic ne contemnatur edictum prætoris. Vide etiam *Bart. d. §. hoc autem & Bald. in l Nec patronus opposit. 4. C de oper. lib. & in l. vnic. vers. Tertio propter publicam vtilitatem C. de sent. qua pro eo.* Vide etiam alia de materia scribentis infra verbo. Subscribens.

Scriptura.

ESt humanorum actuum seruans fidele testimonium præteritorum, loquax, obliuionis inimica. Nam memoria nostra, & si causas retinet, verba tamen commutat: illic autem secure reponitur, qaod semper æqualiter audiatur *Cassiodor. lib. 11. variar. Aug. epist. 96 & Nicephor. lib. 16. hist. Ecclesiast. cap. 26.* & facit *cap. ego Berengarius de consecr. dist. 2. & glos. verbo sub testimonio publico in Extrauag. vnic. de praeben.* ibi. Cum scripturæ fides non variat, vel labilitatem memoriæ patiatur &c. Sed testium, sic frequenter.

Ex quo apparet maioris authoritatis, & fidei esse scripturam, quam testes, quod quidem videtur probari *ex l. Optimam 14. C. de contrah. & committ. stipul.* ibi Et melius quidem si per scripturam, vel saltem per testes vndiq; idoneos & omni exceptione maiores, & ibidem *glos.* sic. Nota maioris authoritatis scripturam, quam testes: quod admitto quando dubium est de numero annorum, vel temporis. *Sed in l. scripturas 11. ad fin. C. qui potior.* videtur, quod testes, & scriptura publica æquiparentur, dum ita dicitur. Eum decernimus, qui instrumentis publice cōfectis nititur præponi etiam si posterior is contineatur: nisi forte probatæ, & integræ opinionis trium, vel amplius virorum subscriptiones eisdem hydiochiris cōtineatur: tunc enim, quasi publice confecta accipiuntur, *vbi glos. ijsdem affert* hos versus.

Cau-

Cautio priuata iam trino teste notata,
Hoc ius est nacta, quod cautio publicè facta.

Facit etiam *Auth. si quis vult.* C. *eodem tit.* Sed contra, quod potius testibus, quam scripturæ credendum sit videtur *tex. in §. Item verborum de inutil. stip. in Inst.* Tales scripturas &c. omnino esse credendas, nisi is, qui talibus vtitur &c. vel per testes idoneos approbauerit ipso toto die, quo conficiebatur instrumentum se se, vel aduersarium suum in alijs locis esse, & ibidem *glos.* toto die ad quam *Apostill.* sic. Nota quod duo testes, contra instrumentum faciunt vacillare instrumentum, quia probant affirmatiuam, & etiam vocis viuæ magis creditur, quam mortuæ. Vide etiam *glos. verbo, quod libet in cap Cum Ioannes de fid. instr.* & vide in verbo testis. Adde etiam *glos* 1. *in cap. Post cessionem 7. de probat.* ibi. Nec scripturæ tabellionis creditur, nisi habeat testium subscriptionem, & in *cap. Quoniam contra* 11. *verbo viros eod. tit.*

Sed quid si duæ appareant scripturæ, vna quæ dicit stipulatorem fuisse Bononiæ, altera Romæ eadem die? Responde, bonus iudex videbit, cui potius credendum sit, quod si non viderit neutri credat iuxta *l.* 14. *C. de fid instr.* Scripturæ (inquiunt Impp.) diuersæ, & fidem sibi inuicem derogantes ab vna eademque parte prolatæ nihil firmitatis habere possunt, tradit *glos. verbo idoneos in d.l. optimā C. de cōtrab. & comm. stip.*

Authentica scriptura est, quæ per manum publicam, vel per iudicem cum trium testium, vel duorum ad minus subscriptione, vel testimonio facta est. Vel quæ habet sigillum authenticum. Et etiam scriptura, quam facit priuatus in præsentia trium testium, sic ponit *glos.* 1. *in cap.* 1. *de fid. instr.* Et quæ habet sigillum publicum, *vt infr. verbo. Sigillum.*

Scriptura antiquorum librorum facit fidem. Item creditur instrumento producto, in archiuio publico, etiam si subscriptionem non habeat. Et si reperiatur scriptura in aliqua columna, vel lapide ei statur, ita ponit *glos. verbo per libros in cap. Cum causam* 13. *de probat.* Pro & contra scilicet, quod scripturis vetustate consumptis nulla fides adhibeatur, & quod instrumentis consumptis vetustate, vel a muribus rosis sic fides adhibenda, est *glos verbo duximus innouanda in cap. Cum dilecta* 4. *de confirm vtil.* De scriptura autem superlineata, vel rasurata quid? *vide sup. verbo. instrumentum.*

In vltimis voluntatibus vltimam scripturam præualere, tam vulgare, quam notum est *ex l. si ita 67. ff. de hared. inst.* ibi. Secunda scriptura potior erit plenior est enim, quam prior, *& in l. si quis* 16. *ff. de vulg.* ibi. Nam in legato, & in testamentis nouissima scriptura erit spectanda, sicut in eodem testamento, vel codicillis confirmatis obseruaretur.

Cum imperfecta scriptura inuenitur, ita demum verbum fideicommissi, vel legati, quod præcedit, vel sequitur ad communionem assumitur, si dicto scriptura congruat ita *l. Cum pater 79. §. Cum &c. ff. de legat.* 2. cum hoc tamen stat, quod datum recte, & minus scriptum intelligatur, *vt in l. Vnum ex familia 69. §. fidei tuæ eod. tit.* Nam res gesta potior quam scriptura habetur *vt in l. Multū interest C. Si quis alt vel sibi.* Et plus valet quod agitur, quā quod scribitur, probat *glos. in l. si librarius* 93. *ff. de reg. iur.* & excipit dicens, nisi in casibus vbi præualet scriptura *vt in l. si alij* 19. *ff. de vsufr. lega.* ibi. Quia interdum plus valet scriptura, quam quod actum sit & ibi, sic intelligit *glos. verbo actum*, idest dicitur, non tamen est certum, alias præualet.

valet actum, *& glos. verbo. Sed partim in l si tibi 6. ff. de vsufr. ear. rer.* ibi. Quia interdum plus valet, quod scribitur, quam quod agitur In emancipationibus liberorum, nec non in donationibus, non tam scripturam, quam veritatem considerari, inquit *l. 1. C. de emancip. lib.* Nec errorem in scriptura veritati nocere, inquit *glos. verbo fuerat in cap. Causam de rescript.* & facit *optimus tex. in l. Aurelius 29. §. Idem quaesyt ff. de lib. legat.* ibi. Nom impediri eum scriptura testamenti, quominus omne, quod sibi deberi probasset, petere possit, ex quo plus notat *Bart.* ibi, sic dicens. Potest quis vni scripturæ stare pro parte, & pro parte non, probando contrarium.

Scripturæ ordinem esse sequendum, notauit *glos. vlt. in l. Haeredes mei §. Peto a te ff. ad Trebell. per tex.* ibi. Ex cæteris autem cognatis si nepotes superessent, non recte mulierem electuram propter gradus fideicommisso præscriptos, tamen pro, & contra sunt iura, vt eadem *glos.* dicit, *& est tex. in l. 2. §. Prius autem ff. de vulgar.* ibi; Et non conuertere ordinem scripturæ &c. *& in fin.* ibi. Vt non ordo scripturæ, sed ordo successionis spectetur, *vbi glos. conuertere* dicit, quod vbi de voluntate constat, non attenditur ordo scripturæ, sed quãdo non constat, tunc attenditur. Nam ordo scripturæ non impedit causam iuris, & voluntatis, vt prædictis verbis dicit *l. Cum pater 79. §. fidei tuae ff. de legat. 2. & supradictum est verbo. Ordo.* Et in rescriptis seruari etiam scripturæ ordinẽ notat *glo. verb. transferentes per ibi. in cap. Cum dilecta 22. de rescript.*

Nota intelligi scripturam, vt aliquid operetur, & addat, sic ait *glos. verbo frustra vbi alia iura per tex.* ibi *in l. Si quando 112. vbi etiam Bart. ff. de legat. 1.* Si tamen superuacua fuerit, non nocet legato, vt inquit *l. si seruo 26. in fin. ff. de adim. legat.*

Si aliquid per epistolam donatũ tibi probetur, breuitas chartulæ, nihil quicquam derogat, sic decidit *l. 13. C. de donat.* nec insuper nocebit, si non appareat scriptura, *vt in l. Cum te 5. de transact.* ibi. Si de fide contractus confessione tua constet, scriptura, quæ probationem rei gestæ continere solet, necessaria non est. Et *Caius in l. In re 4 ff. de fid. instr. & in l. Contrahitur etiã 4. ff. de pig.* ita. Et ideo sine scriptura si conuenit, vt hypotheca sit, & probari poterit, res obligata erit, de qua conuenit. Fiunt enim de his scripturæ, vt quod est, facilius probari possit, & sine his autem valet quod actum est, si habeat probationem, *vbi glos. verbo actum* sic. Regulariter, fallit tamen in casibus &c. Scriptura ergo regulariter non pro substantia actus, sed probatione eiusdem conficitur. Casus vero in quibus necessaria est pro substantia. Videas per Bertach. verbo Scriptura de substantia &c.

Scriptura pretiosior esse potest, & carior, quam pictura, vide ibi:

Scrupulus.

Est molestia, solicitudo, vel anxietas animi; Et dicitur à scrupo, qui est lapis modicus, qui sicut frequenter lædit pedem, sic scrupulus animum nescientem soluere difficiles quæstiones, sic dixit *glo. verbo scrupulum in Extrauag. vnic. de offic. delegat int. com.* Vnde merito per Imperatorem sublatus dicitur scrupulus, qui aliàs in veteribus legibus reperiebatur, *vt in l. veteris 13. C. de contrab. & commit. stip.* ibi. Illa subtili, & superuacua scrupulositate explosa, neq; enim conuenit, quod in legibus talis pestis grassetur, cum ipsæ sint ad eam tolendam introductæ.

Altero modo sumitur *in l. 1. C. de metallar. lib. 11.* scilicet pro 24. parte vnciæ: nam

nam tres scrupuli faciunt vnam drachmā, & octo drachmæ vnciam secundum Physicos: & sic octo scrupuli tertia pars vnciæ, vt *per gloss. ibidem verbo. Octonos.*

Secretarius, & Secretum.

Principum Secretarij dicuntur militare *in l. 2. in princip.* ibi. In sacris scrinijs nostris militantes, *& l. 3. etiam in princ. l. 5. 7. 8. & 12. C. de proxim. sac. scrin. lib. 12.* & eis debetur magna reuerentia, multisq; priuilegijs fruuntur, quæ omnia videas in prædictis legibus. Et ratio redditur *in d. l. 8.* ibi. Quibus enim pietatis nostræ arcana meritò committuntur: ijs pietas nostra vitam cingulo supradictę comitiuæ ornandam, decorandamq; decreuit.

Secretarius si reuelauit secreta tenetur ad interesse, ita summat *Bald. l. si quis 42. §. Sed & si quis ff. ad l. Aquil. & tex.* ibi sic. In factum, & iniuriarum agi, si &c. secreta iudiciorum publicauerit, *& in l. 1. §. si quis tabulas ff. deposit.* ibi. Ego arbitror, & iniuriarum agi posse, si hoc animo recitatum est testamentum quibusdam præsentibus, vt iudicia secreta eius, qui testatus est diuulgarentur. Cum secreti suscepti ratio plerunque dominis rerum persuadeat eos, ita hæredes scribere quorum fidem elegerunt sic ait *l. 3. ff. de probat.*

Secretorum secreta debet esse ratio, vt dicit *gloss. verbo. Differendas in l. De bonis 6. ff. de Carb. edict. per l. si maritus C. de donat. int. vir.* Et eo maxime in rebus imperij. Nam imperio magna ab vniuersis secreta debentur *l. Quicunque C. de oper. publ.* Sed quæ dicuntur secreta? interrogat *gloss. verbo credentias in cap. In Christi de pac. Constant.* & respondet, Ea quæ vulgus ignorat. Vide eam de materia.

Nota, quod alicui licet in secreto, quod non licet in publico & hoc est ne decipiatur populus, ita dixit *gloss. in capit 3. per tex. ibi. Secreto poteris de Cleric. peregr.*

Subditorum commissa secreta possunt cognoscere prælati, iuxta *cap. Ad aures 5. de temp. ord.* ibi. Quoniam esse potest, quod prælati eorum commissa secreta nouerint. Secretorum vero omnium, & cognitor Deus, & iudex est, vt inquit *cap. Erubescant, in fin. 32. dist.*

Securitas.

De ea dictum est verbo cautio, & satisdatio, & vltra ibidem dicta. Notabis, quod tunc dicitur quis securus in aliquo facto, quando non tenet aliquam iuris exceptionem, & ideo si quis promisit facere aliquem securum in aliqua re, habet ita ipsam rem disponere, vt nihil de iure posit sibi obijci, ita quod posit sentire læsionem, prout notauit *Abb. in cap. 2. num. vlt. de pact.* An in his terminis, qui promisit facere securum teneatur dare fideiussorem? Disputat pro vtraq; *gloss. vlt. in l. Si mandato Titij 59. §. vlt. ff. mandat.* & sequitur negatiuam, & ibidem *Apostill. Bolognin.* sic. Nota quod ille, qui promisit facere aliquem securum, non intelligitur obligatus dare fideiussorem, neque pignus, & est *gloss. sing. secundum Alex. hic ad Bart.*

Eadem *gloss.* dicit. Item ille est securus, qui nihil timet, *& allegat l. 1. in fin. ff. de act. empt.* quæ nihil de hoc. Sed in *§. vlt. eiusdem l. 1.* hæc inuenies; Et generaliter dixerim si improbato more versatus est in celanda seruitute debere eum teneri: non si securitati suæ prospectum esse voluit. Si ex prædictis verbis probari potest dictum *gloss.* tu videris.

Sensus.

DIcitur potentia passiua secundùm D.Thom. 1. par. quæstion. 79. art. 3. Sunt autem corporis humani quinque, vt notum est, & ponit glos. verbo. non minus in l. Quod meo 18. §. Si venditorem ff. de acquir. poss. vbi text. dicit per visum acquiri possessionem non minus quam per pedum positionem, nec tibi nouum erit cum visus sit sensus vniuersalis, & sensuum princeps, vt notasti sup. verbo. Oculus, & sic potest per testē applicari in ratione facti super quocunque actu, vt per Cyn. Bart. & doct. in l. Testium C. de testib. Insuper dicitur alio modo sensus, quando accipitur pro expositione magis ad intellectū quam ad corticem verborum, vt in cap. Marchion. 1. quæst. 1. ibi, Nec putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis, & in scripturis sacris quadruplicem esse sensum, historicum scilicet, allegoricum, tropologicum siue moralem, & anagogicum dicit, & probat glos. verbo anagogem in cap. Ieiunium quarti 76. dist. & in profanis scripturis potius sēsum, quam verba attendendum esse, nec uit Bald. in l. 3. sub num. 1. vers. scias ergo C. de lib. præter De eodem inquit ead. l. 3. sic, Cum enim manifestissimus est sensus testatoris verborum interpretatio nusquam tantum valeat, vt melior sensu existat, & glos. verbo. Sequendum in l. Sed Celsus §. 1. ff. de contrah. empt. sic. Nota sensum magis, quam verba spectari; per tex. ibi. In emptis enim, & venditis potius id quod actum, quam id, quod dictum sit, sequendum est, & glos. verbo sequerentur in l. Etiamsi 8. C. de iur. dot. ibi. Et nota argum. sensum non verba spectari, & glos. vlt. in l. 2. C. com. de legat. ibi sensum non verba spectamus. Æquitas namque est attendere potius sensum, quam verba inquit Apostill. per tex. ibi in l. 3. §. si quis quasi ff de condict. caus. dat. De eodem etiam loquitur Aug. lib. 12. confess. capit. 18. dum ait. Quid inquam mihi obest si aliud ego sensero, quam sensit alius, eum sensisse qui scripsit? Omnes quidem, qui legimus nitimur hoc indagare atque comprehendere, quod voluit ille, quem legimus, & eum eum veridicum credimus nihil quod falsum esse, vel nouimus, vel putamus, audemus existimare.

Denique si vis scire quot modis sensus capiatur, videas Bald. in l. Etiam post princip. C. de iur. dot.

Sententia.

VEl profertur extra iudicium in Congregationibus, Concilijs, Vniuersitatibus, &c. vbi quilibet suam profert sententiam super illa re, vel negotio, de quo agitur, & ex illis resolutio capitur, quæ etiam sententia nuncupatur, aut in scholis dum Magistri super quæstionibus suam dicunt, discipuli sententiam. Aut in iudicio dum Iudex super controuersijs pronuntiant, & decidunt, quod sibi iuris videtur.

De primis dicit tex. 35. quæst. 9. Sic Sententiam Rom. Sedis non negamus posse in melius commutari, cum aut subreptum fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, vel temporum, seu grauium necessitatum dispensatione quædam ordinare decreuerit, & in eaq. seq. ita. Graue non oportet videri pijssimis mentibus vestris cuiusquam retractari iudicium, &c. & in cap. Tum litteris 1. ad med. de in integrum rest. ibi. Præsertim quia sententia Ro. Sedis non negatur posse in melius commutari,

tari,

tari, &c. per eadem verba *& cap Cum olim 12 de re iud.* De eadem materia loquitur *glos. verbo. Duas in cap. vt officium 11, §. verum de haret. lib 6.* dum ait integrum enim est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur. Non autem erit plenum integrum, nec liberum si Dominus aut superior voluerit, quod ad sui placitum illorum sententiæ propalentur, sicut a contrario, inquit *Ioseph. de antiquit lib. 19. capit. 2. fol. mihi 515 num. 20.* ibi. Liberum est sententias proferre de his, quæ displicent, quando nullus Dominus ceruicibus imminet, cui potestas sit in earum autores animaduertere.

Quotiescunque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius sententia magis teneatur cuius antiquior, & potior extat authoritas *cap. hoc ipsum 33. quæst. 2.*

Sed quid si consulentes, congregati, vel illi de vniuersitate, seu Collegio fuerint in pari numero, & vndique concurrunt cum ijsdem qualitatibus proferentes contrarias sententias? videtur, quod sententia humanior sit a præsidente eligenda *arg. l. Maiorem 9. ff. de pact.* ibi. sin autem omnia vndiq; in vnam æqualitatem concurrant, humanior est sententia a prætore eligenda, alias inquit *Iustin. in l. vlt. §. Tales C. de furt.* sic. In tanta rerum difficultate simplicior sententia placuit.

Difficilis est sententia, quæ non rem, sed vim rei quærit, dixit *Senec. lib. 3. de benef. cap. 8.*

Sententiam præceptorum sequendum esse dicis verbo præceptor.

De sententia autem in iudicio lata, infinita ferme tibi afferre possem; sed iuxta nostri Apolectatis stylum, breuiter aliqua notabiliora ponam. Et in primis, Cum dicimus sententiam simpliciter, intellige diffinitiuam, vt dixit *glos. verbo sententia in l. 1. §. Biduum ff. quand. appell.* sit, quæ etiam vocatur calculus, vt explicauit *glos. verbo calculo, idest sententia in l Clarum 4. C. de auth. præst.* Et in ea requiritur, quod vel absolutio, vel condemnatio sequatur, vt notauit *glos. vlt. in capit. 3 de accusat.* sic dicens. Hoc semper continere debet diffinitiua sententia condemnationem, vel absolutionem; alias non tenet per tex. ibi. vt vel condemnetur, vel absoluatur.

Et siue absolutio siue condemnatio fiat semper proferatur sententia cum matura deliberatione, non præcipitanter iuxta *cap Deus omnipotens 2. quæst. 1.* ibi, Ne præcipites in discutiendis, & iudicandis negotijs essemus: & ne mala proximorum prius quisquam præsumat credere, quam probare: cuius exemplo monemur, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites simus, aut temere indiligenterque probata indiscussa quoquo modo iudicemus, *& in l. 3. C. de sent. ex breuil. recit* ibi. Non subitas, sed deliberatione habita post negotium sententias ponderatas sibi fœteforment, *& in l. vlt. C. commin. epist.* ibi. Quod magno conflictu sententia decerni solet, id paucis literis temere descriptis definiri fas non est. Non enim in præcipitatione dari potest discretio, quæ ad sententiam proferendam necessaria est, iuxta *Clem. Pastoralis de re iud.* ibi. Verum quia huiusmodi sententia, quæ non a discretione matre virtutum, sed a nouerca iustitiæ voluntaria scilicet iudicantis præcipitatione. Ipsum namque iudicantem moueat iustitia non carnaliter, *vt per glos. verbo. Nouimus in cap. 1. de concess. præb. lib 6.* & latius notasti in verbo iudex.

Neque etiam proferri debet sententia, iuxta alias sententias, etiam si videatur casus omnino similis. Tum quia etiam si similis, quando, licet in minimo, discrepet in facto, facit in iure maximam mutationem:

tum etiam quia in alijs sententijs, quæ allegari possunt, potuit, aut fauor vsurpare, aut odium vendicare, & oculos iudicantium obcæcare, *vt in cap. 1. de sent. & re iud.* Et quia & si nullum eorum interueniret, potuerunt iudicantes, vt homines, falli. Et denique quia ita extat decisum per *l. Nemo Iudex* ibi Cum non exemplis, sed legibus iudicandum sit, etiamsi amplissimæ præfecturæ, vel alicuius maximi magistratus prolatæ sint sententiæ C. *de sent. & interloq.* quæ sufficiens est ad exterminandam consuetudinem, nostris temporibus maximè vigentem, & multis retro actis, parui pendentem leges, & solum se fundantem in decisionibus. Vnde magnum euenit inconueniens, quod tyrones scholares, iuris prudentiæ non incumbunt, sed tantum multitudini decisionum, & doctrinarum, in tantum, vt nec ipsa prima iuris rudimenta agnoscant. Testor Deum, quod meis met oculis vidi, & auribus percepi, dum aliquando in quadam bibliotecha grauissimi, & Reuerendissimi Patris essem studendi causa, vbi etiam erant alij studentes, non quidem tyrones; sed veterani, apud quos magna erat confusio, quia non poterant reperire quandam *l. ff. de fals.* asserentes non adesse talem titul. seu rubricam quibus informatus, respondi, Domini, an ignoratis, quod talis rubrica non *de fals. sed Ad l. Corn. de fals.* inscribitur? Et sic titulum, rubricã, *& l.* inuenerunt, cessauitque confusio, licet altera, & forsan maior, cum erubescentia, ex ignorantia iuris, quod profitebantur, orta in eis fuisset.

Neque insuper dari debet sententia sub conditione, ex ratione *l. Litigatores in fin. ff. de recept. arbitr.* ibi: Ne sit inefficax sententia deficiente conditione. *& in l. 1. §. Biduum ff. quand. appell.* sit, ita. Sane quidem non est dicenda sententia sub conditione. Sed si fuerit dicta, quid fiet? Et est vtile statim tempora ad appellandum computari debere.

Nec a non suo iudice ferri potest sententia *ex cap. At si clerici de iudic.* ibi. Sicut enim sententia a non suo iudice, nõ tenet, ita nec facta confessio, coram ipso, *vbi glos. verbo non tenet*, sic limitat, sed si clericus conueniat laicum, coram iudice laico, & ille laicus reconueniat clericum ciuiliter de crimine; si feratur sententia contra clericum benè tenet, quia suus iudex est per reconuentionem.

Si fuerint tres iudices, non poterit ferri sententia vno eorum absente licet præsente, & contradicente possit, vt dictum est verbo iudex, & ibidẽ si fuerint duo, & quilibet diuersam proferat sententiam quid tenendum. Et quod sententia a maiori parte lata teneat, nisi in causa Episcopi Vide verbo maior pars. Quid si vnus ex iudicibus excommunicatus fuerit? dic quod sententia non poterit ferri, & si proferatur, nulla erit *cap. Ad probandum 24. de re iud.*

Non debet etiam contra formam rescripti promulgari sententia, vt notauit *glosa verbo mandati in cap. Causam, quæ 14. de re iud. per text.* ibi. Quod contra formam mandati nostri dictus Episcopus sententiam promulgauit, dicens si hoc probatum fuisset, sententia non valeret &c. aliud esset si præter formam.

In pœnalibus poterit, vel grauior, vel leuior sententia proferri, ita tamen, vt in vtroq; moderamen non excedat iuxta *l. hodie 13. ff. de pœn. cum alijs citat verbo. Iudex.* Sed an sit apponenda causa in sententia quæritur? Ad hoc potest dici, quod iudex potest apponere causam, quæ ipsum mouet; si tamen non apponatur, benè tenet sententia. In causa vero appellationis, benè debet apponi causa, quare reuocatur prior sẽtentia, vt per hoc prioribus iudicibus non imputetur, prout ita dicit *glosa ver-*

verbo. Exprimatur in cap. sicut 16. de sent. & re iud.

Per ratihabitionem non proferenda est sententia. Neq; enim in sententijs procedit ratihabitio sicut in alijs actibus, vt per eadem verba dixit *glos. verbo. Et mandantibus in cap. Cum ab vno 4. de sent. & re iud. lib.6.*

Si causa agitatur per procuratorem, aut Syndicum, verba sententiæ an concipienda sint in persona ipsius, an vero principalis? disputat *glos. verbo œconomi in cap. Querelam 24. de elect.* sic dicens. Videtur ergo, quod concipienda sunt verba sententiæ in persona procuratoris, vel syndici, non principalis personæ *de censib. Olim &c.* Argum. contra &c. vt autem non incidas in periculum vel dubium formare debes in personam vtriusque scilicet domini, & procuratoris. Mortuo autem principali, nec contra eum, nec contra procuratorem sententia proferetur, & si proferatur ipso iure erit nulla, vt notauit *Bart. per tex. ibi in l. In summa 59. §. vlt. ff. de re iud. & tenet glos. verbo allegauit in cap. Ex parte 10. de arbitr.* Et addit ita; Sed hoc non est verum generaliter imo sententia debet ferri post mortem saltem propter accessoria, & allegat *l. Vtique 16. ff. de reiuendica.* Sed perperam hæc declaratio affertur in terminis, de quibus agimus: Nam aliud est sententiam dari super re mortua, de quo agit *dict. l. vtique* aliud dari contra mortuum litigatorem, de quo *d. l. In summa §. vlt.* cuius dispositio generaliter procedit, & mortuo litigatore principali, vt in re integra de causa notio præstabitur, & quod optimum patuerit, statuetur, prout *in d. §. vlt.* & necesse erit hæredibus causam finiri iuxta *l. 1. & fere per tot. C. si pend. appell. mors interu.*

Tot esse sententias quot capitula dicit *gl. 1. in l. Labeo 30. ff. de recept. arbitr. per tex. in l. Quid tamen 25. eod. tit. & glos. vlt. in l. In hoc iudicio 28. ff. fam. hercisc.* ibi. Tot sunt sententiæ quot sunt diuersæ species, sicut in stipulationibus *glos. in l. Etiam 30. §. 1. ff. de minor.* ibi. Di. ergo tot sunt sententiæ, quot sunt capitula &c. Sed super eadem re non posse dari duas, vel plures sententias, inquit *glos. verbo datam in l. si eum 14. §. hac autem actio ff. quod met. cau. per l. 1. C. sent. resc. non poss.*

Si super principali feratur sententia, satis de incidenti dicitur pronuntiatum, ita inquit *glos. 1. in l. De quare 74. ff. de re iud. per tex. in l. 1. C. de ord. cog.* Vnde si in principali valida fuit sententia etiam valida erit, quoad incidentia, & accessoria. Nam ex vno eodemque iudicio res iudicata non potest in parte valere, & in parte non valere, vt ait *l. In hoc iudicio 28. ff. fam. hercisc.* Si vero in causa sint plura capitula diuersa, quia tunc (iuxta proxime dicta) tot sunt sententiæ, quot capitula, benè poterit sententia pro parte valere, hoc est, pro vno capitulo, & pro parte non valere, quoad alia, vt probat *tex. optimus in d. l Etiam 30. §. 1. ff. de minor.* ibi. Si species in qua pupilla in integrum restitui desiderat cæteris speciebus non cohæret; nihil proponi cur a tota sententia recedi actor postulans audiendus sit, & ibidem notat *glos.* dicens. Et sic sententia pro parte valebit, pro parte non &c. vbi conciliando contraria distinguit ita. In coniunctis illa procedere in disiunctis secus, vt hic.

Cæterũ si aliqua ratione sententia nullius momenti sit; dicendum est condemnationis verbum non tenere, sic *l. 4. §. Condemnatum ff. de re iud.* Et quidem prima se offert nullitas sententiæ, si iudex non habeat iudicandi potestatem; Nam quod ait Senatus, quæ iudicata transacta finita ve sunt, rata maneant. Ita intelligendum est, vt iudicata debeamus ab eo accipere, cui iudicandi ius fuerit: transacta scilicet bona fide, vt valeat transactio; finita vel consensu

vel

vel longo tempore sopita prout prædictis expressis verbis dicit *Iurisconsf. in l. 1. §. vlt ad fin. ff. ad Tertyll.*

Nulla etiam erit sententia propter falsam causam, vt dictum fuit verbo causa, si propter falsos testes, vel falsa instrumenta lata fuerit retractabitur, *vt verbo testis, & verbo falsum, & instrumentum*.

Sententia nulla, quod absq; appellatione infirmetur, est *tex. in l. 1. ff de fer.* ibi. Citra appellationem igitur sententia infirmabitur, & *l. 1. C. sent. resc. non po.* ibi. nec necesse est ab huiusmodi decreto interponere prouocationem explorati iuris est *l. 1. & 2. C. quand prouoc. non est nec.* Et si fortè interponatur, nec per eam sententia fit aliqua iuxta *glos. in l. 2. C. si ex falsf. instr.* ibi; Sed si prouocauerint, an videantur confirmare? Non puto, sed solo eo casu confirmatur, quo falsus procurator egit: nam dominus appellando ratum habere videtur, vt &c. & altera *glos. verbo non obtinebit in l. 1. C. quand. prouoc. non est necess.* ita. Sed quid si appellatum est a sententia, quæ ipso iure non valet, iudex pronunciabit appellationem iniustam &c. quia sententia non valuit &c. Cum nec per appellationem confirmetur, & *glos. vlt. in cap. 1. de sent & re iud.* Nec efficitur aliqua per appellationem, vbi affert in contrarium, & soluit.

Sententiam non facere ius, dicit *glosa verbo actiones in l. si patroni 55. §. Actiones ff. ad Trebell. & in l. Iulianus 66. verbo natura ff de condict. indeb.* ibi. Nota sententiam non facere ius, vt qui est debitor desinat. Quod non intelligas simpliciter, & sic generaliter: sed in casibus scilicet quando non inter easdem partes lata sit sententia, vt in iuribus infra, aut quando, licet inter easdem, non fuisset lata ipsis non præsentibus, *vt in l. Qui repudiantis 17. §. Cum contra ff. de inoffic. testa.* ibi. Ideo non probandum est si hærede non respondente secundum præsentem iudicatum sit: hoc enim casu non creditur ius ex sententia iudicis fieri, *vbi glosa verbo creditur* sic reddit rationem, quia magis propter absentiam hæredis condemnatus videtur, quod deduxit *ex l. si ideo 55.* ibi. Magis enim propter absentiam euictus videtur, quam quod malam causam habuerit *ff. de euict.*

Cæterum quod verissimum sit, & vulgarissimum sententiam inter alios latam alijs, nec præiudicare, nec aliquod contra ipsos ius facere, vltra vulgatam *l sæpe 63. ff. de re iud. probat l. Lucius 21. ad fin ff. de ijs, qui not. infam.* ibi. Cum non oporteat ex sententia siue iusta, siue iniusta pro alio habita alium prægrauari, & *ind. l. Is, qui fundum 31 ff. de vsufr. lega.* ibi. Non potuisse arbitrum inter alios iudicando, alterius ius mutare, & *in l. Claudius felix 17. ad fin. ff. qui potior. in pig.* ibi. Nec inter alios res iudicata alij prodesse, aut nocere solet; sed sine præiudicio prioris, sententiæ totum ius alij creditori integrũ relinqui, & *in l. 3. ff. de pig.* in prima parte ibi. Si superatus sit debitor &c. æque seruanda erit creditori actio seruiana &c. & ibi. sed, & si victus est debitor vindicans hæreditatem, iudex actionis seruianæ neglecta de hæreditate dicta sententia, pignoris causam inspicere debebit.

In secunda vero parte totum contrarium asserit idem tex dum sic ait. At qui aliud in legatis, & libertatibus dictum est: cum secundum eum, qui legitimam hæreditatem vendicabat sententia dicta est. Sed creditor non bene legatarijs comparatur, cum legata quidem aliter valere non possint, quam si testamentum ratum esse constet. Ex quo notauit ibidem *glos. verbo dicta est*, quod sententia inter alios dicta alijs præiudicat & soluit iuxta distinctionem suprapositam vers. antecedenti. Sed altera solutio mihi verior videtur; scilicet, quod

hic

hic non tollitur ius legatarijs, si quod habuerint ad petenda legata: sed tantum deciditur non posse ipsos legatarios illa petere ex illo testamento per sententiam annullato; nam reseruatum ijsdem legatarijs manet suum ius contra sententiam, vel ab ea appellando, vel de nouo agendo; quod mihi probat *Vlpian. lib.14. ad edict. in l.14. ff. de appellat.* Si perlusorio (inquit) iudicio actum sit aduersus testamentum, an ius faciat iudex videndum est. Et Diuus Pius, cum inter coniunctas personas diceretur per collusionem in necem legatariorum: & libertatum actum: appellare eis permisit: Et hodie hoc iure vtimur, vt possint appellare; sed, & agere causam apud ipsum iudicem, qui de testamento cognoscit, si suspicantur hæredem non ex fide causam agere.

Contra ius constitutionis, lata sententia non tenet, licet secus sit contra ius litigatoris, *vt in l. 2. C. quand. prouoc. non est nec.* ibi. Sententiam eius contra tam manifesti iuris formam datam, nullas habere vires palam est &c. & ibi. Quod si cum de ætate quæreretur impleste defunctum 14. annum, & per hoc, iure factum testamentum pronuntiauit, nec prouocasti, aut post appellationis impletam causam, destitisti rem iudicatam retractare non debes, vbi *Bart.* & alij, notat etiam *glos. vlt. in cap. Dilecto 63. de appellat.* ibi. Quia sententia contra ius litigatoris bene tenet, a qua non sit appellatum, licet non teneat contra ius constitutionis lata, de quo vide etiam *Abb. in cap. 1. & in cap. Cum inter de sent. & re iud.*

Repletur ex lege, quod sententiæ iudicis deest, sic *in l.4. §. si quis ff. de re iud.* & quod ipse iudex possit etiam supplere dictum est supra verbo iudex. Non poterit autem mutare eam iuxta *l. Diui Fratres 27.* ibi. Suam mutare sententiam neminem posse, idque insolitum esse fieri *ff. de pæn.* Sed verba emendare tenore sententiæ perseuerante non esse prohibitum, ait *l. Actorum 46. ff. de re iud. vbi glos.* addit, quod licet verba offendere seruata sententia.

Sententia arbitri non per omnia sententia est, iuxta *l. Quid ergo §. Cum autem ff. de his, qui not. infam.* ibi. Ex compromisso arbiter infamiam non facit: quia non per omnia sententia est.

Si pro fure damnum decisum sit, conditionem non impediri verissimum est. Decisionem enim, furti quidem actio, non autem condictio tollitur, ita disponit *l.7. ff. de condict. furt.*

Quod per sententiam non fiat nouatio, notauit *glos. verbo tenet in l. Grege 13. §. etiam ff. de pignor.*

Sententia super expensis pro contumacia potest ferri in absentem, ita dicit *glosa pen. in cap. Constitutis 12. de procurat.*

Nota, quod sententia in causa matrimoniali tenet, licet sit non in scriptis lata, vt dicit *glos. verbo in scriptis in cap. Albericus 43. de testib.* Si fuerit contra matrimonium pronuntiata non transire in rem iudicatam, ait *glos. verbo. In hoc casu in cap. Cum in tua 44. eod. tit.* de quo infra statim. Si pro sententia ferenda, pecunia offeratur sit iudici iniuria, vide verbo iniuria. Et si ibidem non allegaui tibi tex. ad materiam, licet non ad speciem, *in l. Item apud Labeonem 15. §. ait prætor vers. Idem ait ff. de iniur.* scias, quod sic inquit. Eum qui euentum sententiæ, velut laturus, pecunia vendidit fustibus a præside ab hoc castigatum iniuriarum damnatum videri, Vtiq; autem apparet hunc iniuriam ei fecisse, cuius sententiam vendidit, si vero iam dicto loco fuit allegatus, nec ob id detrimentum aliquod patieris, sed ego ipse qui bis idem transcripsi.

Sententiæ absolutio non nocet agenti de nouo ex causa super qua non fuit pronunciatum, ita dicit *Bald. in summ. l 3. C. ad Exhib.* & ibidem *glos. verbo litis,*

distinguit, quod procedit in absolutoria diffinitiua in causa lata; quia absolutoria ab obseruatione iudicii est interloquutoria, vt notauit *Apostill. ad glos. verbo absoluatur in l. Harum 7. ff. si seru. vend.* Et istud vltimum limitatē nisi lex, vel statutum declaret, quod sit diffinitiua veluti in Regno nostro Portugalliæ, nam in eo extat lex Regia, si recte memini, quod si semel, iterum, & tertio fuerit lata sententia ab obseruatione iudicij absolutoria, quod amplius in ea causa non possit audiri actor, tunc enim hæc vltima, diffinitiua dicenda est.

Licet alias sit vulgare, quod sententia est stricti iuris, & vti talis non soleat extendi ex ratione *l. Imperator ff. de postul. in fin.* ibi. Ne cui scilicet pœna tempore determinata contra sententiæ fidem vlterius porrigatur. Tamen est notabilis *glos. verbo. Cum marito in §. Idem is, qui de vsu. & habit.* sic dicens. Et inducitur iste tex. vt statuta, & sententia quamuis sint stricti iuris, tamen recipiant interpretationem extensiuam quando alias non possunt sortiri effectum, quod non secundum *Ag.*

Sententia lata contra fideiussorem an noceat principali; vide *fideiussor.*

In dubio contra fiscum esse iudicandum in causa mere lucratiua, verbo *fiscus.*

Cum prætor causa cognita per errorem, vel ambitiose iubet hæreditatem ex fideicommisso restitui etiam publicè interest restitui propter rerum iudicatarum authoritatem, ita ait *l. seruo 65. §. Cum ff. ad Trebell.*

Semel pro libertate dictam sententiam retractari non oportet, sic *l. si dolo 25. ff. de dol.* nec etiam per priuilegium de nouo repertum retractari sententiam, dicis verbo *priuilegium.*

Standum esse sententiæ, dum non ostenditur esse irritandam, ait *cap. In præsentia 6. de renunt. vbi glos.* sic. Dicendum est, quod semper stetur sententiæ, nisi probetur, quod iniusta sit &c. Detegere enim debet iniquitatem sententiæ &c. & docere debet se iuste appellasse *capit. Cum ad Sedem 15. de rest. spol. glos. vlt. in cap. Conquerente 7. eod. tit.* ibi. Semper enim præsumitur pro sententia iudicis, quousque probetur contrarium, *& in capit. Ad reprimendam 8. verbo. fuisse de offic. ordn.* ita. Quia sēper præsumitur pro sententia iudicis ordinarij &c Et addit. Sed si obijciatur contra sententiam ratione processus, oportet, quod probetur processus ad hoc, vt stetur sententiæ, idem *glos. verbo defecerit, in cap. Cum speciali 61. §. excessu de appellat.*

Prouocationis remedio extingui condemnationis pronunciatum dicit *l. 1. §. vlt. ff. ad Turpill.* Vnde dixerunt quidam rem iudicatam dici, quando iam appellari non potest, vt dixit *glos. 1. in l. 1. ff. de re iud.* & addit. Nos contra: Nam etiam interim dum potest appellari, sententia est. Et ego intelligerem sic sententia est: quatenus per eam finita fuit illa instantia, quatenus vero effectum non habet, sententia dici non potest, nec res iudicata, sed quasi sub conditione dispositio quędam pendens a confirmatione superioris, quod mihi probat *tex. optimus in l. 1. §. ÿ quibus ff. de legat. 3.* in hæc verba, Cæterum priusquam præsidis factum princeps comprobet, nondum amisisse quis ciuitatem videtur. Proinde si ante decessit, ciuis decessisse videtur, & fideicommissum, quod ante relinquerat, quam sententiam pateretur, valebit; sed & si post sententiam antequam Imperator comprobet valebit, quod factum est; quia certum statum, vsque adhuc habuit, *& in l. Si quis filio §. Hi autem ff de iniust. rupt.* ibi. Si prouocauerint capite non minuuntur &c. Sunt enim certi status, nec ipsi de se interim incerti.

Quid tamen (prosequitur idem tex.) si appel-

appellationem eius præses non recepit, sed Imperatori scribendo pœnam remoratus est? Puto hunc quoque suum statum interim retinere &c. tametsi prouocantis, vel eius pro quo prouocatur, appellatio non fuerit recepta: pœna tamen sustinenda est, quoad princeps rescripserit ad litteras præsidis &c. Nisi forte latro manifestus sit, vel seditio prærupta, factioque cruenta, vel alia iusta causa, quam mox præses literis excusauerit, moram non recipiat: non pœnæ festinatione, sed præueniendi periculi causa: tunc enim punire permittitur.

A sententia momentaneæ possessionis, secundum leges non appellatur, secus secundum Canones, ita inquit *glos. verbo momenti in cap. 1. de ord. cog.* Non tamen intelligas, quod denegetur appellatio, sed quoad effectum suspensiui executionis eiusdem sententiæ, etiam si interponatur, erit ac si non interposita fuisset iuxta *l. 1. C. si de mom. poss. fuer. appell.*

Si post decem dierum spatium sententia in authoritatem rei transeat iudicatæ, qui ad prouocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegauit, cum per hoc videatur per interpretationem iuris latæ sententiæ paruisse, sic disponit *cap. Quod ad consultationem 15. de re iud. & in l. vlt. C. de sent. & interloc.* ibi. Nisi a statutis prouocaueris, ipsa tuo facto confirmasti iudicatum. Quod etiam in interlocutoria sententia procedere, ait *glos. vlt. in cap. 2. de procurat.* ibi. Et sententia interloquutoria a qua non appellatur, transit in rem iudicatam &c. *& glos. etiam vlt. in cap. Dilectus 32. de Decę.* ibi. Per hoc patet, quod interlocutoria sententia transit in rem iudicatam sicut, & diffinitiua &c. Non tamen quoad hoc transit in rem iudicatam, quin iudex etiam post decem dies possit reuocare.

Nota, quod sententia excommunicationis, trahit secum suum effectum, ita dicit *Addit ad glos. verbo passus in l. Si quis filio 6. §. Irritum ff. de iniust. rupt.*

Est notabilis *Apostill. ad tex. in l. Si a te §. si quis fundum ff. de exceptio. rei iud.* dum ita dicit. Ille tex. debebat scribi litteris aureis, secundum *Bars* hic, ad hoc (secundum vnam lect.) quod sententia lata contra non possidentem, tamquam possidentem, si de nouo cœperit possidere mandabitur sententia executioni, ad quod adde *Matthesila in suis not. fol. 8. sing. 138.* vide etiam alia *in verbo Exceptio rei iud.*

Etiam si iniustam sententiam executor exequi tenetur, nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat, ita *in cap. Pastoralis § Quia verò de offic. delega. vbi glos. vlt.* tractat quæstionem circa iudicem, qui diffinuit. Contrarium vero erit in nulla sententia, de qua inquit *glos. verbo denuncietis in cap. Ex litteris 29. de offic. delegat.* sic. Ex hoc patet, quod sententia, quæ nulla est, non est executioni demandanda, imo exequenti impune non paretur, imo & violenter resisti potest ei, vt hic.

Executio sententiæ potest differri si excusationes absentium ex Senat. consult. iudicibus allegentur: & si iustam rationē habet iuxta *l. Accusatore 13. §. crimen ff. de pub. iud.*

Sententia infra quod tempus mandabitur executioni. Vide *verbo actio*, & latissime vsque ad satietatem in omni sententiæ materia videas repert. Bertach. in verbo hoc, quia ad intentionem nostri libelli satis dictum est.

Separatum.

TVnc dicuntur res separatæ, quando circa diuersa omnino officium suum gestor adhibuit; Tunc vero inseparabiles, quando circa eandem rem tantum gestoris perseuerat officium, ita ponit *glos. verbo. Non possit in l. Eum*

actum ff. de negot. gest.

Quod separatum est non coniungitur, vt &c. *glos. in l. Procuratoris 5. §. si plures ff. de tribut. act. & in l. si maritus 10 verbo separata* ita. Nota generale, quod separatorum separata debet esse ratio *per tex.* ibi. Nec enim &c. crimen intendens sub prætextu accusationis, quæ donata sunt auferre debuit, cum causa liberalitatis a criminatione, separata sit C. *de donat. int. vir. & in l. si sponsus 5. ff. eod. tit.* ibi. Quod si aliarum extrinsecus rerum personarumue causa sit commixta, si separari non possit, nec donationem impediri, si separari possit, cætera valere; id quod donatum est, non valere, & facit *l. etiam 30. §. 1. ff. de minor. de qua sup. proximo verbo: coniuncta glos.* ibi. In côiunctis; secus in disiunctis &c.

Sepulchrum.

Differt à monumento, nam monumentum dicitur locus purus ad sepulchrum paratus; sepulchrum verò vbi est aliquis iam sepultus, ita ponit *glos. 1. in l. Caueri 4. ff. com. præd. & probat Florent. lib. 7. inst. in l. Monumentum 42. ff. de relig.* dum sic ait Monumentum generaliter res est memoriæ causa inposterum prodita, in quam si reliquiæ inferantur, fiet sepulchrum; si verò nihil eorum, erit monumentû memoriæ causa factum, & hinc dicitur *in l. 1. §. vlt. ff. ad l. falcid.* Nec enim ita monumenti ædificationem necessariam esse, vt sit funus, ac sepultura.

Vnde quædam causa funeris, & sepulchri conceduntur, quæ alias non concederentur, vt notauit *glos. verbo inualida sit in Auth. vt cum de appellat. cog. §. hac autem coll. 8. per tex.* ibi. Sed in præsenti quendam cognouimus cuiusdam mortui genitorem, a sepultura filij sui redeuntem, nomine debiti tenuisse, ideoque pium, & humanum esse perspeximus, talem crudelitatem hac lege pijssima coercere ex quo notabis hoc priuilegium dici piæ causæ.

Si quis fuerit hæres, cui deinde hæreditas ablata sit quasi indigno; magis est, vt penes eum iura sepulchrorum remaneant, ita disponit *l. 33. ff. de religios. & sump. fun. & ibidem glos.* reddit rationem dicens. Non enim desinit esse hæres, *vt infr. de vulg. l. Ex facto §. Iulianus &c.* Sed tu videas an possit etiam dici, quod ius sepulchrorum, non solum a iure hæreditario, sed etiam a iure sanguinis, seu familiæ procedat, iuxta *l. Familiaria 5. & l. seq. ff. eod. tit. de relig.* ibi, siue extiterint hæredes, siue se se abstineant ex quibus verbis colligitur rationem prædictam a *glos.* positam non esse genuinam, cum appareat etiam eos, qui se abstinent, & nunquã hæredes fuerant, habeant ius sepulchrorum; Sed quid in exhæredatis? respondet *d. l. 6. ff. de relig.* sic. Exhæredatis autem (nisi specialiter testator iusto odio commotus, eos vetuerit) humanitatis gratia tantum sepeliri. Sed adhuc mihi videtur, quod si sepultura fuerit a maioribus exhæredati, non ab ipso patre exhæredante, familię deputata, poterit talis etiam vetante patre iuste sepelliri, ratione iuris sanguinis quam non potest pater tollere.

Ius eligendi sepulturam, potest dare consuetudo, quemadmodum dat ius eligendi prælatum, vt dicit *glos. Verbo Cõsuetudo per tex. ibi. in cap. Licet pater de sepult. lib. 6.* in illis verbis, eligere sepulturam possit (si consuetudo terræ id habeat, hoc tamen non potest vbi consuetudo huiusmodi non habetur.

Glos. vlt. in addit. Extrauag. 1. de sepult. int. com. sic ait. Adde ad materiam huius decretal. cons. Oldral. 76. quod incipit Thema tale est, vbi concludit, quod nepos non eligens sepulturam, sepelitur in sepulchro patris, & Aui, licet sit

in Ecclesia mendicantium, dato quod superiores eiusdem sint sepulti in Ecclesia parrochiali, vbi optimas rationes.

Nec semper inscriptioni sepulchri fides adhibeatur, ita dicit *glos. verbo patris in cap. Quanto 18. de iur.iu.*

Sequestrum.

Est depositio rei de qua est quæstio; & dicitur, quia vterque litigans fidem eius sequitur, *vt per Cardinal. in Clem. 1. de sequestr. poss. quæst. 15. & 16.* vbi dicit duplicem esse sequestrationem, scilicet factam a iudice, & a parte *glos. vero in l. vnic. C. de probib. sequestr. verbo sequestrationis* ita ait. Est autem sequester ille apud quem plures eandẽ rem (de qua controuersia est) deponunt: dictus ab eo, quod occurrenti, & quasi sequenti eos qui contendunt, committitur res, *vt ff. de verb. sig. l. sequester.* Sequestratio autem, dicitur ipsa separatio rei, vel possessionis interim autem dum res apud sequestrum est, nec possidet actor, nec possidet reus nisi hoc esset actum in sequestratione, vt custodiæ tantum causa fiat depositio *vt ff. de posit. l. licet §. rei deposita, & ff. de acquir. poss. l. Interesse.* Sponte ergo fieri potest sequestratio, non autem cogitur aliquis ad hoc; sed in casibus cõpellitur aliquis. Primus si res mobilis petitur, & persona suspecta sit, quod cũ ea fugiat, *vt ff. qui satisd. cög. l. si fideiussor. §. fin. & de offic. præs. l. Senatusconsulto in fin. & C. de agricol. & cens. lib. 11. l. litibus.* Secundus fit in re mobili, vel immobili, si possidens sit suspectus, ne depopuletur fructus, vel quod rem sit dissipaturus, *vt ff sol. nat. l. si cum dotem §. fin autem, & de appell. l. Impp.* Fit & tertio propter contumaciam non cauentis de collatione facienda, *vt ff. de coll. bon. l. 1. §. Si frater.* Fit quarto propter conditionem personæ &c. Additio autem *ad d. glos.* sic. Alios casus in quibus sequestratio fieri potest videre poteris hic *per Io. Fab. in suo Breuiar.* Satis succincte. Aduerte tamen his secundum *Bart.* quod licet regulariter non admittatur sequestratio, vt hac l. tamen permittitur bene descriptio rerum in domo existentium, & fructus, qui ibi percipiuntur, de quo est *tex notab. secundum Bart hic, in l. 1. §. pen. ff. de ventr. in poss. mitten.* vbi hoc etiam notat, quod notabiliter limitat *Bald.* dic nisi fieret cum iniuria, vel in descriptione supellectilium.

Iura ergo beneficij, & beneficiati exercebit sequester, qui possidet, sic dicit *glo. verbo beneficium in Clement. vnic. de sequestr.*

Si velit sequester officiũ deponere, quid ei faciendũ est? Et ait Pompon. adire cũ prætorem oportere, & eius authoritate denũciatione facta, ijs qui eũ elegerant, ei restituendũ, qui præsens fuerit: Sed hoc non semper verum puto. Nam plerunque non est permittendum officium quod semel suscepit contra legem depositionis deponere nisi iustissima causa interueniente, & cum permittitur, raro ei res restituenda est, qui venit. Sed oportet eam arbitratu iudicis apud ædem aliquam deponi hęc sũt verba *tex. in l. Et apud quem 5. §. vlt. ff. de posit.*

Secrmo.

Vt omnis sermo contineat verborum obligationẽ, ita tamen vt vterq; alterius linguã intelligat, siue per se, siue per verum interpretem: sic inquit *l. 1. § eadem in fin. ff. de verb.* Eo autem sermone vel debemus, qui notus est nobis

ne, vt quidem, Græca verba inculcantes iure optimo rideamur, vt inquit *Cicer. de offic.* Et ideò merito Albinum derisum a Cathone legimus, qui cum esset Latinus historiam inter Latinos, Græcè scribere maluit, *vt Plutarch.* & plures alij meminere. In quo genere Albutius prætor reprehendi meruit, qui cum à Scæuola, proprio idiomate salutatus esset Athenis, Græce respondit, vt refert eleganter *Cicer. lib. 1. de finib. mal. & bon.*

Vnde inspicitur vulgaris sermo, vt notauit *glos. verbo vulgariter in Clem. 1. de relig. dom.* ibi. Inspicitur elocutio vulgi. Debet etiam sermo intelligi secundum conditionem personæ, ad quam dirigitur, prout dicit *glos per tex. ibi. in l. Ex militari verbo. vt iure ff. de mil. test.*

In ambiguo sermone non vtrunque dicimus, sed id tantum quod volumus, itaque qui aliud dicit, quod vult, neque id dicit, quod vox significat, quia non vult neque id, quod vult, quia id non loquitur, sic *l. 3. ff. de reb. dub.* de quo vide ibidem *glos 1. & 2. vide etiam Bald. in l. vlt. ante num. 1. C. de hæred. inst.* vbi sic ait. Nota sermonem, qui sanè non potest intelligi non valere, & allegat *l. Qui plures habebat 18. ff de vsufr. leg. &* *num. 18.* sic dicit. Videtur, quod sermo, qui non potest sane intelligi intelligatur abusiuè, & impropriè &c.

In generali sermone nō contineri personā loquentis summat *Bald. in l. Inquisitio 18 C. de solut. Et glosa vlt. in l. Paulus 29 §. vlt. ff. de pignor.* contra, ita ait. Et sic in generali sermone continetur persona loquentis, vt per iura, quæ ibidem affert.

Respiciendus est sermo in stipulationibus vtrum ne talis est, quem voluero, an quem volam; nam si talis sit quem voluero, cum semel elegerit mutare voluntatem non poterit. Si vero tractum habeat sermo illius, & sit talis, quem volam, donec iudicium dict... mutandi potestatem habebit, sic notat *Pompon. in l. si quis 112. ff. de verb. oblig.* & habes verbo. Electio.

Nec placuit instar habere conditionis sermonem qui non ad futurum, sed ad præsens tempus refertur, & si contrahentes rei veritatem ignorent, sic inquit *l. si ita 120. ff. eod. tit.* vnde dixit *Bal. in l. Ex his 7. C. de test. mil. ante numer. 1.* quod sermo præsens, vel præteritus, nō conuertitur in futurum.

Licet aliàs sermo manifestet animi qualitatem, vt de eo, qui iussit reliquias suas in mare proijci, dicitur non esse mentis compotem, *in l. Quidam 27. ff. de cond. inst & iuxta illud in cap. Legimus in Esaia fatuus fatua loquitus 93. dist. glos. verbo in verbis in cap. hoc habet 46. dist.* ibi. Ex verbis enim perpendimus alicuius stulticiam, coniunctis his quæ *not. doct. in l. De minore 10. §. Tormenta per tex.* ibi. Plurimum quoque in excutienda veritate etiam vox ipsa &c. & ibi; Nam ex sermone *ff. de quæstion.* Tamen non est nouum, & sæpe videmus, quosdam, & si mentis suæ videbuntur ex sermonibus compotes esse, sic tractare bona ad se pertinentia, vt nisi subueniatur eis deducantur in egestatem, vt per eadem verba dixit *Vlpian. lib 5. de offic. proconf. in l. His qui § Diuus Pius ff de tut. & cur.* Perpendat igitur atque mente recogitet quisq; verba & sermones priusquàm proferat, nedum effuso sermone se iactat, in promptum incidat sui periculum, vt alias dixit *Imp. in l. vlt. ad fin. C. de aod. promiss.*

Plerunque in sermone copiosa est egestas humanæ intelligentiæ; quia plus loquitur inquisitio, quam inuentio, & longior est impetratione petitio, & operosior est manus pulsans, quam sumens, ita inquit *August. lib. 12. confess. cap. 1.*

Seruitus.

NOta tria esse genera seruitutum, quædam a persona personæ debentur, de quibus dicitur *de iur. person. in Inst.* quædam ab vna re alteri rei, de quibus agitur *in tit. de seruitut.* quædã a re personæ, vt vsusfructus, vsus, & habitatio, prout in suis *tit.* continetur. Potest & quartum dici, vt a persona rei debeantur, *vt in l. Titio centum* 70. *§. Titio centum* relicta sunt, vt a monumento meo non recedat, vel vt in illa ciuitate domicilium habeat. Potest dici non esse locum cautioni per quam ius libertatis infringitur: Sed in defuncti libertis alio iure vtimur *ff. de condit. & dem.* prædictam seruitutum diuisionem, ponit *glos. verbo iura in §. 1. de seruit. in Inst. vbi Imp.* enumerat seruitutes prædiorum rusticorum, *& in §. seq.* illas vrbanorum, & de vtrisq; pauca notabimus, cum plenissimus sit tractatus de eis apud Cepol.

Pro regula ponit *Imp. in §. vlt. eod. tit. in Inst.* Quod si quis vicino velit aliquod seruitutis ius constituere pactionibus, & stipulationibus facere debet, & potest in testamento id relinquere: sed necessarium est, quod hinc inde prędium adsit. Nemo enim seruitutem potest acquirere vrbani, vel rustici prædij, nisi qui habet prædium: nec quisquam debere, nisi qui prædium habet, *vt per eund. Imp. in §. Ideo autem eod. tit.* Vnde recte diffiniuit *Bart.* seruitutem esse quoddam ius prædio inhærens ipsius vtilitatem respiciens, & alterius libertatem seu ius diminuens *in l. 1. in princ. vers. Quaro ergo quid sit seruitus ff. illo tit. de seruit.*

Potest etiam acquiri seruitus, tempore, vt *per Vlpian. in l. 1 §. Denique ff. de aqua plu. arc.* ibi. Sane enim, & in seruitutibus hoc idem sequimur, vt vbi seruitus non inueniatur imposita: qui diu vsu est seruitute, neque vi, neque clam, neq; precario habuisse longa consuetudine veluti iure impositam seruitutem videatur, *vbi glos. diu*, intelligit decem annos, idem *Vlpian. in l. si quis* diuturno vsu, & longa quasi possessione ius aquæ ducendæ nactus sit. ei necesse est docere de iure, quo aqua constituta est (veluti ex legato, vel alio modo) *ff si seru. vend. & notauit glos. verbo adhaserunt in cap. 2. de Iudæ.*

Et si quidem attulimus *d. l. 1. in §.* Denique afferamus etiam *in §. anteced. qui incipit sicut vers. sed & si*: alibi a nobis ponderatus *ff eod. tit de aqua plu.* vbi sic ait idem *Vlpian.* Semper hanc esse seruitutem inferiorum prædiorum, vt natura profluentem aquam excipiant. Et in relato *§. Denique* ante verba iam supraproxime transcripta sic. Si tamen lex non sit agro dictam, agri naturam esse seruandam, & semper inferiorem superiori seruire: atq; hoc incõmodum naturaliter pati inferiorem agrum a superiore, compensareque debere cum alio commodo; sicut enim omnis pinguedo terræ ad eum decurrit, ita etiam aquæ incommodum ad eum defluere. Si tamen agri lex non inueniatur vetustatem vicem legis tenere &c.

In summa tria sunt per quæ inferior locus superiori seruit: lex, natura loci, vetustas, quæ semper pro lege habetur, sic concludit *Paul. iurisconsf. in l. 2. ff. eit. tit. de aqu. plu.*

Seruitus partem non recipit, præter vsumfructum, ita dicit *glos. verbo partis in l. Cum filius* 78. *ff. de legat. 2. idem glos. vlt in l. vnic. C. si in com. ead. que caus.* ibi. Nam omnis seruitus est indiuidua, præter vsumfructum.

Si per quatuor quinquennia nec vno die, vel ipse, vel hæres eius eadem seruitute vsi sunt, tunc eam penitus amittant viginti ann. desidia: qui enim in tã longo, prolixoque spatio, suum ius mini-

Digitized by Google

me consecutus est, sera pænitentia ad pristinam seruitutem reuerti desiderat, hæc disponit *l. vlt. C. de seruitut.*

Quo ad seruitutem verò personalem, scias quod duplex datur spiritualis, & corporalis, & de vtraque inquit *Gregor. 12. quæst. 2.* sic. Cum redemptor noster totius conditor creaturæ, ad hoc propitiatus humanam voluit carnem assumere, vt diuinitatis suæ gratia dirupto (quo tenebamur captiui) vinculo seruitutis pristinæ, nos restitueret libertati: salubriter agitur si homines quos ab initio natura liberos protulit, & ius gentium iugo substituit seruitutis in ea natura, qua nati fuerant manumittentis beneficio libertati reddantur.

Relicta igitur illa spirituali seruitute primeua originis nostræ, & nouissima peiore priore, qua quis efficitur seruus peccati actualis ad patres spirituales. Aliqua dicamus de corporali seruitute & personis seruorum.

Est autem seruitus constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur, ita *Florent lib. 9. inst. in l. 4. ff de stat. hom.* a quo *Imp. deduxit in §. 1. de iur. pers. in Inst. Vnde glos. verbo improbe in l. si tibi* 31. C. *de lib. cau.* eam vocauit improbam. ibi. Quia seruitus est improba, cum sit contra ius naturale. Et licet *glos. verbo. seruitutes in cap. Ius gentium* 1. *dist.* dicat quod seruitus sit inducta per ebrietatem, *& in cap. Ita 6. de Iuda. verbo. seruos* addat sic. Seruitutem de iure naturali inductam *per tex. in cap. sexto die* 35. *dist.* ibi. In principio generis humani ignorabatur ebrietas &c. & ibi. Non esset hodie seruitus si ebrietas non fuisset; intelligendæ sunt de altera seruitute, qua dominio proprij corporis se quis subijcit, non vero de qua agimus, vt clare patet ex proxime relata diffinitione, quamuis *d. glos. verbo seruitutes* aliter respondeat.

Seruitus mortalitati assimilatur, ita dicit *l. Intercidit* 58. *ff. de cond. & dem. & in l. Cum hic status* 33. *§. si donator ff. de donat. int. vir.* ibi. Licet seruitus morti comparetur, *& in Auth. de nupt. §. si vero decretum coll.* 4. ibi. Quoniam præcedentes nos dicunt superuenientē seruitutem non procul a morte differre, & tandem *Vlpian. in l.* 210. *ff. de reg. iur.* ait. Seruitutem mortalitati fere comparamus. Nam seruus pro nullo habetur iuxta *l. Quod attinet* 33. *eod. tit.* Et ideo nec testamentum facere, nec in eo testis potest esse, nec iudex nec arbiter, vtrobique notauit *glos. per iura ibidem allegata maxime in d. l.* 33. vbi etiam ponit limitationes. Quibus adde, quod poterit esse iudex si pro libero habeatur *l. Barbarius ff. de offic. præt. & glos. in cap. seiscitatus* 13. *de rescript.* Et testis esse potest in testamento prout in alijs actibus, vide verbo *testis,* & verbo *Error.* Insuper de his, quæ vidit in seruitute, factus liber, & probat *glos. verbo. Impubes in l. 3. §. 1. ff de test.* Et aliquando agit, *vt not. glos. verbo. serui in l 1. per tex. ibi. C. si per vim.* Et propter spem libertatis, & hæreditatis aditum ad prætorem, & per se habet, vt dicit *l. Mulier* 22. *§. 1. in fin. ff. ad Trebell.*

Nec etiam miles potest esse iuxta *l. Qui de libertate* 29. *ff. de lib. cau.* ibi. Et licet liber apparuerit: erit exauteratus: castris eijcietur vtique qui ex seruitute in libertatem petitus sit, vel qui non sine dolo malo in libertate moratus est. Si vero seruus transfugerit ad hostes rectissime dicitur etiam ei postliminium esse, scilicet vt dominus in eo pristinum ius recipiat; ne contrarium ius, non tam ipsi iniuriosum sit, qui seruus semper maneat, quam domino damnosum constituatur, ita ait *l. Postliminium* 19. *ad med. ff. de capt. & postlim.* Ex quo *tex.* nota seruo non fieri iniuriam. Sed quid si ab hostibus captus, & a non domino redemptus institutusque ab ipso redemptore fuerit hæres; erit ne locus

eius iuri postliminij ad hoc, vt dominus pristinum ius habeat in eo? Audi *Vlpian. in l. 72. ff. de acquir. hæred.* Si seruum (inquit) quis alienum ab hostibus redemerit, & hæredem eum libertate instituerit: magis puto eum fore liberum, & necessarium hæredem. Nam cum scribit ei libertatem vinculo suo resoluit; & in hoc solum redit iure postliminij, vt non iterum seruus eius fiat, cuius erat antequam caperetur (hoc enim satis impium est) sed pristino domino suam æstimationem omnino offerat, vel maneat ei obligatus, donec pretium soluat, quod libertatis fauore introductum est, *& ibi gloss. verbo offerat,* sic. Nec mirum si mihi tenetur, quia & liber redemptus, licet liber sit, tamen tenetur, vel ad pretium, vel ad operas quinq; annorum, vt &c.

Si autem seruo legetur absq; libertate, an legatum valeat? dictum fuit verbo. Hæres vbi agitur quando dominus ipsius serui ei legat, sed si alius qui non est dominus, duo requiruntur, vt legatum teneat, scilicet quod dominus sit capax. Item quod talis res sit legata, quæ possit legari ei libero, vt notauit *glos. in l. 5. ff. de seru. legat* cuius tex. verba sunt, Et si maxime testamenti factio cum seruis alienis ex persona dominorum est; ea tamen, quæ seruis relinquuntur, ita valent si liberis relicta possent valere.

Inter dominum, & seruum propriè loquendo seruitium est, dicit *glos. 1. in reg. Nõ est 19. lib. 6.* Licet alias dicat *glos. verbo seruare in §. serui de iur. person. in Inst.* Quod seruus non a seruiendo; sed a seruando dictus sit, & clare probat idem tex. ibi, Serui autem ex eo appellati sunt, quod imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent. Tenetur tamen seruus Domino seruire, & eidem operari debet iuxta *l. 3. §. si quis seruum ff. de statul.* Pluribus vero seruire non potest: quia dum ad vtrunque festinat neutrum bene peragit, vt inquit *glos. verbo. In diuersis in cap. 1. de offic. vicar.*

Minus proprie etiam dicitur seruitium inter maiores, & minores. Ordo namque seruiendi est inhumana creatura, vt inferior superiori deseruiat: aliter enim vniuersitas nulla ratione subsistere poterit, nisi ex diuersitate graduum ordo diuersitatem in ea seruaret, vt dixit *glos. verbo seruiendo in extrauag. vnic. de prabend. & glos. vlt. in cap statuimus 15. de maio. & obed.* sic. Nota, quod minores seruitia facere debẽt maioribus: hoc intelligo circa seruitia exhibenda in obsequijs diuinorum &c. alia vero seruitia extra diuinorum celebrationem, facere non tenentur: Sed ipsa ad quæ tenentur, plene adimpleant, non sicut infideles seruientes, vel ministri, qui semper de eo, quod dominis datur decimam, vel aliam quotam subtrahunt, *vt per glos. verbo. Absque diminutione in Clement. 1. §. Porro adhæret.*

At pauci inueniuntur serui fideles. Dicit enim *glos. verbo. Quanto minoris in l. Iulianus 14. ff. de act. empt.* ita. Quod si seruus, ergo fur, maximè dapifer: dominis enim suis etiam si nihil aliud possunt, cinerem tamen surripiunt, idem notauit *Apostill. in l Apud antiquos 21. C. de furt. & seru. corrupt.* dicens. Est seruus, ergo est fur, vbi affert illud Virgilianum.

Quid domini faciant? audent cum talia fures.

Nec enim fures dici non possunt, eo quod dominis, & non alij furantur. Nam fur est non solum qui extraneo, sed etiã qui domino suo furtum facit. vt per *dict. glos. verbo. Quanto minoris, in l. Quod si nolit 31. § 1.* ibi. esse enim hoc in casu furem non tantum eum, qui extraneo, sed etiam eum, qui domino suo res subtraxerit intelligendum est. Licet fur-

furti actione non teneatur, vt vtrunque probat *l. serui*, & filij nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi tamen furti nobis non tenentur *ff de furt. l. Qui seruo 36. vers. Item placuit eod. tit. coniunct. §. hi qui de oblig. quæ ex delict. in Inst.*

Et non solum fures, sed etiam hostes esse pro prouerbio iactabatur, nam inquit *Senec. Epist. 47* sic. Prouerbium iactatur totidem esse hostes quot seruos. Licet idem addat hæc. Non habemus illos hostes, sed facimus, vbi affert plura, quæ a dominis in seruos fiunt.

Tenetur etiam seruus domino suo obedire, sed non in omnibus, nam *in l. 19 ff. de act.* sic dicitur. Seruus non in omnibus rebus sine pæna, domini dicto audiens, esse solet; sicuti si dominus hominem occidere &c. Seruum iussisset &c. *& in l. Si cum mulier 21. ff rer. amot.* ibi. Quamuis seruus in facinoribus domini dicto, audiens esse non debeat, *& in l. Sed si vnius 17. §. Prætor ait ff. de iniur.* ibi. Nec in omnia seruus domino parere debet. Plane, addit idem tex. si defendendi domini gratia aliquid fecerit; rationem ei constare apparet, *& in d. l 19.* ita. Sed si aliqua rixa &c. Et ab his facinus abesset, tunc non conuenit prætorem, quod seruus iussu domini fecisset de ea re in liberum iudicium dare, *vbi glos. vlt.* ait. Cum domini tuendi gratia, quid fecerit, excusatur, *& l. Diuus 15. ff. ad l. Corn. de fals.* ibi. Nam seruos cum dominis suis parent, necessitate potestatis excusari, *& glos. verbo. Metallo in l. seruos C. ad l. Iul. de vi pub.* ibi. In aliquo ergo parcitur etiam in atrocioribus si domino pareant, *& glos. 1. in l. 2. per tex. ibi C. de sepulchr. viol.* sic. In aliquo, etiam in atrocioribus, mitius cum seruis agitur si domino pareant.

Sed & si maritus in adulterio deprehensam occidat, quia ignoscitur ei, seruos liberandos esse si iustum dolorem exequenti domino non restiterunt, ita *l. 3. §. 1. ff. ad Syllan.*

Sed, & tenentur custodiam, & opem ferre dominis serui sub periculo capitis sui tam à domesticis quam ab extraneis *l. 1. ff. eod. tit. ad Syllan.* Adeo vt quoties dominis suis auxilium ferre possunt, nō debeant eorum saluti suam anteponere *vt in d. l. 1. §. hoc autem.* vbi etiam nota, quod de ancilla dicat tex. qualiter voce teneatur iuuare: lingua enim fœminæ eius arma dicitur, & non minus virorum, quando alia non habeant iuxta eandem *l. 1. in § vlt.* ibi Tulisse auxilium non tantum is videtur, qui seruauit dominum, hoc est, qui potuit ita opem ferre, vt saluus esset dominus: verum is quoque, qui quicquid potuit, fecit tametsi dominus interfectus est, veluti si quis exclamauit.

Verbis seruorum non esse credendum, inquit *glos. verbo vel iudicio in l. 2. §. 1. ff. si ex nox. cau. per tex. in l. 1. ff. de quæst.* Sed *in l. Quæro 58. ad fin. ff. de ædil.* sic *Iurisconsul.* si alia indicia prioris fugæ nō deficiunt; tunc etiam Serui responso credendum est. *& in l. 7. ff de probat.* ibi. Cum deficit probatio, Serui quæstioni credendum est, in se enim interrogari, non pro domino, aut in dominū videtur coniuncta *glos.* ibidem. Quia, & Serui responso creditur, cum de facto suo interrogatur, vt dixit *glos. verb. potuerunt in cap. Cum I. & A. 22. de re iud.* Et in hoc sensu (scilicet pro seruo aut in seruum) nec dominorum verbis contra seruos credendum est iuxta *l. 3. §. 1. ff. ad Syllan.* ibi. Si quis moriens dixisset a seruo vim mortis sibi illatam esse: dicendum est non esse credendum domino, si moriens hoc dixit; nisi potuerit, & probari. Prout etiam dicendum est, non obesse debere seruo factum domini, vt inquit *l. Post legatum 5. §. Si pater ff. de ijs quib. vt indig.*

Per seruum nō fieri domino conditionem deteriorem, iu. t. dictum verbo dominus.

nus, & probat *l. pen. ff. deposit.* ibi. Quia seruus in deponendo, tuum ius deterius facere non potuisset, *vbi glos.* addit, licet in non quærendo faciat. Si vero seruus rem peculiarẽ pignori dederit tuẽdus est si liberam peculij administrationem habuerit: Nam, & alienare eas res potuit. Eadem & de filio famil. dicta intelligimus, vt disponit *l. 19. coniuncto §. anteced. ff. de pig. act.* Nam quod cum eo seruo contractum est, ita habendum esse atque si cum domino contractum sit, inquit *l. Hæres absens §. Apud Labeonem ff. de iudic.* Et dominus sciens seruum mercari in Republica tenetur tributoria: non tamen requiritur quod velit, sed satis est, quod non nolit, vt dicit *Apostill. ad glos. vlt. in capit. Cum iam dudum* 18. *de præbin.* & aliàs dictum fuit verbo peculium.

Notabis quod quædam cum ipsis seruis, non cum dominis facienda sunt, prout notauit *glos. vlt. in l. Minor 39. §. 1. per tex.* ibi. Denunciare verò de euictione emptor seruo, non domino debet *ff de euict.* Sed regulariter contra est, *vt per eand. glos.* & probat *tex in l. 3 ff. de tab. exhiben.* ibi. Si apud seruos tabulæ fuerint, dominus interdicto tenebitur.

Si seruus communis stipulatus fuisset, perinde habetur ac si ipsi domini sua voce pro partibus stipularentur, ita *l. 42. ff. de damn. infect. vbi glos.* notat sic, vox domini est &c. Sed hæc fallit in duobus casibus, *vt infr. de stip seru l. 1. & ante pen.* Nam seruus communis vicem duorum sustinet, inquit *glos. verbo. Contra in l. Qui hæredi §. si duorum seruo ff. de cond. & dem.* Et hac ratione procedit *tex. in l. Si fundum 83. §. Si seruo cõmuni ff de legat.* 1. vbi legatum tali seruo relictum potest ab vno dominorum repudiari pro parte sua, & ab altero acceptari reddens prædictam rationem ibi. Nam in hac re seruus communis quasi duo serui sunt. Si subsistas in illis verbis. (Nam in hac re;) & inferas, quod in alia contrarium erit per optime dices. Quia si seruo communi vnus ex dominis relinquat libertatem, & hæreditatem, poterit alter cogi ad recipiendum pretium partis suæ ne vnus, & idem homo pro parte liber, & pro parte seruus maneat, quod esse poterat si in hoc casu vicem duorum talis seruus haberet. Vnde æquitatis ratio suggerit, vt ipse seruus pretium partis suæ domino offerens, posit & libertatem, & hæreditatem consequi, vt disponit *l. si seruus* 18. *ff. de vulgar.*

Seruum se ipsum non possidere, licet in possessione libertatis esse dicatur, inquit *glos magna prope fin. in l. Si quis C. vnd. vi* Et tamen videtur contrariũ *ex tex. in l Peculium 10. § pen. ff. de pecul.* dum de seruis in possessione seruitutis existentibus, ita dicit. Licet enim seruis in suum corpus sæuire. Sed intellige text. ad effectum, vt dominus damnum sibi inflictum ex vulnere illato per seruum ipsimet seruo, non possit de peculio deducere; non autem quod possit de iure seruus in se sæuire, cum nec hoc liceat libero homini, vt notat ibidem *glos. verbo si ipse seruus.* Et vulgare est neminem membrorum suorum dominum esse *ex l. Liber homo 13. ff ad l. Aquil. coniuncto cap. si licet 23. quæstion. 5.*

Præsumptum est ea mancipia, quæ rudia sunt simpliciora esse, & ad ministeria aptiora, & dociliora: trita vero mancipia, & veterana difficile esse reformare, ita ait *l. præcipiunt 37. ff. de ædil. ed.*

Nihil multum a specie seruientium differunt quibus non datur facultas recedendi, sic inquit *l. 3 ff. de lib. hom. exhib.* à qua deduxit *glos. verbo captiuauerit in Extrauag. vnic. de pæn.* ibi. Nam non multum a specie seruorum differunt, quibus non datur libertas egrediendi. Et à contrario potest dici non multum differre a libertate seruum, qui fugitiuus est, vt dixit *glos. verbo abest in l. 1.*

vel longo tempore sopita prout prædictis expressis verbis dicit *Iurisconf. in l. 1. §. vlt ad fin. ff. ad Tertyll.*

Nulla etiam erit sententia propter falsam causam, vt dictum fuit verbo causa, si propter falsos testes, vel falsa instrumenta lata fuerit retractabitur, *vt verbo testis, & verbo falsum, & instrumentum.*

Sententia nulla, quod absq; appellatione infirmetur, est *tex. in l. 1. ff. de fer.* ibi. Citra appellationem igitur sententia infirmabitur, *& l. 1. C. sent. resc. non po.* ibi. nec necesse est ab huiusmodi decreto interponere prouocationem explorati iuris est *l. 1. & 2. C. quand prouoc. non est nec.* Et si forte interponatur, nec per eam sententia fit aliqua iuxta *glos. in l. 2. C. si ex fals. instr.* ibi; Sed si prouocauerint, an videantur confirmare? Non puto, sed solo eo casu confirmatur, quo falsus procurator egit nam dominus appellando ratum habere videtur, vt &c. & altera *glos. verbo non obtinebit in l. 1. C. quand. prouoc. non est necess.* ita. Sed quid si appellatum est a sententia, quæ ipso iure non valet, iudex pronunciabit appellationem iniustam &c. quia sententia non valuit &c. Cum nec per appellationem confirmetur, *& glos. vlt in cap. 1. de sent & re iud.* Nec efficitur aliqua per appellationem, vbi affert in contrarium, & soluit.

Sententiam non facere ius, dicit *glosa verbo actiones in l. si patroni 55. §. Actiones ff. ad Trebell. & in l. Iulianus 66. verbo natura ff de condict. indeb.* ibi. Nota sententiam non facere ius, vt qui est debitor definat. Quod non intelligas simpliciter, & sic generaliter: sed in casibus scilicet quando non inter easdem partes lata sit sententia, vt in iuribus infra, aut quando, licet inter easdem, non fuisset lata ipsis non præsentibus, *vt in l. Qui repudiantis 17. §. Cum contra ff. de inoffic. testa.* ibi. Ideo non probandum est si hærede non respondente secundum præsentem iudicatum sit: hoc enim casu non creditur ius ex sententia iudicis fieri, *vbi glosa verbo creditur* sic reddit rationem, quia magis propter absentiam hæredis condemnatus videtur, quod deduxit *ex l. si ideo 55.* ibi. Magis enim propter absentiam euictus videtur, quam quod malam causam habuerit *ff. de euict.*

Cæterum quod verissimum sit; & vulgarissimum sententiam inter alios latam alijs, nec præiudicare, nec aliquod contra ipsos ius facere, vltra vulgatam *l sæpe 63. ff. de re iud. probat l. Lucius 21. ad fin ff. de ijs, qui not. infam.* ibi. Cum non oporteat ex sententia siue iusta, siue iniusta pro alio habita alium prægrauari, *& in l. Is, qui fundum 31 ff. de vsufr. legat.* ibi; Non potuisse arbitrum inter alios iudicando, alterius ius mutare, *& in l. Claudius felix 17. ad fin. ff. qui potior. in pig.* ibi. Nec inter alios res iudicata alij prodesse, aut nocere solet; sed sine præiudicio prioris, sententiæ totum ius alij creditori integrũ relinqui, *& in l. 3. ff. de pig.* in prima parte ibi. Si superatus sit debitor &c. æque seruanda erit creditori actio seruiana &c. & ibi. sed, & si victus est debitor vindicans hæreditatem, iudex actionis seruianæ neglecta de hæreditate dicta sententia, pignoris causam inspicere debebit.

In secunda vero parte totum contrarium asserit idem tex dum sic ait. At qui aliud in legatis, & libertatibus dictum est: cum secundum eum, qui legitimam hæreditatem vendicabat sententia dicta est. Sed creditor non bene legatarijs comparatur, cum legata quidem aliter valere non possint, quam si testamentum ratum esse constet. Ex quo notauit ibidem *glos. verbo dicta est*, quod sententia inter alios dicta alijs præiudicat & soluit iuxta distinctionem suprapositam vers. antecedenti. Sed altera solutio mihi verior videtur; scilicet, quod

hic

hic non tollitur ius legatarijs, si quod habuerint ad petenda legata: sed tantum deciditur non posse ipsos legatarios illa petere ex illo testamento per sententiam annullato; nam reseruatum ijsdem legatarijs manet suum ius contra sententiam, vel ab ea appellando, vel de nouo agendo; quod mihi probat *Vlpian. lib.14. ad edict. in l.14. ff. de appellat.* Si perlusorio (inquit) iudicio actum sit aduersus testamentum, an ius faciat iudex videndum est. Et Diuus Pius, cum inter coniunctas personas diceretur per collusionem in necem legatariorum: & libertatum actum: appellare eis permisit: Et hodie hoc iure vtimur, vt possint appellare; sed, & agere causam apud ipsum iudicem, qui de testamento cognoscit, si suspicantur hæredem non ex fide causam agere.

Contra ius constitutionis, lata sententia non tenet, licet secus sit contra ius litigatoris, *vt in l. 2. C. quand. prouoc. non est nec.* ibi. Sententiam eius contra tam manifesti iuris formam datam, nullas habere vires palam est &c. & ibi. Quod si cum de ætate quæreretur impleſſe defunctum 14. annum, & per hoc, iure factum testamentum pronuntiauit, nec prouocasti, aut post appellationis impletam causam, destitisti rem iudicatam retractare non debes, vbi *Bart.* & alij, notat etiam *glos. vlt. in cap. Dilecto 63. de appellat.* ibi. Quia sententia contra ius litigatoris bene tenet, a qua non sit appellatum, licet non teneat contra ius constitutionis lata, de quo vide etiam *Abb. in cap. 1. & in cap. Cum inter de sent. & re iud.*

Repletur ex lege, quod sententiæ iudicis deest, sic *in l. 4. §. si quis ff. de re iud.* & quod ipse iudex possit etiam supplere dictum est supra verbo iudex. Non poterit autem mutare eam iuxta *l. Diui Fratres 27.* ibi. Suam mutare sententiam neminem posse, idque insolitum esse fieri *ff. de pen.* Sed verba emendare tenore sententiæ perseuerante non esse prohibitum, ait *l. Actorum 46. ff. de re iud. vbi glos.* addit, quod licet verba offendere seruata sententia.

Sententia arbitri non per omnia sententia est, iuxta *l. Quid ergo §. Cum autem ff. de his, qui not. infam.* ibi. Ex compromiſſo arbiter infamiam non facit: quia non per omnia sententia est.

Si pro fure damnum decisum sit, condictionem non impediri verisſimum est. Decisionem enim, furti quidem actio, non autem condictio tollitur, ita disponit *l. 7. ff. de condict. furt.*

Quod per sententiam non fiat nouatio, notauit *glos. verbo tenet in l. Grege 13. §. etiam ff. de pignor.*

Sententia super expensis pro contumacia potest ferri in absentem, ita dicit *glosa pen. in cap. Constitutis 12. de procurat.*

Nota, quod sententia in causa matrimoniali tenet, licet sit non in scriptis lata, vt dicit *glos. verbo in scriptis in cap. Albericus 43. de testib.* Si fuerit contra matrimonium pronunciata non transire in rem iudicatam, ait *glos. verbo In hoc casu in cap. Cum in tua 44. eod. tit.* de quo infra statim. Si pro sententia ferenda, pecunia offeratur sit iudici iniuria, vide verbo iniuria. Et si ibidem non allegaui tibi tex. ad materiam, licet non ad speciem, *in l. Item apud Labeonem 15. §. ait prætor verſ. idem ait ff. de iniur.* scias, quod sic inquit. Eum qui euentum sententiæ, velut laturus, pecunia vendidit fustibus a præside ab hoc castigatum iniuriarum damnatum videri, Vtiq; autem apparet hunc iniuriam ei fecisse, cuius sententiam vendidit, si vero iam dicto loco fuit allegatus, nec ob id detrimentum aliquod patieris, sed ego ipse qui bis idem transcripsi.

Sententiæ absolutio non nocet agenti de nouo ex causa super qua non fuit pronunciatum, ita dicit *Bald. in summ. l. 3. C. ad Exhib.* & ibidem *glos. verbo litis,*

Digitized by Google

distinguit, quod procedit in absolutoria diffinitiua in causa lata; quia absolutoria ab obseruatione iudicij est interloquutoria, vt notauit *Apostill. ad glos. verbo absoluatur in l. Harum 7. ff. si seru. vend.* Et istud vltimum limitat nisi lex, vel statutum declaret, quod sit diffinitiua veluti in Regno nostro Portugalliæ, nam in eo extat lex Regia, si recte memini, quod si semel, iterum, & tertio fuerit lata sententia ab obseruatione iudicij absolutoria, quod amplius in ea causa non possit audiri actor, tunc enim hæc vltima, diffinitiua dicenda est.

Licet alias sit vulgare, quod sententia est stricti iuris, & vti talis non soleat extendi ex ratione *l. Imperator ff. de postul. in fin.* ibi. Ne cui scilicet pœna tempore determinata contra sententiæ fidem vlterius porrigatur. Tamen est notabilis *glos. verbo. Cum marito in §. Idem is, qui de vsu. & habit.* sic dicens. Et inducitur iste tex. vt statuta, & sententia quamuis sint stricti iuris, tamen recipiant interpretationem extensiuam quando alias non possunt sortiri effectum, quod non secundum *Ag.*

Sententia lata contra fideiussorem an noceat principali; vide *fideiussor.*

In dubio contra fiscum esse iudicandum in causa mere lucratiua, verbo *fiscus.*

Cum prætor causa cognita per errorem, vel ambitiose iubet hæreditatem ex fideicommisso restitui etiam publicè interest restitui propter rerum iudicatarum authoritatem, ita ait *l. seruo 65. §. Cum ff. ad Trebell.*

Semel pro libertate dictam sententiam retractari non oportet, sic *l. si dolo 25. ff. de dol.* nec etiam per priuilegium de nouo repertum retractari sententiam, dicis verbo *priuilegium.*

Standum esse sententiæ, dum non ostenditur esse irritandam, ait *cap. In præsentia 6. de renunc. vbi glos.* sic. Dicendum est, quod semper stetur sententiæ, nisi probetur, quod iniusta sit &c. Detegere enim debet iniquitatem sententiæ &c. & docere debet se iuste appellasse *capit. Cum ad Sedem 15. de rest. spol. glos. vlt. in cap. Conquerente 7. eod. tit.* ibi. Semper enim præsumitur pro sententia iudicis, quousque probetur contrarium, *& in capit. Ad reprimendam 8. verbo. fuisse de offic. ordn.* ita. Quia sēper præsumitur pro sententia iudicis ordinarij &c Et addit. Sed si obijciatur contra sententiam ratione processus, oportet, quod probetur processus ad hoc, vt stetur sententiæ, idem *glos. verbo defecerit, in cap. Cum speciali 61. §. excessu de appellat.*

Prouocationis remedio extingui condemnationis pronunciatum dicit *l. 1. §. vlt. ff. ad Turpill.* Vnde dixerunt quidam rem iudicatam dici, quando iam appellari non potest, vt dixit *glos. 1. in l. 1. ff. de re iud.* & addit. Nos contra: Nam etiam interim dum potest appellari, sententia est. Et ego intelligerem sic sententia est: quatenus per eam finita fuit illa instantia, quatenus vero effectum non habet, sententia dici non potest, nec res iudicata, sed quasi sub conditione dispositio quędam pendens a confirmatione superioris, quod mihi probat *tex. optimus in l. 1. §. ij quibus ff. de legat. 3.* in hæc verba, Cæterum priusquam præsidis factum princeps comprobet, nondum amisisse quis ciuitatem videtur. Proinde si ante decessit, ciuis decessisse videtur, & fideicommissum, quod ante relinquerat, quam sententiam pateretur, valebit; sed & si post sententiam antequam Imperator comprobet valebit, quod factum est; quia certum statum, vsque adhuc habuit, *& in l. Si quis filio §. Hi autem ff de iniust. rupt.* ibi. Si prouocauerint capite non minuuntur &c. Sunt enim certi status, nec ipsi de se interim incerti.

Quid tamen (prosequitur idem tex.) si appel-

appellationem eius præses non recepit, sed Imperatori scribendo pœnam remoratus est? Puto hunc quoque suum statum interim retinere &c. tametsi prouocantis, vel eius pro quo prouocatur, appellatio non fuerit recepta: pœna tamen sustinenda est, quoad princeps rescripserit ad litteras præsidis &c. Nisi forte latro manifestus sit, vel seditio prærupta, factioque cruenta, vel alia iusta causa, quam mox præses literis excusauerit, moram non recipiat: non per festinatione, sed præueniendi periculi causa: tunc enim punire permittitur.

A sententia momentaneæ possessionis, secundum leges non appellatur, secus secundum Canones, ita inquit *glos. verbo momenti in cap. 1. de ord. cog.* Non tamen intelligas, quod denegetur appellatio, sed quoad effectum suspensiui executionis eiusdem sententiæ, etiam si interponatur, erit ac si non interposita fuisset iuxta *l. 1. C. si de mom. poss. fuer. appell.*

Si post decem dierum spatium sententia in authoritatem rei transeat iudicatæ, qui ad prouocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegauit, cum per hoc videatur per interpretationem iuris latæ sententiæ paruisse, sic disponit *cap. Quod ad consultationem 15. de re iud. & in l. vlt. C. de sent. & interloc.* ibi. N qui a statutis prouocaueris, ipsa tuo facto confirmasti iudicatum. Quod etiam in interlocutoria sententia procedere, ait *glos. vlt. in cap. 2. de procurat.* ibi. Et sententia interloquutoria a qua non appellatur, transit in rem iudicatam &c. *& glos. etiam vlt. in cap. Dilectus 32. de elect.* ibi. Per hoc patet, quod interlocutoria sententia transit in rem iudicatam sicut, & diffinitiua &c. Non tamen quoad hoc transit in rem iudicatam, quia iudex etiam post decem dies possit reuocare.

Nota, quod sententia excommunicationis, trahit secum suum eff ctum, ita dicit *Addit ad glos. verbo passus in l. Si quis filio 6. §. Irritum ff de iniust. rupt.*

Est notabilis *Apostill. ad tex. in l. Si a te §. si quis fundum ff. de exceptio. rei iud.* dum ita dicit. Ille tex. debebat scribi litteris aureis, secundum *Bart.* hic, ad hoc (secundum vnam lect.) quod sententia lata contra non possidentem, tamquam possidentem, si de nouo cœperit possidere mandabitur sententia executioni, ad quod adde *Matthesilla. in suis not. fol. 8. sing. 138.* vide etiam alia in *verbo Exceptio rei iud.*

Etiam si iniustam sententiam executor exequi tenetur, nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat, ita *in cap. Pastoralis § Quia verò de offic. delega. vbi glos. vlt.* tractat quæstionem circa iudicem, qui diffiniuit. Contrarium vero erit in nulla sententia, de qua inquit *glos. verbo denuncietis in cap. Ex litteris 29. de offic delegat.* sic. Ex hoc patet, quod sententia, quæ nulla est, non est executioni demandanda, imo exequenti impune non paretur, imo & violenter resisti potest ei, vt hic.

Executio sententiæ potest differri si excusationes absentium ex Senat. consult iudicibus allegentur: & si iustam rationē habet iuxta *l. Accusatore 13. §. crimen ff. de pub. iud.*

Sententia infra quod tempus mandabitur executioni. Vide *verbo actio*, & latissime vsque ad satietatem in omni sententiæ materia videas repert. Bertach. in verbo hoc, quia ad intentionem nostri libelli satis dictum est.

Separatum.

TVnc dicuntur res separatæ, quando circa diuersa omnino officium sui gestor adhibuit; Tunc vero inseparabiles, quando circa eandem rem tantum gestoris perseuerat officium, ita ponit *glos. verbo. Non possit in l. Eum*

actum ff. de negot. gest.

Quod separatum est non coniungitur, vt &c. glos. in l. Procuratoris 5. §. si plures ff. de tribut. act. & in l. si maritus 10 verbo separata ita. Nota generale, quod separatorum separata debet esse ratio per tex. ibi. Nec enim &c. crimen intendens sub prætextu accusationis, quæ donata sunt auferre debuit, cum causa liberalitatis a criminatione, separata sit C. de donat. int. vir. & in l. si sponsus 5. ff. eod. tit. ibi. Quod si aliarum extrinsecus rerum personarumue causa sit commixta, si separari non possit, nec donationem impediri, si separari possit, cætera valere; id quod donatum est, non valere, & facit l etiam 30. §. 1. ff. de minor. de qua sup. proximo verbo: coniuncta glos. ibi. In coniunctis; secus in disiunctis &c.

Sepulchrum.

Differt à monumento, nam monumentum dicitur locus purus ad sepulchrum paratus; sepulchrum verò vbi est aliquis iam sepultus, ita ponit glos. 1. in l. Caueri 4. ff. com. prad. & probat Florent. lib. 7. inst. in l. Monumentum 42. ff. de relig. dum sic ait Monumentum generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita, in quam si reliquiæ inferantur, fiet sepulchrum; si verò nihil eorum, erit monumentū memoriæ causa factum, & hinc dicitur in l. 1. §. vlt. ff. ad l. falcid. Nec enim ita monumenti ædificationem necessariam esse, vt sit funus, ac sepultura.

Vnde quædam causa funeris, & sepulchri conceduntur, quæ alias non concederentur, vt notauit glos. verbo inualida fit in Auth. vt cum de appellat. cog. §. hac autem coll. 8. per tex. ibi. Sed in præsenti quendam cognouimus cuiusdam mortui genitorem, a sepultura filij sui redeuntem, nomine debiti tenuisse, ideoque pium, & humanum esse perspeximus, talem crudelitatem hac lege pijssima coercere ex quo notabis hoc priuilegium dici piæ causæ.

Si quis fuerit hæres, cui deinde hæreditas ablata sit quasi indigno; magis est, vt penes eum iura sepulchrorum remaneant, ita disponit l. 33. ff. de religios. & sump. fun. & ibidem glos. reddit rationem dicens, Non enim desinit esse hæres, vt infr. de vulg. l. Ex facto §. Iulianus &c. Sed tu videas an possit etiam dici, quod ius sepulchrorum, non solum a iure hæreditario, sed etiam a iure sanguinis, seu familiæ procedat, iuxta l. Familiaria 5. & l. seq. ff. eod. tit. de relig. ibi, siue extiterint hæredes, siue se le abstineant ex quibus verbis colligitur rationem prædictam a glos. positam non esse genuinam, cum appareat etiam eos, qui se abstinent, & nunquā hæredes fuerant, habeant ius sepulchrorum; Sed quid in exhæredatis? respondet d l. 6. ff. de relig. sic. Exhæredatis autem (nisi specialiter testator iusto odio commotus, eos vetuerit) humanitatis gratia tantum sepeliri. Sed adhuc mihi videtur, quod si sepultura fuerit a maioribus exhæredati, non ab ipso patre exhæredante, familiæ deputata, poterit talis etiam vetante patre iuste sepelliri, ratione iuris sanguinis quam non potest pater tollere.

Ius eligendi sepulturam, potest dare consuetudo, quemadmodum dat ius eligendi prælatum, vt dicit glos. Verbo Cōsuetudo per tex. ibi. in cap. Licet pater de sepult. lib. 6. in illis verbis, eligere sepulturam possit (si consuetudo terræ id habeat, hoc tamen non potest vbi consuetudo huiusmodi non habetur.

Glos. vlt. in addit. Extrauag. 1. de sepult. int. com. sic ait. Adde ad materiam huius decretal. cons. Oldral. 76. quod incipit Thema tale est, vbi concludit, quod nepos non eligens sepulturam, sepelitur in sepulchro patris, & Aui, licet sit

in Ecclesia mendicantium, dato quod superiores eiusdem sint sepulti in Ecclesia parrochiali, vbi optimas rationes.

Nec semper inscriptioni sepulchri fides adhibetur, ita dicit *glos. verbo patris in cap. Quanto 18. de iur.iu.*

Sequestrum.

Est depositio rei de qua est quæstio; & dicitur, quia vterque litigans fidem eius sequitur, *vt per Cardinal. in Clem. 1. de sequestr. poss. quæst. 15. & 16.* vbi dicit duplicem esse sequestrationem, scilicet factam a iudice, & a parte *glos. vero in l. vnic. C. de probib. sequestr. verbo sequestrationis* ita ait. Est autem sequester ille apud quem plures eandē rem (de qua controuersia est) deponunt: dictus ab eo, quod occurrenti, & quasi sequenti eos qui contendunt, committitur res, *vt ff. de verb. sig. l. sequester.* Sequestratio autem, dicitur ipsa separatio rei, vel possessionis interim autem dum res apud sequestrum est, nec possidet actor, nec possidet reus nisi hoc esset actum in sequestratione, vt custodiæ tantum causa fiat depositio *vt ff. de posit. l. licet §. rei deposita, & ff. de acquir. poss. l. Interesse.* Sponte ergo fieri potest sequestratio, non autem cogitur aliquis ad hoc; sed in casibus cōpellitur aliquis. Primus si res mobilis petitur, & persona suspecta sit, quod cū ea fugiat, *vt ff. qui satisd. cog. l. si fideiussor. §. fin. & de offic. præs. l. Senatusconsulto in fin. & C. de agricol. & cens. lib. 11. l. litibus.* Secundus fit in re mobili, vel immobili, si possidens sit suspectus, ne depopuletur fructus, vel quod rem sit dissipaturus, *vt ff sol. mat. l. si cum dotem §. sin autem, & de appell. l. Impp.* Fit & tertio propter contumaciam non cauentis de collatione facienda, *vt ff. de coll. bon. l. 1. §. Si frater.* Fit quarto propter conditionem personæ &c. Additio autem *ad d. glos.* sic. Alios casus in quibus sequestratio fieri potest videre poteris hic *per Io. Fab. in suo Breuiar.* Satis succincte. Aduerte tamen his secundum *Bart.* quod licet regulariter non admittatur sequestratio, vt hac l. tamen permittitur bene descriptio rerum in domo existentium, & fructus, qui ibi percipiuntur, de quo est *tex notab. secundum Bart hic, in l. 1. §. pen. ff. de ventr. in poss. mitten.* vbi hoc etiam notat, quod notabiliter limitat *Bald.* dic nisi fieret cum iniuria, vt in descriptione supellectilium.

Iura ergo beneficij, & beneficiati exercebit sequester, qui possidet, sic dicit *glo. verbo beneficium in Clement. vnic. de sequestr.*

Si velit sequester officiū deponere, quid ei faciendū est? Et ait Pompon. adire cū prætorem oportere, & eius authoritate denūciatione facta, ijs qui eū elegerant, ei restituendū, qui præsens fuerit: Sed hoc non semper verum puto. Nam plerunque non est permittendum officium quod semel suscepit contra legem depositionis deponere nisi iustissima causa interueniente, & cum permittitur, raro ei res restituenda est, qui venit. Sed oportet eam arbitratu iudicis apud ædem aliquam deponi hęc sūt verba *tex. in l. Et apud quem 5. §. vlt. ff. de posit.*

Sermo.

Vt omnis sermo contineat verborum obligationē, ita tamen vt vterq; alterius linguā intelligat, siue per se, siue per verum interpretem: sic inquit *l. 1. § eadem in fin. ff. de verb.* Eo autem sermone vti debemus, qui notus est nobis

ne, vt quidem, Græca verba inculcantes iure optimo rideamur, vt inquit Cicer. de offic. Et ideò merito Albinum derisum à Cathone legimus, qui cum esset Latinus historiam inter Latinos, Græcè scribere maluit, *vt Plutarch.* & plures alij meminere. In quo genere Albutius prætor reprehendi meruit, qui cum à Scæuola, proprio idiomate salutatus esset Athenis, Græce respondit, vt refert eleganter *Cicer. lib. 1. de finib. mal. & bon.*

Vnde inspicitur vulgaris sermo, vt notauit *glos. verbo vulgariter in Clem. 1. de relig. dom.* ibi. Inspicitur elocutio vulgi. Debet etiam sermo intelligi secundum conditionem personæ, ad quam dirigitur, prout dicit *glos. per tex. ibi. in l. Ex militari verbo. vt iure ff. de mil. test.*

In ambiguo sermone non vtrunque dicimus, sed id tantum quod volumus, itaque qui aliud dicit, quod vult, neque id dicit, quod vox significat, quia non vult neque id, quod vult, quia id non loquitur, sic *l. 3. ff. de reb. dub.* de quo vide ibidem *glos. 1. & 2. vide etiam Bald. in l. vlt. ante num. 1. C. de hæred. inst.* vbi sic ait. Nota sermonem, qui sanè non potest intelligi non valere, & allegat *l. Qui plures habebat 18. ff. de vsufr. leg. & num. 18.* sic dicit. Videtur, quod sermo, qui non potest sane intelligi intelligatur abusiuè, & impropriè &c.

In generali sermone nō contineri personā loquentis summat *Bald. in l. Inquisitio 18 C. de solut. Et glosa vlt. in l. Paulus 29 §. vlt. ff. de pignor.* contra, ita ait. Et sic in generali sermone continetur persona loquentis, vt per iura, quæ ibidem affert.

Respiciendus est sermo in stipulationibus verum ne talis est, quem voluero, an quem volam; nam si talis sit quem voluero, cum semel elegerit mutare voluntatem non poterit. Si vero tractum habeat sermo illius, & sit talis, quem volam, donec iudicium dictet mutandi potestatem habebit, sic notat *Pompon. in l. si quis 112. ff. de verb. oblig.* & habes verbo. Electio.

Nec placuit instar habere conditionis sermonem, qui non ad futurum, sed ad præsens tempus refertur, & si contrahentes rei veritatem ignorent, sic inquit *l. si ita 120. ff. eod. tit.* vnde dixit *Bal. in l. Ex his 7. C. de test. mil. ante numer. 1.* quod sermo præsens, vel præteritus, nō conuertitur in futurum.

Licet aliàs sermo manifestet animi qualitatem, vt de eo, qui iussit reliquias suas in mare proijci, dicitur non esse mentis compotem, *in l. Quidam 27. ff. de cond. inst & iuxta illud in cap. Legimus in Esaia fatuus fatua loquitus 93. dist. glos. verbo in verbis in cap. hoc habet 46. dist.* ibi. Ex verbis enim perpendimus alicuius stulticiam, coniunctis his quæ *not. doct. in l. De minore 10. §. Tormenta per tex.* ibi. Plurimum quoque in excutienda veritate etiam vox ipsa &c. & ibi; Nam ex sermone *ff. de quæstion.* Tamen non est nouum, & sæpe videmus, quosdam, & si mentis suæ videbuntur ex sermonibus compotes esse, sic tractare bona ad se pertinentia, vt nisi subueniatur eis deducantur in egestatem, vt per eadem verba dixit *Vlpian. lib 5. de offic. procons. in l. His qui § Diuus Pius ff de tut. & cur.* Perpendat igitur atque mente recogitet quisq; verba & sermones priusquam proferat, nedum effuso sermone se iactat, in promptum incidat sui periculum, vt aliàs dixit *Imp. in l. vlt. ad fin. C. de dot. promiss.*

Plerunque in sermone copiosa est egestas humanæ intelligentiæ; quia plus loquitur inquisitio, quam inuentio, & longior est impetratione petitio, & operosior est manus pulsans, quam sumens, ita inquit *August. lib. 12. confess. cap. 1.*

Seruitus.

NOta tria esse genera seruitutum, quædam a persona personæ debentur, de quibus dicitur *de iur. person. in Inst.* quædam ab vna re alteri rei, de quibus agitur *in tit. de seruitut.* quædã a re personæ, vt vsusfructus, vsus, & habitatio, prout in suis *tit.* continetur. Potest & quartum dici, vt a persona rei debeantur, *vt in l. Titio centum* 70. *§. Titio centum* relicta sunt, vt a monumento meo non recedat, vel vt in illa ciuitate domicilium habeat. Potest dici non esse locum cautioni per quam ius libertatis infringitur: Sed in defunctis libertis alio iure vtimur *ff. de condit. & dem.* prædictam seruitutum diuisionem, ponit *glos. verbo iura in §. 1. de seruit. in Inst. vbi Imp.* enumerat seruitutes prædiorum rusticorum, *& in §. seq.* illas vrbanorum, & de vtrisq; pauca notabimus, cum plenissimus sit tractatus de eis apud Cepol.

Pro regula ponit *Imp. in §. vlt. eod. tit in Inst.* Quod si quis vicino velit aliquod seruitutis ius constituere pactionibus, & stipulationibus facere debet, & potest in testamento id relinquere: sed necessarium est, quod hinc inde prędium adsit. Nemo enim seruitutem potest acquirere vrbani, vel rustici prædij, nisi qui habet prædium: nec quisquam debere, nisi qui prædium habet, *vt per eund. Imp. in §. Ideo autem eod. tit.* Vnde recte diffiniuit *Bart.* seruitutem esse quoddam ius prædio inhærens ipsius vtilitatem respiciens, & alterius libertatem seu ius diminuens *in l. 1. in princ. vers. Quæro ergo quid sit seruitus ff. illo tit. de seruit.*

Potest etiam acquiri seruitus, tempore, vt *per Vlpian. in l. 1 §. Denique ff. de aqua plu. arc.* ibi. Sane enim, & in seruitutibus hoc idem sequimur, vt vbi seruitus non inuenitur imposita: qui diu vsu est seruitute, neque vi, neque clam, neq; precario habuisse longa consuetudine velut iure impositam seruitutem videatur, *vbi glos. diu*, intelligit decem annos, idem *Vlpian. in l. si quis* diuturno vsu, & longa quasi possessione ius aquæ ducendæ nactus sit. ei necesse est docere de iure, quo aqua constituta est (veluti ex legato, vel alio modo) *ff si seru. vend. & notauit glos. verbo subsecerunt in cap. 2. de Iuda.*

Et si quidem attulimus *d. l. 1. in §.* Denique afferamus etiam *in §. anteced. qui incipit sicut vers. sed & si:* alibi a nobis ponderatus *ff eod. tit de aqua plu.* vbi sic ait idem *Vlpian.* Semper hanc esse seruitutem inferiorum prædiorum, vt natura profluentem aquam excipiant. Et in relato §. *Denique* ante verba iam supraproxime transcripta sic. Si tamen lex non sit agro dictam, agri naturam esse seruandam, & semper inferiorem superiori seruire: atq; hoc incõmodum naturaliter pati inferiorem agrum a superiore, compensareque debere cum alio commodo: sicut enim omnis pinguedo terræ ad eum decurrit, ita etiam aquæ incommodum ad eum defluere. Si tamen agri lex non inueniatur vetustatem vicem legis tenere &c.

In summa tria sunt per quæ inferior locus superiori seruit: lex, natura loci, vetustas, quæ semper pro lege habetur, sic concludit *Paul. iurisconsul. in l. 2 ff. eit. tit. de aqu. plu.*

Seruitus partem non recipit, præter vsumfructum, ita dicit *glos. verbo partis in l. Cum filius* 78. *ff. de legat. 2. idem glos. vlt in l. vnic. C. si in com. ead. quæ cau.* ibi. Nam omnis seruitus est indiuidua, præter vsumfructum.

Si per quatuor quinquennia nec vno die, vel ipse, vel hæres eius eadem seruitute vsi sunt, tunc eam penitus amittant viginti ann. desidia: qui enim in tã longo, prolixoque spatio, suum ius mini-

me consecutus est, sera pænitentia ad pristinam seruitutem reuerti desiderat, hæc disponit *l. vlt. C. de seruitut.*

Quo ad seruitutem verò personalem, scias quod duplex datur spiritualis, & corporalis, & de vtraque inquit *Gregor. 12. quæst. 2.* sic. Cum redemptor noster totius conditor creaturæ, ad hoc propitiatus humanam voluit carnem assumere, vt diuinitatis suæ gratia dirupto (quo tenebamur captiui) vinculo seruitutis pristinæ, nos restitueret libertati: salubriter agitur si homines quos ab initio natura liberos protulit, & ius gentium iugo substituit seruitutis in ea natura, qua nati fuerant manumittentis beneficio libertati reddantur.

Relicta igitur illa spirituali seruitute primeua originis nostrę, & nouissima peiore priore, qua quis efficitur seruus peccati actualis ad patres spirituales. Aliqua dicamus de corporali seruitute & personis seruorum.

Est autem seruitus constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur, ita *Florent lib. 9. inst. in l. 4. ff. de stat. hom.* a quo *Imp. deduxit in §. 1. de iur. pers. in Inst.* Vnde *glos. verbo improbe in l. si tibi* 31. C. *de lib. cau.* eam vocauit improbam. ibi. Quia seruitus est improba, cum sit contra ius naturale. Et licet *glos. verbo. seruitutes in cap. Ius gentium* 1. *dist.* dicat quod seruitus sit inducta per ebrietatem, *& in cap. Ita 6. de Iuda. verbo. seruos* addat sic. Seruitutem de iure naturali inductam *per tex. in cap. sexto die* 35. *dist.* ibi. In principio generis humani ignorabatur ebrietas &c. & ibi, Non esset hodie seruitus si ebrietas non fuisset; intelligendæ sunt de altera seruitute,, qua dominio proprij corporis se quis subijcit, non vero de qua agimus, vt clare patet ex proxime relata diffinitione, quamuis *d. glos. verbo seruitutes* aliter respondeat.

Seruitus mortalitati assimilatur, ita dicit *l. Intercidit* 58. *ff. de cond. & dem. & in l. Cum hic status* 33. *§. si donator ff. de donat. int. vir.* ibi. Licet seruitus morti comparetur, *& in Auth. de nupt. §. si vero decretum coll.* 4. ibi. Quoniam præcedentes nos dicunt superuenientē seruitutem non procul a morte differre, & tandem *Vlpian. in l.* 210. *ff. de reg. iur.* ait. Seruitutem mortalitati fere comparamus. Nam seruus pro nullo habetur iuxta *l. Quod attinet* 33. *eod. tit.* Et ideo nec testamentum facere, nec in eo testis potest esse, nec iudex nec arbiter, vtrobique notauit *glos. per iura ibidem allegata maxime in d. l.* 33. vbi etiam ponit limitationes. Quibus adde, quod poterit esse iudex si pro libero habeatur *l. Barbarius ff. de offic. præt. & glos. in cap. sciscitatus* 13. *de rescript.* Et testis esse potest in testamento prout in alijs actibus, vide verbo *testis*, & verbo *Error*. Insuper de his, quæ vidit in seruitute, factus liber, & probat *glos. verbo. Impubes in l. 3. §. 1. ff. de test.* Et aliquando agit, *vt not. glos. verbo. serui in l 1. per tex. ibi. C. si per vim.* Et propter spem libertatis, & hæreditatis aditum ad prætorem, & per se habet, vt dicit *l. Mulier* 22. *§. 1. in fin. ff. ad Trebell.*

Nec etiam miles potest esse iuxta *l. Qui de libertate* 29. *ff. de lib. cau.* ibi. Et licet liber apparuerit: erit exanteratus: castris eijcietur vtique qui ex seruitute in libertatem petitus sit, vel qui non sine dolo malo in libertate moratus est. Si vero seruus transfugerit ad hostes rectissime dicitur etiam ei postliminium esse, scilicet vt dominus in eo pristinum ius recipiat; ne contrarium ius, non tam ipsi iniuriosum sit, qui seruus semper maneat, quam domino damnosum constituatur, ita ait *l. Postliminium* 19. *ad med. ff. de capt. & postlim.* Ex quo *tex.* nota seruo non fieri iniuriam. Sed quid si ab hostibus captus, & a non domino redem ptus institutusque ab ipso redemptore fuerit hæres, erit ne locus

eus iuri postliminij ad hoc, vt dominus pristinum ius habeat in eo? Audi *Vlpian. in l. 70. ff. de acquir. hared.* Si seruum (inquit) quis alienum ab hostibus redemerit, & hęredem eum libertate instituerit: magis puto eum fore liberum, & necessarium hæredem. Nam cum scribit ei libertatem vinculo suo resoluit; & in hoc solum redit iure postliminij, vt non iterum seruus eius fiat, cuius erat antequam caperetur (hoc enim satis impium est) sed pristino domino suam æstimationem omnino offerat, vel maneat ei obligatus, donec pretium soluat, quod libertatis fauore introductum est, *& ibi glos. verbo offerat,* sic. Nec mirum si mihi tenetur, quia & liber redemptus, licet liber sit, tamen tenetur, vel ad pretium, vel ad operas quinq; annorum, vt &c.

Si autem seruo legetur absq; libertate, an legatum valeat? dictum fuit verbo. Hæres vbi agitur quando dominus ipsius serui ei legat, sed si alius qui non est dominus, duo requiruntur, vt legatum teneat, scilicet quod dominus sit capax. Item quod talis res sit legata, quæ possit legari ei libero, vt notauit *glos. in l. 3. ff. de seru. legat* cuius tex. verba sunt. Et si maxime testamenti factio cum seruis alienis ex persona dominorum est: ea tamen, quæ seruis relinquuntur, ita valent si liberis relicta possent valere.

Inter dominum, & seruum propriè loquendo seruitium est, dicit *glos. 1. in reg. Nō est 19. lib. 6.* Licet alias dicat *glos. verbo seruare in §. serui de iur. person. in Inst.* Quod seruus non a seruiendo; sed a seruando dictus sit, & clare probat idem tex. ibi. Serui autem ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent. Tenetur tamen seruus Domino seruire, & eidem operari debet iuxta *l. 3. §. si quis seruum ff. de statul.* Pluribus vero seruire non potest: quia dum ad vtrunque festinat neutrum bene peragit, vt inquit *glos. verbo. In diuersis in cap. 1. de offic. vicar.*

Minus proprie etiam dicitur seruitium inter maiores, & minores. Ordo namque seruiendi est inhumana creatura, vt inferior superiori deseruiat: aliter enim vniuersitas nulla ratione subsistere poterit, nisi ex diuersitate graduum ordo diuersitatem in ea seruaret, vt dixit *glos. verbo seruiendo in extrauag. vnic. de prabend. & glos. vlt. in cap statuimus 15. de maio. & obed.* hic. Nota, quod minores seruitia facere debēt maioribus: hoc intelligo circa seruitia exhibenda in obsequijs diuinorum &c. Alia vero seruitia extra diuinorum celebrationem, facere non tenentur: Sed ipsa ad quæ tenentur, plene adimpleant, non sicut infideles seruientes, vel ministri, qui semper de eo, quod dominis datur decimam, vel aliam quotam subtrahunt, *vt per glos. verbo Absque diminutione in Clement. 1. §. Porro debaret.*

At pauci inueniuntur serui fideles. Dicit enim *glos. verbo Quanto minoris in l. Iulianus 14. ff. de act empt.* ita. Quod si seruus, ergo fur, maximè dapifer: dominis enim suis etiam si nihil aliud possunt, cinerem tamen surripiunt, idem notauit *Apostill. in l Apud antiquos 21. C. de furt. & seru. corrupt* dicens. Est seruus, ergo est fur, vbi affert illud Virgilianum.

Quid domini facient? audent cum talia fures.

Nec enim fures dici non possunt, eo quod dominis, & non alij furantur: Nam fur est non solum qui extraneo, sed etiā qui domino suo furtum facit, vt per *dict. glos. verbo Quanto minoris, ex l. Quod si nolit 31. § 1.* ibi. esse enim hoc in casu furem non tantum eum, qui extraneo, sed etiam eum, qui domino suo res subtraxerit intelligendum est. Licet fur-

nus, & probat *l. pen. ff. deposit.* ibi. Quia seruus in deponendo, suum ius deterius facere non potuisset, *vbi glos.* addit, licet in non quærendo faciat. Si vero seruus rem peculiarē pignori dederit tuēdus est si liberam peculij administrationem habuerit: Nam, & alienare eas res potuit. Eadem & de filio famil. dicta intelligimus, vt disponit *l. 19. coniuncto §. anteced. ff. de pig. act.* Nam quod cum eo seruo contractum est, ita habendum esse atque si cum domino contractum sit, inquit *l. Hæres absens §. Apud Labeonem ff. de iudic.* Et dominus sciens seruum mercari in Republica tenetur tributoria: non tamen requiritur quod velit, sed satis est, quod non nolit, vt dicit *Apostill. ad glos. vlt. in capit. Cum iam dudum* 18. *de præben.* & alias dictum fuit verbo peculium.

Notabis quod quædam cum ipsis seruis, non cum dominis facienda sunt, prout notauit *glos. vlt. in l. Minor 39. §. 1. per tex.* ibi. Denunciare verò de euictione emptor seruo, non domino debet *ff de euict.* Sed regulariter contra est, *vt per eand. glos.* & probat *tex in l. 3 ff. de tab. exhiben.* ibi. Si apud seruos tabulæ fuerint, dominus interdicto tenebitur.

Si seruus communis stipulatus fuisset, perinde habetur ac si ipsi domini sua voce pro partibus stipularentur, ita *l. 42. ff. de damn. infect. vbi glos.* notat sic, vox domini est &c. Sed hæc fallit in duobus casibus, *vt infr. de stip seru l. 2. & ante pen.* Nam seruus communis vicem duorum sustinet, inquit *glos. verbo. Contra in l. Qui hæredi § si duorum seruo ff. de cond. & dem.* Et hac ratione procedit *tex. in l. Si fundum 83. §. Si seruo cōmuni ff de legat.* 1. vbi legatum tali seruo relictum potest ab vno dominorum repudiari pro parte sua, & ab altero acceptari reddens prædictam rationem ibi. Nam in hac re seruus communis quasi duo serui sunt. Si subsistas in illis verbis. (Nam in hac re;) & inferas, quod in alia contrarium erit per optime dices. Quia si seruo communi vnus ex dominis relinquat libertatem, & hæreditatem, poterit alter cogi ad recipiendum pretium partis suæ ne vnus, & idem homo pro parte liber, & pro parte seruus maneat, quod esse poterat si in hoc casu vicem duorum talis seruus haberet. Vnde æquitatis ratio suggerit, vt ipse seruus pretium partis suæ domino offerens, possit & libertatem, & hæreditatem consequi, vt disponit *l. si seruus* 18. *ff. de vulgar.*

Seruum se ipsum non possidere, licet in possessione libertatis esse dicatur, inquit *glos magna prope fin. in l. Si quis C. vnd. vi* Et tamen videtur contrariū *ex tex. in l Peculium* 10. *§ pen. ff. de pecul.* dum de seruis in possessione seruitutis existentibus, ita dicit. Licet enim seruis in suum corpus sæuire. Sed intellige text. ad effectum, vt dominus damnum sibi inflictum ex vulnere illato per seruum ipsimet seruo, non possit de peculio deducere; non autem quod possit de iure seruus in se sæuire, cum nec hoc liceat libero homini, vt notat ibidem *glos. verbo si ipse seruus.* Et vulgare est neminem membrorum suorum dominum esse *ex l. Liber homo* 13. *ff ad l. Aquil. coniuncto cap. si licet* 23. *quæstion.* 5.

Præsumptum est ea mancipia, quæ rudia sunt simpliciora esse, & ad ministeria aptiora, & dociliora: trita vero mancipia, & veterana difficile esse reformare, ita ait *l. præcipiunt* 37. *ff. de ædil. ed.*

Nihil multum a specie seruientium differunt quibus non datur facultas recedendi, sic inquit *l. 3 ff. de lib. hom. exhib.* à qua deduxit *glos. verbo captiuauerit in Extrauag. vnic. de pæn.* ibi. Nam non multum a specie seruorum differunt, quibus non datur libertas egrediendi. Et à contrario potest dici non multum differre a libertate seruum, qui fugitiuus est, vt dixit *glos. verbo abest in l.* 1.

 C. de

C. *de adil. act.* ibi. Et species libertatis est esse fugitiuum.

Seruos in metallum, vel in opus metalli, item in ludum venatorium dari solere nulla dubitatio est, sic *Vlpian in l. Aut facta 8 prope fin. ff. de pan. vbi glos. dubitatio* hic infert. Ergo seruus, fit plus seruus; sed imo alterius duriori seruituti additur, sic excommunicatus potest plus excommunicari, sed infamis non infamari. In libero autem homine non procedere istam *glos. nec l. 1. §. vlt. ff. de bon. poss. c. nt. tab* ibi. pæna quæ seruum efficiat, disponit *Auth. de nupt. § Quod autem prius coll.* 4. ibi. Nos autem hoc curauimus, & nullum ab initio bene natorum ex supplicio permittimus fieri seruum. Neque enim mutamus nos fortunam liberam in seruilem statum, qui etiam dudum seruientium manumissores esse festinauimus, & idem fuit dictum verbo pæna.

Cum scimus nostra iura nolle præiudiciũ generare cuiquam circa conditionem, neque ex scriptura, nisi & ex alijs argumentis aliquod accesserit incremẽtum. Sancimus solam confessionem, vel aliã quamcunq; scripturam ad hoc minimè sufficere, nec adscriptitiam conditionem cuiquam inferre, sed debere huiusmodi scripturæ aliquod aduenire adiutorium. Sic inquit *l. 21. C. de Agric. & cens. lib.* 11. Loquens de seruis adscriptitijs. Multæ namque erant olim differentiæ seruorum: quidam enim erant in dignitate; & quidam ordinarij, quidam vicarij. Alij veterani, alij nouitij, de quibus *glos. & iura per* eam allegata *in §. vlt. de iur. person. in Instit. Verbo, Nulla est.* cui addo, quod alij dicebantur vrbani de quibus *l. seruis vrbanis 96. ff. de legat. 3.* ibi. Dicendum est autem, quod vrbani intelligẽdi sunt, quos pater fam. inter vrbanos annumerare solitus sit &c. sed stante *dict. §. vlt.* in seruorum conditione nulla est differentia, omnes serui dicuntur, Et tanquam quadrupedes existimantur siue quadrupedes seruis exæquantur apud *Caium in l. secunda ff. ad l. aquil.* ibi. Vt igitur apparet, seruis exæquat quadrupedes.

Vnde clarius apparet verissimum esse, quod supra dicitur, contra naturam fuisse seruitutem inuentam, cum natura omnia subijcieri sub pedibus hominis oues, & boues vniuersas insuper, & pecora campi, & seruitus ipsa pecora exæquat homini. Vides quam magna sit infelicitas, seruum esse? Non igitur mireris si quamplurima inuenias iura pro fauore libertatis inducta.

Sed adhuc altera infelicior seruitus est, de qua supra dicebamus; nam cum hæc sit spiritualis, & voluntaria peior, & turpior iudicatur iuxta illud *Senec. Epist. 47. sup. cit.* vbi sic. Nulla seruitus turpior est, quã voluntaria. Alius libidini seruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori &c. Nec in hac deficit illa exæquatio quadrupedum, vt testatur Psalm. 48. ibi. Et homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Dirumpamus ergò vincula seruitutis huius. Et de modis, quibus altera seruitus soluitur, dicamus.

Nouem modis posse solui seruitutem, & libertatem præstari dicit *glos verbo. Additis in §. vlt. de libertin. in Inst.* quos ibidem enumerat. De seruo infirmo & a domino reiecto, sic ait *l. 1. §. Sed scimus C. de lat. lib. toll.* Quem enim a sua domo, suaque familia publicè repulit, neque ipse eum procurans, neque alij commendans, neque in venerabilem Xenonem mittens, neq; consueta præbens salaria, maneat ab eo eiusque substantia penitus separatus, *& glos. verbo Apprehensus in l. Quod seruus 36 ff. de stipul. seru.* sic. Quia non hoc ipso, quod pro derelicto habetur, est liber &c. Nisi esset languens.

Etiam eum seruum, quem dominus actis

interuenientibus filium suum nominauerit, liberum esse constituimus, licet hoc ad ius filij accipiendum ei non sufficiat. Sic disponit *Imp. in §. vlt. de adopt. in Inst.* & ibidem *Apostill.* ita. Idem si huiusmodi verba blanda, & adulatoria proferantur in testamentis, quia disponunt *l. Paulus §. Paulus ff. de fideic. lib.* Enunciatiua autem an debeant verificari, vt puta si dicatur filium, vel fratrem instituo hæredem? vide hic *per Ang.*

Sed quæri potest an talis, vel quilibet alius, cui detur aut relinquatur libertas, noluerit eam acceptare, an inuitus cogatur ad eam? Et videtur, quod non ex vulg. iuris regulis dictantibus, in inuitum non conferri beneficium, & quælibet ea, quæ pro eo introducta sunt, posse renuntiare. Sed contrarium tenendum, & pro regula constituendum tenet *glos. verbo. Nemini in l. vlt. C. de testa. manum.* ita dicens. Nota regulam, quod serui inuiti libertatem consequuntur, vt hic & *ff. de hæred. instit. l. Si vero in* §. 1. Sed fallis hoc casu, quem ponit hæc lex, quam videas, & prædictam *glos.* vbi alium ponit casum *ex l. Sed alienare ff. de fideic. lib.* Vnde in prædictis terminis si sciens aliquis seruum esse liberum, & eo vt seruo vteretur iniusta seruitute vti dicendum est. Quia non potest videri iusta seruitute seruisse illi, qui illum liberum esse non ignorabat, vt inquit *l. Si Stetius* 34. *ff. de stip. seru.*

Neminem ex seruitutis actu post libertatem teneri, ait *l. Aurelius* 29. §. *stich. ff. de liberat. legat.* & *glos. verbo teneri in l.* 1. *ff. Si quid in fraud. patr.* ibi. Quia ex eo, quod seruus fecit, non tenetur factus liber. sicut, & e contrario, sicut non solet ei proficere si quid in seruitute egit post libertatem, vt inquit *l. Et suum* 8. *ff. de pact.* Quod limitabis iuxta *l. Tutorem* 38. *ff. de admin. tut.* ibi. Sicut seruus institor dominicæ mercis; si liber factus in eodem actu perseueret (quamuis tempore seruitutis obligari non potuerit) præteriti temporis nomine, actione *negot. gest.* non inutiliter conuenitur, earum scilicet rerum, quæ connexam rationem, cum ijs, quæ postea gesta sunt, habuerunt & ponit *Vlpian. lib.* 25 *ad ædil. edict. in l.* 16. *ff. de negot. gest.* in hæc verba. Eum scilicet quem quis in seruitute egit, manumissus non cogitur reddere. Plane si quid connexum fuerit, vt separari ratio eius, quod in seruitute gestū est, ab eo, quod in libertate gessit, non possit, constat venire in iudicium, vel mandati, vel *negot. gest.* & quod in seruitute gestum est &c.

Seruum liberum factum non recipere iniuriam a suo patrono dixisti verbo Domi. nus.

Per ingratitudinem posse libertum iterum in seruitutem redigi, dicitur *in capit. Octaua discussio* 12. *quæst.* 2. ibi. Talium enim status, qui contra Episcopum suum, vel patronum Ecclesiæ nituntur decidi potius, quam conseruari conuenit: vt quorum libertas perniciosa est, sit salutifera seruitus: & qui superbire voluerunt, adepta libertate, prodituri discant obedire subiecti.

Seueritas.

Licet hæc commendetur *in Clem.* 1. §. *Quia vero in fin.* ibi Seuere corrigere non omittant *de stat. Monach. glosa verbo: Multitudini in cap. vlt. de transact.* ibi. Seueritas autem exercenda est in peccata &c. Tamen tenendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis; Syncera charitas subueniat, vt inquit *tex. in cap. Ipsa pietas ad fin.* 23. *quæst.* 4. quæ verba transcripsit *glo. verbo, Seueritati in d. cap. vlt.* Quod maxime in multitudine peccantium procedit iuxta *capit. Dilectus* 30. *de Si-*

mon. ibi. Dubitas igitur, an quia multitudo reperitur in causa seueritati sit aliquid detrahendum? & ibidem *glosa verbo. Multitudinem*, sic. Propter multitudinem detrahendum est seueritati &c. Et interdum (consideratis locorũ & temporum qualitatibus) seueritati est aliquid detrahendum, vt dicit *cap. Super eo 51. de sent. excom.* Idem propter defectum ætatis, in qua commissus dicitur error, & excessus, rigor, & seueritas, mansuetudine temperanda est, *vt in capit. vlt. eod. tit. de sent. excomm.* *vbi glos. vlt.* sic. Rigor iuris temperatur, quandoq; ratione ætatis &c, quandoque ratione locorum, & temporum &c. quandoque ratione personæ, & causæ, & loci, & temporis &c, quandoque ratione multitudinis.

Sed caue tibi, (maxime si iudex fueris) quod nec seueritatem, nec clementiam pro gloria affectes, prout consulit *Iurisconsult. in l. Respiciendum 11. ff. de pan.* ibi. Nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est.

Sigillum.

HAbet vim consensus, & confirmationis, ita dicit *glos. vlt. in capit. 1. de pac. Const.* & ante eam notauit altera *glos. vlt. in l. 2. C. de reb. alie. non alienan.* ibi. Ergo si sciuit, apponendo sigillum videtur habere ratum: Nam tex. ait, Distrahente marito rem tui iuris, si consensum ei non accommodasti. Licet sigillo tuo venditoris instrumentum fraude conquisita signaueris, cuiusmodi tamen commentum emptori, vsucapione non subsecuta, vel longi temporis præscriptione minime munito, nullam præstitisse securitatem potest, Sine litteris tamen mutus, & incertus testis est sigillum: & ideo per solius sigilli præsentationem non probatur cõmisso, quia sigillum est res inanimata &c. vt per eandem *glos. vlt. in capit. 1. citato*.

Sed quod dicimus sigillum authenticum? quærit *glos. vlt. in cap. 2. de fid. instr.* Et in hunc modum respondet. Dicitur sigillum Episcopi, & ei creditur, dummodo contrarium non ostendatur &c. Itẽ sigillum Capituli &c. Item sigillum alicuius principis secularis, cui creditur de consuetudine &c. Et talis scriptura dicitur authentica. *Et glosa verbo dimidia in cap. Inter dilectos de fid. instr.* sic. Ad hoc enim, vt sigillum sit authenticum debent apparere character, & orbita &c.

Cum vero sigilla ignota sunt; tunc eis non est standum, nisi sint quinque aut amplius. Si vero obfuscata sunt, sunt suspecta; tunc enim remittuntur ad consignatores vt agnoscant sigilla sua. Et si quis non agnoscat sigillum suum, non ideo vitiatur, sed suspectum habetur instrumentum. Cum vero sigillum notum est, tunc creditur talibus litteris etiam in præiudicium alterius, sic ait *gl. magistra* verbo ignota *in cap. Quod super 7. de fid. instr.*

Posse quem alieno sigillo signare Geur in testamento notauit *glosa verbo alterius in capit. Si canonici 2. de offic. ord. lib6.*

Silentium.

ESse cultum iustitiæ refertur *ex Isa. 32. in cap. In loco 4. quæst. 4.* ibi. Cultum enim suum iustitia perdit quando silentia iudiciorum obstrepentium turbo confundit; dicente propheta: Erit cultus iustitiæ silentium &c. & notauit *gl. verbo cultus in cap. 2. de immun. eccles. lib.6.* ibi. Nam erit cultus iustitiæ silentium, Et maximè in Ecclesia, vbi prohibetur confabulari, vt in prædicto tex. & dixisti verbo Ecclesia, quod Caius consulatu Galliæ, & Scipio consulatu Corsicæ priuati sunt, quia parla-

menta

menta faciebant in templo *ex Valer. lib. 3. cap. 1. refert glos. verbo parlamenta in addit. d. cap. 2.*

Notabis tamen, quod aliquando erit mortale silentium, vt in rectore, prædicatore, gubernatore, patrefam & similibus reticentibus, & non increpantibus, quæ dicere, & arguere tenentur. Vnde *Gregor. cap. 15. sui past. relatus in cap. 2. dist. 43.* sic ait. Sit discretus in silentio, vtilis & cautus in verbo: ne aut tacenda proferat; aut proferenda reticescat: nam sicut incauta locutio in errorem protrahit; ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt; & iuxta veritatis vocem nequaquam gregis custodiæ, pastorum studio; sed mercennariorum vice deseruiunt; quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per prophetam Dominus increpat dicens *in Esai.* canes muti non valentes latrare &c. Pastorem enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quam tacendo terga præbuisse &c. quæ videas omnino in materia.

Silentium posse imponi per Iudicem admonitione secundo facta dicit *glos. verbo admonitus in Auth. de hered. & falc. §. Si quis autem coll. 1.* & per alia iura, quæ allegat. Sed ipsa glos. tenet, quod iuxta terminos illius tex. sufficit sola prima monitio ibi. Sed ego contra, nam dico, vnam admonitionem sufficere, vt hic, & quod dictis legibus bina exigitur, est ideo; quia maior pæna imponitur, cum incontinenti relictis priuetur hic post annum, vt &c.

Cæterum quod iudex ob iustam causam possit silentium imponere actori, notat *Paul. Castr. in sum. l. Si contendat 29. ff. de fideiussor.* vbi etiam *Bart.* Et quod etiam lite non contestata possit imponi *Bald. in tit. de pac. Constant. §. Si quis autem.*

Simile.

Est, quod idem est, dicit *glosa Azon. verbo similem in l. Qui liberis 8. ff de vulg per tex. in fin.* ibi. Cui similis est, & hæc substitutio, &c. habet enim in se eandem conditionem similem superiori. Sed *glos. verbo. Quemadmodum in l. 1. ff. quod iuss.* in contrarium, sic ait. Nam si est simile, vt hic, ergo non est idem, cum nihil sit id, cui ad ipsum simile est: *& glos. verbo consimili in cap. Capitulum sanctæ Crucis 30. de rescript.* ibi. Quia si consimile, ergo aliud, & non idem, quia nihil est idem, cui simile est, *& glos. verbo. A reo in l. 3. §. vnic. ff. de duob. re.* ibi. Cum nihil sit idem ei, cui simile est. Et Philosophi aiunt. Vnde dicit *Boeth. sup. Topic. Tul. lib. 3.* quod similitudo est rerum singularium, vel differentium comparatio: & sic in illa non requiritur, quod res tota sit toti rei similis. Idem tenet *Abb. in cap. translato num. 3. de constit. & Bart. in Extrauag. ad reprimendam verbo. Prout in princ.* ibi. Similitudo est circa diuersa &c. Nihil enim est simile sibi, vt sit similitudinarium non expressiuum veritatis, vt inquit *glos. verbo tanquam in capit. Solitæ 3. de maior. & obed.* Ad hoc autem vt intelligas prædicta, vide *Felin. in dict. capit. Capitulum de præscript.* vbi tradit triplicem esse similitudinem, scilicet, identitatis, imitationis, & similitudinis. Et quod quatuor modis potest esse vna causa alteri similis, & alia curiosa de materia.

Nota quod procedendum est de similibus ad similia, vt *Sup. de legib. l. Non possunt*, ita *glos. verbo qua actione in l. Ex facto 31. ff. de negot. gest. & glos. verbo. non cessit in l. vlt. ff. com. præd.* ibi. Si aliquid statuitur, idem & in eo, quod est

Ee

ei simile statuendum est. *Et in l. Loci §. Si funaus ff. si seru vendit. verbo procuerit* b. Quod statuitur in vno, & in eius simili, *& in cap Dudum 14 verbo Idem de personatibus de elect.* ibi. *Arg.* quod de similibus idem debet esse iudicium &c. Similis enim æquitatis ratio, similia iura suadere videtur &c. Et quoties ex vna radice vitium nascitur, consequens est, vt eadem lege tollatur, *& tex. in cap. Inter corporalia de translat. Episc.* ibi. Cum de similibus idem iudicium sit habendum, *vbi glos & cap. 3 de Stat. Monach.* ibi. Quia dignum est, vt qui similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. Nam propter similitudinem computatur quis in eorum numerum, in quorum numero in veritate non est, vt dicit *glos. verbo. Conferendum in cap. Beneficium 4. ad med. de regular. in 6.* Et ideo dissimilitudo habitus non permittitur in eodem monasterio, vt habes verbo *habitus*. Nec potest dici simile, vbi est aliqua dissimilitudo, vt per *glos. verbo. Curam animarum in capit. Non potest 21. de præb. lib. 6.*

Insuper nota quod sicut trahitur de similibus ad similia ius scriptum, sic & non scriptum, prout notauit *glos. in l. 1. C. quæ sit long. consuet.*

Prædicta *glos. curam animarum* in proximè citato *cap. Non potest* ponit etiam hæc. Verbum simile in indulgentia positum, gratiosè interpretandum est &c. Sed hic contra &c. Similitudo enim, de qua fit mentio in indulgentia non ad species, sed ad genus refertur, & sufficit qualitercunque curam habeat, cum talis indulgentia velut ambitiosa sit restringenda.

Vnusquisque dum hominis amicitias appetit, cuiuscunque alterius similem sibi ducentis vitam consortio vt plurimũ se adiungit. ita *in cap. Nerui post princ. 13. dist. & in capit. Transmissam de elect.* sic; Consimilium sibi manus associant. Sicut a contrario abhorret natura communionem dissimilium, vt inquit *Ioseph. lib. 4. antiq. capit. 8. numer. 40.*

Simonia.

A Simone mago dicta, vt tenet *Abb. in cap. Et si Christus num. 11. de iu. iu.* per *tex.* ab eo allegatum, quem non inueni, bene verum est, quod in *cap. Quisquis cum seq. cum glos. vlt. 1. quæstion. 1.* de hoc Simone agitur, & ait *dict. capit. Quisquis* illum fuisse primum, qui hoc commisit piaculare flagitium; sed *in capit. Qui studet* nominantur alij duo priores Simoniaci in hæc verba. Nam Spiritus sancti donum prætio comparari quid aliud est, quam capitale crimen, & Simoniaca hæresis? Quod quã detestabiliter in vtroque testamento vindicatum sit, multorum exemplis facile apparet. Giezi enim gratiam sanitatis Naamam Syro vendidit, eandem gratiam sanitatis, Eliseo vindicante, leprosus factus, amisit. Iudas omnium redemptorem vendidit, mox laqueo suspensus eandem redemptoris gratiam non obtinuit, & meritò: quia nemo potest retinere quod vendidit. Simon etiam magus cum eandem Spiritus sancti gratiam emere vellet, damnationis sententiam a Petro audiuit.

Siue igitur a Giezi, siue a Iuda, siue à Simone ortum habuerit, hoc maledictum piaculum, vnum est quod inter maiora, maius omnibus reputatur *a Paschali Papa in cap. vlt. 1. quæst. 7.* dum ita ait. Patet Simoniacos veluti primos, & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos: & si commoniti non resipuerint ab exteris etiam potestatibus opprimendos; omnia etiam crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur. Vnde notauit *Panorm. in rubr. de Simon.* quod tra-

tractaturus auctor de criminibus præmisit de Simonia tamquam de maiori. Et secundum eundem sic definitur Proprie Simonia est voluntas studiosa, vel cupiditas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Et dixi voluntas, vel cupiditas: quia spiritualia vendi non possunt: sed ex voluntate sola vendēdi, vel emendi egressa tamen ad actum committitur Simonia, quod satis probatur 1. *quæst.* 1. *si tat. & fere per tot. tit. de sim. & in cap. Quæsitum* 5. *de rer. permut.* ibi. Pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continent Simoniæ. Sed & preces de quibus *in cap. Per inquisitionem* 26. *de elect.* inducere posse Simoniam dixit ibidem *glos. verbo solicitasse* in hæc verba, Et preces huiusmodi importunæ inducere videntur Simoniam. De precicibus sordidis est *tex. in cap. Si quis neque dict.* 1. *quæst.* 1. ibi. Iniusto cordis amore: vel sordidis precibus oris, siue comitatu, siue manuali seruitio, siue fraudulento munusculo &c.

Erga Simoniacos nullam misericordiam indignitate seruanda, habendam esse decreuimus: sed iuxta Canonum sanctionem, & sanctorum patrum decreta eos omnino damnamus: ac deponendos authoritate Apostolica sancimus; ita *Alex.* 2 *in cap. Erga eit.* 1. *quæst.* 1. & ibidem additur sic. Subaudiendum est: nisi violenter attracti fuerint. Sed contra videtur, quod possit cum Simoniacis dispensari, vt dicit *glos. verbo, Nequeat in cap. Post translationem* 11. per iura, quæ allegat *de renunciat.* tu eam vide, quæ magistra est.

Modicam rem non inducere Simoniam, dicit *glos. verbo minus competens in cap. pen. de rescript.* Sed videtur contra *dict. cap. siquis neque* supra proxime citatum ibi. siue fraudulento monusculo.

In his, quæ à iure præcipiuntur, posse licite pacisci etiam inspiritualibus, sine labe Simoniæ, inquit *glos. verbo renunciantes in cap. Ad audientiam* 31. *de rescript. & allegat capit. Eleutherius* 18. *quæst.* 2 *& cap. significasti de elect.*

Pro redimenda iniusta vexatione posse dari aliquid sine peccato probat *glosa verbo redemptione in capit. Quæsitum* 1. *quæst.* 4. ibi. Dici enim potest, quod vbicunque quis scit aduersarium suum non credere se ius habere, redimat vexationem suam, *& glos. verbo. Illicita in cap. Cum pridem* 4. *de pact.* ibi. Si vero cum ius habeo dedero tibi pecuniam redimendo vexationem meam non peccabo &c. & prosequitur Arg. est contra *infr. de Simon. capit. Matthæus.* sed ibi data fuit pecunia his, qui ius habebant in electione &c. de quo videas etiam *Abb. in dict. Matthæus* vbi distinguit, quod pro iure quæsito id licitum est, non vero pro iure quærendo licitum est dare pro redimenda vexatione iniusta.

Simplicitas.

Duplex in homine potest esse, aut enim est simplicitas, idest animi puritas, quæ est dolo, & machinationi cōtraria, & ista approbatur a iure, & legibus, de qua agit *l. vlt. §. Tales C. de furt. & seru. corrupt.* ibi. In tanta rerum difficultate simplicior sententia placuit, *vbi glo. notauit* dicens nota simplicitatem placere legi. Et *in §. Sed quia de fideicom. hered. in Inst.* ibi. Et nobis in legibus magis simplicitas, quam difficultas placet, & in *§. Cæterum de legit. Agnat. success.* ibi. Sed simplicitatem legibus amicam amplexa. Coniuncta *glos. vlt. in cap. vlt. Episc. vel Abbat. in vsi. feud.* De eadem dicit Papa *Clem* 3. *in cap.* 14. *de iure iur.* Veritatis amica Simplicitas. Huic parcitur iuxta *capit. pen. de rer. permut.* ibi. Vt tamen simplicitati venia tribuatur, & ibidem *glos.* sic. Cui

par-

Digitized by Google

parcendum est; & *in cap. Tanta 1. quæstion. 7.* ibi. Sed quoniam simplicitatem tuam cum senectute cognouimus, interim tacemus. Subuenitur que ei *in l. 1. ff. de dol.* ibi. Ne vel illis malitia sua sit lucrosa, vel istis simplicitas damnosa, & *glos. verbo simplicitatem in cap. super litteris 20. de rescript.* ibi. Simplicitati subuenitur &c. Et ibi nec obest, quod per simplicitatem omissum est &c vbi arguit, & soluit. Facit etiam celebris illa *l. Cum de indebito ff. de probat.* ibi. Sin autem is, qui indebitum queritur, vel pupillus, vel minor sit, vel mulier, vel fortè vir quidem perfectæ ætatis, sed miles, vel agricultor, & forentium rerum expers, vel alia simplicitate gaudens, & desidiæ deditus, tunc eũ, qui accipit pecunias ostendere benè eas accepisse, & debitas ei fuisse solutas, & si non ostenderit ei redhibere.

Est & altera simplicitas, quæ dicitur aduersa esse discretioni, & talis, quæ potius dicitur fatuitas; & hęc a legibus reprobatur, vt *in l. 3. §. vlt. ff. de suspect. tut.* ibi. Vel inertiam, vel simplicitatem remotus sit. Et melius *in l. vlt. C. arbitr. tut.* ibi. Neque enim sic homo simplex (imo magis stultus) inuenitur, vt in publico inuentario scribi contra se aliquid patiatur. De vtraque sic dicit *glos. verbo. Simplicium in Extravag. vlt. de verb. sig.* Quædam est in homine simplicitas, idest animi puritas quæ est dolo, & machinationi contraria & talis simplicitas etiam iure approbatur &c. Et amica legis dicitur &c. Est alia simplicitas, quæ dicitur aduersa esse discretioni, & talis, cum potius dicatur fatuitas, non approbatur &c. idẽ *glos. in d. §. Sed quia de fideicomm. hæred.* ibi Intellige de simplicitate, quæ est contraria fraudi, non autem de fatuitate, quia illa est damnabilis &c.

Reprobatur etiam simplicitas in promouendo; & in magistro, vt probat citata *glos. verbo. Simplicitatem in dict. cap. super literis 20. de rescript.* In seruis autem approbatur: nam (*vt supra verbo, Seruus* notasti) Ea mancipia, quæ rudia sunt, & simpliciora, administeria aptiora, & dociliora sunt, quam trita, & veterana *ex l. præcipiunt 37. ff. de ædil. ed.*

Per tabellionis simplicitatẽ non fieri præiudicium partibus, dicit *glos. verbo simplicibus in l. vlt. C. de fideiussor. per tex.* ibi. Vt nec simplicitas suscipientium contractus, & quacunque causa possit ius creditoris mutilare.

Simulatio.

MVltiplex esse potest. Nam quædam dicitur simulatio nihil agentium: quia simulãt simul aliqnuid agere, & illud non intendut agere. Et de hac dicit *Vlpian. lib. 1. ad edict. ædil. Cur. in l. 55. ff. de contrah. empt.* sic. Nuda, & imaginaria venditio pro non facta est; & ideo nec alienatio eius rei intelligitur, & ibidem *glosa nuda*, ait, quia fingit vendere cum non vendat, nec tamen agit, vt valeat tanquam donatio, quia tunc fieret alienatio ex causa donationis &c. & *Modestin. lib. 5. regul in l. 53. ff. de act. & oblig.* ita. Contractus imaginarij, etiam in emptionibus, iuris vinculum non obtinent, cum fides facti simulatur non intercedente veritate. Altera est simulatio aliquid agentium, vt quia in veritate est pignus, & simulatur venditio, de qua dicitur *in l. 3. C. plus val quod agit.* sic. Emptione pignoris causa facta, non quod scriptum, sed quod gestum est, inspicitur, coniuncta *glos* ibi. Simulauit creditor emptionem, & sic fecit fieri instrumentum, cum esset pignus &c. Est etiam alia simulatio aliter agentium circa eundem actum, vt si est actus conditionalis, simulatur purus, vel contra. Et in

in omnibus semper habet regula locum quod non valet simulatio iuxta prædictum *tit. plus val. quod ag. quam quod simulate concipitur*. Aduertas tamen, quod simulatio non dicetur, si habeat in se obligationis substantiam, *ut in l. 6. C. si certi pet.* Si ex pretio (inquiunt Impp.) debitæ quantitatis, facta nouatione per stipulationem vsuras licitas ab eo contra quem supplicas, stipulatus es, falsa mutuo datæ quantitatis demonstratio præmissa, cum obligationis substantia non defecerit, quominus vsque ad modum placitum vsuræ possint exigi, nihil nocet. Si vero citra vinculum stipulationis tantum mutuam pecuniam datam scriptum est, & eius præstari fœnus conuenit, simulatis pro infectis habitis, huiusmodi placitum nihil de præcedenti mutauit obligatione.

Interdum non dicitur simulatio: sed error est scribentis *ad l. Errore ff. de testam.* Interdum etiam non dicitur simulatum instrumentum, sed falsum in quo partes non interfuerunt, *vt C. de contrah. & com. stip. l. Optimam in fin.* Et in omnibus prædictis, nec simulatum, nec falsum aut erroneum præsumitur instrumentum, sed verum, *vt in l. Cum precibus 18. & ibi Bald.* (a quo omnia supradicta deduxi) *C. de probat. vbi in fin.* sic. Adde quod quandoque est simulatio in personis: & veritas in actu: vt quando vnus tacite recipit instrumentum pro alio, & talis actus in se valet: quia verus, & ex eo acquiritur ius veræ personæ, non fictæ *l. 4. §. si ab ignoto ff. de manumiss. l. vxor marito ff. de don. int. vir. l. si non virum & l. si filij tui C. eod. tit.*

Nec talis simulatio veritatem minuit, *ait l. Nec omissa C. de lib. cau. & in l. 2. C. plus val. quod ag.* ibi. Acta simulata veritatis substantiã mutare nõ possũt.

Dicitur etiam simulatio, quando quis insidiose obscure loquitur, & in ea dolum esse, ait *text. in l. Ea, quæ commendandi 43. ff. de contrah. empt.* ibi Dolum malum a se abesse præstare venditor debet: qui non tantum in eo est, qui fallendi causa obscure loquitur, sed etiam, qui insidiose obscure dissimulat.

Simulata æquitas est duplex iniquitas: ratio est, quia malum facit, & abutitur bono *ex D. Greg. tradit glos. verbo. sanctitatis in Clem. 1. de Relig. dom. vbi Apostill. ex Aug.* sic. Simulata humilitas est maior superbia.

Affectum nostrum sine simulatione præbere debemus, inquit *Isidor. lib. 2. Solilog.* Nam simulatio, & adulatio duæ virulentissimæ pestes sunt, vt ait *Cassiodor. lib. de amic.*

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus,
Tu quoque fac simile, sic ars deluditur arte.

Ex Caton. tradit glos. verbo arte in Auth. de exhiben. re §. Illud quoq; coll. 5. verbis ergo prædicta simulatio permittitur & ita tenuit *glos. verbo. Simulauit in cap. 1. de ijs, quæ vi,* & ponit argument. contra sicque soluit. Dolus, fraus, & simulatio sunt nomina reatus, qui nunquam permittitur a Canone: quia qui peccat, non peccat legis authoritate &c. qui peccat aliquando vulgari consuetudine denominat actus legitimos, & tunc permittuntur &c. Et sic simulatio boni quandoq; bona est, vt hic quandoque mala, vt hypocrisis &c.

Nocet simulatio quandoque: nam licet quis confiteatur in instrumento dotali recipisse plura quam recepit, & possit non recepta repetere iuxta *l. 4. C. de dot. promiss.* tamen si animo simulatorio id fecit non poterit repetere, vt ibidem notauit *glos. verbo petendis*.

Præsumptio simulationis probatur: non tantum ex actibus præcedentibus, sed etiam ex sequentibus, vt notauit *Apostil.*

still. per tex. ibi in supracitata l. Si filij tui 16. C. de donat. int. vir. ex Salicet. ibidem. Et in tribus casibus, de quibus in l. Ab Anastasio C. mand. Non solum præsumptio, sed & probatio simulationis datur cum iuris sit præsumptio,

Syndicus.

Differt ab œconomo, & ab actore: Nam œconomus tantum ab Episcopo constituitur, & in rebus Ecclesiasticis, vt C. de sacros. Eccles. l. Iubemus lo a. At Syndicus pro qualibet vniuersitate, & pro pluribus tantum: vt patet ex interpretatione nominis, cui deseruire debemus; nam dicitur Syndicus quasi singulorum causa dicens. Actor autem in vna tantum causa dicitur, licet Syndicus ad omnes. Item actor etiam ab vno constituitur quandoque, & quandoque ab vniuersitate, ita ponit glos. verbo Syndicum in l. 1. §. Quibus ff. quod cuiusque vniuers. Et quod Syndicus dicatur, quasi causas singulorum dicens, tradit etiam glos. verbo finito in cap. Priuilegia de pac. Constant. glosa vero verbo oeconomus in capit. 4. de iur. iurand. ita ait, Et idem est oeconomus, quod Syndicus, siue procurator, vel actor in causa vniuersitatis &c. Nec contradicit; quia vult, quod quo ad effectum idem est; Nam id, quod facit oeconomus ab Episcopo constitutus, idem facit Syndicus collegii, seu vniuersitatis.

Notabilis est glos. verbo liberatur in l. Si non sortem 26. §. Qui filio ff. de condict. indeb. dū ex eodem sic deducit Argum. ad quæstionem Monachi fugitiui, vel Syndici quondam accipientis mutuam pecuniam, quod Abbas teneatur &c.

Socius.

A Sequor sequeris dicitur. Vnde dicunt, quod socius propriè in periculo, collega in officio, comes in itinere, consors in præmio, sodalis in mensa vel in sede. Sed nos Iuristæ dicimus socium in crimine, in Ecclesia, in ordine, in via, in coniugio, in lucro. ita glos. verbo defensauerit in Clem. 1. de pen.

De Socio in crimine dicit l. 1. §. Planè ff. de tut. & rat. distr. ita, Nec enim vlla societas est maleficiorum, vel iusta communicatio damni ex maleficio

De eodem Augustin. in cap. Ita 23. quæst. 4. sic ait Ita planè sociatur quis malis, si mali aliquid cum eis committit, aut co nmittentibus fauet. Si autem neutrum facit nullo modo sociatur. Intellige fauere etiam eum, qui cum possit prohibere, non prohibuit, vt in cap. Constitutus 45. de testib. ibi. Quia verisimile non videtur, vt eo inuito talia fierent, & ob hoc non caret scrupulo societatis occultæ, eo quod si voluerit, poterit prohibere.

De Societate in Ecclesia agitur in cap. 1. §. 2. de stat. regul. lib. 6. ibi. De monasterio cum honesta, & decenti societate exire poterit, vbi glos. not. verbo Societate dicens, valet enim societas ad suspicionē tollendam, iuxta cap. Diffinimus ibi. Cum quadam vetula &c. 18. quæst. 2. &c. Et addit sicut, & ad informationem morum iuxta cap. Omnes ætas ibi. Vt si qui impuberes, aut adolescentes in clero existunt omnes in vno conclaui commaneant; vt lubricæ ætatis annos non in luxuria; sed in disciplinis Ecclesiasticis agant &c. 12. quæst. 1. Et si plura alia iura vis, vide citatam glos. verbo defensauerit, vbi de omnibus, & singulis societatibus allegat.

De societate verò in lucro, scis bene, quod

non solùm in eo, sed etiam in damno intelligi debet: nam societas tunc dicitur quando lucra, & damna communicantur, vt dicit *Bart. in l. vnus in princ. ff. pro soc.* Et hæc potest esse non solum vnius rei, aut negotiationis, vt ait *Vlp. in l. societas 5. ff. pro soc.* sed etiam omnium bonorum. Verum ista non nisi expresse contrahitur iuxta *l. 3. vers. Cum specialiter* omnium bonorum societas coita est *ff. pro soc. vbi glosa specialiter*, explicat id est expresse per alia iura, illa vero simpliciter contracta est *l. coire 7. eod. tit.* & notauit eadem *glos.* quæ licet dicat in contrariũ esse *l. Quæsitũ 8. & l. seq.* dum videntur probare omnium bonorum censeri simpliciter coitam societatem, tamen, vt ex eis apparet, tale quid non probant. Sed eadem *l. Coire* ibi. Et si non fuerit distinctum, videtur coita esse vniuersorum, ad quam facilis est responsio, explicando illud, vniuersorum, scilicet quæ procedunt ex illa negotiatione speciali super quam coita fuit societas, quod probat altera *glos. verbo. Initum: in l. si fratres 53. §. Idem Papinian. 6. eod.*

Ius fraternitatis societatem habere, dixit *glos. verbo. Nullo pacto in l. Pupillus 24. ff. quæ in fraud. cred.* & ante eam *Vlpian. lib. 31. ad edict. in l. verum 64. ff. pro soc.* ibi. Cum societas ius quodammodo fraternitatis in se habeat, & ibidem *glos.* sic. Quia socij inuicem, vt fratres se diligunt.

Vnde propter hoc ius fraternitatis, seu societatis multa proueniunt. Nam quod communiter socius habet, & id alterum socium habere iure constat, vt inquit *l. Si is, qui 4. ff. de serui. legat.* Etiã si incapax sit iuxta *l. si is, qui 30. ff. de lib. legat.* ibi: Quod si socij sint propter eum, qui capax est, & ille capit per consequentiam liberato eo per acceptilationem, vbi notat *glos.* ita dicens. Et sic nota, quod habet per alium quod per se habere non potest.

Insuper si quis forte ex ijs, quibus communiter à principe aliquid donatum sit, nullo herede relicto decesserit, ad consortem potius, quam ad personam aliam pars decedentis perueniat, vt per prædicta verba disponit *l. vnic. C. si liberal. imp. soci. lib. 10.*

Sicut & à contrario, quod vni socio nocet, & alteri nocere certum est *l. 4. §. Nunc de effectu ff. de lib. legat.* ibi. Alioqui dum a conreo meo petitur, ego inquietor, *& in l. pen. ff. de duob. re. inquit Pompon.* Ex duobus reis eiusdem stichi promittendi factis, alterius factum alteri, quoque nocet per quem tex dixit *glos verbo vnicuique in l. In condemnatione 134. ff. de reg. iu.* quod socij mora, socio nocet. Et est regula certa, vt socius communicet cum ob rem communem ad socium, siue damnum, siue lucrum peruenerit *l. si in re communi 19. ff. de noxal. act.* Et quod facta socij omnium bonorum, nocent alijs, probat *glos. ex iuribus; quæ ibi verbo auctorem in l. si per imprudentiam 51. ff. de euict.*

Socius potestatẽ Sylua, vel alia re communi etiam socio inuito, dummodo in eum vsum in quem est, ita *glos. verbo. Nauigetur per tex. ibi. in l. Arboribus 13. ff. de vsufr.* in illis verbis; Nauis enim ad hoc paratur, vt nauigetur. Si vero socius vult licitare in re communi vilius quam valet admittetur extraneus ad licitationẽ, vt dictum fuit *verbo Licitatio*, semper enim non id, quod priuatim interest vnius ex socijs seruari solet: Sed quod societati expedit, ità disponente *l. Actione 66. §. Diximus post med. ff. pro soc.* & ibi notat *glos.* dicens, quæ multis prosunt, præferuntur his, quæ paucioribus.

Ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum commune sit quia sæpe opera alicuius pro pecunia valet; ita inquit *Imp. in §. De illa vers. Nam & ita de societ. in Inst.* & *Vlpiani*

lib. 30. Ad Sabin. in l. Si non fuerint 29. ff. pro soc. hæc. Si vero placuerit vt quis duas partes, vel tres habeat, alius vnā: an valeat? Et placet valere: Si modo aliquid plus contulerit societati, vel pecuniæ, vel operæ, vel cuiuscunque alterius rei. Ita coiri societatem posse, vt nullam partem damni alter sentiat, lucrum vero commune sit Cassius putat, quod ita demum valebit, vt & Sabinus scribit, si tanti sit opera, quanti damnum est. Plerunque enim tanta est industria socij, vt plus societati conferat, quam pecuniæ.

Societatem verò talem coiri non posse, vt alter lucrum tantum, alter damnū sentiret, vt testatur Aristo. Cassium respondisse & talem societatem leoninam solitum appellare, & in idem consentit. Vlp. d. l. 29. §. Aristo.

Socios inter se dolum, & culpam præstare oportere, ait l. Cum duobus 52. §. 1. ad fin. ff. pro soc.

Qui admittitur socius, ei tantum socius est, qui admisit, & recte. Cum enim societas consensu contrahatur, socius mihi esse non potest, quem ego socium nolui. Quid ergo si socius meus eum admisit? Ei soli socius est. Nam socij mei socius, meus socius non est, ita idem Vlpian. in l. 19. & 20. ff. pro soc. & in l. Si tibi 13. ff. de præscript. verb. sic. Et societas non videtur in eo contracta qui te non admisit socium distractionis; sed tibi pretium certum excepit. Nam nulla est societas, quæ libera voluntate non procedit, vt probat gloss. verbo, causa per tex. ibi. in l. Labeo 36. ff. de oper. lib.

Renuntiari posse societati eius tempore durante, si iusta causa interuenerit, bene probat idem Vlpian. in l. Si conuenerit 14. ibi, Sed & si conuenerit, ne intra certum tempus abeatur a societate, & ante tempus renuntiatur, potest rationem habere renuntiatio, nec tenebitur pro socio, qui ideo renuntiauit, quia conditio quædam, qua societas erat coita, ei non præstatur. Aut quid si tam iniuriosus, & damnosus socius sit vt non expediat eum pati ff. ead. tit. pro soc. Alias nisi iusta causa sit renunciari non potest, vt ibidem not. glos. vlt. nam cum certum sit valere societatem, vt non recedatur ab ea intra certum tempus, non potest dubitari, vt ab ea non possit quis discedere sine iusta causa cū regula sit iuris trita, ea quæ a principio voluntatis sunt postea necessitatis esse ad l. Sicut ab initio C. de act. cum vulgar.

Ex dict. l. si conuenerit, etiam clarum est societatem non posse contrahi sub ea conditione, ne ab ea discedatur, vt ibi si hoc conuenerit ne abeatur, an valeat; eleganter Pomponius scribit frustra, hoc conuenire, quod dixerat etiam Paul. lib. 3. ad Plaut. in l. In hoc iudicium §. si conueniat ne omnino diuisio fiat huiusmodi pactum nullas vires habere manifestum est ff. com. diuid.

2 Soluitur societas ex personis, ex rebus, ex voluntate, & ex actione. Ideoque siue homines, siue res, siue voluntas, siue actio interierit, distrahi videtur societas. Intereunt autem homines quidem maxima, aut media capitis diminutione, aut morte: res vero cum aut nullæ relinquuntur, aut conditionem mutauerunt: voluntate distrahitur societas, renunciatione. Ita quoque cum separatim socij agere cœperint, & vnusquisque sibi negotietur sine dubio ius societatis soluitur. Actione dissoluitur, cum aut stipulatione, aut iudicio mutata sit causa societatis. Item bonis a creditoribus venditis vnius socij distrahi societatem. Labeo ait hæc omnia, & singula inuenies in l. Verum 64. §. vlt. & duabus sequentibus ff. pro soc.

Quod autem morte finiatur societas clarius probat Paul. lib. 32. ad edict. in l. Actione 66. §. Morte vnius socij, societas dissoluitur etiamsi consensu omniū

coita

coita sit; plures vero superfint: nisi in secunda societate aliter conuenerit: nec hæres socij succedit *ff. eodem tit. & Imp. in §. soluitur de soc. in Inst.* Et adeo morte socij soluitur, vt nec ab initio pacisci possimus, vt hæres succedat societati, vt ait *Pompon. lib. 21. ad Sabin. in l. Adeo 60. eod. tit.* vbi prosequitur sic limitando. Nec in priuatis societatibus: at in societate vectigalium nihilominus manet societas etiã post mortem alterius: Sed ita demum si pars defuncti ad personã hæredis eius adscripta sit, vt hæredi quoque conferri oporteat. Et hæc satis sint de societate; reliqua per te videas *in tot. tit. ff. & C. in titul. pro soc. & de societ.* cum plena manu traditis per *Bertach. verbo, Societas, & socius.*

Solemnitas.

Dicitur quicquid præcipuum requiritur vltra consensum, & quicquid adijcitur formæ iuris gentium, ita inquit *Bald. in l. vt epistola in fin. versic. quæro C. de fideicomm.* Potest autem solemnitas esse vel intrinseca substantialis aut accidentalis, grauis, & maior, vel leuis, & minor. Qualiter vero quælibet intelligatur ex sequentibus liquet. *Vlpian. lib. 47. ad Sabin. in l. 30. ff. de verb. oblig.* sic regulam ponit. Sciendum est generaliter, quod si quis scripserit se fideiussisse, videri omnia solemniter acta. Et ab eo sumpsit *Imp. in §. vlt. de fideiussor. in Inst.* ibi. Vt quodcunque scriptum sit quasi actum, videatur etiam actum. Ideoque constat si quis scripserit se fideiussisse, videri omnia solemniter acta. Clare ergo constat, solemnitatem præsumi, & per consequens non esse necessariam eius probationem. Verum non est vera consequentia, si illam sic simpliciter, & indistincte sumas, frustratoria enim esset quæstio illa, de qua infr. scilicet, quis teneatur probare solemnitatem? Recurrendum igitur est ad distinctionem *glos. Bart. & doct. in d. l. 30.* vbi dicunt quod solemnitas intrinseca intelligitur de iure præsumpta. Et ponit exemplum *d. glos. in verb. solemniter,* in eo, qui se scripsit fideiussorem (de quo tex. loquitur) nam ex ipsa scriptura apparet de eius consensu, non vero de stipulatione, quæ fieri debet per interrogationem, an velet se obligare? Et hæc interrogatio, & ipsius obligati responsio dicitur solemnitas intrinseca, quæ præsumitur præcessisse consensum; quod expresse probat *Imp. de inutil. stip. in Inst. § si scriptum* in instrumento fuerit promisisse aliquem perinde habetur, atque si interrogatione præcedente responsum sit, & ante eum responderunt *Impp. Seuer. & Antonin. in l. 1. C. de contrab. & cõmittend. stip.* dum ita dixerunt. Licet Epistolæ, quam libello inseruisti, additum non stipulatum eum esse, cuncauebatur, tamen si res inter præsentes gesta est, credendum est præcedentem stipulationem vocem spondentis subsecutam esse. Et ita liquet solemnitas intrinseca qualis sit, & pro regula certa constitutum, quod quando inueneris præsumi solemnitatem de ea intelligas, *vt in glos. verbo stipulationis in l. Titia 134. §. vlt. ff. de verb.* ibi. Ex quo scriptum est præsumitur solemniter factum hoc est solemnitas intrinseca præsumitur.

Sed aduerte quod talis præsumptio non est illius naturæ, quæ non admittit probationem in contrarium, de qua sup. verbo præsumptio, quia contra hanc potest admitti probatio, vt expresse decidit *Vlpian. lib. 4. ad edict. in l. Iurisgentium §. Quod fere* nouissima parte pactorum, ita solet inseri, Rogauit Titius: Spopondit Mæuius; hæc ver-

verba non tantum pactionis loco accipiuntur, sed etiam stipulationis: Ideoque ex stipulatu nascitur actio, nisi specialiter contrarium probetur *ff. de pact.* per quem ita tenuit *glos. d. verbo solemniter*. Si igitur quis alleget solemnitatem intrinsecam non interuenisse admittetur, & eam negatiuam tenebitur probare iuxta *l. Ab ea parte, & qua ibi. Bart. ff. de probat.* Et hoc est certissimum.

Dubium autem est de solemnitate extrinseca quisnam teneatur probare, qui dicit, an vero qui negat? Istam quæstionem excitat *glos verb. Omni ordine post med. in l. 1. C. de fid. Instr. & iu. hast. fisc. lib. 10.* (vbi de solemnitate hac, & quæ sit, agitur) & causa dubij est idem tex. ibi. Cui si probaueris, non auctore procuratore, vel eo, cui vendendi fuit facultas, neque habitis hastis, neque omni ordine peracto res venditas esse. Ex quibus verbis videtur allegantem; non adfuisse talem solemnitatem, teneri ad probationem. Sed prædicta *glos.* ait. Immo contra debet probari eam adfuisse, quod probat *ex l. Quæcunque 15. §. vlt.* ibi. Probare debet tutore authore, & lege non prohibente emisse *ff de public. in rem*, vbi etiam *glo. verbo tutore auctore* sic ait. Item nota hic qui solemnitatem dicit eam probet, *vt C. de fideicomm. l. fin. de probat. l. pen. & de fals. l. fin.* Quod quidem verum puto si in scriptura non constat de dicta solemnitate, quia si constaret, tunc absque dubio tenetur probare, qui dicit eam non interuenisse *ad l. Cum precibus 18. C. de probat. & notauit glosa* citato *verbo omni ordine*.

Propter authoritatem iudiciariam præsumi debet omnia legitime processisse, inquit *cap. Sicut 16. de re iud. vbi glos. pen. pass. med.* sic. Alias autem, qui allegat solemnitatem siue circa sententiam, siue circa instrumentum, ipsam probet &c.

Solemnitas grauis, magna, seu substantialis illa dicitur, quæ si omittatur multum obstat, vt inquit *Bart. in l vlt § Si vero postquam in fin. C. de iur delib. & in l. 1. §. Quod autem ff. de ventr. inspic.* de qua Imperator *Gordian. in l. 2. C. de fid. instr. lib. 10.* sic ait. Duplex ratio desiderium tuum iuuat: Et quod prætermissa hastarum solemnitate possessiones tuas ex officio distractas suggeris &c. & ibidem *glos. hastarum* sic, quæ solemnitas non fuit omittenda &c. *l. vlt. eod. tit.*

At contra, solemnitas leuis, parua, seu accidentalis illa est, quæ nullum, vel paruum præiudicium affert, vt idem *Bart. sup.* vel etiam, quæ non ob aliquam vrgentem rationem, vel vtilitatem est inducta, *vt per Bald. in l. Hac consultissima in 3. Col. C. de testa* cuiusque ommissione, facti substantia non mutatur, prout idem *Bart. in repet. l. 1. §. plures quæst. 4. ff. de exerc. act.* Et sic si talis non interuenit, non nocet maxime si propter rusticitatem, *vt sup. verbo rusticus*. De hac videtur intelligi *glos. verbo alij in cap. 4. de fer.* dum ait. In his, quæ ad solemnitatem expectant, diuersa tenere non est peccatum, quia vnaquæque prouincia abundat in suo sensu, & *Apostill. ad glos. verbo solemnita in l. 1. ff. de iniust. rupt.* quæ sic inquit. Iuris solemnitas seruanda est: fallit inter mercatores, quia potius apud eos seruatur fides, & æquitas & *glos. in cap. De causis de offic. deleg.* ibi *Arg.* quod de consensu partium solemnitates iuris possunt remitti &c. & addit Argum. contra solemnitates iuris, quæ sũt introductæ in fauorem partium, sed illis, quæ sunt propter reuerentiam dierum partes non possunt, &c.

Errore scribentis testamentum, iuris solemnitas mutilari nequaquam potest; quando minus scriptum plus nuncupatum videtur, ita inquit *l. 7. C. de testam.*

Vnde

Vnde dicit *gloss. verbo non ex mente in fin. in l. Ambiguitates 24. cod. tit.* quod transpositio erronea non nocet, sed solemnitatis omissio.

In l. Proinde 25. §. vlt. ff. ad l. Aquil. quærit *glos. vlt.* an solemnitas iudicialis sit obseruanda, quando in causa est reus confessus? Et respondet quod in criminali causa, sic iuxta *l. si confessus ff. de cust. reo. & l. Qui sententiam C. de pœn.* In ciuili autem non, secundum quosdã, vt hic, *& infr. de confess. l. 1.* & post aliquas responsiones, ita concludit. Cum autem solemniter inchoatur, & finaliter per sententiam est finienda.

Solutio.

MAgis facti quam iuris est, teste *Iurisconſ. in l. Consilio 7. §. vlt. ff. de curat. fur.* ibi. Quia solutio, venditio, traditio, facti magis quam iuris sunt, ideoq; sufficit vnius ex curatoribus persona; quia alter intelligitur consentire. Denique si præsens sit & vetet, solui, vel venire, vel tradi: Neque debitor liberabitur, neque emptor vsucapiet.

Soluisse accipere debemus, non tantum eum, qui soluit, verum omnem omnino, qui ex obligatione liberatus est, *ita l. 4. § pen. ff. de re iud. & in l. 4. ff. qui potior in pig.* ibi. Nec interest soluerit an pensauerit, *& in l. solutum 11. §. solutam, ff. de pig. act.* Solutam autem (inquit) pecuniam accipiendum est, non solum si ipsi cui obligata res est; Sed & si alij sit soluta voluntate eius, vel ei cui hæres extitit, vel procuratori eius, vel seruo pecunijs exigẽdis proposito, *& in l. Mortuo harede 15. ff. de statul.* ibi. Quia hæredi videtur soluere, qui voluntate eius alij soluit, *& in l. 1. §. pen. ff. de tribut. act.* ibi. Quoniam & alius pro me soluendo, me liberat *vbi glos.* ampliat etiam me inuito, vt *sup. de negot. gest. l. soluendo, & de solut. l. solutionem, & l. si debitor sui.*

Nec interest cuius pecunia solutio procedat; Cum nihil prohibeat, & creditoribus satisfactum esse; & non vestræ pecuniæ; sed ipsius, cui negotium gerendum mandaueras processisse solutionẽ; ita inquit *l. Inquisitio 18. C. de solut.* Nec expectandum est, vt ratum habeas: quoniam potest videri id ipsum te mandasse, vt tuo nomine solueretur, inquit *l. Indebitam 47. ff. de condict. indeb. vbi Apostill.* sic. Nota quod ille, qui habet mandatum, vt se obliget, videtur etiam mandatum habere, quod soluat, quia obligatio ordinatur ad solutionem tanquam ad suum finem, & facit *l. tribus sup. de vsufr. ear. rer.* sed quid si talis vel alius similis soluerit nomine suo, non debitoris, liberabit ne debitorem? Respondet *Vlpian. lib. 15. ad edict. in l. Si quid possessor 34. ff. de pet. hered.* ita. Quod quisq; suo nomine soluit, non debitoris, debitorem non liberat quæ. l. difficilis ibidem reputatur in summ.

Solutum etiam intelligitur per delegationem iuxta *l. Quod debetur 52. in fin. ff. de pecul.* ibi. Delegatio pro sua præstatione est, & ibidem *glos.* sic. Nota quod delegatio habet vim solutionis, *& in l. Quamuis § Interdum ff. ad Vellitan.* ibi. Soluit enim, & qui reum delegat. quod intellige, vt dicis verbo. Delegatio.

Planè vice solutionis sufficit, vt quis aut pignoribus, aut fideiussoribus idonee caueatur, sic ait *l. Rescripto 6. ad fin ff. de muner. & honor. & in l. Promissor §. vlt. ff. de const. pec.* ita. Constituto satis non fit, qui soluturum se constituit, scilicet si offerat satisdationem. Si quis autem constituit se satisfacturum, & fideiussorẽ, vel pignora dat, non tenetur quia nihil interest quemadmodum satisfaciat. Et pro regula ponitur generali *in l. Si rem 9. § Omnis ff. de pig. act.* sic.

sic. Satisfactum autem accipimus quēadmodum voluit creditor, licet non fit solutum. Sed & si ipse creditor morosus fuit in recipiendo solutionem, dicitur solutio facta iuxta *l. Qui decem 72. ff. de solut.* ibi. Quare pro soluto id in quo creditor accipiendo moram fecerit, oportet esse, *& in Auth. vt ex act. inst. §. vlt. coll. 7.* ibi. Qui enim dare voluit, dum perceptionem recusat is, qui suscipere postulatur, proximus est danti.

Solutionis vicissitudinem dari in quantitate dictum fuit *verbo. Quantitas*. Sed quid si debitor non habeat in quantitate, nec in re mobili soluere possit? Audi *Imp. in tit. C. de solut.* sic dicentem *in Auth.* Hoc nisi debitor in pecunia, vel alia re mobili soluere nequeat. Tunc enim res immobilis, quam debitor habet meliorem solui potest &c. quem intellige secundum *glos. ibidem verbo. Meliorem* in hæc verba. Hoc ideo quia aurum acceperat, quod est pretiosius metallum, vt in corpore. Alias res mediocris posset dari in solutum.

Faciendam esse solutionem ad antiquam monetam, vel mensuram, dicis verbo. Moneta, *& glos. pen. in capit. Ex parte 28. de cens.* sic ait. Ex quo non apparet de mensura antecessorum sequi debent mensuram soluentium, illam enim præsumo fuisse institutam, & ad eos a suis maioribus peruenisse. Et quid si mutetur moneta per Principem? Videas *Abb. in cap. Quanto extr. de iur. iur. coll. 5. vers. Quaero de quast. vsque ad fin.*

Infra quod tempus facienda sit solutio, dictum est *verbo actio*, Et quod statim, vbi primum debetur, fieri debeat, aliquo tamen temporis temperamento, inquit *l. Quod dicimus 105. ff. de solut.* ibi. Debere statim soluere cum aliquo temperamento temporis intelligēdum est, nec enim sacco adire debet, *vbi glos. verbo intelligendum* sic decem dierum forte.

Sed an sit necessaria interpellatio a creditore, an vero reus absque ea teneatur soluere, quæritur? Et pro vtraque sunt iura. Nam *in l. 2. C. de iur. emphyt.* sic disponitur. Cum neminem oporteat conuentionem, vel admonitionem expectare, sed vltro se se offerre, & debitum spontanea voluntate persoluere, *& in l. Magnam 12. C. de contrah. & com. stip.* ibi. Sancimus vt si quis certo tempore facturum se aliquid vel daturum stipuletur, vel quæ stipulator voluit, promiserit, & adiecerit, quod si statuto tempore minime hæc perfecta fuerint, certam pœnam dabit, sciat minime se posse debitor ad euitādam pænam adijcere, quod nullus eum admonuit, sed etiam citra omnem admonitionem eidem pœnæ pro stipulationis tenore fiet obnoxius, cum ea, quæ promisit ipse in memoria sua seruare, non ab alijs manifestari sibi debeat poscere, & ibidem *not. per doct.* Et tamen *in l. 4. ff. de pig. act.* Non solum semel: Sed etiam ter denuntiari debere debitori, vt soluat, dicit *Iurisconsf.* ibi. Nisi ter, ei fuerit nunciatum, vt soluat, vbi addit *glos.* quod hæc trina nunciatio debeat fieri non vnica vice, sed qualibet intra triduum sicut in citatione accusati absentis, *vt ff. de publ. iud. l. Inter accusatorem*. Tu curiosus lector ex ipsis iuribus colliges cur tam diuersa.

Negantes debitores non oportet vi terreri, sed iuris remedijs ad solutionem vrgeri conuenit; ita inquit *l. 9. C. de act.* Qui vero soluere paratus est, nec iudicio adstringi debere dicitur *verbo. Iudicium*.

Solutionem non differri propter ægritudinem, vel omissionem, vel venditionem notauit *glos. verbo ægritudine in l. Si quis 23. §. vlt. ff. de hered. instit.* Non vero imputabitur volenti soluere, & nō valenti, *vt in l. Cum quidam §. Si pupillo ff. de vsur.* ibi. Quid enim potuit imputari ei, qui soluere etiam si vellet

non

non potuit? Quod intelliges iuxta terminos de quibus loquitur. Alias si soluendo non fuerit secundum arbitrium discreti iudicis punitur iuxta *c. finem litibus de dol. & cont. vbi glos. vlt.* sic. Hoc semper regulare est, vt qui non est soluendo alio modo puniatur &c.

Eum quem præses inuitum soluere cogat: impune non soluere iniquum esse, ait *l. Qui autem § apud Labeonem ff. quæ in fraud. cred. & in l. Si stipulatus* 81. *§. Si lancem ff. de solut.* vbi solutio rei indiuiduæ pluribus facienda valida est, si vni fiat authoritate iudicis, vt ibi optimum autem est id per magistratum facere.

Qui sibi aut filio suo dari stipulatus est, manifeste personam filij complectitur in hoc, vt ei recte soluatur: quia coniuncta sua persona stipulator efficit, vt non acquirendæ obligationis gratia, sed solutionis causa personam filij adhibuisse intelligatur, ita disponitur *in l. Eum, qui* 56. *§. Qui sibi ff. de verb. oblig.* & in alijs terminis *l. Si non sortem* 26. *§ Qui filio fam.* soluit cum esset eius peculiaris debitor, si quidem ignorauit ademptum ei peculium liberatur, si scit, & soluit condictionem non habet: quia sciens indebitum soluit *ff. de condict indeb.* Et monacho qui mutuauit fieri posse solutionem, habes verbo *Monachus.* Et reo criminis postulato verbo *Reus*.

Solutionem spontaneam purgare metum, habes verbo. *Metus*.

Si quis pecuniam ob honorem promiserit cœperitque soluere, eum debere, quasi cœpto opere, inquit *l. Toties ff. de pollicit.*

Est notabilis *tex. in l. Cum de in rem* 6. *ff. de vsur.* dum ait Imperator Antoninus ideo soluendas vsuras iudicauit, quod eas ipse Dominus, vel pater longo tempore præstitisset, & ibi *glos verbo longo tempore* explicat id est decennio. Et circa materiam præstationum, seu solutionum sic magistraliter resoluit. Tu ad omnia contraria soluẽdo destinguas. Quia aut creditor asserit aliquid sibi deberi ea sola ratione, quia in præteritum est præstitum, siue vsuram, siue aliam præstationem, & tunc nullo tempore præiudicatur soluenti, vt &c. Et est ratio, quia tempus non est modus tollendæ, vel inducendæ obligationis, vt &c. Aut ex pacto, quod vult probare per diuturnam solutionem, & tunc aut ex nudo. Et tunc idem quod est in primo: aut vestito, & tunc præiudicium fit, vt hic &c. nisi in casu fauore alimentorum: quo casu etiamsi ex tempore tantum nititur per triennium præiudicatur, vt &c. Et hanc eandem distinctionem serua in decimis, & quibuslibet præstationibus: idem quoque in seruitutibus acquirendis, vel personalibus, vel rerum, quæ non habent continuam causam, vt &c. Sed solutio pensionis nec dominium, nec possessionem probat, nec priuat alium sua possessione, vt inquit *glosa verbo vnam in capit. bona* 51. *de appellat.*

In electione debitoris soluentis est pro quo debito soluat iuxta *l.* 1 *ff. de solut.* ibi. Possumus enim certam legem dicere ei, quod soluimus. Quoties verò non dicimus id quod solutum fit, in arbitrio accipientis, cuius potius debito acceptum ferat, dummodo in id constituat solutum, in quo ipse si deberet, esset soluturus &c. Æquissimum enim visum est creditorem, ita agere rem debitoris, vt suam ageret ad idem *l.* 2. 3. 4. *&* 5. *§. Imperator eod. tit. & l. si vsuras C. de vsur. & glosa in l. Cum & sortis* 35. *ff. de pig. act.* ibi. Licet secus sit cum soluit debitor &c. Nam tunc cum soluit in grauius debitum accipiendum est.

Sed quid quando nec debitor soluendo, nec post eum creditor elegit, in quale debitum solueret, vel solutionem receperit? Ecce *Papinian. lib.* 2. diffinit sic tibi satisfacit *in l.* 97. *ff. illo tit. de solut.* Cum ex pluribus causis debitor pecu-

niam soluit, vtriusque demonstratione cessante, potior habebitur causa eius pecuniæ, quæ sub infamia debetur: mox eius, quæ pœnam continet: tertio, quæ sub hypotecha, vel pignore contracta est: post hunc ordinem potior habetur propria quam aliena causa veluti fideiussoris. Quod veteres ideo diffinierunt, quod verisimile videretur diligentem debitorem admonitum, ita negotium suum gesturum. Si nihil horum interueniat vetustior contractus ante soluetur. Si maior pecunia numerata sit, quam ratio singulorum exposcat: nihilominus primo contractu soluto, qui potior erit, superfluum ordini secundo, vel in totum, vel pro parte minuendo videbitur datum. Optimus quidem tex. & in materia menti perpetuo commendandus: quia in practica olim mihi accidit.

Non minori sane dignus commendatione est alter, pro limitatione eorum, quæ dicta sunt, in *l. Paulus* 101. *eod. tit. de solut.* vbi quando creditor pignus debitoris vendit habet electionem accipiendi solutionem in quam causam voluerit, & non debitor. Sic namque inquit *lib.* 15. *respons. vers.* Paulus respondit aliam causam esse debitoris soluentis, aliam creditoris pignus distrahentis. Nam cum debitor soluit pecuniam, in potestate eius esse commemorare in quam causam soluerit. Cum autem creditor pignus distraheret, licere ei pretium inde acceptum referre etiam in eam quantitatem, quæ natura tantum debebatur: & ideo deducto eo debitum peti posse. Ex quo satisfit obiectioni *a glos. tradita in l. Plane ff. de condict. indeb. vbi text.* consonans prædictæ limitationi ait sic Igitur hoc casu electio est creditoris, cui velit soluere, vt alterius repetitio impediatur, & prædicta glos. obijcit, sed videtur debitoris, cuius erat electio in soluendo &c. Nã alia est causa creditoris pignus distrahentis, vt sup. &c.

Habens plures creditores soluere poterit, cui magis sibi placuerit, nam licet cum suspicatur alium secum acturum aliò peculium auertat dolo non careat: tamen si alij soluerit non dubitatur de eo quin non teneatur; quoniam creditori soluit, & licet creditori vigilare ad suũ consequendum, prout ijsdemmet verbis disponitur *in l. summa* 22. *ff. de pecul.*

Si plures fuerint debitores ex pænali causa solutio vnius alios non liberat, iuxta *l. Item Mela §. Sed si plures ff. ad l. Aquil.* ibi. Et si cum vno agatur, cæteri non liberantur. Nam ex lege Aquilia, quod alius præstitit, alium non liberat, cum sit pæna, *vbi glos. ibi verbo, cum sit pœna* ait, bona ratio, quod non liberet vnus alium &c & ponit Arg. in contrarium, & in pæna *tit. de his, qui deiic. vel effud.* quod solutio vnius alios liberet est *text. in l.* 3. *eiusdem tit.* ibi. Sed si cum vno fuerit actum cæteri liberabuntur. Sed dubitas, & bene, quod in hoc tex. non agitur de solutione, sed de actione ibi actum fuerit verum non solum actum, sed etiam exactum intelligi debere; mihi probat ratio optimi *tex. in l.* 1. *§. si apud duos ff. de posit.* ibi. Nec liberabitur alter si cum altero agatur; non enim electione, sed solutione liberantur.

Nota, quod vna solutio non parit contrarios effectus, ita notauit *glosa vlt. in l. vlt. ff de trib. act. per tex. in l. Qui hominem* 34. *§. vlt. ff. de solut. vbi Bart.* ne summat. Eadem solutio non potest parere liberationem, & repetitionem.

Sæpe & solutio, & exactio partium, non minima incommoda habet, sic inquit *l. Plane* 3. *ff fam. hercisc.* Hinc est, quod quidam existimauerunt neque eum, qui decem peteret, cogendum quinque accipere, & reliqua persequi, neq; enim qui fundum suum diceret, partem dũtaxat iudicio persequi, vt testatur *Iuliam*

lian. lib. 48. digest. in l. 21. ff. si cert. pet. Sed in vtraque causa (inquit idem) humanius mihi facturus videtur prætor, si actorem compulerit ad accipiendum, quod offeratur; cum ad officium eius pertineat lites diminuere.

Aliud pro alio inuito creditore non posse solui, ait *l. 2. §. 1. ff. si cert. pet. glos. in l. Eum a quo C. de solut.* ibi sic nota, quod aliud pro alio inuito creditore non potest solui. Si vero iusta adsit causa, propter quam non possit præstari, quod debetur, audiendus est debitor, & iustam æstimationem soluendo liberatur, *vt in l. si domus 74. §. In pecunia legata vers. Qui confitetur ff. de legat. 1. & notauit glos. per tex. ibi in l. Interdum 15. verbo dari ad fin.* ibi. Nota hic, quod aliud pro alio soluitur *ff. de publican.* vide etiam verbo creditor vers. Rerum vero datio.

Minus soluere qui tardius soluit deducitur *ex l. 85. ff. de solut.* dum ait solidum non soluitur, non minus quantitate, quam die & ibi summat *Paul.* Qui tardius dat minus dare videtur, & e conuerso bis dat, qui cito dat, *& Imp. in §. Plus autem de act.* ibi. Qui tardius soluit, quam soluere deberet, minus soluere intelligitur. Quod non procedit in debito antidorali procedente ex beneficio accepto; nam qui nimis cito id cupit soluere, inuitus debet, vt ait *Senec. lib. 4. de benefic. cap. vlt.* & est species ingratitudinis, vt notasti supra verbo beneficium. Satius namque est honesta voluntate debere, quam per istam malam rationem soluere, prout idem *Senec. lib. 6. de benefic. cap. 27.*

Non propterea minus relictum deberi, quod aliquid ante diem sit solutum, ait *l. Lucius 80. §. Testator ff. de legat. 2.* Est tamen notandum, quod aliquando ante diem solutio facta non liberat soluentem, *vt in l. Eum qui 15. ff. de ann. lega.* ibi. Si propter capientis personam quod rem familiarem tueri non posset in diem fideicommissum relictum probaretur, & perdituro ei, id hæres ante diem restituisset, nullo modo liberatum esse. Quod si tempus, hæredis causa prorogatum esset, vt commodum medij temporis ipse sentiret, liberatum eum intelligi; Nam & plus eum præstitisset, quam debuisset. Quoties autem cœpit fideicommissum soluere, non potest illa præscriptione vti de qua *l. si fideicommissum 50. §. vlt. ff. de iud. vbi glos.* sic inceptio solutionis approbatur.

Solutionis tempus inspicitur ad hoc, vt quis dicatur bonæ, aut malæ fidei possessor, quando ei aliquid in solutum dicitur iuxta *l. 3. ff. pro solut.* ibi. In cæteris causis solutionis tempus inspicitur (nec interest cum stipulor sciam alienum esse nec ne; sufficit enim me putare tuum esse cum soluis.) In emptione autem, contractus tempus inspicitur, & quo soluitur, idem & expressius *in l. 2. ff. pro empt.*

Si in casu prædicto id, quod fuit datum in solutum, euincatur in totum, nulla dubitatio est, quod solutio irritatur, & vinculum obligationis non soluitur, vt infra statim, sed quid si pro parte fuerit euictum? respondetur *in l. si quis aliam rem 46. ff. de solut.* in hæc verba, sed & si pro parte fuerit euicta, tamen pro solido obligatio durat. Nam non accepisset rem integram creditor, nisi pro solido eius fieret.

Qui soluit, nunquam ita resupinus est, vt facile suas pecunias iactet, & indebitas effundat, & maximè si is, qui indebitas dedisse se dicit, homo diligens est, & studiosus pater fam. cuius personam incredibile est in aliquo facile errasse, ita *l. Cum indebito 25. ff. de probat.* Et si stulte soluit, sibi imputabit, prout in casu *l. Cum pater 79. §. Mauio ff. de legat. 2. notauit glos. verbo dandam* ibi. Et sic nota, quod stultitia soluentis lucratur donatarius.

Digitized by Google

Intereſt noſtrà non ſoluere potius, quam ſoluta repetere, inquit *gloſ. verbo potius in l. ſi debitor 12. ff. de lib. legat. per tex.* ibi. Manifeſtum eſt quantum interſit promiſſoris liberari potius, quam præſtare ex ſtipulatu, deinde mandati agere. Quod autem poſsit repeti ſolutum ſi non erat debitum, clarum eſt *ex tot. tit. ff. de condict. indeb.* Indebitum vero ſolutum accipimus, non ſolum ſi omnino non debeatur. Sed & ſi per aliquam exceptionem perpetuam peti non poterat. Quare quoque repeti poterit, niſi ſciens ſe tutum exceptione, ſoluit, prout dicitur *in l. ſi non ſortem 26. §. Indebitum ff. eod. tit. de condict. indeb.* & quando ceſset repetitio. Vide *gloſam verbo Exceptione in l Qui ſe 7 ff de cond. dict. cauſ. dat. & babes verbo. Exceptio.* Vide etiam *gloſ. verbo. Quadrupli in l. eleganter ff. de cond. indeb. & in l. 1. verbo ſudeat C. eod. tit.*

Non repeti etiã poſſe, quod ſoluitur pietatis cauſa, probat *l. Cum is 32. §. Si in ea ff. de condict. indeb.* ibi. Sublata enim falſa opinione, relinquitur pietatis cauſa, ex qua ſolutum repeti non poteſt. Et eadem *l. Cum is*, notabilis eſt, dum debitorem alternatiuæ ſoluentem vtrunque ſi quodlibet petierit non habere repetitionem diſponit ſic dicens. Si poſt quam vtrunque ſoluit, aut vterque, aut alter ex his deſierit in rerum natura eſſe, nihil repetet: id enim remanebit in ſoluto, quod ſupereſt.

Sicut ſolutione, petitione, & acceptilatione vnius rei tota obligatio ſoluitur ita quoque pacto conuento de vna re non petenda interpoſito, totam obligationem ſubmoueri, ait *l. Si vnus §. ſed ſi ſtipulatus ff. de pact.* Et ſolutionem factam non reuocari, inquit *l. vlt. §. vlt. ff. quod met. cau.* ibi. Quod ſi debitor ſatisfecerit ſimplici iuſsione, & non cognitione habita: quamuis non extra ordinem exactionem fieri, ſed ciuiliter oportuit; quæ tamen ſolutione proceſſerunt, reuocari inciuile eſt, & facit optimus *tex. in l. ſi teſtamento 50. §. Quod ſi duo ad fin. ff. de fideiuſſor.* ibi. Sed verior, & vtilior in vtroque caſu illa ſententia eſt, ſolutionem non indebitæ quantitatis, non debere reuocari.

Solutionem irritã non liberare ſoluentem probat *l. fideiuſſor 59 ff. de cond. indeb.* ibi. Cum prior ſolutio, quæ fuit irrita, nec naturale vinculum ſoluit, nec ciuile ſi reus tenebatur. Nec reprobam pecuniam liberare ſoluentem, reprobis videlicet nummis reddendis, inquit *l. Eleganter § 1. ff. de pig. act. vbi gloſ. verbo non liberat* hic. Nam non videtur ſolutum, quod deterius ſoluitur; quam debetur, vt hic & *infr. depoſit. l. 1. §. ſcire* &c.

Non eſſe ſimilem ſoluenti, qui tempore liberatur: notauit *gloſ. verbo Extiterit in l. Item 18. §. Adijcitur ff. de conſtit. pec.*

Bis non debere fieri ſolutionem dictat vulgaris *reg. l. Bona fides* non patitur, vt idem bis exigatur *ff. de reg. iu. & gloſa verbo Mandati in l ſi mandato §. vlt ff. manda.* ibi. Bis quem obligari pro eadem re non eſt prohibitum, vt &c. Sed bis ſoluere; ſic.

Solutionem non præſumi, ſed qui eam allegat probare teneri, diſponit *l. 1. C. de probat.* in hæc verba. Vt creditor, qui pecuniam petit numeratam, implere cogitur, ita rurſum debitor, qui ſolutam affirmat, eius rei probationem præſtare debet. Et hæc probatio melior erit per inſtrumentum, quam per redditionem ipſius chirographi, *vt in l. 14. C. de ſolut.* ſic. Pecuniæ ſolutæ profeſsio inſtrumento maiorem rei geſtæ probationem continet, quam ſi chirographum acceptæ pecuniæ mutuatę fuiſſet redditum, *vbi gloſ.* reddit rationem dicens. Si quidem, quia redditio chartæ etiam ob aliam cauſam fieri poteſt, quam vt liberetur debitor, vnde & de hoc ſubijcit *l. ſequens*, confeſsio vero aperte denotat

notat liberationem &c. Et ego addo, quia probatio cum requiratur fieri a soluente, debet esse de necessario, & non de possibili, quia non probat esse hoc, quod abhoc aliquando contingit abesse iuxta *l. Neque natales l. Non Epistolis, vbi not. C. de probat.* Quandoque tamen solutum præsumitur, & si debitor non probet, vt probat *glos. vlt. indist. l. 1. C. de probat. Et in l. Quicunque C. de apoch. pub. lib. 10.* qui ostendit solutionem fecisse tribus annis vltimis, soluisse præsumitur omnibus retroactis in hæc verba. Si trium cohærentium sibi annorum apochas securitatesque protulerit; superiorum temporum apochas non cogatur ostendere, *vbi glos. verbo. Superiorum* ait. Et sic præsumptio est, quod solutio fuerit facta pro alijs annis antecedentibus.

Præsumptio etiã est, quod quilibet sit soluendo, vt probat *glos. verbo dubitetur in l. Si vero §. Qui pro rei qualitate ff. qui satisd. cog. & in l. 2. ff. de probat.* ibi. quem præsumi soluendum Si vero nunc non sit soluendo, præsumitur sic retro non soluendo iuxta *glos. verbo fuisse in l. 1. §. 1. vers. probatio autem ff. de magist. conuen. per text.* ibi. Vt doceant eos soluendo fuisse.

Horum quæ in hominibus subsequuntur quicquid ligatur solubile esse dicit *Auth. de nupt. §. 1. in fin. coll. 4.*

Soror.

HAnc sub appellatione fratrum venire satis probat *l. Lucius Titius 91. §. Quæsitum est an quod hæredes fratribus rogati essent restituere;* etiam ad sorores pertineret? Respondi pertinere *ff. de legat. 3. l. Lucius Titius 78. §. Meuia l. 2. vbi notat glos. verbo sororem ff. ad Trebell. & ibidem Bart. l. vlt. vbi etiam glos. verbo fratribus eod. tit. Et in l. Tres fratres Titius, & Meuius & Seia 36. ff. de pact. glos. 1.* ibi. Nota, quod appellatione fratris, & soror continetur.

Hoc autem nomen, soror sortita est, quasi seorsum nascatur: quia separatur ab ea domo, in qua nata est, & in aliam familiam transgreditur, vt testatur *Aul. Gell. lib. 12. noct. Attic. capit. 10.* & ob hanc rationem fœminia dicitur finis familiæ, a qua egreditur, & caput illius, in quam inducitur prout dictum fuit sup. *verbo Mater vers. Et cum alias.* Cum hoc tamen stat, quod adhuc de ea familia, a qua egreditur, dicitur iuxta quæ *Alex. Imp. in l. 4.* sic disponit: Voluntas patris prohibentis liberos fundos extra familiam vendere, vel pignori dare, fratrem sorori donare prohibuisse non videtur *C. de fideicom. vbi notauit Bald.* vnde succedit simul cum fratre iuxta *l. 1. C. de legit. hæred.* ibi. Tam fratres, quam sorores pari iure esse *l. Lege 14 eod. tit. Auth. Defuncto* ibi. Fratres & sorores vtrinque defuncto coniuncti superfint, vocantur *C. ad Tertyll. & in Auth. de nupt. §. Et quoniam mater* ibi. Si vero permixti masculi, & fœminæ fuerint, hoc ipsum disponentes *coll. 4.* Quod intellige nisi ingrata esset iuxta *§. ingratitudinem in eod. Auth. de nupt.*

Litteræ, per quas quis mulierem quandam sibi sororem appellat, eam vere sororem non faciunt, licet præsumptionem faciant, contra quam probatio admittitur; sic summatur *per Salic. l. Non Epistolis 13. C. de probat.* Vbi etiam *not. Bald. in 1. notab.*

Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit: & sororem soror ab eodem mecastupratam nescierit: vel se sororem eius quam antea stuprauerat, non intellexerit: Si digne pænituerint; & se continere non valuerint; post annos septem coniugia eis non negentur: si autem non ignorauerint vsque ad mortem coniugio abstineant; ita disponitur *in cap.*

Si quis

Si quis &c. 33. quaest. 1. & idem in matre, & filia *in cap. seq.* stante igitur hoc decreto peccare mortaliter tales si contrahant matrimonium, iuxta *cap. 2. & quae ibidem notat glos. ult. de maior. & obed.* non dubitamus.

Sors.

MVltas huius nominis dari in humanis species satis colligitur *ex Imp. dum in l. ult. C. de praescript. 30. ann.* ait. Cum sortes humanae multae sint. Et quot, & quibus modis capiatur, agit *Ioan. Andr. in proœm. Clem. verbo sortis* ibi sumitur hic pro fortuna, vel euentu &c. alibi pro sortilegio &c. alibi pro capitali &c. alibi pro parte, vel portione &c. & de singulis allegat iura, quae per te videbis, hic autem afferam tantum notabiliora iuxta solitum nostri Apolectatis. Et quia de duobus vltimis scilicet, capitali, & parte; vel portione alibi dixi hic solum dicam de primis.

Sortes igitur quaedam sunt licitae, quaedã vero illicitae. Istae, quae fiunt per magicas incantationes, vel ad exercendas vanitates aliquas, vel quae fiunt ad inquirenda aliqua occulta, de quibus dicit *Aug. ad inquisitiones Ianuar. 26. quaestion 2.* haec. Hi qui de paginis Euangelicis sortes legunt, & si optandum est vt id potius faciant quam ad daemonia consulenda concurrant: tamen ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia, & ad uitae huius vanitatem diuina oracula velle conuertere, *& in cap. Illud d. 26. quaest. 2. idem Aug.* late de omnibus istis sortibus, seu sortilegijs illicitis, & prohibitis, *Et in cap. 1. de Sortileg.* sic. In tabulis vel codicibus, aut alijs, sorte furta non sunt requirenda, *& in cap. ult.* ibi. Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione dãnamus.

Illae vero, quae fiunt necessitatis causa, quia aliter res non potest dirimi, licitae sunt, vt si esset contentio de electione aliquorum tam actiua, quam passiua, & esset paritas vtrinq; in omnibus, iuxta *cap. Non exemplo Mathia 26. quaest. 2.* & de his dicit *Aug. lib. 10. de Genes. ad lit. cap. 18.* Quae sorte dantur diuinitus dari, & tradit *Pened. de reb. Salom. lib. 3. cap. 18.* A. de ijsdem loquitur *glosa verbo substitutum in cap. Quoniam Abbas 14. de offic. delegat.* vbi sorte dirimitur, quando est quaestio inter plures iudices delegatos quis eorum sit iudex, & aequales sunt in omnibus ibi. Sed si essent ęqualiter digni sorte dirimatur &c. *Et glos. verbo uti possidentis in cap. Licet causam 9. de probat post med.* ibi. Vel vterq; & omnino sunt aequales probationes; nec appareat quis ad iudiciũ prouocauit, sorte dirimatur, quod deduxit *ex l. 13. & 14. ff. de iud.* ibi. Sed cum ambo ad iudicium prouocant, sorte res discerni solet. *Et in l. Generaliter 24. §. Proinde vers. Quid ergo*, vbi quando est quaestio de aliquibus manumittendis, & nescitur quinam de illis sint, sic disponitur. Quod si ordo scripturae non appareat, aut sortiri eos oportebit, ne aliquam ambitionis, vel gratiae suspicionem subeat &c. *ff. de fideic. lib. & in l. 3. C. com. delegat.* vbi plures quibus relicta est electio discordant in eligendo, sors admittitur ibi. In omnibus huiusmodi casibus rei iudicem fortunam esse, & sortem inter altercantes adhibendam, & quem sors praetulerit, is quidem habeat potestatẽ eligendi, *& glos. verbo prohibebit ad fin. in l. 1. C. uti possid.* ibi. Sed certe iudicio sortis statur cum non est certum de iure, scilicet quę pars potior sit in iure, sed factum est certum, *& in l. 2. C. quand. & quib. quart. pars lib. 10.* ibi. Vt rebus totis in sortium casum deductis &c. electio ex sortis felicitate contingat, *vbi glos. verbo sortium* ita. Substan-

stantia enim sic diuisa sorte dirimetur, si aliàs non conueniat &c. vt is præferatur quem sors prætulit in eligendo. Et denique *in §. Optionis de legat. in Inst.* sic *Imp.* concludit. Et sorte hoc esse dirimendum, vt ad quem sors peruenerit illius sententia in electione præualeat.

Species.

Illa dicitur, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero iuxta *glosa verbo. species in §. Plebescitum de iur. nat. in Inst.*

Vulgaris, & trita iuris regula est per speciem generi derogari, *vt in l. vxorem 39. § codicillis, & melius §. Felicissimo in fin.* ibi. Non esse verisimile eam, quæ nihil aliud Felicissimo, & Felicissimæ, nisi hæc, specialiter legarit: ad filium, cui & hæreditatis suæ partem reliquit, legatum generali sermone trásferre voluisse *ff. de legat. 3. & in l. seruis vrbanis* 117 *§. vlt.* ibi. Semper enim species generi derogat *eod. tit. vbi glosa derog.* alia affert concord. & illud præcipuum est *Papinian. in l. 81. ff. de reg. iu.* in hæc verba. In toto iure generi per speciem derogatur. Et illud potissimum habetur: quod ad speciem directum est, *& in l. si peculium* 10. *ff. man. testa.* sic. Multum enim interest inter genus, & speciem. Speciem enim eximi de genere placet.

Plus timetur, quod specialiter dicitur, quam quod generaliter, ita dicit *glosa verbo proferenti in Auth. de instrument. caut. §. Si vero moriantur coll. 6.*

Argento cedit, quod ad speciem argenti iunctum est, quemadmodum claui aurei, & purpuræ pars vestimentorum, ita *l. Cum aurum* 20. *ff. de aur. & arg. leg. & in l. Et si* 21. *§. Perueniamus eod. tit.* sic. Ei enim cedit, cuius maior est species &c. Semper enim cum quærimus, quid cui cedat, illud spectamus, quid cuius rei ornandæ causa adhibeatur, vt accessio cedat principali &c. quoniam hoc expectamus, quæ res, cuius rei ornandæ causa fuerit adhibita, non quæ sit pretiosior.

In speciebus non esse locum functioni, id est, vt alia res vice alterius fungatur, dicit *glosa vlt. in l. 1. §. 1. ff. de aur. & arg. lega.*

Omnes debitores, qui speciem ex causa lucratiua debent, liberantur, cum ea species ex causa lucratiua ad creditores peruenisset, ita *l. 16. ff. de act.*

Aliquando est, quid licitum in specie, quod in genere non licet vt, ex his quæ affert, arguit *glos. verbo a decimo octauo in cap. 1. de pac. tenen.*

Valere argumentum de specie ad genus affirmatiue, dicit *glos. verbo species in addit. §. Plebescitum de iu. nat. in Inst. per tex. in l. 2. §. Doli mali* mentio hic, & vim in se habet; nam qui vim facit dolo malo facit *ff. de vi bon. rapt.* vbi notat *glos.* quod dolus sit genus & vis, species. Non autem valet negatiue prosequitur *d. addit. per l. Duobus §. Si quis ff. de iur iu. secundum Ias. & bene. nam in hoc tex. sic Iurisconf.* ait. Si quis iurauerit se non rapuisse non debet adiuuari hoc iure iurando, & in actione furti, & condictione furti, quia aliud est furtum fecisse, quod vel clam fieri potuit. Sumendo furtum pro genere, & rapinam pro specie. Et ita concluditur expresse, quod argumentum negatiuum de specie ad genus non valet v. g. non fecit rapinam, ergo non fecit furtum.

Etiam species appellatione quantitatis continetur iuxta *l. Quisquis* 93. *ff. de legat. 3.* ibi. Det quantas summas dictauero &c. Aristo res quoque corporales contineri ait; vt prædia mancipia &c. non adnumeratam dumtaxat pecuniam referri, & expresse tradit *glosa verbo Data post prime.* ibi. Nec obstat,

Digitized by

stat, quod dicit quantitatis: quia etiam species, appellatione quantitatis continetur. Licet aliàs species pro quantitate non reddatur, *vt sup.* nec e contra, *per Bart. in l. 2. in princ. vers. Quomodo transferatur ff. si cert. pet.*

Species nominatim legatę si non reperiantur, nec dolo hæredis deesse probentur, peti ex eo testamento non possunt, ita dixit *Modestin. in l. Cum ita 33. §. pen. ff. de legat 2.* Notabis tamen, quod interitu speciei non tollitur conditio, nec liberatur quis ab onere conditionis implendæ, sed tenebitur ad æstimationem eius præstandam, vt est *tex. sing. in l. vlt. C. de cond. insert* vbi seruo relicta liberat sub conditione dādi certum numerum solidorum, seu aliam quandam speciem, ipsa (etiam si casu fortuito) perempta, tenetur seruus dare eius æstimationem.

Quod legatur si quidem per personalem actionem exigetur ibi dari debet, vbi est: nisi dolo malo hæredis subductum fuerit tunc enim ibidem debet, vbi petitur. Præterea, quod pondere aut numero, aut mensura continetur ibi, dari debet, vbi petitur, ita disponit *l. 38. ff. de iud.* quam ibidem sic summat *Bart.* species debet solui vbi est, quantitas vbi petitur nisi aliud actum sit.

Spes.

VNa est ex principalibus tribus virtutibus, quæ dicitur certa expectatio futuræ beatitudinis: quia de futura beatitudine non potest esse certitudo scientiæ, sed credulitas tantum, *iuxta Augustin relatum per Innoc. in cap. Ex literis de iur. iu.* De qua ad Theologos te remitto *in 3. sent. dist. 26. vbi D. Thom.*

Altera datur spes, quæ vitiosa est, & reprobatur per *l.* Diuinam, & Canonicā de qua *in Euang. & in cap. Consuluit 10. de vsur.* ibi. Verum quia quid in his casibus tenendum sit. *Ex Euangelio Luc.* manifeste cognoscitur: in quo dicitur. Date mutuum nihil inde sperantes. Huiusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, cum omnis vsura, & super abundantia prohibeatur in lege, iudicandi sunt malè agere. Intellige tamen *cum glos. ibidē verbo sperantes,* quæ sic ait, supple causa mutui in spe lucri principaliter posita, secundario tamen aliquid sperare, non puto malum vt, & ipse seruiat illi *arg. 61. dist. cap. Quid proderit & 59. dist. cap. Si officia* nec etiam recipere ex tali spe *arg. 1. quæst. 2. c. Quam pro* imo naturaliter debitor est illi obligatus ad antydora, &c. quam *glos.* commendat ibi. *Abb. num.* 8. dicens. Nota sing. glo. nam tenendo contrarium multi illaquearentur.

Altera datur in iure spes, quæ ab eodem approbatur, cum aliquis sperat sibi ius competiturum de qua dicit *glos. verbo Innouata in cap. Non solum de appellat. lib. 6.* sic. Vnde sicut ius alicui non debet auferri, ità nec spes ad ius, *& in l. 3. §. Sed quia in fin. C. com. delegat. Imp. Iust.* Quia satis absurdum est, & irrationabile, rem quam in suis bonis pure non possidet, eam ad alios posse transferre, &c. & alienam spem decipere.

Spes substitutionis reciprocæ ad hæredem non transit. ità *summat Bart. l. Lucius 45. §. Paulus, ff. de vulgar.* idem esse in omni dispositione conditionali per viam vltimæ voluntatis, iuxta *l. Si vsusfructus 14. ad fin.* ibi. Sed si sub conditione fuerit legatum, non statim transit, sed expectamus conditionem, &c. *ff. quand. di. lega ced. & l. vnic. §. Sin autem aliquid sub conditione C. de cad. toll.* In contractibus vero contrarium disponit *Imp. in §. Ex conditionali* stipulatione tantum spes est debitum iri: eamque ipsam spem

spem in hæredem transmittimus, si priusquam conditio extet, mors nobis contigerit *de verb. oblig. in Inst. vbi glos. vlt.* affert differentia hanc rationem. Quia in stipulatione interuenit factum stipulantis volentis sibi prospicere, & sic hæredi *vt ff de probat. l. Si pactum* Quod non est in legatario, cuius nullum factum interuenit, & eodem modo responde in hæreditate conditionali. *vid etiam Bart. in l. Si filius ff de verb. oblig. & Card. in Clem. vlt. quæst. 16. de elect.*

Licet alias seruus incapax sit standi in iudicio, tamen si spem habeat consequendi libertatem, admitti debet prout respondit *Vlpian. in l. Mulier 22. §. 1. ff. ad Trebell.* ibi. Habet enim hic quoq; aditum, vt qui licet nondum petere fideicommissariam libertatem possit, nec directam sibi vendicare: propter spem tamen libertatis, & hæreditatis aditum ad prætorem, & per se habeat.

Spiritus.

QVod sextupliciter dicatur, scilicet aer, vel ventus, *in psalm.* 148. ibi Spiritus procellarum, corpora Beatorum, animæ beatorum, virtus imaginatiua, mens, & Deus; inquit *D. Thom. 1. par. quæst. 41. art. 3. & in 1. sentent. dist. 5 q. 3.* Est quem refert *Bertach. in suo repert. hoc verbo vers. 2.*

De spiritu sancto *in Conc. Ephe. 5. relato in cap. pen de consecrat. dist. vlt.* sic inuenies decretum. De Spiritu dicit Dominus in Euangelio. Ille me clarificabit. Hoc rectissimè sentientes; vnum 2 Christum, & filium: non velut alterius egentem gloria confitemur a Spiritu sancto gloriam consecutum; quia spiritus eius nec melior nec superior est. Sed quia humana opera faciens: ad demonstrationem suæ diuinitatis virtute proprij spiritus vtebatur: ab ipso clarificatus dicitur: eo quod virtus sua, vel quælibet disciplina vnumquemq; clarificare quamuis enim in sua sit substantia spiritus eius: & intelligatur in persona proprietas iuxta id quod spiritus est, & non plus: attamen alienus non est ab illo: nam spiritus appellatus est veritatis: & veritas Christus est: vnde & ab illo similiter sicut ex Deo patre procedit. Denique hic ipse spiritus etiam per manus sanctorum Apostolorum miracula gloriosa perficiens, Dominum glorificauit Iesum Christum, postquam ascendit in Cœlum; nam creditur Christus natura Deus existere: per suum spiritum virtutes efficiens: ideoque dicebat. De meo accipiet, & annunciabit vobis. Vide etiam *cap. vlt. de consecr. ead. dist. vlt.*

Duobus modis dari spiritum sanctum, scilicet ad bene viuendum, & ad virtutes 3 faciendas, inquit *glos. vlt. in cap. Quicquid 32. quæst. 2.* ibi quando recedit, & quando non recedit, & allegat iura: quorum melius probat *de panit. dist. 2. hoc cap.* Potest discursus atque mobilitas spiritus sic intelligi: in sanctorum quippe cordibus iuxta quasdam virtutes semper manet: iuxta quasdam recessurus venit: & venturus recedit; in fide enim spe, atque charitate, & alijs bonis sine quibus ad cœlestem patriam non potest perueniri: sicut est humilitas, castitas iustitia, atque misericordia: secunda perfectorum corda non deserit. In prophetiæ vero virtute: doctrina: secunda miraculorum exhibitione electis aliquando adest: aliquando se subtrahit &c. In his ita virtutibus sine quibus ad vitam minime peruenitur: spiritus sanctus in electorum suorum cordibus permanet: vnde recte stabilis dicitur: in his vero, per quas sanctitatis virtus ostenditur: aliquando præsto est, aliquando misericorditer recedit, & iuxta hoc intelligitur *d. cap. Quicquid in fin.* ibi, Non datur autem

Digitized by

præsentia Spiritus sancti tempore quo coniugales actus geruntur, vt ibidem d. glos. coniuncti. cap. seq. dum ait. Connubia legitima carent quidem peccato: non tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur præsentia sancti spiritus dabitur: etiam si propheta videatur esse qui officio generationis obsequitur. Sed etiam plura alia sunt, in quibus sufficit sibi sola vis humana, & neque res indiget, neque decet adesse præsentiam sancti spiritus; Et hæc sufficiant, reliqua ad quos pertinent, tractant namque fabrilia fabri.

Spolium.

ANte omnia purgandum est per restitutionem spoliato ab spoliante plene faciendam, vt plusquam notum est *ex l. 1. §. Eum qui in fin.* ibi. Qui vi deiectus est, quicquid damni senserit ob hoc, quod deiectus est, recuperare debet. Pristina enim causa ei restitui debet quam habiturus erat, si non fuisset deiectus cum duobus *§. seq. ff. de vi. & vi arma. & in l. si quis ad se fundum 7.* ibi. Vt ei, quem constiterit expulsum amissæ possessionis iura reparentur &c. *C. ad l. Iul. de vi. cap. 1. cap. In nostris 3. cap. Conquerente 7. & cap. Grauis de rest. spol.* Ad hoc vero, vt obtineat duo debent necessario probari, possedisse scilicet, & spoliatum fuisse, iuxta *d. l. in §. Si tamen vers. Interdictum* autem hoc nulli competit nisi ei, qui tunc cum deijceretur, possidebat.

Nec spoliato obstabit exceptio de defectu dominij. Quia prædo etiam est, secundum rigorem iuris, restituendus, *vt in cap. Constitutus 8.* videatur contrarium dici: tamen ibi ideo id fuit: quia mandauit Papa inquiri: eo quod ille spoliatus non agebat possessorio tantum, sed insimul petitorio, & possessorio, prout notat ibidem *glos. verbo. Eiectus.* Aliter enim si tantū possessorio ageret, & simpliciter petijsset restitutionem, restitutus fuisset sine causæ principalis cognitione, quod comprobat *d. cap. 1. de rest. spol.* ibi. Quamquam ante omnem contentionem possessio ei debuerat violenter ablata restitui: tamen quia euentus diaconus &c. consentiente illo constituit se legitime probaturum dictum campum eiusdem Ecclesiæ iuris esse: inquire veritatem, & si hoc probatum fuerit: huic dicendum est, vt a sua intentione discedat.

In eod. cap. 1. de rest. spol. glos. verbo. Contentiose excitat idem dubium sic dicēs. Sed videtur, quod non est restituendus si aduersarius incontinenti vellet probare dominium *ff. ad exhib. lib. 3. §. ibidem, & ff. ad Trebell. Ille a quo §. 1. & melius ff. vt in possess. legat. l. si is a quo l. resp. & insp. eod. cap. Literas.* Sed non obstant leges illæ; quia non loquuntur in interdicto vnde vi: imo in interdicto de adipiscenda possessione, & quod dicit *decret. literas*, illud speciale est propter periculum animæ in casibus, vbi Ecclesia dispensare non potest. Vide tamen *glos. notab. verbo sufficiens in capit. sententia de pac. Constant.* sic dicentem. Quod spoliatus si contrarius petit se restitui, ita quod exceptio obstat ipsi possessorio, non est facienda restitutio &c.

Non est verosimile, quod sponte iuri suo renunciauerit, qui renunciat spoliatus, ita *cap. 2. de rest. spol.*

Spoliatori quasi succedit in vitium (eo quod non multum interfuit, quoad periculum animæ) iniuste detinere, ac inuadere alienum, sic dicitur *in cap. sæpe 18. de rest. spol.*

Habet enim spoliatus priuilegium, vt non possit exui iam nudatus, inquit *cap. 1. in fin. de rest. spol. lib. 6.*

Paria videntur quem esse spoliatum omnibus bonis suis, vel maiori ipsorum

parte, vt dicit *glos. verbo integre in Extrauag. 2. de elect.*

Sponsa.

HVius nominis appellatione, vel sponsi, venit tantum illa, vel ille, qui non dum vxor, vel maritus est, vt dicit *Bertach. in suo repert. hoc verbo per tex.* quem allegat *in cap. sufficiat 27 quast. 2.* qui non mihi satis probat. Sed *Vlpian. lib. 31. ad Sabin. in l. 1. ff. pro dot.* ibi. Est quæstio vulgata an possit sponsus (hoc est, qui nõ dũ maritus est) rem pro dote vsucapere? Et Iulianus inquit, si sponsa sponso ea mente tradiderit res, vt non ante eius fieri vellet, quam nuptiæ secutæ sint: vsu quoque capio cessabit. Si tamen non videtur quid actum fuerit, credendum esse id agi, Iulianus ait, vt statim res eius fiant: & si aliena sint, vsucapi possint: quæ sententia mihi probabilis videtur. Ante autem nuptias non pro dote vsucapit, sed pro suo &c.

Verum in materia venit ponderandus famosus *text. in l. Non sine 5. C. de bon. quæ lib. vbi Impp Leo & Anthemius* rescribentes Nepotiano mag. milic Dalmatiæ sic dixerunt. Non sine ratione de negotio, quod inter matrem famil. cuius vestra suggestio meminit, & germanum eius vertitur magnitudo tua diuersis legibus ex vtraque parte prolatis, nostram credidit consulendam esse clementiam, cum mulier diuersis iuris lectionibus eũ idẽ intelligi maritũ, & sponsum niteretur probare, germanus autem, mariti nomen illi soli, qui nuptias contraxerit, ex recitatione constitutionis &c. (qua cauetur, quicquid maritus, vel vxor in potestate constituti, inuicem sibi reliquerint, non patri acquiri, sed ad eorum ius pertinere) imponi. Quamuis ergo significatione nominis, maritus vel vxor post cõceptum matrimoniũ intelligatur, ex quo videlicet inducta est dubietas: attamen quia cõsequẽs est in ambiguas, atque legum diu ssis interpretationibus ti ubantes causas benig e, atque naturalis iuris moderamine temperare, non piget nos in præsenti quoque negotio, de quo sublimitas tua suggessit æquitati conuenie é Iuliani tantæ æstimationis viri, atque disertissimi iurisperiti opinionem sequi: qui quidem de dotali prædio tractatu proposito, idem ius tam de vxore, quam de sponsa obseruari arbitratus est, licet lex Iulia de vxore tantum loquatur. Qua ratione tam sponsalitiam donationem, quam hæreditatem, quam memoratus sponsus suam sponsam lucrari voluit, non acquiri patri, sed ad eam peruenire, benignum esse prospeximus. Ex quo tex. clarè deducitur, quod vbi agetur de materia fauorabili, sub nomine vxoris venit sponsa, & sub mariti nomine, sponsus. Si verò de materia odiosa, tunc non veniat sponsa sub appellatione maritatæ, vt concludit *glosa & Abb. in rub. de spons. num. 5.*

Sponsalia vero sũt futurarum nuptiarum promissio iuxta *l. 1. ff. de sponsal. capit. Nostrates 30. quæst. 5.* Dicta autem sunt a spondendo, nam moris fuit veteribus stipulari, spondere sibi vxores futuras, vt dicit *Vlpian. lib. sing. de spons. in l. 2. eod. tit.* vnde, & sponsi, & sponsæ appellatio nata est, ait *l. 3. eod.* Vnde propriè sponsa dicitur de futuro, *vt not. in cap. tertio loco de præsumpt.* impropriè tamen ante copulam possunt appellari sponsi, vt dicit *Abb. in citat. rubr. de sponsal. sub numer. 4.* nam videtur mulier sponsa idest promissa respectu carnalis copulæ. Sed impropriissimè, & abusiuè vocantur sponsi post carnalem copulam dum filios non e iunt, prout vulgariter nominantur in Italia.

Institutum est vt sponsæ iam pactæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus

ritus datam, quam suspirauerat sponsus dilatam, sic inquit *Ang. lib. 4. confess. relatus in cap. Institutum 27. quæstion. 2. vbi glos. volem* sic,

Gratior est fructus quem spes productior edit.

l. 3. ff. de priuil. cred. loquens de sponsa minore 12. ann. decidit, quod ipsa dotem habere potest ad consequendum privilegium dotale, & reddit hanc rationem. Interest enim Reip. & hanc solidum consequi, vt ætate permittente nubere possit, *& in l. 77. Hermogen.* dicit si sponsa dotem dederit, nec nupserit: vel minor 12. ann. vt vxor habeatur exemplo dotis, conditioni (fauoris ratione) priuilegium, quod inter personales actiones vertitur, tribui placuit *ff. de iu. dot. & in l. 4. de fund. dot. Caius.* sic ait. Lex Iulia, quæ dotali prædio prospexit ne id marito liceat obligare aut alienare: plenius interpretanda est, vt etiam de sponso idem iuris sit, quod de marito.

Sportula.

QVod de iure Canonico sint prohibitæ dixerunt aliqui *per text. in capit. Cum ab omni 10 de vit. & hon. cler.* ibi Ideoq; mandamus quatenus ab huiusmodi exactionibus de cætero abstinentes: vigorem iudiciarium gratis studeatis litigantibus impartiri, non obstante quod infraudem a quibusdam proponitur, quod exigatur id nomine assessorum, cum nec iustum iudicium iudici vendere liceat: & venales sententiæ ab ipsis etiam secularibus legibus reprobentur. Verum tex. iste loquitur de sportulis super decima, vel alia quotalitis, vt idem clarè dicit ibi. Super decima litis vel parte alia pro diuersa terrarum consuetudine. Vnde consuetudo est, quod sportulæ soluuntur, nisi sint immoderatæ, vt plene notat *Card. in Clem. statutum opposit. 1. de elect.*

De iure ciuili sportulæ debentur, vt probat *Auth. offeratur* ei, qui vocatur ad iudicium libellus, & exinde præbitis sportulis &c. *C. de lit. contest. vbi glosa prabitis,* ita ait. Tam ab actore, quam a reo, & quando, & quantum in iudice delegato habes *in Auth. de iudicib. §. Ne autem coll 6.* in ordinario non inuenitur lege expressum nisi in clericis, *vt sup de episc. & cler. l. Omnes qui §. Executoribus, aut & l. Cum clericis Auth.* sed hodie, & in quibusdam alijs personis, *vt infr. de fruct. & lit. expens. l. fin. & de agent. in reb. l. fin lib. 12. in fin.* Et secundum consuetudinem terræ dic in eis seruandum morem.

Quantitas autem sportularum, quod sit duorum aureorum in principio, & aliorum similiter duorum in fine litis disponitur *in citat. Auth. de iudicib. §. Ne autem* circa hoc labor sine mercede nostris fiat pedaneis, sancimus eos in vna quaque dicta apud eos causa &c. duos quidem aureos ab vtraq; parte in contestatione litis accipere, & duos in fine negotij, & vltra hoc nihil (quod etiam prædecessores nostri definierunt) Sed his contentos esse &c. *vbi glos. ab vtraq;* quærit an prædicti duo aurei dentur a quolibet litigantium, & re soluit, quod sic ex vi dictionis, ab vtraq; quæ innuit, quod qualibet pars duos det. Et scias quod dictæ sportulæ non crescunt licet quantitas petita sit magna, nec decrescunt licet sit parua, *vt per prædict. tex. tenet optima glos. verbo in libello in §. Tripli de act in Inst.* vbi etiam sequentia. Item nota quod reus soluebat huiusmodi sportulas, vt hic *& C. de Episc. & cle. auth. Generaliter,* sed actor ei restituebat, nisi iusta causa eum vocasset, *vt ff. de in d. l. Eum quem temere.* Item nota adhuc, quod huiusmodi sportulæ quibusdam prorsus remittuntur,

tur, vel pauperibus, *vt in Auth. de mand. princ. §. oportet coll. 4.* a quibusdam pauciores exigebantur, vt a clericis, *vt C. de Episc. & cler. l. Cum clericis, & in Auth. ibi posita. Sed hodie.* Alijs autem per priuilegium principis viuentis remittuntur in totum, vel pro parte, *vt C. de fruct. & lit. exp. l. fin. &c.*

Notabis denique, quod si in causis de quibus sportulæ debentur opponatur exceptio declinatoria incompetentis iudicij, non poterit ipse iudex de ea iudicare propter commodum sportularum, quia alias esset iudicare in causa propria contra *l. 1. §. In propria ff. quand. appellan. sit cum vulgar.* & ita videtur *glos. verbo prouinciæ in l. De iure 37. ff. ad municip.* ibi. Sed si commodum ad eum pertinet, quia decimam est habiturus &c. sequitur *Bart. in l. Si quis ex aliena ff. de iudic.* Licet contra teneat *Alex. in l. 2. ff. si quis in ius voc.*

Statutum.

EST huius municipale habens vim legis & pro lege habetur, *l. Omnes populi 9.* ibi partim suo proprio *ff. de iust. & iu. cap. 1. de constit.* ibi. Locorum & personarum singularium consuetudines, & statuta *de constit. Licet glosa verbo suo proprio in d. l. Omnes.* dubitet quomodo posit statutum condi a Muncipio, cum solus princeps posit facere leges? nec solutio ab eadem posita placet cum sit contra ipsam legem ibi partim suo proprio. Vnde vera est resolutio, quod possit vnaquæque ciuitas statutum condere, & confirmari facere per principem, & si non confirmetur, per consuetudinem legitimam confirmabitur, cum ipsa, vt notum est, vim legis habeat, cui non derogabit lex, vel constitutio superueniens si de ea specialem non fecerit mentionem, vt concludit *d. cap. 1. de constit.*

Sed quid dicendum si post factum a ciuitate statutum posit ab eadem, per aliud in contrarium illud primum derogari? Respondet *glos. verbo Criminalibus ad med. in cap. Nos Romanorum de pac. Const.* in hæc verba. Videtur, quod non &c. Contrarium est verum &c. Et ex his apparet, quod statuta potius accedunt vltimæ voluntati, quã contractui &c. quod quidem videtur intelligendum quando non fuit statutum per superiorem confirmatum.

Quærit etiã eadem *glos.* paulo inferius verum statutum iniquum teneat? Et respondet sic, si sit solemniter factum, donec corrigatur per superiorem: secus si sit impossibile, *vt not. in cap fin. de appellat. lib. 6. in Nouell.* Et in cæteris, quæ ad commoditatem spectant ciuitatum hic conceditur ciuitatibus, quod olim erat concessum præsidibus &c. Et quod verba statuti intelligi debeant de casu possibili, dixit *glos. verbo rei in §. 1. de oblig. in Inst.*

Si aliquid in aliquo statuitur idem in eo, quod est ei simile, statuendum esse, ait *glos. verbo non cessit in l. vlt. ff. com. præd & in l. Loci §. Si fundus verbo processerit ff. si seru. vendic.*

Statuta, & sententia quamuis sint stricti iuris, tamen recipiunt interpretationem extensiuam, quando alias non possunt sortiri effectum, ita dicit; & notat *glos. verbo Cum marito in §. Item is, qui pœ tex.* ibi. Et conuenienter si ad mulierem vsus ædium pertineat cum marito ei habitare liceat *de vsu, & habit. in Inst.*

Statutum loquens de moneta simpliciter, debet intelligi secundum præsumptionem alterius statuti, secus vero inter contrahentes vt dictum est sup. *verbo moneta.* Reliqua circa statutum videas latissimè *per Bertach. eo verbo.*

Steri-

Sterilitas.

MAgna est concertatio inter nostros vtriusque iuris doct. quæ illa dicatur, & *Ioan. Andr. in addit. ad specul. de locat. per capit. Propter eo tit.* dicit, eam esse secundum communem opinionem agricolarum. Sed *Bart. in l. Licet C. eod* ait quod quando soluta pensione ex fructibus collectis, supersunt modici fructus tantum, quod læsio fit vltra dimidiam iusti pretij, dicitur sterilitas, idem *in l. si vno §. Vbicunque vers. sed dubitatur ff. eod. tit.* Sed *in l. si merces 28. §. vis maior eo vers. Pro declaratione præsentis §.* inquit, quod quando nihil percipitur, dicitur sterilitas. *Salicet. vero in d. l. licet 2. col. vers. Quæro* quando dicatur sterilitas, tenet contra *Bart. & Ioan And.* dicens, quod sterilitas est in fundo, quando non colligitur vltra semen, vel si vltra est quid modicum, vt non sit æstimatio de eo. In vineis vero, & pratis, in quibus non ponitur semen procedit opinio *Ioan. Andr.* vt stetur agricolis *Bald. autem in d. l. Licet in princip. vers. Quæro* quando dicatur sterilitas, dicit sterilem fundum dici, quando non percipiuntur fructus pro dimidia soluti, & illo anno colonus debet respondere, vt partiarius non deductis expensis *cap. Tuã nos de decim.*

De iure autem videtur quod tunc dicatur sterilitas, quando scilicet omnem fructum tulerit, vt fructus etiam seminis non supersit, iuxta *l. Ex conducto 16. §. 1.* ibi, Sed & si labes facta sit omnemq; fructum tulerit, damnum coloni non esse; ne supra damnum seminis mercedes agri præstare cogatur, *& in l. si vno 17. §. Vbicunque* ibi, Supra denique damnum seminis ad colonum pertinere declaretur *ff. locat.* Alioqui si tale damnum non interuenerit, secus erit dicendum iuxta *l. Si merces 28. §. vis maior ff. eod. tit.* ibi, Si plusquam tolerabile est: alioqui modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur, *& l. Habitatores 30. eod. tit.* Quod intelligas de eo colono, qui certam pecuniam annuatim debet, vel certas corbes; non vero de partiario, qui cum domino damnum, & lucrum partitur, *vt in d. §. vis maior* expresse dicitur ibi. Apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioqui partiarius colonus quasi iure societatis & damnum, & lucrum cũ domino fundi partitur. Et ita intellexit sterilitatem *gloss. verbo magno incommodo in capit. Propter sterilitatem de locat.* Sed quid tenendum? existimo quod debeat attendi consuetudo regionis, in qua de sterilitate agitur. Et in practica vidi quando de sterilitate tractabatur in iudicio apud nos quod ad eam probãdam deducebatur. Qualiter secundum opinionem agricolarum erat communiter reputata sterilitas magna, taliter quod si colonus soluturus esset mercedem, seu pensionem, pateretur magnum damnum vltra dimidiam iusti pretij, iuxta opinionem *Ioan. Andr. & Bart. sup in primo loco positam.*

Id vero, quod dicitur *in d. l. Si vno in princ. & in l. Licet C. locat. & d. capit. Propter* scilicet sterilitatem vnius anni compensandum cum alterius vbertate nunquam vsque adhuc vidi practicari.

Sterilitas fundi non facit, vt si sit minoris possit alienari sine solemnitatibus, de quibus, *in l. 1. ff. de reb. eo.* vt notauit *Bald. in l. vlt. §. Non autem C. de bon. quælib. & est tex. in l. 13. eodem tit. in quo sic Paul.* Si fundus sterilis, vel saxosus, vel pestilens: videndum est an alienare eum non possit? Et Imp. Antoninus, & Diuus pater eius in hæc verba rescripserunt. Quod allegatis infructuosum esse fundum, quem vendere vultis: mouere nos non potest, cum

cum vtique pro fructuum modo, prætium, inaucturus sit.

Stipulatio.

Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione, & responsione cum quid dari, aut fieri stipulamur, inquit *Imp. in §. 1. de verb. oblig. in Inst. & Vlpian. in l. 1. eod. tit. ff.* sic stipulatio non potest confici, nisi vtroque loquente, *obi glos. loquente* declarat, altero interrogante, & altero respondente: vnde colligitur, quod stipulatio fit per præcedentem interrogationem, & subsequentem respõsionem; sed licet non constet de præcedente stipulatione, tamen si res inter præsentes gesta est, credendum est præcedentem stipulationem vocem respondentis subsecutam esse, vt inquit *l. 1. C. de contrah. & com. stip.* & in dote hoc vberius est constitutum *in l. 1. C. de rei vxor. act.* ibi, Sancimus omnes dotes per exstipulatu actionem exigi, siue scripta fuerit stipulatio, siue non: vt intelligatur re ipsa stipulatio esse secuta, *& in §. Accedit* ibi, Tunc præsumatur mulierem ipsam stipulationem fecisse, vt ei dos ex huiusmodi casu accedat: neque in hac specie volumus videri extraneũ, tacitam stipulationem fecisse, & quod pro mulieribus introduximus, hoc aduersus mulieres cõuertatur. Quod procedit etiam si inutilis interuenerit stipulatio iuxta *vand. l. 1.* ibi, Est enim consentaneum nobis, qui censemus, vbi stipulatio supposita non est, intelligi eam fuisse adhibitam: multo magis etiã si inutilis est eam validam esse, *obi glos. Multo* sic ait. Locus a maiori, quia si nullam facimus aliquod, multo magis inutile.

Plerunque in stipulationibus verba, ex quibus obligatio oritur inspicienda sunt; raro autem inesse tempus, vel conditionem, ex eo quod agi apparebit intelligendum est: personam vero nunquam, nisi expressa sit, ait *l. si ita 126 §. Chrysogonus ad fin. ff de verb.* Non autem secundum futuri temporis ius, sed secundum præsentis, æstimari debet stipulatio, inquit *l. Continuus 137. §. Cum quis eod. tit.*

Cum pecuniam mutuam dederit quis sine stipulatione, & ex continenti fecit stipulationem, vnus contractus est. Idem erit dicendum, & si ante stipulatio facta est, mox pecunia numerata est, sic ait *l. si ita 6. §. vnic. ff. de nouat. & l. seq.* Cum enim pecunia mutua stipulamur, non puto numeratione obligationem nasci & deinde eam stipulatione nouari, quia id agitur, vt sola stipulatio teneat, & magis implendæ stipulationis gratia numeratio intelligenda est fieri.

Tacitè hæc conuentio inesse stipulationi videtur, si in eadem causa maneat, inquit *l. Cum quis 38. ff. de solut.* in casu quando stipulatio fit, vt mihi vel Petro soluatur, quod intelligatur dummodò Petrus in eodem statu sit.

Cum stipulatur vt procurator, vel gestor, quod semper primæ facie præsumitur, sic ait *glos. vlt. in l. Seia 13. ff. de dot. prælega.*

Respiciendus est sermo in stipulationibus vtrum ne talis sit quem voluero, an quem volam &c. *l. si quis 112 ff. de verb.* de qua jam supra verbo electio, vbi remissiue ponitur ex *glos. ibidem relat.* differentia inter hæc duo tempora voluero, & volam.

Si quis spoponderit insulam cum moriebatur ædificare stipulatori, impossibilis veteribus videbatur huiusmodi stipulatio, sed nobis sensum contrahentium discutientibus, verisimile esse videtur, hoc inter eos actum, vt incipiat quidem contra morientem obligatio, immineat autem hæredibus eius, donec ad effectum perducatur. Nemo enim ita stultus inuenitur, vt tali animo faceret stipulationem, vt putaret tantum posse

adi-

ædificium in vno momento horæ extollere vel eum, qui moritur, talem habere sensum, quod ipse sufficeret ad huius operis completionem. Sancimus itaque si quid tale euenerit, hæredes eius teneri, vt factum quod mortis tempore facere promisit, hoc hæredes eius adimpleant, quasi speciali hæredis mentione habita, licet hoc minime fuerit expressum. Quemadmodum enim si in dando fuerat stipulatio, & contra hæredes trāsmittebatur, ita & si in faciendo est, licet in mortis tempore colligatur attamen ad similitudinem in dando conceptæ stipulationis, & hæredes obligari, vt non discrepet factum à datione; sed sit lex nostra per omnia sibi consentanea. Quod & in legatis simili modo relictis obseruari censemus, sic *Iustinian. in l. vlt. C. de contrah. & commit. stipul.* Ex qua deducitur illa generalis regula, quod verba contractus trahi debent ad possibilem intellectum.

Studium.

IN *Clem. 1. de Magistr.* quinque studia generalia numerantur Romanorū, scilicet, Parisien. Oxonien. Bononien. & Salmanticnum, & ibidem præcipitur ita statuentes, vt in quolibet locorum teneantur viri catholici sufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldeæ linguarum notitiam &c. vt alios solicite linguas ipsas doceant, *vbi glos. verbo Bononien.* quod studium Rom. fuit vltimum, concessum ab Innoc. &c. vt constat *ex cap. 2. de priuileg. lib. 6* Et studiū Bononien. habuit priuilegium studij a Theodosio minore ann. Dom. 425. de alijs vero quādo inceperunt, vide *Card. in d. Clem. 1. de magistr. quæst. 5.*

Generale etiam dicatur studiū illud, quod ex priuilegio, vel consuetudine, cuius initij non sit memoria, erectum est, vt est *glos. sing. verbo generalibus in Clem. 2. vers. Nos autē* ibi. Idest locis habentibus studium ex priuilegio, vel consuetudine &c. *de sepult.* Et talibus conceduntur priuilegia, de quibus *in d. capit. 2. de priuil. lib 6. in fin.* ibi. Vnde volumus & statuimus vt studentes in scholis ipsis penes sedem eandem talibus priuilegijs omnino libertatibus, & immunitatibus gaudeant quibus gaudent, studentes in scholis: vbi generale regitur studium ac recipiant integre prouentus suos Ecclesiasticos sicut illi.

Si verò in scholis nullum est, vel minus competens studiorum exercitium, non gaudebunt studentes talibus priuilegijs, vt deducitur *ex capit. ex tuæ 12. de cler. non resid. vbi glos. verbo studiorum* sic. Licet indeterminatè dicatur studium, de meliori intelligendum est, &c. Arg. contra &c. Sed sufficit si sit studium conueniens siue mediocre; de quo dubito si non sit generale iuxta formam supradictam.

Nihil liberalia nobis conferunt studia? quærit *Senec. Epist. 8.* & ita respondet à Ad alia multum, ad virtutem nihil: Et infra iterum quærit. Quare generalibus studijs filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem præparant.

Nota disputationem multum prodesse ad studium, ita inquit *Apostill. ad tex. in l. vlt. §. mista ff. de muner. & honor.* ibi. vt Herennius Modestinus, & disputando benè, & optima ratione decreuit.

Studiorum labor meretur, vt ij, qui in publicis administrationibus constituti, sociari sibi consiliorum participes cupiūt spe præmiorum atque honorificentia sua prouocent eos quorum prudentiam sibi putant esse necessariam, ita *l. 1. C. de assessor.*

Quod studentes non debent, ibi obstrepere inuicem dictum est supra verbo scholaris.

Quod causa studiorum filiofam. creditur a patre soluēdum dicis verbo mutuum.

Non

Non sufficit diu studuisse, sed bene; dixit *glos. verb. superetur per tex. ibi in l. vnicauque C. de prox. sacr. scrin. lib. 12.*

Stultus.

Est qui se in eo primum existimat, vt bona, quæ viderit, discere contemnat: ita dicitur *in cap. De Constantinopolitana 22. dist.* Sed erit stultissimus si omissa actione, qua facilime solidum in contractu consequi posit, se ad difficultatem perducat probandi in rem domini versum esse, ait *Imp. in §. Cæterum, quod cum eo in Inst.* vbi *glos.* notat stultum esse si eligat malum cum possit eligere bonum, & ponit versus,

Qui videt vtilius, & sumit deteriora.
Absit ei radius luminis absque mora,

quod non intelligas quando aliud vrbanitas exposcit, nam tunc deterius eligendum est, & melius alteri relinquendum.

Quemadmodum stultus est equum empturus, qui non eum, sed phaleras aspicit; sic qui homines ex vestibus estimat stultissimus est dixit Senec. Et tamen hæc stultitia hodie maxime viget.

Stultum est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi, dicitur *2. Machab. 2. in fin.*

Stultitia est timore mortis, mori dicit *Senec. Epist. 71. & alia habes sup. verbo. Mors. & lib. 7. de benef. capit. 16 ad fin.* Stultitia morbus est animi, *& lib. 2. Epist. 13. aliàs 1.* Inter cætera mala hoc quoque habet stultitia, semper incipit viuere, *& lib. 4. de benef. capit. 38.* Hæc vero superbæ stultitię perseuerantia est, quod semel dixi qualecunque est, fixum ratumque sit.

Nihil stultitia pacatum habet, tam superne illi metus est, quam infra: vtrunque trepidat latus, sequuntur pericula, & occurrunt, ad omnia pauet, impacata est, & ipsis terretur auxiliis, idem *Senec. Epist. 60.* vbi omnia contraria dicit insapiente, *& in lib. 3. de benef. capit. 15.* hæc. Omnes stulti mali sunt: qui autē habet vitium vnum habet omnia: Omnes autem stulti, & mali sunt, omnes ergo ingrati sunt, *& in Epist. 75.* sic. Quid enim stultius, quam aliquem sibi placere quod ipse non fecit? Cui respondeo, illum qui sibi complacet de eo, quod male fecit. Et vt concludamus stultorum infinitus est numerus. *Ecclesiastes 1.*

Qui est stultus in culpa, sapiens fit in pœna, dixit *glos. in cap. Nisi 3. verbo pœna de offic. delega.* Vnde non melioris conditionis debent esse stulti, quam periti, vt dicit *Iurisconſ. in l. 4. ff. quod vi. & Pontif. in cap. Eum qui 18. de prab. lib. 6.* sic. Non enim decet, quod stultus melioris quam peritus conditionis existat Nec stultis solere succurri, sed errantibus, inquit *l. Regula 9. §. 1. in fin. ff. de iur. & fact. ign.* vbi etiam notat *glos. & in l. Qui solidum 80. §. Etiam ff. de legat. 2.* ita. Ignauiam etenim prætendentes audiri non oportet, vbi *glos.* declarat ignauiam, idest stultitiam. Vnde dixit *Imp. in l. vlt. C. arbitr. tut.* Neq; enim sic homo simplex, imo magis stultus, inuenitur vt in publico inuentario scribi contra se aliquid patiatur, ex quo infero, ergo si patiatur, patiatur pænam, vt soluat, licet non debeat, siquidem ita stultus fuit. Sic stultitia soluentis lucratur donatarius, vt notauit *glos. verbo dandam in l. Cum pater 79. §. Mauio ff. de legat. 2.*

Stuprum

Propriè virginum est illicita defloratio quando videlicet non præcedente coniugali pactione vtriusque voluntate virgo corrumpitur, sic *in capit. illa 36. quæst. 1.*

quaest. 1. & bene dicit, proprie, quia alias etiam dicitur stuprum cum vidua, vel puero, vel etiam coniugata, vt ibidem notauit *glos. propriè* per iura, quæ allegat. Alias etiam species stupri ponit Bertach. in suo repert. sub hoc verbo, & ibidem inuenies pœnas impositas singulis ad quem te remitto.

Subditus.

ILle propriè dicitur, qui ratione domicilij subditus est, *vt not. Apostill. ad glos. verbo subditos in Clem. vnic. de for. comp.* quæ sic se habet. Ista tamen litera sic latè posita comprehendere videtur etiam eos, qui non ratione domicilij, sed delicti, vel contractus subditi sunt, quod non puto de mente fuisse, nec talis proprie subditus, licet sortiatur forum quoad casum illum.

Quod subditi obediẽtes esse debent, commendat *Imp. in Auth. vt iud. sin. quoq; suffrag. §. Illud videlicet vers. Oportet quoque vos nostros subiectos coll.* 2. ibi. Et nolite vestras voluntates ita præbere inobedientes, quatenus eorum præsidum egeatis vehementia. Tamen admonendi sunt subditi ne plusquam expedit sint subiecti: ne cum student plusquam necesse sit hominibus subijcit, compellantur vitia eorum venerari, prout aduertitur *in cap. Admonendi* 2. *quaest.* 7.

Ad hoc locorum gradus rationes ordo distinxit, & iudicia esse constituit, vt nec præpositi in opprimendos se frustra valeant occupare subiectos, nec subiectis iterum contra suos præpositos effrænatæ sit resultandi licentia, sic inquit *cap. Ad hoc* 16. *quaest.* 1. Imo potius qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne & si iniuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat, vt dicitur *in capitul. Non solum post med.* 11. *quaest.* 1.

Religio namque perimitur, si a meritoria subditi obedientia subtrahantur magna quidem paupertas, sed maior integritas, bonum est, obedientia maximum si custodiatur illæsa &c. *vt in Extrauag.* 1. *de verb. sig. prope fin.*

Si vero superior male præcipiat nõ solum subditus ei non tenetur obedire. Sed & potest resistere, vt est *glos. verbo liberam* ibi. Nota officialem posse, vel debere resistere iudici, & sic subditi prelato male agenti *in l. Omnes* 33. *C. de decurion. lib.* 10. *per tex.* ibi. Quoniam vt pertinaciæ iudicis sui resultat liberam eidem contradicendi per mittimus facultatem.

Neque enim superiores, ex quo superiores sunt, præsumere debent quidquam mali subditis præcipere; quia, vt inquit Eminentissimus Card. Bellarm. *de æterni. fœlic. lib.* 1. *cap.* 3. Poterit fortasse rex sine consilio, vel consensu aliorum iubere, vt aliquid fiat, sed exequi non poterit, nisi subditi velint, & sæpe etiam nec iubere poterit, aut certè audebit, si multitudo subditorum illum terreat.

Subditos non posse facere deteriorem conditionem eorum, quibus subijciuntur, dicitur *in l. Quanto* 23. *ff. de iur. iu.* ibi. Ipsi autem deterentes conditionem eorum, quibus subiecti sunt, non facient deteriorem, vnde dixit *glos.* 3. *in capit. Cum venerabilis* 21. *de censib.* Subditus non potest eijcere a se iurisdictionem Episcopalem. Cum autem agitur de subiectione aliquorum, non illi, sed ille qui dicit subiectos esse, conueniri debent *glos. verbo abbas in capit. Auditis* 15. *de præscript.* & paulo *in fin.* sic. Et subditus etiam conuenitur. Lite vero pendente inter prælatum, & subditos, ipsi obedire tenentur, vt probatur verbo *prælatus*.

Quemadmodum Dominus potest impedire ne subditi eius alteri se subijciant: sic è

sic è contra subditi opponere se possunt si eorum dominus alteri se subijcere velit, quod eorum interest dominum suum alteri non subijci: ne cogantur, plures dominos habere, sic *glos. 1. in Extrauag. vnic. de maior. & obed.*

Notat *glos. verbo litis sumptus in l. vlt. C. de ord. cogn.* quod si subditus agat contra prælatum, debet interim habere expensas ab Ecclesia per iura, quæ ibidem & per eundem tex. ibi. Tantum litis sumptus, & alimonia huiusmodi subministrentur, quantum moderati iudicis arbitrio fuerit æstimatum. Malus prælatus timet bonum subditum, sic deducit *per arg. glos. vlt. in l. 3. C. de Palatin. lib. 12.*

Subditis locupletibus, imperium fiscus, & Respublica abundabit. Vide verbo, Diuitiæ vers. Principis interest.

Subhastatio.

PIgnoris debet fieri cum citatione debitoris iuxta *l. vlt. C. de iur. dom. imp.* vbi *glo. verb. ex denunciatione*, & ait scilicet vna, vbi vero conuenit ne venderet, ter est denunciandum, *vt ff. de pig. act. l. si conuenerit 1. in fin.*

Si pignora, quæ capta sunt emptorem non inueniant: rescriptum est ab imperatore nostro, & diuo patre eius, vt addicantur ipsi cui quis condemnatus est: addicantur autem vtique ea quantitate, quæ debetur, ita *in l. A diuo Pio 15. §. Si pignora ff. de re iud.* Sed si emptor cui pignora sunt addicta exequente iudice, pretium non soluat: verum aduersus emptorem porrigere manus debeant ijdem iudices, qui sententiam exequuntur, videndum est. Et non puto eos vltra procedere. Cæterum longe res abibit. Quid enim dicemus? Condemnabunt emptorem, & sic exequentur aduersus eum sententiam, an statim pro iudicato habebunt? Et quid si neget se emisse, aut exoluisse contendat? Melius igitur erit si non se interponant: Maximè cum nec habeat actionem aduersus eum is, cui iudicatum fieri desideratur, nec iniuria afficiatur. Oportet enim res captas pignori, & distractas præsenti pecunia distrahi, non sic vt post tempus pecunia soluatur, ita *in d. l. A diuo Pio §. Sed si &c.*

Licet alias res subhastata debeat plus offerenti addici, etiam si minus valeat tamen si illa fuerit Ecclesiæ, quamuis plus offerenti iubetur addici *in cap. Ea enim §. Hoc ius porrectum* ibi per viginti dies rem Ecclesiæ esse venalem publice sit notum, vt plus offerenti occur &c. 10 *quæst. 2. Tamen glos. ibidem verbo plus* sic ait. Quid si offerat plus quam valet? Tunc tantum iustum pretium recipiat: licet lex dicat, quod cõtrahentes possunt se fallere *ff. de minor. In causa.* Sed Ecclesia in suis contractibus non debet dolum facere, *vt extr. de donat. Per tuas*, Notabis etiam in hac materia, quod eo ipso quod res subhastata est, non probatur, quod iusto pretio sit vendita, vt tenet *Bart. in l. 1. C. de praescript. 30. an.*

Subhastationem debere fieri officiali præsente disponit *l. vlt. C. nou. vect. ad fin.* ibi. Sub conspectibus autem tuis, vel eorum qui tuæ grauitati succedunt licitationis cura seruetur. Et si alia plura vis de materia, vltra quæ dixisti verbo Licitatio. Vide *Bart. in l. Licitatio in princip. 2. quæst. ff. de public. & vectig.*

Subreptio.

ET abreptio, licet nomine, & causa differant, nam illa dicitur quando quis expressa falsitate, & hæc quando tacita veritate aliquid a principe im-

petratur, tamen quoad effectum idem sunt, quia eundem operantur. De prima inquiunt *Imp. in l. 1. C. si contr. ius*. Et si legibus consentaneum sacrum oraculum mendax precator attulerit, careat penitus impetratis: Et si nimia mentientis inueniatur improbitas etiã seueritati subiaceat iudicantis. De secunda vero *Pontif. in cap. Postulasti 27. de rescript.* sic. Commodum reportare non debet, de huiusmodi litteris, vt pote veritate tacita impetratis. Et de vtraque *in cap. super litteris eod. tit.* ibi. Vt hi, qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatẽ in suæ peruersitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequantur, *vbi glos. verbo priori modo* intelligit quando scilicet per fraudem, vel malitiam impetrantur, quod qui eam allegans tenentur probare, & ibidem *Apostill.* sic. Hanc glos. notant. Sing. Innoc. & Abb. hic, ad hoc quod exprimens falsum, vel tacens verum in impetratione rescripti præsumitur hoc prima fronte fecisse ex simplicitate, & non ex dolo.

Est notabilis tex. *in cap. Cum olim 12. de re iud.* dum mendaci non citato imponit silentium ibi. Et ei licet absenti, cum de subreptione liquido constet, &c. perpetuum silentium imponentes, *vbi glos.* sic. Quia Papæ constetit de surreptione, ergo non absenti licet non citato imponit silentium propter fraudẽ suam, quia decepit Papam. Cum tamen alias ipsemet Papa dicat *in cap. 1. de causs. poss.* Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus diffinire.

Glos. verbo momenti in Clem. 1. de prab. in addit. sic ait. Inferas ex hoc tex. quod cum obreptio vitiet litteras benefitiales ipso iure, processus vigore talium factus est nullus, licet secus sit in litteris iustitiæ.

Subrogatum.

SApit naturam subrogantis cum omnibus suis qualitatibus ita dictat vulgaris regula deduct. *per glos. verbo Danda in l. si cum §. Qui iniuriarum, ff. si quis caut. & altera glos. verbo successerunt in cap. 3. vt lit. pend.* ibi. Et est hoc arg. quod res, quæ succedit in locum alterius eodem iure censetur cum illa, &c. & clarius probat *l. 1 §. Ante aditam vers. Plenius ff. si quis test. lib.* ibi. Nam si in locum deficientis furti actionis propter seruitutem, hanc actionem substituerit prætor, verosimile est in omnibus caussis eum, in quibus furti agi potuerit substituisse. Et facit *l. Imperator 72. §. vlt.* dum ait. Cum autem rogatus quicquid ex hæreditate supererit, post mortem suam restituere, de pretio rerum venditarum alias comparat: diminuisse, quæ vendidit non videtur, *ff. de legat. 2.* coniuncta ratione ibidem *in Apostill.* sic posita: quia res empta succedit loco rei, & concor. *cap. Sancta Maria cum glos verbo successerunt*, quæ est iam sup. proxime allegata, *vt lit. pend.* Intelligit tamen *Bart. in l. Pater col. 4. vers. Præterea ff. de inoffic. test.* prædictam regulam tunc habere locum si ad eundem finem fuerit facta subrogatio, secus vero si ad diuersam.

Item in materia actionis subrogatæ, quæ sapit naturam eius cuius loco subrogatur, intellige de natura sua primordiali, non autem de ea, quæ ei superuenit ex casu, accidentaliter, *vt est glos. Ex omni causa in l. Certi condictio 9. ff. si cert. petat. ad fin.* ibi, Item nunquid hæc crescat per inficiationem, sicut illa in cuius locum daretur? Resp. non &c. Et est ratio; quia assumit sibi eam naturam, idest formam, & statum, quem actio habet primordialiter, non ex super

per

peruenienti casu, quam *Bart.* ibidem valde commendat, & dicit, quod alibi in iure non habetur ita bene.

Subrogatum tenere locum illius, in cuius locum subrogatur, disponit *l. Comperimus 13. C. de proxim. sacr. Scrin. lib. 12. propè fin.* ibi. Et quem pro se surrogat mereri, permissum est, &c. quod ampliat sic vt etiam si in memorialium matriculam inferiore loco sit, qui prior in adiutoribus meruit: adiutor quidem habeatur superior &c. Quod etiam in alijs quoque pene omnibus officijs obseruari dignoscitur.

Subscriptio.

BAld. in *l. vlt. num. 2. C. si cert. pet.* de ea sic inquit. Secundo nota, quod subscriptio appellatur testimonium: quasi tunc testificari videatur cũ subscribit per tex. ibi. Quam si testimonium trium testium probatæ opinionis per eorum subscriptiones idem chirographum capiat, & idem *Bald. in l. vlt. opposit. vlt. C. de edic. diu. Adr. toll.*

Fit etiam subscriptio quando alius pro alio scribit, & subscribens se obligat, vt in *l. Fideiussor 26. §. 1. ad fin. ff. de pignor.* ibi. Cum sua manu pignus domum suam Seius scripserit, consensum ei obligationi dedisse manifestũ est *& in l. 1. ff. quod iuss.* ibi. Sed & si serui chirographo subscripserit, dominus, tenetur, *vbi glos.* sic. Qui ergo subscribit consentit sic infra &c. sed contra, &c. Et est argum. hic quod Canonici subscribentes consentire videantur, *& glos. verbo. Eum in l. Titius §. 1. ff. quib. mod. pig. sol.* ibi. Quia reip. pignus confirmauit subscribendo iuncta *l. Sicut 8. §. Non videtur* autem concessisse creditor, & si sciente eo debitor rem vendiderit; cum ideo passus est venire, quod sciebat vbique pignus sibi durare. Sed si subscripserit forte in tabulis emptionis, concessisse videtur *Bod. tit. vbi glos. verbo manifeste* ita interrogat. Sed quid si tabellio cum subscripsit ut testem? videtur secus, quia hic de subscriptione, quæ fit consentiendo &c. Et iuxta hanc distinctionem procedit *l. Caius 19. ff de pignor act.* dum ait. Quæro an ex hoc quod signauit præiudicium aliquod sibi fecerit? Respondi non obesse. & ibidem *glos.* sic. Sed contra *de pignor. l. fideiussor §. Pater*, vbi filius subscribendo in instrumento, in quo pater rem ipsius obligabat, præiudicat sibi Resp. Aut adhibetur subscribens, vt substantia præbeatur ei, quod fit ex istius consensu, vt ibi. Aut probatio tantũ vt hic, &c. Et pro hoc est quia officium suum testis, non debet ei esse damnosum, *vt infr. quemadmod. test. aper. l. si quis ex signatoribus, & delegat. 3. l. Titia §. Lucia, &c.* Tu dicas quod refert an contractus, qui fit in mei præsentia, possit fieri etiam me inuito super re mea, vt venditio, vel legatum, & tunc mea præsentia, vel subscriptio non nocet mihi. An non possit fieri me inuito, & tunc videor me consentire, vt in pignore, quæ solutio probatur *infr. de re iud. l. sæpe §. Cum autem*.

Si quis sua manu se exhæredem scripserit, nocere ei hanc exhæredationem ait: quia Senatuscons. hoc pro non scripto non facit, quod contra eum est, ita decidit *l. Non putauit §. si quis ff. de bon. poss. cont. tab.* Licet contrarium sit quando sibi adscribit aliquid in testamento. Nec generalem subscriptionem testatoris valere aduersus Senatuscõs. authoritatem inquit *l. Diuus 15. ff. ad l. Corn. de fals.*

Nota erroneam subscriptionem non nocere dicit *glos in l. Titius 8. ff. de rescis. vend.* per tex. ibi. Si non ipse vendiderit, non idcirco ciuilibus actionibus teneri, quod seruo vendente subscripserit idem ponit citata *glos. in l.*

Caius 39. *ad fin. ff. de pig. act.* & *est optimus tex. in l. vlt. C. plus val. quod agit.* in hæc verba. Si falsum instrumentum emptionis conscriptum tibi velut locationis, quam fieri mandaueras, subscribere te non relegentem, sed fidem habentem, suasit: neutrum contractum (in vtroque alterutrius consensu deficiente) constitisse proculdubio est.

Substantia.

SEcundum *Philosoph.* est ens per se subsistens; vel secundum *D. Thom.* 1. *p. sum. quæst.* 3. *art.* 5. est res habens quidditatem cui debetur esse per se, & non in alio subiecto. Secundum verò Iuristas multipliciter sumitur: nam quandoque ponitur pro causa, *vt in l. si ex pretio* 6. ibi. falsa mutuo datæ pecuniæ quantitatis demonstratio, cum obligationis substantia non defecerit quominus vsq; ad modum placitum vsuræ possint exigi, nihil nocet *C. si cert. pet.* & *in glos. verbo. Contrarium in l. Iurisgentium* 7. §. *Quod fere* ibi circa substantiam siue causam obligandi *ff. de pact.* Quandoque pro consensu, *vt in l.* 3. *ff. de act.* & *oblig.* Obligationum substantia (inquit Paul.) non in eo consistit, vt aliquod corpus nostrum aut seruitutem nostram faciat: sed vt alium nobis obstringat ad dandum &c. Quandoque pro forma, *vt in l. Iulianus* 9. §. *si quis rem* ibi. Mutata forma prope interimit substantiam rei *ff. ad exhib. vbi Bald. summat.* Forma est, quæ dat esse rei: & commutata forma substantiali res non dicitur eadem, sed diuersa. Quandoq; pro substantiali qualitate, vel materia *vt in l. In venditionibus* 9. *vers. Inde quæritur* si in ipso corpore non erretur, sed in substantia error fit: vt puta si acetum pro vino &c. *ff. de contrab. empt. vbi glos. verbo in substantia* sic id est in substantiali qualitate vel materia. Quandoque pro eo sine quo actus valere non potest veluti pretium in emptione; & ita sumitur *in l. Pacta conuenta* 72. ibi. Quoniam emptionis substantia consistit ex pretio *ff. eod. tit. de contrab. empt. coniuncta glos. ibidem verbo. Ex pretio* sic dicente. Quia sine pretio esse venditio non potest &c. Idem si fiat super re vendita augenda, vel minuenda, *vt sup. de pact. l. Iurisgentium* §. *Atto*, cum res similiter sit de substantia emptionis, nec sine ea esse posit &c. Item consensus &c.

Ex qua glos. colliges in emptione tria esse substantialia. Consensum, rem, & pretium. Et in his, sicut in alijs substantialibus contractuum, non posse consuetudinem operari ad tollenda ipsa substantialia notauit *glos. sing. verbo. Officiali post med. in cap.* 2 *de Consuetud. lib.* 6. ibi. Vnde consuetudine induci non potest id propter quod appellationis substantia descriptione mutetur &c. Sicut vides in simili quia non valet pactũ factum in precario per quod ipsius precarij natura mutetur &c.

Substitutio.

DE hac plenissimum edidit tractatum Fusar. quapropter hic non plura, sed pauca afferemus de notabilioribus. Et primo loco se offert *text. in l. Lucius* 85. *in fin. ff. de hæred. instit.* dum ait. Prudens consilium testantis animaduertitur. Non enim fratrem solum hæredem prætulit substitutis, sed etiam eius liberos. Et ecce tex. qui etiam in institutione, & substitutione facta a trãsuersali admittit filios instituti excluso substituto, licet eorum pater decedat ante aditam hæreditatem, vt in eod. ibi hæredes non erunt, quos eos amplius noluit hæredes esse: si frater, priusquam hæreditatem adiret, decessisset liberis relictis; vnde bene ampliatur *l. Cum*

auus

anus 101. *ff. de cond. & dem.* quæ tantum loquitur in substitutione facta ab ascendente, & *l. Cum acutissimi C. de fideic.* quæ etiam ad nepotes extenditur, & ad reliquos descendentes, & *l. generaliter* 6. *§. vlt. in fin.* quæ ampliat il. prædictas ad filios naturales ibi. Vt quod inter iustos liberos sancitum est, hoc & in naturales filios extendatur.

Etenim videri contra voluntatem testatricis repræsentationem fideicommissi desiderari, vt amplius ad substitutum perueniat, quam ad puerum peruenire, vel a Septitia, vel ab hæredibus potuisset; ita *l. Publius* 36. *§. vlt. ff. de cond. & dem.* & ini. ibi. sic. Sed non est verosimile, vt maturius voluerit testatrix ad substitutos hoc transferre.

Substitutio facta impuberibus personis, vulgaris tantum intelligitur, si vero personis puberibus, continet etiam pupillarem, sic summatur *l. Lucius Titius* 45 *ff. de vulg.* Et ratio ponitur a *Modestin. in l.* 4. *ff. eod. tit.* ibi. Incongruum enim videbatur, vt in altero esset duplex substitutio in altero sola vulgaris; ad quã alludit *d. l. Lucius* ibi duplex substitutio locum habere non possit.

In substitutione reciproca facta inter fratres non posse eorum quemlibet grauatum dici, disponit *tex. in l. Si pater* 12 *C. de inoffic. test.* ibi. Calumniosam inofficiosi actionem aduersus iustum iudicium testatoris instituere non debetis, cum ex huiusmodi fideicommissaria restitutione tam matris, quam fratris eius portio ad eam poterat peruenire. Verum *glos. vlt. ibidem* sic notat, Sed hodie debet sine onere aliquo habere quartam, *vt in ff. eod. l. Quoniam in prioribus &c.* & *Apostill.* ad eam ita. Istam glos. approbant *Bart. Bald. Salic. & Ias.* & ita obseruat consuetudo: quoniam pater non potest grauare filium in legitima per fideicommissum reciprocum, quod dicitur esse onus.

Substitutionem pupillarem tacitam non

excludere matrem, dicit *l. vlt. C. de inst. & subst.* & reddit rationem ibi. Si enim suæ substantiæ partem vxori dereliquit, multo magis, & in totam hæreditatem ad matrem venire curauit.

Substitutos tantum intelligendos esse, qui hæredes fuerunt in reciproca substitutione disponit *l. Quiplures* 23. *ff. de vulg.* ibi. Et atque inuicem substituto, ij substituti videbantur, qui hæredes extiterunt.

Ius institutionis, & substitutionis potentius esse iure accrescendi dicit *glos. vlt. ad med. in l. Qui patri* 59. *ff. de acquir. hæred.* & facit *Auth. de hered. & Falc. §. His igitur vers. si vero ablatam partem* ibi prius deduximus ad substitutos deinde ad cohæredes *collat.* 1. Sed Vlp. videtur cõtrariũ dixisse *in l. si Titio* 63. *§. vnic. ff. de legat.* 2. de portione cohæredis suo fideicommisso relictã, nõ ad substitutũ, sed ad cohæredẽ concedit in hæc verba. Iulianus quidem ait; si alter ex legitimis hæredibus repudiasset portionem, cum esset ab eo fideicommissũ relictum, cohæredem eius cogendum non esse fideicommissum præstare: portionem enim eius ad cohæredem sine onere pertinere. Sed post rescriptum Seueri quo fideicommissa ab instituto relicta, a substitutis debentur, & hic quasi substitutus cum suo onere consequetur accrescentem portionem. Ecce clare liquet ius accrescendi potentius iure substitutionis Similiter etiam *in dict. Auth. His igitur vers. Si vero nullus* legatarius, præter cohæredes per ius accrescendi fideicommissarius, seu substitutis ibi. Et si quidem sint cohæredes hos vocari volumus; alio in ad fideicommissarios. Tu solus, & concilia, cum forsan tempus tibi non deerit, ego enim eo indigeo.

Denique in hac materia affero tibi decisionem notabilem *Papin. in l.* 26. *ff. Si quis omiss. cau. test.* sic dicentis; Iulianus scribit patrem qui filiam sibi substitu-

stitutam iussit adire hæreditatem, legata, quæ ab ipso data sunt ex sententia edicti præstaturum: Quoniam filia patri substituitur in casu, non vt arbitrium eligendi relinquatur. Sed si varia legata supra dodrantem data sunt: eorum prius rationem habendam, quæ a filia relicta sunt. Non enim caret dolo pater qui honore proprio omisso, propter compendium alienam institutionem maluit. Denique si filiæ pater substitutus adijt hæreditatem: nihil eum dolo facere Iulianus existimat: quia nemo filię patrem contra votum parentum substituere videtur, sed vt arbitriũ eligendi relinquat.

Subtilitas.

QVandoque reprobatur, quandoque commendatur a iure, dixit *glos. in clem. Dispendiosam de iudic. ex tex.* ibi subtili ordinis iudiciarij obseruatione. Commendatur etiam *in capit 4. de ser. vbi glos. vlt* sic. Subtilitas hic commendatur, *& in l. In rebus 36. C. de iur. dot. Iustinian.* dum de dominio rerum dotalium loquitur, sic ait. Non enim, quod legum subtilitate transitus earum in patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas delata, vel confusa est. Et prosequitur *d. glos. vlt.* Sed alibi non excusat errantes a fide &c. alibi etiam subtilitas perniciosa est. &c. nec de apicibus iuris est disputandum, *& glos in cap. sæpe 18, de rest. spol.* ita. Et nimia subtelitas iuris perniciosa est.

Vnde *Pontif. in cap. Dilecti 6. de Iud.* inquit. Prouideatis attentius ne ita subtiliter (sicut a multis fieri solet) cuiusmodi actio intentetur, inquiratis, sed simpliciter, & pure factum ipsum, & & rei veritatem, secundum formam Canonum, & Sanctorum patrum instituta inuestigare curetis, *vbi glos. 1.* sic. Nota subtilitates in causis Ecclesiasticis reprobandas &c. Quia huiusmodi subtilitates ad perniciem reuertuntur &c. Et stricta ratio quandoque omitti solet &c. Cum enim de bona fide agitur, de apicibus iuris non est disputandum. Viderint domini iudices, & aduocati an ita obseruent; Et sciant vtilius esse negotia tali expediri compendio, quam per exactam subtilitatem longo dispendio prorogari, vt dicit *Papa in cap. Abbate sane 3 prope fin. de sent. & re iud. lib 6.*

Propter nimiam subtilitatem verborum, voluntates impediri contrahentium dicitur *in l. vnic. C. vt act. ab hered. & in l. Veteres C. de contrah. & committen. stipul.* ibi. Ne huiusmodi subtilitate cadant hominum voluntates. *& in Sancimus 7. C. ad Trebell.* ibi, Ne dum nimia subtilitate vtimur circa res pupillares, ipsa subtilitas ad eorum perniciem reuertatur, *& in l. 1. C. com. de legat.* hæc optima verba. Quis vel vendicationis, vel sinendi modo, aliorumq; generum legatorum subtilitatem prono animo admittat? quam posteritas optimis rationibus vsa, nec facile suscepit, nec inextricabiles circuitus laudauit. Vnde bene dixit *glos vlt. in cap. vlt. Episcop. vel abbat. in vsib. feud.* hæc, Respondit peritus. Amice summam subtilitatem sequutus es: igitur loquela tua a iudicibus non est admittenda &c. imo potius respuenda &c.

Subuenire.

LIcet certum sit nihil esse potius, quam in necessitate positos subleuare nihil quod magis hominẽ deceat, nihil quod Deum æque conciliet, & ad bene faciendum nobis prouocet, vt dixit *Iosepb. de antiquit. lib. 6. cap. 15. fol. mihi 167. in princ.* Tamen si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum,

ram, prout inquit *Ambros. in lib. de of-fic. relatus in cap. Denique 24. quæst. 5.*
Non enim est æquum fideiussori in necem meam subueniri, ait *Iurisconf. in l. In causæ 14. ff. de minor. ubi glos.* sic. Nota quod viri in alterius damnum non succurritur.

Item nota non subueniri si non impetrauit, quod facile obtinuisset *glos. verbo permittere in l. sed & si 26. §. 2. ff. ex quib. caus. maior. per tex.* ibi. Quoniam aditus potuit permittere, *& per l. 1. §. Si quis hyeme prope fin.* ibi. Nec est hoc beneficium, sed iniuria, si quis forte non impetrauerit *ff. de aqua quotid. & æst.* Scienti etiam non subuenitur, quia se ipsum decepit, vt inquit *l. 1. §. vlt. ff. quod fals. tut.*

Successor.

NOn solum qui in vniuersa bona succedit, sed etiam ij, qui in rei tantum dominiū succedunt hoc verbo continentur, dicit *l. Flumina 24. §. Adijcitur ff. de damn. infect. ubi not. glos. & ibidem Apostill.* sic. Sed in dubio intelligitur de vniuersali, nisi esset in dispositione adiectum verbum, quibuscunque *vt not. Alex. in l. Quadam §. nihil col. 1. ff. de eden.*

Nullum dari successorem in bonis Ecclesiæ inquit *cap. 2. de concess. preben.* ibi. Cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium inueniatur inhibitum turpe esse, & diuini plenum animaduersione iudicij, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam etiam ipsi Gentiles condemnare curarunt. Et melius *in cap. Ad decorem 5. de instit.* ibi. Nec sanctuarium Dei conuenit iure hæreditario possideri.

Cum de eligendo Pontifice duo certarent & vnus allegaret de nobilitate alterius alius ex aduerso respondit: Piscatori Petro fabri filio successorem quærimus, non Augusto, refert *glos. verbo Inu dia in cap. Quoniam vetus 24 quæst 1.*

Successor seruare tenetur prædecessorum statuta, vt dicit *glos. 2. in cap. literis 39. de rescript.* ibi. Nota argum. quod successor tenetur adimplere factum prædecessoris sui &c. & ibi sic & mandatum seu præceptum prædecessoris, successor tenetur adimplere, *& in cap. Iustitia 21. quæst. 1.* sic Iustitiæ ac rationis ordo suadet, vt qui a successoribus sua mandata seruari desiderant, prædecessoris sui proculdubio voluntatem, & statuta custodiant. Nam (vt dicitur *25. quæst. 2.*) Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed euersor esse iuste comprobarer. Vnde successori commendatur *in cap. Seruatis 25. quæst. 2.* sic. Erit hoc studij & sollicitudinis tuæ, vt talem te in his, quæ iniunguntur exhibeas, vt fidem integritatemque eius, cuius curam suscipis, imiteris.

De successoribus autem bonorum sæcularium, iam scis, & esse vniuersales, & singulares, vt passim in iure *glos. & doct.* inuenies. Sed quod in dubio verbum successor, de vniuersali, & non de particulari intelligatur, tenet *Bart. in l. Pater §. mater oppos. 1. Alij dicunt ff. de legat. 3. & not. in d. l. Quadam §. Is autem ubi doct. & Paul. Castr. ff. de eden.* licet alij relati a *Bertach. super hoc verbo* contrarium teneant: Nam mihi valde suadet *tex. in d. §. 1.* ibi. Is autem, cui argentarius rationes suas legauit, non videtur contineri (quia iuris successor ijs verbis significatur.) Itaque, quandoq; simpliciter inuenies hoc verbum successor, de vniuersali intelliges, singularis autem successor, quando comprehenditur semper hoc additur, singularis, *vt in l. si ego §. partus ff. de public. in rem* ibi. Sed hæres iuris hanc actionem non habet: quia vitiorum defuncti successor est, *& in glos. verbo Succedentium in l. venditor ff. com præd.* ibi Quia

singulares successores personali actione non astringuntur, *vt infr. ad Trebell. l. 1. §. si haeri.*

Ad effectum intentandę actionis publicianae, de qua *in d. tit. de publ. in rem.* differentia magna datur inter vniuersalem successorem, & singularem quam ponit *l. Eum, qui 8. in §. Praetor ait ff eo. tit.* dum dicit. Proinde hoc sufficit me bo. fidei emptorem fuissę, quamuis a non domino emerim, & ille callido consilio vendiderit; Neq; enim dolus venditoris mihi nocebit. In hac actione non oberit mihi successor sim, & dolo feci, cum is in cuius locum successi bona fide emisset, nec proderit si dolo careo cum emptor cui successi dolo fecisset. vbi *glos.* i e. proderit sic. Quia haeres est successor vitiorum. Quod ergo defunctus propter scientiam rei alienae non vsuscoepit, nec haeres vsuscapiet licet bonam fidem habeat, vt ait *glosa in l. Qui in ius* dominiumuę succedit alterius iure eius vti debet 134. *ff. de reg. iu.* Nam quod ipsis qui contraxerunt obstat, & successoribus eorum obstabit *l. 185. eod. tit.*

Vnde aequum non est aduersus nos nocere, quod aduersus eum non nocuit in cuius locum successimus *l. 3. vers. si quis ab autore ff. de itin. actuq; priu.*

Successionem ex testamento primum habere locum, & secundum ab intestato satis probat l. 39. *ff. de acquir. haered.* dũ *ait Vlpian.* Quamdiu potest ex testamẽto adiri haereditas ab intestato non defertur, *& ff. de reg. iur. etiam l. Quamdiu & l. 3. §. si pater* ibi. Cum enim posit secundum tabulas habere bonorum possessionem: quod bonum est ei contra tabulas dari? *ff. de bon. possess. cont tab.*

Si dubitetur ex verbis testamenti, propter verba eius ambigua, vtrum de pecunia tantum an vero de omni substantia testator intelligeret in restitutione fideicommissi decidit *Vlpian. in l. Cogi 16. ff. ad Trebell.* id hęc verba. In ambiguo tamen magis de successione sentum dico, ne intercidat fideicommissum.

Alienas successiones non videtur testator proprijs anteponere ita dicit *l. Cum acutissimi 30. C. de fideic.*

Ad successionem patris posse venire filiam dotatam non obstante pacto de ei amplius non succedendo, dixisti verbo filius.

Plerunque vbi successionis est emolumentum, ibi. Et tutelae onus esse debet, sic dixit *Imp. in §. vnic. de leg. patro. tut.* quod sumpsit *ex Scauol. in l. 73. ff. de reg. iur.* ait enim. Quo tutela redit, eo & haereditas peruenit, *vbi glos.* alia concor. & ponit in princ. regulam istã, Si quis ad tutelam alicuius vocatur, vt proximior, vocari similiter debet ad successionem &c. Sed notabiliter obseruabis, quod erit contrarium quando agitur de educatione pupilli, tunc enim non apud proximiorem educari debet, cum contra ipsum sit suspicio propter futuram successionem; prout dixerunt *Impp. in l. vlt. C. vbi pup. educ. deb.* ibi. Et qui magis ad suspicionem ex spe successionis proprior sit, aestimabitur.

Suffragium.

Dicitur proprie ipsum patrocinium, quod praestat aduocatus, Nam fragor, id est sonus, inde suffragium, id est, sonus ille, qui fit vt per eum suffragetur alicui, ita inquit *glos. in rubr. C. de suffrag.* & addit hic autem ponitur improprie scilicet pro eo, quod datur pro patrocinio, de hoc iam dictum est verbo Salarium.

Dicitur etiam alias suffragium, votum quod praestatur in electionibus quibuscunque, vt notum est, de quo ait *l. 3. ff. quod cuiusque vniuers.* sic, Quod & patris suffragium filio proderit, & filij pa-

tri. Ex ratione *l. sequentis* ibi. Quasi decurio enim hoc dedit, non quasi domestica persona.

Summa.

MInorem sub maiori contineri, probat *l. Diem proferre* 32. *§. Si plures in fin. ff. de recept. arbitr.* dum ait. Quinque debere præstari: quia in hanc summam omnes consenserunt, & super hoc verbo *glos. ibidem* sic: Nam maiori summæ minor idest, *& in l. Inter pares* 38. *ff. de re iud.* sic: Si in diuersis summis condemnant iudices minimam summam spectandam esse Iulianus scribit, *& glos. ult. in cap. Certificari* 9. *de sepult.* ibi. De minori summa est intelligendum: quia in illa omnes concordant &c. facit etiam *l. Quoties* 9. *§.* 1 *ff. de hered. inst.* ibi. Quoniam insit quadrans in semisse hoc est minor summa sub maiori, *& in l. Qui quartam* 15. *ff. de legat.* 1. ibi. Posse defendi quartam legatam: quia inesset dimidiæ. Quod & in contractibus procedere probat *l.* 1. *§. si stipulanti ff. de verb.* ibi. Attamen manifestissimum est in viginti, & decem inesse, quod intelligit ibidem *glos. verbo. Non erit*, nisi de contraria partium voluntate constet, & eam reputat *sing. Apostill.* ibi. Notauit etiam eandem regulam *glos. ult. in l. Rogatus ff. mandat.* ibi. Nota arg. quod maiori summæ minor inest per text. ibi. Eum qui in maiorem summam, quam rogatus erat fideiussisset, hactenus mandati actionem habere, quatenus rogatus esset: quia id fecisset, quod ei mandatum esset.

Semper in summis, id quod minus est responderi videtur, ait *l. Inter* 83. *§. Si stipulante ff. de verb.* Semper enim iudices sequuntur, quod minus est, inquit *glos. ult. in l. ult ff. de prætor. stipul.* per *tex.* ibi. Et ad exiguam summam reducitur.

Summæ paruæ an sint conseruandæ, si per plures vices fuerint datæ, ad annullandam donationem, vide supra *verbo. Donatio* Sed quam dicemus summam paruam? *Paul. respondet in l* 11. *Cum §. anteced. ff de dol.* in hæc verba. Nam ecce in primis si modica sit summa. Id est vsque ad duos aureos.

Summaria cognitio, quãdo habeat locum videas verbo. Cognitio.

Sumptus

LIcet supra verbo. Impensæ non pauca notata sint, non tibi acerbum videatur, si aliqua de eodem hic apponamus notabiliora, cum parum vasta non sit eius materia.

Interest Ecclesiæ ne sumptibus vexetur, inquit *glos. pen. in cap.* 3. *de arbitr.* Et si inanes futuræ sint maiori cum ratione; tunc enim ob duplicem rationem, & quia diminuit de bonis suis, & quia non decet Ecclesiam, quæ cultrix iustitiæ est, causam iniustam prosequi, & causam sumptuum præbere aduersario, ad quas etiam tenetur, & consulit *Iurisconsf. in l.* 1. *ff. de inoffic. test.* dicens iniustam causam fouentibus, Melius facerent si se sumptibus innanibus non vexarent, cum obtinendi spem non habeant. Et tamen reperiuntur homines adeo litibus affecti, vt per fas nefasque velint litigare quos non semel expertus sum. Irremissibiliter igitur tales condemnentur in omnibus sumptibus: Nã sumptus litis præstare iubeantur eis, quos sine causa sæpius inquietant, vt dicit *l.* 1. *ff. de vacat. mun.* Calumniari enim videntur, & calumniatores nunquam a solutione expensarum excusantur, vt habes verbo. Calumnia. Si autem iustam quis habuerit litigandi causam, a talibus impensis excusatur, ait

glos. verbo In litisin l. Qui solidum 80. *§. Etiam ff. delegat.* 2.

Electus ad aliquod officium, a quo excusationem habuit, sumptus recuperat, vt habes *verbo Electio*.

Sumptus causa, qui necessario factus est, semper præcedit, ità dixit *Papinian. lib. 9. quæst. in l. Quod priuilegiatū* 8. *ad fin. ff. deposit. glos.* loquens in depositario, vt ibidem intelligit *vlt. in fin.* & in procuratore, vel mandatario, *l. Idem* 10. *§. Idem Labeo ff. mandat.* sic. Et sicuti fructus cogitur restituere is, qui procurat, ita sumptus, qui in fructus percipiendos fecit, deducere eum oportet; sed & si ad vecturas suas dum excurrit prædia, sumptus fecerit: puto hos quoq; sumptus reputare eum oportere, *vbi glos. in hoc verbo.* sic ait. Hos sumptus, & similes reputat procurator, vt hic, item socius, &c. item tutor, &c.

Sed & bo. fidei possessores non aliter cogendos creditoribus ædificium restituere, quam si sumptus in extructionem erogatos, quatenus pretiosior res facta esset, reciperent, inquit *l. Paulus* 29. *§.* 1. *ff. de pig.* & latius *sup. verbo Impensa.*

Ad necessarios sumptus, quos patris pietas non recusaret, pecunia credita filio fam. repetitur ab eodem patre, ità ait *l. Macedoniani* 5. *C. ad Maced.* Nec ferendus est iuuenis, qui cum præsens esset, studijsque eruditus, atque alitus esset; si ea per alium consecutum, non probet, sumptus recuset, quasi ex vento vixerit, vt dixit *Imp. Alex. in* 2. *C. de alim. pup. præst. & in l. Sumptus C. de auth. præst.* sic. Id namque, quod à tutoribus, siue curatoribus erogatur bona fide, potius iustitia, quam aliena authoritate firmatur. *Et glos. verbo nulla ratione in l. Non omni* 16. *eod. tit.* ampliat etiam casus, in quibus possunt tutores, & curatores donare de bonis pupilli, & reputare.

Non posse inuasorem repetere sumptus, tenet *glos. vlt. in cap.* 1. *de restit. spol.* ibi. Sed quid si sumptus aliquos fecit? Resp. Nec petitionem habet inuasor, nec retentionem: quia donare videtur tanquam malæ fidei possessor, &c. tamen sumptus necessarios, sine quibus res facta esset deterior non debet restituere.

Cum etiam si quis pro affectione domestica aliquos sumptus fecerit nulla ratione eos repetere possit, ait *l. 1. C. de negot. gest.* Et ideo maritus non repetit sumptus, quos in curanda vxore fecit: secus in sepelienda si dos reuertitur ad socerum, vt dicitur *in l. Quod in vxorem* 13. *eod. tit.* Nam necessariæ expensæ dotis minuunt quantitatem, *l. vnic. §. taceat C. de rei vxor. act. vbi glos. verbo minuunt,* intelligit cum dos in quantitate consistit.

Quamuis alias sumptus causa pietatis facti; non recuperentur, tamen in casu, quo alimentatus suum alimentatorem accusat, inquit *glos. sing. verbo Cum Symmacho in l. Iniquum* 17. *C. qui accus. non poss.* sic. Et in hoc casu dicam repetere expensas quamquàm causa pietatis factas *arg. sup. de nupt. l. Patrem.* Et quidem est optimus tex. Patrem (inquit) qui filiam exposuit, hanc nunc adultam sumptibus, & labore tuo factam, matrimonio coniungi filio tuo desiderantis fauere voto conuenit. Qui si renitatur, alimentorum solutioni in hoc soluendo casu parère debet. Nam si iste pater ingratus est ob non consensum, plus ingratus reputatur ille ob accusationem; & sic per argumentum a maiori prædictam glo. sequendam esse puto.

In sumptibus faciendis mensuram esse seruandam iuxtà formam positam *à glos. verbo transcedens in Auth. de Consul. coll.* 4. dicimus. Ait enim sic. Non transcendens mensuram rei, vt expendas plusquam possis, sed secundum propriam

priam mensuram proueniens ex animi virtutibus, tex. vero sic dicit. Non enim ad plurimos venit substantiæ magnitudo transcendens etiam magnificentiam animæ, non mensura rei, sed propria magnitudine proueniens.

Superbia.

EST vehemens, & indigna mentis elatio, qua quis non patitur quemquam sibi præesse, sed vult inter alios semper primatura gerere. Arrogantia verò est vitium, quo quis insolenter sibi attribuit, quæ non habet, & longè maiora, vt *ex Arist. tradit Thad. in Esai. cap. 16. vers. Dicit D. Hieronym. lit. D.* vbi etiam ait *Liran.* vult superbiam consistere in factis, arrogantiam in verbis, indignationem in exterioribus bonis. Secundum verò *Ambr. in lib. de offic.* Est bona, quæ non habet quis, simulare, vt *in cap. si quis vero 11. quæst. 3.* Si quis verò (ait) non obediat Episcopo se se extollere, atque exaltare desiderans: quærens etiã obumbrare merita Episcopi simulata affectione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ: is à vero deuius superbit: quoniam veritatis ea regula est, vt nihil facias commendandi tui gratia, quo minor alius fiat: neq; si quid boni operis habeas, id ad deformationem alterius, & vituperationem exerceas prout faciebat *Pharisæus Luc. 18.* facit etiam *cap. Hac autem scripsimus* non abscindentes eos, qui in Ecclesia Dei secundum scripturas propositum sanctum continentiæ eligunt: sed eos, qui suscipiunt habitum eius, & in superbiam efferuntur aduersus eos, qui simplicius viuunt 30. *dist.*

Est etiam superbia nouas opiniones ex scripturis sacris confingere, *vt ex eod. cap. Hac autem 30. dist.* ibi. Et etiam eos condemnamus, qui se extollunt aduersus scripturas, & Ecclesiasticos Canones, & noua introducunt præcepta.

Item superbiam esse subditos cum asperitate, & non beneuolentia corripere. *Leo Papa Episcopis sic scribit 45. dist.* Licet non nunquam accidant, quæ in sacerdotalibus sint reprehẽdenda personis: plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quã seueritas: plus exhortatio, quam cõminatio: plus charitas, quam potestas: sed ab his, qui, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi, facile ab hac lege discedit, & dum dominari magis quam consulere subditis placet, honor inflat in superbiam. *Et in cap. Hoc habet 46. dist. Greg. moral.* lic. Cum austeritate enim, & potentia imperant, qui subditos suos non cum tranquillitate ratiocinando corrigere, sed asperè inflectere dominando festinant.

Et ex eodem *cap.* superbia etiam dicitur arrogãter alios instruere in hæc verba. Hoc habet proprium doctrina arrogantium, vt humiliter nesciant inferre, quæ docent: & recta, quæ sapiunt, etiam rectè ministrare non possunt. In verbis enim eorum proditur, quod cum docent quasi in quodam sibi videntur summitatis culmine residere; eosque, quos docent, vt longe infra se positos velut in imo respiciunt: quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. Rectè autem his per Prophetam Dominus dicit: vos autem cum austeritate imperabitis eis, & cum potentia.

Superbia est occasione habitus, vel religionis, simpliciores quosque dispicere, vt deducitur *ex Conc. Gongrensi 30. dist. C. si quis* per superbiam tanquam perfectum se existimans conuentus, qui per loca, & Basilicas Sanctorum Martyrum fiunt, vel accusauerit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur spernendas esse crediderit memoriasq; Sanctorum contemnendas anathema sit.

Dici-

Dicitur etiam superbia sine meritis præfici, vel ordinari velle: nam *Vrban. Pap. 59. dist.* sic ait. Si officiosa sæcularia principalem locum non vestibulum actionis ingressis: sed per singulos gradus examinatis deferunt: quis tam arrogans: tam impudens inuenitur: qui in cœlesti militia, quæ propensius ponderanda est: & sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desiderat: cum tyro antea non fuerit &c. Iam vero presbyteri fastigium talis accedat: & vt nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia ante acta testentur &c.

Item taciturnitas peccati ex superbia nascitur cordis: ideo enim peccatum suũ quisque celare desiderat: ne iniquitas sua alijs manifesta fiat: ne talis reputetur apud homines foris, qualem se iam dudum exhibuit diuino conspectui: quod ex fonte superbiæ nasci nulli dubium est: species enim superbiæ est, se velle videri iustum, qui peccator est, *vt ex Chrisostom. refertur in cap. Quis aliquando §. Item taciturnitas de pœnit. dist. 1.*

Deniq; superbia est officia alijs conuenientia sibi vsurpare, *vt* 10. *dist. cap. Quoniam* idem mediator Dei, & hominum homo, Christus Iesus, sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit propria volés medicinali humilitate hominum corda sursum afferri non humana superbia rursus in inferiora demergi &c. & *in cap. Diaconi 93. dist.* ibi. Diaconi debent obedientiam presbyteris, sicut presbyteri Episcopis: Sed diaconi superbientes sacerdotibus exequari, vel potius præferri querebant: contra quorum insolentiam multorum authoritates emanauerunt: eorum supercilium reprimentes.

Hoc vitio plus teneri nobiles, & potentes, quam alios dicit *Aug lib. 8. confess. cap. 4. num. 3.* ibi. Hostis &c. plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, & de his plures nomine authoritatis: Sed si de potestate authoritate, & nobilitate præsumunt, intendant Nabuchodenosor regem, qui causa superbiæ in bouem est ex homine commutatus, atque suo regno profugus recedens, non ante regnum recepit, quam conuersus Deum prædicauit, vt idem *Aug. ad Bonifac. relatus in cap. Miror 17. quæst. 4. Vnde Dauid* Dominum præcatur *psalm. 35 in fin.* dicens. Non veniat mihi pes superbiæ. Et quod superbia impediat præsidere in eodem verbo præsidere inuenies.

Quid enim absurdius est, quam mulierem de humili veste superbire cui potius expediret obtemperare candidis moribus quam in nigellis vestibus repugnare? dixit *Aug. ad Editiam in capit. Quod Deo 33. quæst. 5.*

Superbo fastidiri acerbius est, quam non timeri dixit *Senec. lib. 1. de benef. cap. 6. in fin.*

Melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio, *cap. Iniustum 11. quæst. 3.*

Superflua.

A Legibus, & Sacris Canonibus reprobantur: Nam *in l. Cum antiquitus 28. C. de testam. Imp.* sic ait. Ea, quæ superflua sunt, minime debent intercadere, & melius *in Auth. de nupt. §. Deinceps autem coll. 4.* ibi. Vnde nobis placuit immoderationes auersantibus, ad minus pertrahere, quod in pacto plus est, & ibidem *not. glos. verbo immoderationes* aduersandum esse immoderationi, & ponit hunc vers.

Vix sine mensura durabit regia cura.

Iniquam esse superfluitatem dicit *Iurisc.* in

in casu de quo *in l. Hac stipulatio §. 1. ff. ut legat. nom. cau.* ibi. Quoties euidens est res, vt certum sit nullo modo fideicommisso locum esse: per quam iniquum esse superuacua cautione onerare hæredem.

Leo Papa in capit. 9. de maior. & obed. sic. Non enim necessarium fuerat, vt obligaretur scriptor qui obediētiam suam, ipso iam voluntarij aduentus sui officio comprobabat, ex quo *glos. vlt. ibidem deducit arg.* ita. Et erit hic argumentum pro superfluis resecandis, *& in Clem. Exiui de verb. sig.* ita. Superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quæcunque curiositas, in his seu alijs quibuscunque non potest ipsorum professioni, seu statui conuenire; Cum enim hæc sapiant thesaurizationem seu copiam; paupertati tantæ quoad humanum iudicium derogant manifeste, vbi *glo. verbo. Quamuis.* sic. Quarto nota, quod superfluitas etiam reprobatur in rebus ad cultum diuinum deputatis.

Reprobatur etiam superfluitas in cibo, & potu, vt suis locis dictum est, & vltra ibi allegata est *tex. in cap. 1. 44. dist.* vbi redditur ratio hæc: Quia venter, & eius multitudo ciborum deseruit, ædificia virtutum ad solum redegit, & prosequitur; Sacerdos itaque de altari viuere, non luxuriari quærat. Vnde ait *Hieronym.* Tibi ô Sacerdos de altari viuere non luxuriari permittitur &c. *& 35. dist. cap. Ecclesiæ principes,* qui delitijs affluunt, & inter epulas atque lasciuias &c.

Et in construendis ædificijs etiam reprobata expresse inuenitur superfluitas *in cap. Pulchra* ibi. Hoc est decorum non superfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere necessarias 86. *dist.* vbi etiam superflua liberalitas non admittitur.

Superfluum esse precibus impetrare, quod iure cōmuni conceditur, probat *l. unic. C. de thesaur. lib. 10.* ibi. Vt superfluum sit hoc precibus postulare, quod iam lege permissum est.

Aliquādo tamen superflua non nocent, vt notauit *glos. verbo pro superuacuo in l. Is qui 15. ff. de acceptil.* ibi. Sicut in obligando non nocet superfluum; ita nec in dissoluendo per ista. Quæ ibi idem *& glos. verbo sanior ad fin. in cap. Quia propter 42. de elect.* ibi. Et superflua non vitiant, sed necessaria vero prætermissa diminuunt contractum. Vnde consuluit *Hostiens.* quod potius fiant superflua quam omittatur aliquid necessarium, vel vtile, vt testatur *glos. verbo. Interrogatoria in addit. cap. 2. de testib. lib. 6.*

Superior.

HVius necessaria est authoritas, vt tā per determinationis opportunæ suffragium, tollat ambigua, lites suscerat, altercationes dirimat, & obscura succidat: quam per cultoris prouidi sarculum extirpet vitia, virtutes inserat, corrigat excessus, moresque reformet, prout dicitur *in proœm. Clem.* Et licet ibidem loquatur de superiore supremo; tamen nulli dubium est etiam intelligi de alijs inferioribus. Sanè si iudex es, si iudicandi potestatem accepisti Ecclesiastica regula: si apud te accusatur: si veris documentis testibusq; conuincitur: corripe: excommunica degrada, inquit *Aug. in cap. Forte ad fin. 23. quæstion. 4.* Ex verbis, veris documentis testibusque satis patet, quod non sufficit solum dictum superioris, nisi probatio detur; nam quandiu probare non potest nihil proferat superior; sed cum ipso ad compunctionē eius secretis correctionibus elabores, iuxta *cap. si tantum 6 quæst. 2.* nec putet superior ista ad iniuriam suam pertinere, quod illi soli nō creditur, *vt in capit. vlt. ead. causa & quæst.*

At in ecclesiasticorum gradus, rationis ordo di-

ſtinxit, & indicia eſſe conſtituit, vt nec præpoſitiin opprimendos ſe fruſtra valeant occupare ſubiectos, nec ſubiectis iterum contra ſuos præpoſitos effrænata ſit reſultandi licentia, ſic dicit *capit. Ad hoc 16. quæſt. 1.* Indignum namque eſt ſuperiores pati ab inferioribus, quæ inferiores ab eis pati deſpiciunt *capit. Accuſationes 3 quæſt. 5.*

Superiori obediendum eſſe dictum eſt verbo obedientia, & quando non, in verbo mandatum.

Superior confirmat, quod facit inferior, ſic notat *gloſ. vlt. in l. Si quis 59. C. de decurion. lib. 10.* Quod autem deſtruendũ eſt neceſſario, ſuperioris authoritatem non eſſe neceſſariam in deſtructione illius, dicit *gloſ. verbo venire in cap. venerabilem 34 de elect.*

Superioris appellatione patrem etiam venire non dubium eſt, vt clarè deducitur *ex l. 2. ff. de iuſt. & iu.* inquit enim *Pompon. lib. 1. enchirid.* vt parentibus, & patriæ pareamus, coniuncta *gloſ.* ibi. Nota filium debere parenti obedire.

Supremus.

NOn is demum, qui poſt aliquem, ſed poſt quem nemo ſit, intelligitur: ſicut è conuerſo, proximus non ſolum is, qui ante aliquem, ſed etiam is ante quem nemo ſit, intelligitur, ita dicit *Aphrican. in l. Ex duobus 34. ff. de vulgar. & Paul. in l. 92. ff. de verb. ſig.* ita. Proximus eſt quem nemo ſequitur, *& in l. 161. eod. tit.* ibi. Supremæ tabulæ etiam ſolæ, *& in l. 163.* ibi. Proximus agnatus etiam ſolus.

Surdus.

MVtus, & cæcus, bonorum poſſeſsionem admittere poſſunt, ſi quod agatur intelligant, ita *l. 2. ff. de bon. poſſeſ. fur.* Si verò nihil intelligant, æquiparantur infanti *l. ſeruo inuito 65. §. Si pupillo ff. ad Trebell.* vbi quemadmodum infanti ſuccurritur per tutorem, ſic etiã prædictis perſonis, *vt in fin.* ibi. Quo exemplo, & mutus, qui nihil intelligere poteſt, per curatorem adiuuatur. Et an & quando ſurdus teſtamentum facere poſsit, iam dictum extat, verbo *Mutus*.

Surdum non poſſe arbitrum eſſe dicit *Vlpian. lib. 13. ad edict. in l. Sed & ſi in ſeruum 9. in fin.* ibi. Sed neq; in pupillum, neq; in furioſum, aut mutum compromittetur *ff. de recept. arbitr.*

Surdus quoque inter imbeciles numerandus eſt, aut inter eos, qui ſub eodem tecto non ſunt: quia vt illi per ſpatium, ita hic per morbum nihil audit. Cœcus quoque veniam mereri debet. Mutum ſimili modo excipimus, inquit idem *Vlpian. lib. 50. ad edict. in l. 3. §. Si cum omnes ad fin. ff. ad Syllan.*

Non poſſe dari tutorem ſurdum plerique, & *Pompon. lib. 16. ad Sabin.* probant; quia non tantum loqui, ſed & audire tutor debet, ita *in l. 1. §. Mutus ff. de tutel.* vbi *gloſ. ſurdum* ſic. Qui omnino non audit, *vt infr. de leg. tut. l. fin.* Quin imo ſuperueniens vitium remouet, *vt infr. de excuſat. tut. l. Poſt ſuſceptam,* & ibidem arguit in contrariũ & ſoluit.

Non etiam poſſe ſtipulationem contrahere mutum, & ſurdum, infantem atque abſentem: quoniam exaudire inuicem debent, inquit *Vlpian. lib. 48 ad Sabin. in l. 1. ff. de verb. oblig.* cum alijs iuribus; quæ ibidem *per gloſ. verbo poſſunt.* Et hac eadem ratione nec poterunt teſtes eſſe de his, quæ per ſenſum auditus percipiuntur, vt per *Hoſt. in cap. Ex litteris de conſuet.* Si autem ſurdus intelligat ad motum labiorum, poſſe contrahere, dixit *Bart. in dict. l. 1. §. Si quis,* ita vbi etiam *Alex. & doct.*

Surdum proprie illum eſſe, qui omnino non

non exaudit, surdastrum verò, qui tardè exaudit; nam & mutus intelligitur, qui eloqui nihil potest non qui tarde loquitur, vt inquit *Imo in § Item surdus, quibus non est permiss. fac. test. in Inst. Angel. in l. filius fam. ff. de testam.*

Suspensio

IN Canonibus variæ sunt pœnæ constitutæ: Quedam inducunt degradationem, & Curiæ seculari traditionem, vt in *capit. Ad falsariorum 7.* ibi. Postquam per Ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, seculari potestati tradātur *de crim. fals. vbi glos. & plenius per Host. in Sum. de pæn. § Quot sint species*: Inter quas est pæna suspensionis. Et de multiplici suspensione inuenies iura loquentia. Est enim suspensio simplex a cōmunione fratrum, *in ca. si quis autem 18. dist.* ibi. Alienatum se a communione fratrum agnoscat &c. Est determinata ad duos menses: quandoque ad fratres non suæ Ecclesiæ. Est etiam suspensio a communione Eucharistiæ, donec pœniteat. Item ab oblatione altaris. Item a participatione Sacramentorum. Item a consecratione Episcoporum simplex. Et determinata vsque ad annum. Item a collatione omnium ordinum, & simpliciter, & cum determinatione anni, & triennij. Quandoq; clericatus consuræ tantum. Item ab ipsorum executione: quandoque simpliciter: quandoque certi ordinis tantum simpliciter, vel ad tempus. Omnia prædicta, & alia quam plurima inuenies *in glos. magna, & magistrali verbo suspensi in Clem. Cupientes de pæn.* vbi iura de singulis affert ibi. Videas plene cum alijs *a Bertach. super hoc verbo.*

Suspitio.

TRiplex est, temeraria de qua *in cap. Nomen presbyteri 2. quæst. 1.* & hæc purgationem non inducit. Probabilis, quæ expurgationem inducit, *vt in cap. Presbyter ead. 2. quæst. 5.* Violenta, quæ ad condemnationem sufficit *cap. Dixit Dominus 32. quæst. 1.* Ita ponit *glos. verbo suspitionis in dict. cap. Nomen & verbo suspitio in citat. cap. t. Dixit,* & dixisti latè *verbo præsumptio*. Et de temeraria dicitur *in cap. Oues 6. quæst. 1* sic Nemo bonum faciens alteri verbo, aut facto, nocere vult: quanto minus fidelis homo in suspitione venire debet, vt dicat, aut faciat ea, quæ paci non vult: quia omnis suspitio potius est repellenda, quàm approbanda vel recipienda, & *glos. vlt. in l. Etiam 6. C. de don. int. vir.* ibi. Hoc gratia vitandę suspitionis turpis quæstus. De probabili quod debeat expurgari, dixisti verbo purgatio.

De violenta, inquit *glosa verbo vehementem in cap. Cum contumacia 7. de haret. lib. 6.* sic. Nota ex hac decretali suspicionem vehementem, præsumptionem violentam. Propter suspicionem citatur, vt veniat responsurus: si contumax est, iam dicitur vehementer suspectus, & excommunicatus si per annum in illa persistit, iam ista, quæ erat vehemens præsumptio transit in violentam, vnde ex tunc, vt hæreticus condemnatur.

Suspitionem remouere iudicem plusquam certum est, & plures sunt causæ, de quibus *glos. verbo Dominus in cap. Causam quæ 17. de off. iud. deleg.* ibi. Arg. est hic euidens, quod rationabilis est causa suspitionis si iudex est dominus aduersarij &c. & idem si iudex esset vassallus impetrantis &c. Item si esset consanguineus, vel aduocatus extitit in ca-

eadem causa pro ipso &c. Idem videtur si habet consimilem causam, & affert sequentes versus,

Quatuor ista, timor, odium, dilectio, census.
Sæpe solent hominum rectos peruertere sensus.

Suspitionis causa contra iudicem assignata: non ipse, qui forsan prouocatus obesset: sed arbitri potius: coram quibus probatio est facienda: & ad quos omnia, quæ ad hunc articulum pertinere noscuntur: possunt ad hoc terminum assignare, inquit *cap. 39. de offic. deleg. de quo ibi glo.*& latius de hac materia dicta sunt verbo *Iudex.*

Suspitionis exceptionem esse dilatoriam, & vti talem ante litis exordium esse proponendam, probat *capit. Inter Monasterium 20. de re iud.* ibi. Quia causa suspitionis &c. quas etiam tanquam dilatorias ante litis ingressum opponere debuissent, quibus coram de legatis eisdem subeundo iudicium renunciare videntur.

Nota, quod paris affectionis causa suspicionem fraudis amouet, *vt in l. Non solum 67. de rit. nupt. & glos. 1. in cap. Postremo 36. de appellat.*

Suspectum esse, qui se ingerit, probat *l scire 21. §. Eos vers. Cum reliquis ff. de tut. & curat.* in hæc verba. Semper autem hoc obseruent magistratus, ne creent eos, qui se ipsos volunt ingerere, vt creentur, *& in l. Quæ omnia §. Sed & si ff. de procurat.* sic. Nam hoc ipso suspectus est, puod operam suam ingerit inuito, *vbi glos. idem notat. & verbo. Inuitus in l. Si quemquam C de Episc. & cler.* ibi. Nam suspectus est, qui operas ingerit in inuitum, *& verbo Suspectum in cap. 2. de procurat. lib. 6.* ibi. Sed hoc ipso, quod operas ingerit in inuitum, suspectus est. Idem in eo, qui affectat dicitur *in l. vxori 18. ff. ad l. Cornel. de falsf.* ibi. Et si suspectus esse præsumitur, quod vltro tutelam videatur affectasse.

Glos verbo. officium in l. Si fideiussor §. vlt. ff. qui satisd. cog. sic interrogat; Sed quæ faciunt aliquem suspectum? & respondet; Non possidere immobilia, *vt infr. eod l. Sciendum.* Item immobilia pauca possidere, *vt infr. de priuileg. cred. l. Si creditores.* Item mali mores, quos modo habet, *vt Instit. de suspect. tut. §. fin.* Item quod prius male fecerit. Addit *Vlpian in l. 5. ff. eodem tit. de suspect. tut.* hic. Suspectus fieri is quoque, qui satisdederit, vel etiam tunc offerat, potest, & alia vide verbo. Tutor. Et suspectus hæres quis, Verbo. Hæres.

Ratio sanguinis tollit suspicionem, vt dicit *glos. verbo. A sobrinis in l. 1. ff. ad l. Iul. repet.* Quod limitabis in casu *l. vlt C. vb. pup. educ. deb.* ibi. Et qui magis ad suspicionem ex spe successionis proprior sit, æstimabitur.

DE LITTERA T.

Tabellio.

IN iure nostro vocatur seruus publicus *l. 1. §. 1. vers. Exigere autem ff. de magistr. conuen.* ibi. At si nemo est, qui stipuletur, seruus publicus stipulari debet, *vbi glos. intelligit seruum*, scilicet tabellionem: quia publicè seruit, vel cuilibet de populo, *& l. 2. rem pup. salu. for.* ibi. Profectò dicemus seruum publicum apud prætorem stipulari debere, vbi etiam gl. publicum intelligit seruum tabellionem, *& l. Defensionis 7. C. de iur. fisc. lib. 10.* ibi. Per conditionales seruos inuestiganda, vbi glos. conditionales, id est notarios, qui serui dicuntur, vt &c. a seruiendo, & cõditionales: quia hominum conditiones, & contractus faciunt, vt &c. vel erant veri serui, & notarij id est notatores, vt &c. nõ tabelliones, *& capit. vlt. de vsur. lib. 6.* ibi. Aut seruo publico. vbi glo. sic. Seruo publico, id est tabellioni sic dicto: quia publicum exercet officium, non quod sit seruus, *& in l. 3. C. de capt. & postlim.* ibi Stipulante seruo publico *glos. verbo seruo in l. 2. C. adopt.* ibi, Seruo publico id est notario, quia publice seruit, non quia seruus sit, & verbo tabulariam *in l. vlt. C de seru. reip. man.* ibi. Tamen aliud est: quia dicitur seruus non quod sit seruus, quia tabellio seruus esse non potest infra &c. Sed quia seruit Reip. & deniq; *glos. verbo seruituti in l. 3. C de tabular. lib. 10.* Quare ergo dicuntur serui publici? quia ex corũ stipulatione quæritur &c. alias a seruiendo, non a seruando dicuntur serui, vt &c.

Vocatur etiam scriniarius *in cap. Ad audientiam 13. de præscript.* ibi. Nec credentes per ipsum scriniarium (cum iuratus sit officium suum fideliter exequi) aliud scripsisse, quam a testibus diceretur, *vbi glos. notat* ita. Sic ergo præsumitur pro aliquo ratione iuramenti &c. Item ratione honestatis suæ.

Tabellionis fides quod æquiparatur duobus testibus infert *glos. verbo duos viros capit. Quoniam contra 11. de probat.* ibi, Sic ergo videtur, quod tabellio æquiualeat duobus &c. Et sic videtur, quod plus credatur scripturæ tabellionis, quam scripturæ Episcopi, vel alterius iudicis: quia scripturæ iudicis non creditur, nisi habeat testium subscriptionem &c. Quot autem testibus possit impugnari tabellionis scriptura? videas *glos. verbo quodlibet in cap. Cum Ioannes de fid. instr.*

Notabilis est tex cum sua *glos. in l. in donationibus 31. C. de donat.* dum videntur probare, credi sine testibus tabellioni in hæc verba. Nam superfluum est priuatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant. Verum & illas donationes &c. Si fortè per tabellionem, vel alium scribantur, & sine testium subnotatione valere præcipimus, *& glos. sub notatione* sic. Nota ergo tabellioni sine testibus credi, quod speciale dicunt quidam in donationis instrumento &c. & prosequitur; To dic sub notatione, hoc est subscriptione ab eis facta, tabellio tamen eorum nomina subscribere debet &c. Et quod dicit tabellioni soli credi verum est intestificando, quod ipse fecerit, & quod sit

Digitized by Google

vera: non in solemnitate scripturæ. Et ab ista glos. videtur sumptus stilus notariorum Roman. qui in scripturis nomina testium describunt, ipsi autem testes non se subscribunt *glos. vero in l. singuli* 14. C. *de accusat. verbo relationibus* resoluit ita. Et sic non creditur officiali soli &c.

In vsu est apud prædictos Roman. notarios & in alijs regionibus apponere in scripturis clausulam istam &c: Super quo extat *glos. verbo &c. in Extrauag. vlt. de verb. sig.* sic dicens. Hæc clausula &c. comprehensiua est multorum verborum &c. vnde facit arg pro more tabellionum, qui habent in aliquibus regionibus, quod recipientes notam in protocollo de aliquo facto, vel contractu, vtuntur frequenter ista clausula: &c. postea redigendo instrumentum in mũdum, apponunt multa verba, quæ non apposuerunt in nota, vel protocollo, & illa subintellecta fore dicuntur sub tali clausula &c. De iure tamen scripto nihil plus, vel minus in mũdo, quã in protocollo debet reperiri, vt eis falsitas, & suspicio euitetur; Et ita omnino seruari debebat sublato tali vsu, seu potius abusu sub pæna falsitatis si in contrariũ facerent prout in testamentis disponit *l. Iubemus in fin. C. de testa.* ibi. Scituris, & tabellionibus, & ijs, qui conficienda testamenta procurant, quod si aliter facere ausi fuerint, pænam falsitatis non euitabunt quasi dolosè in tam necessaria causa versati.

Glos in §. Acta sunt post med. de pac. Constant. sic quærit. Verum tabellio possit propria authoritate emendare errorem factum in die, vel appositione loci? Et ita respond. Si est quæstio super die, vel loco non potest emendare: nam rasura caderet in loco suspecto; Si autem alibi, vbi non pendet quæstio, tunc emendare potest, & radere verbũ erroneum, & ponere verbum verum &c. Si autem non errauit in solemnitate instrumenti, sed in qualitate facti: tunc postquam instrumẽtum redactum est in mundum, & publicatum, nihil suã authoritate emendare potest, sed debet facere, errore comperto, de mandato iudicis, &c. Vel dic si est talis error, qui noceat; non potest emendare sine iussu iudicis, secus si non officit parti: quia partis non interest cum, & sine emendatione valeat instrumentum vt &c. Illud constat, quod aliæ sunt solemnitates instrumenti, aliæ negotij &c. quæ omnia, & singula iuribus probat. Si autem per simplicitatem fecit, quod partibus non præiudicat, dictum fuit verbo simplicitas.

Ex tex. in cap. vt officium 11. *§. Verum de haret. lib. 6. glos. verbo præmissa* sic deducit. Per hanc literam bene patet, quod tabellio factus monachus non potest quo ad alia exercere tabellionatus officium. Notat tamen Guliel. &c. quod veteres rogationes complebit, sed nouas non assumet.

Tabellio, quod non possit esse decurio probatur in verbo Decurio, *& glos. in l. vniuersos* 15. *C. de decurion. lib.* 10. rationem reddit, dicens quia publici dicuntur serui &c. & sic non debent decuriones vile officium, sicut procurationem recipere &c. Verum patrem fuisse notarium filio ad decurionatum non nocet, reliqua de materia vide as per *Bertach. hoc verbo, & verbo Notarius, vbi late.*

Taberna.

HVius appellatio declarat omne vtile ad habitandum ædificium; non ex eo quod tabulis claudatur, sic ait *Vlpian. in l.* 183. *ff. de verb. signif. & Paul. in l.* 184. addit. Inde tabernacula, & contubernales dicti sunt, *& in l.* 185. *idem Vlpian.* prosequitur sic. Instructam autem tabernam sic accipimus, quæ & rebus,

rebus, & hominibus ad negotiationem parata constat. *Et Papinian. in l. 13. ff. de fund. instr.* ita. Tabernæ cauponæ instrumento legato, etiam institores contineri Neratius existimat. Sed videndum est ne inter instrumentum cauponæ sit discrimen: vt tabernæ non nisi loci instrumenta sint, vt doliaria vasa, ancones, calices, & trullæ, quæ circa cœnam solent traijci, item vrnæ æreæ, & conglaria, sextaria, & similia. Cauponæ autem, cum negotiationis nomen sit, etiam institores, *vbi Bart.* sic summat. Taberna nomen est loci, caupona nomen est negotiationis.

Sceuola vero in l 34. ff. de pignor. hæc ait. Cum tabernam debitor creditori pignori dederit, quæsitum est vtrum, eo facto nihil egerit, an tabernæ appellatione merces, quæ in ea erant obligatæ videantur: & si eas merces per tempora distraxerit, & alias comparauerit: easque in eam tabernam intulerit, & decesserit: an omnia, quæ ibi deprehenduntur creditor hypothecaria actione petere possit: cum & mercium species mutatæ sint, & res aliæ illatæ? Respondi, Ea, quæ mortis debitoris tempore in taberna inuenta sunt, pignori obligata esse videntur, vbi Bart. summat ita. Appellatione tabernæ venit vniuersitas mercantiæ, quæ ibi exercetur, & ideo cadit in obligationem, quæ tempore, quo agitur, reperitur.

Glos. autem in Clem. 1. de vit. & honest. cler. verbo tabernariorum ita dicit. Taberna dicta est a tabulis, quæ mercibus substernuntur; Et proprie dicitur domus, in qua panis, vinum, & carnes coctæ venduntur: talia loca ne dum tenere, sed nec ingredi debent clerici *capit. Clerici officia 15.* ibi. Et tabernas prorsus euitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere cõstituti *eod. tit de vit. & hon. cler. in antiq.* & in sexta Synodo fuit decretum in hæc verba. Nulli clerico licet tabernam, aut ergasterium habere. Si enim huiusmodi tabernam ingredi prohibetur: quanto magis alijs ministrare in ea? *44. dist.* Et ratio clara est: Nam cum tale officium sit vile, & abiectum iuxta *l. 1. C. de natur. lib.* ibi. Vel tabernaria, vel tabernariæ filia, vel humili, vel abiecta persona *l. Humilem C. de incest. nupt.* ibi. Humiles vero abiectasque personas eas tantummodo mulieres esse censemus &c. Tabernariam tabernariæ filiam: tabernarij, vel lenonis, aut arenarij filiam non debet exerceri ab his, qui diuino officio deseruiunt.

Insuper in taberna, caupona, seu stabulo plerunque quæstum meretricium exercetur, vt probat *Vlpian in l. 4. vers. Ait prætor ff. de ijs, qui not. infam.* ibi. Lenocinium facit, qui quæstuaria mancipia habet. Sed & qui in liberis hunc quæstum exercet in eadem cau sa est, siue autem principaliter hoc negotium gerat, siue alterius negotiationis accessione vtatur: vt puta si caupo fuerit, vel stabularius, & mancipia talia habuerit ministrantia, & occasione ministerij quæstum facientia, & Imperator *Alex. rescripsit Aurelio in l. vl. C. si mancip. ita vanier. ne prostit.* ita. Eam, quæ ita vænit, ne corpore quæstum faceret: nec in caupona sub specie ministrandi prostitui, ne fraus legi dictæ fiat, oportet, & facit *l. quæ adulterium C. ad l. Iul. de adult.* cuius verba sup. habes ad aliud propositum verbo famulus. Vnde clericis ne dum tale officium prohibetur, sed nec loca similia iure merito intrare conceditur.

Eum, qui in taberna hospitatur, habitare non intelligi, dicit *Vlpian. in l. 1. §. hæc autem verba vers. Habitare* autem dicimus, vel in suo, vel in conducto, vel gratuito. Hospes planè non tenebitur, qui ibi non habitat. Sed paulisper hospitatur. Sed is tenetur, qui hospitium dedit *ff. de ijs, qui deiec. vel effuder.*

Tacens.

CONsentire videtur, vt est vulgata iuris *reg.43. lib.6.* Et quia in aliquibus, qui tacet non consentit, ideo regula loquuta est per verbum, videtur, & ob id *reg.seq.44.* ait. Is qui tacet, non fatetur: sed nec vtique negare videtur. Vt autem scias in quibus taciturnitas pro consensu habetur, & in quibus non obserua quod quando in actu necessaria est expressa cōtradictio, si hæc nō adsit, tacens consentit, & ita videtur probate *Vlpian. lib.35. ad Sabin. in l.32.§.voluntatem ff.solut.matr.* Voluntatem, inquit filiæ cum pater agit de dote, vtrum sic accipiamus, vt consentiat: an vero non contradicat filia? Et est ab Imperatore Antonino rescriptum, filiam nisi euidenter contradicat, videri consentire patri, coniuncta *glos.verbo contradicat* ibi. Sed dic, quod probat eo ipso, quod non dissentit, & iuxta eundem sensum procedit *cap.si seruus* sciente & non contradicente domino suo, in clero fuerit ordinatus ex hoc ipso liber, & ingenuus erit 54. *dist. & cap.Non ne de præsumpt.* sic & alia plura iura, de quibus habes supra verbo. Consensus, sic *l. Item 14.§ Qui impleto ff. locat.* ibi. Hoc enim ipso, quod tacuerunt consensisse videntur, *& l. vlt. in fin. C. de ijs, qui a non dom. man.* ibi. Cum sibi mancipij damna debeat imputare is; qui in perniciem suam gesta, taciturnitate firmauit, *& Auth.de temp. non sol pec. sup dot. coll. 7.* ibi. Taciturnitate mariti auferimus querelam &c. Si tacere elegerit palam est voluisse &c. *& §.Sed & si pater* ibi præsente eo qui adoptat, & non contradicente *quib. mod.ius patr.pot.sol.in Inst.coniuncta glos.ibi.item* sic qui tacet affirmat, vbi affert in contrarium *l.2. §.1. ff. de adopt. & l. filius fam. §.1. ff.de procur.* & respondet ita. Sed ibi erubescentia tacuit; quo casu non videtur consentire.

Et glos. verbo non probatur in d. l. filius fam. sic ait. Nota taciturnitatem consensui non comparari; sic& in seruitute imponenda. Item in furto &c. Item in eo, qui impedire non potest &c. & in eo, qui erubescit loqui &c. Item in eo, qui scit ius suum durare. *Glos.vero vlt. in capit Nonne de præsumpt.* ita distinguit. Vbi per prohibitionem meam possum prohibere, quod fit, & taceo: tunc taciturnitas pro consensu habetur &c. Si vero per prohibitionem meam non possum prohibere, quod fit, tunc non obstat mihi taciturnitas &c. (Licet in princip aliter distinguat) concordat etiam *glos. in cap.Postulasti 30. ad med.de iur. patr.* ibi. Sed quid si præsente & non contradicente patrono intitulatur? videtur consentire ex quo non protestatur ius suum &c. Sed hoc non est verum: quia non nocet ei taciturnitas, si ei inuito possunt fieri talia &c. *& glos. verbo manifestum in l. fideiussor 26. §. 1. ff. de pignor.* consonat etiam *glos. vlt. in l. Qui patitur 18. ff. manda.* ibi. Secus si patior rem meam vendi, vel donari: quia & si contradicerem, tamen hoc posset fieri &c.

Ex quo tex. & glos. colligitur alia distinctio ad Reg. prædictam, quod tacens consentire intelligitur in sibi fauorabilibus, vt ibi. Et nota patientiam pro consensu haberi: Et hoc ideo, quia spectat ad vtilitatem eius, qui patitur. Secus verò in sibi odiosis, atque onerosis. Quia (vt inquit *glos.verbo probari in capit. Si contra 4. de offic. delegat. lib.6.*) non præsumitur quis appetere onerosa, & ideo taciturnitas in his non habebitur pro consensu.

Alia regula ponitur *a Paul. in l.185. ff. de reg. iu.* a qua fuit sumpta *reg.14. eodem tit.in 6.* quam sup. in princ. adduximus, inquit enim. Qui tacet non vtique fatetur. Sed tamen verum est eum non ne-

Digitized by Google

negare, Et sic Tacere, quidem medium est inter expressam voluntatem, & contradictionem expressam; vt non sit idem ius, quod in alterutro est eorum, prout ibidem dicit *glos.* & ponit exempla plurimis relatis iuribus. *Et Pontif.* vocauit istam taciturnitatem, dissimulationem *in cap. Super eo 3. de cognat. spir.* ibi. Dissimulare poteris, ita quod nec contradicere, ne eum videaris præstare assensum, vbi notauit *glos. verbo. contradicere* dicens. Nota, qui tacet neque consentit, neq; negat &c. quandoque tamen taciturnitas habetur pro consensu &c. Et aliquando pro contradictione.

Videamus ergo aliquos casus in quibus taciturnitas consensum inducat, & in quibus non. Si fideiussor pro reo patiente fidem suam adstrinxerit: mandati cum eo post exolutam pecuniam, vel factam condemnationem, potest actionem exercere, inquit *Gordian. in l. 6. C. mandat.* Et hoc virtute taciturnitatis, & quia non contradicit, vt ibidem per *glos.* quæ etiam limitat in tribus casibus.

Seuerus, & Antoninus rescripserunt *in l. 2. C. si alien. res pig. data sit*; in hæc verba si probaueris præsidi prædia, vel hortos, de quibus agebatur, tuos esse: intelligis obligari eos creditori ab alio non potuisse, si non sciens hoc agi in fraudem creditoris ignorantis dissimulasti. Sed notabis quod hoc non procedit ratione taciturnitatis, sed fraudis in tacendo, vt alias *in l. Iulianus* 14. ibi. Si vero sciens reticuit, & emptorem decepit &c. *ff. de act. empt.* nam si sola taciturnitas adesset contrarium disponi, videtur *in tex. vt in eod. notat Bald. & in l. si fine num 3. C. ad Velleian.* vbi etiam probatur, quod taciturnitas dolosa vxoris ei nociua est.

Item taciturnitas pro consensu habetur, & præiudicat creditori patienti sententiam ferri contra debitorem super re sibi pignorata, vel hypothecata iuxta *l. Præses 5. & quæ ibi glos vlt. ad fin C de pignor. vbi vbi etiam Bald.* de quo vide eundem *in d. l si fine num 11. & 12.* nisi in duobus casibus de quibus *in d. l. præses* ibi. Nec tibi oberit sententia aduersus debitorem tuum dicta, si eum collusisse cum aduersario tuo, aut (vt dicis) non causa cognita, sed præscriptione superatum esse constiterit.

Et eodẽ modo si legatarius tacet in alienatione ab hærede facta reo sibi legatæ ipsi met sibi præiudicat in ea re, vt non possit eam consequi, licet non in eiusdem pretio, vt scriptum reliquit *Iulian. in l. si fundum 94.* ibi præsente, & assignante eo cui fideicommissum debebatur: placet non fundum, sed pretium eius restitui debere *ff. de legat. 1.* Sed quid dices in fideicommisso? *glos. in l. Cum proponas 16. C. de pact.* ita respondet. Item si vnus frater cum alter frater rẽ venderet, præsens nõ cõtradixit, dico eum sibi fecisse præiudicium &c. Verum *Bald. ibidem nu. 1.* sic ait Quærit hic glos. duo fratres erant inuicem de restituendo rogati post mortem, si sine liberis alter eorum decederet Modo vnus præsente altero, & tacente vendidit portionem suam, demum extitit conditio fideicommissi. Quæritur vtrum iste frater, qui tacuit, possit agere cõtra emptorem? contra hæredem enim fratris non est dubium, quod potest agere, *vt l. vnum §. fin. ff. de legat. 2. & l. Si fundum allegata in glos.* Soluit *glos.* quod ex quo non contradixit venditori, videtur tacite consensisse, ergo non potest petere rem, sed pretium petet ab hæredibus fratris *per l. si fundum per fideicommissum ff. de legat. 1. & de legat. 2. l. Peto §. prædium*, & ideo taciturnitas non habetur pro cõsensu, cum in tali actu non esset necessarius actus tacentis, *vt in l. Caius ff. de pig. act.* in materia sua. Non obstat *l. Quoties §. libertis*, quæ allegatur a *glos.* quia ibi.

loqui-

loquitur in consensu expresso. Sed pro glos. facit: quia taciturnitas est hic iuncta cum affectione sanguinis. Vnde videtur donatio præsumenda, *vt l. Procula ff. de probat. & ff. de donat. int. vir. l. si seruus communis*. Sed ad ll. illas respondeo, quod in l. Procula plura alia concurrunt, & in l. si seruus communis rem suam tradidit per fratrem, sed hic non tradebat res patientis, & res tradentis. Sed si frater ille dolo tacuit sciens fideicommissum, præiudicat sibi ne possit rem vendicare, secus si fideicommissum ignorabat, vel errabat in iure &c.

Quid vero dicendum, si duo fratres fuerint ad inuicem per fideicommissum substituti, & inter se diuiserunt bona cum pacto, & pœna de non contraueniendo diuisionem, an per talem simplicem diuisionem tacitè videantur fideicommisso renuntiare, taliter quod per mortem alterius non possit superstes agere contra hæredes decedentis pro consequendo fideicommisso? Et quod non, videtur respondisse *Scæuola in l. Qui Roma 122. §. vlt. ff. de verb.* dum ita proponit, & respondet. Dum fratres hæreditatem suam diuiserunt, & sibi cauerunt nihil se contra eam diuisionem facturos: & si contra quis fecisset, pœnam alter alteri promisit. Post mortem alterius, qui superuixit, petijt ab hæredibus eius hæreditatem quasi ex causa fideicommissi sibi a patre relictum debitum: Et aduersus eum pronunciatum est quasi de hoc quoque trãsactum fuisset. Quæsitum est an pœna commissa esset? Respondi secundum ea, quæ proponerentur, commissam esse. Verum ex hoc tex. satis patet prædictam quæstionem resolutam non fuisse, sed tantum quod pœna commissa esset, ex hoc non quia tacite per diuisionem videretur fideicõmisso renuntiatum; sed vigore sententiæ, a qua non extitit appellatum, & quia licet iniusta, transiuit in rem iudicatam, prout ita colligitur *ex Bart. in sum.* ibidem dum ait iniusta sententia, per quem quis contra diuisionem facere declaratur, facit pœnam committi coniunctis his, quæ *per glos. vlt.* late dicuntur. vbi etiam, quod bene fuerit iudicatum tu eam vide, & *Bald.* distinguentem quando renunciatum videatur, & quando non in eod. *§. vlt.* ad quem te remitto.

Fauore piæ causæ taciturnitatem cum scientia nocere ei, qui patitur rem sibi obligatam alienari in Ecclesiam, vel pauperes tenet *Bald. in l. 1. C. de remiss. pig.* dum tex. dicit hoc fauore libertatis, per ista verba. Lite manumissum, & in libertate moratum, sciente ea cui pignoris nomine obligatus diceris, præsidi probaueris: ex consensu creditricis remissam pignoris obligationem apparebit: & per hoc iure te manumissum, nec ab hærede creditricis in seruitutem peti posse certum est. *Bald.* addit ita. Et idem quod hic dicitur in libertate, est in Ecclesia, & pauperibus, & in causis pijs, quæ merentur fauorem sicut libertas. Et hoc ex consensu scilicet tacito, vt ibidem notauit glo.

Qui tacuit apud prætorem in ea causa est, vt instituta actione in solidum conueniatur: quia quasi negauit se hæredem Nam qui omnino non respondit, contumax est. Contumaciæ autem pœnam hanc ferre debet, vt in solidum conueniatur, quemadmodum si negasset: quia prætorem contemnere videtur. Ita *Vlpian. in l. De ætate 11. ff. de interrog. act. §. Qui, &c. Et infra in alio §.* sic. Nihil interest neget quis, an taceat interrogatus, an obscure respondeat, vt in certum dimittat interrogatorem. *Sed glos. verbo confiteatur ex eodem Vlp. per tex. ibi in l. Certum ff. de confess.* dicit quod iudex poterit talem habere pro confesso, & altera *glo. in cap. Quoniam contra 11. verbo confessio-*

fessiones de probat. sic ait, talis taciturnitas pro confessione habetur, de quo vide *Bald. in l. 3. C. quand. fisc. vel priuat. in princ.* ibi. Qui enim tacet, potius negare videtur, nisi iussus, & monitus non respondeat: quia tunc pro confesso potest haberi, & ibi declarat hoc posse intelligi duobus modis.

Non inducitur vero consensus ex taciturnitate ad obligandum aliũ, vt in procuratore disponit *l. filiusfam. 8. §. Inuitum ff. de procurat.* ibi. Inuitum accipere debemus non eum tantum, qui contradicit: verum eum quoq; qui cõsensisse non probatur, vbi *notat glos. verbo non probatur,* & affert alios casus in quibus taciturnitas non inducit cõsensum quos videre ibi poteris, inter quos vnus est quando creditor præsens & tacens scit vendi rem sibi obligatam, nam non videtur cõcessisse facultatem venditori, cum ideo passus sit venire, quod sciebat vbique pignus sibi durare, *vt in l. Sicut 8. §. non videtur ff. quib. mod. pig. sol.*

Non etiam taciturnitas habetur pro consensu, sed pro contradictione si mulier vxor, aut filiafam. tacuit nimia reuerentia in aliquo actu à viro, aut patre gesto in sui præiudicium, *vt probat glos. verbo metu in l. 1. §. Quæ onerandæ ff. quar. rer. act.* per tex. ibi metu solo, vel nimia patroni reuerentia, ità se subijcisse, *& glos. verba sunt, hæc.*

Et nota hic arg. quod mulier, quæ rem suam vendidit, vel hypotecauit metu, vel reuerentia, quod possit reuocare. Idem de clerico, qui metu, vel reuerentia Episcopi renunciauit præbendæ, licet non interueniat corporis cruciatus. Et in terminis sic sequutus fuit, *Bald. in l. 1. sub. n. 3. C. de bon. mat. vers. Prima quæstio est in fin.* ibi. Et ego plus dico, quod silentium propter patris reuerentiam interueniens, potius reputatur contradictio, quam consensus. &c.

Non tamen intelligas hoc procedere quando pater sponsalia celebrat pro filio ipso præsente, quia si non contradicit obligatur, vt est *tex. in cap. vnic. §. vlt. de despons. imp. lib. 6.* in hæc verba. Porrò in sponsalibus, quæ parentes pro filijs puberibus vel impuberibus plerunque contrahunt, ipsi filij si expressè consenserint, vel tacitè, vt si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. *Felin. in cap. Non ne nu. 8. de præsumpt.* vbi dicit hoc esse fauore matrimonij, *& glos. in d. §. vlt. verbo contradixerint,* dicit hoc ita decisũ, quia agitur de re naturaliter appetibili sequitur idem *Felin. num. 19.* quem omnino videas, vbi plures fallentias affert ad reg. Qui tacet Vide etiam, *Abb. in d. cap. Nonne Bart. & Alex. in l. Quæ dotis & in l. Si eum dotem 9. eo autem ff. sol. mat.* Et cum his taceamus supra regula, qui tacet, non enim consentit Apolecta de ea plus loqui.

Nihil tacuisse nocet, nocuit tamen esse locutũ. *Ex Caton. refert glo. in l. Actus legitimi 78. in fin. ff. de reg. iur. & Valer. Maxim. de instit. lib. 2. cap. 1. de maior. dant. exempl. virt. inuen.* sic Nunquam enim taciturnitatem, optimum, ac tutissimum administrandarũ rerum vinculum labefactari volebant.

Etiam tacentibus authoritatẽ posse accommodari, inquit *l. Muto 6. ff. de tutel.*

Tacitum.

Est quod magis intellectu percipitur, quam locutione exprimatur, vt per *Bald. in l. vlt. num. 6. C. de inst. & subst.* De eo idem esse iudicium, quod de expresso communiter deducitur ex *l. Qui ad certum 15. ff. locat. & l. Cum quid ff. si cert. pet.* ibi. Nam in contrahendo, quod agitur pro cauto habendum est *vbi glos. verbo cauto,* ait,

LIIIII Con-

Contra deberet dicere, vt quicquid non est expressum pro omisso debeat haberi, vt ff. de verb. l. Quicquid &c. Item nota hic arg. quod quædam tacita pro expressis intelliguntur. Duæ ergo sunt regulæ contrariæ, sed pro diuersitate rerum quælibet habet suum locum, vel propter naturam rei, aut contractus. Nam in contractu stricti iuris, nisi quid expressum sit, non debet tacitum intelligi, sed pro omisso haberi, & ita procedit, quod dicit *Celsus in l. Quicquid* adstringēdæ obligationis causa dictum est: id, nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est. Sic in nouatione disponit *l. vlt. C. de nouat.* dicens. Nihil penitus prioris cautelæ innouari, sed anteriora stare, & posteriora incrementum illis accedere: nisi ipsi contrahentes specialiter remiserint quidem priorem obligationem, & hoc expresserint. Et in his, & similibus procedit *reg. 156. ff. de reg. iur. vbi Modestin.* inquit. Expressa nocent, non expressa non nocent; de qua plurima affert iura *glos.* ibidem quibus etiam probatur quædam posse fieri tacite, quæ non possunt expresse fieri, *vt in l. si vnus 38. §. Illud nulla pactione* effici potest ne malus dolus præstetur: quamuis si quis paciscatur ne depositi agat, re ipsa id pactus videatur, ne de dolo agat: quod pactum proderit *ff. de pact.* & notauit *glos. verbo prætermissam in l. filius §. veterani ff. de procurat.* sic legatum licet non possit relinqui ad alterius voluntatem expressam, poterit tamen in tacitam, *vt in l. Non nunquam 11. ff de condit. & demonst.* sic in actibus, de quibus *in l. Actus legitimi 78 ff. de reg. iur.* tacite recipiūtur, quæ aperte comprehensa vitium afferunt. At in contractibus bonæ fidei tacita pro expressis habentur iuxta *d. l. Qui ad certum*, vel vt dicit *glos. verbo procauto in d. l. Cum quid*, quando obligatio re contrahitur, *vt in princip. quib. mod. re contrah. oblig. in Inst.* sic in eo, cui conceditur, vel relinquatur seruitus eūdi per fundum tacitè intelligitur, non per villam ipsam, nec per medias vineas ire agere ipse siendus est: cum id æque commodè per alteram partem facere possit: vt inquit *Celsus in l. Si cui simplici ff. de seruit.* Ea ratione, quia tacita hæc pro expressis intelliguntur, & iuxta eandem procedit *l. Quanquam 62. ff. de rit. nupt. & l Res in dotem 43. ff. de iur. dot.* prout notauit *glos.* citata *verbo pro cauto in fin.*

Dic ergo cum *Ias in dict. l. Cum quid numer. 5.* quod taciti, & expressi par virtus est, & id propriè intelligitur in his, quæ tacitè veniunt ex natura contractus, & hoc modo cessant *glos.* quæ contrarium dicunt super quibus satis laborarunt doct. In alijs vero limitandam esse reg. prædictam dicit idem *Ias. à numer. 6.* quem videas omnino.

Expressionem eorum, quæ tacitè insunt, nihil operari probat *Papinian. in l. conditiones 98 ff. de condit. & dem & l. Hæc verba ff. de legat. 1. l. Iam dubitari debar. inst. & l. Non recte C. de fideiussor.* Sed nota quod si expressio eorum, quæ tacite insunt, fiat per alium modum, quam insint, aliquid operabitur, vt sum mat *Bart. l. si ita 68. §. Illi si volet ff. de legat 1. per text. ibi.* Aliud enim iuris est si quid tacite continetur, aliud si verbis exprimatur.

Temeritas.

Est defectus consilij, & species imprudētiæ ex *D. Thom. 22. quæst. 53 art. 23. & Ioan. Andr. in cap. Quia plerique de offic ord. in Nouell. ad princip. l. b. 6. per tex.* ibi. Non sine multa temeritatis audacia. Vnde cum sit imprudentia, culpæ & non dolo adnumerari debet: nam imprudentia culpæ adscribitur, vt notalli

tasti *sup. verbo culpa*, & in specie videtur probare *Vlpian. in l. Iulianus* 14. *§. Item qui furem in fin.* ibi. Inter hunc igitur, & eum qui scit, interest: quoniam qui scit, præmonere debuit furem esse: hic non debuit facilis esse ad temerariam indicationem, coniuncta *glosa verbo indicationem* in illis verbis, Sed ille dolo affirmauit, hic non, *ff. de act. empt.* Et facit, quod dicit *Ioan. And. in cap.* 1. *de sent. excom. in* 6. Temeritatem non sapere dolum, vel malitiam, sed fatuitatem, & est optima *glos. verbo temerarius in cap.* 1. *de sent. excomm. lib.* 6. ibi. Nunquid requiritur, quod sit in dolo? &c. Dic contra: quia sufficit quod negligentia, stultitia, vel fatuitate hoc fecerit &c. per iura, quæ affert. *Cardinal. autem in Clem* 1. *§. Porro de sum. Trin* dicit temeritatem esse audaciam in malum, per tex. ibi doctrinam omnem, seu positionem temere asserentem. Et vti talem reprobari *ex eod. tex. & text. Clem.* 1. *de sepult. & in cap. Quanto* 4. *de consuet.* ibi. Tutius est ea sine periculo ex necessitate (quæ legem non habet) omittere, quam vt ab his quibus ea conferre non licet ex temeritate (quæ lege damnatur) non sine graui periculo inaniter conferantur, cum vmbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu, *& in cap. vna sola* 33. *quæst.* 5. ibi. Et si propere fuerit factum, magis est corrigenda temeritas, quam persoluenda promissio: quod quidem intelliges in his, quæ reprobata sunt, vt quia mala, vel male gesta. In bonis vero actibus non temeritas interuenit præsumptionis, sed diligentia pietatis, vt inquit *capit. Si nulla in fin. de consecrat. dist.* 4. Nam temeritas dicitur, qui sine causa iusta scienter facit aliquid de prohibitis vel præcepta negligit, cum potest facere, vt per *Cardinal. in Clemen.* 1. *§. si quis de stat. Monach.*

Non solum in factis temeritatem dici, vt probatum est, sed etiam in verbis probat *Modestin. in l famosi* 7 *ff. ad l. Iul. maiest.* in hæc verba. Nec lubricum linguæ ad pænam facile trahendum est. Quanquam enim temerarij digni pæna sint, vt insanis tamen illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod vel ex scriptura legis descendit, vel ad exemplum legis vindicandum est.

Eum quem temere aduersarium suum in iudicium vocare constiterit, viatica, litisque sumptus aduersario suo reddere oportet, dicit *Vlpian. in l.* 79. *ff. de iudic.* Temere autem litigasse dicitur, qui sciens se non habere ius, litem prosequitur prout ibidem notauit *glos. Et Cardinal. in Clem.* 1. *de re iud.* ait temere litigare illum, qui per trinam sententiam succumbit.

Temperamentum.

OPtimum fit ex duobus contrarijs, vt dixit *glos. verbo. Ita in l.* 14. *ff. de procurat. vbi Vlpian. lib.* 8. *ad edict.* sic. Sed hæc neque passim admittenda sunt neque districtè deneganda: sed à prętore causa cognita temperanda; & facit *l.* 2. *§. si quis tamen ff si quis caut.* ibi Nam neque arctandus est, vt possit ei dici, cur non multo ante profectus es quam dies promissionis sistendi veniret? Neque iterum ei permittēdum si quid sit, quod ei imputetur: conducit etiam *l. si quid* 18. *ff. de ædil. edict.* ibi Hæc omnia videntur eo pertinere, ne id quod affirmauit venditor amarè ab eo exigatur: sed cum quodam temperamento, vt si forte constantem esse affirmauit, non exacta grauitas, & constantia quasi a philosopho desideretur &c. Sed hæc omnia ex bono, & æquo modice desiderentur, & ibidem alia ponuntur exempla, *& in l. sciendum* 19. *eod. tit.* sic. Non vtique perfectum eum præstare debet, sed ad aliquem modum peritum, vt neque

eum summæ scientiæ accipias, neque rursus inductum in artificio: sufficit ergo talem esse, qualem vulgo artifices dicuntur.

Temperantia.

Est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma, & recta, & moderata dominatio, vt inquit *Cic. lib. 2. Rhet. art vet.* Inter temperatum, & continentem est differentia, prout ait *Arist. 7. Ethic. 12.* sic. Est enim continens potens nihil præter rationem propter corporales delectationes facere; temperatus, sed hic quidem habens hic autem non habens prauas concupiscentias: Et hic quidem talis qualis non delectari præter rationem, hic autem qualis delectari. *Cicer. vero, vbi sup.* dicit ita. Continentia, est virtus per quam consilium gubernatur, cupiditas regitur; sed dum hic illam vocat virtutem, videtur errare, cum virtus non sit sine habitu, & quando diu homo continet, tunc transit in habitum, & dicitur virtus temperantiæ: poterit tamen largè vocari virtus continentiæ. Eadem est differentia inter incontinentem, & intemperatum, quia ille nondum habitum vitij contraxit, ideo cognoscit se male agere, licet ab effectu superetur, vt dicit versus.

Video meliora proboque, deteriora sequor.

Iste vero, qui iam adeo in habitu vitij est constitutus, vt lumen cognitionis funditus amiserit, in tantum vt peruersa natura rerum, bonum quidem malum arbitretur, & malum bonum, vt per eundem *Arist. dict. capit. 12.* ibi. Similes autem & incontinens, & intemperatus, alteri quidem existentes, vtique autem corporalia delectabilia persequuntur: Sed hic quid esset existimans oportere hic autem non existimans.

Temperantia voluptatibus imperat, alias odit, atque abigit, alias dispensat, & ad sanum redigit, nec vnquam ad illas propter ipsas venit, scit optimum esse modum cupitorum, non quantum velis, sed quantum debeas sumere, ita *Senec. Epist. 89.*

Tempus.

Secundum Romanos non sunt nisi duo tempora Hyems a Kalendas Octobris vsque ad Kalendas April. Et Æstas ab Aprili vsque ad Octobrem, quo tempore est nauigandum, non postea, secundum P. Sed secundum B. Separatur Aestas ab Hyeme in æquinoctijs, ita inquit *glos. pen. in l. Quoties C. de naufrag lib. 11.* In dandis autem vestibus a Kalend. Septembris ad Kalend. Aprilis tempus signatur, vt infra dicitur verbo. Vestis.

De iure autem Canonico quatuor esse tẽpora constat ex Calixto Papa, dum in hæc verba scribit Benedicto Episcopo 76. dist. Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, conuenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus: vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, sic & nos quaternum solemne agamus ieiunium per quatuor anni tempora, *& ex Conc. Maguntì in cap. seq.* sic. Constituimus, vt quatuor anni tempora &c. *& in duob. seqq.* & clarius *ex Leon. Pap. in cap. Huius obseruantia ead. dist.* ibi. Si quidem ieiunium vernum in quadragesima, Æstiuũ in Pentecoste, Autumnale in mense Septimo, Hyemale in hoc, qui est decimus, celebremus.

Per quatuor ista tempora, quæ annum constituunt, vita hominis agitatur, & quasi in mari crebris tempestatibus fluctuatur, eaq; longissima dicitur si centum annorum tempore compleatur, vt

per

per *Iustinian. in l. vlt. C. de Sacrosf. Eccles.* ibi. Longissimum vitæ hominum tempus eligimus: & non aliter eam actionem finiri concedimus, nisi centum annorum curricula excesserint, vbi notat *glos. verbo centum annorum*, dicens. Hæc enim est longissima hominis vita, vt hic, & *ff. de vsufr. l. An vsusfructus*, & *in Auth. vt Eccles. Rom. cent. ann. idē Imp.* ibi. Sed centum annorum tantummodo lapsu &c. Cum hoc tempus vitæ longæui hominis plerunque finis esse dinoscatur. Alias dicitur longæuum tempus, cuius non extat memoria, vt notauit *glos. in l. 2. verbo longæui* ibi. Cuius scilicet non extat memoria *C. quæ sit long. consuet.*

Longum verò tempus, est decem vel viginti annorum vt satis, in materia præscriptionis, patet *ex rubr. C. de præscript. long. temp. decem vel vigint. ann.* & infra alia de hoc vers. Tempus inducit.

Et longius quadraginta annorum, dicit *glos. verbo Longiora in d. Auth. vt Eccles. Rom.* Multum autem tempus vsque ad quinquennium procedebat. Sed per Constitutionem nostram, tempus coarctatum est, vt vltra biennij metas minimè extendatur, ita *per Imp. in §. vlt. ad fin. de lit. oblig. in Inst. vbi glos. verbo. Multum* sic. Nota, multum, pro quinquennio poni, sed, diu, pro decennio. & *l. 1. §. Quod dicendum est ff. de separat.* sic. Quod dicendum est post multum temporis separationem impetrari non posse, ita erit accipiendum, vt vltra quinquennium post aditionem numerandum, separatio non postuletur, & *glos. verbo si multo in l. Item in fin. ff. de arbitr.* sic. Multò, scilicet post quinquennium, vt &c. secundum quosdam. Alij dicunt post biennium, quia tanto tempore finitur iudicium, & arbitrium vt &c. Sed Io. dicit. Multum, esse tempus ad arbitrium iudicis. *Et glos. vlt. in l. Lucius Titius 38. ff. mandat* vbi agens de fideiussore, qui diu licetit sub fideiussione, sic quærit. Sed quantum tempus intelligitur, diu? & Respond. decennium, *vt infr. qui, & a quib. l. Sed si fideicommissaria §. Arist.* Vel verius arbitrio iudicis, *vt de iur. de lib. l. 1. in fin. In l. Cum domini horreorum 58. ff. locat.* diu, pro tempore biennij ponitur ibi. Tempus autem in huiusmodi re biennij debet obseruari, *vbi glos. vlt.* ita ait. Sic quod Diù, ponitur pro biennio, vt hic, & sup &c. Sed alias pro decennio, *vt qui & a quib. l. Sed si §. Aristo.* casus autem illius *l. Cum domini*, est de conductore per biennium non comparente, quod tunc potest locator petere, vt horrea conducta aperiantur.

Sed quod dicemus modicum tempus? *glos. verbo Actio in l. 1. ff. de superfic.* ita respondet. Alij triginta dierum, vt &c. Alij biennij, vt &c. Alij decem annorum &c. Sed Ir. vsq; ad quinquennium &c. Tu dic arbitrio iudicis. *At in l. 1. ff. de itin. act. queprin. sic Iurisc.* Si modo hoc anno vius es, vel modico tempore id est non minus quam triginta dierum, & *glos. 2. in l. vlt. ff. de lib. hom. exhib.* ita. Et quod subiicit Modicum tempus, scilicet decem dierum &c. Alias dicitur modicum quatuor mensiū, alias triginta dierum. *Et glos. in l. vlt. ff. si ager. vectig.* ibi. Et ii ad tempus non modicum, sed quod est hoc? Dicunt quidam decem dierum vt &c. Alii decem annorum, vt &c. tu dic arbitrio iudicis dici non modicum tempus, vt &c. *Et glos. in l. Diuortio 37. ff. de neg. gest.* sic. Debuit ergo transire aliquod tempus quo videatur cessasse, quod est decem dierum, secundum quosdam &c. vel prout iudici videbitur &c. vel quoddam mediocre tempus vt &c. vel tale, quo salua dignitate sua possit se expedire, & *in l. si cum dies §. vlt. verbo. Modicum ff. de arbitr.* ibi. Inesse modicum tempus &c. Alij in arbitrio iudicis &c. Sed modicum tempus statuendum est non minus decem dierum, vt exactio

celebretur, ita *l. Promissor §. si fine ff. de const. pec. vbi glos. verbo modicum* sic. Sed aliter ponitur modicum *sup. de iud. l. Si debitori, & sup. Ex quib. cau. maio. l. Ab hostibus §. Sed quod*: & aliter, vt *infr. de itin. actque priu. l. 1. §. 1.* Alias dicitur, quod non debet venire cum sacco paratus, *vt infr. de solut. l. Quod dicimus*. Concludendum est igitur in tanta varietate, quod vbi modicum tempus a lege non declaratur, maneat in arbitrio iudicis, vt expresse *disponit l. 1. ff. de iur. delib.* ibi. Cum dicit tempus, nec adiecit diem, sine dubio ostendit esse in ius dicentis potestete, quem diem prostituat *& in l. si constante 25. §. si vxor ff. solut. matr.* ibi. Arbitrio iudicis modicum tempus ei indulgeri, &c. Sequitur *glos. verbo non modicum in cap. 2. de reb. Eccles. lib. 6.* ibi. Relinquitur iudicis arbitrio, ex quo hic non determinatur inspecto statu Ecclesiæ, & imminenti periculo, & conditione personarum, *& in Clem. 1. eod. tit. in glos. vlt.* ibi. Id relinquendum arbitrio iudicis, &c. Et videtur hoc æquum propter varias conditiones regionum, &c. vbi etiam alijs modis asserit intelligendum esse modicum tempus, *& glos. vlt. in l. Non enim 16 ff. ex quib. cau. maio.* ibi. Et nota hic modicum tempus poni arbitrio iudicis, quod quandoque ad mensem, quandoque etiam ad annum durare potest. Nam cum lex vult modicum certum tempus indicere, illud expresse declarat, vt *in l. si debitori sup. citat.* ibi. Neq; enim magnum est damnum in mora modici temporis. Modicum autem tempus hic intelligendum est quod post condemnationem rei indultum est, *vbi glos. vlt.* dicit olim fuisse duorum mensium, & postea quatuor hodie vero esse decem dierum. Sed cum in lege non declaratur, certum est illud in iudicatis arbitrio esse relictum ex dictis, & ex ratione tradita per *glos. verbo interuallo in l. Cum quidam 24. ff. de legat. 2.* ibi. Modicum autem est, quod magis intellectu, quam elocutione exprimi potest, *& in l. Omnia 32. verbo ex die eod tit.* Iudex ergo secundum suum intellectum declarabit consideratis causa, modo, statu, & conditione personarum, & rerum iuxta *dict. glos. vlt. in Clem. 1 de reb Eccles & in dict cap. 2. verbo non modicum eod. tit. lib 6.* Erit etiam arbitrium regulatum iuxta *l. Quo enim § Iulianus ff. rem rat. hab & l. Ratum 13. ff. de solut.* ibi. Spatium quoddam temporis nec minimum, nec maximum, & quod magis intellectu, quam elocutione exprimi possit.

Si autem quæras de temporis momento, quod tempus comprehēdat? Dico cum *glos. verbo. Momento in l. 2. C. quæ sit long. consuet* quod in eo tex. (qui de consuetudine loquitur) Momentum dicitur, pro eo tempore, quo roboratur cōsuetudo scilicet decem annorum alias pro paruo tempore, vt pro puncto, alias pro die, *vt in l. Omnes iudices C. de fer.* ibi. Die solis &c. & ibi. ne occasione momēti pereat commoditas coniuncta *glos. vlt.* ibi. momenti, id est, diei Dominici, Vel dicas prout supra in modico, vt dixit *glos verbo momentum in l. vlt. § vlt. C. de bon quæ lib.* ibi. Momentum appellat quoddam tempus, quod magis intellectu percipi potest.

Sed quod breue tempus dicetur? Audi *glo. Verbo breue tempus in capit. Præterea 5. de ætat. & qual.* sic dicentem. Quandoque breue tempus dicitur quatuor mensium &c. quandoque decem dierum &c. quandoque duorum mensium &c. quandoq; triginta dierum. Sed hic appellatur breue tempus, annus, in anno enim, & dimidio potest aliquis promoueri ad sacerdotium &c. Item arg quod parum est vtrum aliquid fiat in præsenti, an in breui tempore, *& in capit. Ex literis 11. de constit. verbo intra triduum* ita.

ita. Nimis breuis fuit terminus: quia non potuit deliberare ad plenum, & ideo potuit in promptum incidisse periculum, &c. quia illud tempus modicum appellatur, &c. Et propter breuem terminum potest appellari.

Quod verò tempus intelligitur sub hoc aduerbio quamcitius? videas in verbo dictio, vbi etiam de aduerbio, statim, quod temporis temperamentum inducit.

Quadriennij tempus, quod bonis vacantibus nuntiandis præscriptum est, non ex opinione hominum, sed ex substantia vacantium bonorum dinumirabitur, sic inquit *l. Intra quatuor* 10. *ff. de diuers. & temp*

Tempus inducit obliuionem, & ita obliuione amittitur dominium. Dummodo longum sit, & obliuionem inducat, & animum retinendi habere desinat, ita dicit, & probat *glos. verbo probat in §. Quod autem de suscap. in Inst.* Tempus autem longum in hac materia quale sit? iudici relinquitur, vt dixit *glosa Verbo vel longo in l furtum* 37. *ff. eod. tit.* ibi. Item longo, accipe quantum iudici videbitur, per quod obliuio inducitur &c. non autem longum decem, vel viginti annorum.

Triennij tempus inducere præsumptionē, contra reg. semel malus si per ipsius spatium duxit vitam bonam, iam dictum fuit verbo delictum vers. Delinquens antea.

Tria esse temporum genera, ait *glos. verbo à recitatione in Auth. de appell. §.* 1. *coll.* 4. in hæc verba. Et ita erit mirabile, quod hoc tempus ad aliquid est vtile, vel in principio, vel in medio, vel in fine fieret, & aliàs *ff. de adult. l. quinquennium, & C. de tem. in integr. rest. l.* 1. *& l. fin. &c.* Aliàs autem continuum tantum est, vt circa vsucapionem, vt *ff. de vsuscap. l. Nunquam §.* 1. Aliàs tantum vtile, vbi tria necessaria sunt, vt *ff. de diuers. & tempor. præsc. l.* 1. Et sic sunt tria genera temporum.

Vtile tempus est, quod non currit, nisi à tempore scientiæ, & potentiæ iuxta, quæ *Vlpian. in l.* 2. *ff quis ord. in bon. poss.* ibi. Ita autem vtile tempus est, vt singuli dies in eo vtiles sint? scilicet vt per singulos dies, & scierit, & potuerit admittere Cæterum quacunque die nescierit, aut non potuerit, nulla dubitatio est, quin dies ei non cedat. Fieri autem potest, vt qui initio scierit, vel potuerit bonorum possessionem admittere, incipiat nescire, vel non posse admittere: scilicet si cum initio cognouisset eum intestatum decessisse postea, quasi certiore nuntio allato, dubitare cœperit &c. & ibidem *not. glos. verbo non cedat,* quatuor esse necessaria ad hoc, vt tempus vtile currat.

De eodem loquens *glos.* 1. *in l. vlt. C. de temp in integ. rest.* sic ait. Temporis vtilis multa sunt genera, vt de anno vtili. Nam quidam est vtilis quo ad sui initium; sed ex quo incipit est continuus vt &c. Alius est vtilis toto tempore, & hic est multiplex. Nam quidam est vtilis, vt nec feriati dies computentur, nec absentiarum, nec minorum ætates, vt erat annus vtilis qui dabatur restitutionibus maiorum, & minorum &c. Alius qui currebat absenti, eo quod potuit procuratorem dimittere, sed restituitur, vt est annus datus bon. possess. Petend. vt &c. Sed si est præsens contra quem currit bon. possessio, non currit si impediatur agere &c. Est & quadriennium, quod datur maioribus, & minoribus loco vtilis anni. Et hoc est continuum, vt feriati dies, & non feriati currant, possit agere, vel non sed absentiæ ab eo subducuntur, & secundum hoc quo ad quid est vtile, vt hac l.

De tempore autem continuo, idem *Vlpian. lib.* 6. *ad edict. in l. Genero* 8 *ff. de ijs, qui not. infam.* sic ait. Sed cum tempus luctus continuum est; merito & ignoranti

cedit ex die mortis mariti: & ideo [illegible] legitimum tempus cognouit, La- [illegible], ipso die, & sumere ipsam lugu- [illegible] & deponere. Et in hoc differt ab [illegible] quod ignoranti non cedit, in eo ve- [illegible] non valenti agere non currit, vtcunque conueniat, vt supra proxime dictum est, & probatur *ex l. si seruus* 25. *ff. de stip. seru.* ibi. Tempus ex eo computandum ex quò agi cum eis potuerit, excepto quadriennio, de quo *ad fin. §.* praecedentis. Et licet alias ignorans comparetur non valenti agere, *vt in l. 6.* ibi. Si modo potestas ei fuerit experiundi &c. quia qui nescit, is videtur experiundi facultatem non habere *ff. de calumniat.* tamen quod tempus continuum, vbi contrarium inuenitur dispositum, id non procedit.

De altero continuo tempore *l. si peculium* 20. *§. vlt. ff. de statulib.* sic ait. Non an continuum tempus exigendum est, vt praecipitare cogatur haeres, vel ex peregrinatione reuerti celerius ad manumittendum, vel administrationem rerum necessariarum intermittere. Nec rursus tam longum tempus exigendum est, vt quandiu viuat protrahatur manumissio, sed modicum, quo primum possit sine magno incommodo suo.

Iterum alia sunt tria genera temporum de quibus sic ait *glos. verbo. Ex testamento in l. Ait praetor* 5. *§. vnic. ff de re iud.* Praesentia & praeterita sunt certa, non futura. Horum, quod fuerit nascenti vtilius, sumendum praecipit *Auth. quib. mod. nat. effic sui §. Ergo in fin. coll.* 7. ibi. Tempus illud valere magis praecipimus, quod vtilius sit nascenti, & facit *tex. in §. Sed & si quis de ingen. in Inst.*

Leges, & constitutiones futuris certum est dare formam negotijs, non ad facta praeterita reuocari: nisi nominatim, & de praeterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs cautum sit, ita *l. 7. ff. de legib. & cap. 2. de constit.* ibi. Quoties vero nouum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, vt dispendijs praeterita non commendet. Ne detrimentum ante prohibitionem, possint ignorantes incurrere: quod eos postmodum dignum est vetitos sustinere, *& in cap. vlt. eod. tit.* ibi. Non ad praeterita, sed ad futura tantum extendi. Cum leges, & constitutiones futuris sit certum dare formam negotijs, non ad praeterita facta trahi: nisi nominatim in eis praeteritis caueatur, & idem *glos. not. Ad quam regulam* decem limitationes ponit *Felin in hoc capit. vlt. à num* 2. *quem videas*.

Sed executor legis, qui est iudex non ad futurum, sed ad praeteritum, vel ad praesens respicere debet iuxta *l. 1. §. 1 ff. de vsur.* Quid enim (inquit) pertinere ad officium iudicis post condemnationem futuri temporis tractus? licet alias ad futurum tempus etiam prospiciat partibus, vt dixit *glosa verbo. Ad integrum in capitul. Quaerenti* 26. *de offic. deleg.*

In dispositione testatoris (quae etiam pro lege seruanda est, iuxta *Auth. de nupt. §. disponat coll.* 4.) tempus praesens restringitur diuersimode, vel ad illud quo testator moritur, vt de primo habes *in l. Vxorem* 39. *§. Cum testamento ff. de legat.* 3. ibi. Eam aetatem videri designatam, quae esset cum a testatore relinqueretur, vbi sic summatur. Verba praesentis temporis restringuntur ad tempus testamenti, *& in l. Medico* 42. *ff. de aur. & arg. lega.* ibi. Respondi, quod habuisset argentum viatorium eo tempore cum testamentum faciebat, & ibidem *glos. uerbo testamentum.* Et de secundo *in l. pen. ff. de legat praest* ibi. Et placet sufficere in ea necessitudine esse esse quando dies legati cedit, *vbi glosa* sic, quod est tempus mortis; & ibidem Apostill. ita. Sic tempus mortis inspici debet in qualitate filij cui facta est substitutio &c. *& in l. Mela* 14. *ff. de alim.*

alim. & cib. lega. ibi. Eius tantum temporis præstatio spectabitur, quod proximum eius morti fuerit, & prosequitur. Quid ergo si cum testaretur, minus præstabat plus mortis tempore, vel contra? Ad hoc erit dicendum eam præstationem sequendam, quæ nouissima fuit, & ibidem glos. verbo nouissima affert quamplurima iura in quibus, & mortis tempus, & testamenti conditi attenditur.

In l. Si quis 9. §. Item ff. de trit. vin. & ol. lega. ita dicitur. Id quod tempore testamenti facti vinum fuit, demonstratum est, *& in l. Si ita 8. ff. de aur. & arg. legu.* sic. Id legatum videtur, quod testamenti tempore fuisset; quia præsens tempus semper intelligitur, si aliud comprehensum non sit, &c. hac demonstratione, meum, præsens non futurum tempus ostendit: *vbi glos. verbo non futurum*, ita ait. Vt enim futurum non continet præsens, &c. ita nec præsens futurum. Et ad multa contraria respondet; & infra habes quando tempus pro tempore ponitur.

Mortis tempus in ratione l. falcidiæ placuit obseruari. sic disponit *l. Cùm quo 56. ff ad l. falc. & l. In quantitate 73. eod. tit.* In quantitate (inquit) patrimonij exquirenda visum est mortis tempus spectari. Idem in legitima debita patrono in bonis liberti, vt eorum computatio fiat de tempore mortis, iuxta *l. Cum patronum 44. ff. de bon. liber.* ibi. Si ex bonis, quæ mortis tempore fuerunt, debitam partem dedit libertus in hæreditate, vel legato, seruus tamen potest mortem liberti reuersus ab hostibus augeat patrimonium: non potest patronus propterea queri. quod minus habeat, &c. *coniuncta glos. verbo decesserit.* ibi. Nam tempus mortis inspicitur & in eod. tex. ad fin, ibi. Cum satisfactum sit ex ijs bonis, quæ mortis tempore fuerunt, *& l. 2. eod. tit* ibi. Et eo decursum est, vt mortis tempus, quo defertur bonorum possessio spectari debeat &c.

Si in diem. exempli gratia. centesimum imperatum est statuliberò, vt pecuniã soluerret, neque initium temporis eius, quod futurum esset, adscriptum est, adita hæreditate cedere dies incipit: quia absurdum visum est ante diem præterire, quam is exsisteret, quem oporteret accipere. Et hoc in omnibus, qui heredibus dare iussi sunt, dicendum est. Igitur & legatario ex adita hæreditate ad parendum conditioni tempus computabitur; ita *Paul in l. 46. ff. de cond. & dem.* sic & eodem modo dominium rei legatæ transit in legatarium a die aditæ hæreditatis testante Iuliano *in l. si tibi homo 88 in §. Cum seruus legatur* & ipsius status, & omnium, quæ ipsius personam attingunt in suspẽso est. Nam si legatarius repulerit a se legatum: nunquam eius fuisse videbitur. Si non repulerit: ex die aditæ hæreditatis eius intelligitur secundum hanc regulam &c. *ff. de legat.* 1. Et licet dicatur, quod a tempore mortis testatoris legatum legatarij intelligatur esse *in l. A Titio 66. ff. de furt.* id tamen ficte esse dicit ibidem *glos. verbo recta via*, & notauit *Bart. in summario in d. § Cum seruus*, dum ait rei legatæ dominiũ vere transit a die aditæ hæreditatis.

Angustias temporis legato nihil nocere, disponit *l. Si mihi, & tibi 12. §. 1. ff. de legat.* 1. Et Impp. responderunt *in l. Nõ tantum C. eod. tit.* ibi. Nec legata, vel fideicommissa, seu donationes temporis huius angustia capi prohibet.

Ad fideicommissum restituendum, si apponatur tempus, id implendum esse, & non sufficere illud attingere, inuenies apud *Paul. in l. 47. ff de cond. & dem.* ibi. Non putabam diem fideicommissi venisse cum 16. annum ingressum fuisset is, cui erat relictum, cum ad 16. annum peruenisset, & ita etiam Imp. Aurelius Antoninus &c. iudicauit. Et es-

se generalem regulam in testamentis, dixit *glos verbo momentum in l. 3. §. minore ff. de minor.* quam videas, si cupis scire casus in quibus aliás sufficit tempus attingi. Et in dubio tempus hæredis causa prorogatum præsumi, inquit *glos. verbo tempus in l. Eum, qui 15. ff. de ann. legat.*

Hæredi confitenti tempus dandum esse, habes verbo. *Hares.* Ad deliberandum vero tempus annale per Principem, per iudicem autem nouem tantum mẽsium dari, disponit *l. Scimus 22. §. Et hac quidem in fin. C. de iur. de lib.* & non amplius ibi. Vt neque ex imperiali largitate aliud tempus eis indulgeatur, sed & si fuerit datum pro nihilo habeatur: semel enim, & non sæpius eam peti cõcedimus: Sed hoc vellem ne intelligas in successionibus parentum, & liberorum. *Nam in l. 1. §. si intra ff. de success. ed.* sic dicitur. Largius tempus parentibus liberisque petendæ bonorum possessionis tribuitur in honorem sanguinis, videlicet, quia arctandi non erãt qui pene ad bona propria veniunt. In eorum tamen testamentis apponi debet tempus, prout habes verbo testamentum vers. tempus.

In contractibus tempus in quo celebrantur attendi, inquit *l. 2. §. 1. ff. de hered. vel act. vend* ibi. In id tempus, quo venditio fit, id videatur venisse, & ibidem *glos.* ita. Et sic nota inspici tempus contractus, *vt sup. de contrah. empt. l. Rutilia Polla 69.* ibi. Venisse quatenus tunc fecit &c. & ibi. Qui tunc fuerunt coniuncta *glos. verbo. Tunc fuit*, cum venditio erat contracta, *& de seruit. rust. præd. l. Sed qua eius* fundi loca tunc cum ea fiet cessio, ædificijs, arboribus, vineis vacua fuerint ea sola eo nomine seruient, *& in l. sciendum 19. ff. de ædil. edict.* sic. Tempus autem redhibitionis sex menses vtiles habet &c. sed quanto minoris agatur, annus vtilis est. Sed tempus redhibitionis ex die venditionis currit, aut si dictum promissumue quid est, ex eo quo dictum promissumue est, *& in l. Si filius fam. 78. ff. de verb.* ibi. Quia in stipulationibus id tempus spectatur quo contrahimus, & per eadem verba *l. 19 ff de reg. iu. & in l Nouissima 19. ff. iud. sol.* ibi. Doli autem mali clausula, sicut reliquæ stipulationes, in quibus tempus nominatim adiectum non est, ad principium stipulationis refertur Non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum præsentis æstimari debet stipulatio, dicit *l. Continuus 137. §. Cum quis ff. de verb. & glos. verbo deberi in l. si legati 28. ff. de pig.* ibi. Inspicitur enim tempus quo cedit dies legati, vt debeatur filio, vel patri. Sed in contractibus initium &c.

Non inesse tempus in stipulationibus dictum est verbo stipulatio. Sed cum ita stipulatus sim. Ephesi dari, inest tempus. Quod autem accipi debeat quæritur? Et magis est, vt totam eam rem ad iudicem aut virum bonum remittamus, qui æstimat quanto tempore diligens pater fam. efficere possit, quod facturum se promisit is, qui Ephesi daturum se spoponderit. Neque diplomate, idest, diebus, ac noctibus, & omni tempestate contempta iter continuare cogatur: neque tam delicate progredi debeat, vt reprehensione dignus appareat, sed habita ratione temporis, ætatis, sexus, valetudinis id agat, vt mature perueniat, quo plerique conditionis eiusdem homines solent peruenire, sic disponitur *in dict. l. Continuus §. Cũ ita de verb. & paulo infr.* hæc. Sed modus adhibendus est secundum rationem diligentis ædificatoris, & temporum locorumque, *& in l. si peculium 20. ad fin. ff. de statulib.* ibi. Inesse enim videtur tempus tam operarum præstationi, quam itineri. Si vero in stipulationibus adiectum sit, & tamen sub dubio, quia alternatiuè, vel quo alio; semper intel-

intelligitur in obligationem deductum illud quod longius fuerit iuxta *l. si ita 109 ff. de verb.* ibi. Post annum, vel biennium dabis? post biennium debentur: quia in stipulationibus id seruatur, vt quod minus esset, quodque longius esset, videretur in obligationem deductum.

Inter certam, incertamq; diem discrimen esse ex eo apparet, quod certa die promissum, vel statim dari potest: totum enim tempus medium, adsoluendum liberum promissori relinquitur ita *Vlpian. in l. stipulatio ista 38. ff. de verb.* quod limitat ibidem *glos.* Nisi gratia stipulatoris fiat temporis dilatio, & illam reputat *sing. Apostill,* ibi prout iam dicis supra verbo Dies. Licet alias soluens ante tempus, dicatur plus soluere, vt in verbo solutio est dictum.

Temporis interuallum minorem reddere quantitatem *Vlpian. affirmat in l. Circa 66. ff. ad l. falc.* ibi. Hoc obseruandum est, si decem sub conditione alicui fuerint legata, eaque conditio post decem annos exstiterit, non videntur decem huic legata, sed minus decem: Quia interuallum temporis, & interusurium huius spatij minorem facit quantitatem, & facit *glos. verbo. Et licet in l. Miles ita 42 ff. de mil. test.* dum ait. Et est hic, quod tempus, sicut summa, est pars rei &c. Et in tempore est plus, & minus sicut in re. per tex. ibi. Et quod in bonorum portione ei licet, hoc etiam in temporis spatio &c. Et quod in tempore etiam fiat fraus, vide eodem verbo fraus.

Interuallum autem medij temporis modicum non vitiare obligationem dicitur, *in l. 1. §. Qui præsens ff. de verb.* Non enim breuitas temporis vitiat contractum, vt summat *Bart. l. Insulam 60. §. 1. ff. locat.* cuius verba sunt. Eatenus eam obligationem contrahi puto, quatenus vir bonus de spatio tẽporis æstimasset: quia id actum apparet esse, vt eo spatio absolueretur, sine quo fieri nõ posset *ex l. Duos 61 §. 1. ff. de duob. reb.* ibi. Modicum tamen interuallum temporis, item modicus actus, qui modo cõtrarius obligationi non sit, nihil impedit quominus duo rei sunt.

Quando est in potestate debitoris an perficiatur obligatio, illud tempus perfectionis inspicitur, non initium, sic summat *Bart. in l. pen. ff. quæ res pig.* Sed *in l. 1. ff qui pot. in pig.* videtur contrarium declarari, Non vtiq; solutionum obseruanda sunt tempora, sed dies contractæ obligationis &c. Verum ibidem assignatur diuersitatis ratio, Et etiam illa mihi videtur, quod in isto tex. perfecta erat obligatio, in illo autem imperfecta.

Ad tempus procurationis factæ attendendum esse, sicut ad tempus electionis dicit *glos. vlt. in cap. Post cessionem 7. de probat. per tex.* ibi. Quod excommunicatus erat, cum procurationis officium assumpsit.

Tempore semestri, quo vel ad Archiepiscopum, vel ad Capitulum donatio pertinebat, non a vacatione; sed a notitia computato, sic disponit *cap. 3. de suppl. neglig. prælat. & cap. Quia 5. de concess. præb.* ita. Semestre autem tempus, non a tempore vacationis præbendum, sed notitiæ ipsius volumus computari. Sed quid si scire potuit, & non sciuit? videtur quod non sit computandum ab eo tempore *arg l Item veniunt 22. §. Petitam vers. Ponamus ff de petit. hæred.* ibi. Nisi forte is, cui denunciatum est eum certiorauerit: Sed non, si certiorare potuit, nec fecit: Sed contra videtur dicendum *ex l. vlt. ver.* Quæri potest si cum posset filius petere bonorum possessionem patre, ita absente, vt certiorare eum non possit, vel etiam furente, petere neglexerit: an peti amplius non possit *ff. quis ord. in bon. poss.* Et hoc vltimum sequitur *glos. verbo a notitia in citato capitul.*

3. de suppl. neglig. prælat.

Si autem intra certum tempus, lis decidenda cōmittitur, ex tunc terminus incipit currere, cum iudices constiterit litteras recepisse, ita disponit *cap. Super eo 12. de appellat. vbi addit glos. vlt.* Die receptionis non numerata, *& glos. in cap. De causis 5. de offic. delegat.* ibi. Tempus id currit postquam litteræ iudicibus præsentantur, & addit. Quod nisi dies præfixus de communi partium consensu prorogetur, eo transacto mādatum expirat: quia tempus prorogari non potest, nisi consensu partium.

Nota quod tempora assignata per statutum possunt prorogari per litigantes, & hoc quando tempus est breue: quia præsumitur appositum fauore litigantium. Et idem in tempore statuto, super reductione arbitramenti, sic ponit *glos. 1. In cap. In causis de pac Const. & in cap. Quod ad consultationem 15. de re iud.* ita dicitur. Quia id arctari potest nonnunquam a sedente in medio, & etiam prorogari, *& Vlpian. in l. 2. ff. de re iud.* sic. Qui pro tribunali cognoscit non semper tempus iudicati seruat: Sed non nunquam prorogat: non nunquam coarctat pro causę qualitate, & quantitate, vel personarum obsequio, vel contumacia, ex quibus clare patet, quod iudex potest, & abbreuiare, & prorogare tempus etiam a lege constitutum, & comprobat *cap. oblata 57. de appellat.* ibi. Quia tamen huiusmodi terminus potest restringi non solum a prouocante verum etiam a iudice &c. Sed quid dicendum *ad l 4. §. Si quis condemnatus ff. eod tit. de re iud. vbi idem Vlpian.* sic in contrarium. Sed si quidem minorem diem statuerit iudex tempore legitimo: repletur ex lege, quod sententiæ iudicis deest. Et ponit *glo. verbo defraudata in addit. in l. 2. C. de constit. pecun.* ibi. Quod illud tempus est limitatum a lege, ita vt a iudice recisius constitui non potest. Respondet *glosa verbo arctari in dict. capit. Quod ad consultationem*, quod ex iusta causa conceditur iudici, vt possit vel prorogare, vel coarctare tempus, quando vero non adest iusta causa, *vt in dict. §. Si quis condemnatus* tunc non potest, vnde tunc suppletur a lege. *Et glos. verbo hoc est viginti in Auth. de exhib. re. Illud quoque coll 5.* ita interrogat, & respondet. Nūquid diminui potest hoc tempus? Respondet quidam, non: quia hæ induciæ inducuntur a lege &c. Secus si a iudice dilatio detur &c. Sed puto semper posse abbreuiari: quia inuenio a lege datā dilationem posse abbreuiari, *vt ff. de iud. l. Nonnunquam, & ff. de re iud. l. 2.* Item consuetudo sic vult, & interpretatur, ergo seruandum est &c. & confirmat *glos. in supracitato cap. De causis 5. de offis. delegat.* ibi. Interdum enim licet iudici arctare tempus a lege statutum.

Ad explendum tempus in vsucapione sufficit minimum momentū attingere vltimi diei ex his, quæ habes Verbo Dies vbi secus in præscriptione, quia in ea vltima tempora spectanda sunt, *vt per glos. verbo vltimo in cap. 3. de cauf. possess.* In restitutione vero contra præscriptionem *glos. uerbo subductis in capitul. Auditis 3. de in integr. rest. per tex.* ibi. vt tempore vacationis subducto, præscriptio minime sit completa, sic ait. Deducendum est ergo tempus vacationis in præscriptione *infr. de præscript. cap. 1. & cap. de quarta, & cap. Auditis, & cap. Cum nobis.* Et illud tempus deducendum est, quo solet succurri cuilibet, qui læditur, primum sit, medium, vltimumue, *vt C. de rest. milit. l. Quod tempore & C quib. non obst. long. temp præscript. l. Præscriptione ff. quib. ex caus. maio. l. Nec non §. Si quis, & glos. verbo exegerit in cap. in cunctis 7. de elect.* sic dicit. Quandoque fauor tantum vertitur in causa, vt in vsucapione, & tunc sufficit incipere diem &c. quandoque

odium

odium tantum, vt in præscriptione 30. ann. & tunc oportet impleri &c. quandoque vtrunque & tunc tempus de momento ad momentum computatur.

Idem quod dictum est in præscriptione, quod scilicet vltima tempora sint spectanda procedit, quando agitur de statu personæ, quod scilicet is vltimus status in quo reperitur, attendendus sit iuxta *tex. in l. si mater in fin. C. ne de stat. def.* ibi. Posteriora tempora spectanda vnde emanauit illud vulgare. Qualem te inuenio, talem te iudico.

Tempus statutum ab homine interpellat, & loco admonitionis habetur, ita dicit, & probat *glos. verbo sex menses in capit. Ex tua 11. de cler. non resid.* & addit. Vnde mora non purgatur &c. nisi iustum impedimentum ostenderit, quare venire non poterit &c. Et arguit contra, quod mora purgetur, vbi videas. Et quod mora, de qua *in cap. Potuit de locat. purgetur*, tenet ibidem *glos verbo Celeri* atq; sic quærit. Sed quantum tempus dabitur ad purgandam istam moram? Videtur quod ante sententiam &c. vel etiam vsque ad litis contestationem &c. vel modicum tempus forsan decem dierum &c. Dabo ei modicum tempus post biennium elapsum respectu ipsius biennij &c. & illud modicum considerabitur arbitrio iudicis.

Ad hoc, vt quis locupletior dicatur, tempus litis contestatæ attendi, deducitur *ex l. In pupillo 4. ff. de except.* ibi. Illud tempus inspicitur, an pecuniam, vel ex ea aliquid aliud habeat, quo petit, & fuit dictum verbo locupletior.

Parum iustè vsuras præteritas petis, quas omisisse te longi temporis interuallum iudicat: qui eas a debitore tuo, vt gratior apud eum videlicet esses, petendas non putasti, ita *l. Cum quidam 17. §. Diuus ff. de vsur. & ibidem glos.* intelligit triennij, vel quinque annorum. Et videtur intelligi eius temporis æstimatio cum peti potest iuxta *l. Idem erit 60. cum l. anteced. ff. de verb.*

Sic & eodem modo non iustè petet maritus dotem non receptam, si per decennium non conquestus fuit sibi non solutam. *Ex Auth. de tempor. non sol. vel. sup. dot. coll. 7.* ibi. Si autem neque intra decennium quæratur, taciturnitate mariti auferimus querelam &c. Si tacere elegit, palam est voluisse, vel si non accepit dotem omnino eum, aut suos hæredes reddere. Non verò tollit tempus ipso iure actionem, vt probat *glos. verbo facultatem in l. sicut C. de præscript. 30. & glos. verbo. Non posse in l. Per fundum 11. ff. de seruit. rust.* ibi. Sicut non est modus tollendæ, nec inducendæ obligationis &c. *& glos. verbo possessores in c. vigilanti 5. de praescript. & verbo allegationem in capit. Cum ex officij 16. eod. tit.* de quo rationem reddit *glos. verbo iustus titulus in cap si diligenti 17. eod. tit.* ibi. Quia in solo cursu temporis ius non constituitur, sicut nec tollitur. vide etiam *glos. 1. in capit. Peruenit 5. de Cens.* Sicut nec est modus amittendæ possessionis, etiamsi centum annorum, vt per *glos. verbo habendam in l. 4. §. 2. ff quod cum eo per l. obligationum fere §. placet ff. de act. & oblig.*

Nec etiam vbi non præcedit dispositio, ibi lapsus temporis habet dispositionem inducere, vt dixit *glos. verbo non amittant in cap. vassalli de pac. Const.* Et si fuerit adiectum tempus alicui determinabili, determinat solum illud, & non aliud ad cuius determinationem non fuit appositum, vt probat *glos. verbo triginta annis in cap. In Christi eod. tit. de pac. Const.* Inducit tamen obliuionem, & obliuione amittitur dominium dummodo longum sit, & obliuionem inducat, & animum retinendi habere desinat, vt tradit *glos. verbo propter in §. Quod autem de vsucap. in Inst.*

Ius in re temporis diuturnitate acquiri, dicit *glos. verbo. Quocunque in l. possessores*

fores 12. *C. de fund. patrim. lib.* 11. Nisi quando lex prohibuit, *vt in l. Ius emphyteutic* 11. *eod. tit.* ibi. Vetustate temporis nolumus adiuuari, *vbi glos. vlt. in princ.* dicit vetustatem intelligi 40. an. & idem probat *glos. verbo vetustatis in l. vlt. C de fund. rei priuat. eod. lib.* Et ius in persona ex tempore etiam acquiri dixit *glos. verbo adhæserunt in cap.* 2. *de Iudæ.* ibi. Atq. quod ex tempore seruitus acquiritur, & seruitia consueta præstari debent.

Ex ratione diuturnitatis posse fieri, quod alias fieri non debet, ait *glos. verbo multa in cap. De gradibus* 35. *quæst.* 8. *Sed glos. seq.* sic. Hodie autem longitudo temporis, non excusat; quia imo aggrauat delictum iuxta quæ *glos. vlt. ad fin. in l. furem* 9. *ff. de sicar.* Nam diuturnitas tẽporis peccatum non minuit, Sed augmentat *cap. Cum haberet de eo, qui dux. in matr. capit. Non habet* 8. *de consang. & affin. vbi additur in fin.* sic. Tantoque sunt grauiora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam.

Ex tempore aliquid factum, vel nõ factum præsumi, notauit *glos. Verbo. Constituerit in l.* 2. *C. de incol. lib.* 10. Nam ex tempore præsumitur aliquam non esse coactam, *vt extr. de sponsal. cap. Ad id &* 1. *quæst.* 1. *capit. Constat glos. verbo tempore in capit. Si quis* 33. *quæst.* 1. *& probat cap. vlt. qui cler. vel vou.* ibi. Coactio affuisset, quam patientia, & perseuerantia temporis penitus profugauit, *vbi glos. vlt.* sic. Nota quod ratione temporis euanescit exceptio, quia præsumitur consentire.

De tempore ad locum idem esse iudicium, dicit *Bart in summ l. vlt. ff. de cond. trit.* In tempore autem certo, & limitato a iure, locorum varietas varietatem iuris non inducere, inquit *glos. verbo commode post med. in cap. Cupientes* 16. *de elect. lib* 6. Temporum vero varietatem facere, vt iura varientur, clare probat *cap.* 8. *de consang. & affin.* dum ait. Non debet reprehensibile iudicari si secundum varietatem temporum statuta, quandoque varientur humana, præsertim cum vrgens necessitas vel euidens vtilitas id exposcit.

Tempus dicitur de forma actus, vt notat *glo. in casus positione not.* 2. *in Auth. quæ supplicatio de prec. imp. offer. per text.* ibi. Nisi suo hac forma, & addit eadem *glos.* sic. Vnde infert *Bald.* quod ille, qui non obseruat tempus constitutionis non dicitur formam seruare.

Pro tempore poni tempus, probat *glosa verbo loquitur in* § 1. *de legat. in Inst.* vbi sic Apostill. Dic quod præteritum subiunctiui in contractibus, quando non potest verificari in præterito, trahitur ad futurũ, *vt in l. Cum stipulamur de verb. oblig & glos. per tex. ibi in l. filium* 17. *ff. de aur. & arg. lega.* sic. Nota in præsenti intelligitur futurum &c. Item è contra in futuro, vel præsenti intelligitur præteritum, *& glos. in l Ne liberalitate* 50. *ff. de re iud* ibi fieri id est factus, & sic tempus pro tempore ponitur, *& glos* 2. *per text. ibi in l. vlt. ff. com. præd.* ita, Et sic præteritum trãhitur ad præsens, quod quidem videtur probari *in l Plotiana* 18. *ff de iur. codicill.* ibi. Si quid ad hoc testamentum pertinens reliquero, valere volo, etiam ad ea, quæ ante testamentum scripta sunt comprehendere constat, *vbi glos. vlt.* sic. Nota quod verbum futuri temporis etiam præteritum comprehendit, & idem *glos. in l. Sed etiam* 31. *ff. de legat* 2.

Post longum temporis spatium nec documenti integritas, nec actis fides, nec ætas valet testibus suffragari, ita dicit *glos. verbo semper in Auth de temp. non sol. pec. sup. dot. coll.* 7 quod deduxit *ex text. in Auth. hac constitut. innou coll.* 8. Non autem læditur ex cursu temporis, qui negligens non fuit, vt probat *glosa verbo. Ex cursu in Aut. de appell. coll.* 8.

Nul-

Nullum tempus sanæ mentis, maioris 25. annis consensum repudiat, ita responderunt *Impp. in l. Non minorem C. de transact.*

Cogita non esse summum bonum in tempore dixit *Senec. lib. 5. de benef. cap. 17. & lib. 1. epist.* 1. sic omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum est, *& epist. 72.* Id agamus, vt nostrum omne tempus sit; non erit autem nisi prius nos nostri esse experimus.

Pythagoras dicebat duorum temporum curam esse habendam, mane, & vespere id est eorum, quæ acturi sumus, & eorum quæ gessimus, vt refert *glos. verbo Canonicas in Clem. 1. de celebrat. miss.* Sed nota, quod ad ea, quæ acturi sumus tempus nobis necessarium est, *vt in cap. Ponderet 50. dist.* ibi. Nos enim tempore indigemus, vt aliquid maturius agamus ne præcipitemus consilia, & opera nostra, neque eorum ordinem corrumpamus. *Et in Auth. vt ante nupt. don. coll. 5.* sic. Cum vero in plurimo tempore cogitauerit fiet forsan cautior, vnde *Iurisconf.* dixit *in l. 1. in fin. ff. de exercit. act.* Interdum locus, vel tempus non patitur plenius deliberandi consilium.

Et vt finem iam imponamus huic verbo afferam verba *Curt. Iun. cons. 43. num. 5. vol. 1.* quæ mihi causam præbuere ad edendum præsens Apolecta, cum nunc valde nostris temporibus vigeat idem, quod ille de suis sic lamentabatur. Quia tamen venimus ad hanc fecem temporum, vt multi magis credant authoritatibus doctorum, quam legis, & rationibus. Et quid diceret, si videret non authoritatibus doctorum, sed dictis imperatorum fundatis in stilis, seu moribus, vel vsibus sine fundamento, & contra iura expressa abusiuè introductis?

Terminus.

AVt est, qui finium causa in agris ponitur, de quo *in tit. ff. & C. fin. regund. & de term. mot. & Prouerb. 22.* ibi. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, vt refertur *in cap. 1. de sepult. vbi glos. vlt.* sic. Transgreditur quis terminos proximi sui, cũ parrochianum alterius admittit ad sepulturam; Item cum alterius subditum excommunicat, vel interdicit &c. tertio cum euellit terminos possessionum vicini sui &c. Quarto cum prædicat cõtrarium fidei, item cum alterius parochianum recipit ad pœnitentiam. Suis ergo terminis sit quisq; contextus, nec vltra mensuram sui iuris affectet augeri, vt inquit *glos. vlt. in capit. vlt. de renunc. lib. 6.*

Termini in hac eadem materia vocantur etiam monumenta, *vt in l. 2. C. fin. reg.* ibi. Determinationis veteris monumenta sæpe permutant. *vbi glos. vlt.* sic monumenta, idest terminos, a moneo: quia monent, & docent quousque protendatur fines: vel per similitudinem: quia sicut sepulchrum est memoria hominum, sic per terminos finium, memoria retinetur. Vel appellat monumenta instrumenta, quæ continent alios fines, qui modo immutantur. Statur ergo antiquis terminis nisi noui probentur, vt hic *& sup. l. prox. & ff. eod. l. Eos, & l. in finalibus & ff. de aqua plu. arc. l. Quod principis.*

Duplicem esse terminum in hac eadem materia dixit *Bald. in l. Si fines num. vlt. C. de euict.* in hæc verba. Nota, quod est terminus terminans, & terminus terminatus: terminus terminatus est quicquid intra fines attenditur: terminus terminans est quicquid extra terminos extenditur.

Iudici finium regundorum permittitur, vt

vbi

vbi non possit dirimere fines, adiudicatione controuersiam dirimat. Et si forte amouendæ veteris obscuritatis gratia per aliam regionem finis dirigere iudex velit: potest hoc facere per adiudicationem, sic decidit *Vlpian. in l. 2 ff. fin. reg.*

Ad officium iudicis de finibus cognoscentis pertinet, & mensores mittere, & per eos dirimere ipsam finium regūdorum quæstionem, vt æquum est, & (si ita res exigat) oculis etiam suis subiectis locis idem *Vlpian. in l. Si irruptione §. vnic. eod. tit.* Expensis eorum inter quos lis est, dicit ibidem *glos. vlt.* Non tamen id faciet absque partium citatione, vt notat *Bart. in l. Si quis bona §. huic stipulationi num. 2. ff. de dam. infect. per tex. in l. 3. C fin. regund.*

Termini moti pœna pro conditione personæ committentis imponitur iuxtà *l. 1. & 2 ff de term. mot. & in l. 3.* est quinquaginta aureorum, & in seruos si hanc domini sufferre noluerint, capitalis est. Sed si latius de hoc scire vis vide *Abb. in cap. 3. num. 13. de probat. Felin. in cap. Quia iudicante sub num. 2.* ibi. Et contra illum, qui mutat, vel euellit terminus &c. *de praescript.*

Aut est terminus tempus, quod a iure, vel ab homine assignatur ad aliquid faciendum, & in hoc procedunt fere omnia, quæ diximus supra proxime verbo tempus: & ideo hic pauca dicemus, sed aliqua notabiliora. Et primum sit, quod notauit *Bart. in l. 3. num. 4. ff de ann. legat.* Quod si promitto tibi decem dare in tribus terminis, nec dico de quibus: certe isti tres termini debent intelligi in tribus annis, *vt in d. l. 3. in fin.* ibi Sed si ita sit legatum, Hæres meus Titio decem trima die dato, vtrum pensionibus, an vero post triennium debeatur? Et puto sic accipiendum quasi pater famil. de annua bima trina die sensisse proponatur, & *Bart.* sequitur *Felin. in cap. Ex litteris sub numer. 9. de Constitut.*

Secundum sit, quod regulariter omnes termini sunt arbitrarij, *vt in l. Continuus 138. §. Cum ita de verb. oblig. & notat glos. verbo Commode in capit. Cupientes per tex. ibi de elect. lib. 6. & Cardinal. in Clem. 1. in princ. de vit. & hon. cler.* vbi inquit, maxime in illis terminis, qui dantur ad comparendum, & deliberandum; Et arbitrium regulariter est in termino constituendo secundum distantiam locorum, & negotij, & personarum qualitatem, vt per prædicta iura, & notauit *glos. verbo cedere in capit. Dilectus 11. de procurat.* Quod si terminus nimis breuis fuerit assignatus, non dubium est posse de iure Canon. appellari iuxta *cap. 1. de dilat.* ibi. Terminum sibi nimis breuem, & peremptorium statuerunt, ad nostram duxerunt audientiam appellandum. Sed quem terminum dicis nimis breuem, cum hic non exprimatur; quot dierum terminum iudices statuerunt? interrogat ibidem *glo. verbo. Nimis*; Et respondet hoc relinquo iudicis arbitrio inspecta qualitate negotij, & distantia locorum.

Qui vero ab initio sponte recipit terminum breuiorem imputari sibi potest, & debet: cum ex hoc videatur amplius beneficium contempsisse, ita inquit *capit. Quod ad consultationem 15. de re iud. glos. verbo arctari* arguit, & soluit.

Terminum statutum a parte vel a iudice neutram partem posse præuenire. Terminum vero a lege posse, dum tamen appellatus dolosè non præueniat appellantem, dixit *glos. verbo tu ei diem in capit Personas 4. de appellat. & facit cap. sæpe 44. eod. tit.* ibi. Si quis autem terminum appellationis præueniens tacita veritate literas impetrauit; & careat impetratis &c. *vbi glos. verbo præueniens* sic ait. Hoc intelligitur de termino statuto a iudice, vel ab appellan-

te: secus est in termino statuto a lege, quem potest quis præuenire. Et tu vide omnino *cap. oblatæ 57. & glos. vlt. in cap. Nicolao 64. eod. tit.*

Terminus peremptorius potest poni prima vice propter distantiam locorum, vt dictum fuit verbo locus. Et potest moderari peremptorius a iudice sicut ipse viderit expedire, vt dicit *glos. verbo peremptorium in cap. 1. de dilat.* vbi addit. Et qui ex causa nimis breuem terminum peremptorium statuerit, exprimere debet causam in citatione, vt pars illa causam non habeat appellandi. Et termini assignatio, quia multum operatur, ideo parti ignoranti debet intimari, prout dicit *glos. verbo præfixionis in Clem. 1. de appellat.* quod intelligit ibidem altera *glos. verbo legitimo* quando a iure non est expressa termini assignatio.

Iudex præfigens parti terminum ad comparendum coram superiore, non se intromittit: vnde Episcopus potest illum præfigere exempto, ita notauit *Apostill. in cap. Quamuis 10. de elect. in 6. per tex.* ibi. Nullatenus intromittant, sed præfigant dictis partibus terminum peremptorium. Et terminus ita præfixus loco peremptoriæ citationis habetur, inquit *glos. verbo absentia in cap. 1. eod. tit. & lib.*

Elapso vero dicto termino an dicatur contumax qui post venit? Respondet *glos. verbo æquitate in cap. Consuluit 34. de offic. delegat.* sic. Et quidem æquum est & honestum in diem alterum spectare, nec statim debet dici contumax, potuit quidem habere iustam causam absentiæ &c. in materia autem electionis *glos. verbo spectati in cap. Cupientes 16. de elect. lib. 6.* sic ait. Reperitur vna dies venisse post terminum, non allegans impedimentum, nunquid moram purgat? Dic quod cum hæc sententia lata sit a Canone propter moram statim elapso termino commissa est pœna priuationis ipso iure, quæ amplius purgari non poterit. Si etiam quæras, an talis terminus possit minui, vel augeri. Dico quod non, quia talis est cuius lapsus ius aufert vni eligendi, & in alium transfert, sic *glos. verbo decem dies in Extrauag. 2. de elect.* Et de hoc quando possit, & non possit terminus minui, vel augeri iam est dictum *sup. verbo tempus.* Quod autem post terminum a prætore constitutum quis audiatur re integra; habes *eod. verbo res integra.*

Natura termini restrictiui hoc habet, quod sic excludit ab ipso extranea, quod cuncta ad ipsum pertinentia concludit, ita ait *Clem. Exiui vers. Si enim de verb. sig.* Reliqua de terminis latissime *Bertach.* super hoc verbo.

Testator, & Testamentum.

HOc a Iustinian. *in princ. de testam. in inst.* dicitur, quod sit testatio mentis *ab Vlpian. autem in l. 1. ff. eod. titul.* Voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, & iusta vocatur, quæ secundum ius disposita est: nam, vt inquit *l. 2. §. 1. ff. quemadm. test. aper.* Testamentum illud propriè dicitur, quod iure perfectũ est. Sed abusiue ea quoque testamenta appellamus quæ falsa sunt, vel iniusta, vel irrita, vel rupta. Item imperfectè solemus testamenta dicere. Ad causam etiam testamenti pertinere videtur, id quodcunque quasi ad testamentum factum sit in quacunque materia fuerit scriptum, quod contineat supremam voluntatem, & tam principales, quam secundæ tabulæ edicto continentur.

Si igitur iuste disponit testator, disponat, & erit lex voluntas eius, *vt in Auth. de nupt. §. Disponat coll. 4.* per omnia namque testatoris voluntati obediendum est, vt ait *l. Cum antiquitas in fin. C. de vsufr. & in l. si furioso 16. ff. de cur. furios.*

rios. in fin. ibi. Per omnia iudicium testatoris sequendum est, ne quam pater vero consilio prodigum crediderit, cum magistratus propter aliquod forte suum vitium idoneum putauerit. Vna est enim legis intentio, vt quæ disposita sunt a morientibus, impleantur iuxta *Auth. de hared. & falc. § Si quis autem vers. Exharedatos, & in §. Hinc nobis* ibi. Quoniam tuenda est nobis, vbique est deficientium voluntas. Adeo vt mitius sit legis præceptum, quam testatoris, vt optime dixit *glos. vlt. in l. filio 7. ff. vt legat. nom. cau.* Et vt ipsæ leges amittere lucrum hæreditatis sanciant, qui testatoribus suis minime paruerint *l. vlt. in fin. C. de fideicomm. & in Auth. de hared. & falc. § hac quidem* ibi. Et nullus hanc legem duram habeat, tamquam relictis priuatus, sed considerans: quia omnibus hominibus terminus vitæ est mors: & non solum ab alijs se percipere contempletur, sed cogitet, quia & ipse alijs moriens imperabit: & si non huius legis mereatur auxilium, nihil horum, quæ cum omni studio disposuerat ad effectum producet. Non enim ijs, qui sub nobis, neque qui nunc solum sunt, hominibus, sed omni etiam post hoc currenti tempori legem ponimus.

Et nota non licere in partem velle, & in partem nolle defuncti parere iudicio, vt dicit *glos. verbo Compellendam in l. A filio 15 ff. de aliment. legat.* Nam absurdum videtur licere eidem partim comprobare iudicium defuncti, partim euertere iuxta *l. 7. ff. de bon. lib. & in Auth. de iur. iur. a mor. praest. post med. coll. 5.* ibi. Hæredes autem contentos esse ijs, quæ a testatore dicta sunt &c. necessitate eis imminente, aut obedire omnibus, aut vniuersa contemnere &c. Sed defuncti voluntatem ab eius successoribus, ita seruari, vt in nullo ei contradici præsumatur.

Non tamen omnem testatoris vocem habere vim legis probat *glos. verbo Non obesse in l. Caius 39. ff. de pig. act. per l. rationes C. de probat. & l. Seia in fin. 1. responso ff. ad Velleia. & in l. Quintus Mutius 7. §. Pomponius, alias incipit Pomponius ff. de ann. legat.* sic. Nec tamen semper voluntas eius, aut iussus conseruari debet: veluti si prætor doctus sit non expedire pupillum ibi morari, vbi pater iusserit: propter vitium quod pater forte ignorauit in eis esse personis apud quas morari iussit. Et in omnibus vbi autoritas sola testatoris est, neque omnimodo spernenda, neq; omnimodo obseruanda est, sed interuentu iudicis hęc omnia debent (si non ad turpem causam referuntur) ad effectum perduci.

Et si contra leges disposuerit testator; eius voluntas non est sequenda iuxta vulgata *l. Nemo potest ff. de legat. 1.* quia priuata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem Canonis immutare, vt ait *cap. requisisti 15. prope med. de testam. & l. Geraonem 42. ff. de oper. lib.* ibi. Nam iuri publico derogari non potuit, qui fideicommissariam libertatem dedit, *vbi glos. vlt. in fin.* ait. Nota quod aliquid est, quod testator non potest.

Testatorum ineptas voluntates non valere habes verbo voluntas, & in materia funeris, inquit *l. At si quis 14. post med. ff. de religios. & sumpt. fun.* ita sciendum est nec voluntatem testatoris sequendum, si res egrediatur iustam sumptus rationem, pro modo enim facultatum debet sumptus fieri.

In omnibus pijs voluntatibus sit per locorum Episcopos prouidendum, vt secundum defuncti voluntatem vniuersa procedant, licet etiam a testatoribus id contigeret interdici, sic ait *cap Tua nobis de testam.* Et quælibet verba per quę declaratur intentio testantis sufficere videntur: nemo enim æstimandus est dixisse, quod mente non cogitauerit, vt

per

per *gloss. verbo monasterio in cap. vlt. de success. ab intest.* Et taliter obseruandum, vt non alia via id quod noluit testator, fiat iuxta *l. scire §. 1. ff. de tut. & cur.* Plus autem tribui a prætore, ei qui fideicommissum petit, quam testator voluerit, absurdum est, inquit *l. facta 63. §. si sub conditione ff. ad Trebell.* Sed si dubium sit poterit ne postea declarare de quo senserit? Et puto posse. Nihil enim tunc dat, sed dubium significat, ita quærit, & resoluit *l. Hæredes palam §. si quid ff. de testam.* vbi etiam *glos.* quid in iudicio. Et si non posset apparere de mente testatoris, tunc ad hæredem spectaret interpretatio, vt inquit *Apostill. in l. Vnum ex familia super verbo debet ff. de legat. 2.* De iure vero, testatoris voluntas ea præsumitur, quæ de iure esse debet, vt ex *Bald. in l. 1. C. de impub. & alijs. Imol. in l. vlt. ff. de cond. & dem. tradit Apostill. in l. Quid ergo 92. ff. de legat. 1.*

Non videtur testator alienas successiones proprijs anteponere, *vt in l. Cum acutissimi 30. C. de fideicom.* Eum autem, qui ab ipso testatore propria substantia pulsus est, quomodo erit iustum vocare ad res, quarum cum ille per exhæredationem factam in eum expressim fieri participem noluit, inquit *Auth. de hæred. & falcid. §. si quis autem vers. Exhæredatos coll. 1.* Multoties tamen inueniuntur testatores, qui suam posteritatem negligunt relinquendo vxoribus: de quibus ait *Imp. in Auth. de trient. & sem. §. 1. prope fin. coll. 3. hæc* Nouimus enim aliqua testamenta, secundum quæ morientes non paternè, nec vt viros oportebat, sed nimis molliter, atque remisse fecerunt institutiones vxoribus. Ex quibus verbis satis videtur increpare talium testantium voluntates, cum alias idem *Imp. dicat in Auth. vt fact. nou. constit. §. Quia vero.* sic. Et testatorum voluntates non accusandas ex eo quod tempore, quo superuixerunt filij, eas nō mutauerunt, quem tex. magni facit *Aret. in l. Lex Cornelia ad fin. ff. de vulgar.*

Testatoris voluntas quando dicatur agnita, vt amplius non possit impugnari vide verbo *voluntas.* Et quod possit quis testamentum redarguere falsum, si ignorans esse tale, legatum ex eo recepit, habes verbo *Legatum.*

Qui falsas tabulas dixerit, nec obtinuerit ad defuncti iudicium aspirare non potest, ita inquit *l. 6. C. ad l. Cornel. de fals. vbi glos. vlt. ait; sed si habet* reddit, vt &c.

Si testamentum patris iure factum filius negauerit, quoniam de iure disputauit, non iudicium patris impugnauit, aut recusauit, retinet defuncti voluntatem. ita *Papinian. in l. 24. ff. de ijs quib. vt indig.* Videtur autem filius testamentum patris approbare per solutionem debiti, vt notas verbo approbare. Neque etiam testamentum contradicit, qui ex eo legatum, aut portionem agnouit, prout habes verbo *Legatum.* Non etiam impugnatur iudiciũ ab eo, qui iustis rationibus noluit negotijs hæreditarijs implicari, vt inquit *Papinian. in l. filios pater 89 ff. de legat. 1.*

Querelam testamenti quinquennio finiri disponit, *l. si quis filium 34. C. de inoffic. test.* ibi. Nisi pater adhuc superstes, vel repudiauit querelam, vel quinquennio tacuit scilicet post aditã hæreditatem, & ibi *additio ad glos. vlt.* sic. Aduertas, quod sicut querela finitur quinquennio vt hic, sic etiam ius agendi ad supplementum secundum *Bart. hic* pro quo facit, secundum eum, quia ius agendi ad supplementum succedit loco querelæ, vt &c. ergo sortitur eius naturam, &c. Sed tu cogita super hoc, non enim valet consequentia: quia in supplemento petito, testamentum firmum manet, quod tamen non manebat quando intentabatur querela, & sic nō datur istud odiosum destruẽdi

testamentum in supplemento, quod dabatur in querela propter quod quinquennio præscribebatur; cessante ergo odio, cessare etiam debet dictum quinquennium.

In testamento inualido nihil valere quod relinquitur, dicit *l. 1. §. 1. ff. de legat. 3.* ibi. Quia nihil in testamento valet, quoties ipsum testamentum non valet: quod amplia iuxta *l. Cohæredi 41. §. 1. ff. de vulg.* ibi. Alioquin si non valuit ea scriptura, quam testamentum esse voluit, codicillos non faciet, nisi hoc expressum est. Et limitabis in testamento nullo ex causa præteritionis, & exhæredationis, iuxta *Auth. Ex causa C. de lib præter.* Et in casu quando filius præteritus non auocat, vt probat *glos. verbo filio in l. 2. ff. de except. rei iud.* ibi. Sed de æquitate conualesceret videtur si ille filius suus nihil auocare velet, vt &c. quam *glos. dicit ibidem sing. Apostill.* ad hoc vt testamentum a principio nullum conualescat.

Defectus extrinsecus si cessat, testamentũ etiam conualescere, summat *Bart. in l. Qui soluendo 47. ff. de hæred. inst.*

Et si totum testamentum non extet; constat valere omnia, quæ in eo scripta sunt, ita ait *l. 1. §. Sed consulto ff. de ijs, quæ in testa. del.* Parum etiam referre vtrum totum testamentum, an pars aperiatur, *vt ait l. 3. §. si quis ignorans, ff. ad Sylian.*

Si quis neget se sigillum suum agnoscere, non ideo quidem minus aperiuntur tabulæ, licet aliàs sulp ctæ fiunt. Sic *l. 1. §. si quis ff. quemadmod. testam. aper.*

Testamentum coniectura pietatis sustineri habes verbo *coniectura*. Et quod testatoris tacita voluntas præferatur expressæ, fauore libertatis dicitur verbo *Voluntas*.

Neque veritati, neque iustis probationibus obficit, quod (vt dicis) testator in totum patrimonij sui verbis testamẽtũ ampliauit, vel minuit, ita *l. 1. C. arbitr. tut.* Et quando confessio in testamento non probet dictum est verbo *Confessio*.

Succursum est hæredibus ne cogantur redimere, quod testator suum existimans reliquerit. Sunt enim magis in legandis suis rebus, quam in alienis comparandis, & in onerandis hæredibus, faciliores voluntates, *ità l. unum ex familia 69. §. Si rem tuam quam existimabam meam ff. de legat. 2.* vbi limitat si dominium rei legatæ inueniatur apud hæredem, in illis verbis, quod in hac specie non euenit, cum dominium rei sit apud hæredem.

Tempus in testamento inter liberos etiã necesse esse declarari disponit *Auth. de testa imperf. §. 1. coll. 8.* ibi. Primum, qui de eius subscriptione tempus declaret, & certum esse in omnibus testamentis dictum est verbo *tempus*, vbi etiam tempus confectionis testamenti attendendum iuxta *l. si quis 9. §. Item ff. de trit. vin.* ibi. Quia id quod tempore testamenti facti vinũ fuit demonstratum est.

Pupillares tabulæ pars sunt prioris testamenti ita ait *l. Qui plures 35. §. Et si ff. de vulg.*

Ab iis, quæ testamento cibariorum nomine legata essent, recessum esse propter ea, quę codicillis relicta sunt, sic inquit *l. Libertis 18. ff. de alim. & cib. legat.*

Testantis voluntatem deambulatoriam esse vsque ad extremum vitæ exitum probat *l. 1. C. de sacros. Eccles.* Sed quid si dixit in primo, quod non liceret sibi pænitere? Responde, potest nihilominus pænitere, si exprimat qualitatem illius primæ voluntatis sic resoluit *glos. verbo non valebit in l. si mihi & tibi 12. §. In legatis ff. de legat. 1.* vbi *Apostill.* sic. Nota quod pænitentia testatoris debet probari per tot testes, quot requiruntur in testamẽto, *vt Bart. & Bald.* Sed quid si secunda voluntas nulla

nulla sit, an tollat primam validam? videtur, quod non iuxta *l. Si iure* 18. *ff. de legat.* 3. ibi. Ideo quod ita demũ a priore testamento recedere velim, si posterius valiturum sit; de quo vide satisime per scrib. ibidem.

Qui voluit iure communi testari, non statim beneficio militari renunciauit. Nec credendus est quisquam genus testandi eligere ad impugnanda sua iudicia, sed magis vtroque genere voluisse propter fortuitos casus. Sic dicitur *in l. si miles, ff. de milit. testa.*

De testamento nuncupatiuo agitur *in l. Hac consultissima C. qui testa fac. poss.* vbi *glos. verbo per nuncupationem*, sic quaerit. Sed quare hoc dicitur nuncupatiuum, cum tamen habeat tantam similitudinem cum scripto? Resp. quia testator non signat, nec subscribit, nec nomen haredis scribit.

Neque apud iudicem exquiri veritas de ijs controuersijs, quae ex testamento proficiscuntur potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti, ita disponit *l.* 1 *ff. quem adm. testa. aper.*

Nullo pacto posse tolli libertatem testãdi, probat *l. Pactum quod dotali* 15. C. *de pact.* ibi. Neque vllam obligationem contrahere, neque libertatem testamẽti faciendi, mulieris patri potuit auferri.

Non testari posse, qui an liceat sibi testari dubitat, inquit *l.* 1. *ff. de legat.* 3.

Thesaurus.

Est vetus pecuniae depositio, cuius non extat memoria, vt iam dominium non habeat: sic enim fit eius, quod non alterius sit, ita *in l. Nunquam* 31. *ff. de acquir. rer. dom.* Et donum fortunae creditur, vt inquit *Iurisconf. in l. Si is, qui* 63. *eod. tit. Sed Imp. in l. vnic. C. de thesaur. lib.* 10. Dei beneficium thesaurum appellat ibi. Ne vlterius beneficium inuidiosa calumnia persequatur. Et ibidem disponitur quod thesaurus casu inuentus, est domini inuentoris, si in proprio inuenitur fundo, si vero in alieno, diuiditur inter dominũ, & inuentorem; & non habet partem alipuam fiscus, nisi quando in loco publico repertus fuerit, sic namque intelligit *glos. verbo inuenisse in l.* 1. *ff. de iur. fisc.* ibi. Scilicet in loco publico, vel fiscali; secus alias, si in loco priuato: quia tunc esset diuisio ... Et ita probatur *in l* 3. *§. si in locis ff. eod tit. &* ibidem *Apostill.* sic. Limita hanc *glos. per l.* 1. *C. de thesau lib.* 10. Nisi essent reperti tales thesauri arte magica: quia tunc competunt fisco, vt *per glos in dict l.* 1 *verbo arte.*

Glos verbo naturali iure in l. In rebus 30. *C. de iur. dot.* ita inquit, vir restituit thesaurum, quasi in alieno inuentum, *et l. Diuortio §. si fundum in fin ff sol mat.* Quod tamen intellige, quando debet restitui fundus. si vero fuisset aestimatus, quia tunc venditio esset, iuxta *l. Cum dotem C. de iur dot.* cum alijs, pertineret ad maritum, nisi talis aestimatio esset limitata ad effectum, vt postea appareat de deterioratione, vel melioratione tantum, in hoc enim casu, quia fundus est mulieris, erit per consequens & thesaurus. Aestimatarum vero rerum maritus, quasi emptor, & commodum sentiat, & dispendium subeat, & periculum expectet *l. vnic §. Cumque ex stipulatu C. de rei uxor act.*

Testis.

In eo fides dignitas, mores, grauitas consideranda est, vt dixit *Iurisconf. in l.* 2. *ff de test.* Eos testes ad veritatem iuuandam adhiberi oportet, qui omni gratiae, & potentatui fidem religioni iudiciariae debitam posint praeponere, ait *l.* 4. *C. de test.* Item testes illi requirendi

rendi sunt ad testimonium, quibus magis est verisimile, quod veritatem sciãt, & illi potius præferendi: & ab antiquioribus ad quorum dicta recurrendum est in antiquis factis: ab illis enim requirenda est veritas, quibus lux veritatis potius assistit, prout ponit, & probat *glos. verbo Maiores in cap. vlt. de offic. Archid.*

Quod autem ad dignitatem in teste attendatur tradit *glos. verbo Adhibeatur in l. Iurisiurandi* 8. *C. de test.* dicens. Dignitas enim, & authoritas, & opinio, & verisimilitudo in testibus attenditur, *per tex.* ibi. Vt honestioribus potius testibus, fides adhibeatur, quod declarauit altera *glo verbo impari in l. ob carmen §. vlt. ff eod. tit.* ibi. Nam creditur dignioribus: intellige quando ex vna eademque parte dicunt vnum, tres, vel quatuor dicunt aliud: nam creditur dignoribus: secus si a diuersis partibus: quia tunc maiori numero creditur &c. nota tamen, quod alia *glosa verbo ad dignitatem in cap super hoc de renunc.* indistincte, ita inquit. Et sic non semper statur numero testium, imo considerari debet dignitas testium, *tex. vero in cap. Licet causam* 9. *de probat.* ait. Testes numero plures quibus potius lux veritatis assistit. Sed audi Consultum *in d. l. ob carmen.* 21. *§. vnic. ff de test.* dicentem. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad synceram testimoniorum fidem. Denique in materia non prætermittendus est *text. in l.* 3. *ff. eod. tit.* sic dicens. Testium fides diligenter examinanda est, ideoque in persona eorum exploranda erunt in primis conditio cuiusque vtrum quis decurio an plebeius sit, & an honestæ, & inculpatæ vitæ, an vero notatus, & reprehensibilis, an locuples, vel egens sit, vt lucri causa, quid facile admittat &c. cum quo concordat *cap. si testes* 4. *quæst.* 3.

Dignitatem esse ferre testimonium, dixit *glo. verbo emendatus in cap. testimonium* 54. *de test.* & *glos. verbo repellantur in addit. in cap. Accusatus* 8. *§. Licet vero de haret. lib* 6. ibi. Nota etiam, quod testimonium ferre dignitatis est.

Insuper nobiliori magis creditur, vt inquit *glos. verbo Plebeius in l.* 3. *ff. de test. Et in cap. In nostra* 32. *eod. tit. sic Pontif.* Si vero testes &c. tantæ præeminentiæ fuerint, quod eorum authoritas aliorum sit meritò multitudini præferenda &c. quem tex. ibidem glos. intelligit quando in modicum excedit, si enim multum excederet præferetur numerus.

Idem dicendum esse in diuite teste, scilicet vt ei magis credatur, prout dixit *glosa verbo substantiam in Auth. de hered. & falc. §. Hinc nobis coll* 1. *per tex.* ibi Testes in ipsa ciuitate fide dignos, & possidentes substantiam, vbi prædicta *glos.* sic. Nam, facit substantia, vt sibi magis credatur, & facit *d. l.* 3. *sup. prox. citata* ibi. An locuples, vel egens sit.

Quod si ambarum partium testes sint æque idonei, possessoris testes præferuntur: cum promptiora sint iura ad absoluendum, quam ad condemnandum, præterquam in liberali causa, ita disponitur *in cap.* 3 *de probat.* Scias tamen, quod omnia prædicta in arbitrio iudicantis posita sunt, non dicam, libero, sed boni viri arbitrio extat namque optimum Callistrati testimonium in citata *l.* 3. sic inquiens *in §. Ideoque* D. Adrianus Iunio Varo Legato Prouinciæ Ciliciæ rescripsit, eum, qui iudicat, magis scire posse quanta fides habenda sit testibus: quis & cuius dignitatis, & cuius existimationis sint: & qui simpliciter visi sint dicere: vtrum vnum eundemque, & præmeditatum sermonem attulerint &c. Et infra sic. Quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei sufficiant nullo modo satis definiri potest. Sicut non semper, ita sæpe sine publicis instrumentis cuiusq; rei veritas deprehenditur, alias numerus testium, aliàs dignitas, & authoritas, alias veluti fama

ma consentiens confirmat rei, de qua quaritur, fidem. Hoc ergo solum tibi scribere possum summatim, non vtiq; ad vnam probationis speciem, cognitionem statim alligari debere; sed ex sententia animi tui te existimare oportere quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris &c. & infra. Idem princeps procôsuli Macedoniæ rescripsit, testibus se, non testimonijs crediturum, &c.

Testes appellatione instrumentorum contineri, clarè probat *cap. Peruenit 4. de test. cog, & tradit glos. verbo instrumentum in Auth. de test. §. Si vero coll. 7.* ibi. Quia instrumenti appellatione, & testes continentur. Est enim eadem vis instrumentorum, & testium, vt probat *glos. verbo testationem in l. falsam C. si ex fals. instr. & in verbo fidem ibi*. Testium: nam ipsi instrumenta dicuntur, *& in c. Cum Ioannes 10. de fid. instr.* hæc. Quia & si eandem vim obtineant instrumentorum fides, & depositiones testium in litibus exercendis, non tamen quodlibet instrumentum tanti debet esse momenti, vt trium, vel plurium idoneorum testium depositionibus præferatur, *glos. vero in l. Optimam verbo eo die C. de contrah. & com. stip.* sic. Nota maioris authoritatis scripturam, quam testes: quod admitto cum dubium est annorum, vel temporis lapsu, vt &c.

Posse probari per testes, quod deficit in instrumentis notauit *Apostill. ad glos. verbo non sit in l. 1. C. de vsur.* Sed quid dices quando impugnatur instrumentum poterit ne contra illud per testes probari? Audi *glos. verbo In exercendis in l. In exercendis 15. C. de fid. instr.* ita decidentem. Licet duo reprobent priuatum instrumentum, vt &c., tamen non reprobant publicum, vt hic. Tres autem, vel quatuor, sic &c. nisi esset tale cuistandum esset præsumptione iuris, & de iure. Præferuntur ergo testes scripturæ, seu instrumento, quod mihi probat *tex. optim. in Auth de instr. caut. §. 1. vers. si vero coll. 6.* dum ait. Tunc nos quidem existimauimus ea, quæ viua dicuntur voce, & cum iure iurando: hæc digniora fide, quam scripturam ipsam secundum se subsistere quomodo autem hoc intelligatur optime declarat ibidem *glos. verbo iure iurando*. Pro vtraque parte adest *glos. verbo testium in cap. Tertio loco 5. de probat.* sic dicens. Ergo testes præferuntur instrumento, & merito: quia potius credendum est viuæ voci, quam mortuæ, &c. Item testes præferuntur instrumento, &c. Sed contra videtur, quod æqualem vim habent in exercendis causis testes, & instrumenta, & indicia cum instrumentis æqualem vim habent, &c. Item contra: quia fides instrumentorum præualet testibus, *ff. probation. l. Celsus, & l. Cum de indebito §. vlt. & C. si min. se maio. dix. l. si alterius §. 1. in fin. & C. arb. tut. l. vlt.* Super hoc potest dici, quod si in modum exceptionis obijciatur falsitas instrumento, vel quod sub conditione debuit fieri, vel defectus: vel quod plus contineatur ibi, quam dictum fuerit vel consimile, vel etiam falsitas, bene potest hoc probari per testes, & præualebunt testes, *vt infr. de testi. capit. Ex tenore, & C de contrab. stip. l. optimam, &c.* Et illud quod dicitur æqualem vim habent in causis testes, & instrumenta, verum est, quando ab eadem parte inducuntur: quia tam per testes, quam per instrumenta probat quis suam intentionem: sed si ex vna parte inducuntur testes, & ex alia parte instrumenta contra testes, tunc considerabit iudex naturam negotij, & qualitatem: nam quædam sunt, quæ melius probantur per testes, quam per instrumenta: quædam e contrario melius per instrumenta, quam per testes: vt arbitraria, & sententia, & processus aliquis

aliquis &c. Item considerabit iudex vtrum factum sit antiquum, vel propinquum: in antiquis enim magis credendum est instrumentis: quia memoria hominum labilis est &c. Si sit nouum potius testibus creditur &c. quia testes consueuerunt fidem suam variare ex temporis diuturnitate &c. Et quod dicitur, contra instrumenta testes recipiuntur; illud intelligendum est, quod per bonos testes, & idoneos sine suspitione: nec videtur, quod tunc sufficiant duo, vel tres testes, imo plures ad minus quatuor: tabellio enim vni testi æquiualet, & plus & instrumentum duobus ad minus &c. quia duo testes ad minus in instrumento scripti esse debent: quia in ore duorum vel trium &c Et sic per plures, & honestiores debet fieri talis reprobatio &c. quandoq; tamen contra instrumentum admittuntur testes, vt contra inuentarium publice factum, vt *in l. prædicta C. e.* & in alio casu fallit in confessione, quæ fit a muliere, & in instrumento in quo confitetur pecuniam pro intercessione *C. ad Velleian. l. Antiqua.* Cæterum superfluum est priuatum testimonium, cum publica monimenta sufficiant, vt inquit *l. In donationibus 31. C. de donat.* vbi videas *glos.* quando soli notario absq; testibus credatur. Et denique pro scriptura facit *glos. verbo sub testimonio publico in Extrauag. vnic. de praben.* ibi. Cum scripturæ fides non variet, vel memoriæ labilitatem patiatur, sed testium hic frequenter.

Omne, quod testibus adstipulatur verius constat, cum id iurationis adiectio affirmat. Quod & si testis deficiat, innocentis fidem sola iurisiurandi taxatio manifestat, sic inquit *cap Omne 22. quæstion. 1.* Nec intelligas illum tex. dum ait in singulari, quod si testes deficiant, vnum sufficere testem: quoniam nec Euangelium, nec vlla diuina humanaque lex vnius testimonio etiam idoneo quenquam condemnat, aut iustificat iuxta *cap. Admonere 33. quæst. 2. & in capit. Veniens 10. ad ad fin. de test.* ibi. Nec vnius testimonium ad condemnationem sufficiat alicuius. In aliquibus tamen casibus dicto vnius stari posse, notauit *glos pen. in l. Theopompus per tex. ibi ff. de dot. praleg.* dicens. Nota ergo stari dicto vnius, & sic est cõtra &c. Hic voluit testator, quod potuit, sicut & si ipse iurasset, *Et glos. verbo clerici in cap. Ex insinuatione 3. de procurat.* in casu procuratoris reuocati, quod ad probandam reuocationem vnus sufficit testis cum iuramento domini reuocantis, sic ait. Quod dicto vnius testis sit credendum &c. Quod vni iurato testi sit credendum &c. vndè meritò debuit ei deferre iuramentum cum vno teste: quia inspectis circunstantijs personarum, & causæ, iudex quandoque debet deferre sacramentum actori, quandoq; reo. *Et glos. vlt. in cap. Nuper 51. de test.* ita. Quandoque tamen bene creditur vni, quando non sit præiudicium alicui, puta an aliquis sit baptisatus, vel vtrum esset Ecclesia consecrata &c. Et vbi quis vult probare se egisse pænitentiam per confessorem suum. Inducit autem præsumptionem vox vnius, *vt per glos verbo iudicem in cap. 1. de consuet. rect. feud.* & ibidem contraria affert, *& glos. verbo iurauerit in Auth. de testib. §. Si vero coll 7. & glos. vlt. per tex. ibi in l. 1. §. Si quis ff. quemad. test. aper.* ita. Ergo vox vnius inducit suspicionem &c. plenam autem probationem non inducit. Si vero vnus alteri contradicat? tunc iudex considerat, & credit veracioribus inter aduersantes, vt inquit *glos. per tex. ibi in eod. Auth. de test. §. Et licet* vbi addit ita; sed aliud est in instrumentis ab eadem parte productis sibi contradicentibus, quia nulli creditur.

Adhuc etiam non facient probationem plures testes deponentes, quod audierint ab vno iuxta terminos *tex. in capit.*

Licet

Licet ex quadam de test. ibi. Non vtiq; ab vno, cum non sufficeret ille si vixeret, sed duobus ad minus, *vbi glos. verbo ab vno* sic. Quia ille non sufficeret, & omnes illi, qui causam habent ab vno, pro vno solo reputantur.

Notabis insuper quod plus creditur duobus testibus super negatiua, quam vni super affirmatiua, vt dixit *Apostill. ad glos. verbo Electione in cap. Cum ab vno de sent. & re iud. lib. 6.* Et addit sic. Not. Phi quod quando res aliter probari non potest, creditur vni idoneo testi *Bart. in l. Quoties C. de naufrag. lib. 11.*

Sicut vnus testis non probat, sic etiam nimia eorum multitudo reprobatur ex ratione de qua *in l. 1. §. 1. ff. de test.* ibi. Ne effrenata potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium protrahatur. Sed quæ dicetur effrenata multitudo? lege *Pontif. in l. Cum causam 37. eod. tit. de test.* ibi. Quadragenarium numerum testium excedere non permittas, & ad dictum numerum intelligendus est *tex. in capit. significauerunt 36. eod. tit.* dum ait. Nisi forte iudices quartam productionem negauerint, pro eo quod voluerint effrenatam multitudinem testium refrenare

Aliquando sunt plures quam duo, vel tres testes necessari; vt in casu notauit *glos. verbo decem in l. Iubemus 16. § Non dandã C. de erogat. mil. an lib. 12.* ibi. Nota decem testes necessarios, sicut alias quindecim *sup. de proxi. sacr. scrin. l. vnicuique*: Et in testamentis etiam maior numerus exigitur testium, de quo ponitur ratio *in l. vlt. C. de fideic.* ibi. Cum enim res per testium solemnitatem ostenditur, tunc & numerus testium & nimia subtilitas requirenda est. Lex etenim ne quid falsitatis incurrat per duos testes fortè compositum, maiorem numerum testium expostulat, vt per ampliores homines perfectissima veritas reueletur.

Quæ res an tales testes habeant cognoscere hæredem? Et respondeo tale quid me non inuenisse in materia testamenti. Sed in confessione inuentarij ab hærede facienda, ita disponit *text. in l. scimus 22. vers. Ex hominibus iuxta fin. C. de iur. de lib.* ibi. Testibus videlicet assumendis, quis hæredem cognoscant, & iubente eo tabellarium pro se subscribere interfuerint, vbi quærit *glos. verbo cognoscant*, an teneantur cognoscere contrahentes, & negatiue respondet, nisi in tribus casibus scilicet in inuentario, & quando ab imperitis, & in scriptis contrahitur, & vbi non fit instrumentum.

In iudice autem an necessarium sit, quod testes agnoscat? Respondet *glos. verbo Quanta fides in l. 3. ff. de test.* sic. Debet ergo notus esse testis iudici &c. Item & parti contra quam producitur, vt testis illum cognoscat &c. Sed hoc puto verum in personali actione. Et certe mihi videtur, quod debeat iudex testium personas cognoscere: Nam si verum est dictum *glos. verbo reprobasse in cap. suborta 21. de re iud.* quod scilicet iudex contra testem iudicans, eo ipso videtur eum reprobare; infertur ex eo, quod debeat ipsum testem, & eius qualitatem satis cognoscere, licet enim possit ex eiusdem testis dictis, & testificatis deprehendere, quod verum, vel falsum dicat: tamen id non poterit consequi, nisi cognita qualitate testificantis personæ, qua considerata, animum suum mouebit, ad sic, vel sic credendum.

Est notabilis *tex. in capit. vnic. An remou. deb. qui par. esse desie. in vsib. feu.* dum declarat, quod licet alias in scriptura feudi requiratur, quod testes sint pares, id tamen intelligendum esse de tempore contractus non verò postea, in hæc verba. Quid enim peccauit, qui inuestituram accepit, si illi, quos eo tempore, vt pote idoneos adhibuit, postea pares esse desierunt, & ibidem intelligit *glos.* idem procedere in testamentis; Et

ego dicerem idem in omni depositione, seu testeficatione, nam si eo tempore, quo testis deposuit, vel alicui interuenit actui, erat habilis, si postea inhabilis efficiatur, tamen actus vel testificatio valebit cum in eo procedat ratio d. tex. relatis verbis. Quid enim peccauit &c. & probat expresse *glos. verbo in ea re in additione §. Pater de testam. in Inst.* ibi. Tempus enim productionis, & depositionis inspicitur. Et quod plus est, vni testimonio dato, alijs prodesse, dixit *glos. verbo Principes in Auth. quib. mod. nat. effic. sui §. Illud tamen coll. 7.*

Hic notari potest, quod non omnes sunt testes habiles, sed tamen scias, quod inhabilis non erit, nisi qui expresse a iure talis reperitur. Vnde dicitur *in l. 3. §. Ideoque vers. Lege Iulia ff. de test.* ita. Cauetur ne hac lege in reum testimoniũ dicere liceat ei, qui se ab eo parente ve eius liberauerit: qui ve impubes erit: quique iudicio publico damnatus erit: qui eorum in integrum restitutus non erit, qui ve in vinculis, custodia ve publica erit: qui ve cum bestijs, vt depugnaret, se locauerit: quæ ve palam quæstum faciat, fecerit ve: qui ve ob testimonium dicendum, vel non dicendum pecuniam accepisse iudicatus, vel conuictus erit. Nam quidam propter reuerentiam personarum, quidam propter lubricum consilij sui, alij verò propter notam, & infamiam vitæ suæ admittendi non sunt ad testimonij fidẽ.

Et in l. 10. eod tit. Pomponius ait. Nullus idoneus testis in re sua intelligitur, *& in l. 9. Paulus* inquit. Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est, *& in l. 6. Licinius Rufinus* sic. Idonei non videntur esse testes, quibus imperari potest, vt testes fiant, *vbi glos.* intelligit, imperari, scilicet a producente eos pro se, siue sint liberi, siue serui. Notabis tamen, quod in casu parentes admittuntur ad testificandum in casu a filij, & magis idonei sunt, quam alij, vt per *Gelestin. in cap. videtur nobis 35. quæst. 4.* ibi. Ideo maxime parentes recipiuntur siue si defuerint parentes, proximiores admittuntur: quoniam vnusquisq; suam genealogiam cum testibus, & chartis, cum exercitatione, & recitatione maiorum scire laborat: quia igitur melius sciunt, ideo maxime admittuntur &c. Qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt? & per eadem verba *cap. videtur 3. qui matr. accus.*

Notabis etiam, quod si seruus tempore, quo adhibitus fuit in testem reputabatur liber, idoneus est, *vt in l. 1. C. de testa.* ibi. Testes serui &c. Cum eo tempore, quo testamentum signabatur omnium consensu liberorum loco habiti sint. Et in casu *l. 7. ff. de test.* vbi inquit Modestin. Serui responso tunc credendum est, cum alia probatio ad eruendam veritatem non est.

Insuper notabis, quod licet impubes non possit esse testis tamen poterit post pubertatem produci in testem, prout quæritur, & resoluitur *à glos. verbo Impubes in citata l. 3. §. 1. vers. leg. Iul. ff. de test.* in his verbis, Sed quæri consueuit, an factus pubes possit reddere testimonium de his, quæ vidit in pupillari ætate? & videtur quod non, vt infra sic *per l. fin. & C. de falsimo. l. 1. in fin.* Sed tu dic contra, secundum Io: Nam non prohibetur, ergo admittitur, *vt sup. ea. l. 1. §. Adhiberi.* Item potest scire de facto, & de Iure: licet non ad sui præiudicium. Item seruus factus liber ferre potest testimonium de eo, quod primò vidit, *vt infr. de verb. sig. l. Notionem §. Instrumentorum &c.* Sed mihi non placet, hæc vltima ratio, quia impedimentum, quod est in seruo, ne ferat testimoniũ, procedit à Iure Ciuili, at verò impedimentum, quod est in impubere, licet proueniat etiã de Iure Ciuili, prouenit insimul a Iure naturæ, eo quod illa ætas nescit, nec intelligit, quid faciat,

cat, vel fiat. Melior autem ratio videtur, quod in teste ad hoc, vt admittatur inspicitur tempus Productionis, & depositionis, vt supra notatum est *ex glos. verbo in ea re §. Pater de testa.in Institut. in additione.* Licet adhuc restet dubium circa depositionem, talis testis, sic per factum, quod de tempore pupillaris ætatis accidit: nam quamuis approbetur persona puberis, non ideo approbatur eius dictum, vt alias considerauit *glos. verbo protestatus in capit. Præsentium* 31. *de test.* ibi. Quia licet reprobem personam, non ideo videor reprobare dictum: sicut e conuerso, licet approbem personam, non tamen approbo dicta 4. *quæst.* 3. *cap.si testes §. si quis testibus.* De teste infami, an post pœnitentiam possit admitti; habes verbo *pœnitentia.*

Conuictum de periurio testem non esse admittendum dicit *glos. verbo de periurio.* ibi. Inde vlterius ad testimonium non deberent admitti si de hoc constaret &c *in cap. Ex parte* 7. *de test. per text* ibi. Quidam vero in alia causa fuissent de periurio conuicti &c. probat etiam *glo. vlt. in cap. sicut* 9. *eod.tit.*

Nec criminaliter accusatum admittedum dicitur *in Auth. de test §. Si vero coll.*7. Ex ratione, de qua ibi. Quoniam criminalis inter eos lis mouetur, non adsit ad testimonium, qui vsque adeo infestus est, donec de crimine iudicetur, *vbi gl. verbo non adsit, & verbo. De crimine, & verbo quæstiones* ponit, alias rationes, & dicit quod etiam quando causa fuerit super statu personæ, vel super bonis omnibus aut maiori eorum parte, idem esse tenendum, nam tunc odio capitali ad inuicem se persequuntur, *vt in d. verbo. De crimine,* & quod odioso non credatur, dictum est verbo odium. Idem dicendum esse in his, qui cum inimicis prædictis conuersantur, inquit *glosa verbo hostibus in cap. Cum oporteat* 19. *de accusat.* ibi. Vnde sunt repellendi: quia conuersantur cum inimicis, & sūt ipsi inimici, & facit ratio *l. post legatum* 5. *§ qui accusauit ff. de ijs, quib. vt indig.* ibi. his, quoque qui testimonio suo intentionem adiuuauerunt accusatoris deneganda est actio.

Et è contrario, vbi datur magna affectio in teste, non debet admitti, vt in casu notat *glos.*1 *in cap. Causam, quæ* 17. *de Iud.* ibi simile est in teste, qui habet cōsimilem causam, quia ille non debet admitti in testem propter huiusmodi suspicionem, ne de facili testificaretur pro illo &c. & qui cum simili morbo laborant, non sunt admittendi in testimonium &c. quam vltimam conclusionem probat expressè *tex. in cap. Personas* 20. *de test.* ibi. Nolumus vt aliqui cum simili morbo laborantes si certum sit, aut legitimè super hoc, possint conuinci, ab alterutra parte testes adducti fuerint, in testimonium admittantur. Notabis tamen ad hanc conclusionem casum, in quo quis laborans eodem morbo auditur opponens de ipso met morbo, *vt in glos pen in cap. testimonium* 54. *eod. tit. de test.* ibi. Vnde si seruus vult probare se contraxisse cum libera sciente eum seruum esse, cum in hoc casu habeat personam standi in Iudicio, potest excipere contra testes aduersarij, quod ipsi sunt serui, licet ipse laboret simili impedimento.

Non esse etiam admittendos ad testimonium, qui malo zelo mouentur, dicit *glos. verbo conspiratores in cap. Cum I. & A.* 22. *de re iud.*

De testibus pecunia corruptis, quod non sint admittendi iam supra notatum est, *ex leg.* 3. *§. lege Iulia ff. de testibus,* sed & si fuerint admissi, & sententia ex eorum dictis prolata, pro nulla iudicanda erit, & omnia in pristinum statum restituenda, *vt in l. Diuus Adrianus* 33. *ff. de re iud.* ibi. Vt si tibi probauerit conspiratione aduersariorum testibus, pecunia corruptis oppressum se esse, &

rem leuerè vindices, & si quid à Iudice, tam malo exemplo circumscripto, iudicatum est, integrum restituas.

Testes varios repellendos esse, dicit *glosa verbo Vacillasse* ibi. Hoc solum sufficeret ad repellendos testes, & quod dixit varios extitisse *in capit. Cum Ecclesia 3. de cau. poss. per text.* ibi. Quoniam deprehendimus testes vestros in perhibendis testimonijs varios extitisse, atq; aduersus fidem attestationis suę &c. vacillasse, *& in l. 2. ff de test.* ibi. Et ideo testes, qui aduersus fidem testationis suæ vacillant, audiendi non sunt, vbi notat *glos.* vide etiam *glos. magistram in cap. in nostra 32. Verbo aduersa de test.* Sed quid dices de teste, qui addit ex suo? audi *cap. Pura 3. quæst. 5.* sic. Plerumq; testis dum ad seriem gestorum aliquid ex suo adijcit, totam testimonij fidem partis mendacio declarat.

Quid autem dicendum in teste, qui post dictum suum venit, & illud vult corrigere, an sit credendus an vero non, vel cui dicto, an primo, vel secundo, *& gl. vl. in Auth. At qui semel, C. de probat.* sic ait. Item quid si se redierit? videtur vltimo dicto standum &c. Sed puto non habẽdã ei fidẽ si cũ aliqua parte fuerit loquutus. *Et Apostill* ibidẽ sic inquit. Dic quod si in continenti testis redijt, potest corrigere dictum suum: secus si ex interuallo *Bald. Paul. & Salic.* & iuxta hoc procedit *glos. vero. Infirmare in capit. Per tuas 10. de probat.* ibi. Sic & primo dicto testis credi debet, & non secundo, *& verbo reuocatam in cap. scriptum 40. de elect.* ibi. Sicut testis, qui potest corrigere dictum suum in continenti, *& glos. vlt. in cap. Cum causam 37. de test.* ita. Quandiu attestationes sunt clausæ possunt adhuc ijdem testes iterato induci, vt addant: quia forte tunc non habebant omnia in memoria &c. vel vt corrigant errorem suum; sed illud non credo: quia hoc debent facere in continenti, & non ex interuallo &c. Sed si quis testis secundo inductus, dicat contrarium eius, quod primo dixit; tunc dictum suum non valet, nec creditur ei. Vide etiam *glos. in cap. Per tuas 48. de test. & tex. in cap. Praterea 7. de test. cog.* In casu verò *cap. Accusatus 8. §. Licet vero de haret. lib. 6.* Licet ex interuallo testis aliud deponat, quam in primo dicto deposuerat, creditur. ibi. Et post modum vellent corrigere dictũ suum contra se, vel alios suos complices deponendo &c. Si ex manifestis indicijs apparuerit, tales non animi leuitate, nec odij fomite, seu corruptione pecuniæ, sed zelo fidei Orthodoxæ, dictum suum velle corrigere &c. stari debet tã contra se, quam contra reliquod attestationibus eorundem, & ibidem *glosa verbo. Postmodum*, dicens. Ex interuallo, vt sit hoc speciale fauore Catholicæ fidei: alias nihil esset hic fauoris, *vt sup. de test. cog. cap Praterea.*

Si autem fuerit dictum testis dubium, cõtra producentem esse interpretandum notauit *glos. verbo dubium* ibi. Et est notabile quod dictum testis dubium, semper contra eum, qui produxit, est interpretandum *in cap. In præsentia de probat.* Sed si dubium verletur an peierauerint testes, tunc benigniorem interpretationem ad ipsorum fauorem esse faciendam dicit *Pontif in cap. Cum tu 16. de test.* ibi. Nos dicta testium benignè interpretari volentes, ne periurij reatu notentur, quia vtrunque esse potuit, &c. Si ergo non poterit vtrunq; esse, erunt testes, tanquam suspecti, reprobati, vt cum agitur de aliquo loco & testis sint varij prout notauit *glos. vlt. in l. Ob carmen 21. §. vlt. ff. de test.* ibi. Nota hic, quod varietas locorum reprobat testes, vt in Daniele, & Suzanna. Item temporis *3. quæst. 9. cap. Nihilominus cum glos. &c.* Hoc determinat Io. vt tunc habeat locum, quando de certo, tempore est quæstio alicuius facti existentiam, &c.

An testis teneatur causā sui dicti dicere? respondendens *glos. vlt. in addit. in l. 1. C. de test.* sic ait. Dic quod testes tenetur causam sui dicti dicere, si interrogatur, alias non, &c. Si autem non interrogatur de causa, stabo dicto suo: quia non debet esse verbosus, &c. Demum si interrogetur, dicere debet, vt inquit *glos. verbo solam in l. 3. C. eod. tit.* vbi sic. Additio. Intellige praecedentia, quando testis deponit super eo, quod cadit sensu corporeo; si vero deponat super eo, quod cadit sub iudicio intellectus, &c. tunc semper reddere debet causam sui dicti, etiam non interrogatus, vt vult *Innoc. in cap. Causam quae extr. eod. tit.* & sequuntur omnes, & iuxta hunc sensum debet etiam intelligi altera *glos. verbo de causis in cap. sicut 16. de re iud.* dum ita dicit. Nec sufficit testi dicere se scire, nisi assignet causam scientiae suae cum multae sint genera sciendi, quod verum est, si testis interrogatus fuerit: si vero interrogatus non fuerit, bene valet dictum eius, licet fuerit nudè prolatum.

Testis veritatem debet dicere: non autem quod credat tantum, vt dicit, & probat *glos. verbo propositis in Auth. de Sanctiss. Episc. §. nulli vero coll. 9.* per tex. ibi. Dicant, quae nouerint. Ex quo etiam deducit, ita. Nota ex eo, quod indefinite dicit, quod pro vtraque parte debeant testimonium ferre, sicut & alibi dicitur, quod veritatem non debent supprimere. Nam haec est causa quare testes compellantur, ne veritas occultetur, vt ait *glos. 1. in cap. 1. de test. cog.* Si vero producti sunt super certo articulo, non debent esse interrogati super alijs iuxta *glos. verbo Probare in l. Si duo §. Idem Iulianus ff. de iur. iu.*

Rogati debent esse testes, quando certus numerus eorum exigitur, sicut est in testamento, ita notauit *glos. in l. Nullum 9. ff. de diuort.* & prosequitur sic. Imo quia dicit, adhibitis, idest rogatis, vt *ff. de testam. l. haeredes palam, & ibidem additio* ita. Nota ex hac glos. quod tantum est dicere, adhibitis; quantum est dicere, rogatis, & pro hoc est *tex. cum glos. in §. vlt. de testam. in Inst. secundum Bald. hic.*

Inuiti testimonium dicere non coguntur senes valetudinarij, milites, vel illi, qui magistratu Reip. causa absunt, vel quibus venire non licet, ita dicit Scaeuola *in l. 8. ff. de test. & in l 2. §. numerus ff. de excusat. mun. Vlpian.* ait. Senes 70. ann. excusari a muneribus ciuilibus, idem *in l. 3. ff. de iur. immun. & in cap. Si testes §. Inuiti 4. quaest. 3.* per eadem verba, quae *in d. l. 8. Sed glos. 1. in cap. Si qui testium 8. de test.* ita inquit. Dic quod compelluntur secundum Canones propter peccatum, & affert *capit. Quisquis 11. quaest. 3* ibi. Vterque reus est, & qui veritatem occultat &c. *& cap. 1. de fals.* vbi eadem verba.

Quemlibet de vniuersitate posse testimonium pro ea ferre tenet *glo in l. 2 ff. quod cuiusque vniuers.* & reddit rationem sic. Non enim dicitur vniuersitatem testificari, sed singulos, *& tex.* ita. Hic enim pro Republica, vel vniuersitate interuenit, non pro singulis. Et hac ratione imperabit abbas monacho, vt ferat testimonium pro Collegio, vt inquit *glos. in l. Idonei ff. de test.* Sed notabis, quod si causa vniuersitatis tangat eos, vt singulos V. g. quia ex ea singuli damnum, vel lucrum habeant sentire: tunc non poterunt testificari, cum iam non pro vniuersitate, sed pro ipsismet testificarentur, quod Ius non patitur, & satis in terminis probat *d. l. 2.* a contrario sensu.

Testimonium foeminae varium esse dicis verbo foeminae, & in verbo mater quando ipsa admittatur in causa filiae, & quādo suspecta dicatur.

De teste qui linguam non intelligit. sic ait *l. Qui testamento §. vlt. ff. de testa.* Hoc enim D. Marcus Didio Iuliano in teste, qui

qui latine non nouerat, rescripsit. Nam si vel sensu percipiat quis, cui rei adhibitus sit sufficere.

Maiorem causam requiri ad repellendum testes, quam iudicem inquit *glos. magistra verbo familiarem in ca. Insinuante 25. de offic. delegat.* his verbis. Tamen aduertas, quod minor causa repellit iudicem, quam testem, quia quælibet consanguinitatis repellit iudicem &c. Sed non testem: quia frater testatur pro fratre &c. propterea non inuenitur prohibitum: quia edictum de testibus prohibitorium est &c. Et hoc ideo: quia facilius inueniūtur plures iudices, quā vnus testis.

Cæterum cum quis personas testium se velle post publicationem depositionum repellere fuerit protestatus, si quid pro ipso dixerint, de facili non credatur, ita dicit *cap. Præsentium 31. ad fin. de test. & ibi glos. vlt. & magistra.* sic ait. Per hanc protestationem videtur, quod noluit fidem adhibere dictis illorum testium contra se, non ergo debet habere pro se *19. dist. cap. Si Romanorum, & 3. quæst. 8. cap. Cuius in agendo infr. de cens. cap. Cum olim C. de solut. l. pen. sic C. ad l. Corn. de fals. l. Qui falsus & ff. de inoffic. test. l. Papinianus §. Meminisse, & C. de ijs, quib. vt indig. l. Alia.* Et est absurdum redire ad hoc, cui renunciatum est *C. de reb. cred. l. Si quis iusiurandum.* Sic è conuerso semel probatum reprobare non possum, &c. Sed non videtur, quod intellectus talis probabilis sit: quia licet reprobem personam, non ideo videor reprobare dictū, sicut è conuerso, licet approbem personam non tamen approbo dictum, &c. Et propterea sola protestatio, si amplius non sit processum, non obest: quia licitum est desistere quandoque ante sententiam, vt &c. Et ita sola protestatio non nocet, si non fuit processum ad actum, quin credantur, si pro ipso dixerint: & si processum fuit ad reprobationem, & non obtinuit, si dixerunt pro ipso, non prodest, & alia de materia prosequitur tex. explicando.

Si testimonium conueniens de visu reddatur, vel etiam de auditu, & præsumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia adminicula legitima suffragentur: standum est testimonio iuratorum. ita ait *cap. Præterea 77. de test.*

In probanda consanguinitate sufficit in computatione incipere a primo gradu, licet de stipite nihil testes dicant, vt *per glos. 1. in cap. Senes 26. de test. & glos. verbo gradus in cap. licet ex quadam 47. eod. tit.* sic. Sed nunquid tenetur probare de stipite? Non quia de illo non reperitur cautum, sed tantum de lateribus, &c.

Ad diuortium celebrandum quomodo, & qualiter testes deponere debeant? dixi in verbo *Diuortium*, & verbo *Matrimonium*.

Cum attestationes sunt publicatæ, non sunt testes amplius interrogandi, quia temeretur subornatio testium, vt inquit *glos. verbo Audiendum in cap. per tuas 38. de test. & glos. verbo partibus in cap. iurauit 6. de probat. ibi.* Sic patet, quod publicatis attestationibus super eodem articulo, non sunt testes vlterius in contrarium admittendi, nec etiam alii testes ad idem probandū, &c. secus si super alio articulo, vel super nouo pendente ex priore, tunc bene admittuntur. Et in gradu appellationis *cap. fraternitatis 17. de test.* sic disponit. Quod in appellationis causa si noua contigerit emergere capitula, super quibus aliqua partium voluerit nouos testes inducere, vel per iam receptos aliquid probare, eos credimus posse recipi super nouis dumtaxat capitulis, & ibidem *glos. verbo nouis.* sic addit. pendentibus ex veteribus, & quæ ex illis oriantur, vide etiam *glos. verbo pendebat in cap. Cum Ioannes 10. de fid.*

de fid. instr. Si quæ vero fuerint quæstiones, super quibus, vel testes non fuerint producti, vel renunciatum eisdem, audiatis, ait *cap. Cum venisset 25. de test.* In causa vero matrimoniali, quod possint testes post publicationem etiam super eodem articulo produci, est *glos. vlt. in cap. Sicut 22. de sponsa.* ita, dicens. Et ita est hic argum. quod in causa matrimoniali secundo inducātur testes super eodem articulo post publicationem.

Lite non contestata non est ad receptionem testium procedendum: nisi forte de morte testium timeatur, vel absentia diuturna, in quibus casibus, cum ciuiliter est agendum (ne veritas occultetur, & probationis copia, fortuitis casibus subtrahatur) senes, & valetudinarij, & alij testes (de quibus ex aliqua rationabili causa timeatur) etiā lite non contestata, sunt procul dubio admittandi, ita disponitur *in cap. Quoniam frequenter 5. vt lit. non contest.* vbi *glos. verbo regulariter*, alios quam plures ponit casus. Vide etiam alium casum *in cap. significauit 41. de test.* vbi testes interrogantur, & publicantur, & fit instrumentum lite non contestata, & *in glos. verbo testes idoneos* inuenies multiplicem differentiam inter vtrunq; casum *& in l. 3. ff de Carb. ed.* sic dicitur in vers. Finge esse testes quosdam, qui dilata controuersia, aut mutabunt consilium, aut decedent, aut propter temporis interuallum non eandem fidem habebunt, &c. vbi *glos. verbo eandem*, sic: quia fierent infames, & nota idē si de facto fiant infames, quia minus creditur: nam tempore redditi testimonij fides testis inspicitur.

Fauore libertatis posse testes interrogari ante litem contestatam, dicit *glos. vlt. in cap. Cum olim 34. de test.* ibi. Et sic iste est vnus casus in quo fauore libertatis recipiuntur testes lite non contestata, & profertur sententia: sicut contingit in electione prælati, vel matrimonio carnali.

Timor.

Licet supra verbo *metus* plura diximus, nunc etiam aliqua de timore, qui secundum Canones duplex inuenitur aut enim initialis, seu seruilis dicitur; aut filialis, seu castus. Initialis est, qui partim respicit præmium meriti, partim pænam supplicij. Et de hoc dicitur, quod caritas augetur, & timor minuitur, de quo *in cap. Sicut Sola de pœnit. dist. 2.* ita ponit *glos.* ibidem. Et *verbo formidine in cap. Eum, qui 18. de prabend. lib. 6.* sic, Et vocatur talis timor seruilis, qui per se præmium non habet, nisi quia solet inducere filialem. Et est timor seruilis secundum Greg. in quo viuit peccandi voluntas, & sequeretur opus, si speraretur impunitas: & pertinet ad seruum. Initialis respicit ambitionem præmij, & pertinet ad mercenarium. Filialis respicit offensam, & propriè ad filium pertinet. Et Textus sic. Et si non virtutis amore, pænæ saltem formidine à suæ temeritatis audacia refrænentur, Iuxta illud *Horatij*.

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

De vtroque timore *Augustin. in psalm. 127. ad fin. relatus in cap. Cum timorem 23 quæst. 6.* sic inquit. Cum per timorem gehennæ continet se homo à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit excludi timor à charitate; & succedit timor castus, de quo hic dicitur, quo timemus ne tardet sponsus, ne discedat, ne eo careamus. Ille vtilis est, sed non permanet in æternū, sicut iste.

Vnde

Vnde de isto dixit *Pontif. psalm.*18. Timor Domini Sanctus permanens in sæculum seculi, & *Ambros. in psalm.*118. *serm.* 21. ibi. Est etiam timor sanctorum. Timete Dominum omnes sancti eius &c.

Liberos in timore esse procreandos, dicit *Augustin. de vtil. ieiun. cap. 9.* his verbis. Multis enim profuit, quod experimento probauimus, & probamus, prius timore, vel dolore cogi, vt postea possit diceri, aut quod iam verbis didiscerant opere sectari *Terent. vero in Adelphis* contra inquit sic. Pudore, & liberalitate liberos retinere, satis esse, quam metu *Thadd. autem de comuiu. diu. spir. & metaph. sumpt. cap.* 5 *lit. E.* ait ita. Hoc verum est, sed sicut sunt meliores, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor &c. Cæterum scriptura diuina propter illos meliores dixit; Timor non est in charitate, sed perfecta caritas mittit foras timorem, & propter hos peiores, qui longè plures sunt, quam boni: ait sapiens *Prouerb.* 19. verbis non emendabitur seruus durus, si enim te intellexerit, non obediat, & alibi dicit non solum seruum, sed & filium indisciplinatum plagis esse coercendum nam tu quidem percutis eum virga, anima vero eius liberabitur a morte.

Neminem diuini timoris contemnenda iusiurandum arbitramur in memorem, vt saluti propriæ vllum commodum anteponat, dicitur *in l. vlt. C. ad L. Iul. pecul.*

Qui omnia timet, & fugit, & nihil sustinet timidus efficitur, vt dixit *Arist.* 2. *Ethic.* 2. & talis formidolosus vocatur *in l. Scimus* 22. *verf. Ex omnibus C. de iur. delib.* ibi. Nisi hominibus formidolosis, qui, & ea timent, quæ nulla digna sunt suspicione, & *psalm.* 52. Ibi repidauerunt timore, vbi non erat timor. De his *Senec. epist* 99 *post princ.* sic ait. Nihil est miserius nec stultius, quam semper timere.

Vbi princeps est, nullus debet esse timor, vt dicitur *in l. 1. C. de ijs, qui per met. iud.* ibi. In sacro enim comitatu nostro, timere nihil debuisti, & *in summ.* sic. vbi princeps ibi securitas, & illa formido vana est, quæ formidoloso non patrocinatur, & *Iurisc. in l. Si quis ab alio* 13. *ff. de re iud.* ita. Neque enim vani timoris, vlla æstimatio est, *vbi glos. verbo.* Neque ait. At iusti metus habetur ratio. Vnde *glos. in l. Habitatores* 20. *§. vnic. ff. locat.* sic inquit. Sufficit ergo iustus timor, quamuis malum non contingat &c. Item hoc, quando post conductionem causa timoris interuenit, secus si iam inerat, *vt de damn. infect. l. Qui bona §. De illo per tex. in d. §. vnic.* ibi. Respondi si iusta causa fuisset cur periculum timeret, quamuis periculum verè non fuisset.

Plus timeri solet, quod specialiter iniungitur; quam quod generaliter imperatur, sic dicit *Innoc.* 3. *in cap. si aduersus* 11: *de haret. & in capit. Quamquam* 23. *dist.* ibi. Solet enim plus timeri, quod singulariter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur.

Bonis timor sceleris perpetrandi, maior est mortis timore iuxta *l. Isti quidem* 8. *ff. quod met. cau.* ibi. Cum viris bonis iste metus maior quam mortis esse debeat. Nota ergo circa hanc materiam quod ea, quæ per timorem, vel metum fiunt, qui posset inconstantem virum cadere tenent, & obligatur quis per hoc licet coactus, & iuramentum super hoc factum tenet; dum tamen tale sit factũ quo iuratur, vel quod promittitur, siue traditur, quod seruari possit sine interitu salutis æternæ, alias non tenet iuramentum &c. quia pro nullo metu debet quis peccatum operari mortale, & potius quælibet mala pati, quam malo cõsentire, ita *glos. mag. in cap.* 2. *de ijs, qua vi.* vbi inuenies sex limitationes in quibus de iure sunt nulla gesta, & his versibus continentur.

Tutor, iudicium, dos, sacrum, copula votum.
Hæc sex vi facta de iure scias fore nulla.
Cætera ius patitur, sed postea restituentur.

Sed quid si non possit seruari sine interitu salutis corporalis? Dic quod etiam non tenet ex his, quæ *glos. verbo salutis æterna in cap. Cum dilectus 6. de ijs, quæ vi.*

Licet metus attenuet culpam, tamen non eam prorsus excludit *cap. sacris 5. eod. tit. de ijs quæ vi* vbi etiam sic. Cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere.

Moderni dicunt, quod si instrumentum continet quantitatem omnium bonorum, vel maioris partis, quod idem est, sicut quando infertur timor mortis, vel pœnæ capitalis, ita *glos. verbo metus in d. l. Isti quidem ff. quod met. cau.*

Timorem excommunicationis æquiparari metui, qui cadit in constantem virum, & sic non præiudicare, notauit *glos. verbo timore in capit. Olim 17. de rest. spol. per tex.* ibi. Nos attendentes, quod (ex eo solo, quod populus prædictæ parochiæ, timore sententiæ suæ per aliquot dies abstinuit à diuinis) nullam in eos iuris parochialis possessionem idem Episcopus fuerit assecutus &c. *Et in princ. d. glos.* sic quærit. Sed nunquid perdit possessionem, qui timore deuictus abstinet se ab illa? *ff de acquir. poss. l Possideri §. si quis nunciet & l. Clam possidere §. qui ad nundinas.* Item nône ex eo, quod quis paret mandato alicuius, gerit se pro subdito eius? *vt infra de cap. Monach. cap Dilectus §. cumque pars* ibi se vocatum fuisse, *& in Glosa, & infra De ijs, quæ fiunt a maior. par. capit. Ex tre §. Quia vero,* quia facit ea, quæ alij subditi fiunt 20. *quæst. 1. Cap. Quem progenitus.* Sed dic, quod talis timor non priuat ipsum possessione, quia non facit hoc animo obediendi, sed potius deliberandi, quod sibi expediat: non enim gerit se quis pro obediente, si hoc non faciat animo obediendi *ff. de acq. hered. l pro Herede.* Item ea ratione, quia qui ex timore facit, iam non dicitur facere. Infra *de reg. Iur. cap. quia ex timore.*

Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt obseruanda: veluti si paciscar, ne furti agam, vel iniuriarum, si feceris. Expedit enim timeri furti, vel iniuriarum pœnam. Ita *Paul. lib. 3. ad edictum in l. si vnus 28. §. Pacta ff de pact.*

Titubatio.

QVatuor sunt, quæ videntur idem, sunt tamen diuersa: scilicet ignorantia nescientia, error, & titubatio. De primis tribus iam suis verbis dictũ est. Titubatio vero, dicitur cum hinc inde non duo diuersa, vel contraria scire videtur, nec alicui eorum magis animum meum applico, *vt in l. vlt. C. de cond. Indeb.* inquit *Iustinianus ita.* Pro dubietate eorum, qui mente titubante indebitam soluerint pecuniã, &c. vbi *glos. verbo titubante*, inquit idest dubitante debeant, vel non: & sic quãtum ad hunc titulum, non est differentia inter errorem, & titubationem, & nescientiam, & ignorantiam. Nec quãtum ad titulum *de iur. & fact. ignor.* Sed quantum ad alia differunt, *vt ff. eod. tit. de iur. & fact. ignor super Rub.* Igitur titubare is dicitur, qui suspicionem habet super eo, de quo contenditur, vt inquit *glos. verbo titubasset in c. In nostra 4. de Procurat.* Vnde talis, qui titubat, habebit diem ad deliberandum iuxta *glos. verbo quid sciat in cap. 2. de testib. lib 6.* Titubans enim pro ignorante habendus est, vt inquit *glos. verbo. Audiuit in cap. 2. de coniug. seru.*

Titulus.

MVltis modis dicitur, nam quandoquidem sumitur pro signo, *vt in cap. Consuetudo noua 16. quaest. 6. ibi.* Fiscali modo titulos imprimant, vbi *glos. dicto verbo titulos,* explicat, idest vexilla, vel alia signa, & in *rubr. & nigr. C. vt nemo priuat. tit.* Et dicitur etiam titulus omnis causa dominij acquirendi dominij, vt titulus pro emptore, pro donato, pro hærede pro legato, pro suo, pro dote, pro derelicto. Vnde dicitur, quod in præscriptionibus Ecclesiasticis bona fides, & iustus titulus exiguntur, *vt in cap. Si diligenti de præscript.* & qui aliquem talem habet titulum, habet causam præscribendi. Item dicitur titulus, ipsa Ecclesia, vt titulus Sancti Petri. Vnde singuli tantum clerici sunt ponendi per singulos tantum titulos, id est Ecclesias; & de hoc agitur *in cap. Episcopi 80. dist.* ibi. Sed præsbiteri per castella, & modicas ciuitates, atque villas debent ab Episcopis ordinari, & poni: singuli tamen per singulos titulos suos. Vnde in ordinationibus quando vocantur Clerici, dicitur talis ad titulum talis plebis. Item titulus dicitur clericatus, vel canonicatus in aliqua Ecclesia, vnde dicitur intitulari, vel canonicari. Et dicitur titulus quilibet ordo Ecclesiasticus, & quælibet dignitas, vel prælatio: vnde dicitur quis intitulari in aliqua Ecclesia idest, ordinari, vel præfici, de quo ait *cap. Sanctorum 70. dist.* Decernimus, vt sine titulo facta ordinatio irrita habeatur. Et in qua Ecclesia quilibet ordinatus est in ea perpetuo perseueret. Omnia prædicta, & alia circa hanc materiam tradit *glos. magna verbo intitulatam in cap. Dudum 54. de elect. & in cap. vt singula 4. de offic. Archid. verbo titulos,* sic ait. Titulus appellatur Ecclesia &c. Et hic etiam titulus dicitur Canon &c. Item titulus dicitur tractatus, &c. Item dicitur actio titulus &c. item dicitur titulus dignitas: vnde Oui.

Gratulor Oebaliam titulis accedere nostris.

Et glos. verbo titulus in l. Non est ambiguum C. fam. hercisc. ita. Titulus id est actio, vel titulus id est iudicij, sicut possessionis titulus, id est causa, sicut est emptio, vel alius contractus: alias pro dignitate, alias pro signo ponitur, alias pro priuilegio, vt &c. *& in rub. Auth. de Eccles. tit. glos.* sic inquit. Titulus, id est dignitas: item titulus id est scriptura quædam, vt &c. Item titulus id est subscriptio, quæ sic vulgo appellatur. Item titulus, id est priuilegium, & sic hic accipitur.

Ex origine cuiuslibet contractus, & causæ, quid sit statuendum distinguitur: nēpe origo potius obligationis, quam titulus inspicitur, ita *glos. verbo primordium in l. 1. C. de impon. lucr. descripta lib. 10.*

Titulum non acquiri per transactionem in spiritualibus, sed canonica institutione dicit *glos. pen. in capit. Si quando 8. de offic delegat.*

Tortura.

ALio nomine dicitur quæstio, iuxta *Rubr. ff. de quæstion. & Vlp. in l. Ita apud Labeonem 15. §. quæstionem ff. de iniurijs,* dicit quæstionem intelligere debemus, & tormenta, & corporis dolorem ad eruendam veritatem. Et non esse a tortura, seu tormentis incipiendum Diuus Augustus constituit, neque adeò fidem quæstioni adhibendam, vt dicit *Iureconsultus in l. 1. ff. de quæstionibus, vbi glos. verbo non esse,* reddit rationem

tionem sic. Quia tunc cum non sunt indicia, non facienda est &c. & ibidem *Apostilla* ita. Nam confessio facta in tortura, etiam perseuerata fine indicijs, non nocet confesso, vt plenè per Alexandrum o *cons. 94, vol. 1.*

Quæstioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam constitutionibus declaratur. Etenim res est fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nāque plerique patientia, siue duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, vt exprimi ab eis veritas nullo modo possit. Alij tanta sunt impatientia, vt in quouis potius mentiri, quam pati tormenta velint: & ita fit, vt etiam vario modo fateantur, vt non tantum se, verum etiam alios criminantur. Ita per optimè *Iurisconsultus in dict. l. 1. §. in Causa ff. de quæst.* quam vellem Iudices criminales pre oculis semper habere, vt nec de facili ad torturam procedant, nec etiam tormentatis fidem de facili adhibeant.

Totum.

QVale quale sic diuiditur legali diuisione in vncias duodecim, vt inquit *Bald. per tex. ibi. in l Cum quæstio 23. C. de legat. num. 2.* vbi quandoque ad dispondium transiri dicitur, hoc est in plures quam 12. vncias: eum videas, & ibidem *Bart. ann. 1.* Secundum eundem *in l. Qui vsumfructum 60. ff. de verb. oblig. num. 3.* notabis duplex totum: vnum quod est integrale, & partes integrales, vt domus, quæ consistit ex suis partibus. Item decē consistunt ex quinq. & quinq. sic in alijs numeris, & corporibus. Alterum est totum vniuersale, & partes subiectiuæ, seu prædicamentales, vt genus & species: nam animal est genus, & sic totum homo, bos, & similia, sunt partes, seu species subiectiuæ: quia subijciuntur dicto generi, & prædicantur de genere &c. *& in l. Reconiuncti 87. ff. de legat. 3. num. 10.* subtiliter sic ait idem *Bart.* totum, & pars quantum ad propositum possunt accipi tribus modis. Vno modo, totum vniuersale, & pars subiectiua, siue prædicamentalis, vt genus, & species. Secundo modo dicitur, totum integrale: & pars integralis, vt fundus, qui est totum integrale, diuiditur in partes integrales, scilicet in vsumfructum, & proprietatem, & propterea si quod eorum reā moues, non est plenus fundus. Tertio modo accipitur pro toto integrali, & partibus quotitatis, in quibus vna remota, nihilominus in alijs partibus cōsisteret fundus, vt totus fundus, tertia, quarta &c.

Ex prædicta doctrina potest colligi in quo toto procedit ille vulgaris regula, quæ dictat idem esse iudicium de toto, quoad totum, quod de parte, quoad partem, de qua *Glosa verbo. Quemadmodum in l. qui scit 25. ff. de vsuris per tex.* ibi, & probat *lex Iurisgentium §. Adeo ff. de pactis* ibi. Si agitur in totum potest, cur, & non pars eius pactione mutari potest? &c. *Et l. 3. ff. pro derelicto* ibi, vt hoc sit in parte, quod in toto. Cum alias dicat contrarium *glos. verbo omnino in l. Cum de indebito 25. ff. de probat.* ibi. sic ergo nota hic, quod non est eadem ratio totius ad partem, de quo videas allegatam *glos.* verbo quemadmodum, vbi alia iura pro & contra affert.

Insuper intelligas non procedere prædictum argumentum de toto, quoad partem in indiuiduis cum indiuiduum in partem diuidi non possit, sed tantum in ijs, quæ diuidua sunt, vt in expresso declarauit *glos. verbo non posse in l. per fundum 11. ff. de seruit. Rust.*

Tractatus.

IDest quæstio, nam tractatus apud Dialecticos est illa quæstio, qua quidquid pro vero ponitur falsum reperitur, *vt in l. Qui quadringenta* 87. ibi. Qui tractus alias tractatus apud Dialecticos &c. *ff. ad leg. falc. vbi glos. verbo. qui* ita ait. Dicitur enim apud Dialecticos tractus illa quæstio, de qua semper concluditur respondenti. Sed apud Isid. dicitur tractus vnius rei multiplex expositio: quod primo loco dixi, ponit *glos. verbo ille tractatus in l. vl ff. si pars hæred pet.* quod vero secundo loco dixi, probat *glos. in cap. tua nuper per text.* ibi. totius Cleri tractatu de ijs, quæ fiunt *à Prelat. verbo tractatu* ibi. Sed qualiter fiat tractatus? conueniant omnes, & quilibet dicet, quod sibi videtur.

Traditio.

SI fiat simpliciter de aliqua re, videtur in dubio fieri animo transferendi dominium iuxta *l. 1. ff. pro dot. vbi Vlpian.* Si sponsa sponso ea mente tradiderit res vt non ante eius fieri vellet, quam nuptiæ secutæ sint vsu quoque capio cessabit: Si tamen non videtur (id est non appareat, vt ibidem *glos.* ait) quid actũ fuerit: credendum esse id agi, Iulian. ait, vt statim res eius fiant, idem *in l. dotis fructus* 8. *§. Si res in dotem cum l. seq. ff. de iur. dot. vbi Callistrat.* sic. Sed nisi hoc euidenter actum fuerit: credendum est hoc agi, vt statim res sponsi fiant. Et licet contrarium videatur decidere *Papin. in l. Cum pater* 79. *§. Pater pluribus coniuncta glos. verbo custodia causa* ibi. quod semper præsumitur, *ff. de legat.* 2. tamen verissima est conclusio, quod tradicio in dubio præsumitur facta animo transferendi dominium, si præcedit contractus habilis ad dominium transferendum, si vero sit causa inhabilis ad illud transferendum, tunc contrarium præsumetur: ita intelligit *Bart. in l. 1. num. 4. ff. pro dot. per text. in l sub conditione* 16. *& glos. ibidem verbo facta est ff de solut. vbi idem Bart. latius.*

Cum eodem *Bart. in dict. l. 1. num.* 3. *Notabis*, quod licet speciale sit in actione pro socio transire dominium sine traditione iuxta *l. 1. & 2. ff. pro soc.* Tamen in venditione, & donatione omnium bonorum non trãsit dominium sine traditione. Sed *in l. siue ff. de public. in rem* etiam in re singulari transit sine traditione dominium, vt ibi in hæc verba. Si quis rem apud se depositam, vel sibi commodatam, vel pignori sibi datam emerit, pro tradita erit accipienda. Sed & per signationem, vel designationem, traditionem fieri dicitur in *l. Quod si* 14 *ff. de peric. & Commod.* ibi. Videri autem trabes traditas, quas emptor signasset, *vbi glos.* sic Signationem, vel designationem pro traditione habere, vt &c. Sed secus in vino, & alijs similibus ei.

Cum per venditorem steterit quominus rẽ tradat omnis vtilitas emptoris in æstimationem venit, quæ modo circa ipsam rem consistit. Nec enim maior fit obligatio, quod tardius agitur, quamuis crescat si vinum hodie pluris sit merito: quia si datum esset, hoc haberet emptor quoniam veró non dedit saltem hodie dandum est, quod iam olim dari oportuit. Ita *l. si sterilis §. Cum per venditorem ff. de act. empt.*

Traditiones ab Hærede factas ad id tempus redigi, quo Hæreditas adita fuerit. Ita disponit *l. Proinde* 8. *ff. si cert. pet.*

Re duobus vẽdita is ex illis tuẽdus est, qui prior ius eius apprehendit, hoc est, cui primum tradita est, sic disponente *l. Si ea* 33. *§. 1. ff. de action. empt.*

Nota, quod non intelligitur traditum quod

quod iure potest auocari, vt probat *glo. in l. Datio 3. ff. de action. empt. per l Mevius §. penult. ff. de legat. 2.* & facit *l emptorem 12. §. idem Neratius ff. de action. empt.* ibi. Nec videri traditum si superior in possessione emptor futurus non sit.

Transactio.

Fit de re dubia, & lite incerta, neque finita, sic attestante *Vlpian. in l. 1 ff. de transactionibus*, vnde clarè colligitur, quod si fuerit super re indubia, vel post latam sententiam à qua appellari non possit, nullo modo erit transactio, vnde dicitur *in l. Eleganter ff. de condict. indebit.* ita. Si post rem iudicatam quis quis transegerit, & soluerit, repetere poterit: quia placuit transactionem nullius esse momenti &c. & prosequitur quid ergo si appellatum sit, vel incertum sit, an iudicatum sit, vel an sententia valeat? Magis est, vt transactio vires habeat: tunc enim rescriptis locum esse credendum est, cum de sententia indubitata, quæ nullo remedio attentari potest, transigitur, & idem esse, quando à sententia, à qua appellari potuit, non fuit appellatum, dicit *glos. verbo datur in cap. super eo 7. de transact.* ibi: Quia si finita esset causa per sententiam, à qua non esset appellatum, postea non teneret transactio.

Timor litis motæ, vel mouendæ (etiam de facto, non de iure) est sufficiens causa, propter quam possit fieri transactio valida: ideo ex cautione interposita datur actio, & soluti inhibetur repetitio, ita summarunt *Salic. & Alex. l. 2. C de transact.* vbi Imp. Antoninus hæc rescripsit. Cum te proponas cum sorore tua de hæreditate transigisse: & ideo certam pecuniam ei te debere cauisse, & si nulla fuisset quæstio hæreditatis: tamen propter timorem litis transactione interposita, pecunia recte cauta intelligitur. Ex qua causa, si fisco soluisses, repetere non posses: & si non soluisses: tamen recte conuenireris.

Potest hic quæri, an in prædictis terminis transactionis super causa, & lite pendente possit dari rescissio transactionis ex causa læsionis vltra dimidium? iuxta *l. 2. C. de rescindenda vend.* quam quæstionem decidit *glos. verbo restituerent in cap. Cum causa 6. de emp. & vend.* sic dicens secus est, in transactionibus, secundum quosdam tenet etiam transactio, licet quis decipiatur vltra dimidiam iusti pretij *arg. infr. de relig. dom. cap. Constitutus* vbi Episcopus omnia iura dimisit, solum octo denariis pro pensione retentis &c. & est expressum, quod si post transactionem inueniuntur publica instrumenta, per quæ appareat, quod deceptus sit transigens in quadruplum: non tamen rescinditur transactio *ff. ad treb. l. Lucius §. vlt.* Et est ratio in transactione: quia eo ipso, quod a lite receditur, magnum commodum est, vnde indebitum solutum ob trāsactionem non repetitur *C. de transact. l. 2. ff. de cond. indeb. l. in summa*, & hoc verum nisi aliquis velit agere officio iudicis, vt minor, vel Ecclesia: quia si læditur in transactione, restituitur sicut si læsus est in sententia, vel in aliquo contractu, & ibidem *Apostill.* addit sic tamen rescinditur propter læsionem multum excedentem dimidiam, *Philip. Corn. Cons. 27. col. 2. lib. 4. Decius in l. cum te C. de transact. & Cons. 349 coll. 4. Hieronymus Gratus Cons 88. lib. 1.*

Rescinditur etiam, quando bona fide non fuit facta transactio, quod ait Senatus; quæ transacta sunt rata maneant. Ita intelligendum est, vt transacta, sint bona fide, ad hoc, vt transactio valeat, prout ita expressè dixit *Vlpian. in l. 1. §. vlt. ad fin. ff. ad Tertyll.* quod quidem debes intelligere si ab vtraq; parte mala fides, seu dolus interuenit; nam si ab vna

vna tantum parte ipsa non audietur, vt *in l. transactione 30. C. de trãsact. Impp.* dixerunt sic. Transactione finita, cum ex partibus tuis magis dolum intercessisse, quam eorum, contra quos preces fundis confitearis, instaurari graue, nec non criminosum tibi est, & notauit *glos. verbo de nouo in cap. veniens 7. de eo, qui Iux. in matr. quam poll* ibi. sic & transactio dolo alterius tantum inita, ab eo reuocari non potest.

Super alimentis futuris non posse transigi sine prętoris authoritate esse orationem diui Marci in senatu recitatum testatur *Vlpian. in l. Cum hi 8 ff. de transact.* vbi etiam inuenies limitationem, & pro eadem conclusione rescripsit *Imp. Gord. in l. 8. C. eod. tit.* dicens. De alimentis prӕteritis, si quӕstio deferatur transigi potest. De futuris autem, sine prӕtore, seu prӕside transactio nulla authoritate iuris censetur.

Transactionem in spiritualibus interuenire non posse, proprie sumptu vocabulo, dixit *glos. verbo transactione in capit. Si quando 8. de offic. de legat. per text. in capi. super eo de transact.* amicabilem verbo compositionem posse *ead. glosa per capit. statuimus eod. tit. de transact.* Nec etiam fieri poterit super rebus Ecclesiӕ, sine authoritate superioris iuxta *cap. veniens 8. de transact.* ibi. Nisi prӕdicti monachi transactionem prӕscriptam authoritate Apost. confirmatam esse docuerint. Ex quo etiam nota, quod transactio potius personalis, quã realis prӕsumitur vt ibi. Cum aliàs inter personas facta potius, quam inter Ecclesias videatur, & expressius dixit *glos. verbo probatum in cap. Cum venissent 6 de instit.* ibi. Sed transactio potius prӕsumitur personalis, quam realis, nisi fuerit per superiorem confirmata.

Transactio quӕcunque fit de his tantum, de quibus inter conuenientes placuit, interposita creditur. Ita dicit *l. Qui cum 9. §. 1. ff. de transact.* vnde non extenditur ad ea, de quibus non fuit dictum, nec cogitatum, vt dicit *glos. 1. in cap. 2. de renunc.*

Nota transactionis exceptionem impedire processum negotij principalis: sic & in exceptione rei iudicatӕ, secus in alijs per emptorijs, prout tenuit *glosa verbo contestari in l. Eleganter 23. §. si quis ff. de condict. indeb.* per textum ibi. Potuit autem is (si quidem ante litem contestatam transegerit) volenti litem contestari, opponere doli exceptionem & per capitulum exceptionis *ext. de lit. contest.*

In transactione error tertii, non prӕiudicat, vt dixisti verbo *error*.

Non obseruantibus aduersarijs pactorum fidem, instaurare accusationem minimè potes, a qua ipse destitisti, ita dicitur *in l. 3. C. ad Turpill.* Nullus etenim erit litium finis si à transactionibus bona fide interpositis cӕperit facilè discedi iuxta *l. Fratris tui X. Cod. de transaction.*

Transfuga

NOn is solus accipiendus est, qui aut ad hostes aut in bello transfugerit: sed etiam qui per induciarum tempus, aut ad eos, cum quibus nulla amicitia est, fide suscepta transfugit, prout dicit *Paul. Iurisc. in l. postliminium 19. vers. transfuga autem ff. de capt. & postlimin. reuer. & in eadem l.* sic. Si verò seruus transfugit ad hostes &c. rectissimè dicitur etiam ei postliminium esse, scilicet vt dominus in eo pristinum ius recipiat ne contrarium Ius non tam ipsi iniuriosum sit, qui seruus semper maneat: quã Domino damnosum constituatur.

Filius quoque familias transfuga non potest postliminio reuerti, neque viuo Patre, quia Pater sic eum amisit, quemadmodum patria: & quia disciplina castro-

strorum antiquior fuit parentibus Romanis; quam caritas liberorum. Ita dict. l. postliminium post med.

Is, qui ad hostes confugit, & redijt, torquebitur, ad bestiasq; vel in furcam damnabitur: quamuis milites nihil eorum patiantur. Et is, qui volens transfugere apprehensus est, capite punietur, sed si ex improuiso, dum iter quis facit, capiatur ab hostibus: inspecto vitæ eius præcedentis actu, venia ei dabitur. Ita Modestinus *in l. 3. ff. de re mil. & Martianus in l. 7. eod. tit.* sic. Proditores, vel transfugę plerunque capite puniuntur: & exauctorati torquentur. Nam pro hoste non pro milite habentur:

Translatio.

DVobus modis potest intelligi, vel de vna persona ad alteram rem, vel de vna re ad alteram personam, vt de primo est *tit. de translat. Episc.* & hæc translatio, scilicet Episcopi de vna ad alteram Ecclesiam, non potest fieri nisi a solo Summ. Pontif. iuxta *cap. 2. eod. tit.* ibi. Non enim humana, sed potius diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cum per translationem &c. autho. Rom. Pont. (quem constat esse Vicarium Iesu Christi. Episcopus ab Ecclesia remouetur &c. Et de secundo est *tit. ff. de adim. vel transferend. legat.* quæ translatio, quatuor modis fieri potest: *vt per Paul. iurisconsf. in l. 6. eod. tit.* Translatio legati (inquit) fit quatuor modis: aut enim a persona in personam transfertur: aut ab eo, qui dare iussus est, trasfertur, vt alius det; aut cum res pro re datur, vt pro fundo decem aurei: aut quod pure datum est, transfertur sub conditione.

De translatione dominij, & possessionis aliqua habes verbis Dominium & possessio, & supra proxime verbo traditio. Et vltra notabis hic, quod Prohibitio alienationis in contractu, non impedit dominij translationem, licet contra faciens teneatur ad interesse, vt sūmat *Bart. l. Si ita quis promiserit 135. §. ea lege ff. de verb. oblig.* Quid vero in prohibitione a lege facta? Responde, quod impedit iuxta *l. Quadam 62. & ibi glos. 1. ff. de acquir. rer. dom.* cum alijs, de quibus *Bart. in dict. §. Ea lege num. 2.* quem omnino videas, vbi plene de materia.

Translationem possessionis fieri in secundum creditorem propter mendacium a primo creditore commissum, disponit *Auth. Item possessor* pignoris negans rē esse eius, cuius actor asseuerat eam esse. Si probata ea intentione uitatur rem retinere dicens ex hypotheca, vel a lia causa in eādem personam delata se propinquiorem esse, quam qui mouet causam, prius transferat possessionem, quam ius suum proponat *C. qui potior in pig.* Sed per quem fiet talis translatio? Per officium iudicis, respondet ibidem *Bart. num. 6.*

Ius nostrum etiam dicitur transferri, seu transcribi in alterum, quando scilicet illud cedimus, de quo *Apostill. ad l. Si quando 13. super verbo transcribat ff. ad Velleian.* ita dicit. Transcribere, idest ius nostrum in alium transferre, vt trāscribere fundum idest, iure cesso tradere.

Denique translatio dicitur etiam, quando aliquid de vna in aliam linguam conuertimus, & de hac transactione dicit *glos. verbo inepta in l. 1. per tex. ibi ff. de excusat. tut.* sic. Sæpe non potest bene fieri transactio de vna lingua ad aliam.

Tributum.

DIstinguitur ab annona, quia hæc in speciebus, illud vero in pecunijs, vel annona in speciebus, tributum vero in

auro

auro argento, & ære. Et dicitur tributum quicquid tribuitur: Sed specialiter quod Principi datur, ita *glo. in rubr. C. de annon. & tribut. lib.* 10 vbi videas plures tributorum species, per iura, quæ ibi.

Boni principis est vassallos tributis non onerare, dicebat enim Tiberius (*teste Sueton. lib.* 2.) præsidibus suadentibus prouincias onerari tributis, Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere idest, pilos euellere, ita *glos. verbo consumit in Clem.* 2. *de censib.* Sed & tributa imposita non debent violenter nec cum crudelitate extorqueri, sed cũ efficacia benigne, & cum instantia humane tributarij conueniendi sunt, vt soluant, sicut inquit *glos. verbo deuotionis per tex. in l.* 1 *C. de commerc. & merc.* & aliàs dixerat *Vlpian. in l. si bene* 33. *ff de vsur.* de Reip pecunia exigenda ibi. Dummodo non acerbum se exactorem nec contumeliosum præbeat, sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum. Non sic crudeles, & inhumani faciunt publicani, seu vectigales, & exactores tributorum.

Secundum consuetudinem vectigalia, scilicet personis pro rebus iniuncta, sunt præstanda, ita *glos. vlt. in l. vlt. C. de canon larg. lib.* 10.

Tributum, quod soluitur ex longinquis partibus, minus esse debet, quam illud, quod ex viciniorib*us ex l. Modios* 9. *C. de suscept. lib* 10. ibi. Humanitatis autem necessitate commoti &c longinquitatis causa &c. Sed quare facit hoc longinquitas? quærit ibidem *glos.* & respondet, quia & deferunt, quod est graue.

Principales conductores conductorum vectigalium habent immunitatem, ita *Bart. in summ. l. vnic. C. quib. muner. excus ÿ. qui &c. lib* 10. Ad instructiones vero, reparationesq; itinerum pontiumq; nullum genus hominum, nulliusque dignitatis ac venerationis meritis cessare oportet, ita disponit *l. Absit C de priuil. dom. Aug. lib.* 11.

Turpitudo.

GEnerale est illud, quo allegans turpitudinem suam non auditur iuxta *glos. verbo. Ad eam in capitul. Cum de constitutionibus* ibi. Repelluntur suam turpitudinem allegantes, & *glos.* 1. *in cap. lator* 7. *de sent. ent. & re iud.* ibi turpitudinem suam allegans non auditur, & *glos.* 1 *in l. datur ff. ad l. Iul. repet.* ibi nam sibi, ne repetet, sua turpitudo obstat. Quod etiam procedit in Hæredibus turpitudinem committentis iuxta *l. si creditoribus C. de seru pig. dat. man.* ibi: Nam ipse manumissor si fraudem se fecisse creditoribus, vt reuocet libertates, audeat dicere, audiri non debet, nec Hæredes eius, & notauit *gl. in l. filios per textum ibi C. de reuoc. ÿs, quæ in fraud.* ibi. Et sic nota non audiri aliquem allegantem turpitudidem eius, cui successit.

In casu tamen *l.* 1. *C. de liberal. caus.* auditur pater, qui filium proprium vendidit ad affectum eum reuocandi ad ingenuitatem Sic etiam auditur quis contra propriam turpitudinem, vbi vertitur periculum animæ, vt limitat *glos.* 1. *in dict. cap. Lator*, & *glos. verbo turpitudinem in cap inter dilectos* 8. *de Donationibus*, vbi posita prædicta regula generali, sic inquit, nisi vbi vertitur periculum animæ, vt &c. vel nisi propter fauorem Ecclesiæ &c. vel fauore libertatis &c. & *glos. vlt. in cap. Ex tenore* 13. *de cõcessione prabendæ* ibi. Sic auditur quis vbi vertitur periculum animę &c. & addit immò generaliter in excipiendo bene potest quis allegare turpitudinem suam &c. & etiam in agendo, cum eam allegat contra eum, qui eam exegit, & notauit etiam *Apostill. ad glos. in l.*

in l. si serui plurium 53. §. 1. ff. de legat. 2. ibi. Regula est firma, quod allegans turpitudinem &c. quod est verum agendo, secus excipiendo, nam vt inquit glos. verbo Recte in l. Nec timorem 7 ff. eo quod met. caus. ibi debet esse plus mūdus, qui alij obijcit turpitudinem.

Turpiter accepta pecunia, iustius penes eum est, qui deceptus est, quod qui decepit, sic ait l. si procurator 9. ff. de doli except.

Turpia de Iure dicuntur impossibilia, vt ex iuribus probat glos. vlt. ad med. in l. Cum donationis 34. C. de transactionibus.

Turpitudine vitę coinquinati, non admittuntur ad dignitatem, vt in verb. dignitas versic. Ne quis supra dixisti, & ex glos. verbo turpiter in l. si quis in pignore 36. ff. de pignorat. act. ibi, Nec turpitudo, vt & quæuis alia priuat aliquem dignitate, vt C. de pignor. l. 2. neque dicetur aboleta turpitudo, quæ postea intermissa est, dixit l. Palam 43. ff. de rit. nupt. & sic talis, qui intermisit turpitudinem, non ob id ad dignitatem ascendet. Nec turpitudinis propria confessio factum reuocat, vt supra verbo Confessio.

Quarumdam rerum turpitudo etiam ad vendicantem redit, vt dicit Senec. lib. 6. de benef. cap. 32.

Tutor.

Are, hoc est tutela, quam administrat, dicitur, inquit enim Imp. in princ. de tutel. in inst. sic. Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent: ex qua re ipsi nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, quasi tuitores atque defensores: dixerat nāque in §. 1. Est autem tutela (vt Seruius definiuit) vis, ac potestas in capite libero adtuendum eum, qui per ætatem se ipse defendere nequit iure ciuili data ac permissa. Tutela autem triplex inuenitur: testamentaria, legitima, & datiua, vt notat glos. 1. in §. Permissum eod. tit. & patet ex tit. seqq. Qui test. tut. dar. poss. de legit. patr. tut. de leg. par. tut. & de Attil. tut. Est & alia tutela, quæ fiduciaria appellatur, de qua in tit. de fiduc. tut. etiam in Inst. Sic itaq; tutores aut sunt dati hoc est testamentarij, aut legitimi, aut datiui. Aut fiduciari,. Dicamus ergo aliqua notabiliora, iuxta nostrum institutū, de prædictis tutoribus.

Et in primis qualiscunque sit tutor, antequam tutelam gerat, conficere tenetur inuentarium de omnibus rebus pupillaribus per tex. in l. vlt. §. vlt. C. arbitr. tut. sic enim disponit Imp. illo proculdubio obseruando: vt non audeat tutor, vel curator res pupillares, vel adulti aliter attingere, vel aliam sibi cōmunionem ad eas res vendicare; nisi prius inuentario publice facto, secundum morem solitum res ei tradantur: nisi testatores, qui substantiam transmittunt specialiter inuentarium conscribi vetuerint. Scituris tutoribus, & curatoribus, quod si inuentarium facere neglexerint: & quasi suspecti ab officio remouentur: & pœnis legitimis quæ contra eos interminatæ sunt subiacebunt, & postea perpetua macula infamiæ notabuntur, neque ab imperiali beneficio absolutione huiusmodi notæ fruituri, vbi glos. vlt. notat hanc præsumptionem non confecti inuentarij, esse violentam per text. in l. 8. ff. de adminis. tut. Tutor (inquit Iulianus) qui repertorium non fecit (quod Inuentarium appellatur) dolo malo fecisse videtur: nisi forte aliqua necessaria, & iustissima causa allegari possit, vt id factum non sit. Et prosequitur, si quis igitur dolo inuentarium, non fecerit in ea conditione est, vt teneatur in id, quod pupilli interest: quod ex Iureiurando in litem æstimatur, & Vlpian. in

l. 3. §. *Tutores ff. de suspect. tut.* sic. Tutores, qui repertorium non fecerunt, vel pecuniam neq; ad prædiorum comparationem conferre, neque deponere peruicaciter persitant &c. vinculis publicis iubentur contineri, & insuper pro suspectis habentur &c.

Debet etiam tutor satisdationem præstare rem pupilli saluam fore iuxta *l. 4. ff. rem pup. salu.* per fideiussores, *ad l. 1. ff. qui sat. cog.* quod non procedere in tutoribus testamento datis, constituit *Imp. in §. 1. de satisd. in Inst.* vbi ponendo regulam illam, excipit sic. Sed hoc non est perpetuum. Nam tutores testamento dati satisdare non coguntur: quia fides eorum, & diligentia ab ipso testatore approbata est, quod sublimitabis in testamento matris, vt notauit ibidem *glos. verbo approbata.*

Si persona honesta sit remittatur ei satisdatio, maxime si substantia modica sit, sic disponit *l. legitimos 5. ff. de legit tut. & in l. Testamento 17. ff. de testam. tut.* ita. Quia plerunque bene probati, & idonei, atque honesti tutores, etiam si satis non dent, non debent reijci, quin imo nec iubendi sunt satisdare. Si vero sit inhonesta, & maleuola persona, nec vlla satisdatio erit sufficiens, vt per *tex. optimum in l. 6 ff de suspect. tut.* dum ait Quia satisdatio propositum maleuolum tutoris non mutat, sed diutius grassandi in re pupillari facultatem præstat. Vnde talis merito suspectus dicitur *in l. 8. eod. tit.* ibi. Suspectum tutorem eum esse putamus, qui moribus talis est, vt suspectus sit. Et è contrario sic prosequitur. Enim vero tutor si quis quamuis pauper est, fidelis tamen, & diligens remouendus non est, quasi suspectus.

In *l. si creditores 15. ff. de priuil. cred.* sic dicitur. Suspectus hæres non iisdem modis, quibus suspectus tutor, existimatur siquidem tutorem non facultates, sed fraudulenta in rebus pupillaribus, vel callida conuersatio suspectum commēdat; hæredem vero solæ facultates, & ibi *glos. verbo non facultates*, intelligit non principaliter, sed secūdario, & probatur expressa *in l. 5. C. de suspect. tut.* dū ait. In postulandis suspectis tutoribus, non vires patrimoniorum principaliter sed an nihil segniter, nihil fraudulenter geratur, & ibidem *glos. vlt.* sic. Aliquid tamen operatur, & tacilius committitur administratio diuiti.

Qui se filio testatoris impuberi tutorem ascripserit: & si suspectus esse præsumitur, quod vltro tutelam videatur affectasse: tamen si idoneus esse approbetur, non ex testamento, sed ex decreto tutor dandus est, nec excusatio eius admittetur: quia consensisse videtur voluntati testatoris, ita ait *Paul. in l. vxori 18. ff. ad l. Corn. de fals.* Pauper autem in tutela repertus præsumitur etiā eam affectasse, *vt in l. Spadonem 17. §. vlt. ff. de excusat. tut.* ibi. Iam autem & tutor, qui modici patrimonij factus est, affectasse videtur. Semper autem maxime hoc obseruent magistratus, ne creent eos, qui se ipsos volunt ingerere vt creentur iuxta *l scire 21. §. Eos vers. Cum reliquis ff. de tut. & cur.*

Suspectus fieri is quoq; qui satisdederit, vel etiam nunc offerat, potest, expedit enim pupillo rem suam saluam fore magis, quam tabulas cautionis habere. Nec ferendus est contutor, qui ideo collegam suum suspectum non fecit, quoniam cautum erat pupillo, ita *l. 4. ff. de suspect. tut.*

Pluribus concurrentibus tutoribus, tunc idoneior præferendus est, vt & tutorum personæ inter se, & fideiussorum comparentur, sic dicitur *in l. Quod si plures 18. ff. de test. tut.* Si vero duobus tutela simul gerenda permissa est, vel a parente, vel a contutoribus, vel a magistratibus: benigne accipiendum est, etiam vni agere permissum, quia duo simul agere non possunt *l. Decreto 35. §. 1. ff. de admin.*

admin. tut. Sane enim facilius vnus tutor, & actiones exercet, & excipit, ne per multos tutela spargatur, vt dicitur *in l. Si plures 3. §. Quamuis in fin. ff. de admin. tut. vbi glos.* alia allegat iura, & affert versum iam supra alibi relatum, sic.

Segnius expediunt commissa negotia plures.

Plerunque vbi successionis est emolumétum, ibi, & tutelæ onus esse debet, sic inquit *Imp in §. vnic. de legit. patr. tut.* Hoc summa prouidentia: vt qui sperarent hanc habere successiionem, ijdem tuerétur bona ne dilapidarentur, ait *l. 1. ff de legit. tut. & Paul. in l. 74.* Quo tutela redit: eo & hæreditas peruenit, nisi cum fœminæ hæredes interueniunt *ff. de reg. iu. ideo Iust. apposuit in d. §. vnic* verbum illud, plerunque: quia fœminæ tutrices esse non possunt, nisi in casibus a iure expressis, *vt in l. 1. & 2. C. quand. mul. tut. offic. & in Auth. matri, & auia eod. tit.*

Ab auo materno tutor datus, necesse non habuisti excusari, cum ipso iure non tenearis; si igitur administrationi te non immiscuisti potes esse securus, ita *Modestin. in l. scire oportet 15. §. vlt. ff de excusat. tut.* Nam excusatio non intrat nisi quando tutelæ datio, seu petitio recte, & legitime instituta est: vnde *Papin. in l. 31. ff. eod. tit.* sic ait. Tutor petitus ante decreti diem, si aliquod priuilegium quærit, recte petitionem institutam excludere non poterit.

Ne prætereamus *§. 1. eiusdem l. 31.* vbi hæredes, etiam si extranei possunt retinere legatum relictum tutori in testamento nominato, tutelæ remunerandę gratia, si tutor se ab ea excuset in hæc verba. Quæ tutoribus remunerandæ fidei causa, testamento parentis relinquuntur: post excusationem ab hæredibus extraneis quoq; retineri placuit. Quod non habebit locum in persona filij, quē pater impuberi fratri cohæredem, & tutorem dedit: cum iudicium patris, vt filius, non vt tutor promeruerit. Et pro prima conclusione facit quod *Paul. inquit in l. Nesennius 35. eod. tit.* maxime in illis verbis. Recte ergo placuit eum, qui recusat onus, quod testator reliquit: & ab eo, quod petit, quodq; idem dedit repelli debere, quod statim limitat sic. Non semper tamen existimo eum, qui onus tutelæ recusauit, repellendum à legato: sed ita demum si legatum ei ideo adscriptum appareat, quod eidem tutelam iniunxit, non quod alioquin daturus esset sine tutela, & c verum *in l. seq. sic se reprehendere* videtur. Sed hæc nimium scrupulosa sunt, nec admittenda nisi euidenter pater expresserit velle se dare, etiam si tutelam non administrauerit. Semper enim legatum aut antecedit, aut sequitur tutelam, & *in l. seq. idem Paul.* ita. Ex his apparet non esse his similem eum, quem prætor tutorem dedit: hic enim nihil contra iudicium fecit testatoris. Nam quem ille tutorem non dedit, eum voluisse, tutelam filij administrare dicere non possumus.

Propter litem, quam quis cum pupillo habet, excusare se a tutela non potest, nisi forte de omnibus bonis, aut plurima parte eorum, controuersia sit. ita *Martian. in l. 24. d. tit. de excus. tut.* Et prosequitur sic. Qui se vult excusare, si plures habeat excusationes, & de quibusdam non probauerit: alijs vti intra tempora non prohibetur. Sed quid si multa iura poterit quis dicere, quorum vnum per se ipsum satis validum non est, an possit excusari? quærit *Modestin in dict. l. Spadonem §. 1. vers. qui iura eod. tit.* Et exemplificando, sic respondet. Puta septuaginta quis annorum non est, neque tres habet tutelas, sed neq; quinque filios, aut ali-

quod aliud ius remissionis: nimirum duas tutelas, & duos filios, & sexaginta annorum est: aut alia quædam talia dicit, per se ipsa quidem perfectum auxilium non præbentia, quæ tamen si inuicem coniuncta sint, iusta appareant. Sed visum est hunc non excusari. Ex quo tex. iam colliges alias excusationes, & quamplures poteris videre *ex tot illo tit.* quarum vnam tantum pono hic *ex Paul. in l. si is qui tres 34. §. Eum, qui eod. tit.* vbi notabiliter sic. Cæterum putarem recte facturum prætorem, si etiam vnam tutelam sufficere crediderit, si tam diffusa, & negotiosa sit, vt pro pluribus cedat &c. & concludit, Non enim (vt dixi) numerus pupillorum, sed difficultas rationum conficiendarum, & reddendarum considerandā est.

A datione tutelæ non posse appellari, sed a non recepta excusatione, dixit *glos. vlt. in l. si ad scribatum 4. C. de appellat.* ibi. Sed aliud est in eo munere, quod publicum est authoritate, licet vtilitate priuatum, vt in tutela: quia datus non appellat a datione, sed a sententia, qua pronunciatur suam excusationem non recipi.

De authoritate tutorum plenum habes *tit. ff. & Inst.* & magnam quidem esse constat *ex l. Qui fundum 7. §. si tutor, ff. pro empt.* dum eos dominos vocat, id: . Nam tutor in re pupilli tunc domini loco habetur cum tutelam administrat, sed statim addit, non cum pupillum expoliat, nam, vt ait *l. Quid ergo ff. de contr. & vtil. act. tut.* Neq; in hoc administrantur tutelæ, vt pupilli mergantur, quod iam intelligis, non solum procedere quando tutoris dolus interuenit, sed etiam lata, & leuis culpa, vt sup. eo verbo notasti. Sed subintellige, quod sufficit tutori bene, & diligenter negotia gessisse, & si euentum aduersum habuerit, quod gestum est, prout dicit *dict. l. Quid ergo §. vlt.* Dolum quidem tutoris, vel curatoris nocere pupillo, vel furioso non debere puto; nec tamen lucrosum esse debere ait *l. 3. §. si seruus ff. de trib. act.* Posse tamen tutorem eam conditionem adolescenti deferre, vt id quod gessisset aut in totum agnosceret, aut a toto recederet: dicit *l. Cum quæreretur 17. ff. de adm. tut.*

Decretum est a D. Seuero non posse tutori se autore restitui hereditatem: quia in rem suam autor esse non potest, sic *in l. 1 §. fuit quæsitum ff. ad Trebell.* secus vero est in Collegio, quia nemo eorum sibi videtur autorare, vt *in ead. l. §. si autem & in l. 1. ff. de auth. tut. sic Vlp.* Quanquam regula est iuris ciuilis: in rem suam authorem tutorem fieri non posse: tamen potest tutor proprij sui debitoris hæreditatem adeunti pupillo authoritatem accommodare, quamuis per hoc debitor eius efficiatur. Prima enim ratio authoritatis ea est, vt hæres fiat: per consequentias contingit, vt debitum subeat.

Etiam si non interrogatus tutor author fiat, valet authoritas eius cum se probare dicit id, quod agitur. Hoc est enim authorem fieri, vt inquit *Paul. in l. 3. ff. de auth. tut.* Quod si inuitus fit, aut per vim retentus, non valet, quod agitur. Neque enim præsentia corporis sufficit ad authoritatem, vt si somno, aut morbo comitiali occupatus tacuisset, ait *Vlp. in d. l. 1. §. 2. eod. tit.*

Tutor autem statim in ipso negotio præsens debet author fieri si hoc pupillo prodesse existimauerit. Post tempus vero, vel per epistolam aut per nūcium interposita authoritas nihil valet, ita decernit *Imp. in §. pen. de auth. tut. in Inst. vbi glos. pen.* intelligit illud, post tempus, scilicet non modicum, quia si modicum, valet authoritas iuxta distinctionem *ab Vlpian. traditam in l si quis mihi.*

mihi 25. §. Iussum ff. de acquir. hared. Iussum, inquit, eius, qui in potestate habet, non est simile tutoris authoritati, quę interponitur perfecto negotio, sed præcedere debet &c. & in hunc sensum debet intelligi *glos. verbo debeant in cap. Edoceri 21. de rescript.* dum ait sic. Nec sufficit subsequens authoritas tutoris hoc est si post nō modicum tempus subsequatur, quia aliàs esset contra *d. §. Iussum*, in quo clare dicitur, quod authoritas tutoris subsequitur post perfectum negotium.

Si tutor actor fuisset, non idcirco minus standum esse diuisioni, quod non assignasset, ait *l. Pupillus 5. ff. de auth. tut.* nisi fuerit falsus tutor, quia tunc nullum erit, quod eo authore, erit factum, nisi forte pretor decreuerit ratum se habiturum id, quod hoc authore gestum est: tunc enim valebit per prætoris tuitionem non ipso iure, iuxta *l. 1. in fin. ff. quod fals. tut.*

Sicut seruus institor dominicę mercis, si liber factus in eodem statu perseueret, (quamuis tempore seruitutis obligari non potuerit) præteriti temporis nomine, actione gestorum non inutiliter conuenitur, earum scilicet rerum, quæ connexam rationem cum ijs, quę postea gesta sunt, habuerunt. Sic & tutelæ iudicium, earum quoque rerum causa teneri placuit, quæ post pubertatem administrantur, si posterior actus priori cohæreat neque diuisus propriam rationem habeat, ita *l. Tutorem 38. ff. de adm. tut.* & facit *l. Lucius 47. §. Quasitum est eod. tit.* ibi. Finita administratione eas vsuras debere computari, quę in tutelę iudicio computantur. Nisi post pubertatem tutelæ actio nouetur *l. Aliâ 29. ff. de nouat.*

Si tutor pro pupillo se obligauit, habet contrariam actionem, & antequam soluat, sic *l. vlt. ff. de contr. & vtil. act. tut.* *vbi glos.* reddens rationem ita ait. Quia videtur ei abesse, quia est obligatus.

Non facile tutores, vel curatores, qui ex officio, periculo suo res pupillorum, vel adolescentium administrant, sententia notantur, nisi euidens eorum calumnia iudicanti apparebit, ita *l. 2. C. de ÿs, qui accus. non poss.*

Tutor incertus dari non debet, ita notauit *glos. verbo Elegerint in cap. Ad hæc 10. de rescript.* An autem censeatur dari a patre solis, quos in potestate habet, vel etiam ei, quem ignorauit? dicis verbo *Filius*. Et quod non detur filio in potestate patris constituto ibidem. Nec qui sub tutela est dari pot. tutor habes verbo *Curator*.

Quando possit tutor sumptus facere propria authoritate? vide verbo *Sumptus*. Et quid in alenda paupere sorore pupilli? vide verbo *Alimenta*.

Tutelam perdere mulierem, si luxurietur habes verbo *Mulier*.

Ad finem tutoribus imponendum, libet afferre tex. optimum in materia, ex quo cum *Bald.* deduces, quod prouisio paterna circa liberos, est maioris efficaciæ quam tutoris *in l. 4. C. de spons.* Si pater (inquiunt Impp. Honor. & Theodos.) pactum de filię nuptijs inierit & humana sorte consumptus, ad vota non potuerit peruenire: id inter sponsum, & sponsam firmum ratumque permaneat, quod a patre docebitur destinatum, nihiloque permittatur habere momenti, quod cum defensore, ad quem minoris commoda pertinebant, docebitur fuisse transactum. Periniquum est enim, vt contra patriam voluntatem: redemptori forsitan tutoris, aut curatoris admittatur arbitrium: cum plerunque ipsius fœminæ aduersus commoda propria inueniatur consilium. Et ea ratione iam aliàs dicta, quod filius nec meliorem amicum, nec etiam tutorem, aut curatorem inuenire poterit; quam patrem.

DE

DE LITTERA V.

Vagabundus.

Est qui non habet certam habitationem, prout notat *glo verbo habitationem in l. 4. §. prætor ait ff. de dam. infect. per text.* ibi. Quod si nec habitationem habeat, & clarius *Bart.* ibidem *num. 1. & glos. verbo debebit in l. Hæres absens 19. §. Proinde ff. de iud.* ibi. Si debitor vagari cœperit per orbē terrarum: nec alicubi habeat certum domicilium, & ibidem, quod talis possit conueniri vbicunque inuenitur: quam sequitur *Bart, ibi num. 4. & not. in l. 1. C. vbi de crim. ag. oport. vbi idem Bart. num. 9.* Quod vagabundus perdat suum priuilegium dictum est *supra verbo priuilegium vers. vagabundum.*

Validum, & e contra.

Brocardicum iactatur vulgare, quod si actus non valet, vt ago, valet, vt valere potest, sic deducitur *ex Paul lib. 3. ad edict. in l. Si vnus 27. §. Si acceptilatio inutilis fuit*: tacita pactione id actum videtur, ne peteretur *ff. de pact. & ex Vlpian. in l. Et post 7. §. Vsque adeo* autem, quod datum est, etiam si non proficit ad transactionem, extenuat tamen rem iudicatam *ff. de transact. & ex l. Lucius Titius 27. ff. deposit. in fin.* ibi. Paulus respondit, quoniam dos constitui non potuit ex causa depositi: actione de peculio pecuniam repetendam. Sed *ex Vlpian. in l. 1. §. antepen. contrarium* patet, dum inquit, Eum, qui inutiliter stipulatus est, cum vtiliter stipulari voluerit, non constitui sibi: dicendum est, de constituta experiri non posse: quoniā non animo cōstituentis, sed promittētis factū sit. *ff. de cōst. pec.* Pro cōcordia dicit ibidē *Bart.* quod vbi agitur de obligatione tollenda, & inducenda liberatione, verum esse quod si actus non valet, vt agitur, valet vt valere potest, vbi vero tractatur de obligatione inducenda contrarium, dicendum esse. Et plenius dixisse *in l. 1. §. Si quis ita ff. de verb.* testatur; Sed quia ibi non tam clare loquitur. Vide eundem *in d. §. Eum, qui post num. 1.* & ibi clarius melius, & latius distinguit, vbi post alia *ex Old.* sic ait. Cum quæritur, si non valet, quod ago, vt ago, an saltem valeat, vt valere potest, dic ita: Aut est talis actus, qui habet certos terminos, & certam formam in suo esse, seu in sua productione, vt est testamentum, & codicillus. Et tunc si non valet, quod ago, vt ago, nec valet, vt alias valere potest *vt infr. de iur. cod. l. 1 & C. de testam. l. Non codicillum.* Ratio huius est: quia quando actus, qui agitur, habet certam formam essentialem, illa deficiente, talis actus est ipso iure nullus *sup. de transact. l. Cum ij §. Si prætor aditus.* Si ergo est nullus non potest valere aliquo modo, nec vt geritur, nec alias vt valere potest. Si autem actus, qui geritur, non habet certos limites, seu certam formam in sua productione. Tunc aut fit talis actus ad obligandum: Et tunc si non valet, quod ago, vt ago, nec valet, vt alias valere potest, vt hoc tex. aut fit ad liberandum. Et tunc aut pec-

peccat actus, qui geritur in forma. Et tunc si non valet, quod ago, vt ago, nec valet vt valere potest, *vt infr. de accep-til. l. An inutilis, & l. Si acceptam in princ.* Si autem peccat in materia, dic quod non valet, quod ago, valet vt valere potest, *vt l. Et post §. Si fideiussor sup. de transact. secundum Old. &c.*

Si alienum seruum liberum, & hæredem esse iussi, & is postea meus effectus est: neutrum valet: quia libertas inutiliter data est, ita *Florentin. in l. 49. ff. de hared. inst.* & ibidem *glos. verbo data* sic. Nota quod ab initio non valet, non potest postea valere: licet recidat in eum casum, a quo incipere potest. Et a contrario, quod ab initio valet, non potest postea non valere licet perueniet ad casum in quo non validum est iuxta quod decidit *Papin. in l. 32. ff. de donat.* Donationes, inquit, in concubinam collatas non posse reuocari conuenit, nec si matrimonium inter eosdem postea fuerit contractum ad irritandum recidere potest, quod antea iure valuit.

Variatio.

Est erubescenda in iudicibus, *vt in l. vlt. in fin. C. de mod. mult.* ibi. Aut erubescenda veritate iudicij pro arbitrio immutandum esse, quod iusserint &c. & in personis Ecclesiasticis, dicit *Clem. vnic. de renunc.* ibi. Cum illusio, & variatio maxime in personis Ecclesiasticis sint vitandæ. In testibus variatio falsificati comparatur *l. Qui falso, vel vario ff. de test.* Et varietas locorum reprobat testes vt in Daniele, & Suzana; Item & temporis, prout notauit *glo. vlt. in l. Ob carmen 21. §. 1. eod. tit.* Et addit hoc determinat Io. vt tunc habet locum, quando de certo tempore est quæstio, quod exigitur ad alicuius facti existentiam &c.

Et quod varianti non credatur, probat *glos. verbo variauit in cap. Dilectus 13. de temp. ord.* ibi. Variauit, vnde non erat ei credendum. Non etiam audiendum esse, qui variauit, tenet *glos. per text.* ibi. Quasi variando *in capit. dilectis 55. de appellat.* dicens sic. Vnde non debuit audiri.

Is, qui de peculio egit, cum posset, quod iussu, in ea causa est ne possit, quod iussu postea agere, inquit *l. 4. §. vlt. ff. quod cum eo.* Nec posse si commissoriam elegia postea variare, ait *l. 4. §. 1. ff. de leg. commiss. vbi glos.* dicit sic. Non permittitur variare, *& in l. 7. eod. tit.* ita. Post diem Commissoriæ legi præstitutum, si venditor pretium petat legi commissoriæ renunciare videtur, nec variare, & ad hanc redire potest. Licet enim reus possit variare ante litem contestatam, quoties vult iuxta *l. Eum qui certarum 138. §. cum pure ff. de verb. oblig.* non tamen in actore hoc procedit, vt per *gl. verbo consumit in l. Si is, qui 66. ff. de procur.*

In electione, vel declaratione non licere variare probat *l. statuliberum 11. §. 1. in fin. ff. de legat. 2.* ibi. Cum autem semel dixerit hæres vtrum dare velit, mutare sententiam non potuit. Sed de hoc videas optimam *glos. vlt. in capit. Gratia 7. in addit. de rescript.* vbi magistraliter distinguit.

Ex variatione præsumi deceptionem expresse deducitur *ex l. Sed & si pupillus 11. §. pen. ff. de instit. act.* ibi. Sed si alias cum alio contrahi vetuit, continua variatione danda est omnibus aduersus eum actio: neque enim decipi debent contrahentes, *vbi glos. ait*. Nota contra variantes, vbi alia allegat iura, & respondet remissiue ad contraria.

Et quod non liceat variare, inquit *glosa verbo authoritas in l. vlt. ff. de diuort. & cap. 2. de rescript.* sic ne fraudi locus forsitan relinquatur si circa ea possit libere variare. Et sic nota varietatem non

ad-

admitti, dicit *glos verbo. Ex poenitentia in l. vlt. §. tales C. de furt. & seru. corrupt.* & merito, quia alias variatio, iniquitas appellatur, sic enim *glos. verbo iniquitates in l. Si quis 11. C de reb. cred.* ait. Variationem, iniquitatem appellat.

In opinionibus tamen multoties variant homines, & sibi sunt contrarij etiam grauissimi: nam & Papinianum acutissimum variasse dicitur *in dict. l. vlt. §. Sed cum in secundam C. de furt.* ibi. Et ab ipso Papiniano in contrarias declinante sententias &c. Sed & ipsae leges saepe variatione mutantur, vt per *Imp. in Auth. de ijs, qui ingred. ad appell. coll. 5.* ibi. Volubile hoc, & humanum, & quod manere idem nunquam valet, sed fit quidem semper, manet autem nunquam, & legislationibus introducit aliquem tumultum, & ijs, quae videntur se habere recte, & firma posita, iudicantur. Sed & ea, quae subtili obseruatione cauta sunt, plerunque emergentium varietas causarum. *Et in Auth vt defunct. seu fun. eor. coll. 1. in princip* sic. Qui varietatem causarum conijciunt, non facile ad culpam veniunt, si veritatem examinent, quoniam namque verisimile est multitudinem legum, quae per singula à nobis adijciuntur, culpare; non considerantes: quia opere semper notante, consonas causis leges compellimur: cum semper inopinabile emergat, & alijs, quae iam posita sunt, mederi nõ valeat &c.

Quapropter non nunquam praetor varietatem non repellit, & consilium mutantis non aspernatur, vt dixit *Papinian. in l. 8. ff. de collat. bon. vbi glos. verbo. mutantis* ait. Vnde dicitur sapientis est mutare consilium, & ibidem *Apostill. ex Cic. Epist. lib. 1. pen. epist.* sic. Nunquam praestantibus in republica gubernanda viris laudata est in vna sententia perpetua permansio &c. quamplura, & optima, quae videas, Vnde dicit *glosa vlt. in l. Ante 16. ff. de procurat. in fin.* Variare quandoque licet.

Et nota, quod diffidentia Iuris permittit variare, vbi non est ius alteri acquisitum, sic ait *glos. verb. diffidere in capit. Bonae 4. de postulat. Praelat. & glo. vlt. in cap. Nosti 9. de elect.* sic. Circa negotia distingue, si ex mutatione nulli fit praeiudicium, licitum est mutare. Vbi ex mutatione alteri fit praeiudicium, adhuc re integra licitum est mutare &c Re non integra non potest, & *glos. verbo libertus in l. 1. ff. de iur. Aur. Anul.* ita. Nota variationem admitti: nam quoad quid est libertus, quoad quid non. Et ibidem *Apostil.* distinguit sic: tu dic quod permittitur circa prorsus diuersa, non circa, idem, vel connexa.

In tempore certo, & limitato à Iure, locorum varietas varietatem Iuris non inducere. Inquit *glos. verbo commodè post med. in capitul. Cupientes 16. de elect. lib. 6.*

Si de statu alicuius varietas interueniat posteriora tempora expectari conuenit. Ita disponitur *in l. si mater in fin. C. Ne de stat. def.* & idem est atque dicere, quod attenditur vltimus status, in quo reperta est illa, de cuius opinione dubitabatur, an ingenua, vel Ancilla esset, & concordat *capit. 3. cum glos. verb. vlt. de. causa possess.*

Vassallus.

Quomodo iste quam humiliter, quam deuotè, quam benignè, quam fideliter erga Dominum suum debeat se habere: prius ex naturalibus, & bonis consuetudinibus potest percipi, quam lege, ita inquit *cap. vnic. in quib. caus. feu. amitt.*

Qui Domino suo fidelitatem iurat, ista sex semper in memoria habere debet incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile. Incolume, videlicet ne sit in da-

damnum Domino suo, de corpore suo. Tutum ne sit ei damnũ de secreto suo, vel de munitionibus, per quas tutus esse potest. Honestum, ne sit ei in damnum de sua iustitia, vel de alijs causis, quæ ad honestatem eius pertinere videntur. Vtile, ne sit ei damnũ de suis possessionibus. Facilè, vel possibilè, ne id bonum, quod Domino suo facere leuiter poterat, faciat ei difficile: neuè id quod possibile erat reddat ei impossibile, sic ponitur *in cap. de forma 23. q. 5.* & infr. prosequitur Dominus quoq; fideli suo in his omnibus vicem reddere debet, quod si non fecerit merito censebitur male fidus: sicut ille; qui in eorum præuaricatione, vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit. perfidus, & periurus: quæ omnia inueniuntur *in c. vnic. de form. fidel. in vsib. feud.* est alia de nouo fidelitatis modo habes *in tit. seq. de nou. form. fidel.*

Sed consueuit quæri quod auxilium domino vassallus prestare teneatur? Nunquid salutem suam debebit præponere saluti domini sui? *Arg. est* quod postponere debetur ad *Syllan. l. 1. §. Hic autem quæritur vers. Serui*. Sed puto contra fore censendum: quia non tantum ius habet dominus in vassallo, vt in seruo licet dicatur contrarium infra. Ita ponit *glos. 1. in cap. 1. quib. mod. feud. amitt.* Sed reprobatur per scribentes hic. Generaliter verò vassallus contra omnes debet dominũ adiuuare, etiam contra fratrem, & filium, nisi contra alium dominum antiquiorem: prout dicit *glos. verbo Contra omnem, in c. Vnic. de nou. form. fidel.* Vide etiam ibidem *glo. verbo Iustè*, vbi tractat an teneatur dominũ iuuare volentẽ iniustè aliquẽ offendere: de quo etiam dixit *verbo Bellũ*.

Istud valdè notandum est, quod sicut priuatur vassallus feudo propter culpam: ita quoque priuari debet dominus proprietate propter eamdem culpam, vt ait *glos. verbo Iustitiam, in c. Item qui dominum, quæ fuit prim. cau. benef. amitt. per tex.* ibi. Quod si quis suo domino iustitiã facere noluerit, feudũ, quod tenebat perdet. Vassallo namq; tenetur vicẽ reddere dominus, vt sup. proxime; & fuit dictum *verbo Dominus vers. Istud ergo.*

Vassallus si feudum, aut feudi partem, aut feudi conditionem ex certa scientia inficiatur, & inde conuictus fuerit, eo quod abnegauit feudum eius, vel conditionem ex certa scientia inficiatur, & inde conuictus fuerit, eo quod abnegauit feudum eius, vel conditionem, expoliabitur. Ita *cap. Vassallus si de feud. def. & in cap. si vassallus pen. eod.* hæc. Vassallus feudum, quod sciens abnegauit, amittit, ignoranti vero subuenitur: Idem in *cap. vlt. de leg. Corrad. glo. vero in d. c. Vassallus, verbo scientia* ita inquit. Quod hic dicit de scientia intellige sic, vt crassa, & supina ignorantia non sit excusata &c.

An perdat vassallus feudum si loquatur inhonestè cum vxore domini? quærit *Apostil. in cap. 1. quib. mod. feud. amitt.* Et respondet quod non, reddens rationẽ: quia non tam turpe est colloquium, quàm tactus. De reuerentia vero quã tenetur vassallus domino præstare, dixisti *verbo Reuerentia*.

Postquam dixit *glos. verbo imperari, in l. Idonei, ff. de test.* quod Abbas poterit imperare Monacho, vt ferat testimonium pro collegio quærit ibidem Additio sic. Quid autem de vassallo? & respondet ita, dicit Guliel. &c. quod iuramentum fidelitatis est species seruitutis.

Ex ratione *L. 4. §. pen.* ibi. Nec esset noua concessione domini opus *ff. de pecul.* argumentatur *glos. ibid. verbo Manet*, ita. Et sic sunt arg. pro vassallo, qui fecit felloniam, & ei à domino est remissa, quod videtur habere feudum ex veteri concessione: vnde trasmitteret ad agnatos si sine liberis decederet; & ad hoc facit *De lib. & Posth. l. filium quem, & sup. de pact. l. si vnus, §. quod & in specie*.

Si sis meus vassallus, & ego illius; non sequitur: ergo tu illius, ita *glos. vlt. in l. Claudius Felix 17. ff. qui potior. in pign.* Et *glos. in l. Modestinus 105. per text.* ibi. Libertum libertæ non contineri *ff. de verb. sign.* sic. Item nota hic argumentum quod vassallus vassalli, non est primi vassallus.

Venditio.

HVius appellationem generaliter accipere debemus, inquit *l. Sicut 8. §. venditionem ff. quib. mod. pig. sol.* vbi *glo.* sic. Nota appellatione venditionis omnem contractum contineri, ex quo dominium transfertur vt hic &c. vnde dicit *glos. verb. Idem iudicium, in cap. 2. de postul.* sic. Nomen venditionis ad alias alienationes extenditur. Quod si quis in dotem dederit vendidisse in hoc quoque casu recte videtur, non solum, quia dominium transfert, sed & propter onera matrimonij, *vt in d. l. Sicut 8. §. Sed & si promiserit. ff. quib. mod. pig. sol.*

Non posse quem compelli ad vendendum, nemo est, qui nesciat *ex l. Inuitum 11. C. de contrah. empt. l. Nec emere, C. de iur. delib. l. 9. ff. rer. amot.* ibi. Non enim æquum est inuitum suo pretio res suas vendere, *& l. vtilium 8. ff. de imp. in reb. dot.* ibi. Iniquum esse compelli mulierem rem vendere, vt impensas in eam factas soluat, si aliunde soluere non potest. Sed in aliquibus casibus poterit quis cogi, quos refert ex iuribus *glos. in d. l. Inuitum,* & vltra eos notauit *glos. verbo Compellere per tex. in l. Si quis 12. ff. de relig. & sumpt. fun.* ibi. Præses etiam compellere debet iusto pretio iter ei præstare: sic dicens. Nota ergo, quod cogitur quis vendere &c. Et tu insuper notabis, quod ex eo, quia coactus vendit, non debet vendere maiori pretio, sed iusto; vt proximè ait tex. Nam idem est non vendere, ac velle vendere vltra iustum pretium, prout inquit *glos. verbo Non vendat in §. Libertas de sing. reb. per fid. relict. in inst.* ibi. Non vendat, vel etiam si vendat, sed vltra iustum pretium vendere vult, *& glos. verbo Immodico,* sic. Nota non vendere, vel immoderato pretio vendere æquipollent *in l. Non dubium 14. ff. de legat. 3. per tex.* ibi. Si redimere non possit, quod dominus non vendat, vel immodico pretio vendat: iustam æstimationem inferat.

Si defunctus, dum viueret, res vænales habuerit, testamento tamen non cauerit, vt distraherentur; abstinendum erit à venditione. Non enim vtique quod ipse voluerit vendere, idem etiam postea distrahendum putauit, ita *Vlpian. in l. 1. §. pen. ff. de reb. cor.*

Quemadmodum in emendo, & vendendo naturaliter est concessum, quod pluris sit minoris emere, quod minoris sit, pluris vendere, & inuicem se circumscribere, ita & in conductionibus, sic ait *l. Item si pretio 25. §. vlt. ff. locat.*

Nota quod si venditio fiat sub pacto, ne tale quid fiat, etiam illud venit prohibitum, per quod ad illud peruenitur, iuxta *l. vlt. C. si mancip. ita fuer. alien.* in illis verbis. Eam, quæ ita vænit ne corpore quæstum faceret: nec in caupona sub specie ministrandi prostitui, ne fraus legi dictæ fiat, oportet, & ibi *glos. vlt.* sic. Cum ergo aliquid prohibetur, & id per quod peruenitur ad illud.

Antequam possessionem vacuam tradat venditor, custodiam, & diligentiam præstare debet. Et pars est diligentiæ, custodiæque, hanc interponere stipulationem, ita *l. venditor 37. ff. de act. empt.* In his vero, quæ affirmauerit venditor eo videntur pertinere, ne ab eo amarè exigantur, sed cum aliquo temperamento, prout dicit *l. Quod venditor 18. ff. de ædil. ed.*

Venditionem rerum Fisci, Ecclesiæ, & mino-

noris non fieri habita fide de pretio habes supra verbo. *Fiscus*.

Actionis venditionem fieri etiam ignorante debitore, vel inuito, cuius nomen venditur; secus vero esse in delegatione, quæ fit consentiente demum debitore, ait *glos. verbo Nominis in l. 3. C. de hered. vel act. vend.* vbi inuenies diuersitatis rationem.

De simulata venditione, quæ sit? habes remissiue *per Apostill. ad l. Emptor 32. ff. de acqu. pl.* Et alia de materia venditionis verbis. Emptio, & culpa.

Venia.

LIcet humiliatis, & pœnitentibus locum veniæ negare non debeamus, iuxta *cap. Quanto 2. quæst. 4.* Dilecti enim veniam pœnitentibus damus, vt dicit *l. Manichæos C. de hæret.* Cum nulli homini claudenda sit misericordia sicut nulli peccatori impunitas relaxanda *cap. Duo ista 23. quæst. 4.* & quia venia non datur, nisi contrito, & correcto; quomodo enim gaudebis te fuisse correctum, nisi doleas te fuisse peruersum? prout ait *glos. vlt. in cap. 2. de elect.* Et maxime quando temeritas facilitatis, & inconsultus calor, calumniæ vitio careat, & veniam contineat iuxta *l. Accusatorum ff. de abolit.* canonizatam *in cap. si quem ante med. 2. quæst. 3.* Et quia inhumanum esset si nulla admitteretur veniæ ratio *l. furti §. si quis in fin. ff. de his, qui not. infam.* Tamen in venia concedenda facilitas abesse debet, ne incentiuum tribuat delinquendi, *ad cap. vt clericorum 13. de vit. & honest. cler. & in l. Si operis 14. C. de pæn.* sic. Cum non remitti pœnam publice intersit, ne ad maleficia temere quisque prosiliat, *& in capit. est iniusta in fin. 23. quæst 4.* ibi. Facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi coniunctis his, quæ *in capit. seq. Et in Extrauag. 3. de pænit. int. comm. in princ.* ibi. Id tamen propensiori studio præcauendum esse censemus, ne cuiuslibet indulgentiæ, remissionis, vel facultatis obtentu, Christi fideles, procliuiores ad illicita in posterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentiuum coniuncta *Extrauag. vlt. eod. tit.* a quibus deduxit *gl. verbo Exemplum in capit. 3. de translat. Episc.* Non enim omnis qui parcit, amicus est; nec omnis, qui verberat, inimicus, meliora sunt vulnera amici, quam blanda oscula inimici: Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere: vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat, vt per *Aug. in cap. Nimium 23. quæst. 4. & ead. cau. quæst. 5.* ita. Non putes te tunc amare seruum tuum, quando eum non cædis &c. Cum in corripiendo filium, quantumuis aspere, nunquam paternus amor amittatur, *vt in capit. Non vos hominum post med. ead. cau. & quæst.*

Remissio peccati non dat licentiam delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impunè committi: ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iusta postmodum vltione plectamus. ita dicit *Leo Pont. in cap. Exigunt 1. quæst. 7.* Nec tollit infamiam, *vt in l. vlt. C. de general. abolit.* ibi. Indulgentia (patres conscripti) quos liberet notat, nec infamiam criminis tollit; sed pænæ gratiam facit cum quo cõsonat illud *Ouid. de Ponto*.

> *Pæna potest demi, culpa perennis erit.*

Sic licet offensus teneatur rancorem remittere, & veniam offendenti concedere, tamen satisfactionem non tenetur

remittere, etiam quoad Deum, vt tenet *glos. verbo satisfactionem in cap. 2. de re iud. lib. 6.*

Datur venia valetudini, affectioni parentum, & affinium *in l. Desertorem 3. in fin. ff. de remil.* & subiungit, sed & ignoranti adhuc disciplinã, & tyroni ignoscitur; Sed & veterano, inspecto eius præcedentis vitæ actu, venia dabitur; *vt in d. l. Desertorem vers. is, qui*, Nec in alijs circa supremam voluntatem, imperitiæ venia datur, quam in bonis militum *l. Impuberi 41. ff. de adm. tut.*

Venia dignus est, qui alieno morbo laborat, ita notauit *Apostill. per tex.* ibi: Mouente misericordia, qua indigni nó sunt, qui alieno laborant vitio *in l. Legem Anastasij C. de nat. lib.* & concord. *glos. verbo inutilem in cap. In nostra de procurat.* Simplicitati etiam deberi veniam, dictum est verbo *Simplicitas*.

Verba.

Institута sunt, non vt per ea se inuicem homines fallant, sed vt eis quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat; verbis ergo vti ad fallaciam non ad quod sunt instituta, peccatum est, ita *Aug. in Enchirid. relatus in cap. Is. autem 22. quæst. 2.* Deus enim duplicitatis aspernator, simplicem intentionem vniuscuiusque considerat, & tam ex parte recipientis, quam ex parte præstantis, verborum artem aspernatur, & odit *vt in cap. Peierare 22. q. 5.* Et secundum hanc veram prudentiam, quæ à Deo est, vt simplex intentio, & non verba attendantur, non solum Ecclesiæ Principes, verum etiam huius sæculi decreuerunt constituendo, quod ad mentem potius, quam ad verba attendatur, vt iustitia suum sortiatur effectum: perlege *cap. secundo requiris 41. de appellat.* & inuenies secundum beatum *Gregor.* verba intentioni deseruire, nec aliam Pontificum esse intentionem, nisi quod iustitia suum consequatur effectum. In legibus, & si verba earum habeant vnum sensum, vel intellectum, tamen si Legislatoris mens aliud vult, id obseruatur iuxta *l. Scire oportet 15. §. Aliud ff. de excusat. tut.* ibi. Sed & si maxime verba legis hunc sensum habeant, tamen mens Legislatoris aliud vult. Sic & in legibus priuatis, hoc est priuilegijs, obseruandum dicis verbo *priuilegium vers. & semper.* In legibus attestatoribus conditis, mens eorum, & non verba, attenditur. Non enim in causa testamentorum ad verborum definitionem vtique descendendum est, cum plerunque abusiue loquãtur, nec proprijs nominibus, ac vocabulis semper vtantur, vt *in l. Non aliter 67. §. 1. ff. de legat. 3. & in l. Cū de lanionis §. Asinam ff. de fund. instr.* ibi optimum ergo esse Pedius ait, non propriam verborum significationem scrutari: sed inprimis quid testator demonstrare voluerit, &c. *& in l. 3. §. Conditio legati ff. de adim. legat.* ibi: Sed melius est sensum magis, quàm verba amplecti, *l. Pater Seuerinã 101. ff. de cond. & dem.* ibi. Cum in conditionibus testatorũ voluntates potius, quam verba, considerari oporteat *l. Generaliter 24. in fin. ff. de fideic. lib.* ibi. Non enim verba tantum fideicommissi, sed & mens testatoris tribuere solet libertatem fideicommissariam. Cum enim sensus testatoris adest, verborum interpretatio nusquam tantum valet, vt melior sensu existat, *vt per Imp. in l. 3. C. de lib. prater. & notauit glos. verbo sequeretur in l. Etiam si 8. C. de iur. dol.* ibi. Nota argum. Sensum non verba spectari, *& glos. verbo monasterio in cap. vlt. de success. ab intestat.* ibi. Et quælibet verba, per quæ declaratur intentio testãtis, sufficere videntur, &c. nemo enim æstimandus est dixisse, quod non mente

co-

cogitauit, quod adeo verum est, vt si non verum esset, quod testator existimauit, adhuc verba seruient intentioni eius; licet falsæ prout optime dixit glos. per tex. ibi. in l. Quo loco 20. §. vnic. ff. de hared. inst. verbo Alterum assem ibi. Et not. hic argum. quod verba intelligenda sunt, sicut si verum esset, quod testator verum putauit, cum non erat. Nec etiam falsa verba testantis præiudicare veritati, notauit glos. verbo interesse in l. Seia 28. ff. ad Velleia. per l. Si quis in graui §. 1. ff. ad Syllan.

Sic & in contractibus magis sensum, quam verba spectari, notat glos. in l. Sed Celsus §. 1. verbo sequendum ff. de contrah. empt. per tex. ibi, In emptis enim, & venditis potius id quod actum, quam id quod dictum sit, sequendum est. Magis enim res, quam verba intuenda sunt, inquit l. Promittendo ff. de iu. dot. & in l. Si quis 9. C. qua res pig. ita. Cum sit iustum voluntates contrahentium magis, quam verborum conceptionem inspicere super qua generali hypotheca, illud quoque ad conseruandam contrahentium voluntatem, sancimus vt si res suas supponere dixerit, non adiecto tā præsentes, quam futuras: ius tamen generalis hypothecæ, etiam ad futuras res producatur. Et plus dicit glos. verbo sed transactio in l. Si vno 17. ff. locat. quod ex qualitate contractus verba accipiuntur contra propriam significationem per text. ibi. & in l. In lege eod. tit. Nec verborum gemminationem sensum augere, inquit glos. verbo adiectum in l. Cum pater 11 ff. de pact. dotal. vbi etiam arguit contra. Nec mutat substantiam rerum non necessaria verborum multiplicatio l. Pediculis 36. §. Labeo ff. de aur. & arg. leg.

Sed quid dicendum ad l. Iurisgentium §. Pactorum ff. de pact. inquit enim. Non minus ex verbis, quam ex mente conuenientium æstimandum est, & ff. de transact. l. De his controuersijs, quæ ex testamento proficiscuntur, neq; transigi, neque exquiri aliter veritas potest, quam inspectis cognitisq; verbis testamenti. Facilis tamen est respōsio, quod scilicet quando constat de voluntate, & sensu testantis, & paciscentium, non esse curandum de verbis. Et ita procedunt iura sup. relata, Si verò non constat, tunc ad verba recurrendum, & ita voluit Marcellus in l. 67. ff. de legat. 3. dum ait. Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem, & in l. 1. §. si is, qui nauem ff. de exercit. act. ibi. In re igitur dubia, melius est verbis edicti seruire, vbi glo. notat dicens mirabile verbum, in dubijs standum esse verbis legis &c. testatoris & paciscentium, idem voluit etiam glo. verbo. Non omnino in l. 1. §. Eum, qui ff de const. pec. dum interrogat, & respondet sic. Sed qualiter sciam, quod stipulari sibi voluerit, non constitui? Resp. ex verbis, quæ præcesserunt &c.

Quandoque igitur sola verba spectantur, Quandoque vtrunque si scriptum voluntati adaptatur. Alias si verba prorsus discrepent a voluntate non valent, prout dicit glos. verbo magis in l. Cum virum C. de fideic. cuius tex. verba sunt. Quoniam in fideicommissis voluntas magis, quam verba plerunque intuenda sunt. Nam in conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones, vt dixit Vlpian. in l. In conditionibus 19. ff. de cond. & dem. Et Imp. in l. 2. C. com. de legat. ibi. Sic igitur (secundum quod diximus) ex omni parte uerborum non inefficax uoluntas &c. & in fin. ibi. Nos enim non verbis: sed ipsis rebus leges imponimus, coniuncta glos. vlt. ibi. Id est sensum, non verba spectamus. Quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus, inquit cap. Intelligentia 6. de verb. sig. & in cap. Propterea 8. ibi. Quia plerunque dum

dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur, *& in cap. In ijs 15. eod. tit.* ibi: Cum non intentio verbis, sed intentioni verba debeant deseruire. Intentio enim præ omnibus attenditur siue in contractibus siue in vltimis voluntatibus per iura, quæ *glosa verbo nec intentio in Extrauag. 3. de verb. sig.*

Cum in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio, ita inquit *l. Ille aut ille 25. ff. de legat. 3.* Si vero non constiterit de voluntate mente, vel sensu disponentis, ad communem verbi intelligentiam recurrendum, & cogendus quisque est verba prolata in illo sensu retinere, quem solent recte intelligentibus generare, vt dicitur *in capit. Ex litteris de sponsf. vbi videas glos. de materia.*

Sed & si adhuc de mente satis non constat, ad ordinem verborum potest recurri, vt notauit *Apostill. per tex. ibi in capit. Si quis 46. de elect. lib. 6.* dicens sic. Ex ordine verborum: præsumitur ordo intellectus, & tex. verba sunt. Vel si concordare nequeant, is qui primo in instrumento, uel literis procurationis extiterit nominatus: & facit *glos. verbo trãsportantes in capit. Cum dilecta 22. de rescript.* ibi. Et ordo uerborum ostendit ordinem processuum.

Nil interest an inhibeatur primo, an secundo, in medio an in fine, cum sicut utriusque iuris argumenta nos docent, ea, quæ in principio ad medium, & ad finem, illa uero, quæ in medio ad finem atque principium referri contingat, ita dicitur, *in cap. secundo requirls 41. de appellat.* & facit *l. 1. ad fin. C. de lib. præter l. 3. §. Filius ff. de lib. & post.*

Verba cum effectu esse intelligenda, dicit *glos. vlt. in cap. 3. de pact. & probat cap. relatum 4. de cler. non resid.* ibi. Cum igitur uerba sunt recipienda cum effectu. *Et Vlpian. in l. Si per alium 5. §. docere ff. ne quis eum* ibi. Quoniam uerba cum effectu sunt accipienda, *& glos. verbo facit in l. legitimos 5. ff. de leg. tut.* ibi. Iura considerant effectum, non formulam uerborum, *& in l. si filio 5. §. 1. ff. quod cum eo.* ibi. Nota hic effectum piusquam uerba attendi, ubi alia iura, quibus adde *l. 1. §. vlt. ff. quod quisq; iur.* ibi. Hæc autem uerba; Cum statuerit &c. Cum effectu accipimus, non uerbo tenus &c. Nam uerbum, statuerit, rem perfectam significat, & consummatam iniuriam, non ceptam &c. Quid enim obfuit conatus, cum iniuria nullum habuerit effectum? a qua deduxit *estat. glos. vlt. in cap. 3. de pact.* ibi. Item nec sufficit uoluntas, nisi sequatur effectus. Re enim non uerbis peculium augendum esse ait *l. 4. ff. de pecul.* unde plus est delinquere facto, quam uerbo, *vt per glos. in cap. bona 23. de elect. verbo causis.*

Verbum generale omnia comprehendere probat *l. si seruitus 22. ff. de seruit. vrbi* ibi. Humanius est uerbo generali omne lumen significari, siue quod in præsenti, siue quod post tempus conuentionis contigerit. *Et glos. verbo Dati in l. Naturalis 5. ff. de praescript. verb.* ibi. Nam & uerbum, res, & facta comprehendit, cum sit generale, *vt sup. si cert. pet. l. 1. in fin.* & idem esse in æquipollenti generali, ait *glos. verbo quemquam in Clem. 3. de sepult.* ibi. Quemquam &c. Cum hoc uerbum iuris æquipolleat uniuersali, & extendatur in edictis prætoris: licet dicat *glos. vlt. in cap. sua nobis 63. de appellat.* quod uerbum generale sæpe restringitur, *& glos. verbo discrimine in addit. §. vlt. de libertin. in Inst.* ibi. Nota quod licet uerba sint generalia, restringi tamen possunt, & debent per aliam legem specialiter loquentem.

Verba præsentis temporis quomodo intelligantur, dixisti *sup. verbo Tempus.* Notabis tamen, quod uerbum præsentis temporis, nec ad præteritum, nec ad futurum proprie trahi potest, ut dicit *glos.*

glos. verbo Adsint in Extrauag. 1 *.de elect.* Et nec semper verba de præsenti habere consensum de præsenti: *Apostill. ad cap.* 1. §. 1. *de despons. impub.*

Imperatiui verba licet necessitatē importent, tamen quando alicui imperatur aliquid, quod eius priuatam vtilitatem continet, talia verba habent vim consilij, vt notauit *glos.* 1. *in addit. in l. Age cum* 3. *C. de transact. per text.* ibi. De verbis autem importantibus necessitatem ponit *glos. verbo Voluntatis in Extrauagant. vnic. de cens. inter comm.* dicens, voluntatis, & præcepti, iniungimus, volumus, decernimus, censemus, vbi affert iura. In testamentis etiam verba consilij importare necessitatem, & idem verba suasoria, notauit *glos. verbo Consilij per text. ibi in l. Cum pater* 79. §. *mando, ff. de legat.* 2. *& glos. verbo reuocari in cap. vnic. apud quem, vel quos contra feud. defin.* sic. Hic notandum est verbum necessitatis pro possibilitate poni, & pro consilio sicut, & alibi &c. sicut è contra verbum consilij ponitur pro necessitate vt &c. & quod verbum, oportet, etiam non importet necessitatem, *not. glos. verbo Creditores, in l.* 1. *ff. de ventr. in poss. mitt.*

Verba infinitiui modi etiam ad futurum respiciunt, & ideo dicuntur infinita, quia omne tempus respiciunt, ita *glos. verbo Daturum, in l. stipulationem* 5. §. *stipulatio, ff. de verb.* Sed considera, an procedat hoc tantum quando ad infinitiuum adiūgitur verbum futuri temporis, *per glos. verbo facere in Extrauag. vnic. ne sed. vac.* ibi: Quia infinitus modus, quæ de præsenti sunt denotat, nisi subiungatur verbum futuri temporis.

Verbum simpliciter positū ad futura tempora trahi, & generaliter intelligi, ait *glos. verbo In perpetuum in cap. ex litteris* 11. *de constit. & verbo Simpliciter in cap. Præterea* 5. *de offic. delegat.* ibi. Et, sic est argumentum, quod verbum simpliciter positum generaliter intelligitur.

Plurale verbum geminare significationē singularis, inquit *glos. vlt. per tex.* ibi in *l.* 2. §. *vlt. ff. de cond. inst.*

Obscurum verbum positum in vno capite declaratur, vel interpretari potest per verba posita in sequentibus capitulis, vt notauit *Apostill. ad l. Verbum* 26. *ff. de petit. hæred. per tex.* ibi. Et verbum quidem (peruenisse) ambiguum est. Solum ne contineat, quod prima ratione fuit, an vero & id, quod durat? Puto sequentem clausulam senatusconsulti sequendam, quem tex. prædicta Apostilla dicit notabilem, ex *Bart.* & comprobat *per l. Quemadmodum, ff. ad l. Aquil. & §. Hoc tamen capite, eod. tit. in inst.*

Testatoris autem verba in dubio debent intelligi ita, quod nō sit in cōstructione peccatum, vt ponit *Bart. in sum. l. Plautius* 9. *ff. de aur. & arg.* Et in contractibus, dicit idem *Bart. etiam in summ. l. si cui* 9. *ff. de seruit.* Quod verba debent ciuiliter intelligi per text. ibi. Ciuili tamen modo &c. non tamen debet attēndi ad subtilitatem verborum, audi *Iulian. in l.* 20. *ff. si cert. pet.* Si tibi (inquit) pecuniam donassem, vt mihi eandem crederes an credita fieret? Dixi in huiusmodi propositionibus non proprijs verbis nos vti. Nam talem contractū neque donationem esse, neque pecuniam creditam. Donationem non esse: quia non ea mente pecunia daretur, vt omnimodo penes accipientem maneret. Creditam non esse: quia exoluendi causa magis daretur, quam alterius obligandi. Igitur si is, qui pecuniam hac conditione accepit, vt mihi in creditum daret; acceptam dederit: non fore creditam, magis enim meum accepisse intelligi debeo. Sed hæc intelligenda sunt propter subtilitatē verborum: benignius tamen est vtrumque valere ex ratione *l. vnic. C. vt act. ab hæred.* ibi. Ne propter nimiam subtilitatem

tatem verborum voluntates contrahentium impediantur.

Contra reum verbum dubium interpretãdum esse tenet *glos. verbo dubium, in cap. In præsentia de probat.* per iura quæ ibidem affert, & respondet ad contrariũ disponentia.

Plerumque in stipulationibus verba; ex quibus obligatio nascitur, inspicienda sunt: raro autem inesse tempus, vel conditionem ex eo quod agi apparebit intelligendum est; personam nunquã, nisi expressa sit. Sic *l. si ita 126. §. Grisogonus ad fin. ff. de verb.*

Hæc verba stipulationis, quod amplius legatorum nomine ceperis, quam ex lege Falcidia capere licebit: non tantum eum comprehendunt, qui amplius acceperit, quam ei falcidia permiserit, reddat partem, & habeat partem: verum etiam eum, qui totum debet restituere: ita *l. 1. §. hæc, ff. si cui plusquam, vbi notat Apostill.* sic. Verbum, amplius, exclusiuum est, & argumentatiuum; *& glo. verbo ratio*, addit ita. Sic è contra, minus quod nihil est. Et in *l. amissi 53. ff. de fideiussor.* de verbo, Quanto minus, sic. Istis enim verbis etiam totum conuenit contineri.

Verbum, præsertim: quandoque tenetur comparatiuè, aliquando tenetur præcisiuè, vt pro tantum: ita *glo. verbo præsertim in Extrauag. vnic. de dol. & contum.*

De verbo, quasi, sunt duæ *glos.* in contrarium vna in *l. Diuortio, §. si fundum, ff. solut. matrim.* ibi. Dic quod dictio, quasi, notat vitium, non autem est expressiua veritatis: altera in *l. si ante, verbo quasi, ff. eod. tit.* ibi. Illud, quasi, est expressiuum veritatis, & debet intelligi secundum subiectam materiam.

Equiparantur ista duo, verbo aliquid proferre, vel scripto, sic dicit *glo. in Extrau. vlt. ad finem, verbo vel scripto, de verb. sig.*

Vbi requiritur verbum, non sufficit factũ prout notat *glos. verbo vadat, in cap. ab eo 6. de appellationib. lib. 6. per text.* ibi: Petere prætermittat, etiam si vadat, aut mittat.

Verbum, ritè, denotat solemnitatem iuris: rectè verò, iustitiam; sic *supra de mil. test. in princ. & glos. in l. hoc colore, de inoff. test.* ita ponit *Apostil. ad glos. verbo exhæredati, in §. Emancipatos de exhæred. liber. in Instit.* Et latiùs fuit supra dictum his verbis.

Non mirum, quod verbum semel positũ ad duo diuersa referatur, sic dicit *glos. verbo & ipse in Auth. vt null. Fabr. Orat. coll. 5.* & conducit, quod inquit *glos. in l. 2. C. de bon. vac. lib. 10. verbo Hoc verbo*, ibi. Et sic nota verbum pro oratione poni ita in pauca verba pro vna columna. Verba enim superflua penitus esse reijcienda censemus; quid enim verbis opus est, quæ rerum effectus nullus sequitur, vt inquit *l. vlt. C. de donat.*

Verba volucre, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum esse, inquit *D. Hieron. in epist. ad Nepotianum*, & subdit nihil tam facilè, quàm vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, miratur.

Ad hæc submissiora verba veniendum est. Facilius intrant, sed hærent: nec enim multis opus est, sed efficacibus: seminis modo spargẽda sunt, quod quamnis sit exiguum, cum occupauit idoneum locum, vires suas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur: idẽ facit ratio. Ita dicit *Senec. epist. 38.*

Nolo verbis contendere, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium, vt dicit *August. lib. 12. Confess. cap. 18. vnde glos. in l. 2. ff. de alien. Iud.* affert ex Catone hos versiculos.

Contra verbosos noli contendere verbis,
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Et licet verba perdere leue sit, vt aliàs dixit *glos. verbo & actionis, in cap. quibusdam 1. q. 1.* Tamen non ideo caret culpa,

pa, & multoties non sufficit pœnitentia, nam volat emissum semel irreuocabile verbum, vt refert *glos. verbo iusta causa in cap. vlt. de Iur. iur. lib. 6.*

Maiori cum ratione prædicta procedunt in verbis Principum, & Prælatorum, quæ debent esse firmissima, & irreuocabilia, etiam si sine iuramento sint, vt notauit *Innoc. relatus per glos. verb. deierauit, in cap. 2. de sent. & re ind. lib. 6.*

Verba enunciatiua propter aliud emissa, vim irreuocabilis confessionis non habent, sic summat *Bart. l. qui familiæ 38. ff. fam. hercisc.* & Textus sic. Qui familiæ herciscundæ iudicio agit, non confitetur aduersarium sibi esse cohæredem.

Verba, quæ sunt ordinata ad negandum, vel priuandum, non disponunt, vt probat *glo. verbo Non amittant, in cap. Vassalli, de pac. Const.*

Frustra vereris, ne verbum temerè à te prolatum, priuare te possit, ita inquit *l. 1. C. qui bon. ced. poss.* Neque enim potest verbis tolli, quod nec verbis cõtractum est. Dicit *l. an inutilis §. 1. ad fin. ff. de acceptill.* Sed quid dices *ad leg. & per Iusiur. §. & si fideiussori, eod. tit.* Inquit enim ita. Vt licet reus non sit verbis obligatus, tamen acceptillatione per fideiussorem liberetur &c. Cogita an placeat tibi responsio, quod per acceptillationẽ alter contractus fit.

Verba blanda, & adulatoria prolata in testamento disponunt, vt si seruum nominauerit filium &c. enuuciatiua verò, debent verificari; videas *verbo Seruus, versic. etiam eum seruum.* Et quod verba sunt pauciora, quam res, *verbo Res.*

Verecundia.

Est digna veniæ, vt deducit *glos. verbo conuitium*, ibi. Nota quod parcitur verecundiæ alicuius, in *l. Quæ omnia 25. §. sed etsi, ff. de procur. per text.* ibi. Cæterum ferendus est pudorem suum purgans. Et ibidem *Bart. in sum.* sic. Audiendus est, qui vult suũ pudorẽ purgare. Defertur enim alicui ne verecundetur, vt inquit *glos. vlt. in l. obseruandum 47. ff. de iud. per tex.* ibi. Nisi hoc specialiter à Principe ad verecundiam petiti Iudicis respiciente permittatur, & per *l. vlt. C. qui & aduer. quos, in fin.* ibi. Cum proculdubio est etiam ipsas personas cauere: ne quis suæ opinioni contrarius existat. Nam qui sine verecundia non potest consistere, non intelligitur existere posse: sicut non potest exigi, quod sine verecundia non potest postulari, vt dicit *glos. 1. in c. vnic. An ille, qui occid. frat. dom. feud. amitt. per tex. in l. 3. § vlt. in fin.* ibi. Non sine rubore desiderabũtur vsuræ, ideoque non exigentur, *ff. de vsur.* Et qui publicè deliquit, publicè iubetur comparere vt magis verecũdetur, prout notauit *glos. pen. per tex.* ibi in *c. 1. 84. dist. in addit.*

Sumitur etiam verecundia, pro reuerentia, vt in ea, quæ patrono debetur iuxta *l. si patronus 20.* ibi. Ne pars ex legibus verecũdiæ patronali debita, minuatur *ff. de donat.* Coniuncta *glos. ibid.* verecundiæ, idest reuerentiæ, & *l. pen. ff. de furt.* ibi. Et hoc modo patronus quoque liberto, & is cuius magna verecundia, ei quem in præsentia pudor ad resistendum impedit, furtum facere solet; coniuncta *Apostill.* ibi. Verecundiam hic reuerentiam intellige.

Veritas.

Est ipse Deus, vt idem per *Ioan. 14.* inquit. Ego sum veritas. Sic notat *glos. verbo imitatio, in Aut. de instr. caut. §. 1. collat. 6.* Et forsan quia iam ita dixerat, non respondit Pilato interrogãti, quid est veritas, ne videretur se ipsum laudare; sed hanc, quæ est diuina

sacris Theologis relinquimus, de qua ait *Aug. lib. 12. conf. c. 25. §. 2.* Veritas tua nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium nostrũ, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quisquis id, quod tu omnibus ad fruẽdum proponis sibi propriè vindicat, & suum vult esse, quod omnium est, à communi propellitur ad sua, hoc est à veritate ad mendacium.

Veritas autem humana potest dici notitia certæ rei, maximè per visum: vt colligitur ex §. *vlt. de grad. cog. in Inst.* ibi. Cum magis veritas oculata fide, quam per aures animis hominum infigatur, vbi *glos. verbo per aures*, sic. Vnde Horat. in arte Poetica

Segnius irritant animos demissa per aures.
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Certior aure arbiter est oculus &c. & notauit prædicta *glos. verbo imitatio*; & altera *glos. verbo veritatem in Extrauag. 1. de concess. preb.* ibi. Sed veritas potest dici indubitatæ rei certitudo; maximè per visum &c. & addit. Vnde veritati omnis opinio debet succũbere, *& glos. in l. Doli 5. ff. de seru. corrupt.* ibi. Vt plus veritas quam opinio inspiciatur, & in *l. Caius 39. ff. de pign. act.* ibi. Item nota, quod plus valet, quod est in veritate, quam quod est in opinione; & probat *l. 2. §. si sub conditione ff. pro empt.* ibi. Contra si extitisse ignores: potest dici secundum Sabinum (qui potius substantiam intuetur, quam opinionem) vsucapere eum posse. & in §. *si à pupillo* ibi. Vt hic plus sit in re, quam in opinione, & *l. si fortè 8. ff. de castr. pec.* ibi, Veritatem enim spectamus an verè castrensis notitia, vel affectio fuit, non quod quis finxit *& in cap. cum Bertoldus 18. de re iud.* ibi. Nè tamen præiudicaret opinio veritati, *& glo. verbo fit furtum in l. vulgaris 21. §. sed si quis, ff. de furt.* ibi. Cum potius veritas, quàm opinio spectanda sit &c. & denique §. *si quis de legat. in instit. vbi glo. alia iura.*

Et licet non desint iura, quæ præferunt opinionem veritati, vt notatur *in sum. l. eum qui 18. §. 1. ff. de iniur. & in cap. Nuper 4. de bigam.* ibi. Licet obuiet ex aduerso quod opinioni sit veritas præferenda. Coniuncta *glos. ibidem verbo videtur*, dum ait sic, hic collige quod opinio præfertur veritati. Tamen cum eadem *glos.* dic quod verum est veritatem esse præferendam opinioni, alia sunt casualia, vt scilicet stetur potius opinioni, quam veritati, vt in fauorem contrahentium, & odium decipientiũ, vel sententiarum, vel in fauorem prolis, & testatorum &c. vnde portat hos versus

Testamenta, fauor, odium, sententia, proles
Ex istis causis præfertur opinio veris.

Et ob id inquit *glos. verbo admittatur, in l. 3. §. si pater, ff. de bon. poss. cont. tab.* pro vero plerumque poni, quod est in opinione: sed regulare est quod veritas præfertur, vt dixi sup. *& glos. verbo in partem, in §. vlt. de vulg. subst. in instit.* ibi. Considerata magis veritate, quam opinione &c. & ibi quod verius esse videtur, veritate magis attenta &c. & facit *glos. verbo colere in Extrauag. 3. de verb. sig.* Et addit hoc verum, nisi vbi inducitur præsumptio iuris, & de iure, vel fictio; quia illi habet præcisè stari. In spiritualibus vero veritas præfertur, vt notauit *Apostill. in cap. vlt. de pænit. & remiss. lib. 6.*

Sedes Apostolica in suis actibus veritatẽ prosequens, inquit *Extrauag. vnic. de off. deleg. int. com. & ibi glos. verbo veritatem*, sic. Hæc fortior res de mundo est, *& Imp. in l. vnic. C. de dedit. lib. toll.* ita.

Nos

Nos enim, qui veritatem colimus, ea tantummodo volumus in nostris esse legibus, quæ re ipsa obtinent. Et in *Auth. vt in priu. dom. sacr. mist.* ibi. Veracium enim solummodo sumus amatores *coll.* 5. à quo deduxit *glos. verbo Contrarium veritatis in Extrauag. vlt. de verb. sign.* Vnde veritas à Iudicibus amplexanda est, vt dictum extat *verbo Iudex*. Et illam tenentur inquirere, vt præcipit *l. singuli* 14. *C. de accusat. & in l.* 2. *C. de in lit. iur.* ibi. Iudex de veritate cognoscet, quæ etiam argumentis liquidis inuestigari potest, *& in c. quia sunt* 28. *dist.* ibi. Quærenda est semper veritas, vt inquiri debeat, vtrum accusatum noxa condemnet, an à pœna innocentia patefactas subducat. Ad inuestigandam enim veritatis fidem quicumq; præsidens anhelare debet, cum illi compertæ cedere habeat opinio, vt dixit *glos. verbo volentes, in Extrauag.* 2. *de verb. sig. & in c. vnic. de cont. int. dom.* ibi: per ipsos inueniatur veritas &c. quia non est bonum, vt denegetur veritas.

Ab illis requirenda est veritas, quibus lux veritatis potius assistit; vt notat *glos.* per iura, quæ affert, *in cap. vlt. verbo maiores de offic. Arch.*

Et per ampliores homines perfectissimam veritatem reuelari ait *glos. verbo plurimorum in c. prudentiam, de offic. deleg. & verbo continetur, in Extrauag. vlt. de verb. sig.* quod deduxerunt *ex l. vlt. C. de fideic.* ipsosque posse cogi ad eam dicendam notat *glos.* 1 *in c.* 1. *de test. cog. per tex.* ibi, affertq; rationem dicens ne veritas occultetur & ne malus, vt bonus æstimetur, publicè namque interest ne sit veritas occulta, vt in *Extrauag.* 1. *de offic. ord. int. com.*

Plurimum quoque in excutienda veritate etiam vox ipsa, & cognitoris subtilis diligentia affert. Nam & ex sermone, & ex eo, qua quis constantia, quæ trepidatione quid diceret, vel cuius existimationis quisque in ciuitate sua est, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt. Ita inquit *l. De minore* 10. *ff. de quæst. & ex Chrysost. hom.* 18. *in Matth. c. occidit Phinees* 23. *q.* 8. sic. Non solum igitur respiciamus ad opera, sed ad tempus, & ad causam; personarum quoque differentiam, & quantacumque alia ipsis operibus acciderũt diligentissime inquiramus: non enim possumus aliter ad veritatem peruenire.

An autem constito de veritate possit ipsa deseri propter scandalum? quæstionis est. Et breuiter distinguendo respondeo cum *glo. verbo multitudo in cap.* 2. *de tempor ord.* sic. Propter scandalum aliquid omittitur impunitũ, cum aliàs non esset omittendum. Quod fieri potest, si veritas non offenditur: quæ triplex est, scilicet iustitiæ de qua in *cap. qui scandalizauerit de reg. iur.* veritas doctrinæ siue disciplinæ, & de hac in *cap. quando ergo* 11. *q.* 3. Et veritas bonæ vitæ, de qua in *c. primum* 22. *q.* 1. Hæc nunquam dimittenda est propter scandalum iuxta *cap. inter verba* 11. *q.* 3. Sed veritas iustitiæ, & veritas doctrinæ, & disciplinæ quandoque omittitur propter scandalum, puta quando multitudo est in causa, vt in *d. cap.* 2. *de temp. ord.* vnde dicit *glos. verbo vbi periculum in c. Cum quis* 23. *q* 4. Veritas disciplinæ potest deseri propter scandalum; veritas verò iudicij semper præualet scandalo; & sic de hoc vltimo dicitur in *d. c. qui scandalizauerit*. Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur, & refert *glos. verbo consuetudinem, in cap.* 2. *de obseru. ieiun.*

Veritas iustitiæ ad Iudicem: doctrinæ; siue disciplinæ ad Prælatum; bonæ vitę ad quemlibet pertinet; vnde versus.

Est verum vitæ, doctrinæ, iustitiæque
Primum semper habe, duo propter scandala linque.

vt affert *glos.d.verbo multitudo, & verbo veritas in d.c.qui scandalizauerit de reg.iu.*

Neque apud Iudicem exquiri veritas de ijs controuersijs,quę ex testaméto proficiscuntur, aliter potest, quam inspectis,cognitisque verbis testamenti. Sic *l.1.ff.quemadm. test. aper.* Et si falsa sint verba testantis non præiudicare veritati, notat *glos.verbo intercessisse, in l.Seia 28.ff.ad velle*.

In contractibus rei veritas potius, quàm scriptura,perspici debet, ita *l.1.C.plus val.quod ag.& in l.multum interest, C. si quis alt.vel sibi*, ita . Res gesta potior, quàm scriptura , habetur . Acta enim simulata veritatis substantiam mutare non possunt , vt in *l.2.eod. tit. plus val. quod ag.& in l.si cum pater 17.C.ad Velleia*.ibi . Cum eam veritatis substantia constituta potius,quam simulata gesta tueatur . Nec falsa simulatio veritaté minuit; ait *l.nec omissa, C.de lib.cau. & in l.si pater 8.C.de act.empt.*sic . Neque enim &c.si simulatum factum intercessit, veritatem mutare potuit, & in *cap. per tuas post méd.qui fil.sint leg.*ibi . Plus est,quod in veritate agitur,quàm quod simulatè concipitur .

Nec per fictionem iuris veritaté confundi , nec deleri notauit *glos. verbo non morte in c.susceptum 6.de rescript. lib. 6.* quod videtur deductum ex *l. filio 23.ff. de lib.& posth.*ibi . Ne imagine,naturę veritas obumbretur &c.coniuncta *glos. verbo imagine*, ibi . Item nota veritaté prævalere fictioni . Et *l.in rebus 30.C. de iu.dot.* ibi . Non enim quod Legum subtilitate transitus earum in patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas delata, vel confusa est .

Nec errore veritas originis amittitur:nec mendacium dicentis se esse vnde non sit, deponitur . Neque recusando quis patriam, ex qua oriundus est, neque mentiendo de ea, quam non habet, veritatem mutare potest,sic dicit, *l.assumptio 6.ff.ad municip.* & alias ait *l.5.C.de iur.& fact.ig.* Cum falsa demonstratione mutari substantia veritatis non possit, *& glo.in c.cum inter 13.de re iud.per tex.* ibi dicit,quod veritas rerum,errore gestorum non vitiatur ; sed & non est satis veritatem dicere, nisi detegantur , & refellantur errores , vt in *Trid. sess.13.c.8.in fin.*

Veritati non præiudicari per vsum , & consuetudinem videas *verbo Consuetudo* .

In emancipationibus liberorum,nec non in donationibus , non tam scriptura , quam veritas considerari solet. Ait *l.2. C.de emancip. lib.* Et quod actorum interitu veritas conuelli non solet , *l. emancipatione 11.C.de fid.instr.*

Fides veritatis verborum adminicula nō desiderat sic ait *l.1.C.si min. ab hered.se abst.*à qua in terminis deduxit *glos.1.in c.14.de iur. iur.* Vnde dixit *Senec. epist. 50. ad fin.* ita , veritatis simplex oratio est , ideoq; illam implicare non oportet;& latius *Aug.lib.5. confess.c.6. nu.2.* his verbis . Nec eo debere videri aliquid verum dici, quia eleganter dicitur : nec eo falsum, quia incompositè sonant signa labiorum . Rursum nec ideo verum, quia impolitè nunciatur, nec ideo falsum,quia splendidus sermo est . Sed perinde esse sapientiam , & stultitiam sicut sunt cibi vtiles , & inutiles; verbis autem ornatis, & inornatis , sicut vasis vrbanis , & rusticanis vtroq; cibos posse ministrari .

Veritatem sæpius agitatam magis splendescere in lucem, inquit *c.Graue 35.q.9* de quo meminit *Ias.in l.qui accusare,ff. de edend.& Arist.3.Metaph.*ait . Veritatem sine disputatione perquirentes, similes esse nesciētibus quo ire debeant . Quod quidē approbauit *Pontif.in Extrauag.2.de verb.sign. vers. nos autem attendentes*,quod argumentis frequenter, & collationibus , latens veritas aperitur &c. sed aduerte quod non debet esse nimia, & prolixa disputatio:nam,

vt aliàs dixit *Senec.epist.96.post princip.* Sæpè nimium disputando amittitur veritas.

Illud etiam aduertas, quod si post disputationem, altercantes, & dissentientes in vnum conueniant, illud verissimum esse: nam ita *Vlpian.* testatur in *l.si seruus 27.§.serui,ff.ad l.Aquil.* dum dicit. Et ait Iulianus teneri, & verissimum est, cum & Marcellus consentiat.

Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat, ita ex *Aug. in c. quisquis 11. q.3.& infr.in c.Nolite timere*, sic. Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam pro veritate mendacium loquitur; sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronunciat, quam liberè pronunciare oportet aut non libere veritatem defendit, quã liberè defendere conuenit, proditor est veritatis, *& gl.verbo inuestituram,ad fin. in c.1.l.si de inuest.int.dom.& vassall.lis oriat.* ibi. Est notabile verbum, qui veritatem dicere non vult nocere desiderat. Sed propinquitatis, & familiaritatis, ac dominationis affectio veritatẽ impedire solet, vt dicitur in *c. Accusatores 3.q.5.* Veruntamen melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione beneficium, iuxta *Aug.in c. Nemo 11.q.3.* Et ex hoc vltimo dicto notabis, quod nec ipsa veritas, adulationis causa dicenda est; & probat *cap. primum, post princ. 22.q.2.* ibi. Quia nec ipsa veritas, placendi causa dominibus enuncianda est. Interdum autem expedientius est veritatem in totum tacere, quam non perfectè dicere, vt aliàs dicit *glo. verbo de nouo, in Clem. 4.de elect.*

Adhuc docibilibus leuiterque corruptis injicit manum veritas, si aduocatum idoneum nacta est. Dicit *Senec. epist. 109.* Est enim mentibus hominum naturaliter veri boni inserta cupiditas, sed ad falsa deuius error adducit, vt ait *Boeth.lib.3.de consolat.*

Cur autem veritas parit odium, & inimicus factus est eis homo tuus verum prædicans, cum ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate? Nisi quia sic amatur veritas, vt quicumque aliud amant, hoc quod amant, velint esse veritatem: & quia falli nolunt, nolunt conuinci, quod falsi sint: itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eã lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt, & fallere volunt, amant eam cum se ipsam indicat: & oderunt eam, cum eos ipsos indicat. Ita *Aug.lib.10.confess.c.23.n.2.* Et infra sic. Animus humanus si cæcus, & languidus, turpis, atque indecens latère vult, se autem, vt lateat aliquid non vult. Contra illi redditur, vt ipse non lateat veritatem, ipsum autem lateat veritas.

Verisimilitudo.

Est præsumpta mens testatoris, vt dicit *Ias.in l.Cum res,nu.20.ff.de.leg.1.* Sed & dicitur de mente cuiuscumque dispositionis, & contractus. De testatore est tex. in *l.sed & si,§.pen.ff.de iud.* ibi. Nec enim verisimile est testatorẽ, qui honorem habitum voluit ijs, quibus reliquit, tam modica fideicommissa in prouincia præstari voluisse. Et in *l.in ratione 30.§.tametsi ad fin.ff.ad l.falc.* ibi. Sed id verisimile non est, cum talis oratio magis ipsius causa, quàm cõtra ipsum posita videatur cum alijs. De dispositione legis, vel statuti, *glos. vlt.in l.Tale pactum,§.vlt.ff.de pact.* ibi. Item nota idem esse de iure seruandũ, licet non sit statutum, quod verisimile est, statutum fuisse, si hoc quæsitum fuisset. De contractus dispositione, *l.2.ff.de hered.vel act.vend.in §.si venditor,*

tor, ibi. Si non apparet, quod actum sit, verisimile erit id actum, vt eius quidem damni nomine, quod ante venditionem datum fuerit, onus ad emptorem; alterius verò temporis ad hæredē pertinere. Et in *l. quæro 56. §. 1. ff. locat.* ibi. Quamuis nihil expressum sit in stipulatione pœnali, dissolutione pensionum, tamen verisimile esse ita conuenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita si pensionibus paruerit, & vt oportet, coluerit. Et in *l. obligatione 6. ff. de pignor.* ibi. Ea non continebūtur, quæ verisimile est quemquam specialiter non obligaturum fuisse, vbi *glos. hoc vlt. verbo* ait. Et sic not. generali concessione non contineri, quod specialiter non est verisimile concedi, vt &c. & in *l. si stipulatus 4. ff. de vsur.* ibi. Quia non est verisimile plus venditorem promisisse, quàm iudicio empti præstare compelleretur.

Non est verisimile compulsum in vrbe inique indebitum soluisse: Cum potuerit ius publicum inuocare, & adire aliquem potestate præditum, qui vtique vim eum pati prohibuisset. Sic *Vlpia. in l. 23. ff. quod met. cau.* Nec etiam verisimile est, quod sponte iuri suo renunciat spoliatus, vt in *c. 2. de rest. spol.*

Nec item verisimile est eam, quæ arguitur, non ex fide causam suam defensuram, cum periculum capitis subeat. Inquit *l. 1. C. ad l. Corn. de fals.* Nec etiam verisimile quid iniquè præfectum prætorio facere, vt dicit *glos. verbo sine magni, in Auth. de appellat. §. 1. collat. 4. per tex. in l. 1. ff. de off. præf. præt.* Ex quibus, & alijs infinitis concludo, quòd attenditur ad verisimilitudinem; & probat *glo. verbo verisimiliter, in Clem. 3. de elect.* ibi. Et not. quod inspicitur verisimilitudo.

Vestis.

Militum clamys, purpura Regum, stola Sacerdotum, toga Aduocatorum, habitus Rusticorum, cuculla Monachorum appellatur. Ita *glos. verbo fibulis in l. vnic. C. null. lic. in fræn. lib. 11.* Muliebris autem ea dicitur, quæ matri fam. parata est, & qua vir non facilè vti potest sine vituperatione iuxta *l. vestis 25. §. Muliebria, ff. de aur. & arg. legat. glo. tamen verbo sint virilis, in l. inter 36 eod. tit.* sic ait. Constitutione scilicet animi, & vsus fit de muliebri virilis, & è contra: sed legi adhæreo, & constitutionem animi, & vsum prædictum reprobo, si viri vtantur mulieribus vestibus, & è conuerso mulieres virilibus etiā si per iocum, vel lusum, nam si matri famil. non licet ancillari veste vti, & minus meretrica, iuxta *l. item apud 15. §. si quis virgines appellasset*. Si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur: multo magis si meritricia veste fœminæ non matrum fam. vestitæ fuissent, *ff. de iniur.* multò fortiùs nō licebit vestibus induere se virilibus. Ornatus enim extrinsecus frequenter quem ad voluptatem inducit, vt alias dixit *glos. verbo vilibus, in Extrauag. 1. de verb. signif.*

Sed & adhuc vestes muliebres debent esse, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur, vt dicit *Hieronym. ad Letam.* Quod quidem contrariū fœminæ nostri temporis faciunt, de quibus *Senec. lib. 7. de benef. c. 9.* iam dixerat hæc. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est ī quo defendi, aut corpus, aut denique pudor possit, quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse curabit.

Et quid dicam de hominibus? Si homines dici possunt, qui fœminas imitantes in vestium vanitatibus ad similitudinem simiarum, non sine scandalo alio-

aliorum sordidi potius, quàm mundi videantur; licet enim mundæ vestis electio appetenda sit homini; cum natura homo mundum sit animal, vt dicit *Senec. epist. 93. post princ.* Tamen ornatus nimius, & vanus fugiendus est, vt sordes. Sicut *Hieronym. ait ad Nepotian.* ibi. Vestes pullas æquè deuita, vt candidus ornatus, vt sordes fugiēdæ sunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. Iuxta illud Senec. Nec luceat, nec sordescat toga.

De Clericorum vestibus ait *cap. pen. de vit. & honest. cler.* quod debent esse nimia breuitate, vel longitudine non notanda; congruentes ordini, vt dixisti *verbo Clericus, vers. Oportet.* Et cum illis sit prohibitum pannis rubeis, aut viridibus vestiri, nec non manicis, aut sotularibus consutitijs, vt *d. c. pen.* nec insuper comam nutrire iuxta *cap. 4. 5. & 7. eod. tit.* Nihil minus obseruari videmus non sine scandalo populorum, & ignominia nostra. Nam vt ait *Apostol.* Vir si comam nutrit ignominia est ei, de quo meminit *Anicetus Papa in Canone Prohibere 20. dist. 23.* & ad hoc vt ita obseruaretur *Alex. III. præcipit in d. c. 7. de vit. & hon. Cler.* quod Clerici, qui comam nutriunt, etiam inuiti à suis Archidiaconis tondeantur. Et in *Conc. Agathensi relato in c. Clerici 21. ead. dist.* constitutum fuit ita: Qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiamsi noluerint inuiti detondeantur; vestimenta etiam, vel calceamenta eis, nisi quæ religionem deceant, vti aut habere nō liceat. Et sub pæna excommunicationis fuit impositum *in c. si quis ex Clericis* relaxauerit comam sit anathema *ead. dist.* & per eadem verba in *citat. cap. 4. de vit. & honest. Cler.* vt ergo euitemus scandalum, & seruentur Apostolicæ constitutiones, à nobis proijciamus iugum comarum, & sicut veri Ecclesiæ filij in præceptis eius ambulemus, ne etiam inuiti prædictas sustineamus pœnas.

De Monachorum autem vestibus quodmet sint humiles, & non debent portari superbè, sic dicit *Hieron. ad Paulin.* Humilitatem vestium tumenti animo non appetas. Secularium, & maximè potentium, consortium deuita. Quid tibi necesse est ea videre crebrius, quorum contemptu Monachus esse cœpisti?

Quemadmodum stultus est equū empturus, qui non eum, sed phaleras aspicit, sic qui homines ex vestibus æstimat, stultissimus est. Ita dixit *Senec.* & de Clericis indumentis sordidis vestitis dixit *Greg.* Non sunt despiciendi, vt egeni, sed rogandi, vt patroni: benè verum est quod debent incedere vestibus decenter ornati vt sup. notas cum etiā alias ij, quibus alimenta, & vestiaria debentur sufficienter ali, & vestiri debeāt secundum ordinem, & dignitatē eorū iuxta *l. sed & si 19. ff. de vsuf. legat.*

Datam vestem seruo, aut famulo ad seruiendum domino posse repeti ab eo, si illum expellat notauit *glos. vlt. in l. Id vestimentum 26. ff. de pecul.* ibi. Et sic nota arg. contra dapiferos, & pedissequas, vt quando repelluntur possit dominus vestimentum retinere, si declarat, vt in suo seruitio vterentur, & probat *l. In ijs 67. §. 1. in fin.* ibi. Idem iuris futurum fuisse, si ipsa vestimenta vir emisset, & seruis dedisset. Quod si vestimenta non redderentur, tunc virū pretium in dotem compensaturum, *ff. sol. matr.*

Pro æstate vestiendum esse à Kalend. Aprilis notauit *glo. in l. 1. C. de mil. vest. lib. 12. per tex.* ibi. Omnium canonem vestium ex Kalend. Septembris ad Kalēd. Aprilis nostris largitionibus tradi præcipimus, ex quo patet pro hyeme quando dari debet vestimentum.

Non posse quis alterius vti veste in contemptum ipsius notat *glo. verbo Monachi, in Auth. de Sanctiss. Episc. §. vlt coll. 9 per tex.* ibi. Interdicimus vti schema-

te Monachi; aut Monastria &c.

Pretiosæ vestes quæ sint, & quæ prohibitæ? videas totum *tit. C. de vest. olober. & aur. lib.* 11. Quod si dubium sit an pretiosæ nec ne sint? Summatim cognoscendum esse dicit *glos. verbo de serno in l. Emptori* 37. *ff. de euict.*

Pulchritudo vestium tempore pacis. Sicut pulchritudo armorum, tempore belli. Sic *glo. in rubr. C. de fabricens. li.* 11.

Via.

De ea quatenus significat idem, atq; iter iam sup. eod. verbo dictum est. De illa verò, quæ Domini est, inquit *Pōtif. in cap. Quidam* 4. *de apostat.* quod minus malum est eam non agnoscere, quam post agnitam retroire, & in eadem non debere quemquam ambulare per circuitus, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinare ex multis Sac. Pag. constat, in circuitu namque impij ambulant, vt dicit *Psalmist.* Adhuc etiam in via, per quam ad aliquem locum est eundum disponit *l. non solum* 12. *§. annus, ff. de excusat. tut.* quod sit recta ibi. Viam rectam dirigens, vel dirigere debens, non eam, quæ ex circuitibus.

Quod vna via prohibetur, non debet per aliam concedi; probat *l. scire, §.* 1. *ff. de tut. & cur.* ibi. Vt non alia via hoc quod noluit testatrix fiat. Et *c. vnic. de Cler. coniugat. lib.* 6. ibi. Ne per vnam viam concedatur ijsdem Iudicibus, quod per aliam denegatur.

Quando occurrerit dubium circa viam eligendam, mediam sequendam esse dicitur in *l. filio* 7. *ff. vt legat. nom. cau.* ibi Sed melius est per mediocritatem caussam dirimere; & ita Papam, Imperatoremq; sequi latè probatum fuit ex *cap. querenti* 26. *de off. deleg. & §. vlt. quib. ex cau. man. non lic. in inst.* & alijs *verbo medium*.

Qui verò plures vias habens elegerit vnā, alteri renunciare videtur, vt deducitur ex *l. si filius* 31. *ff. de minor.* ibi. Post inchoatam restitutionis quæstionem legatum ex testamento patris petisset, liti renunciasse videtur. Cum & si &c. electo iudicio defuncti repudiatum beneficium prætoris existimaretur, & hoc est quod innuere vult *glos. verbo consequitur per tex. ibi in l. si fratres* 53. *§. idem, & in l.* 2. *ff. pro soc.* dum ait. Et sic not. quod qui plures vias habet, si leuiorē eligat mos ei geritur, & ibidem notat *Bart. in sum.* & latius probatum est *verbo electio*.

Vicarius.

Ille dicitur, qui vices alterius gerit; Sic Petrus Christi Vicarius appellatur, & successores eius. Sic Papæ Vicarius, & Episcoporum. Et talis potest quæ ad iurisdictionem pertinēt illius cuius vices gerit, vt notat *glos.* 1. *in c. Tua nobis* 5. *per tex. ibi de offic. Vicar.* Et per eū repræsentatur authoritas ipsum constituentis, vt in *l.* 1. *C. de offic. eius qui vic. cap.* 1. ibi. Vni eidemque personæ omnia committamus: & vbi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum, cui præcipimus repræsentetur authoritas 94. *dist.*

Iurisdictio Vicarij, quem Rom. Pont. in vrbe reliquit non extenditur extra illā, nisi ei specialiter sit concessum. Ita inquit *citat. cap. tua nobis, de offic. Vicar.*

Dicuntur etiam Vicarij, quos ponūt diœcesani in Ecclesijs, vt in *c.* 1. 2. 3. *&* 4. *eod. tit.* & hos non posse alios in eorum locum substituere præcipit *idem cap.* 4.

Inter seruos fuisse etiam Vicarios, qui Ordinarijs suberant constat ex *Imp. in §. Cum autem, in fin.* ibi. Quod eo pertinet, vt si quid Vicario suo seruus debeat, id ex peculio eius non deducatur.

coniuncta *glos. verbo Si is, inst. quod cum eo, qui in alien. potest.*

Vicinus.

QVi se inuicem clamantes audire possunt, vicini sunt, & de vicinia dicuntur sic respondet *Bart. in l. si tertius 6. ff. de aqua pluu.* & *per tex. in l. 3. §. Eodem tecto, ff. ad Syllan.* vbi *Vlpian.* sic ait. Eodem autem tecto, qualiter accipiatur, videamus: vtrum intra eosdem parietes, an & vltra, vel etiam intra eandem diætam, vel cubiculum, vel eãdem domum, vel eosdem hortos, vel totam villam ? Et ait Sextus sic esse sæpè iudicatum, vt quicumque eo loci fuerunt, vnde vocem exaudire potuerunt &c. & infra ibi. Potuisse autem ancillam, quæ in eodem conclaui cum domina sua fuerat auxilium ei ferre, si non corpore suo, at certè voce plorantem, vt ij, qui in domo fuerant, aut vicini audirent. Quod intelligit idem *Bart.* nisi ex communi vsu loquẽdi aliter vicinia accipiatur. Vide eum, vbi alia de materia, & *Panor. in c. Quosdam 7. de præsumpt.*

In eodem *cap. Quosdam*, sic ait *Pont.* Quanto viciniores estis credo quod tanto subtilius cognouistis, vbi *glos. 1.* sic. Arg. quod ex vicinitate præsumitur pro aliquo, vel contra aliquem, & ideo scire præsumitur, vnde facile non creditur in contrarium &c. & in *cap. quanto 8. eod. tit.* ita. Latère te in vicino nõ potuit, quod ad nos in longinquo peruenit.

Rumor autem vicinæ non adeo est iudicandus, quod nisi rationabiles, & fide dignæ probationes accedãt, possit benè contractum matrimonium irritari. Dicit *Cælestin. III. in casu de quo, in c. super eo 5. de eo qui cog. consang. uxor. suæ.*

Vicinum bonum oportet quem habere: siquidem vitia quin à in vicinos serpunt, vt inquit Ouid. sic.

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi.

Hinc prouerbio dicitur, si iuxta claudum habites, subclaudicare disces, & illud vulgare Temistoclis apud *Plutarc.* qui cum quoddam prædium venderet, hoc quoque præconem addere iussit; quod etiam bonos vicinos haberet, de quo videas alia adducta per *Rot. Auenionen. decis. 183. à num. 1.*

In *l. quod Sæpè 35. §. vlt. ff. de cõtrahen. empt.* sic inquit Gaius. Si quis in vendendo prædio confinem celauerit, quem emptor si audisset empturus non esset, teneri venditorem dicimus. Et ibidem *glo. confinem* explicat, idest malum vicinum, quos vicinos tenetur dicere si sunt mali &c. & *glo. vlt. in l. Cum seruo 63. eod. tit.* sic, quia ipse venditor vicinus est, & fortè malus; & à contrario si fuerit bonus, vt in *l. si fundus 56. ff. de legat. 2.* ibi. Sæpè enim confines fundos etiam supra iustam æstimationem interest nostra acquirere. Videas de hac materia *Addit. ad Abb. in c. Cum Ioannes de fid. instr. litt. A.* Et de incommoditate, vel cõmoditate vicinorum pulchrè *Collumel. de re rust. lib. 1. cap. 3.* & apud *Erasm. in Chiliadibus* in expositione illius prouerbij, aliquid mali propter vicinum malum. *Et glos. verbo distantibus, in Extrauag. Execrabilis 4. de præb. int. com.* sic. Nimia distantia nocet, vt hic; quandoq; etiam nocet nimia propinquitas &c. Item nimia vicinitas Gomorrhæ nocuit alijs quinq; vicinis.

Sed quæ loca dicentur vicina ? vide verbo locus. Et *glos. verbo viciniorum* in *cap. felicis de pæn. lib. 6.* ibi. Et possunt dici vicina non distantia vltra duas dietas vulgares, vel non distantia vltrà vnam &c. concludit, arbitretur ei gđ in hoc bonus Iudex, qui & illud obseruare tenetur; quod in vicinis pro-

 nun-

uincijs obseruatur.

In l. si quis 12. *ff. de relig. & sumpt. fun. sic ait Vlpian.* Si quis sepulchrum habeat, viã autem ad sepulchrum non habeat, & à vicino ire prohibeatur, Imp. Antonin. cum patre rescripsit, iter ad sepulchrũ peti precario, & concedi solere: vt quoties non debetur, impetraretur ab eo, qui fundum coniunctum habeat &c. Præses etiam compellere debet iusto pretio iter ei præstari; ita tamen vt Iudex etiam de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum, & in *l. 1. C. de interd.* sic. Quibus ostẽditur nec per arboris quidem occasionem vicino nocere oportere.

Et qui agit de prædio ad formationem libelli tenetur dicere duos confines, seu vicinos, vt per *glos. in l.* 4. *ff. de cens. per tex.* ibi. Et quos duos vicinos proximos habeat. Et addit *eadem glos.* Item si erretur in confinibus, si tamen constat de re, valet iudicium, &c.

Victor, & Victus.

Victus victori in expensis condemnatur, nisi sententia pro absente feratur ita dicit *Pont. in cap. Calumniam* 4. *de pœn. Et glos. in reg. Ignorantia* 13. *de reg. iur. lib.* 6. Magistraliter ita docet. Vnum nota quod quando quæritur de condemnatione expensarum, dicimus quod in principali causa, probabilis causa excusat ab expensarum condemnatione 2. *q.* 3. *Paulum, de elect. c.* 1. *in fin. sup. eod. lib.* Sed in causa appellationis indistinctè victus condemnatur victori in expensis 2. *q.* 6. *cap. omnimodo supra de appell. cap. sæpè C. de appell. l. eos,* §. *ne temerè.* Ratio autem huius diuersi iuris colligitur per hanc regulam in principali enim causa est error facti: quia in ea ex probationibus, quæ in facto consistunt, proceditur: sed in appellationis causa proceditur ex actis prioris causæ: vnde ibi est error iuris: & ideo non excusat à condemnatione, vt hic. Et ideo not. *Innoc. & Hostien. sup. de dolo, & contum. cap. finem,* Quod si in causa appellationis non proceditur per sola antiqua acta, sed inducantur probationes nouæ, per quas pronuncietur, tunc probabilis error bene excusat victum à condemnatione expensarum, quod verum puto, & videtur casus prædictæ *Decret. sup. eod. lib. de elect. cap.* 1. *in fin. &c.*

Est alia vulgaris regula, quæ sic dictat, si vinco vincentem te, à fortiori vinco te, quæ deducitur ex *l. de accessionibus* 14. *ff. de diu. & temp.* ibi. Nam qui me potior est, cum ego te superaturus sum, multo magis aduersus te obtinere debet, & de eadem *glos. vlt. in l. Claudius felix* 17. *ff. qui potiores in pig.* quæ sic loquitur. Fallit hic illa regula, qua dicitur si vinco vincentem te &c. & fallit aliàs in tribus casibus. Primus in filijs naturalibus, quia agnatos repellunt, & agnati vxorem: non tamen naturales vxorem repellunt, vt in *Auth. quib. mod. nat. effic. sui,* §. *discretis coll.* 6. Item in secundo, vt *infr. ad Tertyl. l.* 2. §. *æquissimum,* Item fallit in 3. vt in *Auth. de æqual. dot.* §. *his consequens &c.* Nam mutuans in refectionem, præfertur habenti expressam, & habens expressam, mulieri, non tamen primus mulieri. Item si sis meus vassallus, & ego illius, non sequitur, ergo tu illius: item si ego diligo te, & tu illum, non sequitur, ergo diligo illum. Est etiam alia *glos. verbo proximus, in Auth. defuncto C. ad Tertull.* quæ allegat iura, in quibus prædicta regula fallit, quam videas.

Sicut bellãti, & resistẽti violẽtia redditur, ita victorijs capto misericordia iã debetur, ita *Aug. ad Bonif. relat. in cap. Noli existimare* 23. *q.* 1.

Nemini dubium esse, victoriam non in multitudine militum, sed in bellatorũ

alacritate consistere: & virtutem nulli numero succumbere, dixit *Ioseph lib. 1. antiq. cap. 11. à princ.*

Hanc autem validissimam legem tam feris bestijs, quàm hominibus esse præfinitam, potentioribus cedere; apud eosque esse victoriam, apud quos robur fuerit armorum, idem *Ioseph lib. 6. de bello Iud. cap. 11. num. 30. & in cap. 5. nu. etiam 30.* refert, quod Titus dicebat suis militibus sic. Apud Romanos etiam vincere sine præcæpto Ducis, infamia est, quod probatur ex *l. Desertorem, §. in bello*, ibi. Capite punitur etiam si res benè gesserit *ff. de re mil.* & iam supra notatum est *verbo Miles.*

In victoria, vel ignauis gloriari licet, aduersæ res, etiam bonos detrectant, dixit *Salust. de bello Iugurthin.*

Vidua.

Etiam ea intelligitur, quæ virum non habuit teste *Iurisc. in l. Malum 242. §. Viduam*, Non solum eam, quæ aliquando nupta fuisset: sed eam quoq; mulierem, quæ virum non habuisset, appellari ait Labeo: quia vidua sic dicta est, quasi vecors, Vesanus, qui sine corde, aut sine sanitate esset. Similiter viduam esse dictam sine duitate, *ff. de verb. sign.* sed hæc in latiori significatione, vt ibid. notauit *glos.* At verò in stricta, & propria, illa est vidua, quæ habuit virum, & illo caret; & non solum sufficit hoc, sed vt vera vidua dicatur, debet sicut à viro, ita & à rebus, & amore mundi esse destituta, vt notauit *glos. 1. in cap. Viduas honora*, quæ verè viduæ sunt, *1. q. 2.* non verò dicentur veræ viduæ, de quibus ait *Hieron. ad Principiam* sic. Illæ enim solent purpurisso, & cerussa ora depingere, sericis nitere vestibus, splendere gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris pretiosissima grana suspendere, fragrare musco, mure, maritos ita plangere, vt tandem dominatu eorum se caruisse lætentur; quæruntque alios non quibus (iuxta Dei sententiam) seruiant, sed quibus imperent. Vnde, & pauperes eligunt vt nomen tantum virorum habere videantur, qui patienter riuales sustineant, si mussitauerint, illicò proijciendi. Et non paucas his similes videmus nostris temporibus, maximè in Alma Vrbe, quæ sanè priuilegio viduis concesso gaudere non debebant.

Alio etiam modo veræ viduæ dicuntur non esse, quæ suis, vel parentum opibus sustentari possunt vt in *d. c. viduas*, nam tales ab Ecclesia non debent sustentari, vt ibidem, sed illæ, quæ vnde viuere possint, non habent, & de his illæ, quæ non possint laborare iuxta *cap. quomodo virginibus 31. q. 1. vbi Hieron.* sic. Vidua (inquit Apost.) eligatur non minor 60. annorum &c. hoc omne præceptum de his viduis, quæ Ecclesię pascuntur eleęmosynis: & idcirco ætas præscribitur, vt illæ tantum accipiant pauperum cibos, quæ laborare non possunt.

Tādiu iura primi viri tenet mulier, quamdiu alij non nubat. Ita inquit *glos. 1. in l. si mulier 29. ff. de relig. & sumpt. fun. per tex. in l. vlt. ff. de Senator.*

De priuilegio viduarum satis liquet ex *l. vnic. C. quand. Imp. int. pup. & vid. & in l. 1. C. de fals. mon.* sic ait Imp. Viduas autem, & pupillos speciali dignos indulgentia credimus. At in *cap. ex tenore 11. de for. comp. Pontif.* ita. Nos igitur attendentes, quod sic sumus viduis in iustitia debitores, quod alijs iniustitiam facere non debemus, vbi *glo. verbo in iustitia*, sic. Per hoc patet, quod causa viduarū non pertinet principaliter ad Ecclesiasticum Iudicem, licet pertineat ad Ecclesiam quantum ad protectionem &c. *& glos. 1. in cap. significantibus 38. de off. delegat.* ibi. Quia

causa viduarum non spectat principaliter ad Ecclesiam, nisi quoad protectionem, & defensionem &c. imo ad iudicium Regis siue domini illius loci causa viduarum pupillorum, & orphanorum spectare videtur.

Mulier iuris sui constituta arrarum sponsalium nomine vsque ad duplum teneatur, idest in id, quod accepit, & aliud tantumdem nec amplius: si post completum 25. annum ætatis: atq; incompetenti iudicio comprobatam huiusmodi arras susceperit. In simplum autem: idest tantummodo in id quod accepit: si minoris ætatis est: siue virgo, siue vidua sit; ita disponit *l. vlt. C. de sponsal.* ex qua patet viduitatem nō supplere ætatem, prout nec multitudinem filiorum, vt dictum est *verbo fœmina*.

An vidua possit dici mulier, quæ virum habet inutilem, vide *verbo Ecclesia*, vbi de Ecclesia viduata agitur.

Vigilare.

NOs oportet, præcipit enim ita *Dominus Matth. 25.* Vigilare itaq; &c. & maximè Episcopos, & Pastores, vt in *cap. Nuptiatum 84. dist.* vbi *Greg.* contra Episcopos Campaniæ dicit ita negligentes existere, vt neque erga Ecclesias, neque erga filios paternæ vigilantiæ curam exhibeant &c. Ideoq; præcipit Anthemio Subdiacono, vt eis ad se conuocatis ex suo illos mandato districtè commoneat quatenus ita in ijs, quæ eos iustè secundum Deum, agere conuenit, vigilantes existant, vt nullum de his ipsum murmur exasperet.

Sed & de iure ciuili commendatur vigilare, & vigilantibus fauet, ipsosq; tuetur in *l. Qui autem, §. sciendum, ff. quæ in fraud. cred.* ibi. Vt qui debitam pecuniam accepit antequam bona debitoris possideantur (quamuis sciens soluendo non esse) recipiat, non timere hoc edictum: sibi enim vigilauit, & in *l. Pupillus 24. in fin. eod. tit.* ibi. Sed si vigilaui, meliorem meam conditionem feci: quia ius ciuile vigilantibus scriptum est. Et notauit *glos. 1. in d. cap. Nuntiatum, & in cap. 4. de except. glo. vlt.*

Vilitas.

AD hanc euitandam quamplurima introducta sunt iura, nam in *cap de Iudæis 45. dist. in fin.* sic disponitur. Oportet, vt fidem, quam etiam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur. *Et in Canon. 56 dist. 50.* ita. Quamuis cautè, & subtiliter, & salubriter promissum sit, vt locus humillimæ pœnitentiæ semel tantū in ecclesia concedatur, ne medicina nimis vtilis, vilis haberetur. Et vnde apud Medicos agitatur quæstio, vtrum morbis desperatis applicāda sint remedia? & pro negatiua parte affertur ratio vilitatis euitandæ, dum dicunt, ne infamentur remedia medica, quæ multis fuere saluti.

Sic propter vilitatem cauendam, præcipitur in *l. obseruandum, ff. de offic. præs.* Ne præsides in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittant; nam ex conuersatione æquali contemptio dignitatis nascitur.

Item propter eādem causam de bonis Senatorum prohibetur confici inuentarium in *l. 2. propè fin. C. quando, & quib. quarta pars lib. 10.* ibi. Quid enim tam durum, tamque inhumanū mest, quam publicatione, pompaque familiarium, & paupertatis vilitatem detegi &c. & in *Can. 55.* Præcipimus, vt iuxta canonum statuta vbi multitudo excreuerit fidelium ex vigore Apost. Sedis debeas ordinare Episcopos, pia tamen contem-

pla-

platione, vt non vilescat dignitas Episcopatus. Idem in c. *Episcopi* 80. *dist.* ibi. Et vt dictum est, non ad modicam ciuitatem, ne vilescat nomen Episcopi.

Institutum est, vt sponsæ iam pactæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspirauit sponsus dilatam. Ex *Aug. refertur in canon.* 35. 27. *q.* 2.

Vilitatem attendi secundum consuetudinem patriæ; & in iudicanda vilitate reputationem attendi; dicit *glos. verbo vilitatem in Clem. Exiui de verb. sign.* Vilis autem persona ea dicitur, cui damnũ famæ non sit iniuria, vt in *l.* 2. *Cod. vt intr. cert. temp. quæst. crim. term.* Et talem magis puniri, quam nobilem notauit *glos. pen. per tex.* ibi. Et si vilis fuerit, etiã corporis castigatio, in *Auth. de incest. nupt.* §. 1. *coll.* 2.

Humilem, vel abiectam fœminam minimè eam iudicamus intelligi, quæ licet pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata sit. Humiles verò abiectasque personas, eas tantummodo mulieres esse censemus: ancillam ancillæ filiam, libertam libertæque filiam, scenicam scenicæ filiam; tabernariam tabernariæ filiam: tabernarij, vel lenonis, aut arenarij filiam, aut eam, quæ mercimonijs præfuit. Ita *l.* 7. *C. de incest. nupt.*

Vindicta.

HVius officia possunt implere boni bono animo, sic in *cap. officia* 23. *q.* 5. Non verò nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit: vt dicit *Aug. in cap. de occidendis* 23. *q.* 5. Vnde idem in *cap. ea dict. cau.* 23. *q.* 4. ait. Ea vindicta, quæ valet ad correctionem non prohibetur, quæ etiam ad misericordiam pertinet &c. Sed huic vindictæ non est idoneus, nisi qui odium, à quo flagrare homines solent, qui sese vindicari desiderant, dilectionis mansuetudine superauerit.

Sed adhuc vindicta cum requisitis præfatis non debet à quolibet priuato exerceri, sed à iure publico, idcirco namq; iudiciorum vigor iurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat vltionem, vt inquit *l. nullus* 13. *C. de Iudę.* & est iuris regula 138. dicens. Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè possit fieri: ne occasio sit maioris tumultus faciendi *ff. de reg. iur.* Nisi in casibus à iure expressis, vt in *l.* 1. *C. quand. lic. vnic. sine iud.* ibi. Liberam resistendi cuilibet tribuimus facultatem, vt quicumque &c. ad agros nocturnus populator intrauerit, aut itinera frequẽtata insidijs aggressionis obsederit, permissa cuicumque licentia digno illico supplicio subiugetur, ac mortem, quam minabatur, excipiat, & id, quod intendebat, incurrat. Melius est enim in tempore occurrere, quam post exitum vendicare. Vestram igitur permittimus vltionem, & quod serum est punire iudicio, subiugamus edicto, vt nullus parcat militi, cui obuiare oportet, vt latroni. Et in *l. deuotum* 5. *C. de metat. lib.* 12. ibi. Expellendi habeat facultatem; nec crimen aliquod pertimescat: cum sibi arbitrium vltionis sum sciat esse concessum: recteq; sacrilegum prior arceat, qui primus inuenit.

Adhuc etiam ignoscendum est ei, qui voluit se vlcisci prouocatus iuxta *l. qui maior natu* 14. *ff. de bon. libert.* idem *glos. verbo Defensio in cap. Cum inter* 5. *de except.* Sed hoc procedit ratione defensionis; de qua iam dictum est *verbo Defensio.*

Sunt culpę, in quibus culpa est relaxare vindictam vt in *cap. quia* 28. *dist.* & in *c.* 1. *de postul. prælat.* ideo in quo maior est culpa grauior exerceatur vindicta, dicit *c. excommunicamus* 13. §. *Credentes ad med. de hæret.* ubi *gla. in verbo exerceatur*, sic.

Quod

Quod qui in maiori est dignitate plus punitur &c. crimen enim augetur per dignitatem. Verum *l. si seruus 5. ff. si ex noxal. cau. & glos. ibid.* Magis punitur seruus, quàm liber, plebeius, quàm nobilis, coniuncta etiam *Apostill.* alia iura afferente.

Non exerceri vindictam ratione multitudinis dicit *glos. verbo multitudinem in c. Non potest 23. q. 4.* vbi addit: dicuntur autem hic multi, plures, quam 40. *extr. de Cler. excom. c. Latores.* Et iam dictum est verbo Multitudo.

Dum vindicta in nocentem non exercetur, eius crescit pœna, dicit enim *Ioseph de antiq. lib. 8. c. 1. ad fin.* loquens de Semeio à Banaia interfecto Salomonis imperio sic. Vt scias, quod nihil lucrentur nocentes etiamsi non statim post peccatum puniantur, sed per omne tempus, quod propter impunitatem seculi sibi videntur, crescit illorum pęna, quam iam dudum sunt promereti.

Vinum.

QVàm sufficiens est homini erudito, exiguum. Teste *Ecclesiast. c. 22. & alia 31.* Nesciunt enim quid loquantur, qui nimio vino indulgent; iacent sepulti, ideoq; si qui per vinum deliquerunt apud sapientes Iudices venia quidem facta donantur, sed leuitatis damnantur authores, vt in *c. sanè 15. q. 1.* Et vino exæstuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium, dixit *Senec. epist. 84.* vbi inter alia addit nihil aliud esse ebrietatem, quam voluntariam insaniam, etiã notaui verbo Ebrietas.

Ex vino nasci intemperantiam, & libidinem satis notum est ex *Apost.* dicente. Nolite inebriari vino in quo est luxuria. Et *Imp. Constantin. in l. quæ adulterium 29. C. ad l. Iul. de adult.* ibi. Ipsa intemperantię vina præbuerit &c. coniuncta *glos. verbo Intemperantia*; ibi. Venter enim vino afluens facile dispumat in libidinem. Et propter hoc olim apud fœminas Rom. non fuisse in viu vini vsum testatur *Valer. Maxim. lib. 2. c. 1. de vs. vin.* ibi. Vini vsus olim Rom. fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus probarentur: quia proximus à Libero patre intẽperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consueuit. Sed hodie bonus ille non vsus abijt, excessit, erupit, euasit.

A crapula, & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant: vnde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur: cum ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis prouocet incentiuum. Ita *Innoc. 3. in c. 14. de vit. & honest. Cler.*

Militibus dandum esse vinum nonum à mense Nouembris, quoniam *veteris dispendiosa videtur erogatio*; dicit *l. iubemus C. de erogat. mil. anno. lib. 12.* Quod non procedere in Florentinis: quia ipsi portant acetum ad bibendum in exercitu, notat *glos. verbo acetum, in l. 1. eod. tit.* & reddit rationem, scilicet quod id faciunt, vt respub. minus grauetur; item vt assuescant ad malum, item quia non fiunt ebrij sicut si quotidie vinum, & carnes haberent; sed alij (vt Longobardi) dicunt quia sunt parsimoniæ verè sequaces, maximè in ciu, & potu.

Virginitas.

HVius priuilegium maximũ est, quia replet paradisum: quæ sola est potens Deo animas hominum præsentare. Et est principium omnium virtutum, & solæ virgines laureolam habebant. Ita dixit *glo. vlt. in cap. pen. de probat.* Et addit ex D. Gregor. quod pauci habebunt hoc priuilegium.

Insuper Christus plus amat virgines, quã alios: quia sponte tribuunt quod sibi non

non fuerat imperatum: Continentes etiam plus Deo placent, quam coniugati; quia non expedit homini ad regna cœlestia tendenti accipere vxorem. Sic *glos. vlt. in cap. 1. §. vlt. de summ. Trin.* *vbi Apostill.* declarat hoc esse propter onera matrimonij; expedit tamen propter vitandam fornicationem. Cæterum non est dubium quod virginitas fæcunditati præfertur *cap. recurrat ad fin. 32. q. 4.* Illamque commendat *Imp. in Auth. quom. oport. Episcop. §. Quanta igitur in fin. coll. 1.* dicens. Si enim in antiquis legibus, virginibus illis, quæ in errorem eorum vocabantur, mortis incumbebat damnum corruptis, quomodo non magis nos in ijs, quæ à Deo glorificantur, diffinimus pudicitiam (quæ quam maximè mulieres exornat) conseruari volentes, competens venerabilibus Diaconissis, vt quod decet naturæ custodiant, & quod debetur Sacerdotio conseruent.

Ad eam igitur conseruandam aduertant virgines, quod amissa semel virginitas, vel castitas, amplius restitui nō potest, vt dicitur *in l. 1. C. de rapt. virg.* & plus *Aug. relatus à glos. ibid. verbo restitui*, dicit, quod nec etiam à Deo, licet omnia sint ei possibilia. Et licet ego non inuenerim Aug. inueni tamen *Hieronym. in cap. si Paulus 32. q. 2.* sic dicentem. Audenter dicam, cum omnia possit Deus; suscitare virginem non potest post ruinam, valet quidem liberare de pœna: sed non valet coronare corruptam.

Facilius inuenio, qui seruet virginitatem, quàm qui post corruptionem carnis, seruet continentiam: nam tunc facilius cadet: ita ponit *glo. verbo facilius, in cap. reperiuntur de pœnit. dist. 3. per tex.* ibi, Ego facilius inueni, qui rectè seruauerit innocentiam, quàm qui congruè egerit pœnitentiam &c. intelligens, innocētiam, hoc est virginitatem, & consonat *cap. sunt, qui arbitrantur de pœnit. dist. 1.*

Non est virginalis pudoris eligere maritum, dicit *Ambros. in lib. de Patriarch. relatus in cap. Honorantur 32. q. 2.* vbi affert illud Euripideon, quod mirantur plerique vnde translatum sit, manifestū est. Ait enim in persona mulieris, quæ tamen volebat maritum relinquere, & ad alias petebatur nuptias. Sponsaliorum meorum, pater meus curam subibit. Hoc enim non est meum. Ergo quod & ipsi Philosophi mirati sunt, seruare virgines, & non solum virgines, sed etiam si qua mulier amisso cito marito adolescentula in laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si vult nubere, nubat tantum in Domino: itaut electionem mariti parentibus deferat: ne appetentiæ procacioris existimetur author si ipsa de nuptijs suis electionem sibi vendicet: expetita enim magis debet videri à viro, quam virum ipsa expetisse. Verecūdiam præmittat antequā nubat: quo ipsum coniugium plus commendet verecundia.

Viri.

SI ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris. Quales vultis eas inuenire, tales & ipsæ inueniant vos. Quis viuens est, qui non castam velit ducere vxorem? & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? Intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? purus esto. Non enim illa potest, & tu non potes. Ita *Aug. de verb. Domini, tract. 58. relatus in c. si ducturi 32. q. 6.* *& infr. in cap. indignantur*, sic. Cum tanto grauius puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas, *& in c. seq.* Tu autem exigis hoc ab vxore, & non vis reddere hoc vxori? & cum debeas in virtute præcedere vxorem tuam (quoniam castitas virtus est) & tu sub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorem

rem tuam victricem esse; & tu victus iaces? Et cum tu caput sis vxoris, precedit te ad Deum, cuius caput es. Vis domum tuam deorsum pendere? Caput enim mulieris vir est, vbi autem melius viuit mulier, quàm vir, capite deorsum pendet domus; si caput est vir, melius debet viuere, quàm mulier, & præcedere debet in omnibus bonis factis vxorem suam: Et quidem iam multum ante dixerat *Iurisc. in l. si vxor* 13. §. *Iudex* adulterij ante oculos habere debet, an maritus pudice viuens, mulieris quoque bonos mores colendi autor fuerit. Periniquum enim videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibeat vxoré exasperat, vt not. *glos. per tex.* ibi. Cum impudicis mulieribus (quod maximè etiam castas exasperat) in *l. consensu. C. de repud. notab.* 1. Et facit ratio notata in *Summ. l. In arenam, C. de inoff. test.* dum ait, Mores quos quis in se approbat, non debet in alio reprobare. Et illa etiam de qua in *l.* 1. *ff. de senator.* ibi. Quia maior est dignitas in sexu virili; dignior namque digniores mores habere tenetur, ne ipsa dignitas fœdetur, ideo dicit *glos.* 1. *in c. discretionem* 6. *de consang.* Vir debet esse mulieri autor colendo bonos mores.

Viri perfecti est, ne dum malum, sed etiam omnem speciem, & formidinem mali scire euitare dixit *Pontif. in Clem. exiui*, §. *Cumque annui redditus de verb. sig.* Et si talis inuenitur, scias quod nulla res magis animos honesta inducit, dubiosque, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quam eius conuersatio, paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri aspici frequenter; vt dixit *Senec. epist.* 99 *ad med.*

Maiorem constantiam esse in viro, quam in muliere, dicit *glos. verbo diuertere, in cap. Indemnitatibus* 43. §. *sane de elect. lib.* 6. Et ille erit vir constans animo, qui nec lætabitur vnquam, nec mœrebit nimis, & quod semper in se ipso omnem spem reponit sui, vt dixit *Cic.* 5. *ad Tuscul.* Et ego dico cum *Psalmista* illum esse cuius Dominus spes eius! Viros debere esse fortes, & robustos, notauit *glos. in verbo viros, Auth. de trient. & semiss.* §. 1. *coll* 3. Et ob id defendi vxores à viris, non viri ab vxoribus æquum esse dicitur *in l.* 2. *ff. de iniur. & dices infra verbo Vxor.*

Virum socium vxoris esse notauit *glo. in l. Alimenta* 16. §. *vlt. ff. de alim. & c.* 16. *legat. vbi Apostill.* sic: Hæc glosa facit multum pro dominabus, quæ earum maritis subdi aspernantur, se ancillas eorum non esse asseuerantes; contra quas facit in oppositum *glos. verbo facit in l. si constante*, §. *si maritus ff. solut. matr.*

Viri, & vxor, ex vtraq; parte æqua lance & æquitas, & pœna seruetur. Sic *l. Iubemus* 11. *C. de repud. vbi glo.* ęqua infert. Non ergo debent ad imparia iudicari: Quod intelligas quoad pęnam ciuilem, iuxta *l. viro, atque vxore* 40. *ff. solut. mat.* & quæ ibidem *glo. verbo accusantibus*, sic idest, obijcientibus in ciuili causa &c. Si autem aliquis amplius alio diues est, licet ei per alium modum, legitimum tamen & agnitum nostris legibus clementiam præbere alij: non per inæqualitatem redigens per æqualitatem, lucrum maius alteri acquirere, vt in *Auth. de æqual. dot.* §. 1. *coll.* 7. & in *Auth. de nupt.* §. *quæ vero, ante med. coll.* 4. ibi: Si quis prohibuerit vxoré ad aliud venire matrimoniũ, siue etiam vxor maritum, idem namque est vtrinque, quod etiam procedere in nobilitate, dicit *l. vlt. C. de nupt.* Non patimur in vno, eodemque connubio mariti felicitatem vxori fieri infortunium, vt quãtum vir in altum tollatur, tantum coniux decrescat; absit itaq; nostro tempore huiusmodi asperitas, & firmum maneat matrimonium, & vxor marito concrescat, & sentiat eius fulgorem. Viri nam-

namque honorant vxores, vt notauit *glos. verbo honor in l. vnum ex familia 69. §. Item Marcus, ff. de legat. 2.* per tex. ibi. Ne scilicet honor benè transacti matrimonij, & fides etiam communium liberorum decipiat patrem, qui melius de matre præsumpserat: per quem tex. eadem glo. quærit. An viri debeant in vxoribus confidere? Et respondet quod sic.

Adulterij accusationem vir remittit vxorem illam reducendo iuxta *l. si vxor 13. §. vlt. ff. ad l. Iul. de adult.* ibi. Absoluit enim prioris matrimonij delicta reducendo eam &c. Sero enim accusat mores, quos vxorem ducendo probauerit *l. Quæsitum 40. §. 1. eod. tit.* ibi. Eandem vxorem reduxerit destitisse videri.

Non æquum est virum ob facinus suum, dotem sperare lucri facere: ita *l. si ab hostibus, §. vlt. ff. sol. mat.*

Viri, & vxoris nominatio præsumptionem inducit, non tamen sufficientem probationem, præterquam in casu *l. vnic. §. similique modo, C. de latin. lib. toll. sic ponit glos. verbo nominant, in c. Illud 11. de præsumpt.*

Vnus vir solus caput constituebat, mulieres verò duæ vnum faciebant caput ad effectum soluendi tributum impositum pro quolibet capite, vt dictum est *verbo mulier, vers. notabile est, vbi vide.*

Virtus.

Est habitus mentis bene constitutæ, vt dicit *glos. per tex. ibi in c. De pudicitia 32. q. 5. & Cic. lib. 2. reth. art. vet.* Est animi habitus modo cõsentaneus, & *Boeth. in lib. diuis.* Est habitus mentis bonus. Et *Senec. lib. 6 epist. ad Lucill.* Nihil aliud est quàm recta ratio, & secundum alios, est affectio animi constans, quàm communi nomine habitum vocant, *Roger. vero tract. de summ. bon. fol. mihi 167.* Virtus est habitus animi per assuetudinem acquisitus, vt mediocritatem in affectibus seruet. Benè quidem adiunxit, mediocritatē, nam si fuerit nimia in viriū transibit, dicit enim *Sapiens*; ne sis nimis iustus, & *Senec. epist. 88.* Virtus extollit hominem, & supra chara mortalibus collocat, nec ea, quæ mala vocantur, nec cupit nimis, nec expauescit. Sed hoc non intelligas in illis tribus virtutibus, quæ Theologales dicuntur: quia limites non habent, si itaque fidem habueris, licet montes trāsferas, & plus atque plus desideraueris, acquisieris, & exercueris iustior eris, & eodem modo in spe, & charitate.

Cum renunciatur improbitati, statim adijcitur virtus; egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum, eodemq; studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur sic, *32. q. 1. c. Cum &c.* Proijce ergo à te omnia vitia, nec vnum quidem reserues, quia omnes virtutes patiuntur detrimentum ab vno vitio: nam si quis cadit in auaritiam, largitatem destruit, & etiam castitatem minorauit. Amore enim pecuniæ, vel violaret castitatem, vel saltem minus amaret: si enim tāta propter Deū adhuc castitas inest, vt nolit eandē perdere; tamen saltim minori gaudio, minori affectione tuetur eam, vbi videt inde procedere damnum pecuniæ. Sic testante *Aug. in c. Considerent, §. defleat, de pænit. dist. 5.* & satis probat illud *Iacob. in epist. Canon. c. 1.* ibi: Offendat autē in vno, factus est omnium reus; & maxima insipientia est propter vnum tantum vitium perdere tot virtutes, & esse in continua egritudine. Quid enim aliud animorum salus videtur esse quàm probitas? Quid aliud egritudo, quàm vitium? vt dicit *Boeth. lib. de consolat.*

Nullam moralium virtutum absq; prudentia, & arte consistere posse dicit *Philosoph. 6. Ethic. c. 9. in fin.* Cum ea namque virtus suadet præsentia bene collocare, in futuro etiam considere, deliberare, & intēdere animū, vt inquit *Senec. epist. 1.10*

Est lenta, & omnium percunctatrix, vt per *glos. vlt. in cap. perpetuum 24. q. 3. & Orig.* Læta virtus cunctatrix, ante iudicat, quam incipiat quid decorum, quid honestum sit: iniquitas autem omnia præcipitat.

Non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt hominem, iam sup. dictum est verbo Nobilitas. Probati enim viri genus, virtutis prosapia est ex *Chrisost. hom. 4. in Matth.* Vnicuique vero secundum dilectionem sunt propriæ, & accommodatæ virtutes secundum *Philosoph. 8. Ethic.* Quæ non in multitudine consistunt: iuxta ea, quæ sunt dicta verbo multitudo.

Crescit, & plus virtus splendescit cum contradictione, dixit enim *Senec. epist. 1. alias 13. lib. 2.* Multum adijcit sibi virtus lacessita. *& de diuin. prouid. cap. de sustinen. impet. aduers.* Marcet sine aduersario virtus. Et infra. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus. *& epist. 7.* sic. Quisquis volet tibi contumeliam facere, faciat: & iniuriam, tu tamen nihil patieris, si modo tecum erit virtus.

Nulla virtus latet, & latuisse, non ipsius est damnum. Nulli non virtus & viuo, & mortuo retulit gratiam, si modo illam bona secuta est fide, si se non exornauit, & pinxit. Dixit idem *Senec. epist. 80 ad fin.* Si vero quis virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ: idem *epist. 114. ad fin.* Et talis hypocrita est, & recipit in hoc sæculo mercedem suam, non verò in futuro iuxta Domini sententiam *Matth. 6. 6.* Vnde dicit *Apostill. ad §. vlt. de fideic. hered.* Non est improbum si quis aliũ virtute vincere contendat: nisi hoc fiat ad humanam gloriam per tex. ibi Nuper & nos eundem Principem superare contendentes &c.

Grandis virtutis est, & solicitæ diligentiæ superare, quod natus sis in carne, non carnaliter viuere; tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem, Argi (vt fabulæ ferunt) centum oculis, dicit *Hieronym. ad Furiam.*

Nec minor est virtus quærere, quàm parta tueri.

Affert *glos. verbo protectioni, in l. si pater, § vlt. ff. de adopt.*

Virtutum præmia tribui merentibus conuenit. Ita *l. 4. C. de stat. & imag.* vnde dicit *Hieronym. relatus in cap. Deinceps 28. q. 1.* Virtutibus Romani promeruerũt imperium; licet ibidem *glo.* intelligat de virtutibus politicis. Tamen non debet ipsa virtus sequestrari à præmio, quia tunc non creditur virtus esse, vt ex *Ioan. de Platea refert Gonzal. ad reg. Canc. glo. 4. n. 9* Sola igitur virtus, quæ vera est, præstat gaudium perpetuum securum, concludit *Senec. lib. 3. epist. 27. in princ.*

Sumitur etiam virtus pro robore, seu virium fortitudine, de qua dicit *glos. per l. tex. ibi in l. si vers. si bestias, verbo virtutis ff. de possess.* Sic. Nota aliquid permitti gratia virtutis, quod aliàs non permittitur.

Vis.

CVm Martianus diceret, vim nullam feci: Cæsar dixit. Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? Vis enim est & tunc quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit. Non puto autem nec verecundiæ, nec dignitati, nec pietati conuenire, quẽquam non iure facere. Sic *Gallistratus in l. Creditores 7. ff. ad l. Iul. de vi priuat.* I
Et iam dixerat idem *in l. Extat, ff. eo quod met. cau.* Distingue ergo quinque genera violentiarum: Alia est expulsiua: alia ablatiua, alia turbatiua, alia compulsiua, alia inquietatiua. Prima parit interdictum vnde vi. Secunda, actionem vi bonorum raptorum. Tertia actionem quod metus causa personalem, & vtilem in rem. Item in primis duabus sine di-

distinctione pertinet ad delinquentem periculum. In tertia similiter nisi in casibus, vt statim dices, & hoc si agatur contra metum inferentem: secus si contra bonæ fidei possessorem. Quarta, scilicet turbatiua, locũ habet quando duo se possidere contendunt, & inducit in rebus immobilibus interdictũ vti possidetis, in mobilibus, vtrobi. Quinta inquietatiua locum habet quando aliquid facis in meo prohibitus, vel sciens te prohibendum, & hæc inducit, quod vi, aut clam. Est sexta vis, quando sine authoritate iudicis prosequor ius meum. Ita tradit *glos. Magistra 1. in l. 1. C. de his, quæ vi,* & ex eadem *Apostil. in §. furtiua de vsucap. in Instit. ad glos. 1.* sic. Sunt quinque genera violentiarũ. Expulsiua cum quis deijcitur à re immobili: ablatiua cum res mobilis auferetur alicui, & hæ duæ impediunt vsucapionem. Compulsiua, cum quis cogitur rem suam alienare. Turbatiua cum quis turbatur in sua possessione. Inquietatiua, cum duo prætendunt possidere, & alter alterum inquietat, & nulla illarum trium impedit vsucapionem. De omnibus, & singulis habes iura, quæ *d. gl. 1.* affert, & ibi videas. Nos tamen aliqua adducemus.

Illa vis, quæ fit cum armis publica est; quæ vero sine armis priuata dicitur. Sic ait *glos. verbo armata, in c. 2. de ord. cog.* Quod quidem de omni vi posse intelligi, nemo est, qui dubitet.

Omnem etiam vim vi posse repelli, vulgarissimum est; & vltra alia probat bonus textus in *l. sed & 12. §. 1. ff. quod met. cau.* ibi. Nam cum liceat (inquit) vim vi repellare, quod fecit, passus est, & ibid. *not. glos. verbo Mox,* reddens rationem sic. Quia ex sua improbitate non debet consequi actionem; id tamen intelligendum, si modo incontinenti fiat *cap. olim 12. de rest. spol.* ibi. Præsertim cum statim, ex quo id vobis innotuit vim vi duxeritis repellendam: vbi *glos. statim,* intelligit, idest quam cito potuerint. Et *cap. 3. de senten. excom.* ibi. Si incontinenti vim vi repellat: cum vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittant. Et quæ requirantur ad vim rectè repellandam dictum fuit *sup. verbo Defendere.* Si verò non fuerit repulsa vis in continenti, sed posteà, non poterit, qui eam primum passus est, agere interdicto: nam prior illa vis fuit absumpta per secundam ex interuallo factam, vt interdicto propterea non possit agi, vt per *glos. optimam verbo quis, in l. si quis ad se fundum, C. ad l. Iul. de vi pub.* Vnde illa vltima vis prius debet purgari. Quid si te deieci, tu me inquietas, an succumbes? quærit *glos. sing. verbo possidet, in l. 1. §. vlt. ff. vti possid.* & respondet ita. Videtur quod non, quia à te ego possideo vi expulsiua, & tu à me vi inquietatiua, vbi *Apostilla* sic ait. Ista glo. est sing. secundum *Alex. hic in addit. ad Bart.* ad hoc quod quamuis ex interuallo nõ sit licitũ expellere violentũ possessorem, tamen est licitum eum inquietare pro qua *glos.* bene facit *tex. in l. si de eo, § fin. sup. de acquir. poss.* licet *Alex.* eum non alleget.

Expulsores tales censentur etiam qui venientem non admittunt: sic ait. *glos. verbo Expulsores in Clem. vnic. de for. comp.* Quæ loquitur de his, qui propriũ Episcopum expellunt. Et qui apportari non patitur ea; sine quibus refici iter non possit, vim facere videtur quominus reficiatur. Inquit *l. veteres, ff. de itin. actuq; priu.* Eum quoque vim facere, qui cum sciret se prohibendum per vim molitus est, ne prohiberi possit *l. 1. §. Quid sit, ff. quod vi, aut clam;* quem tex. notat ibidem *Apostill. sing.* ad hoc quod ille dicitur interpellatus, qui facit vt nõ interpelletur.

Vi possessum non posse vsucapi habes *infr. verbo vsucapio.* vbi dicitur id intelligi de vi ablatiua, vel expulsiua.

Si quis liberum hominem vi rapuerit, & in

in vinculis habuerit; is indignissime commodum possessionis consequetur: quia probari non poterit, hominem eo tempore in libertate fuisse. Sic in *l.* 20. *ff. de probat.*

Generale est in omni violento, vt res sit eius periculo. Ita *glo. verbo periculo, in l. qui ratiario* 30. *ff. de pig. act.* vbi alia iura. Tex. vero sic ait: Si inuito ratiario retinuisset, eius periculo ratē fuisse respondi: si debitor volūtate sua concessisset, vt retineret, culpam dumtaxat ei præstandam, non vim maiorem. Et in *l. Marito* 19. *ff. de vi*, ita. Subtractis tamen mortalitate seruis, aut pecoribus, alijsue rebus intercidentibus, tuum onus in eis restituendis esse: quia ex ipso tempore delicti, plusquam frustrator debitor constitutus es. Nam qui vim facit: dolo malo facit: quamuis qui dolo malo facit non vi faciat, vt in *l.* 2. §. *Dolo malo ff. de vi bon. rapt.*

In vi veniunt fructus etiam, quos percipere potuit, qui eam passus est, vt fuit dictum *verbo fructus*. Sed quid si sumptus aliquos fecit inuasor? Responde nec petitionem habet, nec retentionem, quia donare videtur tanquam malæ fidei possessor. Tamen sumptus necessarios, sine quibus res facta esset deterior, non debet restituere, *glos. vlt. in c.* 1. *de rest. spol.* Quod vero attinet ad damna, quibus tenetur inuasor, si probari non poterit eorum quantitas, stabitur iuramento vim passi, facta taxatione à iudice, vt habes *verbo iuramentum*.

Non videor vi deiectus, qui deijci non expectaui, sed profugi. Sic *l. Metum* 9. *ff. quod met. cau.*

In vi autem compulsiua necessarium est, vt adsit metus, qui cadat in constantem virum iuxta *c. pen. de ys quæ vi*, ibi, Non obstante violentia &c. Cum neque cruciatum corporis contineret, & ideo non debuerat cadere in constantes viros. Cum inter vim, & vim sit differentia, vt dicit *cap. De muliere* 6. *de sponsal. vbi glos.* sic. Quia duplex est vis, seu metus, qui cadit in constantem virum, & ille excusat &c. Alius est metus vanus siue vis, & illa non excusat. In vtraque verò voluntatem cócurrere, licet coactam, dicit *glos. verbo sed nec*, in §. *Furtiue de vsucap. in Inst.*

Coactiones difficiles solent exitus frequenter habere. Ita *cap. requisiuit* 17. *de sponsal.*

Vim animo fieri non posse, dixit *glos. verbo ministret in cap. Per tuas* 35. *de Simon.*

Coactionem purgari per patientiam, ait *cap. vlt. qui cler. vel vouent.* ibi. Coactio affuisset, quam patientia, & temporis perseuerantia penitus profugauit.

Visitatio.

IN sacro eloquio sumitur dupliciter, nam sæpè inuenies verbum illud pro supplicio. *Exod c.* 20. ibi Deus Zelotes visitans iniquitatem parentum in filios &c. *Ezech.* 9. *in princ.* ibi. Appropinquauerunt visitationes vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua, *&* *Psal.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum &c. & alibi. Aliàs inuenies pro beneficio gratia, & fauore *Iob.* 10. ibi, Visitatio tua custodiuit spiritum meum, *Luc.* 1. ibi. Visitauit & fecit redemptionem plebis suæ: *&* 7. ibi. Quia Deus visitauit plebem suam. In iure autem Canonico fit visitatio ad correctionem, iuxta *cap. Cum venerabilis* 21. *de censib. vbi glos. verbo bis in anno*, sic. Si certus est, quod Ecclesia nó indigeat visitatione, non debet eam visitare: quia causa correctionis visitare debet &c.

Fieri autem debet visitatio prędicta singulis annis iuxta *cap. Episcopum*, per cunctas Diœceses, Parochiasque suas per singulos annos ire oportet, vt exquirat quo vnaquæque basilica in reparatione sui indigeat 10. *q.* 1. vbi *glos.* 1. ait.

Cum

Cum necessaria causa subest tunc singulis annis potest visitare vt hic &c. & statim sic; imo tunc quãdocũq; & quotiescunq; opus est, potest omnes Ecclesias visitare vt *extr. de offic. Arch. c. mandamus*: sed si non est necessitas, de triennio in triennium visitabit, vt *extr. de offic. Arch. c. vt Archidiaconus*. vel hodie bis in anno vt *extr. de cens. c. cũ venerabilis*. sed hoc quod dicit bis in anno, intelligo si toties opus fuerit iuxt. *c. Visitandi cum seq. 18. q. 2.* & sic intellexit citata *glos. bis in anno d. c. Cum venerabilis*.

De visitatoribus quid facere debeant, & à quo procurabuntur est tex. in *c. Sicut 25. cum sua glos. verbo statuant de accusat.* vbi alia allegantur iura. Caueat igitur ne ipse, vel quisquam suorum aliquod munus, quodcunq; sit, & qualitercũq; offeratur, præsumat recipere, vt non quæ sua sunt, videatur quærere, sed quæ Iesu Christi disponit *cap. 1. §. Procurationes de cens. lib. 6.*

Prius Ecclesiæ suæ capitulum, ac ciuitatẽ propriam plene visitare procuret, ait *d. c. 5. de cens. lib. 6. & in §. Sane sic.* Ad ipsorum emendationem per salubria monita, nunc leuia, nunc aspera, iuxta datam sibi à Deo prudentiam diligenter intendens.

In visitandis Monasterijs non debet alios introducere nisi de Ecclesia sua duos, vel tres Canonicos, iuxta *cap. vt iuxta 17. de offic. ord.* ibi. Firmiter inhibemus vt nullos de cætero sæculares in capitulum (nisi duos, vel tres de Canonicis Ecclesiæ suæ in decenti habitu, & alijs, quos expedire viderit religiosos adiunctis) secum visitationis tempore introducat.

Vita.

IN illis duabus sororibus Martha, & Maria *(de quibus Luc. 10.)* duas vitas esse figuratas; præsentem, & futuram, laboriosam, & quietam, ærumnosam & beatam: temporalem, & æternam, dixit *Aug. in serm. 27. de verb. Domini* Et istam temporalem diuidi in actiuam & contemplatiuam, vtramq; in ijsdem sororibus etiam significatam, tradit *Innoc. III. in cap. licet 18. de regular.* verbis statim citandis. Contemplatiua per Mariam, actiua per Martham figurata; Illam meliorẽ ista, testatur Saluator, dicens, Maria optimam partem elegit. Sed quando agitur de vtilitate communi, istam illi præferri, dicit idem Pontific. Quoniam sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas speciali vtilitati præfertur. Et in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, & labor quieti. Ad quod vtique designandum vnigenitus Dei Filius Iesus Christus non de Rachele secundum carnem natus est, sed de Lia: nec legitur cum in domum suam Maria excepisse, sed Martha. Nam plurimorũ vtilitas vnius vtilitati præferenda est, vt in *cap. scias 7. q. 1.* Sancta verò simplicitas solum sibi prodest *2. q. 7.* coniuncta *glos. 1.* ibi. Et est hic argum. vitam actiuam esse præferendam contemplatiuæ &c. Et habent se, vt excedentia, & excessa. Contemplatiua, quantum ad personam contemplantis magis est secura, & minus vtilis: actiua verò magis laboriosa, & minus secura, sed magis fructuosa, vt *extr. de renunc. Nisi cum pridem &c.*

Siue vnam, siue alteram teneamus, in Domino lætemur, & gaudeamus. Nam vt dicit *Aug. lib. 10. confess. c. 22.* Et ipsa est vita beata gaudere ad te, de te propter te: ipsa est enim, & non est altera. Qui autem aliam putat esse aliud sectatur gaudium, neq; ipsum verum. *Et cap. seq.* sic. Beata quippe vita est gaudium de veritate: hoc est enim gaudium de te, qui veritas es Deus &c.

Cætera verò vitæ huius, tanto minus flenda, quanto magis flétur, & tanto magis

gis flenda quanto minus fletur in eis. idem *Aug. eod. lib. 10. c. 1. & cap. 28. n. 2.* ita. Prospera in aduersis desidero, aduersa in prosperis timeo, quis medius locus, vbi non sit humanæ vitæ tentatio? &c. Et quia aduersitas dura est, & naufragat tolerantia, nunquid non tentatio vita humana super terram sine vllo interstitio? Vtique dico ex ratione à *Senec. posita lib. 1. epist. 2.* in his verbis. In peregrinatione vitam agentibus, hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Et quæ maior tentatio in hac peregrinatione præsentis vitæ, qua à patria nostra peregrinamur, quã non vllam in ea inuenire amicitiam?

Sed & vitam securam, & sine vllis fortunę incursionibus mare mortuum esse ex *Demetrio* dicit idem *Sen. epist. 68. ad fin.* Quinimo & totius vitæ christianæ perpetuam esse debere pænitentiam, dicit *Trid. sess. 14. c. 9. sub tit. doctrinæ de sacram. vnctionis*,

Viuere, militare est dicit *Senec. epist. 97.* Non ergo viuere bonum est, sed benè viuere, vt idem *epist. 71. & epist. 94.* sic. Longa est vita, si plena est, impletur autem cum animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transtulit. Quid illum 80. anni iuuant per inertiã exacti? non vixit iste, sed in vita mortuus est, nec serò mortuus, sed diu 80. annis vixit. Interest mortem eius ex quo die numeres &c. actu illam metiamur non tempore. Vnde dicebat idem *lib. 5. de benef. c. 17. epist. 62.* Ante senectutem curaui vt benè viuerem, in senectute, vt benè moriar. Sed maximum vitium vitæ est, quod imperfecta semper est, quod etiam aliquid ex illa differtur, vt per eundem *epist. 102.* Et in tanta breuitate vitæ, illlam breuiorem facimus inconstantia aliud, atque aliud facientes initium *epist. 32. & lib. 3. epist. 23. ad fin.* sic. Malè viuunt, qui semper viuere incipiunt &c. quia semper illis imperfecta vita est. Non potest stare paratus ad mortem, qui modo incipit viuere. Quidam viuere tunc incipiunt cum desinendum est &c. Quidam antè viuere desierunt, quam inciperent.

Viuimus quasi altera die morituri, & ædificamus quasi semper in hoc sæculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum, & nudus, atque esuriens ante fores nostras Christus in paupere moritur. Sic *Hierony. ad Gaudent.* Ideoq; hæc, & alia facimus peccãtes, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat vt dixit *Senec. epist. 72.*

Sic certè viuẽdum est, tanquã in conspectu viuamus; sic cogitãdum tãquam aliquis in pectus intimũ inspicere possit, & potest. Ita idem *Senec. epist. 84.* Quod ab omnibus obseruari debet, & maxime ab illis, qui populum docent, & sunt Sacerdotes, de quibus ait *Chrysost. in cap. vlt. 40. dist.* ibi. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem: in iudicio enim tuo sedes. Si quidem benè vixeris, & benè docueris, populum instruis: si benè docueris, & malè vixeris, tui solius condemnatoq; eris. Nam benè viuendo, & benè docendo, populum instruis quomodo viuere debeat: bene autem docendo, & malè viuendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. Sed neque doctrina eius, qui malè viuit, licet optima sit, & accipi debeat, recipitur: Nam (vt dicit *Gregor. in c. Infames, in fin. 3. q. 7.*) cuius vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur.

Quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actuo comprobatur, vt in *c. Sicut excellentiam 23. q. 4. coniuncta glos. verbo Non ex ordine.* Si es superior viue benè, & sic cum inferiore viuas, quemadmodum tecum alium tuũ superiorem velis viuere, prout dicit *Senec.* Nam alteri viuas oportet si vis tibi viuere, iuxta *eundem epist. 48.* non enim continuò sibi viuit, qui nemini, *epist. 56.*

In-

Incerta est vita illorum, qui nimia fatigatione lassantur. Ita dixit *Cassiodor. lib. 5. epist.* Et quæ maior fatigatio quàm vita iniquorum? nam & ipsi proprio ore confessi sunt; lassati sumus (inquiunt) in via iniquitatis. Relinquamus igitur talem viam asperam difficilem, & faticabilem. Et sequamur viam planam, facilem, & suauem, qualis est illa Domini, prout ipse dixit; & licet non facilis sit vitæ hominum mutatio; sed cum animæ fiat labore (vt dixit *Imp. in Anth. de Monach. §. Sancimus. coll. 1. & glos. verbo congrue, in c. reperiuntur de pænit. dist. 3.* adeo vt dixerat *Pont. in c. 2. de regul. in 6.* Quod non præsumitur quis voluisse vitam mutare, nisi euidenter constet, aut clara probatione, vel competentibus inditijs ostendatur) tamen consideret, quod ad regnum cæleste consequendũ, necesse est vim pati, nam violenti rapiunt illud, & cum ita Dominus dixerit, non habebunt excusationem, qui dicunt esse natura ipsa colericos, accidiosos, & alia vitia habere, quia & si ita esset, adhuc contra ipsam naturalem inclinationem tenentur pugnare, & hanc vim facere ipsi naturæ, vt vitam æternam consequantur. Non enim desidiosis ipsa conceditur; & dicebat Pater Beatissimus Philippus Nerius vulgariter, Il Regno del Cielo nõ è fatto per li poltroni. Et hæc sufficient pro spirituali vita.

De corporali pauca dicemus, cum filij huius sæculi prudentiores sint, filijs lucis. Et notum est quod statutum est hominibus semel mori, vt per Apost. Vita enim cum exceptione mortis data est, dixit *Senec. epist. 30. n. 4. ad fin.* Et omne, quod vndique suis partibus circumscribitur, viuere vno spiritu dicitur, vt tradit *glos. verbo vno spiritu per tex. ibi in l. Rerum mistura 30. ff. de vsucap.* Et vita longissima est centum annorum *l. An vsusfructus 63. ff. de vsufr.* ibi. Et placuit centum annis tuendos esse municipes: quia is finis vitæ longæui hominis est, *& l. si vsufructus 8. ff. de vsufr. legat.* ibi. Vnde centum annos obseruandos esse constat; qui finis vitæ longissimus est, *& in l. vt inter 19. C. de sacros. Eccles.* ibi. Longissimum vitæ hominum tempus eligimus, & nõ aliter &c. Nisi centum annorum &c. Vnum tantummodo terminum humanę vitę imponimus, idest centum metas annorum. Cum hoc tempus vitæ longæui hominis plerumque finis esse dignoscatur. Ait *Anth. vt eccles. Rom. cent. an. coll. 2.* Sed in mulieribus minorem esse vitam dicis verbo Mulier; & tamen dicit *Hipoc. 1. Aphor. 1,* Vita breuis, ars vero longa. Ex quo infert *Bald. in l. 3. n. 9.* quod vna scientia requirit totum hominem.

Pro vita tuenda omnia permissa sunt, quę expresse non prohibentur, & licet prohibita committantur sunt ignoscenda iuxta *l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent.* ibi. Nam ignoscendum consueuerunt ei, qui sanguinem suum qualitercumque redemptum voluerit. Et si famæ parcitur, magis vitæ parcendum esse dicitur in *l. si adulterium 38. §. Imperatores ff. ad l. Iul. de adult.* Et si dubitatur an malo animo quis fecerit inspecta vitæ eius præcedentis actu, venia ei dabitur iux. *l. Desertorem 3. versi. Is qui, ff. de re milit.*

Ad vitam conseruandam alimenta necessaria esse nemo est, qui nesciat, nemo enim viuit ex vento, vt dixit *Imp. Alex. in l. vlt. C. de alim. pup. præst. ad fin.* ibi. Nec ferendus est iuuenis, qui cum præsens esset: si ea per aliũ se consecutum non probet: sumptusq; recuset, quasi vento vixerit.

Indiuidua vitæ consuetudo est talem se vxoré in omnibus exhibere viro, qualis ipsa sibi est, & è conuerso. Vide verbo *Vxor. & verbo vir.*

Vitium.

AVt est quatenus virtuti opponitur, de quo dicitur, quod ab vno omnes virtutes detrimentum patiuntur, vt in *verbo virtus* dixisti, & illud dicit *Boeth. de consolat.* esse animi ægritudinem, & *Bald. in l. Properandum* 11. §. *sin autem vtrasq; num.* 1. *C. de iud.* Non cadere nisi in miseris animo.

De eodem dicit *Philosop.* 4. *Eth.* Quod vnicuique secundum dilectionem sunt propriæ, & accommodatæ virtutes, vel vitia. Sed magis procliuis est natura ad vitium, quam ad virtutem. Vnde dicit *Hieronym. ad Lætam*. Procliuis est enim maiorum æmulatio, & quorũ virtutes assequi nequeas, imitaris vitia cito.

Sæpe se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur: vt tenacia, parsimonia: effusio, largitas: crudelitas, actus: iustitiæ remissio, pietas velit videri. Ita inquirit *c. Sæpe* 41. *dist.* Et hinc est, quod vitia nostra non videmus, & tanquam cæci sumus, vt ait *Sen. epist.* 51. *post prin.* vbi loquens de quadam cæca muliere, sic addit. Nescit esse cæcam, subinde pedagogum suum rogat, vt migret, ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in ea ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt, nos sine duce erramus, & dicimus non ego ambitiosus sum, sed nemo Romæ potest viuere. Non ego sumptuosus, sed Vrbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meũ vitium, quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitæ, adolescentia hæc facit. Quid nos decipimus? Non est extrinsecus malum nostrum intra nos est in visceribus ipsis sedet. Et *epist.* 54. *post med. sic*. Vitia sua nemo confitetur: quia etiam nunc in illis est. Somnia narrare vigilantis est; & vitia sua confiteri, sanctitatis inditium est.

Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur, dixit *Iuuenal. lib.* 3. *Sat. alias* 7. de quo meminit *glo. in cap.* 2. §. *fin. verbo tanquam de translat. Episc.* per tex. ibi. Et quamuis ijdem Archiepiscopi tanquam maiores plus excesserint in præmissis. Et consonat *l. Presbiteri C. de episc. & cler.* Crimen enim augetur pro dignitate. Et qui magnus fuit comparatione creatus fuit, sine venia damnatus est, vt inquit *gloss. verbo Exerceatur in cap. Excõmunicatus* 13. §. *Credentes de hæret.* Quod vero maior tunc debeatur vindicta *eod. verbo habes, & verbo culpa.* Propagatur enim vitiũ, nisi per correctionem disciplinæ subsequatur correctio; vt dicit *glos. verbo Exemplum in c.* 3. *de transl. Episc.*

Mens inquinata contagine impudici corporis, non potest nisi longo tempore, ita multis bonis operibus à colluuione, quæ inhæserit, purgari. Dixit *Lactant. lib. instit.* Sed melius cum illo ageretur, qui vnum tãtum vitium haberet integrum, quam cum eo, qui leuiora quidem, sed omnia. Ait *Senec. epist.* 86. Et hæc, si aperta sunt, leuiora esse. Idem *epist.* 57. vbi etiam confirmat sic. Morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt, & auaritiam itaque, & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ, tunc perniciosissima scias esse, cum simulata sanitate subsidunt.

Re vera vitium est velle vili emere, & carò vendere. Ita *D. Thom.* 2. 2. q. 77. art. 5. quod quidem commune est omnibus, & naturale vitium, & ideo tali parcendum, vt dixit *Apostill. ad glos. verbo totos in l. Maximum vitium, C. de lib. prætер.* per tex. *in l. Fluminum* 24. *ff de dam. infec.* Ipsum tamen vitium hominis debet haberi odio, non natura, pro-

prout ait *glos. verbo Ministrorum in Extrauag. vnic. Ne sed. vac. int. com.* Et maiori cum ratione dignus erit venia, qui alieno vitio laborat. *glos. verbo defectum in c. 1. de fil. presb. lib. 6.* Si vero suo vitio incidit, indignum est ei subueniri, vt dicit de eo, qui sua culpa in egestatem deuenit, *glos. verbo Ad inopiam in cap. Quia in Ecclesiarum de constit.*

Sæpe vidi grauius offendere animos auditorũ eos, qui aliena vitia aperte dixerunt; quàm eos, qui commiserunt, dicit *Hier. ad Rust. ex Tul. in inuect. con. Salus.* & addit inf. licet ergo in genere, quod nõ in specie. Caueant tamen, vt etiam in generali loquutione linguã refrenẽt: quia qui incõsideratè loquitur, sentiet mala.

Si vis exercere tibi vtile, nulli autem graue imperium, submoue vitia, dixit *Senec. epist. 95. Et epist. 57. ita.* Nihil tam certum est quàm otij vitia negotio discuti. Et *lib. 6. epist. 27. in princ.* Moriantur ante te vitia. Alias Deum habebis vltorem, si cum ipsis morieris.

Aut est vitium quatenus nostro iuri opponitur, de quo ait *glo. vlt. in c. 3. de const.* Quoties ex vna radice vitium noscitur, consequens est, vt vna lege tollatur. Quod deduxit *ex l. vlt. in fin. C. de nupt.* Et hoc triplex est. Aut reale vere, vt res furtiua, & vi possessa violentia ablatiua, & de isto agit *§. Furtiuæ, de vsucap. in Inst.* Non compulsiua, vt in *l. si vi. C. quod met. cau. & in l. si communi, §. pen. ff. eod. tit.* Item res data præsidi contra legem Iul. repetundarum, iuxta *l. pen. ff. ad l. Iul. rep.* Aliud quasi reale, de quo in *l. Bonæ fidei 48. ff. de acquir. rer. dom. & in l. Vbi lex 24. §. vltic. ff. de vsucap. & in §. Sed tamen id. eod. tit. in Inst.* Aliud personale, vt quando dolus dat causam negotio, vel incidens ex proposito. Item mala fides quando quis credit venditorem non habere ius vendendi, de quo in *l. si fraude 6. C. de præscript. lõg. temp.* Ita magistraliter docet *glos. in l. Vitia. 1 1. C. de acquir. poss.*

Et ex eadem dic, quod vitia realia durant in persona vniuersalis successoris; vt *in d. l. Vitia,* & idem in singulari; vt *in d. §. furtiuæ,* & hoc quoad vsucapionem, non quoad fructus, *vt in d. l. bonæ fidei, vers. In contrarium.* Sed in vitijs personalibus distinguitur singularis successor ab vniuersali; nam si est singularis, non impeditur præscribere iure veteri incipiendo à se, & ita procedit *l. An vitium, ff. de diuers. & temp.* Licet hodie secus disponat *Auth. Malæ fidei, C. de præscript. long. temp.* Porro quantum ad agendum impeditur singularis successor etiam completa præscriptione, quia de dolo defuncti excipitur, si sit causa lucratiua: alias si non est lucratiua, non excipitur nisi vtatur accessione sui authoris; vel nisi sit res reuersura ad dolosum, vt in *l. Apud Iulianus, & l. Pure, §. pen. ff. de doli except.* Si autem fuerit vniuersalis successor indistinctè vitium defuncti ei nocet, iuxta *l. Cum hæres in ius omne* defuncti succedit, ignorantia sua defuncti vitia non excludit &c. Nec enim rectè defendetur, cum exordium rei bonæ fidei ratio nõ tueatur *ff. de diu. & temp.* Et iuxta hanc distinctionem iam intelliges *l. Pomponius 13. §. 1. ff. de acquir. possess.* dum ait. Cum quis adminiculo ex persona authoris vtitur, vti debet cum sua causa, suisque vitijs. Et *glo. verbo competat in d. §. furtiuæ,* ibi: Hodie vitium personæ nocet singulari successori. Regula autem generalis est vitium reale in tertium transire, personale vero non, de qua in *d. l. apud. §. Item quæritur, ius fit.* ibi: Et per hoc æquè traditur rei quidem cohærentẽ exceptionem, etiam emptori nocere: eam autem, quæ ex delicto personæ oriatur, nocere non oportere. Et in *§. Si quis, verſ. Item,* ibi: Sufficit enim si is, qui pretium dederit, vel vicem pretij, cum sit bo. fidei emptor, vt nõ patiatur doli exceptionem ex persona authoris.

Datur etiam vitium in re, quod vocatur litigiosi vitium, de quo dicit *glos.* 1. *in l.1.C.de præscript.long.temp.* Non afficere rem, & ideo in eo tex. deciditur sic. Cum post motam, & omissam quæstionem, res ad noua dominia bona fide transierint, & exinde noui 20. anni intercesserint sine interpellatione: non est inquietanda, quæ nunc possidet persona: quæ sicut accessione prioris domini non vtitur, qui est inquietatus, ita nec impedienda est, quod ei mota controuersia sit.

Dari etiam vitium potest in contractibus, testamentis, & alijs actibus, non est dubium; & hoc duplex est, aut enim erit quod vitiet actum, aut quod vitietur, & non vitiet. De primo inquit *l.24.ff.de pignor.* sic. Cum vitiosè, vel inutiliter contractus pignoris intercedat retentioni locus non est: quod limitabis si vitium fuerit purgatum, vt in *l.1.ff.eod. tit. & in l.Testamentum 17.C.de testam.* ibi. Namque necessariâ prætermissa imminuisse contractus; & testatoris officium voluntati. De secundo *l.Pecuniæ 9. ff. de vsur.* ibi. Quarum pro modo cuiuscumque temporis; superfluo detracto, stipulatio vires habebit. Et in *l.Placuit 29.eod.tit.* ibi. Quod illicitè adiectum est pro non adiecto haberi, & licitas posse peti. Et *glos.* per tex. ibi in *l. vsuras 20. eod. tit.* sic ait. Ergo inutilis adiectio vitiatur; & non vitiat. & *glos.* vlt. *in l. vt mihi 21. ff. de donat.* ibi. Et not. quod tantum, quod vltra legem est, vitiatur ex verbis eiusdem tex. dum dicit. In id quod modum legis excedit contra te condictionem habeo. Vitia ergò intrinseca vitiant, extrinseca verò non; sed vitiantur *l.Nō idcirco & ibi Bald.C.de testa.*

Si vitium à principio interuenit, quod vitiet actum, dictum vitium non vitiatur, licet perueniat ad eum casum, in quo incipere potest. Ita notauit *glos.* *verbo infirmari, per tex. ibi in l. cum hic status 33. §.vlt.vers.si confecto ff.de donat. int.* Et è conuerso non vitiatur aliquid licet in eum statum veniat, à quo incipere non possit, iuxta *glos.verbo Extiterit in l.item 18.§.quod adijcitur ff.de const. pec.* per tex. ibi. Vt si quid tunc debitum fuit cum constituebatur, nunc non sit, nihilominus teneat constitutum, quia retrorsum se hæc actio refert. Et licet *l.3.ff.de his quæ pro non script.in fin.* videatur contrarium decidere, intelligas eam procedere in his, quæ in actu nondum habent esse perfectum, vt ex eadem patet.

Vitiato expresso, non vitiari tacitum, si non est eadem vitiandi ratio ad vtrunque dixit *Bart.per tex.in l. 1. §.1.ff.quib. mod. pig.sol.* Cum venditor (inquit Papin.) numerata sibi parte pretij, prædium quod venierat pignori accepisset, ac postea residuum pretium emptori, literis ad eum missis, donasset: eoque defuncto donationem quibusdam modis inutilem esse constaret: frustra Fiscum, qui in locum venditoris successerat, petere prædium iure pignoris apparuit, cuius pignoris solutum esse pactum prima voluntate donatoris constabat: quoniam inutilem pecuniæ donationem lex facit, cui non est locus in pignore liberando.

Non esse sub intellectum quod vitiet, inquit *glo.vlt. in l.vlt. ff.de fideicom. libert. & ibidem Bart.in sum.* sic. Non intelligitur repetitum, quod repetitum vitiaret.

Omne quod est nimiū verti in vitium, dicit *glos.verbo* [illegible] *vt* [illegible] Non tamen sufficit ad annullandum: regula namque vulgaris dictat ea, quæ abundant, non vitiare *d.l.testamentum 17.C.de test.* ibi. Non abundans cautela.

Iterum dari vitia in personis seruorum notum est: quæ sunt vel animi, vel corporis in his locum habere redibitoriā (nisi sint euidētia, quæ se occulis exhibent

bent iuxta *l. Quaritur, §. vlt. ff. de edil. edic.* patet ex *l. 1. 2. & 3. cod. tit.* In illis verò actionem exempto constat ex *d. l.* 1. & 4. Si verò mixtum fuerit vitium animi, & corporis, redhibitoriam dari notauit *Bald. in d. l. 1. §. Exempli itaque.*

Item de vitijs rerum, seu loci agitur in supra citata *l. fluminum* 24. *ff. de damn. infect. vbi Paul.* sic. Cæterum si ex loci vitio damnum timeatur: minimè dicendum est damni infecti stipulationem interponi oportere &c. & in §. 2. ita Vitium autem ædium, & loci esse Labeo ait quod accidẽs extrinsecus infirmiores eas facit. Denique nemo dixit palustris loci, vel arenosi nomine quasi vitiosi committi stipulationem: quia naturale vitium est. Vbi *glo. alia* allegat iura, dicens parci naturali vitio, *vt sup. iam tetigisti*.

Vnio.

QVot modis fiat, videas per *Innoc. in c. 1. in princ. ne sed. vac. Celestin. III. in cap. 8. de excess. Prælat.* ita ait: Sicut vnire Episcopatus, atque potestati subijcere alienæ, ad Summum Põtificem pertinere dignoscitur: ita Episcopi est Ecclesiarum suę Diœcesis vnio, & subiectio earũdẽ. Duos igitur casus notabis ex tex. reseruatos Sũmo Pontifici, vnio scilicet, & subiectio Episcopatuum.

Solius ergo Papa potest duos Episcopatus vnire, vel vnum alteri subijcere. Secundo nota alios duos casus reseruatos solis Episcopis, & denegatos cęteris Prælatis inferioribus, vt vnio, & subiectio Ecclesiarum inferiorum, & suorum diœcesanorum: Episcopi ergo ad similitudinem Papæ in suis diœcesibus possunt vnire Ecclesias sibi subiectas. Est autem differentia: quia Papa potest vnire etiam sine causa, & sine consensu Canonicorum, quod non posset facere Episcopus, vt est casus notab. in *cap. pastoralis in fin. de donat.* Et per hunc textũ dicunt hic Doctores, quòd quantumcunque Prælatus inferior habeat Ecclesias pleno iure sibi subiectas: tamen non potest vnam Ecclesiam vnire, vel vnam alteri subijcere. Ita his verbis ponit *Abb. in d. c. sicut, vbi omnino videas de materia vnionis, & ibidẽ Addit.* vide etiã *Alex. in cons. 62. vol. 4. Bart. in Auth. vt iud. sine quoquo suffragio §. Illud tamen, in 2. coll.*

Vniuersitas.

QVamuis minus propriè etiam sumatur pro generalitate; vt per *glos. in l. In modicis* 24. *ff. de contrah. empt.* ibi. Et nota hic argum. quod quædam transeunt cum vniuersitate, quæ per se non transeunt, vt *infr. de acquir. rer. dom. l. Quædam*; de qua generalitate aliqua diximus supra *verbo genus, & generalitas*. Tamen propriè loquendo, aliud est vniuersitas, alius generalitas: nam in generalitate, quælibet species considera tur de per se; sed in vniuersitate non: quia omnes faciunt vnum totum, vt in *l. Eum qui ædes, ff. de vsucap.* ita dicit *Addit. ad glos. verbo Non aliter in l. 1. ff. de offic. eius*: vnde *Bald. in l. si sciens n. 8. ff. de contrah. empt.* affert plures modos, quibus vniuersitas nominatur, in hæc verba. Aliquando dicitur vniuersitas pro quodam toto, in quo partes continentur, vt hic. Aliquando pro quodam iure, quod recipit augmentum, & diminutionem, sicut est peculium, vt in *l. Peculium nascitur, & l. peculium, ff. de pecul.* &c. aliquando pro vniuersitate corporum, vt pro congregatione, *l. 1. ff. de rei vendic.* &c. Aliquando pro eo, quod multa iura sub se continet, sicut est hæreditas de *petit. hæred. l. hæreditas*. Aliquando dicitur vniuersitas pro collectione personarum *de fideiussor. l. mortuo, & per tot. ff. quod cuiusq; vniuers.* Ali-

quando dicitur vniuersitas locutio vniuersalis, cuius significatum ex vniuerso sumitur: vt in *l. si is, qui ducenta §. vtrum ff. de reb. dub.*

Hic autem sumimus vniuersitatem propriè, qua significatur collectio personarum; Et hæc est nomen iuris, & non habet animum, nec intellectum, vt inquit *Bar. in l. Aut facta §. non nūquam sub n. 2. ff. de pæn.* & probat tex. optimus in *Extrauag. vlt. ad med. de verb. sig.* ibi. Facta quidem, quæ singulorum sunt, personam veram exigunt, & requirunt; Ordo autem vera persona non est, sed repræsentata, & imaginaria potius est censenda; quare, quæ sunt facti sibi verè conuenire nequeunt, licet ei possint congruere, quæ sunt iuris.

In his terminis optimè quærit *Bar. vbi sup.* An possit vniuersitas delinquere, & affert opiniones; ipse tamen sic ait n. 3. Breuiter ad intellectum huius quæstionis debemus videre primo. An vniuersitas sit aliud quam homines vniuersitatis? Quidam dicunt quod non vt *not. in l. sicut §. 1. ff. quod cuiusq; vniuers.* &c. Et hoc tenent omnes Philosophi, & Canonistæ. Qui tenent, quod totum non differt realiter à suis partibus. Veritas est, quod si quidem loquamur realiter verè, & propriè, ipsi dicunt verum. Nam nil aliud est vniuersitas scholarium, quàm ipsi scholares: sed secundum fictionem iuris, ipsi non dicunt verum; Nam vniuersitas repræsentat vnam personam, quæ est aliud à scholaribus, seu ab hominibus vniuersitatis, vt *l. mortuo sup. de fideiussor.* quod apparet, quia recedentibus omnibus istis scholaribus, & alijs redeuntibus, eadem tamen vniuersitas est. Item mortuis omnibus de populo, & alijs subrogatis idē est populus vt *l. proponebatur sup. de re iud.* Et sic aliud est vniuersitas, quàm personæ, quæ faciunt vniuersitatem, secundum iuris fictionem: quia est quædam persona repræsentata, *vt d. l. mortuo.* Hoc etiam præmisso, si quæritur an vniuersitas possit delinquere? Respondeo, propriè non potest delinquere: quia propriè non est persona, vt dictum est: tamen hoc est fictum positum pro vero: sicut ponimus nos Iuristæ. Si quæratur, an vniuersitas delinquat? Dico quod sic, peccatum omissionis potest committere vniuersitas. Nam ipsa vniuersitas tenetur aliquid facere, quod si omittitur, vniuersitas omittit: licet hoc contingeret negligentia regentium ciuitatem, tamen ipsa dicitur negligere &c. quæ potes videre vbi *num. seqq.* qualiter potest puniri vniuersitas. Et quod vniuersitas damnata in pœna pecuniaria, illi qui non deliquerūt non debent contribuere. Et alia curiosa omnino videnda.

Debita vniuersitatis ex bonis communibus eius debent solui. Sed quid si nihil habent commune? Quærit *glos. verbo Proconsul, in l. 1. §. quod si nemo ff. quod cuiusque vniuers.* & respondet. Compellentur facere collectam, vt aliquid habeant commune.

Municipio fideicommissum relinqui posse dubium non est. Sed si non caueatur: aduersus municipes quidem non dubitamus ex hoc edicto iri in possessionem posse. Ipsos verò municipes si eis non caueatur, nō idem assecuturos: sed extrario remedio opus erit, videlicet vt decreto Prætoris actor eorum in possessionem eatur. Ita *l. 12. ff. vt in poss. legat. vbi glos. pen.* inquit quod vniuersitas facile consentire non potest. Et *Apostill.* ibidem sic addit. Nec facilè congregatur &c. Et alibi opus est quod sint duæ partes ad minus antequam faciant actum, vide per *glos. vlt. in l. nulli, ff. quod cuiusque vniuers.* & tex. in fin. ibi. Cum duæ partes adessent, aut amplius quàm duæ.

Vt ergo vniuersitas, vel Ecclesia sit contumax, citetur in capitulo, vel arengo, inquit *glos. in l. non potest 160. ff. de reg. iur.*

vt

et &c. Alias nec in expensis, vel grauaminibus, quibus grauantur cõtumaces possunt grauari, vel ipso iure, vel per restitutionem in integrum, vbi *Apostill.* dicit esse menti tenendam.

Vt conseruetur vniuersitas debent in ea gradus diuersi, & ordines distincti esse, vt dum reuerentiam minores potioribus exhibent, & potiores minoribus dilectionem impendunt: vera concordia fiat, & ex diuersitate contextio: & recte officiorum geritur administratio singulorum. Neque enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Vt ex authoritate *Gregorij, & Bonifac. dicitur in cap. vlt. 99. dist.* à quo deduxit *glos. verbo maioribus, in Extrauag. 1. de verb. sig.* ibi. Vniuersitas enim alia ratione subsistere non posset, nisi magnus ordo distinctionis graduum eam seruaret.

Si vniuersitas deficientibus hominibus in vnum tantum deueniat, adhuc tamen vniuersitas dicitur, cum ius omnium in illum vnum reciderit, & stet nomen vniuersitatis, vt prædictis verbis dicitur in *l. sicut 7. §. vlt. ff. quod cuiusq; vniuers. glos. verbo & legatarij in l. Pater filium 36. §. filiam suam in fin. ff. de legat. 3.* ibi. Sic & vniuersitas remanet in vno.

Vnicum, & Vnum.

Plus videtur importare vnicum, quàm vnum: nam tunc quis habet vnum, quando aliud, sed tunc dicitur habere vnicum, quando non habet aliud, nec sperat vlterius aliud, nec habet aliud in quod aspectum dirigat. Ita ponit *glos. verbo Igitur, in Extrauag. 1. de maior. & obed. inter com.* Hinc est, quod iura prohibent priuari aliquem vnico, & non vno. Nam *Vlpian. in l. Illicitas 6. §. ne potentiores,* inquit sic in vers. Et ne tenuis vitæ homines sub prætextu adhentus officiorum, vel militum, lumine vnico, vel breui supellectili ad aliorum vsus translatis iniurijs vexentur, Præses Prouinciæ prouidebit, *ff. de offic. præsid. vbi not. glos. & Pontif. in Clem. 1. de sent. excom.* ibi. Quia ipsos hoc vnico lumine, ad repellendas iniurias eis factas, priuare nolumus. Vbi not. *Cardinal. in §. In cessationibus notab. 3. ante num. 1.*

Difficile est, vt vnus homo duorum vices sustineat. Ita *l. si plures 10. ff. de pact. glo. verbo Consistente in Auth. vt determ. sit nu. cler. §. 1. coll. 1.* & maximè quando sit talis, quod non possit vnum explere iuxta terminos *cap. Presbyteros. 16. q. 1.* ibi. Satis enim incongruum est, si cum vnum ex his præ sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrumque videatur idoneus. Tamen in *l. Nam 16. ff. de hæred. inst. notauit glos.* vnũ vicem plurium sustinere per tex. ibi. Nam tertium & instituti, & substituti personam sustinere.

Vno contextu actus dicitur gestus, quando nullus alius alienus ab eo intermisceetur, vt in *l. hæredes palam §. vlt. ff. de testam.* ibi. Est autem vno contextu, nullum alienum actum in testamento intermiscere.

Vnum non esse numerum, sed principium numeri notauit *glos. verbo solum, in l. si quis 10. ff. de acquir. hered.* per tex. ibi. Quia cõductio nulla est, quæ est in vno nummo. *Bald. in l. 1. sub num. 4.* ibi. Quia vnus non est numerus, *C. de cond. insert.*

Volunias.

Est (vt *Aug. ait lib. 1. retract. relatus in c. 1. 15. q. 1.*) animi motus ad aliquid imitandum, vel non imitandum, vel adipiscendum. Quod propterea dictũ est, vt hac diffinitione volens à nolente discerneretur. Et secundum *Arist. 1 Rethor.* Est appetitus boni cum ratione.

Im-

Vt quæ disposita sunt à morientibus impleantur, *&* *in* §. *Hinc nobis*, ibi. Quoniam tuenda est nobis vbique deficientium voluntas. Et in *Auth. de nupt.* §. *Quæ vero post princ. coll.* 4. ibi. Non enim volumus deficientium nihil illicitum habentes voluntates frustrari &c. & ibi. Nouissimi sceleris est despicere voluntatem defuncti. Et in fin. ibi. Studij enim nostri est defunctorum conieturare secundùm legem voluntatẽ, *&* *in* §. *Hinc vos*, ibi. Quia vbique custodire morientium voluntates volumus. *&* *in Auth. de hered. ab intest. ven.* §. *vlt. coll.* 9. ibi. Defuncti namque voluntatem, & electionem præponi volumus. Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam vt supremæ voluntates, postquam aliud velle non possunt, liber sit stillus, & licitum quod iterum non redit arbitrium. Inquit *l.* 1. *C. de sacros. Eccles.*

Et non solum quando verbis claris, & proprijs constat de voluntate testantis verum etiam quibuscunque verbis declarata sit, licet ab intestato ei fuerit successum iudicem sequi voluntatem patris, iuris authoritate significatur. Dicit *l. filij patris* 16. *C. fam. herc. &* *idem l. vlt. eod. tit.* Adhuc etiam semper sequimur vestigia voluntatis testatoris, Inquit *l. Quidam C. de necess. seru. hered.*

Sed cum ambulatoria sit voluntas testatoris vsque ad supremum vitæ exitum, vt in *l. Cum hic* 33. *ff. de donat. int.* *l.* 4. *ff. de adim. legat.* Illa, quæ nouissima reperitur, seruari debet, vt inquit *l. Translatio eod. tit.* Suprema namque voluntas potior habetur. Nemo enim sibi legem potest dicere, vt à priore voluntate recedere non liceat, Ait *l. si quis in principio* 22. *ff. de legat.* 3. Huic ergo nouissimæ voluntati per omnia obediendum esse, ait *l. Cum antiquitas C. de vsufr.* nam si quis contra faciat, & sit filius, impius vocabitur iuxta *l.* 7. *C. de testam. man.* ibi. Contra voluntatem matris tuæ &c. non debes, ne videaris iura pietatis violare. Si libertus, inhumanus dicetur iuxta *l. Pamphilo* 37. *ff. de legat.* 3. ibi. Sed cum sententiam defuncti à liberto decipi satis inhumanum sit. Et si alius quicunque hæres, vel legatarius fuerit, indignus hæreditate aut legato reputabitur, qui voluntati, etiam si precibus declaratæ, resistit, aut destituit, iuxta *l. si patroni* 55. §. *qui fideicommissariam, ff. ad Trebell.* ibi. Cur enim non videatur indignũ, vt qui destituit supremas defuncti preces conseruatur aliquid ex voluntate? *c. si heredes iussa testatorum non adimpleuerint* 6. *de testamen.* Et notauit *glos. verbo possit in l. Ita tamen* 27. *eod. tit.* ibi. Qui autem oppugnat voluntatem, non debet ex ea consequi commodum: nec excusabitur, si pro parte obedierit, vt per *glos.* fuit etiam notatum in *l. à filio* 15. *verbo compellendam, ff. de alim. legat.* ibi. Et nota non licere in partem velle, in partem nolle parere defuncti iudicio. In non adimplenda enim voluntate, damnum patitur testator: vt in *l. fideicommissariam* 23. §. 1. *ff. de fideic. liber.* ibi. Citra damnũ voluntatis. Vnde qui semel agnouit voluntatem, non potest postea pœnitere, sed cogitur in totum adimplere, iuxta *l. si debitor* 45. *eod. tit. de fid. lib.* ibi. Et siue sit plus in pretio, siue minus, cogitur præstare libertatem si modo semel agnouit voluntatem.

Nec intelligas solum de voluntate expressa, sed etiam de tacita, & coniecturata in omnibus vltimis dispositionibus, quas constat esse quinque, scilicet testamentum scriptum, item non scriptum, codicillum, & inter liberos, militare, & donationem causa mortis, vt per *glos. verbo vltima in Auth. de hered. & falcid.* §. *vlt. coll.* 1. Voluntas ergo tacita testatoris ex coniecturis colligitur, & quasi infinitas esse satis ex his, quæ *Mantic. in suo pleno tractatu de coniect.* tradit, apparet. Vnde *Papinian. in l.* 22. *ff. ad Trebell.*

bell. dixit. Non nunquam autem ex voluntate variè scriptum, & iudicatum est, loquens de tacita voluntate,& prosequitur, videlicet si non sub appellatione hæredum, sed proprijs nominibus expressis fideicõmissum relinquatur. Ex quibus verbis coniecturata testantis voluntas apparet, & adimpleri iubetur.

Altera ponitur in *l. Quoties 23. ff. eod. tit. ad Treb.* ibi. Intelligitur easdem partes in fideicommisso facere, quas in hæreditate distribuenda fecit, sed si iubeantur ij, quibus fideicommissum datur, pecuniam numerare, atq; ita fideicommissum recipere ex quantitate pecuniæ, quam dare iubentur, voluntas patris fam. colligenda est. Alia est, quæ deducitur ex affinitate, seu parentela, & hanc plenissimam vocat, *l. Prædia §. affini ff. de legat. 1.* ibi. Plenissima erga affinem voluntas;&facit *l. si seruus omnium in fin. eod. tit.* Alia ex scientia testatoris colligitur, de qua in *l. Plenum §. Equitiq. ff. de vsu, & hab.* ibi. Sed si testator sciens eum esse huius instituti; & vitæ reliquit, videtur de hoc etiam vsu sensisse, vbi *glos. in hac verbo* ait. Ex scientia defuncti interpretor eius voluntatem, *& glos. verbo denegari in l. fideicommissa 11. §. si seruo ff. de legat. 3.* ibi. Nam & aliás ex Legatarij vsu, & scientia testatoris voluntas colligitur. Alia ex vsu,& consuetudine ipsius testantis, vt notauit *Apostil. in l. sed si 10 § vlt. ff. de leg. præstan.* ibi. Voluntas ergo testatoris ex coniecturis colligitur, sic alibi ex eius consuetudine, & vsu. Alia ex precibus disponentis iuxta *l. cum pater 79. §. filius ff. de legat. 2.* ibi. Nam obnixæ voluntatis preces ad omnem successionis speciem porrectæ videbantur. Alia ex ordine, vt in *l. Damnas 15. §. 1. ff. de vsufr. legat.* ibi. Quemadmodum si in hæreditate esset fundus, per quem fructuario posset præstari via, secundũ voluntatem defuncti videretur id exigere ab hærede vbi *glos. verba volũtatem* dicit scilicet tacitam & *Apostil. sic.* Voluntas tacita ex ordine interpretatur, non expressa: & allegat *Salic. in l. cum virum col. 4. C. de fideic.* Alia ex scriptura iuxta *l. 1 illud § 1. ff. de iur. codicill.* ibi. Voluntatis autem quæstio ex scripto plerunque declarabitur. Et alia ex benemeritis iuxta optimam *l. Pr ipsius 5. C. fam. hercisc.* ibi. Proinde si offensam istam clementia flexit (quod licet scriptura non probetur) alijs tamen rationibus doceri nihil impedit: præsertim cum posteriora eorum talia merita deprehendãtur (vt ira Domini potuerit mitigari) nouissimam eius voluntatem arbiter fam. hercisc. sequatur. Et relictis alijs, affero illam, de qua in *l. Mulier 22 ff. ad Trebell.* ibi. Decreuisse igitur diuum Marcum refert, fideicommissum eis repræsentandũ intellecta matris voluntate, quæ: quia non crediderat parentem eos emancipaturum, distulerat in mortem eius fideicommissum, non dilatura id in mortalitatem si eum emancipaturum sperasset. Sed si nec coniecturis possit elici voluntas vltima, & ambiguitas adsit. Imperatori competere interpretationem dixisti, verbo *Imperator.*

Verum ad quid tot coniecturæ, & interpretationes? Sibi debet imputari qui voluntatem suam non declarauit si adimpleri voluit ipsam. Tamen si considéres, quod cum in vltima dispositione mors præ oculis sit, & sola mortis cogitatione humana fragilitas perturbata inueniatur, vt in *l. Hac consultissima C. qui test. fac. poss.* non potest quicquam imputari, & si hac nõ es ratione contentus, audi quã ponit *Imp. sanctio in l. vel negare ff. quemadmod. test. aper.* sit.

Expedit enim publicè suprema hominum iudicia exitum habere. Quemadmodum ius est *Imp. in § si quis rem ptam delegat. in Inst.* ibi. Quia exitum defuncti voluntas haberi potest vbi *not. glo. vlt.* Vn-

de

de optima cum ratione etiam tacitam, & coniecturatam testantis voluntatem leges iubent adimplere, non solum per sæculares, sed etiam per ecclesiasticas potestates, *l. hæreditas 53. ff. de petit. hæred.* ibi. Quamuis enim stricto iure nulla teneatur actione hæredes ad monumentum faciendum, tamen principali, vel Pontificali authoritate compelluntur ad obsequium supremæ voluntatis *Innoc. in cap. Nonquidem extr. de testam. Arch in c. Siluester 11. q. 1. Spec. in tit. de iudic. §. Item vers. Item imploratur contra hæredem c. Tua nobis de testam.* ibi. Cum igitur in omnibus pijs voluntatibus sit per locorum Episcopos prouidendum, vt secundum voluntatem vniuersa procedant; licet à testatoribus id contingeret prouidendum.

Ex quo etiam tex. notabis, quod testatoris voluntas nō adimpleri iubetur, quæ fuerit contra iuris dispositionem, & probat *c. requisisti 5. propo fin.* ibi. Quia priuatā dispositio testatoris non potest generalem cōstitutionem Canonis immutare, *gl. pen. in d. c. tua nobis, de testam.* Nemo enim potest in testamēto suo cauere ne leges in suo testamēto locū habeāt: vt ait *Pōpon. in l. 58. ff. de leg. 1. con. tun. alys per gl. 1. in c. ſtdiligēti de for. cōp.*

Sic etiam ineptas voluntates defunctorū circa sepulturam, velūti vt vestes, vel alia superuacua eis in funus impendantur, non valere *Papinian. lib. 3. ff. scribit* prout refertur *in l. scriso 116. §. vlt. ff. de legat. 1.* Et idem constituisse *Licurgum* testatur *Alex. ab Alex. Genial. lib. 3. c. 2. & lib. 6. c. 24.* vbi copiosè de concessis, & vetitis apud varias gentes super funeris impensis differit.

Eodem modo testantis voluntas, per quā alterius iuri præiudicatur, non est adimplenda. Nec enim potuisse eum huiusmodi lege ius creditoris facere deterius manifestum est. Ait *l. 1. C. deb. vend. pig. imp. non poss.* quæ loquitur de voluntate testatoris, illamque vocat legem. Iuxta *Auth. de nupt. §. Disponat* ibi. Et erit lex voluntas eius *coll. 4.*

Turpia legata, quæ denotandi magis legatarij gratia scribuntur, odio scribentis pro non scriptis habentur, inquit *Pompon. in l. 57. ff. de leg. 1.* & alia quamplura inuenies in quibus testatoris voluntas pro non scripta habetur in *tot. tit. ff. de his quæ pro non script.*

Ex eadem *l. Turpia 57. § 1.* deduces inualidam, & non adimplendam esse voluntatem, per quam alterius libera voluntas nubendi tollitur, *l. filiæ suæ 28. l. cum tale 71. §. si scriptum est, l. Titio centum 70. §. 1. ff. de condit. & dem.* idemque esse in voluntate, per quam libertas offenditur apparet ex §. 2. *eiusdem l. Titio* Titio, inquit, centum relicta sunt: ita vt à monumento meo non recedat, vel vt in illa ciuitate domicilium habeat: potest dici non esse locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur. Sed in defuncti libertis, alio iure vtimur.

Sed & si voluntas testatoris in alterius liberam conferatur voluntatem, non est seruanda. Nam in alienam voluntatem conferri legatum non potest: vt inquit *l. Nonnūquam 51. ff. de cond. & demo. & in l. fideicommissaria 46. ff. de fideic. lib.* sic. Quod si ita scriptum sit, si hæres voluerit, non valebit. Et prosequitur. Cæterum si arbitrium illi quasi bono viro dederit, non dubitamus quin libertas debeatur. Nam, & eam libertatem deberi placuit, si tibi videbitur, peto vt manumittas. Ita enim hoc accipiendum est, si tibi quasi bono viro videtur.

Hic iam quæres, quæ sit differentia inter liberam voluntatem, & arbitrium boni viri? Cum etiam voluntatem inducat. Et quidem esse voluntatis est, quod sit libera, nec possit cogi necessitate præcisa, vt *C. de hæred. inst. l. Cum proponas.* Sed cogitur quadam necessitate consequentiæ, vt si quis vult fugere tormenta, hoc vult liberè, & potest

 nolle

nolle. Sed si hoc voluerit, in consequentiam vult illud, sine quo tormenta fugere non potest, & ista est necessitas consequentiæ. Nam dicitur verè, coacta voluntas, voluntas est, vt *ff. quod met. cau. l. si mulier §. quod si metu.* Voluntas enim est, quod liberè vult antecedens, & ex ista deducitur ad volendum consequens. Item sciendum est, quod secundum Theolog. & Philosoph. voluntas nunquam appetit nisi bonum existens, vel apparens: & licet quandoque velit aliquid, quod agnoscit esse malú: illud vult sub ratione alicuius boni delectabilis, seu apparentis ipsi voluntati. In proposito voluntas alicuius potest considerari respectu eius, quod ipse vult tanquam delectabile ratione regulata, vel non: & illa dicitur voluntas libera: alio modo prout ipse vult recta, & regulata ratione: & illud dicitur arbitrium boni viri: quia bonus vir hoc arbitraretur: *vt ff. iud. sol. l. vir bonus. & ff. pro soc. l. societatem §. arbitrorum*: Ita inuenies apud *Bart. in Extrauag. Ad reprimendum verbo videbitur, num. 2. vbi & seqq.* affert verba per quæ libera voluntas, & per quæ arbitrium boni viri inducatur.

Ex quibus colliges, quod quando electio personæ committitur in liberam voluntatem hæredis potest eligere indignum; secus si in arbitrium, vt notat *Bart. in l. 24. ff. de legat. 2.* Cum quidam (inquit Vlpian.) ita fideicommissum reliquisset. Rogo restituas libertis meis, quibus voles; Marcellus putat posse etiam indignum præferre. At si ita, ijs, quos dignos putaueris posse petere eos, qui non offenderint. In his terminis an poterit iste, cui libera volútas committitur, mutare suam voluntatem semel declaratam? Quæritur. Et quod sic tenuit *glos. 1. in l. Quod si xv. ff. si cert. pet.* ibi. Quia dictum erat in depositione; si voles, quod verbum nimis est extensiuum, licet enim semel velit, tamen potest mutare propositum. Sed ibidem *Apostill.* contra sic. Imo non potest mutare: quia quando electio trahit secum executionem, non admittitur variatio. Quod probat optimè *l. statuliberum 11. §. vlt. in fin. ff. de legat. 2.* ibi. Cum autem semel dixerit hæres vtrum dare velit, mutare sententiam non poterit. *l. fideicommissa 11. §. si sic fideicommissis. ff. de leg. 3.* ibi. Ideoque post primam voluntatem non erit arbitrium hæredi dicendi se noluisse. Et est *glos. verbo Obstrictus in l. Hac venditio 7. ff. de contrah. empt.* ibi. Quia teneor ex quo constitui semel me velle. Et ibidem notabis differentiam inter verba, si volam, & cum volam, & cum voluero: de quibus etiam videas *Bald. in l. verbum C. de fideic. Clem. 1. §. volumus, & ibi Cardinal. de for. comp. glos. & eundem Cardin. in Clem. 1. de cons.*

Item non adimplebitur testantis erronea voluntas. Nam succursum est hæredibus ne cogantur redimere, quod testator suum existimans reliquerit. Sunt enim magis in legandis suis rebus, quã in alienis comparandis, & in onerandis hæredibus faciliores voluntates, vt inquit *l. omnes ex familia §. si rem tuam*, quam existimabam meam, te hærede instituto, Titio legem *ff. de legat. 2. §. Non solũ. vers. Quod autem.* ibi. Non si ignorabat, forsitan enim si sciuisset alienam rem esse, non legasset, *de legat. in Inst.* Nulla enim voluntas errantis est, *l. Sed hoc ita 20. ff. de aqua plu. l. cum testamẽtum 8. C. de iur. & fact. ignor.* Sciuisset autem testatorem alienam esse tenetur probare legatarius: quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit, iuxta *d. §. non solum in fin.*

Nec etiam executioni mandabitur voluntas, quæ momentaria dicitur, de qua in *l. Filia 20. C. de in offic. testam.* vbi Imperatores sic aiunt. Filia in orbitate patris relicta cum marito, cui matre volente nupsit, colens concordiam, iustas offensionis post eiusdem matris paren-

tentiam causas non præstat, nec ex Momentarijs voluntatibus matris nuptæ atq; vidua iure esse compellitur. Prout nec etiam ea, quæ iubet à matrimonio diuertere iuxta *l. Cum te 18. eod. tit.*

Nec denique voluntas mutata adimplebitur, cum iam supra dictum sit, quod nouissima seruari debet. Sed de mutatione cōstare debere certum est, nam semper adesse videtur, nisi probetur abesse, vt probat *glos. verbo Ex voluntate in l. Si quis ex causam, ff. si cert. pet.* Nam quod licet quicquid necessitate fit, citò soluatur, tamen quod voluntate arripitur perseuerat, vt in *cap. Quicquid de consecr. dist. 5.* Eum autem, qui dicit voluntatem mutatam, probare debere. Dicit *glo. verbo non timore, in cap. 1. de his quæ vi. & in l. Lucius Titius 22. ff. de legat. 2.* ibi. Onus probandi voluntatē defuncti mutatā esse ad eum pertinet, qui fideicommissum recusat. Et mutata videtur voluntas si res legata mutetur. *sup. habes verbo Legatum.*

Quāuis generaliter sit omnia, quæ per pactū fieri possūt posse fieri per vltimā volūtatē, *ad l. seruū filij 46. §. cū qui chirographū ff. de leg. 1.* Tamen quædam sunt, quę licent per vltimam volūtatem, quę per pactum non licent, vt notauit *glos. verbo vendi. in l. Quemadmodum, C. de agric. & cens. lib. 11.* & est tex. *in l. Pater filium 36. §. fundum ff. de legat. 3.* in fin. ibi. Respondi hoc ex volūtate defuncti colligi posse, scilicet filium quoad viueret alienare, vel pignorare non posse: testamenti autem factionem in eo fundo in extraneos etiam hæredes habiturum.

Aliud esse personam commendare, aliud voluntatem suam fideicōmittentis hæredibus insinuare: inquit *l. fideicommissa 11. §. si ita ff. de legat. 3.* Non enim quæri oportet cū quo de supremis, quis loquatur, sed in quem voluntatis intentio dirigatur, ait *l. Cum pater 79. §. Donationes ff. de legat. 2.*

Voluntatem defuncti cessare facere decreti necessitatem, dicit *glos. verbo prohibetur in l. non tantum 51. ff. de fideic. lib.* per tex. ibi. Is autem, qui rogatus est manumittere: etiam eo tempore, quo alienare prohibetur, potest manumittere. Et facit *l. 1. ibi C. quād. decret. opus non est.* Neq; enim in ea re authoritas præsidis necessaria est, vt tutori solicitudini cōsulatur, si voluntati defuncti pareant. *& l. 3. eod.* ibi. Alienari sine decreto præsidis (nisi parentis voluntas, vel testatoris ex cuius bonis ad minorem peruenit super alienando eo aliquid mandasse deprehendatur) nulla ratione potest.

Circa vltimas voluntates priuilegium militibus concessum intelligitur circa eorum bona, nec vltra se extendit, vt notat & summat *Bart. l. Impuberi 41. ff. de admin. tut.* per tex. ibi. Nec in alijs circa supremam voluntatem imperitię venia datur, quam in bonis militum. Et hæc satis sint de morientium voluntatibus, alia poteris videre verbo Testator.

Nunc dicamus etiam aliqua, vltra ea, quę in principio diximus, de viuentium voluntatibus. Et quidem varias esse dicit *Iurisconsl. in l. Quia poterat 4. ff. ad Trebell.* ibi. Cum variæ sint hominum voluntates; quorundam negotia timentium; quorundam vexationem; quorundam æris alieni cumulum, tametsi locuples videatur hæreditas; quorundam offensas, vel inuidiam; quorundam gratificari volentium ijs, quibus hæreditas relicta est. Vnde Pers. Sat. 5. sic cecinit.

Mille hominum species, & rerum discolor vnus
Velle suum cuique est: nec voto viuitur vno.

Voluntatem etiam sumi pro consensu dictum fuit verbo consensus. Voluntas verò quandoque expressa est, quando-

que tacita, quandoque scientia sola sine voluntate, & quandoq; cum voluntate tacita, ita ponit *glos. verbo sciente, in l.1. §. si is qui nauem ff. de exercit. act.* vbi sic. Licet autem actio in eum detur, cuius in potestate est, qui nauem exercet: tamen ita demum datur si voluntatem eius exerceat. Ideo autem ex voluntate in solidum tenetur, qui habet in potestate exercitorem: quia ad summam Reip. nauium exercitio pertinet. At institorum nō idem vsus est; ea propter in tributum dumtaxat vocantur, qui contraxerunt cum eis, qui in merce peculiari sciente Domino negotiantur. Sed si sciente dumtaxat, non etiā volente domino cum magistro contractum sit: vtrum quasi in volentem dabimus actionem in solidum: an vero exemplo tributoriæ? In re igitur dubia melius est verbis edicti seruire, & neque scientiam solam, & nudam patris, dominiue in nauibus onerare; neque in peculiaribus mercibus voluntatem extendere ad solidi obligationem.

In *l. autem 1. ff. de trib. act.* ad quā tex. proxime relatus videtur referri, sic dicitur. Scientiam hic eam accipimus, quæ habet voluntatem, sed (vt ego puto) non voluntatem, sed patientiam, non enim velle debet dominus, sed non nolle. Si igitur scit, & non protestatur, & non contradicit, tenebitur. & ibidem *glos. verbo velle*, ita. Nota inter velle, & nolle esse medium scilicet non nolle. Et in terminis *l. 1. C. de decurion. lib. 10.* inquit *glos. verbo voluisse*, de voluntate patris circa assumptionem filij ad decurionatum sic ait. Voluisse, quod eo ipso est, quod scit, & non contradixit.

Non inferas vero quod ex scientia inducatur necessariò voluntas, nisi vbi expressum ita inueneris; nam (vt sup. proximè fuit dictum in vers. volūtatem) potest dari scientia sine voluntate, & ita in *l. 209. ff. de verb. sig.* inuenies in hæc verba. Coram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsentē eo fecisse; nisi is intelligat: ideoque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo fecisse. Scire autem, non etiam velle is debet: nam & inuito eo rectè fit, quod iussum est. Et idem in *l. Diem proferre, §. coram autem ff. de recep. arbitr.*

Diuersa est causa voluntatis expressæ, & eius, quæ inest. Ita *l. Eum qui 138. §. vnic. ff. de verb. oblig.* vbi notat *glos. verbo expressæ*, differentiam inter tacitum, & expressum in stipulatione, in mandato, & in sententia arbitri.

Qui ex voluntate imponit sibi necessitatem, non esse ei subueniendum, inquit *glos. verbo minime in l. sicut initio libera* potestas est vnicuique habendi, vel non habendi contractus: ita renunciare semel constitutæ obligationi, aduersario non consentiente, nemo potest. *C. de act.* Sed quid dicendum si voluntas nō sit libera, sed coacta? de quo sup. vers. Hic iam quæris, cum Bart: tetigisti. Eritne obligatus ad id quod coactè egit? Et quod sic, quamplurima proclamant iura: nam in citata *l. si mulier, §. si metu ff. quod met. cau.* sic dicitur. Quia quamuis si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, vbi *glos. in hoc vlt. verbo*, ita. Et sic nota, quod coacta voluntas, voluntas est. *& in l. Apud Iulianum 21. ff. ad Trebell.* ibi. Adijt enim coniuncta *glos.* ibidem sic. Licet coactè, & fuit hæres: quia coacta voluntas, est voluntas *glos. verbo inuitus, in c. cum inter 15. de elect. & in c. Matthæus 23. de simon. verbo paucis in fin.* ibi. Quia turbata voluntas, voluntas est, sicut coacta. A *cap. de Iudæis 45. dist.* ibi. Qui autem iam pridem ad christianitatem coacti sunt &c. Quod quidē procedere in coactione conditionali, non vero absoluta; expressum est in *cap. contra Christianos 13. de hæretic. lib. 6.* ibi. Non tamen absolutè, aut precisè coacti baptizati fuerūt. vbi *glos. verbo absolute*, sic. Ergo abso-

lutè coactus non recipit sacramentum baptismi, sed conditionaliter, & metu coactus benè, &c. Est autem absoluta coactio cum quis renitens inuitus, & reclamans fertur ad fontem, *glos. in cap. Sacris 5. de ijs qua vi, verbo Per coactionem*, ibi. Absolutam vbi alia plura allegat iura.

Voluntatem raptæ mulieris non excusare raptorem ex ratione, de qua in *l. vnica, §. pœnas autem C. de rapt. virg.* cuius verba iam sunt posita supra *verbo Mulier, vers. voluptas raptæ*, &c.

Sola voluntas non sufficit vbi opus est facto. Sic inquit *glos. verbo non fecit, in c. pen. de renunciat. & glos. vlt. in c. 3. de pact.* ibi. Item nec sufficit voluntas, nisi sequatur effectus. Idem *glos. verbo voluntatem in c. 1. de eo qui mittit in possess. & in Extrauag. 2. de sepult. verbo Cum effectu*, ibi Quia vbi opus est facto, sola voluntas non sufficit. Nihil autem interest an facto, vel verbo quis declaret voluntatē, vt dixit *glos. verbo Subarrasset, in c. Tenor 10. de re iud. & est tex. in l. De quibus prope fin. ff. de legib.* ibi. Quid interest suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, vel factis.

Ad omnem actum requiri & voluntatem, & potestatem notum est, & deducitur ex *cap. Cum super 23. de offic. delegat.* ibi. Cum noluerit, quod potuerit, & quod voluerit adimplere nequiuerit. Vbi *glos. verbo quod voluerit*, sic. Nota quod posse, & velle contraria sunt, vt hic, nec valet quod valere potest: quia illud nō vult, nec valet illud, quod vult, quia illud non potest valere. Sed voluntas est, quæ apud nos ponit officium, vt dicit *Senec. lib. 6. de benef. c. 11.* & infra sic. Parum est illi velle nisi profuit, parum est profuisse nisi voluit. *& lib. 2. c. 5.* Tarde velle, nolentis est.

Ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini nō resistitur, facta est necessitas. Ita *Aug. l. 8. confess.* *c. 5.* Vnde ea, quæ voluntas sibi vendicat, honestate debemus negare. Dedit namq; nobis multas natura blanditias, quas plerumque virtus cohibet, vt inquit *glos. verbo placet in Clem. 3. de heret.* & ex Ouid. affert.

Est virtus placidis abstinuisse bonis.

Concessum vsq; ad beneplacitum voluntatis, expirare per mortem concedentis, probat *c. si gratiose de rescript. lib. 6.* dum ait. Vsque ad suæ beneplacitum volūtatis retinere, huiusmodi gratia per eius obitum (per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur) eo ipso expirat.

Voluptas.

Hvmilis res est, & pusilla, & in nullo habenda pretio, communis cum brutis animalibus, ad quam minima, & contemptissima aduolat. Sic dicit *Senec. epist. 124. & epist. 93. post princ.* Voluptas vltro dissoluit, & omne robur mollit: *& lib. 4. de benef. c. 11.* inertissimū vitium illam vocat; *& epist. 39.* sic. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ sunt, quorum impotentiæ, atque insanæ libidini ob hoc vnum possis ignoscere, quod quæ fecere patiuntur. Necesse est enim in immensum exeat cupiditas, quæ naturalem modum transilijt. Ille enim habet suum finem, inania, & ex libidine orta sine termino sunt &c. Voluptatibus igitur se emergunt, quibus in cōsuetudinem adductis carere non possunt, & ob hoc miserrimi sunt, quod eò peruenerunt, vt illis, quæ superuacua fuerant, facta sunt necessaria: seruiunt igitur voluptatibus suis, non fruuntur, & mala sua (quod malorum vltimum est) amant. Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia

pia non solum delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia mores fiunt, *& epist. 111.* ita. Addiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum est.

Nulla capitalior pestis, quàm corporis voluptas, quæ hominibus à natura data est: quia cum nihil prestabilius mente datum sit homini, huic diuino muneri, nihil magis voluptate æmulatur; vt dixit *Architas Tarentinus philosoph. relatus per Rogen. de sum. bon. §. 4. sub num. 15. vers. & pro intelligentia; & in vers. & ideo ex Platon.* Illam vocat escam malorum; eo quia ea capiuntur homines sicut hamo pisces. Ideo *Innoc. 3. in cap. nisi cum pridem 10. §. verum de renunciat.* dicit, quod otiositas, & voluptas arma sunt hostis antiqui ad capiendas miseras animas. Vnde *Stoici* diffinientes voluptatem dixerunt esse sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui; *& glos. in Clemen. Ad nostrum verbo sensualitas, de hæret.* esse vim animæ appetentem desiderabilia corpori; & refutantem nociua. Et ad hanc procliuem esse cursum ex natura imitatrice vitiorum, dixit *glos. verbo ad peccandum, in cap. Alma mater, de sent. excom. lib. 6.*

De hac voluptate, seu cupidine iubet *Imp.* coarctandos esse iuuenes in *l. vlt. §. filijs, C. de bon. quæ lib.* ibi. Melius enim est iuueniles coarctare calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant. Et *Senec. lib. 1. epist. vlt.* sic. Quam dulce est voluptates fatigasse, & reliquisse. Et *lib. 3. epist. 27. in princ.* ita consulit. Dimitte istas voluptates turbidas magno leuandas &c. ita improbarum voluptatum, etiam post ipsas, pœnitentia est. Non sunt solidæ, non sunt fideles, etiā si non nocent fugiunt &c. Sola virtus præstat gaudium perpetuum securum. Et *lib. 7. de benef. c. 9.* sic. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugere debet periculo, crescit. Et licet quidam putent maioris esse virtutis præsentem contemnere voluptatem, tamen ego arbitror securioris cōtinentiæ esse, nescire quod quæras. Ait *D. Hieron. ad Lætam.*

Votum.

SI eius nomen spectes, æquiuocum est; quia duplicem habet significatum; significat namque voluntatem, seu desiderium alicuius boni obtinendi iuxta illud *Plinij epist. 45.* Hanc ego vitam voto, & cogitatione præsumo, hoc est hanc ego vitam opto, & cogitatione præsumo euenturam. Et illud *Prouer. 6. 31.* Quid dilecte votorum meorum; idest, in quem omnia mea desideria, vota, & studia tendunt. Et de eodem *Aug. sup. Psalm. 31. relatus in cap. Magna pietas, de pænit. dist. 1. in fin.* ibi. Votum enim pro opere reputatur. Coniuncta *glos. ibidem verbo pro opere, & in c. anteced.* ibi. Votum, idest propositum, & voluntas. Hinc etiam certum est voti compotem dici eum, qui desiderium suum assecutus est; eique rem pro voto succedere, si pro desiderio succedat. Et proprius, atq; pressius votum significat promissionem Deo factam, & inducentem obligationem. De hoc *Cic. de nat. Deor. lib. 3.* ait. Nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint? Et *lib. 1. de legib.* Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, quo obligamur Deo; pœna verò violatæ religionis iustam excusationem non habet. Idem clarè liquet ex sacra pagina *Deuter. 23.* ibi. Cum votum voueris Domino Deo tuo non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri (idest vouere) absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs

bijs tuis, obseruabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo: *& Num.* 30. ibi. Cum se obstrinxerit voto &c. *& Ecclesiastic.* 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Ex hac posteriori significatione vtpotè magis propria ortum habuit prima significatio, vt optimè aduertit *Calepin. verbo Votum.* Cum enim ea, quæ desideramus magnopere, adhibitis votis à Deo petere solemus. Factum est, vt vota accipiamus pro optatis. Sed est translatitia significatio.

In propria igitur significatione votum communiter definitur à Doctoribus, vt sit promissio deliberata, & spontanea Deo facta de meliori bono. Et secundum *Richard. in 4. sent. dist.* 3 *q. art.* 3. Quē allegat *Bertach. verbo votum.* Est propositi supererogātiꝰ promissio Deo facta propter bonum finem ex deliberatione firmata. Ex qua definitione dicebat *Ioan. Gerson. in reg. mora*; quod religiosus quamuis peccet grauissimè fornicando, tamen non est voti fractor, quia antea fuit obligatus semper non mœchari.

Non etiam infringit votū, qui in melius illud commutat, vt dicit *Pontif. in cap. peruenit* 3. *de iur. iur.* à quo deduxit *glos. in cap. scriptura* 4. *de vot.* ibi. Sic non frangit propositum, qui illud in melius commutat. Nec etiam qui vota stulta non adimplet iuxta *glos. verbo permittitur, in Auth. Quod eis, C. de nupt.* ibi. Melius est vota stultæ promissionis non implere, quam crimen admittere.

Vbi votum impeditur aliquo facto intrinseco, non obligatur vouens ad implendum etiam impedimento cessante, ita dicit, & esse mirabile *Abb. in cap. Quidam* 3. *de conuers. coniug. n.* 3. Et ex eo infert ad quæstionem nūquid filius fam. teneatur exequi votum postquam fuit liberatus à patria potestate, si est tale quod non potuit sine consensu patris emitti? Respònditque negatiuè. Licèt dicat contrarium tenuisse *Innoc. in c. scriptura de vot.* vbi videas per eundem *Abb. tex. autem in d. c.* 3. sic ait. Quidā intrauit monasterium inuita vxore, qua ipsum repetēte, coactus est ad eam redire. Ea mortua quæris an ipse cogetur reuerti ad Monasterium, an aliam possit ducere in vxorem? &c. Taliter respondemus, quod votum non tenuit: vnde ratione voti ad monasterium non tenetur redire. Vlterius verò non poterit vxorem accipere, promisit enim se non exigere debitum quod in eius potestate erat; & ideo quoad hoc votum tenuit: non reddere autem non erat in eius, sed in mulieris potestate. Idem in *c. Placet* 12. *eodem tit.* ibi. Respondemus quod licèt eius votum vsquequaq; non tenuerit, Eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare: promisit enim intrando monasteriū se nō exacturam carnis debitum, quod erat in potestata ipsius: redire vero ad sæculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti, & ideo quantum ad ipsam tenuit votum: quod post viri obitum tenere non desijt: cum ad eum casum, à quo poterat effīcax habere principium, peruenisse noscatur. Consultius itaque dicimus, & est congruentius ad salutem, vt ad monasterium redeat &c. si vero ad hoc induci non poterit, ipsam inuitam credimus non cogendam. Et secundum hæc verba videtur respondendum ad supradictam quæstionem filij fam. vouentis sine consensu patris in casibus, quibus vouere sine eo non potest. Sed quomodo tenetur filius fam. homini mortali ciuiliter, & naturaliter. *vt ff. de act. & oblig. l. filius fam.* & non Deo immortali? quærit *glos. verbo non obligantur, in l.* 2. *§. voto, per tex.* ibi. Filius enim famil. vel seruus sine patris, dominiue authoritate non obligantur, *ff. de pollicit.* Et respond. Mitius cum Deo agitur. Vnde

dixit

dixit *Pontif. in c. ex parte 18. de cens.* Cum huiusmodi vota fuerint gratuita ab initio, benignius sunt à viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquã exactores videantur lucris temporalibus inhiare.

Cum vero quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vouit: tanto magis fraudati voti auget iniquitatem; quanto minus habuit vouendi necessitatem, sic ait *cap. Nuptiarum in fin. 27. q. 1.* Et quanto manifestius sunt emissa vota, tãto propter plurium scandalum, & exemplum durior pœnitentia debetur; vt in *cap. vnic. de vot. lib. 6.* Sed felix necessitas, quæ ad meliora compellit, plus enim, voto adimpleto, meriti acquiritur; vt notat *glos. verbo se ipsum in Clem. vnic. § ex ministris de reliquijs ven. sanct.*

Qui promisit, & vouit intrare religionem, compellendus est vt fiat monachus; & reddat Domino promissum, & votum suum, ita colligit *glos. verbo Professio in c. Porrectum 13 de regular.* vbi *Apostill.* sic. Si tamen profitetur aliam religionem, etiam laxiorem tenet professio: quia secundum votum solemne derogat primo simplici; vt *in cap. Qui post votum eod. tit. lib. 6.*

Contra votum continentiæ non admittitur dispensatio: quia continentia castitatis, & abdicatio proprietatis ita inhærent ossibus Monachorum, vt nec Sum. Pontif. valeat dispensare. Ita dicit, & probat *glos. verbo triduum in cap. ad nostram 8. de regular.*

Metum leuem non excusare in voto dicit *glos. verbo vel modica in cap. vlt. qui cler. vel vou.* Reliqua de voto si plene vis videas *P. Castr. Palao in 3. p. oper. moral. tract. 15. per tot. à fol. mihi 67. vsq; ad 189.*

Vsura.

SI fœneraueris homini, idest, si mutuo dederis pecuniam tuam a quo plus quam dedisti expectes, non pecuniam solam, sed aliquid plusquã dedisti, siue illud triticum sit, siue oleum, siue vinũ siue quodlibet aliud: si plusquã dedisti expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus, ita *Aug. in psal. 36.* relatus *in c. si fœneraueris 14. q. 3. & in cap. seq. ex Hieronym.* sic. Putant quidam vsuras tantum esse in pecunia: quod prouidens diuina scriptura omnis rei aufert superabundantiam: vt plus non recipias quam dedisti. Item alij pro pecunia fœnerata solent munuscula diuersi generis accipere, & non intelligunt scripturam, vsuram appellare, & superabundantiam; quicquid illud est, si ab eo quod dederint plus acceperint. Et ex *Ambros. in seq. cap. sic.* Plerique refugientes præcepta legis cũ dederint pecuniam negotiatoribus, nõ in pecunia vsuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam vsurarum emolumenta percipiunt. Ideo audiant quid lex dicat: Neque, inquit, vsuram escarum accipies, neque omnium rerum. Item esca vsura est: & vestis vsura est: & quod vesis nomen ei imponas, vsura est &c. & ex *Conc. Agath. ead. 14. q. 3.* ita. Vsura est vbi amplius requiritur, quàm quod datur. Verbi gratia si solidos decem dederis, & amplius quæsieris: vel si dederis frumenti modium vnum, & super aliquid exegeris. Ecce euidentèr ostenditur, quod quicquid vltra sortem exigitur, vsura est, à quibus sumpsit *glos. verbo Condici in l. Rogasti me 11. ff. si cert. pet. in fin. ibi.* Quicquid accedit sorti, vsura est.

Ex prædictis iam colligis quid sit vsura. Et si vis aliam diffinitionem, scias multiplicem apud Doct. esse: Alij namque dicunt esse lucrum ex mutuo debitum pacto vel exactum, vel lucrum sorti accedens pacto, vel intentione corrupta, vt per *Paul. Castr. cons. 19. incip. anus compromisso, &c. Abb. in c. Conquestus de vsur. ex cap. dilectus de simon. & c. 14. q. 3. c. sicuti.*

Alij esse id, quod percipitur ex mutuo, facto pacto ne restituatur, nisi soluta vsura, vt per eundem *Paul. in l. Item quia ff. de pact.* Item dicitur pretium temporis, vel dilationis, & per *glos. verbo ad comparandam in l. In fraudem* 45. §. *Fiscalibus ff. de iur. fisc.* Denique *Tolet. lib. 5. c. 28. in princ.* sic definit. Vsura est lucrum rei pecunia æstimabilis, ratione mutui principaliter proueniens. Et apud eum poteris videre de materia alia à prædicto *cap. vsq; ad c. 37.* hic vero, iuxta solitum Apolectatis nostri breuiter notabiliora iura de reprobatis, & permissis vsuris loquentia afferemus.

Dulces appellauit vsuras *Vlpian. in l. Ait prætor* 10. §. *si fraudator prope fin.* ibi. Vel dulcedine vsurarum, *ff. quæ in fraud. cred.* vbi notauit *glos.* dicens. Nota, Dulce accipere vsuras; sed ego, si reprobatæ sint, amaras voco, cum amarissimã amaritudinẽ in miserã vsurarij animã inducant, & ratione illas soluentis siue iustè, siue iniustè, etiam amaras esse ex his, quæ *Chrisost. super Matth. relat. a Tolet. d. c. 28. num. 3. ad fin.* ibi. Qui ad vsuras accipit, sibi bona conferri putat, postea vero cambijs, & recambijs omnia sua cõsumpta dolet, & se in inopiã redactum plorat; & comparatur morsui aspidis, qui primo delectationem infert, & somnum, postea mortem.

Vsuræ in bonæ fidei iudicijs, & si non tam ex obligatione proficiscuntur, quàm ex officio iudicis applicentur; tamen cum fideiussor in omnem causam se applicauit, æquum videtur, ipsum quoq; agnoscere onus vsurarum. Ita ait *l. Quæro* 56. *ff. locat vbi glos. verbo applicentur* sic. In obligatione fideiussoris non habet locum, cum sit stricti iuris. Sed de hoc dubitari potest, eò quia fideiussio est accessio, & cum obligatio principalis bonæ fidei sit, videtur quod etiam eius accessio, quæ est fideiussio, erit etiam bonæ fidei, & quemadmodum principalis tenetur ad vsuras debitas soluendas, sic, & eodem modo, & fideiussor. Tu cogita.

Si mandatarius nõ exercuit pecuniam, sed ad suos vsus conuertit, in vsuras conuenietur, quæ legitimo modo in regionibus frequentantur. Sic *l. Idem* 10. §. 1. *ff. manda.* & infra subiungit. Etiam si vsuras exegit procurator, & in suos vsus conuertit, vsuras cum præstare debere. Quod quidem notabile videtur, stãte *l. 2. ff. de admin. rer. ad ciuita.* ibi. Ne commodorum commoda, & vsuræ vsurarum incrementum faciant. Verum hoc procedere dicendum puto, quãdo petitor agit de eo lucro nõ data mora, iuxta *l. Cum quidã* §. *si Pupillo ff. de vsur.* ibi. Vsuræ enim non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium infliguntur.

Finita administratione eas vsuras debere computari, quæ in tutelæ iudicio computantur. Ita disponit *l. Lucius* 47. §. *Quæsitum est. ff. de admin. tut.*

In fraudem vsurarum factum, præsumitur ex qualitate facti, & personarum, quia sit solitus fœnerari, sic inquit *glos. in l. Pœnam* 44. *ff. de vsur. & in cap. Illo vos* 4. *de pignor.* ibi. Præsumitur vehementer, præsertim cum vsuras consueuerit exercere.

In fraudem constitutionum, videri adiectum, id quod legitimam vsuram excedit. Dicit *l. Iulianus*, §. *Idem Papinia. ff. de act. empt. vbi glos. verbo Excedit*, sic ait. An verum est semper quod hic dicit? Resp. Non. Sed si solitus erat venditor fœnerare &c. Sed secundum nos, qui dicimus vsuras non præstari per *Auth. de Ecclesiast. tit.* §. 1. Nunquid condemnabimus emptorem hoc casu in legitimis vsuris? Resp. sic, si ille fructus percepit, vt sic loco interesse succedat vt sup. &c.

Cursus vsurarum nondum cæptus impeditur ne incipiat sola oblatione; vt *C. de vsur. l. si non stat per te.* Si vero cursus earum cepisset, opus esset oblatio-

bell. dixit: Non nunquam autem ex voluntate variè scriptum, & iudicatum est, loquens de tacita voluntate, & prosequitur, videlicet si non sub appellatione hæredum, sed proprijs nominibus expressis fideicōmissum relinquatur. Ex quibus verbis coniecturata testantis voluntas apparet, & adimpleri iubetur.

Altera ponitur in *l. Quoties 23. ff. eod. tit. ad Treb.* ibi: Intelligitur easdem partes in fideicommisso facere, quas in hæreditate distribuenda fecit, sed si iubeantur ij, quibus fideicommissum datur, pecuniam numerare, atq; ita fideicommissum recipere ex quantitate pecuniæ, quam dare iubentur, voluntas patris fam. colligenda est. Alia est, quæ deducitur ex affinitate, seu parentela, & hanc plenissimam vocat. *l. Prædia §. affini ff. de lega. 1.* ibi: Plenissima erga affinem voluntas; & facit *l. si seruus omnium in fin. eod. tit.* Alia ex scientia testatoris colligitur, de qua in *l. Plenum §. Equitij. ff. de vsu, & hab.* ibi: Sed si testator sciens eum esse huius instituti; & vitæ reliquit, videtur de hoc etiam vsu sensisse, vbi *glos. in has verbo* ait: Ex scientia defuncti interpretor eius voluntatem, *&* *glos. verbo denegari in l. fideicommissa 11. §. si seruo ff. de legat. 3.* ibi: Nam & alias ex Legatarij vsu, & scientia testatoris voluntas colligitur. Alia ex vsu, & consuetudine ipsius testantis, vt notauit *Apostil. in l. sed si 10 §. vlt. ff. de legat. præstan.* ibi: Voluntas ergo testatoris ex coniecturis colligitur, sic alibi ex eius consuetudine, & vsu. Alia ex precibus disponentis iuxta *l. cum pater 79. §. filius ff. de legat. 2.* ibi: Nam obnixæ voluntatis preces ad omnem successionis speciem porrectæ videbantur. Alia ex ordine, vt in *l. Damnas 15. §. 1. ff. de vsufr. legat.* ibi: Quemadmodum si in hæreditate esset fundus, per quem fructuario posset præstari via, secundū voluntatem defuncti videretur id exigere ab hærede vbi *glos. verba volūtatem* dicit scilicet tacitam *&* *Apostil.* sic. Voluntas tacita ex ordine interpretatur, non expressa: & allegat *Salic. in l. cum virum col. 4. C. de fideic.* Alia ex scriptura iuxta *l. 1. Illud §. 1. ff. de iur. codicill.* ibi: Voluntatis autem quæstio ex scripto plerunque declarabitur. Et alia ex benemeritis iuxta optimam *l. Pr. ipsius §. C. fam. hercisc.* ibi: Proinde si offensam istam clementia flexit (quod licet scriptura non probetur) alijs tamen rationibus doceri nihil impedit: præsertim cum posteriora eorum talia merita deprehendātur (vt ira Domini potuerit mitigari) nouissimam eius voluntatem arbiter fam. hercisc. sequatur. Et relictis alijs, affero illam, de qua in *l. Mulier 22. ff. ad Trebell.* ibi: Decreuisse igitur diuum Marcum refert, fideicommissum eis repræsentandū intellecta matris voluntate, quæ: quia non crediderat patrem eos emancipaturum, distulerat in mortem eius fideicommissum, non dilatura id in mortalitatem si eum emancipaturum sperasset. Sed si nec coniecturis possit elici voluntas vltima, & ambiguitas adsit. Imperatori competere interpretationem dixisti, verbo *Imperator*.

Verum ad quid tot coniecturæ, & interpretationes? Sibi debet imputari qui voluntatem suam non declarauit si adimpleri voluit ipsam. Tamen si consideres, quod cum in vltima dispositione mors præ oculis sit, & sola mortis cogitatione humana fragilitas perturbata inueniatur; vt in *l. Has consultissima C. qui test. fac. poss.* non potest quicquam imputari; & si hac nō es ratione contentus, audi quā ponit *Iustinian. in l. vel negare ff. quemadmod. test. aper.*

Expedit enim publicè supremæ hominum iudicia exitum habere. Quæ insequutus est *Imp. in §. si quis rem suam delegat. in Inst.* ibi: Quia exitum defuncti voluntas haberi potest vbi *not. glo. vlt.* Vnde

de optima cum ratione etiam tacitam, & coniecturatam testantis voluntatem leges iubent adimplere, non solum per sæculares, sed etiam per ecclesiasticas potestates, *l. hæreditas 53. ff. de petit. hæred.* ibi. Quamuis enim stricto iure à nulla teneatur actione hæredes ad monumentum faciendum, tamen principali, vel Pontificali authoritate compelluntur ad obsequium supremæ voluntatis *Innoc. in cap. Nonquidem extr. de testam. Arch in c. Siluester 11. q. 1. Spec. in tit. de iudic. §. Item vers. Item imploratur contra heredem c. Tua nobis de testam.* ibi. Cum igitur in omnibus pijs voluntatibus sit per locorum Episcopos prouidendum, vt secundum voluntatem vniuersa procedant, licet à testatoribus id contingeret prouidendum.

Ex quo etiam tex. notabis, quod testatoris voluntas nō adimpleri iubetur, quæ fuerit contra iuris dispositionem, & probat *c. requisisti 5. prope fin.* ibi. Quia priuata dispositio testatoris non potest generalem cōstitutionem Canonis immutare, *gl. pen. in d. c. tua nobis, de testam.* Nemo enim potest in testameto suo cauere ne leges in suo testamēto locū habeāt: vt ait *Pōpon. in l. 58. ff. de leg. 1. coniun. alys per gl. 1. in c. fr. dilecti de fon. cōp.*

Sic etiam ineptas voluntates defunctorū circa sepulturam, veluti vt vestes, vel alia superuacua eis in funus impendantur, non valere *Papinian. lib. 3. ff. scribit* prout refertur *in l. scriteo 116. §. vlt. ff. de legat. 1.* Et idem constituisse *Licurgum* testatur *Alex. ab Alex. Genial. lib. 5. c. 2. & lib. 6. c. 14.* vbi copiosè de concessis, & vetitis apud varias gentes super funeris impensis disserit.

Eodem modo testantis voluntas, per quā alterius iuri præiudicatur, non est adimplenda. Nec enim potuisse eum huiusmodi lege ius creditoris facere deterius manifestum est. Ait *l. 1. C. deb. vend. pig. imp. non poss.* quæ loquitur de voluntate testatoris, illamque vocat legem. Iuxta *Auth. de nupt. §. Disponat* ibi. Et erit lex voluntas eius *coll. 4.*

Turpia legata, quæ denotandi magis legatarij gratia scribuntur, odio scribentis pro non scriptis habentur, inquit *Pompon. in l. 57. ff. de leg. 1.* & alia quamplura inuenies in quibus testatoris voluntas pro non scripta habetur in *tot. tit. ff. de his quæ pro non script.*

Ex eadem *l. Turpia 57. § 1.* deduces inualidam, & non adimplendam esse voluntatem, per quam alterius libera voluntas nubendi tollitur. *l. filia sua 28. l. cum tale 71. § rescriptum est, l. Titio centum 70. § 1. ff. de condit. & dem.* idemque esse in voluntate, per quam libertas offenditur apparet ex §. 2. *eiusdem l. Titio* Titio, inquit, centum relicta sunt: ita vt à monumento meo non recedat, vel vt in illa ciuitate domicilium habeat: potest dici non esse locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur. Sed in defuncti libertis, alio iure vtimur.

Sed & si voluntas testatoris in alterius liberam conferatur voluntatem, non est seruanda. Nam in alienam voluntatem conferri legatum non potest: vt inquit *l. Nonnūquam 51. ff. de cond. & demō. & in l. fideicommissaria 46. ff. de fideic. lib.* sic. Quod si ita scriptum sit; si hæres voluerit: non valebit. Et prosequitur. Cæterum si arbitrium illi quasi bono viro dederit, non dubitamus quin libertas debeatur. Nam, & eam libertatem deberi placuit, si tibi videbitur, peto vt manumittas. Ita enim hoc accipiendum est, si tibi quasi bono viro videtur.

Hic iam quæres, quæ sit differentia inter liberam voluntatem, & arbitrium boni viri? Cum etiam voluntatem indu. Et quidem esse voluntatis est, quod sit libera, nec possit cogi necessitate præcisa, vt C. de hæred. inst. l. Cum proponas. Sed cogitur quadam necessitate consequentiæ: vt si quis vult fugere tormenta: hoc vult liberè, & potest

nolle

nolle. Sed si hoc voluerit, in consequentiam vult illud, sine quo tormenta fugere non potest, & ista est necessitas consequentiæ. Nam dicitur verè, coacta voluntas, voluntas est, vt *ff. quod met. cau. l. si mulier §. quod si prete.* Voluntas enim est, quod liberè vult antecedens, & ex ista deducitur ad volendum consequens. Item sciendum est, quod secundum Theolog. & Philosoph. voluntas nunquam appetit nisi bonum existens, vel apparens: & licet quandoque velit aliquid, quod agnoscit esse malũ: illud vult sub ratione alicuius boni delectabilis, seu apparentis ipsi voluntati. In proposito voluntas alicuius potest considerari respectu eius, quod ipse vult tanquam delectabile ratione regulata, vel non: & illa dicitur voluntas libera: alio modo prout ipse vult recta, & regulata ratione: & illud dicitur arbitrium boni viri: quia bonus vir hoc arbitraretur: *vt ff. ind. sold. vir bonus. & ff. pro soci. l. societatem §. arbitrorum.* Ita inuenies apud *Bart. in Extrauag. Ad reprimendum verbo videbitur, num. 2. vbi in seqq.* affert verba per quæ libera voluntas, & per quæ arbitrium boni viri inducatur.

Ex quibus colliges, quod quando electio personæ committitur in liberam voluntatem hæredis potest eligere indignum, secus si in arbitrium, vt notat *Bart. in l. 24. ff. de legat. 2.* Cum quidam (inquit Vlpian.) ita fideicommissum reliquisset. Rogo restituas libertis meis, quibus voles; Marcellus putat posse etiam indignum præferre. At si ita, ijs, quos dignos putaueris posse petere eos, qui non offenderint. In his terminis an poterit iste, cui libera volũtas committitur, mutare suam voluntatem semel declaratam? Quæritur. Et quod sic tenuit *glos. 1. in l. Quod si 10. ff. si cert. pet.* ibi. Quia dictum erat in depositione; si voles, quod verbum nimis est extensiuum; licet enim semel velit, tamen potest mutare propositum. Sed ibidem *Apostill.* contra sic. Imo non potest mutare: quia quando electio trahit secum executionem, non admittitur variatio. Quod probat optimè *l. statuliberum 11. §. vlt. in fin. ff. de legat. 2.* ibi. Cum autem semel dixerit hæres vtrum dare velit, mutare sententiam non poterit. *l. fideicommissa 11. §. si sic fideicommissi. ff. de leg. 3.* ibi. Ideoque post primam voluntatem non erit arbitrium hæredi dicendi se noluisse. Et est *glos. verbo Obstrictus in l. Hæc venditio 7. ff. de contrah. empt.* ibi. Quia teneor ex quo constitui semel me velle. Et ibidem notabis differentiam inter verba, si volam, & cum volam, & cum voluero; de quibus etiam videas *Bald. in l. verbum C. de fideic. Clem. 1. §. volumus, & ibi Cardinal. de for. comp. glos. & eundem Cardin. in Clem. 1. de cens.*

Item non adimplebitur testantis erronea voluntas. Nam succursum est hæredibus ne cogantur redimere, quod testator suum existimans reliquerit. Sunt enim magis in legandis suis rebus, quã in alienis comparandis, & in onerandis hæredibus faciliores voluntates, vt inquit *l. vnum ex familia, §. si rem suam,* quam existimabam meam, te hærede instituto, Titio legem *ff. de legat. 2. §. Non solũ vers. Quod autem,* ibi. Non si ignorabat, forsitan enim si sciuisset alienam rem esse, non legasset, *de legat. in Inst.* Nulla enim voluntas errantis est, *l. Sed hoc ita 20. ff. de aqua plu. l. cum testamentum 8. C. de iur. & fact. ignor.* Sciuisset autem testatorem alienam esse tenetur probare legatarius, quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit, iuxta *d. §. non solum in fin.*

Nec etiam executioni mandabitur voluntas, quæ momentaria dicitur, de qua in *l. Filia 20. C. de in offic. testam.* vbi Imperatores sic aiunt. Filia in orbitate patris relicta cum marito, cui matre volente nupsit, colens concordiam, iustas offensionis post eiusdem matris peni-

 ten-

sentiam causas non præstat, nec ex Momentarijs voluntatibus matris nuptæ, atq; vidua iure esse compellitur. Prout nec etiam ea, quæ iubet à matrimonio diuertere iuxta *l. Cum te 18. eod. tit.*

Nec denique voluntas mutata adimplebitur, cum iam supra dictum sit, quod nouissima seruari debet. Sed de mutatione cõstare debere certum est, nam semper adesse videtur, nisi probetur abesse, vt probat *glos. verbo Ex voluntate in l. Si quis sex causam, ff. si cert. pet.* Nam quod licet quicquid necessitate fit, citò soluatur, tamen quod voluntate arripitur perseuerat, vt in *cap. Quicquid de consecr. dist. 5.* Eum autem, qui dicit voluntatem mutatam, probare debere. Dicit *glo. verbo non timore, in cap. 1. de his que vi. & in l. Lucius Titius 22. ff. de legat. 2.* ibi. Onus probandi voluntatẽ defuncti mutatã esse ad eum pertinet, qui fideicommissum recusat. Et mutata videtur voluntas si res legata mutetur. *sup. habes verbo Legatum.*

Quãuis generaliter sit omnia, quæ per pactũ fieri possũt posse fieri per vltimã voluntatẽ, *ad l. seruũ filij 46. §. eũ qui chirographũ ff. de leg. 1.* Tamen quædam sunt, quę licent per vltimam volũtatem, quę per pactum non licent, vt notauit *glos. verbo vendi. in l. Quemadmodum, C. de agric. & cens. lib. 11.* & est tex. *in l. Pater filium 36. §. fundum ff. de legat. 3.* in fin ibi. Respondi hoc ex volũtate defuncti colligi posse, scilicet filium quoad viueret alienare, vel pignorare non posse: testamenti autem factionem in eo fundo in extraneos etiam hæredes habiturum.

Aliud esse personam commendare, aliud voluntatem suam fideicõmittentis hæredibus insinuare: inquit *l. fideicommissu 11. §. si ita ff. de legat. 3.* Non enim quæri oportet cũ quo de supremis, quis loquatur, sed in quem voluntatis intentio dirigatur, ait *l. Cum pater 79. §. Donationes ff. de legat. 2.*

Voluntatem defuncti cessare facere decretũ necessitatem, dicit *glos. verbo prohibetur in l. non tantum 51. ff. de fideic. lib.* per *tex.* ibi. Is autem, qui rogatus est manumittere: etiam eo tempore, quo alienare prohibetur potest manumittere. Et facit *l. 1. ibi C. quãd. decret. opus non est*, Neq; enim in ea re authoritas præsidis necessaria est, vt tutori solicitudini cõsulatur, si voluntati defuncti pareant. *&* *l. 3. eod.* ibi. Alienari sine decreto præsidis (nisi parentis voluntas, vel testatoris ex cuius bonis ad minorem peruenit super alienando eo aliquid mandasse deprehendatur) nulla ratione potest.

Circa vltimas voluntates priuilegium militibus concessum intelligitur circa eorum bona, nec vltra se extendit, vt notat & summat *Bart. l. Impuberi 41. ff. de admin. tut.* per tex. ibi. Nec in alijs circa supremam voluntatem imperitię venia datur, quam in bonis militum. Et hæc satis sint de morientium voluntatibus, alia poteris videre verbo Testator.

Nunc dicamus etiam aliqua, vltra ea, quę in principio diximus, de viuentium voluntatibus. Et quidem varias esse, dicit *Iurisconf. in l. Quia poterat 4. ff. ad T. rebell.* ibi. Cum variæ sint hominum voluntates, quorundam negotia timentium; quorundam vexationem; quorundam æris alieni cumulum, tametsi locuples videatur hæreditas; quorundam offensas, vel inuidiam; quorundam gratificari volentium ijs, quibus hæreditas relicta est. Vnde Perf. Sat. 5. sic cecinit.

Mille hominum species, & rerum discolor vnus

Velle suum cuique est: nec voto viuitur vno.

Voluntatem etiam sumi pro consensu dictum fuit verbo consensus. Voluntas verò quandoque expressa est, quando-

que tacita, quandoque scientiâ sola sine voluntate, & quandoq; cum voluntate tacita, ita ponit *glos. verbo sciente, in l. 1. §. si is qui nauem ff. de exercit. act.* vbi sic. Licet autem actio in eum detur, cuius in potestate est, qui nauem exercet: tamen ita demum datur si voluntatem eius exerceat. Ideo autem ex voluntate in solidum tenetur, qui habet in potestate exercitorem: quia ad summam Reip. nauium exercitio pertinet. At institorum nô idem vsus est; ea propter in tributum dumtaxat vocantur, qui contraxerunt cum eis, qui in merce peculiari sciente Domino negotiantur. Sed si sciente dumtaxat, non etiã volente domino cum magistro contractum sit: vtrum quasi in volentem dabimus actionem in solidum, an vero exemplo tributoriæ? In re igitur dubia melius est verbis edicti seruire, & neque scientiam solam, & nudam patris, dominiue in nauibus onerare; neque in peculiaribus mercibus voluntatem extendere ad solidi obligationem.

In *l. autem 1. ff. de trib. act.* ad quã tex. proxime relatus videtur referri, sic dicitur. Scientiam hic eam accipimus, quæ habet voluntatem, sed (vt ego puto) non voluntatem, sed patientiam, non enim velle debet dominus, sed non nolle. Si igitur scit, & non protestatur, & non contradicit, tenebitur. & ibidem *glos. verbo velle*, ita. Nota inter velle, & nolle esse medium scilicet non nolle. Et in terminis *l. 1. C. de decurion. lib. 10.* inquit *glos. verbo voluisse*, de voluntate patris circa assumptionem filij ad decurionatum sic ait. Voluisse, quod eo ipso est, quod scit, & non contradixit.

Non inferas vero quod ex scientia inducatur necessario voluntas, nisi vbi expressum ita inueneris; nam (vt sup. proximè fuit dictum in vers. volũtatem) potest dari scientia sine voluntate, & ita in *l. 209. ff. de verb. sig.* inuenies in hæc verba. Coram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat: ideoque si furiosus, aut infans sit; aut dormiat, non videtur coram eo fecisse. Scire autem, non etiam velle is debet: nam & inuito eo rectè fit, quod iussum est. Et idem in *l. Diem proferre, §. coram autem ff. de recep. arbitr.*

Diuersa est causa voluntatis expressæ, & eius, quæ inest. Ita *l. Eum qui 138. §. vnic. ff. de verb. oblig.* vbi notat *glos. verbo expressæ*, differentiam inter tacitum, & expressum in stipulatione, in mandato, & in sententia arbitri.

Qui ex voluntate imponit sibi necessitatem, non esse ei subueniendum, inquit *glos. verbo minime in l. sicut initio libera* potestas est vnicuique habendi, vel non habendi contractus: ita renunciare semel constitutæ obligationi, aduersario non consentiente, nemo potest. *C. de act.* Sed quid dicendum si voluntas nõ sit libera, sed coacta? de quo sup. vers. Hic iam quæris, cum Bart. tetigisti. Eritne obligatus ad id quod coactè egit? Et quod sic, quamplurima proclamant iura: nam in citata *l. si mulier, §. si metu ff. quod met. cau.* sic dicitur. Quia quamuis si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, vbi *glos. in hoc vlt. verbo*, ita. Et sic nota, quod coacta voluntas, voluntas est. *& in l. Apud Iulianum 21. ff. ad Trebell.* ibi. Adijt enim coniuncta *glos.* ibidem fin. Licet coactè, & fuit hæres: quia coacta voluntas, est voluntas *glos. verbo inuitus, in c. cum inter 15. de elect. & in c. Matthæus 23. de simon. verbo paucis in fin.* ibi. Quia turbata voluntas, voluntas est, sicut coacta. *cap. de Iudæis 45. dist.* ibi. Qui autem iam pridem ad christianitatem coacti sunt &c. Quod quidẽ procedere in coactione conditionali, non vero absoluta; expressum est in *cap. contra Christianos 13. de hæretic. lib. 6.* ibi. Non tamen absolutè, aut precisè coacti baptizati fuerũt. vbi *glos. verbo absolute*, sic. Ergo absolutè

lutè coactus non recipit sacramentum baptismi, sed conditionaliter, & metu coactus benè, &c. Est autem absoluta coactio cum quis renitens inuitus, & reclamans fertur ad fontem, *glos. in cap. Sacris 5. de ijs quæ vi, verbo Per coactionem*, ibi. Absolutam vbi alia plura allegat iura.

Voluntatem raptæ mulieris non excusare raptorem ex ratione, de qua in *l. vnica, §. pœnas autem C. de rapt. virg.* cuius verba iam sunt posita supra *verbo Mulier, vers. voluptas raptæ*, &c.

Sola voluntas non sufficit vbi opus est facto. Sic inquit *glos. verbo non fecit, in c. pen. de renunciat. & glos. vlt. in c. 3. de pact.* ibi. Item nec sufficit voluntas, nisi sequatur effectus. Idem *glos. verbo voluntatem in c. 1. de eo qui mittit in possess. & in Extrauag. 2. de sepult. verbo Cum effectu*, ibi Quia vbi opus est facto, sola voluntas non sufficit. Nihil autem interest an facto, vel verbo quis declaret voluntatē, vt dixit *glos. verbo Subarrasset, in c. Tenor 10. de re iud. & est tex. in l. De quibus prope fin. ff. de legib.* ibi. Quid interest suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, vel factis.

Ad omnem actum requiri & voluntatem, & potestatem notum est, & deducitur ex *cap. Cum super 23. de offic. delegat.* ibi. Cum noluerit, quod potuerit, & quod voluerit adimplere nequiuerit. Vbi *glos. verbo quod voluerit*, sic. Nota quod posse, & velle contraria sunt, vt hic, nec valet quod valere potest: quia illud nō vult, nec valet illud, quod vult, quia illud non potest valere. Sed voluntas est, quæ apud nos ponit officium, vt dicit *Senec. lib. 6. de benef. c. 11.* & infra sic. Parum est illi velle nisi profuit, parum est profuisse nisi voluit. *& lib. 2. c. 5.* Tarde velle, nolentis est.

Ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini nō resistitur, facta est necessitas. Ita *Aug. l. 8. confess. c. 5.* Vnde ea, quæ voluntas sibi vendicat, honestate debemus negare. Dedit namq; nobis multas natura blanditias, quas plerumque virtus cohibet, vt inquit *glos. verbo placet in Clem. 3. de heret.* & ex Ouid. affert.

Est virtus placidis abstinuisse bonis.

Concessum vsq; ad beneplacitum voluntatis, expirare per mortem concedentis, probat *c. si gratiose de rescript. lib. 6.* dum ait. Vsque ad suæ beneplacitum volūtatis retinere, huiusmodi gratia per eius obitum (per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur) eo ipso expirat.

Voluptas.

HVmilis res est, & pusilla, & in nullo habenda pretio, communis cum brutis animalibus, ad quam minima, & contemptissima aduolat. Sic dicit *Senec. epist. 124. & epist. 93. post princ.* Voluptas vltro dissoluit, & omne robur mollit: *& lib. 4. de benef. c. 11.* inertissimū vitium illam vocat; *& epist. 39.* sic. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suæ sunt, quorum impotentiæ, atque insanæ libidini ob hoc vnum possis ignoscere, quod quæ fecere patiuntur. Necesse est enim in immensum exeat cupiditas, quæ naturalem modum transilijt. Ille enim habet suum finem, inania, & ex libidine orta sine termino sunt &c. Voluptatibus igitur se emergunt, quibus in cōsuetudinem adductis carere non possunt, & ob hoc miserrimi sunt, quod eò peruenerunt, vt illis, quæ superuacua fuerant, facta sunt necessaria: seruiunt igitur voluptatibus suis, non fruuntur, & mala sua (quod malorum vltimum est) amant. Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia

pia non solum delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia mores fiunt, *& epist.* 111. ita. Addiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum est.

Nulla capitalior pestis, quàm corporis voluptas, quæ hominibus à natura data est: quia cum nihil prestabilius mente datum sit homini, huic diuino muneri, nihil magis voluptate æmulatur, vt dixit *Architas Tarentinus philosoph. relatus per Rogen. de sum. bon. §. 4 sub num. 15. vers. & pro intelligentia; & in vers. & ideo ex Pluton.* Illam vocat escam malorum; eo quia ea capiuntur homines sicut hamo pisces. Ideo *Innoc. 3. in cap. nisi cum pridem 10. §. verum de renunciat.* dicit, quod otiositas, & voluptas arma sunt hostis antiqui ad capiendas miseras animas. Vnde *Stoici* diffinientes voluptatem dixerunt esse sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui; *& glos. in Clemen: Ad nostrum verbo sensualitas, de heret.* esse vim animæ appetentem desiderabilia corpori; & refutantem nociua. Et ad hanc procliuem esse cursum ex natura imitatrice vitiorum, dixit *glos. verbo ad peccandum, in cap. Alma mater, de sent. excom. lib. 6.*

De hac voluptate, seu cupidine iubet *Imp.* coarctandos esse iuuenes *in l. vlt. §. filijs, C. de bon. quæ lib.* ibi. Melius enim est iuueniles coarctare calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant; Et *Senec. lib. 1 epist. vlt.* sic. Quam dulce est voluptates fatigasse, & reliquisse. Et *lib. 3. epist. 27 in princ.* ita consulit. Dimitte istas voluptates turbidas magno leuandas &c. ita improbarum voluptatum, etiam post ipsas, pœnitentia est. Non sunt solidæ, non sunt fideles, etiã si non nocent fugiunt &c. Sola virtus præstat gaudium perpetuum securum. Et *lib. 7. de benef. c. 9.* sic. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos ipso quo fugere debet periculo, crescit. Et licet quidam putent maioris esse virtutis præsentem contemnere voluptatem, tamen ego arbitror securioris cõtinentiæ esse, nescire quod quæras: Ait *D. Hieron. ad Lætam.*

Votum.

SI eius nomen spectes, æquiuocum est; quia duplicem habet significatum: significat namque voluntatem, seu desiderium alicuius boni obtinendi iuxta illud *Plinij epist. 45.* Hanc ego vitam voto, & cogitatione præsumo, hoc est hanc ego vitam opto, & cogitatione præsumo euenturam. Et illud *Prouer. 6. 31.* Quid dilecte votorum meorum; idest, in quem omnia mea desideria, vota, & studia tendunt. Et de eodem *Aug. sup. Psalm. 31. relatus in cap. Magna pietas, de pænit. dist. 1. in fin.* ibi. Votum enim pro opere reputatur. Coniuncta *glos. ibidem verbo pro opere, & in c. anteced.* ibi. Votum, idest propositum, & voluntas. Hinc etiam certum est voti compotem dici eum, qui desiderium suum assecutus est; eique rem pro voto succedere, si pro desiderio succedat. Et proprius, atq; pressius votum significat promissionem Deo factam, & inducentem obligationem. De hoc *Cic. de nat. Deor. lib. 3.* ait. Nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint? Et *lib. 1. de legib.* Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, quo obligamur Deo; pœna verò violatæ religionis iustam excusationem non habet. Idem clarè liquet ex sacra pagina *Deuter. 23.* ibi. Cum votum voueris Domino Deo tuo non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri (idest vouere) absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs

bijs tuis, obseruabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo: *& Num.* 30. ibi. Cum se obstrinxerit voto &c. *& Ecclesiastes* 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Ex hac posteriori significatione vtpote magis propria ortum habuit prima significatio, vt optime aduertit *Calepin. verbo Votum*. Cum enim ea, quæ desideramus magnopere, adhibitis votis à Deo petere solemus: Factum est, vt vota accipiamus pro optatis. Sed est translatitia significatio.

In propria igitur significatione votum communiter definitur à Doctoribus, vt sit promissio deliberata, & spontanea Deo facta de meliori bono. Et secundum *Richard. in 4. sent. dist. 39. art. 3.* Quē allegat *Bertach. verbo votum*. Est propositi supererogātis promissio Deo facta propter bonum finem ex deliberatione firmata. Ex qua definitione dicebat *Ioan. Gerson. in reg. mora*, quod religiosus quamuis peccet grauissimè fornicando, tamen non est voti fractor, quia antea fuit obligatus semper non mœchari.

Non etiam infringit votū, qui in melius illud commutat, vt dicit *Pontif. in cap. peruenit 3. de iur. iur.* à quo deduxit *glos. in cap. scriptura 4. de vot.* ibi. Sic non frangit propositum, qui illud in melius commutat. Nec etiam qui vota stulta non adimplet, iuxta *glos. verbo permittitur, in Auth. Quod eis, C. de nupt.* ibi. Melius est vota stultæ promissionis non implere, quam crimen admittere.

Vbi votum impeditur aliquo facto intrinseco, non obligatur vouens ad implendum etiam impedimento cessante, ita dicit, & esse mirabile *Abb. in cap. Quidam 3. de conuers. coniug. n. 3.* Et ex eo infert ad quæstionem nūquid filius fam. teneatur exequi votum postquam fuit liberatus à patria potestate, si est tale, quod non potuit sine consensu patris emitti? Respondetque negatiuè. Licet dicat contrarium tenuisse *Innoc. in c. scriptura de vot.* vbi videas per eundem *Abb. tex. autem in d. c. 3.* sic ait. Quidā intrauit monasterium inuita vxore, quæ ipsum repetēte, coactus est ad eam redire. Ea mortua quæris an ipse cogetur reuerti ad Monasterium, an aliam possit ducere in vxorem &c. Taliter respondemus, quod votum non tenuit: vnde ratione voti ad monasterium non tenetur redire. Vlterius verò non poterit vxorem accipere, promisit enim se non exigere debitum quod in eius potestate erat; & ideo quoad hoc votum tenuit: non reddere autem non erat in eius, sed in mulieris potestate. Idem in *c. Places 12. eodem tit.* ibi: Respondemus quod licet eius votum vsquequaq; non tenuerit, Eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare: promisit enim intrando monasteriū se nō exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius: redire vero ad sæculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti, & ideo quantum ad ipsam tenuit votum: quod post viri obitum tenere non desijt: cum ad eum casum, à quo poterat efficax habere principium, peruenisse noscatur. Consultius itaque dicimus & rei congruentius ad salutem, vt ad monasterium redeat &c. si vero ad hoc induci non poterit, ipsam inuitam credimus non cogendam. Et secundum hæc verba videtur respondendum ad supradictam quæstionem filij fam. vouentis sine consensu patris in casibus, quibus vouere sine eo non potest. Sed quomodo tenetur filius fam. homini mortali ciuiliter, & naturaliter. *vt ff. de obl. & oblig. l. filius fam.* & non Deo immortali? quærit *glos. verbo non obligantur, in l. 2. §. voto, per tex.* ibi: Filius enim famil. vel seruus sine patris, dominiue authoritate non obligantur, *ff. de pollicit.* Et respond. Minimè tum Deo agitur. Vnde

pia non solum delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia mores fiunt, *& epist.* 111. ita. Addiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum est.

Nulla capitalior pestis, quàm corporis voluptas, quæ hominibus à natura data est: quia cum nihil prestabilius menti datum sit homini, huic diuino muneri, nihil magis voluptate æmulatur, vt dixit *Archytas Tarentinus philosoph. relatus per Rogen.de sum.bon.§.4.sub num. 35.vers.& pro intelligentia; & in vers.& ideo ex Pluton.* Illam vocat escam malorum; eo quia ea capiuntur homines sicut hamo pisces. Ideo *Innoc.3.in cap. nisi cum pridem 10.§.verum de renunciat.* dicit, quod otiositas, & voluptas arma sunt hostis antiqui ad capiendas miseras animas. Vnde *Stoici* diffinientes voluptatem dixerunt esse sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui; *& glos. in Clemen. Ad nostrum verbo sensualitas, de hæret.* esse vim animę appetentem desiderabilia corpori; & refutantem nociua. Et ad hanc procliuem esse cursum ex natura imitatrice vitiorum, dixit *glos. verbo ad peccandum, in cap. Alma mater, de sent.excom.lib.6.*

De hac voluptate, seu cupidine iubet *Imp.* coarctandos esse iuuenes in *l.vlt.§. filijs, C.de bon.quæ lib.* ibi. Melius enim est iuueniles coarctare calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant. Et *Senec.lib.1 epist.vlt.sic.* Quam dulce est voluptates fatigasse, & reliquisse. Et *lib.3.epist.27 in princ.* ita consulit. Dimitte istas voluptates turbidas magno leuandas &c. ita improbarum voluptatum, etiam post ipsas, pœnitentia est. Non sunt solidæ, non sunt fideles, etiã si non nocent fugiunt &c. Sola virtus præstat gaudium perpetuum securum. Et *lib.7.de benef.c.9.* sic. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos ipso quo fugere debet periculo, crescit. Et licet quidam putent maioris esse virtutis præsentem contemnere voluptatem, tamen ego arbitror securioris cõtinentiæ esse, nescire quod quæras. Ait *D. Hieron. ad Lætam.*

Votum.

SI eius nomen spectes, æquiuocum est; quia duplicem habet significatum: significat namque voluntatem, seu desiderium alicuius boni obtinendi iuxta illud *Plinij epist. 45.* Hanc ego vitam voto, & cogitatione præsumo, hoc est hanc ego vitam opto, & cogitatione præsumo eventuram. Et illud *Prouer. 6.31.* Quid dilecte votorum meorum; idest, in quem omnia mea desideria, vota, & studia tendunt. Et de eodem *Aug. sup. Psalm. 31. relatus in cap. Magna pietas, de pœnit.dist.1.in fin.* ibi. Votum enim pro opere reputatur. Coniuncta *glos. ibidem verbo pro opere, & in c.anteced.* ibi. Votum, idest propositum, & voluntas. Hinc etiam certum est voti compotem dici eum, qui desiderium suum assecutus est; eique rem pro voto succedere, si pro desiderio succedat. Et proprius, atq; pressius votum significat promissionem Deo factam, & inducentem obligationem. De hoc *Cic. de nat. Deor.lib.3.* ait. Nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint? Et *lib.1.de legib.* Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, qua obligamur Deo; pœna verò violatæ religionis iustam excusationem non habet. Idem clarè liquet ex sacra pagina *Deuter.23.* ibi. Cum votum voueris Domino Deo tuo non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri (idest vouere) absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs

bis tuis, obseruabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo: *& Num.* 30. ibi. Cum se obstrinxerit voto &c. *& Ecclesiastes* 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Ex hac posteriori significatione vtpote magis propria ortum habuit prima significatio, vt optimè aduertit *Calepin. verbo Votum*. Cum enim ea, quæ desideramus magnopere, adhibitis votis à Deo petere solemus: Factum est, vt vota accipiamus pro optatis. Sed est translatitia significatio.

In propria igitur significatione votum communiter definitur à Doctoribus, vt sit promissio deliberata, & spontanea Deo facta de meliori bono. Et secundum *Richard. in 4. sent. dist. 39. art. 3.* Quē allegat *Bertach. verbo votum.* Est propositi supererogātiś promissio Deo facta propter bonum finem ex deliberatione firmata. Ex qua definitione dicebat *Ioan. Gerson. in reg. mora*; quod religiosus quamuis peccet grauissimè fornicando, tamen non est voti fractor, quia antea fuit obligatus semper non mæchari.

Non etiam infringit votū; qui in melius illud commutat, vt dicit *Pontif. in cap. peruenit 3. de iur. iur.* à quo deduxit *glos. in cap. scriptura 4. de vot.* ibi. Sic non frangit propositum, qui illud in melius commutat. Nec etiam qui vota stulta non adimplet, iuxta *glos. verbo permittitur, in Auth. Quod eis, C. de nupt.* ibi. Melius est vota stultæ promissionis non implere, quam crimen admittere.

Vbi votum impeditur aliquo facto intrinseco, non obligatur vouens ad implendum etiam impedimento cessante, iqui dicit, & esse mirabile *Abb. in cap. Quidam 3. de conuers. coniug. n. 3.* Et ex eo infert ad quæstionem nūquid filius fam. teneatur exequi votum postquam fuit liberatus à patria potestate, si est talem quod non potuit sine consensu patris emitti? Respondetque negatiuè. Licet dicat contrarium tenuisse *Innoc. in c. scriptura de vot.* vbi videas per eumdem *Abb. tex. autem in d. c. 3.* sic ait. Quidā intrauit monasterium inuita vxore, qua ipsum repetēte, coactus est ad eam redire. Ea mortua quæris an ipse cogetur reuerti ad Monasterium, an aliam possit ducere in vxorem? &c. Taliter respondemus, quod votum non tenuit: vnde ratione voti ad monasterium non tenetur redire. Vlterius verò non poterit vxorem accipere, promisit enim se non exigere debitum quod in eius potestate erat; & ideo quoad hoc votum tenuit: non reddere autem non erat in eius, sed in mulieris potestate. Idem in *c. Placet 12. eodem tit.* ibi. Respondemus quod licèt eius votum vsquequaq; non tenuerit, Eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare: promisit enim intrando monasteriū se nō exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius: redire vero ad sæculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti, & ideo quantum ad ipsam tenuit votum: quod post viri obitum tenere non desijt: cum ad eum casum, à quo poterat efficax habere principium, peruenisse noscatur. Consultius itaque dicimus, & rei congruentius ad salutem, vt ad monasterium redeat &c. si vero ad hoc induci non poterit, ipsam inuitam credimus non cogendam. Et secundum hæc verba videtur respondendum ad supradictam quæstionem filij fam. vouentis sine consensu patris in casibus, quibus vouere sine eo non potest. Sed quomodo tenetur filius fam. homini mortali ciuiliter, & naturaliter. vt *ff. de act. & oblig. l. filius fam.* & non Deo immortali? quærit *glos. verbo non obligantur, in l. 2. §. voto, per tex.* ibi. Filius enim famil. vel seruus sine patris, dominiue authoritate non obligantur, *ff. de pollicit.* Et respond. Mitius cum Deo agitur. Vnde

dixit

Alij esse id, quod percipitur ex mutuo, facto pacto ne restituatur, nisi soluta vsura, vt per eundem *Paul. in l. Item quia ff. de pact.* Item dicitur pretium temporis, vel dilationis, & per *glos. verbo ad comparandam in l. In fraudem 45. §. Fiscalibus ff. de iur. fisc.* Denique *Tolet. lib. 5. c. 28. in princ.* sic definit. Vsura est lucrum rei pecunia æstimabilis, ratione mutui principaliter proueniens. Et apud eum poteris videre de materia alia à prædicto *cap. vsq. ad c. 37.* hic vero, iuxta solitum Apolectatis nostri breuiter notabiliora iura de reprobatis, & permissis vsuris loquentia afferemus.

Dulces appellauit vsuras *Vlpian. in l. Ait prætor 10. §. si fraudator prope fin.* ibi. Vel dulcedine vsurarum, *ff. quæ in fraud. cred.* vbi notauit *glos.* dicens. Nota, Dulce accipere vsuras; sed ego, si reprobatæ sint, amaras voco, cum amarissimā amaritudinē in miserā vsurarij animā inducant, & ratione illas soluentis siue iustè, siue iniustè, etiam amaras esse ex his, quæ *Chrisost. super Matth. relat. a Tolet. d. c. 28. num. 3. ad fin.* ibi. Qui ad vsuras accipit, sibi bona conferri putat, postea vero cambijs, & recambijs omnia sua cōsumpta dolet, & se in inopiā redactum plorat; & comparatur morsui aspidis, qui primo delectationem infert, & somnum, postea mortem.

Vsuræ in bonæ fidei iudicijs, & si non tam ex obligatione proficiscuntur, quàm ex officio iudicis applicentur; tamen cum fideiussor in omnem causam se applicauit, æquum videtur, ipsum quoq; agnoscere onus vsurarum. Ita ait *l. Quæro 56. ff. locat. vbi glos. verbo* applicentur sic. In obligatione fideiussoris non habet locum, cum sit stricti iuris. Sed de hoc dubitari potest, eo quia fideiussio est accessio, & cum obligatio principalis bonæ fidei sit, videtur quod etiam eius accessio, quæ est fideiussio, erit etiam bonæ fidei, & quemadmodum principalis tenetur ad vsuras debitas soluendas; sic, & eodem modo, & fideiussor. Fuit cogitatum.

Si mandatarius nō exercuit pecuniam, sed ad suos vsus conuertit, in vsuras conuenietur, quæ legitimo modo in regionibus frequentantur. Sic *l. Idem 10. §. 1. ff. manda.* & infra subiungit. Etiam si vsuras exegit procurator, & in suos vsus conuertit, vsuras cum præstare debere. Quod quidem notabile videtur, stāte *l. 2. ff. de admin. rer. ad ciuita.* ibi. Ne commodorum commoda, & vsuræ vsurarum incrementum faciant. Verum hoc procedere dicendum puto, quādo petitor agit de eo lucro nō data mora, iuxta *l. Cum quidā §. si Pupillo ff. de vsur.* ibi. Vsuræ enim non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium infliguntur.

Finita administratione eas vsuras debere computari, quæ in tutelæ iudicio computantur. Ita disponit *l. Lucius 47. §. Quæsitum est. ff. de admin. tut.*

In fraudem vsurarum factum, præsumitur ex qualitate facti, & personarum, quia sit solitus fœnerari, sic inquit *glos. in l. Pœnam 44. ff. de vsur. & in cap. Illo vos 4. de pignor.* ibi. Præsumitur vehementer, præsertim cum vsuras consueuerit exercere.

In fraudem constitutionum, videri adiectum, id quod legitimam vsuram excedit. Dicit *l. Iulianus, §. Idem Papinia. ff. de act. empt. vbi glos. verbo Excedit,* sic ait. An verum est semper quod hic dicit? Resp. Non. Sed si solitus erat venditor fœnerare &c. Sed secundum nos, qui dicimus vsuras non præstari per *Auth. de Ecclesiast. tit. §. 1.* Nunquid condemnabimus emptorem hoc casu in legitimis vsuris? Resp. sic, si ille fructus percepit, vt sic loco interesse succedat vt sup. &c.

Cursus vsurarum nondum cæptus impeditur ne incipiat sola oblatione; vt *C. de vsur. l. si non stat per te.* Si vero cursus earum cepisset, opus esset oblatione,

 ne,

ne, consignatione, & depositione, vt infr.de vsur.l.1.§.fin. hæc ponit glos.vlt. in l.Celsus 48.§.vlt.ff.de recept.arb.

Si non appareat de quibus vsuris conuentio facta sit peti eas non posse disponit l.Tutor 41.§.1.ff.de vsur. Et precij sorte, licet post moram soluta, vsuras peti non posse, cum hæ non sint in obligatione, sed officio iudicis præstentur, decidit l. Qui per collusionem 51.§.vnic.ff.de act.empt. Peti etiam non posse vsuras longi temporis spatio transacto, inquit l.Cum quidam 17.§. Diuus ff.de vsur.In hæc verba. Parum iustè vsuras præteritas petis, quas omisisse te longi temporis interuallum indicat, qui eas à debitore tuo, vt gratior apud eum videlicet esses, petendas putasti.

Inuenies aliqua iura loquentia de vsuris centesimis,& si vis scire quæ dicantur, audi glos.verbo centesima in l.vlt. C.de petit.hered. ita dicentem. Vsura centesima est, quæ æquiparatur sorti in anno. Quartæ centesimæ quæ in quatuor annis. Sed Apostill. ibidem sic. Centesimam vsuram dic eam, quæ centesimo mense æquat sortem.

Vsucapio.

Bono publico introducta est; ne scilicet quarundam rerum diu, & ferè semper incerta dominia essent: cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. Ita Gaius in l.1. ff. de vsucap. & Neratius in l. vlt. ff.pro suo, addit sic. Vsucapio rerum etiam ex alijs causis concessa est, quæ interim propter ea, quæ nostra esse existimantes possidemus, constituta est, vt aliquis litium finis esset. Olim nomen vsucapionis commune esse ad vsucapionem, & ad præscriptionem, dicit Bart in l. seruitutes 14. sub num.3. ff.de seruit. & probat ex definitione de qua in l.3.ff.de vsucap. vbi Modestin. ait Vsucapio est acquisitio, vel adiectio dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti, & ex l.eũ qui ades 23.cod.tit. Postea verò per Iustinianum esse attributam vsucapionẽ rebus mobilibus, præscriptionem immobilibus: vt in l. vnic. C. de vsucap. transform. sequitur Abb.in rubr. de praescript.num.3.

In vsucapione attendi initium, dictum fuit verbo initium, quod verò ad finem ad eam complendam, sic inquit l.15. ff.de dol.except. In vsucapione ita seruatur, vt etiam si minimo momento nouissimi diei possessa sit res, nihilominus expleatur vsucapio, nec totus dies exigitur ad implendum constitutum tempus. Sufficit autem quod subsit iusta causa ad vsucapionem,vt dicitur in l.4.ff.pro legat. Quod ita interpretandũ est,vt probabilis error possidentis, vsucapioni non obstet, iuxta l.vlt. ff. pro suo.

Vsucapionem procedere in vi compulsiua, turbatiua, & inquietatiua dicitur in verbo vis in princip. vers. Sunt quinq; vbi contrarium asseritur in vi expulsiua, & ablatiua, & probat l.vlt.ff.de vi bon.rapt. ibi. Quod vi possessum rapeumque sit antequam in potestatem domini hæredisue eius perueniat, vsucapi lex vetat, vbi Apostill. sic. Vi ablatiua scilicet, vel expulsiua, quoniam compulsiua non impedit, vt &c.

Nominem vsucapere ratione incertitudinis inquit glos.per tex. ibi in l. Qui cum pro harede 6.§.1.ff.pro empt. Sed & in casu notabili non dari vsucapionem, etiamsi res empta sit à domino, probat l.si quis 8.ff.pro empt. ibi. Nisi fortè is, qui à luxurioso,& protinus scorto daturo pecuniam, seruos emerit, non vsucapiet, vbi videas glos. & quæ allegat an procedat simpliciter, an vero in eo tantum, cui propter luxuriam fuisset alienatio prohibita.

Vsurpatio.

VEl intelligitur quatenus est contraria vsucapioni, de qua ait *Paul. in l. 2. ff. de vsucap. sic.* Vsurpatio est vsucapionis interruptio. Oratores autem vsurpationem frequentem vsum vocãt. & in *l. Naturaliter interrũpitur 5. eod. tit.* ibi. Is qui vsurpauerit coniuncta *glos. eod. verbo,* ibi. Vsurpauerit, idest possessionem, siue vsucapionem interrumpit &c. Vel etiam sumitur pro ipsa vsucapione, vt ex *rubr. eod. tit. de vsucap. seu vsurpat.* & his quæ notat *Castr. in summ. d. l. 2.* & ex eadem in citatis verbis Oratores autem vsurpationem frequentem vsum vocant. Propriè vero vsurpare est quando quis, quod sibi aliàs non competit de iure, acquirere intendit. Sic *Vlpian. in l. Iniuriarum 13 prope fin. ff. de iniur.* Loquens de eo, qui prohibet aliquem piscari, vel venari (quod quidem non potest) ait. Vsurpatum tamen hoc est. Vbi notat *glos.* Hoc esse iniustum vsum, seu consuetudinem, qua quis vtitur sciens, actione iniuriarum tenetur. De quo statim verbo seq.

Vsus.

SI accipiatur pro consuetudine, eadem; quæ de ea dicta sunt in eodem verbo, intelligas de hoc, aliqua tamen vlterius dicamus: & prosequendo materiã supra proximè huc relictam. Affero *glos. verbo non iusta in Extrauag. Cum inter de verb. sig.* sic loquentem. Necessario concluditur omnem cuiusque rei vsum iniuriosum, & iniustum esse, qui haberi dicitur absque aliquo iure &c. Vnde talis vsus sine aliquo iure dici non meretur vsus, sed abusus, & affert versus.

Tempus longæuum te non excusat in auum
Cum malè sit vsus, quia non præscribit abusus.

Et *Pontif. in Extrauag. vlt. prope fin. eod. tit.* sic. Impossibile enim est actum humanum extrinsecum esse iustum, si exercens actum ipsum, nullum ius habeat exercendi, imo non iustus, seu iniustus necessario conuincitur talis vsus. Vnde si daretur vsus prohibens liberis hominibus liberum vsum, & administrationem rerum suarum, iniquus esse, vt aliàs dicit *glos. verbo rationabilibus in Extrauag. vnic. de torneam.*

Si vero sit iustus omni regulæ, omnique constitutioni derogat solus: qui quoniã sit magis facti, nulla iuris constitutione mutari potest, vt inquit *glos. verbo non continebuntur in l. Librorum 50. §. Quod tamen ff. de legat. 3.* Et plus statur vsui, quàm significationi vocis. Imò statur vsui contra naturam vocis iuxta *glos. verbo vltra duas dietas in c. Nonnulli 28. de rescript.* & confirmat *glos. vlt. in l. Legatis 63. §. vlt. ff. de legat. 3.* & affert illud Horatij.

Vsus, & arbitrium est, & vis, & norma loquendi

Nec mirum est moribus ciuitatis, & vsu rerum appellationem mutatam esse inquit *l. Labeo 7. ff. de supel. legat.* Verũ non ex opinionibus singulorum, sed ex communi vsu nomina exaudiri debere ait prædicta *l. Labeo ad fin.* vbi *glos. verbo mutatam* sequentes ponit versus.

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus,
Quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi

Sed & Regum, & Imperatorum vsum eandem habere vim probat *l. supellectile 3. in fin. ff. de supell. legat.* ibi. Hodie propter Imperatorum vsum. Quin etiam in dispositionibus testamentarijs vsus testatoris voluntatem eius declarat, vt *sup. verbo voluntas & glos. verbo denegari in l. fideicommissa 11. §. si seruo ff. de legat. 3.* dicit sic. Nam & alias ex Legatarij vsu, & scientia testatoris voluntas colligitur. Et vsus patris fam. inspicitur, ait *glos. verbo vsus, in l. si partem 15. ff. de seruit. rust.* vbi etiam quando non inspiciatur.

Si autem accipiatur vsus prout sumitur in *rub. ff. de vsu & hab.* Scias quod constituitur ijsdem modis, quibus & vsusfructus, vt in *l. 1. eod. tit.* Licet in effectu differant, eoquod cui vsus relictus est vti potest, frui non potest vt *l. 2.* Et sic definitio vsus tantum differt à diffinitione vsusfructus, quod in ea non apponitur verbum, fruor, vt notat *glos. 1. in d. l. 1.* dicens. Vsus est ius vtendi rebus alienis, salua rerum substantia, fruendi enim in definitione vsus non ponitur &c. Sed notabis quod licet minus iuris habeat vsus, quam vsusfructus ratione fruitionis, qua vsuarius nó gaudet sicut gaudet vsufructuarius, tamen seruitus vsus est indiuidua essentialiter, vsusfructus vero est diuidua, & hac de causa inquit *Paul. in l. 20. ff. illo tit.* Vsus pars legari non potest: nam frui quidem pro parte possumus, vti pro parte non possumus.

Notabis etiam quod si legatus esset vsus alicuius rei, in qua nudus vsus non possit consistere, quod tunc intelligetur legatus etiam vsusfructus ex *Pompon. in l. 23. ff. de vsu & hab.* in hæc verba. Diuus Adrianus, cum quibusdam vsus syluæ legatus esset, statuit fructũ quoq; eis legatum videri: quia nisi liceret legatarijs cædere syluam, & vendere, quemadmodum fructuarijs licet: nihil habituri essent ex eo legato. Idem in *l. si domus vers. si vero & in l. fundi vsu 16 eod. tit. & Vlpian. in l. Hoc Senatus 5. §. vlt. in fin.* ibi. Nam idem continere vsum pecuniæ, & vsumfructum &c. & in *l. Quoniam 10. ff. de vsufr. ear. rer.* ibi. Si vsus tantum pecuniæ, legatus sit (quia in hac specie vsus appellatione, etiam fructum contineri magis accipiendum est) &c.

Cæterum quid cótineatur in vsu generaliter id est nó in casibus specialiter declaratis, relicto? Videas *l. 1. 3. 4 & vsq; ad 8. ff. illo tit. de vsu & hab.* & ibi de vsu domus. Et de fundi vsu, *l. si habitatio 10. §. si vsus fundi cum duabus seqq.* & de prædictis, & alijs *tot. tit. de vsu, & hab. in Inst.* & de vsu lanæ mulieri legato inquit *l. Cum quæreretur 58. §. lana ff. de legat. 3.* hæc. Sic mihi placere, & in lana fieri, vt ex ea quantum ad vsum annuum, mulieri satis esset, sumeretur, vbi nota *glos. verbo lana, dicens esse speciale in lana, & lino,* quæ appetunt mulieres.

Qui prohibitus vtitur, clam vtitur. Sic ait *l. 3. in princ. ff. de itin. actuq;* Non vtens vero, seruitutem vsus amittit, vt dictum fuit *verbo seruitus.*

Denique vsus etiam dicitur exercitium alicuius rei, veluti in eo, qui peritiam habet negotiorum, nam ipsorum vsus facit eum habilem ad obtinendum iudicandi munus, licet ignarus litterarũ sit iuxta *l. Certi iuris 15 C. de iudic.* ibi. Quid enim obstaculi est homines, qui cuiusdam rei peritiam habent de ea iudicare? non scimus: & militares Magistratus: & omnes tales homines per vsum quotidianum iam esse approbatos, vt audiant lites, & eas dirimant: & pro sui, & legis scientia huiusmodi altercationibus finem imponant. Vnde benè dicitur, quod plus valet vsus sine scientia, quam ipsa sine vsu.

Vsusfructus.

IAm proximè dictum est, quid sit, in definitione vsus, vbi videas. Et ponitur per *Paul. in l. 1. ff. de vsuf.* cui addit *Cels. in l. 2. sic*; Est enim vsusfructus ius in corpore: quo sublato, & ipsum tolli necesse est. Et ab eis deduxit *Imp. in §. 1. eod. tit. in Inst.* Constituitur autem tam in vltimis voluntatibus, quàm in contractibus, & non tantum in fundo, & ædibus, verum & in seruis, & iumentis, cæterisque rebus. Ne tamen in vniuersum inutiles essent proprietates, semper abscedente vsufructu: placuit certis modis extingui vsumfructũ, & ad proprietatem reuerti, vt dicitur in *l. 3. eod. tit. & in §. vsufructus in Inst.* & per totum videre poteris plura. hic tantum aliqua afferemus secundum stylum Alphabeti nostri.

Ex dicta ratione scilicet ne proprietas rerum inutilis in totũ esset procedit *l. 8. ff. de vsufr. legat.* Nam vsufructu legato alicui ciuitati, seu municipio, quia ipsa nunquam moritur, & proprietas inutilis remaneret deciditur in illa lege, quod terminetur vsusfructus eo casu spatio centum annorum ibi, vnde centum annos obseruãdos esse constat, qui finis vitæ longissimus est.

Si bonorum vsusfructus legabitur etiam æs alienum ex bonis deducitur. At cæterarum rerum vsusfructus si legatus fuerit, non idem obseruabitur, ita disponit *l. vlt. ff. eod. tit. de vsufr. lega.*

In donatione per vsusfructus reseruationẽ videtur tradita possessio donatario iuxta *l. Quisquis 28. Cod. de donat.* ibi, Etiam si stipulatus nõ fuerit eam continuo tradidisse credatur &c. Sed omnimodo idem sit in his causis vsumfructum retinere, quod tradere, & in *l. si quis 35. §. sed eod. tit.* Sed siquidem (inquit) in omnibus supradictis casibus vsusfructus fuerit à donatore retentus, & traditionem intelligi fieri. Ex quo tex. videtur inferri, quod vsufructuarius non possideat, & probatur expressè in *l. 1. §. Quod ait prætor ff. quor. legat.* ibi. Neque vsusfructus, neque vsus possidetur, vbi *glos.* intelligit ciuiliter, cum possessio ciuilis remaneat apud dominum proprietatis. Sed ibidem *Additio* dicit quod scilicet nõ possidetur res, in qua vsusfructus est, quod quidem mihi non placet: Nam si non possideretur res vsufructuaria, non daretur vsufructuario interdictũ quod vi, in quo necesse est, vt possessio fuerit apud eum, qui illud intentat iuxta vulgarem reg. *l. 1. §. Deijcitur is*, qui possidet, *& §. Interdictum* autem hoc nulli competit nisi ei, qui tunc cum deiceretur, possidebat: nec alius deijci visus est, quam qui possidet *ff. de vi. & vi.* At vero constat vsufructuario concedi interdictum quod vi, vt in *l. Competit 16. ff. quod vi aut clam*, ibi. Potest dici, & fructuarij interesse propter voluptatem, & gestationem, id est spatiationem, & esse huic interdicto locum. Quare verius dicendũ existimo, quod dum in *d. §. quod ait prætor* dicitur vsumfructum, & vsum non possideri, intelligi de iure illo incorporali, de quo in diffinitione vsusfructus, nam propriè loquendo, incorporalia non possidentur, cum possessio requirat corpus tangibile, & apprehensibile, vt notatum fuit verbo Corpus. Si non placet quære aliam meliorem responsionem. Et non solum possessorem dici, sed & dominum vocari posse colligitur ex *l. 8. ff. de bon. auth. iud.* dum ita ait: In venditione bonorum etiam vsusfructus venit: quia appellatione domini fructuarius quoque continetur.

Plerumque verisimile est testatorem contemplatione magis filij, quàm patris vsumfructum ei reliquisse. Sic ait *l. vlt. C. de vsufr.* vbi etiam notabiliter disponitur in eo casu, nec per mortem filij,

nec per obitum patris finiri vsumfructum; vnde benè dixit *glos. in Auth. Idem est C. de bon. quæ lib.* per monachationem patris non etiam finiri vsumfructum. Non etiam prætereamus *tex. in l. Cum oportet eod. tit.* vbi vsufructu patri concesso in bonis filij hanc optimam rationem ponit *Imp.* Sic enim & parenti nihil derogabitur vsumfructum rerum possidenti; & filij non lugebunt, quæ ex suis laboribus possessa sunt ad alios transferenda aspicientes, vel ad extraneos, vel ad fratres suos, quod etiam grauius multis videtur esse.

Vsufructuarij non vtendo vsumfructum amittunt iuxta *l. Manius 68. §. vlt. ff. de legat. 2.* ibi. Quia non vtendo possunt vsumfructum amittere. Et si non reficiant, à domino vti prohiberi possunt, vt in *in l. Hoc amplius 9. §. vlt. ff. de dam. infect.*

Vsumfructum rei immobili comparari dicit *glo. verbo Excludere in l. Corruptionem 16. C. de vsufr.* etiam si sit rei mobilis, quod est notabile.

Vtile, & è contra.

Non vitiari per inutile vulgare, & regulare est, vt notauit *Apostill. in c. Dilectus 19. de preb.* dicens regulariter enim non vitiatur vtile per inutile per tex. ibi. Nos facto eiusdem Legati illicito reprobato, quod est licitum approbantes, & *in l. fine 62. ff. de iur. dot.* ibi. Et vtilius est dicere id quod superfluum est tantummodo infirmari, vbi *glos.* ita. Non vitiatur vtile per inutile. *l. Pecuniæ 9.* ibi. Superfluo detracto stipulatio vires habebit, *l. Placuit 29.* ibi. Quod illicitè adiectum est pro non adiecto haberi, & licitas peti posse *ff. de vsur.* Aliquando tamen vitiari notauit *glos. pen. in l. Pedius 7. ff. de recept. arb.* ibi. Item nota hic vtile per inutile vitiari &c. Quod si vis scire quando illa regula habeat locum, vel non, audi tex. in *l. si sponsus 5. ff. de donat. int. vir.* dum ita inquit Quod si aliarũ extrinsecus rerum, personarumue causa sit commista: si separari non possit, nec donationẽ impediri; si separari possit, cętera valere, id quod donatũ est nõ valere, vbi videas latè per *glos. verbo Impediri, & Addit. glos. in l. per seruum 14. §. vnic. ff. de vsu & hab.*

Vtile per inutile etiam vitiari quando res, quæ nondum ad suum esse peruenerat, venit ad casum à quo incipere non poterat, deducitur ex *l. Qui filio 38. §. si quis seruum ff. de hered. inst.* ibi. Quia eo tẽpore ad eum peruenisset, quo iam extincta institutio, & inutilis fuerat cum alijs iam dictis in *verbo Res vers. Et nota quod facilius.*

Quod ab initio inutile fuit nõ posse tempore conualescere, & vtile fieri clarè probat *Imp. in §. An seruo de legat. in Inst.* ibi. Quia quod inutile foret legatum si statim post factum testamẽtũ decessisset testator, non debet hoc ideo valere, quia diutius testator vixerit. 1

Multo vtilius est pauca idonea effundere, quam multis inutilibus homines prægrauari. Ita dicit *Imp. in l. vlt. sub vers. Contrarium autem, C. de vet. iur. enucle.* Poterit tamen ea quæ sunt inutilia, vtilia facere ipse Imperator, Rex, aut Princeps: quia si nullum, facit aliquod, multo magis inutile, vt dixit *glos. verbo multo in l. vnic. per tex.* ibi. Multo magis etiam si inutilis sit, eam validam effici. *C. de rei uxor. act.* 2

Vtilis temporis multa esse genera dictum fuit *verbo Tempus.*

Vtilitatem publicam esse vnam, Alteram priuatam notum est. De illa dicit *Canon. 25. q. 1.* Quæ ad perpetuam generaliter ordinata sunt vtilitatem, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa, & in *cap.*

cap. 3. de praebend. Ratio nulla permittit, vt quod pro communi vtilitate datum esse cognoscitur proprijs cuiusque vsibus applicetur. Vnde si aliquis contra eam aliquid impetrauerit, nullum esse decernit *Imp. in l. 2. C. de nau. non excus. lib. 11.* ibi. Quod etiam in omnibus causis cupimus obseruari: vt generaliter si quid eiusmodi contra Ius, vel vtilitatem publicã in quolibet negotio proferatur, non valeat. Non enim facilè contra publicam vtilitatē concedendum est rescriptum, vt dixit *glos. verbo Iussio in Auth. vt null. iud. §. & hoc vero coll. 9.* vbi si aliqua similis concessio fiat, non debet adimpleri nisi iterum consulto Principe, secunda ab eo procedat responsio. Nam vbi publica tractatur vtilitas, & si minor iudex veritatem inuestigauerit, nulla Maiori fit iniuria, Vt ait *l. 5. C. de offic. rect. prou.* Cum omnes in commune, si necessitas exegerit, conueniat vtilitatibus publicis obedire. Iuxta *l. 1. C. eod. tit. de nau. non excus.* Et multa iure ciuili contra strictam rationem disputandi pro vtilitate communi recepta esse dicit *l. si ita 51. ff. ad l. Aquil. & in c. Abbate sane 3. de sent. & re iud. lib. 6.* ibi. Praesertim cum nonnulla pro vtilitate communi, contra iuris asperitatem ex aequitatis mansuetudine tolerari noscantur. Et si aliquando reuocari contingat, in maiorem intelligitur esse vtilitatem, vt in *c. vlt. de sent. excom. lib. 6.* Alma mater (inquit) Ecclesia plerunque nonnulla rationabiliter ordinat & consultè, quae suadente subiectorum vtilitate postmodum consultius, ac rationabilius reuocat, in melius ue commutat.

Hanc publicam vtilitatem praeferendam esse priuatae quamplura proclamãt iura: nam in *c. Bona 3. de post. praelat. ita Pont.* Non immerito praeferentes speciali vtilitati communem, & minori maiorem, vbi notauit *glos. verbo communem. & in cap. Licet quibusdam 18. de regular.* sic. Quoniam sicut maius bonum minori praeponitur, ita communis vtilitas speciali vtilitati praefertur. *& in c. 1. ne sed. vac. glos.* ait, Plus enim vtilitas Ecclesiae, quàm personae fuit attendenda per tex. ibi. Ne plus fauisse personae, quã Ecclesiae videremur. Et *Imp. in Auth. Res quae C. com. de legat.* ibi. Ea. n. quę cõmuniter omnibus prosũt, ijs, quae specialiter quibusdã vtilia sũt, praeponimus, & in *Auth. de mil. & ea quae par. §. 1. ad fin. coll. 4.* eademmet verba. Et in *l. 3. C. de primip. lib. 12.* ibi. Vtilitas publica praeferenda est priuatorum contractibus. Et in *Auth. de non alienan. §. Quia vero coll. 2.* sic. Oportet enim ea, quae communiter, & generaliter in omnium vtilitatem sanciuntur, potius valere, quam ea, quae circa aliquos studentur agi ad corruptionē communium legum. Quod adeo ampliatur, vt etiam procedat in ipsomet Imperatore: nam idem in *l. vnic. §. vlt. C. de cad. toll.* ita ait, Sed quod communiter omnibus prodest, hoc rei priuatae nostrae vtilitati praeferendum esse censemus, nostrum esse proprium subiectorum commodum imperialiter existimantes.

Praedicta tamen esse intelligenda cum in communi vtilitate priuata includitur, sicut fit in praelatura: alias quemlibet debere propriam vtilitatem praeferre comuni probat *glos. verbo communem. in d. cap. Bona 3. de postulat. praelat. & affert in arg. c. duae sunt, inquit 19. q. 2.* Quod loquitur de lege priuata, quae instinctu Spiritus sancti in corde scribitur, qui enim ab hac lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt à lege publica constringatur, dignior est enim lex ista priuata, quàm publica, vt sunt verba eiusdem tex. cum quo consonat quod scribit *Aug. lib. 1. de ciuit. Dei relatus in c. si non licet 23. q. 5.* Praesertim in vers. His igitur exceptis, quos, vel lex iusta gene-

generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter iubet. Et licèt hæc iura loquantur in spiritualibus, in quibus semper præferenda est vtilitas priuata cuiusque, adhuc tamen in tẽporalibus *d. glos. distinctio* procedit ex *tex. in l. Præses C. de seru. & aqua*, dum priuata vtilitas agri proprij sitientis, præfertur vtilitati communi aliorum agrorum confinium.

Comunem, seu publicam vtilitatem esse, vt finis sit litium, tenet *glos. verbo vtilitate in l. Et an eadem 14. ff. de except. rei iud.* per tex. ibi. Pinguius pro communi vtilitate accipitur. Et forsan ex hac ratione dixit *glos. verbo vtilitas in l. Quisquis 6. C. de postul.* Quod vtilitas exposcit in litibus aliquando conuitiari per tex. ibi. Non vltra quam exposcit vtilitas litium aduocati non prorumpat in temeritatem conuitiandi, & maledicendi.

Publicam vtilitatem nõ debere fieri cum damno priuatæ probat *l. vnic. ff. ne quid in flum.* ibi. Neque enim ripæ cum incommodo accolentium muniẽdæ sunt &c. Plerumque enim vtilitas suadet. Quod maiori cum ratione procedit in vtilitate priuata, iuxta *l. Seruius 3. ff. de aqua quot.* ibi. Nos & hic opinamur vtilitatem eius, qui ducit, sine incommoditate eius, cuius ager est, spectandam. Et iam sumus in vtilitate priuata.

De hac dicit *glos. 1. in c. Rationis ordo 100. dist.* Quod vtilitas per dignitatem augmentatur ex *l. si longius in fin.* ibi. Senatorem esse filium fam. qui patrem habet in prouincia: nonne augmentatur vtilitas per dignitatem? vbi *glos.* sic quasi dicat, imo augetur: & ex *l. filius fam. 7. ff. de donat. vers. Item*, ibi. Puta cum filium esse senatoris &c.

Gestum, & versum in vtilitatem alterius qualiter quid dicatur huc apponendũ duxi; quia sæpè inuenies in iure hæc verba, si in vtilitatem versum est. & *glo. verbo si vtilitatis in l. Imperatores 13. ff. de pollicitat.* ait. Quod vtilitas est, eo ipso quod non est damnum. Et comprobat *Bart. in l. 1. §. Impuberes ff. commoda. num. 2.* ibi. Quæro quando pupillus dicatur factus locupletior? Et resp. Si non est effectus pauperior &c. Affertque tex. optimum in *l. In pupillo 47. ff. de solut.* ibi. Planè (vt Sceuola aiebat) etiamsi perierit res ante litem contestatam: interdum quasi locupletior factus sit, intelligitur, idest, si necessariam rem sibi emit, quam necessariò de suo erat empturus. Nam hoc ipso, quod non est pauperior factus, locupletior est.

Sed quomodo probabitur hoc? quærit *Bald. in l. 1. C. si aduers. cred. num. 6.* vbi sic ait. Dicunt quidam quod debet probari per probationes necessario cõcludentes; vt quia pecuniam conuertit in emptionem frumenti, vel in emptionem prædiorum. *Iacob. Bu.* dicit, quod non tenetur probare ad liquidũ: sed satis erit probare coniecturas [illegible] hoc, puta quod minor indigebat, forte quia pecunia sibi erat necessaria in emptionem frumenti, & quod pecunia in eam causam data sibi fuit. Et affert *tex. in l. vlt. ff. de exercit. act.* Cuius verba sunt. Etenim non oportere creditorem ad hoc adstringi, vt ipse reficiendæ nauis curam suscipiat, & negotium domini gerat &c. Nam tunc quoque creditorem scire debere necessariã esse mercis comparationem &c. Et sufficere si in hoc crediderit: non etiam illud exigendum, vt ipse curam suscipiat, an in hanc rem pecunia erogata sit. Verum licet tex. iste optime probet quando agitur inter maiores, an fuerit, vel non, quid versum in vtilitatem alterius; non poterit tamen adaptari, in casu vbi de minorum vtilitate ageretur. Quare in eo mihi verius videtur, quod debeat constare de re versa in vtilitatem eius, licet ipsa postea perie-

rlerit iuxta *d.l. In pupillo*, vbi in proprijs terminis requiritur à principio effectus, ibi si necessariam rem sibi emit. Et idem esse in materia Ecclesiæ, vel alterius loco pupilli, & minoris habiti dicendum existimo. Vide *glos. verbo Locupletior in l.si pupilli 6.ff.de neg.gest.* & in vxore vide verb seq.vers. Non teneri.

Non autem vtiliter gerit negotia, qui nō rem necessariam, vel quæ oneratura est patrem fam.agreditur. Ita dicitur in *l.sed an vltro 11.§.1.ff.de negot.gest.*

Vxor.

Est socia humanæ, & diuinæ vitæ. Sic dicit *glos.verbo promiscuis,in l. Quamuis,C.de furt.* quod deduxit ex *l.4.C.de crim.expil.hæred.* ibi. Aduersus vxorem, quæ socia humanæ, atque diuinæ domus suscipitur. Et hac de causa licet furtum faciat marito, non tenetur tamen furti actione. *l.1.ff. rer. amot.* ibi. Quia societas vitæ quodammodo dominam eam faceret: alijs vt Sabino, & Proculo, furtum quidem eam facere, sicut filia patri facit, sed furti non esse actionem. Alia etiam causa affertur in *l.3.§.1. eod. tit.* ibi. Sed propter reuerentiam personarum, furtiuam tantum condictionem competere, non etiam furti actionem. Et virum socium vxoris notauit *glos.verbo Cum vxore,in l.alimenta 16.§.vlt ff.de alim.legat.* Quod tamen non intelligas, quoad communicationem bonorum, nisi id expressum sit. Vt ex *d.§.vlt.* apparet, & ex *l.Cum hic status, §.si inter virum, ff.de donat.int.* De iure communi loquor, cum aliàs benè sciam Lege Lusitana caueri virum, & vxorem contracto matrimonio, & copula consummato statim fieri socios etiam quoad bona pro medietate, nisi expresè aliud inter eos in contrarium declaratum fuerit. Quæ quidem lex optimis fulcitur rationibus; si enim vir, & vxor non duo, sed vna caro sunt, quare non idem in bonis? Si non ad imparia debent iudicari (vt ait *glos.verbo æqua,in l. Iubemus 11. §. eodem modo, C. de repud. per tex.* ibi. Vt ex vtraque parte æqua lance, & æquitas, & pœna seruetur.) cur dispares in diuitijs? Et confirmatur ex *Auth. de æqual. dot. §.1. coll. 7.* ibi. Si enim aliquis amplius alio dines est, licet ei per alium modum, legitimum tamen, & agnitum nostris legibus clementiam præbere alij; non per inæqualitatem redigens ad æqualitatem lucrum maius alteri acquirere; Et ex *l.si cum dotem 23.§.si maritus,ff.sol. mat.* ibi. Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus, mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse.

Insuper si decet vxores frui coniugis claritate, & alia non decoratur mulier penitus præter coniugem: quoniam vxores coruscāt radijs maritorum, sic dante *tex.in Auth.de consul.§.1.coll.4.& in l. vlt.C.de nupt.* ibi. Non patimur in vno eodemque connubio, mariti felicitatem vxori fieri infortuniume vt quantum vir in altum tollatur, tantum coniux decrescat, absit itaque nostro tempore huiusmodi asperitas, & firmum maneat matrimonium, & vxor marito concrescat, & sentiat eius fulgorem. Quod etiam post mortem viri procedere, ait *l.quoties 3.C.de priuil.scholar.lib.12.* ibi. Vel eorum coniuges, siue adhuc viuerent earum mariti, siue post mortem eorum in viduitate constitutæ sunt. Cur non erit idem ius in bonis?

Denique in omnibus ferè legalibus dispositionibus inuenies idem dispositum in vno, quod in altero coniuge, vt in *l.vlt. C.de infirm.pen.celib.* ibi. Tantum igitur posthac maritus, vel vxor sibi inuicem derelinquant, quantum superstitis amor exegerit. Et in *Auth. de nupt. §. quæ vero, ante med. coll. 4.* ibi. Si quis prohibuerit vxorem ad aliud venire matrimonium, siue etiam vxor maritū

(idem namque est vtrinque) & in *l. viro atque vxore 40. ff. sol. matr.* ibi. Id ita accipi debet, vt ea lege, quam ambo contempserint, neuter vindicetur.

Notabis tamen quod vxor, & vir ad imparia iudicantur quando ad inuicem impendunt ex ratione data in *l. si stipulata 34. ff. de donat. int. vir.* ibi. Quia non tam solemne est annuum, quod maritus vxori impendit, quàm quod vxor marito præstat; imo etiam incongruũ est, & contra sexus naturam. Vbi *glos. verbo solemne*, addit. Quia sæpè, & plurimum solet fieri; mulier viro rarissimè donat, & ideo cum id faciat, pro magno reputatur, & quasi miraculosè. Cum solemnitate celebratur donatio, scilicet personarum interuenientium, & inde gaudentium: *et glos. seq.* sic. Contra sexus naturam idest, quod mulier donat, vel sic largiatur &c. quia scilicet donauit cõtra naturam sexus, quod quasi mirandum est. Item quia inconueniens est, seu incongruens etiam de iure, eam donare marito ad sustẽtationem sui: nam vir vxorem, non vxor virum tenetur sustentare; & si contra fit, vel rarum, vel malum. Et *glos. verbo maxime, in Auth. de nupt. §. quoniam infirmes, coll. 4.* ibi. Vt habeant talia lucra à viro, non sic facile vir ab ea, cum sit auara.

Iudicantur etiam ad imparia quando ageretur criminaliter. Nam supra citatam *l. viro, atque vxore 40. ff. sol. matr.* Contrarium decidentem intelligi quando ciuiliter agitur declarat ibidem *glos. verbo accusantibus*, vt iam alibi dictum est.

In defensione etiam dispares sunt coniuges. Nam defendi vxores à viris, non viri ab vxoribus æquum esse dicit *Imp. in §. Patitur, de iniur. in inst.* Quod iam fuerat dictum *in l. 2. ff. eod. tit.* Et siue ad imparia, siue ad paria iudicentur, dico cum *glos. vlt. in c. 1. §. vlt. de sim. T. vinit.* Quod non expedit homini ad regna cœlestia tendenti accipere vxorem. Et propter onera matrimonij, vt declarauit ibidem *Apostill.* addens sic. Expedit tamen propter euitandam fornicationem &c. & prosequitur his respectibus Socrates interrogatus ab adolescente consultus an vxorem duceret, vel non? Respondit eum pœnitentiam acturum, quodcumque eorum faceret. Rationes addens, quas ponit *Valer. lib. 7. cap. 2.* Diogen. autem alteri lætanter dicenti se vxorem duxisse responsum tale dedit, paruum solatium, & magnã solicitudinem es luctatus. Et reuera paruum solatium est in eo, cui incumbit magna solicitudo ad custodiendum honorem suum positum in manu fragilis fœminæ secundum vsum, seu, vt melius dicam, abusum præsentis sęculi, dico. Nam sæpius cogitans quare mundus inhonoret virum alias nobilem, honoratum, virtutibus prædicum, illum vocando cornutum bouem, & quid aliud simile, propter peccatum vxoris infidelis, sibi occultum, non inueni adhuc aliquam rationem; quin potius in hoc ad paria deberi vtrunque iudicari suadet ratio, quia si mulier nobilis honorata, & iusta non inhonoratur ex peccatis mariti, sic & è conuerso debet esse. Si autem inueniretur talis, vt describitur in *Sat. pag. Tob. 10. ad fin.* ibi. honorare Soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere; & cum paritate vtriusque, iuxta illud Ouid.

Et si vis aptè nubere, nube pari.

Tunc magnum solatium, & nulla solicitudo esset.

At vero si talem non inuenis, & solutus es noli quærere vxorem, sed si quæris, & accipis non peccas. Verum cogita primum quid supradicti Philosophi dixerint; & *Aug. in cap. nos nouimus 17. q. 2.*

sic

sic. Nauigasti, idest vxorem duxisti: Nam, vt ibidem *glos.* ait. Sicut nauigans subijcit se varijs periculis, nec proprio motu regitur, sed ventis, sic habens vxorem. Et scito quod post repertam, & pactam, non debeat tibi statim tradi. Nam inquit idem *Ang. relatus in c. Institutum est*; vt sponsæ iam pactæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspirauerat sponsam dilatam 27. *q.* 2. vbi affert *glos. verbo vilem*, hunc versum de quo iam alibi.

Gratior est fructus, quem spes productior edit.

Postquam autem illam in domum introduxeris (nam domus mariti est domicilium vxoris, & non è contra, vt per *glos. verbo affectus, in Auth. de nupt.* §. 1. *in fin. coll.* 4.) ne eam ardentissimè amaueris; quia adulter est, in suam vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis est; in sua nimius: sapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu: non regnet in eo voluptatis impetus, nec præceps feratur ad coitum. Nihil est fœdius, quam vxorem amare quasi adulteram. Certè qui dicunt se causa Reip. & generis humani vxoribus coniungi, & filios procreare, imitentur saltem pecudes: & postquam venter vxoris intumuerit nō perdant filios; nec amatores se vxoribus præbeant sed maritos prout prædictis verbis consulit *Hieron. lib. 1. cont. Iouinian. in c. Origo* 32. *q.* 4. Et qualiter vxor tractari debeat à marito iam dixisti *verbo maritus, & vir.* Vbi etiam quod debet ab eo honorari, nam vxori per virum fit honor naturaliter, licet non sic è conuerso; vt inquit *glos. verbo exigente in l. 1. C. de in ius voc.* Et quod ametur à viro, qualis qualis sit *verbo Amor.*

Ipsa vero vxor subdita sit viro tanquam suo capiti: nam quæcumque vxor non subijcitur viro, hoc est capiti suo: eiusdem criminis rea est, cuius & vir si non subijciatur capiti suo; hoc est Christo, vt per *Hieronym. sup. epist. ad Tit. in cap. Cum caput* 33. *q.* 5. & *Aug. in cap. satis clu. cau. & q.* ita. Quemadmodum viris fœminas subditas, & pene famulas lex esse voluit. Aduertat tamen vir quod non dixit famulas, sed pene; nam si de pedè Adæ formaretur Eua, tūc esset famula propriè, & si de capite formaretur, poterat dici domina, sed formata fuit de costa, tanquam collateralis, vt inquit *glos. in c. vlt. verbo Costa* 33. *q.* 5. Et quia fuit causa peccati, ideo remansit quasi famula ex verbo Dei *Genes.* 3. & *vide c. Adam ead.* 33. *q.* 5. Non ergo tractari debet vt famula, sed vt domestica, & familiaris, vt notat *glos. in l. quæcunque* 10. *C. de re milit. lib.* 12. Nam licet finis sit agnationis, & familiæ suæ, tamen caput est familiæ mariti cum ab ea incipiat cognatio, & à filijs eius patria potestas, vt inquit *glos. vlt. in l. Pronunciatio* 195. §. *vlt. per tex.* ibi. Mulier familiæ suæ & caput, & finis est, *ff. de verb. sig.* Et causam esse affinitatis, dicit *glos. in l. non ideo, C. de hæred. Inst.* & *in l. Affinitatis, C. com. de success.*

Sed & teneri præstare operas viro suo, dicit, & probat *glos. vlt. in l. Liberta, C. de oper. libert.* & *glos. etiam vlt. in l. sicut patronus* 48. *ff. eod. tit.* ibi. Nota vxorem operari viro suo &c. per tex. ibi. Nam hæc cuius matrimonio consensit in officio mariti esse debet. Idem *glos. verbo operam, in l. 3. §. si quis seruum, ff. de statu lib.* vbi *Apostill.* sic. Sentit ista glosa, quod vxor tenetur viro ad operas: sed tu dic, quod tenetur ad operas obsequiales; non autem ad industriales, ita not. *Bald. in Auth. ex testamento, col. 7. C. de collat.*

Et semper teneri virum sequi ex quacumque causa, nisi ipsam trahere vellet ad infidelitatem, vel nisi efficiatur vagabundus; dicit *glos. verbo sequatur in c. 1. de coniug. lepros.* vbi *Apostill.* addit sic. Fallit si ob delictum exulat, circa quod

vide *glos. verbo exiuit in c. 1. qui matr. accus. poss.* Nam, quamdiu nupta est, incolam esse ciuitatis mariti dixit *glos. vlt. in c. is qui, de sepultur. lib. 6.*

Vxorem per virum mutare animum dicis *verbo Mater*. Et ab vxore sumendum consilium verbo consilium.

Non teneri obligationem vxoris in contractu viri, nisi in vtilitatem ipsius vxoris, disponit *Auth. vt null. iud. §. & illud vero coll. 9.* ibi. Sed ita esse, ac si nihil scriptum esset; nisi manifestè probetur, quia pecuniæ in propriam ipsius mulieris vtilitatem expensæ sunt. Si autem vxor aliqua bona acquisita reperiatur habere, & non apparet ex quibus acquisierit, in dubio præsumitur ex bonis viri, vt dixit *glos. verbo Ex eius substantia, in l. cum oportet, C. de bon. quæ lib.* Et disponit *l. etiam 6. C. de donat. int. vir.* ibi. Nec est ignotum, quod cum probari non possit vnde vxor matrimonij tempore honestè quæsierit, de mariti bonis eam habuisse veteres iuris authores merito crediderint: vbi *glos. vlt.* reddit rationem sic. Hoc gratia vitandæ suspicionis turpis quæstus. Sed & si propter hoc, vel aliud punita fuerit, non debet in perniciem mariti conuerti, ad *l. si maritus 37. ff. sol. matr.*

Non etiam teneri vxorem vltra quam facere potest, dicit *l. non tantum 20. ff. de re iud.* ibi. Quod & in persona mulieris æqua lance seruari, æquitatis suggerit ratio: Et si ex bonis mariti locupletior facta est, in tantum posse conueniri ait *l. si fructus 8. C. de donat. int.* vbi *glos. locupletior* declarat sic. Quod est si tantumdem de suo erat erogatura &c. quod inspicitur de tempore litis contestatæ.

In vxoris res paraphernales maritus non debet se immiscere, iam dictum fuit *verbo maritus*. Nec minus cum impudicis mulieribus, cum vxores, & maxime castas id valde exasperet, vt in *l. Consensu, C. de repud.* vbi ita notauit *glos.* 1. dicens. Nota ex hac lege, quod nihil est quod exasperet vxorem, nisi impudicitia viri. Et si in viro hoc, quid in vxore, in qua magis pudicitia exigitur? Memini, quod in *verbo balneum* dixissi ex *l. Iubemus 11. §. eodem modo, C. de repud.* Quod ipsa repudiari poterit à viro. Si ita luxuriosa sit, vt commune lauacrum cum viris libidinis causa habere audeat. Et si maritus tale quid permiserit nō sine lenocinij nota transibit, quod nec ipsam excusabit iuxta *l. 2. §. 1. ff. ad l. Iul. de adulter.* ibi. Lenocinium igitur mariti ipsum onerat, non mulierem excusat.

Sanè quod in Euangelio Dominus dicit, non licere viro nisi ob causam fornicationis vxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationē eloquij, de his quorum matrimonium carnali copula est consummatum. Ita in *cap. ex parte de conuers. coniugat.*

Vxor fugiens à marito, propria potest authoritate capi, vt diximus *verbo Debitor*, nam vxoris priuatio, non minor est pæna marito, quàm ab hostibus capi iuxta *Auth. de nupt. §. Nonimus autem, coll. 4.* Quod si capere non potuit, iudicis authoritate erit ei facienda restitutio ex *c. litteras 13. de rest. spol.* nisi in casu, de quo ibi. Porro cum mulier, quę consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex diuina prohibuit, non possit huiusmodi viro sine peccato mortali commisceri &c. Frustra in tali casu adiudicaretur restitutio spoliato: cum illa contra Deum non debeat in hoc iudici obedire, sed potius excommunicationem humiliter sustinere.

Si de consensu vxoris vir religionem ingrediatur, non remanebit ipsa in sæculo, nisi eadem ita senex sit, & sterilis, quod sine suspitione possit esse in sæculo, vt *cap. Cum sis 4. de conuers. coniug.* Quid si vxor existimans maritum mortuum monasterium ingrediatur, & viuo reuerso, ei restituatur, post mortem viri re-

ri remanebitne in sæculo? an vero cogetur iterum ad monasterium redire? Et quod non, respondit *Cælestin.* 3. Licet ad voti obseruantiam teneatur, in *c. Placet* 12. *de conuers. coniug.* in hæc verba. Licet votum eius vsquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatoriū, quatenus se poterat obligare: promisit enim intrando monasterium se nō exacturam carnis debitum: quod erat in potestate ipsius: redire vero ad sæculum in potestate ipsius non erat, sed in potestate mariti, & ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desijt: cum ad eum casum, à quo poterat efficax habere principium, peruenisse noscatur. Consultius itaque dicimus, & ei congruentius ad salutem, vt ad monasterium redeat, vbi bona ducta intentione professionem fecit, & habitum Religionis accepit. Si vero ad hoc induci non poterit, ipsam inuitam credimus non cogendam.

Si maritus, & vxor simul perierint stipulatio de dote ex capitulo si mulier in matrimonio decessisset habebit locum, si non probetur illa superstes viro fuisse. Ita *l. Qui duos* 10. §. *si maritus, ff. de reb. dub. vbi glos. verbo locum*, sic. Nota hic quod mulier præmori fingitur, vel saltem non post quasi debilior. Si vero ipsa superuixerit an teneatur maritum lugere? dixisti *sup. eod. verbo lugere. Et glos. verbo quia morte, in l. Pater Seuerinam* 100. §. *socrus, ff. de condit. & dem.* Ad hoc propositum sic dicit. Sed certè imo multæ gaudent de morte maritorū &c. Dic secundum *Bart.* quod ista ratio non est bona: quia, imo tristantur bonæ mulieres &c. *Ray.* vero dicebat, quod mulieres malæ gaudent, bonæ tristantur; sed regula est (secundum eum) quod omnes mulieres sunt malę &c. sed ista ratio secundum *Bart.* etiam non est bona: quia mulieres diligunt virum etiam vltra filios. Dicit tamen idem *Bart.* quod potest esse talis conditionis vir, & vxor, quod expectare mortem viri non esset triste, vt si vir est senex, & vxor iuuenis.

SOLI DEO GLORIA.

Si (Lector curiose) placuerit tibi Apolecta, forsan eius, quæ superauerunt fragmenta non pauca, colligam, & in eandem formam reducam: si vero displicebit tacebo: & tu parce tacens.

FINIS.

Primus numerus paginam indicat, secundus columnam, tertius lineam.

PAg 3.col.1.lin.21.vnico,vnicum. pag.7. 2. 28. de priuil.l. de pecul.legat. & lin.37.eminus, eminus.8.1.1.hominem,hominum. 9.2.11.officiũ iudicium.officium iudicis. 10.2.49. datur,adde l. & lin.45.præter,prætor.11. 1.37.habe,habes.& l. 40.in alia,alia col.2.23.cessione,cessiones.12.2.8 peruocasset, prouocasset. 13.1.13.habitu,habito. 27.iniquissimus,iniquissimum. col.2.1.l.Consum. l.Cum Papinianus. 14.1.4.de vsufr.l.,de vsufr.legat.12.extrauag.adde vnic. 14.quidem, quidam. 16.1.8.suspectus,suspectum.20.In senat.consil.In senatusconsult.2.9.aduersarij,aduersarijs,& 30.agedilibus, agibilibus.17.1.8.nec legitume, nec legitimi.22.dicto,dictio.24.prætet,prætor.32.arbitrios,arbitros.18.1.34.iniqua,iniquam 2.40.dictæ miles,dictæ l.miles 47 petrones, petitiones.19.2. 8.pro adulatione,adde,beneficium.25 adulteriũ, adulterum.20.1.22.vitę,vita. 2. 15 qui permittitur abratio, quia permittitur abrasio. 21.2 23. elod.allod.34 cum sic,cum si.26.1.18.fessus, professus.30 sic se,si se.27.2.22 postulator,postulatur 28.1.36.iuramento,iuramentum.2.20.& Ang. ex Ang.30.1.29.maiores a coniuncto, mores a coniuncto.2.44.prætitit, præstitit.37.spadone, spadonem.33.2.47.frugium,refugiũt. 34.1.3.possessor, possessioni.2.5.vt præmittatur,vt præmittitur.37. 2.petitionem,petitorem.38.2 2.cura, curam.39.1 27.congente, cogente.41.1.23.stipitibus,strepitibus.2.23.Habuco,Nabucho.42.2.30.illum,illud 48.1.39.§.vlt.adde,ff.ad Trebell.49.2.8 Ageus, Agnes.50.2.33.condemationis, condemnationis. 53.2.4 delegat.Legat.& 1.remittere,committere. 56.2.10 delegat.Legat.59.1.31 iustum,istum. 58. 2.27 vt nomina vt nomin.62.2.3 oductali,edictali 64.2.7 caute, caste.65.1.24.vidiet,videt. 67.2.14. originis,Origenis. 68.1.23 ad rusticum, ad Rustic.69.1.31 iuuenes inuenies.2.27.patiens,patieris.76.2.10.sto,esto.38.bello,in bello.79.2.41 aliqua peccata, aliqua bona. & 43. Quid ergo 2. Quid ergo 3.80.1.4 si quis diaconus, si quis diaconus post med.50.dist. 88.1.35 tumulos,tumultuosos.92.2.9 hæc est necessaria,Nec est necessaria.97.1.46 vnico,vnicum.100.1.9 nullam, nudã. & 29.intelligitur,intelliguntur. 101.2.2. comodi, Comodi.103.2.18 nostri,nostrum.104.1.39.folle, tolle.2.4 l.vbi autem 65.75.& 1 obligatio,dele. 106.2.34. poni, pomi. 110.1.47. fortuis, fortius. 113.1.11.substinere,sustineri.& 30.forencum, forensium.2.6 factantia,iactantia.115.2.4 naturalis naturali & 33.beneficiunt,beneficiunt. 121.1.36. culpat,culpa.112.1.39 commune,communem 123 2.14 textu,textus.124.1.4.fint,fine.126.1.7.factu, factum. 130.1.13. cnexum, connexum. 132.2.27. l.Certum 6.adde,ff.de confess. 140.2.29.punitur, puniũtur. 2.7 cõcessum,cõfessum.145.1.23 perfectioribus,perfectioris.2.25.principium,princip. 152.1.36.valerent,tacebant,valerem,tacebam. 47 §.sed habeo, §.Idem Labeo. 2.45. C.de excoct. C.de exact 160.2.12 prudentes,prudenter. 168.1 46.hypotheca,hypothecæ.169.1.15. tu acceptum pignori excolere:sunt verba superflua,& cassanda.171.2.CulPam, Culpa. 173.1. conditionem, conductorem.174.2.11.initium,vitium. 177.1.29. curatior,curator.2.40.tutel.tutor. 179.1.18. ff.de iniur.dele ff.189.1.1.legem dicere ei, quod soluimus,dele.190.2.39.Primum si sine armis,Primum si armis.201.2.2.ff.de edend.adde,ibi.203.2.5.statuliber,adde,haberet 206.2.24.obiecto,obiectio. 207.1.19.& ibid.& obed.& 2.2. ff.Cum,§.Cum. 209.1.5.cõmisceerit,commisceri. 210.2.37.possessat,possessa. 212.2.47.dictæ,dietæ 212.1 4. dictarum,dietarum. 7.dictis,dietis. 2.36.detegat,delegat.213.1.3.quantitate,quãtitatem.215.1.40.Eis, Is.& 2 46.apponantur,apponatur.216.2.17.1.1.si cui, l.si cui. 218.1.32.adhibiti, adhibiti. 219.1.7. quæ enim,qua enim.& 2.3.oblationem, obligationẽ.&6.adesse,abesse. 225.1.38.Apostol. Apostill.& 2.12 notabilitatem,nobilitatem.232.1.11. confecisse, eum fecisse. & 17.motus, metus.234. 2.19.fuisset,fuisse.236.2.20.allegat.t.allegat l.239 2.39.mereticalis,meretricalis.240.1.23.siue dote, sine dote.247.1.1.modicum,mendicum.254.2.33. eligissem,elegissem.255.1.19 qua primum,quam primum.35.elegero,eligero.259.2.7.debet,debet. 261.2.capifer,dapifer.264.1.36.Hepotian.Nepotian.266.2.44.iuxta,iusta.269.2.21.litigatorem,litigatorum.29.hominem,hominum.270.2.1.plenũ planum.271.1.35.inult.nupt.incest.nupt.276.2.28 actor,adde,agit.49 non agar, dele, agat.278.1.6. statu,statutæ.280.2.13.mortales,mortalis.283.2.iu dicio,iudici.285.2.1.principium,principum. 290. 1.15.fieri,ferri.295.14.ibi,tibi.297.2.32.Imitatio Immutatio.300.1.55.nihilominũ,nihil enim.301 2.34.capifer,dapifer. 302.1.20.noxa,noxæ. 2.34. non causa,causæ,persona,personæ:qua,quæ.307.2 4.assignate,assignante 308.1.13.velit,vellet.16.sustulisse,sustulisset.17.renũciasset,denunciasset. 309 2.41.adde l.exceptione ff.de fideiuss.310.2.26.redarguerat,redargueret. 27.soluit,solueret. 314.1. 10.eadem est non, eadem est ratio.41.glo.vlt.adde in l.vlt 319.1.6.putatis,pietatis.320.1.15.sint, sunt.323.1.36. Alerat. Alciat. 324.1.9.l.vnicum,l. vnic. 32.manifestabant,manifestabunt. 45.lib.14. lib 12.325.2.32.relat.adde,in cap.36.rationes,rationem.328.1.4.art.non.art.non. 2.32 miserit,miseris.331.1.28.fint,facit.333.1.6.inspiciuntur, in-

-spicitur.§ 34.1.6.valeat,valet 13.visitatum,visitatū.
335.2. 28.capifer, dapifer.341.1.49.gratias,gratis
.345.1.26.feri,ferè.29.lib.20.lin.20.345.2. hæredi,
hæredis.347.2.24.l.Tale vlt.l.Tale 41.§ vlt.28.cō-
sensum,concessum.348.2.16.Barbos.Barbas.& 20
ex glosa,explosa.34.lit 1.l.1.351.1.20.ciuit. euict.
352.2.10.nutrit.trit. 352.1.47.mercatur,mereatur.
.354.1.23.suppone,supponere.16.hypotheca,hypo
thecæ.356.1.25.vitæ,viæ.357.2.35.de ff.de off.360
1.36.gratiæ,gratia.361.1.36.c.venerabilē 34.adde
de elect.373.1.37.gestorum,gestor.2.47.in incom-
modato,in commodato.374.1.34. pertineat perti-
neant 2.39.factus,factos. 379.1.4.excessum,exces-
suum. 381.impossibile,imputare.384.2.43.vicinia,
viciniæ.387.1.2.Beued. Pened.2.20.sit,si.389.2.16.
præcipiat,præcipitat. 395.2.25. pondere,perdere.
398.1.15.aliud ad illud.2.24.probatur iusiur. pro-
batur per iusiur.401.2.2.cogēdo,colligendi.22.in
strumētorū,instrumētū. 402.1.30.in instrumētorū,
dele in.403.1.41.disponētes,deponētes.2.45.bonor:
bon.404.2.46.vbi dicto,vbi gl.dicto.406.2.35.Prē
deiro,Rēdeiro.408.2.16.āte litē,post litē.411.1.46
reddēdi,reddēri.419.2.9 computādum,imputā dū.
418.1.29. sedero,sedere. 419.1.39. relatione,rela-
tionem.421.3.2.23.volūtatis,volūtati.430.1.40.quin-
que,quindecim.433.2. 29. abuatur, absoluatur.
438.1.23 sine quod,siue quod.442.1.38. in renun-
ciationem,renunciatione.443.1.6. constituit, adde
ead.dist.1.452.1.18 iniusti,iniustè.453.1.19.Eccle
sia.Ecclesiam.454.2.11 iure,in re.457.1.37.in pro-
batione,in donatione.458.1.23.venerabilibus,ad-
de,relicta.463.2.47.iuxta,iusta. 465.1.13. pendit,
pendet.467.2.2.iudicare,iudicari 2.29. fraudulen-
tem, fraudulenter.43.transgrediunt,transgrediun-
tur.470.1.21.inducas,inducat.472.1.13.poterit,po
teris.478.2. 15.seiuro,seuero.479.1.30.inuicto, in-
uito.480.2.35.prçcidere,præcedere.482.2.29.si,et.
483.2.46.interpetrationem,interpretationem.484.
1.20.vbi,vti,36.sana mensis,sanæ mentis. 485.1.6.
comprehendit inAattiam,comprehendit instantiā
486.1.1.contestatis,contestatio.499.2.47.conciliū,
consiliū.501.2.41.sit,sic.502.1.27.column. calumn.
503.2.47.fund.funer.506.1.1.tacitus,tactus.507.1.
9.exercitur,exerceetur.34.verb.vrb.2.10.vira,iura.
508.1.19.ordinator,ordinatos.512.1.12.in,&.514.
2.11.mors,mos.22.integrat.ingrat.517.2.27.ex fa-
cto,ex pacto.520.2.35.coniuncta,coniuncto,& 36.
diuers.diuort. 523.2.44. dist.dict. 527.1.6.nuptiæ,
nuptiæ.529.1.8.si mortuo,sic mortuo.28.venerint,
venerit.2.11.Mathensi,Mathesi.14.Mathensis,Ma
thesis.530.1.1.accolenda pertinent,& colēda per-
tinens,& adde, vel ad colendam.13.superstitionis
segregādi perniciosè sūt,superstitionis perniciosę
segregādi sūt.41.qui,quia.531.1.43.despēsatione,
despōsatione 532.1.22.carnale veritate in fortius,
carnale in veritate fortius.31.quia,qui.2.38.versa-
tur,vertatur.533.1.40.fornicationis,fornicationes
33.Plaut,Placet.2.45.impostern,impostorū.545.1.
37.deriganter,dirigātur.546.1.16,medios,modios.
547.2.24.æquos,equos.553.2.24.meritorum,meri-
torium.560.1.25.rei,reip.ibid.riensis,ei ensis.573.
1.23.æquaticum,aquaticum.2.2.capti,capit.583.1.
36.bonæ,bona. 585.1.3.venditorum, venditorem.
11 fuerit,fecerit.586.2.19.fibris,febris.588.1.1.ser-
uis,seruus.599.38.doctis,dotis 40.des,dos 601.1.5.
sortita, sortitæ.6.priuata,priuatæ.47.vide,vidui.2.
16.contrahat, contrahen.603.1.1.prohibitas,pro-
hibita.704.2.33.vagaria,angaria. 607.2.11. tradi-
tum,traditur.618.1.4.nata nata.619.1.10.ad Apri
lem,ab Aprili.625.1.44.factis,fractis.2.23.vtique
vnique.30.quæst.3. quæst.4.626.2.24.moueri,remo
ueri.628. 2.41.Certe quid,Certe si quid.si procul,
dele, si.630 1.32.resupinus, resupinis. 632.1.30.
nc,ac.44.solus,solis.& 2.34 agitur,igitur. 633.1.
30.nobilitatis,nobilitati. 643. 2.16. proferri,per-
ferri.647.1.23.contra ius, contra ius.2.23.si quis,
si qui.649.1.18.sermi,sermo.650.1.30.propria,pro-
priæ.652.2.27. exgeris,exegeris. 653.1.10.natura,
naturæ.660.1.41. c.laudes 23.35. 661.1.41. occi-
dendu,occidendi.667.1.16.præmoueri,promoueri.
674.1.22.in faciendo,in non faciendo.2.9.portat,
petat.676.1.38.infamisis,infamis.45.ope,opere. 2.
16.duplici,dupliciter. 679.1.36.constitium,consti-
tutum.681.2.38.c. Non mediocriter,adde,de con-
secrat.dist.5.682.2.46.positas,paritas. 683.1.5. de-
beret,deberi.694.1.39. exgumandi, exhumandi.2.
6.Iqi,Iudçi.699.2.1.altorationes,altercationes.721
1.10.desinit,desint.723.1.30.collegiat.colleg.2.19.
l.pater dotē 8.adde,ff.de dot prælegat. 724.1.30.
teneri,tenti.728.2.3. processionem, percussionem.
8.parata, pacata. 735.1.20. dominim,dominium.
736.1.20.§ si vero quis,adde,ff. de cēsib.737.1.28
actionē,adde ff.de mun.738,2.14.errores,errones
736.1.11.Denter.324.Denter 32.4.741.2.15.curat
iurat16.esse,adde,ff.de verb.sig. 26.Non,Nam.
742.2.6.imperitos,peritos. 7.marmoro,marmora.
9.ministrum,ministrorum.40.militiam,militum.43
ait l.adde,2.743.1.8.restituit,restiterit.2.21.nomi-
natim,nominatim. 744.1.33. statulit statulib. 2.6.
præbendorum,prçbendarum 745.1.16.de rescript.
in 6.adde verbo. 2.34.l.se mercedem,si mercedem
746.1.2.grauis, graues.9.patere debent,patere nō
debent.18.expert.export.748.1.1. alterationes, al-
tercationes.752.1.11. detractis,retroactis.2.22.pa-
tria,patriæ.753.2.39.in alio l.,in alia l. 754.1.39.
dissiminetur,disseminetur.763.1.4.qualitatis,qua-
litas.767.1.44.& deinde, c. deinde. 769.2.4. facit
pro, adde,se ita loquitur hic; sed in quantum ista
appellatio facit pro.777.1.2.condeind.com.diuid.
780.1.6.accommodato , à commodato. 780.2.28.
dum tenet,dumtaxat 782.794.2.46. cris,icris, 802.
2.23.super certo,super incerto. 808.2.10.authori-
tali,authoritas.820.1.37.ff.eod.ff.&.822.2.24.cura
toris,procuratoris.843.2 24. lib.11.adde, ibi. 37.
Publicatio,Punitio.39.& ibi,& vbi. 844.1.30.l.si
quis diutino,l.si diutino.2.17. Numis, Numinis .
845.1.6.l.si ser,l.si seruum.856.2. in fin. con, tra-
880.1.29.exterius,exterius.883.1.4.inciuilibus,in ci
uibus 10.religionis,religionibus 886.2.3.idem,ibi
dem.889.2.20.responsior, responsio. 890.1.1. inte-
gra,interrogata.892.2.7.tria,trita. 895.1.36.quare
num,quare cum.897.1.19.cum affirmus,cum affir-
mes.899.1.5.excipientium,excipiendum.2.12.alte-
rationes,altercationes. 902.2.28. numera,munera.
906.

906. 1.47 retroprincipalibus,retroprincipibus.911 1.30 Ecclesia,ecclesia.914.1.5 ca,ei. 2.37 enim,animi.915.2.4 medico,medico.2.6 de da.938.2.43. Oldra.1.55.adde,alias 25.950.2.9.subi cieri,subiecerit.43.suus,seruus.959.2.16 potestati,potest vti. 975.1.4.differentia, differentiæ.29.in l.in 1. & 30. est,dele.974.1.27.c in nostris,c.in litteris. 38.vt in cap.constitutus,lege sic,vt in d.c.litteris,& licet in c. constitutus,8. de fil presb. 987.1.40. vt in ff.vt infr. 988.2.46. sedatur,lædatur. 993.1.9 primaturra,primaturam.995.2.19alterationes,altercationes 1004.1.35.relictum,relicti.1006.2.5 fiendus,finendus 1008.1.15 facere,adde,&c. 46.vtique, vtrique. 1012.1.22 non am,non enim.1015,2.31.præbēdū. præbendarum.36.ponamus,Pōponius. 1017.2.27. centum aurorum,adde,vt tenet gl.vlt.in l.licet,C. de acquir.poss. Nec etiam puto,quod solo temporis cursu,obligationis natura mutetur. 1018.1.22. non habet,non debet.1019.1.40.imperatorum,imperitorum.2.8.parochiarum,parochianum.15.con textus,contentus.1021.1.34.c,consuluit 34.24.1022 1.3.quam,quem,4.cum eum.1023.1.37.hac hæc.2. 22.diuisio,delatio.126.1.37.quia,qui.1028.1.6.poties potius.21.nō admittūtur.43.quod si testes deficiant,quod si testis deficiat.1029.1.2.vixeret,viueret.2.3.confessione, confectione.7.quis,qui. 1029. 1.21.lin.21.in l.in cap.1030.2.30.sit per tit.prim. 1031.1.23.inde,vnde.2.19.cū simili,cōsimili.1032. 1.27.si se,si per se.10.31.1.3.testes,testis.1034.1.10 consanguinitatis,consanguinitas. 26.19 distinc.99. 1035.2.31.timorem,per timorem.1036.1.1.Pontif Proph.12.diceri,doceri.52.contemnenda,contemnendo.43.repidauerunt,trepidauerunt.2.11.20,30. 38.quo,super quo. 1039.1.41.sit,sic.2.20. ille,illa. 26.si agitur,si igitur.1041.2.23.l.Lacius,Lucius.4. transactio,adde, nam.1042.1.9.iux.dux.14.recitatum,recitatam.28.verbo,vero.1043.2.38.transactio translatio.1044.1.42.principales conductores,adde non conductores.2.6.c.Cum,c.Cum M.1045.2. 5.qui tol.tur da.pos.adde, de legit.agitur. 1046.2. 36.l.4.l.5.1049.1.28.actione gestorum,actione negot.gest.1050.1.14.Bart.n.9.n.5. 1051.2.12.commissosiam elegia,commissoriam elegit.1052.1.32. notante,vocante. 2.36 prius,potius. 1053.1.21.est alia,& alia.27.debetur,debet.42.dixit,dixisti.1055 39.tenere,temere. 2.37.liberet,liberat. 1059.1.33. l.stipulationem,l.stipulationū.1061.1.24. argumētatiuum,augmentatiuum.1063.1.18.patefactas,patefacta.46.quæ,qua 1065.2.24.c.1.l.si de inuest. c. 1.cassato l. 37. dominibus hominibus. 1066.2.15. mulieribus,muliebribus. 19.meretrica,meretricia. 1067.1.8.candidus,candidas . 2.1.quodmet,quod. 22. de vsuf. leg. de vsufr. 1068.1.1. monastria,monastriæ.2.10. §.idem & in l.2.§.idem il 2. 1072.2. 38.pomque familiarium , pompaque rerum familiarium.1074.1.22.seculi,securi.2.39.habebant, habebunt.1075.2.34.tract.58.tract.48.1076.1.17.exhibeat,adde,nam impudicitia viri.29.de consang.de eo qui cog.consang.2.2.& quod,eo quod.13.& c. 16.,& cib.1082.1-36.de benef c.17.adde mora nō fit beatior vita,sed longior;quare ait.1019.1.40.voluptas,voluntas.1099.2.32 rei,ei .

Nota benignè Lector, Typographi incuria circa pag. 943. vsq;ad 949. quatuor numeros omissos, materia tamen consequenter tractatur .

REGESTVM.

†,†† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii Kkkkk Lllll Mmmmm Nnnnn Ooooo Ppppp Qqqqq Rrrrr Sſſſſ Ttttt Vuuuu Xxxxx Yyyy Zzzzz

Aaaaaa Bbbbbb Cccccc Dddddd Eeeeee Ffffff Gggggg Hhhhhh Iiiii Kkkkkk Llllll Mmmmm Nnnnnn Oooooo Pppppp Qqqqqq Rrrrrr Sſſſſſ Tttttt Vuuuuu Xxxxxx Yyyyyy Zzzzzz

Aaaaaaa . Omnes sunt duerniones præter †† qui est ternio .

Folia impressa ab Egidio Tosellio sunt ab A, vsq; ad Rrrrrr 1. reliqua ab infrascriptos

RONCILIONE, MDCLVII.

Ex Typographia Iacobi Menichellij . Sub Signo Lilij .
Habita Superiorum facultate .

Digitized by Google

Digitized by Google